Del . . . de la Conception

HISTORIAE ROMANAE SCRIPTORES LATINI MINORES; QVI ALTIVS EXORSI, AVGVSTÆ HISTORIÆ AVT VIAM STRAVERUNT, aut partem eius aliquam ab vrbe condita vsque ad sua tempora breui compendio deduxerunt:

Fasti Capitolini, à Carolo Sigonio suppleti, & Commentario explanati: cum eiusdem Sigonii libro De nominibus Romanorum:

Messalla Coruinus:

L. Florus; quem alii Annæum Senecam, alii Iulium Florum nominant:

Velleius Paterculus:

Sex. Aurelius Victor, De Rom. gentis origine: De viris illustribus: De Imperatoribus: cũ eiusdẽ Epitome:

Sex. Rufus, seu Festus Rufus:

Eutropius:

Cassiodori Chronicon:

Iornandis lib. I:

Iulius Exsuperantius.

Addita Variantis scripturæ Notatio, ex optimis quibusque editionibus, scriptorumque partim veterum, partim recentiorum monumentis collecta. Adiecta etiam Græcorum, quæ citantur, interpretatio: tum rerum verborumque notabiliorum INDEX locupletissimus: opera Friderici Sylburgii. auctoris damnati, hoc tamen eius opus permittitur.

Tomus primus.



FRANCOFVRDI
Apud Andreæ Wecheli heredes,
Claudium Marnium, & Ioann. Aubrium,
MDLXXXVIII:
Cum S. Cæsareæ Maiestatis priuilegio.

INDEX AVCTORVM QVI IN HOC TOMO CITANTVR.

SVMMA PRIVILEGII.

S.CÆSAREÆ *Maiestatis priuilegio cautum est Andreæ Wecheli heredibus, Claudio Marnio & Ioanni Aubrio, ne quis institutum ab eis Romanæ historiæ syntagma, a Friderico Sylburgio recognitum, Notationibusque, Indicibus, & aliis accessionibus auctum, per decem annorum spatium, a prima editionis die computandum, intra fines sacri Romani imperii, regnorumque & dominiorum Cæsareæ Maiestati hereditariorum, eodem aut diuerso charactere formave, recudere, aut alió recudendum dare, vel alibi expressum importare, vendere, distrahere, aperte vel occulte, absque supradictorum Wecheli heredum voluntate ac consensu præsumat. Qui secus fecerit, is non solum libris impressis, sed etiam decem auri puri marchis sine vlla venia mulctabitur; vt latius declaratum est in diplomate Cæsareo, dato Pragæ kal. Iulii, anno* MDLXXXVIII.

Rudolphus.

Iacobus Curtius a Senfftenau.

Ad mandatum S. Cæs.Maiest.proprium

A. Benck.



REVER. ATQ. ILLVSTR. PRINCIPI

ADOLPHO, ELECTO

BREMAE AC LVBECAE ARCHIEPISCOPO, HEREDI NORVEGIAE, DVCI SLESVICI, *Holsatiæ, Stormariæ ac Ditmarsiæ; Comiti Oldenburgi & Delmenhorsti; patrono suo clementißimo,*

FRIDERICVS SYLBVRGIVS S. & F. P.



Istoriarum cognitio quam vtilis atque adeo etiam necessaria sit ad gerẽdam rempublicam, reuerendissime atque illustriss. Princeps, cum aliorum, tum Polybii grauissimo suffragio notum est; qui eam verissimam institutricem atq; exercitatricem, vnicamque vitę magistram appellare haud quaquã dubitauit. Quemadmodũ enim philosophia pręceptis, ita historia exemplis ad pacis bellique artes instruit, ad virtutem excitat, a vitiis auocat; in secundis frenat, in aduersis erigit: breuiter, quænã Deo, quæ hominibus, quæ nobis ipsis debeamus officia, velut in clarissimo speculo luculentissime cõmonstrat. Quocirca omnes omnino principes, quibus curæ fuit respublica, cum politicis sapientum scriptis historias adeo lectitarunt diligenter, vt etiam Zenobia, prudentissima fortissimaque Orientis heroina, non contenta frequenti lectione, epitomen quoque Orientalis pariter atque Occidentalis historiæ ipsa sibi confecerit. Cum igitur ego quoque, vt superiori anno, Aristotelis instauratione, illustrissimis Principibus meis, patronisque clementissimis, operam ac studiũ meum declaraui, ita nunc generosissimæ eorum propagini idẽ animi studiũ vtilis monumẽti dedicatione probandũ existimarem: non putaui vllum scriptorum genus vel ordini cõuenientius, vel ætati aptius posse deligi, quam libros historicos. Et quia Romanum imperium singulari quadam Dei prouidentia supra ceteros totius orbis principatus maiestate ac diuturnitate longe est euectum; ideo & historiæ Romanæ post sacras litteras, ob exemplorum splẽdorem & copiam, præ cęteris omnibus palma videtur tribuẽda. In qua etsi primas iure sibi

vindicant qui prolixa luculentaque narratione res pertractarunt; non parua tamen iis quoq; debetur gratia, qui succincta breuitate summa rerum capita sunt complexi. vt enim illi prouectioribus, ita hi tironib. sunt magis necessarii. Itaque tibi, ADOLPHE illustrissime, offerre visum est hos epitomicos Romanæ historiæ auctores, ea serie, quæ quam conuenientissima est visa, digestos ac distinctos. FASTI CAPITOLINI, prima quasi elemēta continent. Eorum velut syllabas partesque primarias MESSALLA CORVINVS breui discursu complectitur: FLORVS deinde ac VELLEIVS vberiore stilo amplificāt; quāquam diuersa vterque methodo. Et cū hi expositis Romani imperii primis ætatibus, in virili ac cōstāti eius vigore subsistāt, ceteri deinceps scriptores, VICTOR, RVFVS, EVTROPIVS, CASSIODORVS, IORDANES, senectutem eiusdem ad sua quisque tempora deducunt: ita vt vltimus eorum desinat in Iustiniani annum XXIIII; qui vrbis est circiter MCCCIII, Christi vero DLIII; cum imperium, quamquam senio declinans, sat valide tamē adhuc lacertos mouebat, pristinique vigoris illustria documenta exhibebat. Ea series ostendit quam varias Romanum imperium mutationes sit expertum, primum e regio dominatu in politicum regimen conuersum; deinde rursum e politica forma in monarchicam traductum: atq; in hoc ipso fastigio post multiplices circuitus sede motum, ac tandem magna veteris splendoris parte imminutum. vt respublicæ potentia florentes, imperio religiose vti discant, seque pias Dei ministras ac fidas populi matres exhibere satagant. De principib. ipsis prolixum foret disserere. hoc tamen in primis obseruatu dignum est, eos qui perpēsis functionis suę partibus, sese, vt fidos Dei in terris vicarios decet, pietatis propagatores, salutisque publicæ patronos sedulos præbuerunt, felicissima imperii fortuna vsos esse; vt in Christiana religione Constantinū & Theodosium; in veteri autē superstitione Numam Pompilium, & æmulū eius Antoninū Pium. cōtra, eos qui spreta ecclesiæ ac reipublicæ cura, priuatæ in omnib. libidini sunt obsecuti, tragico plerumq; exitu vitam terminasse. Habes igitur hic multa in vtramq; partem exempla insignia, & quæ sequaris, & quæ fugias. In eum namq; finē diuinitus ad posteritatem hæc vetustatis monumenta propagantur, vt tamquam in speculo cōsideratis virtutum præmiis, vitiorumq; pœnis, illas sectari, hæc declinare studeamus. Quamquam autē veteris memoriæ & pręclara per se recordatio est, & vberrimi eius in omnes vitæ partes redundant fructus: tamen quia domestica nescio quo pacto magis afficere atq; ad æmulationem excitare solēt, cum illustrissima familia vestra luculentissimis virtutū exēplis abundet, ad ea quoq; te reuocare libet. Habes in vtroq;, & paterno & materno genere quæ imiteris: in defunctis, exempla piæ fortitudinis & cōstātię; in superstitibus, singularis eruditionis, sapiētiæ, prudentiæ. Auunculum enim VILHELMVM si respicias, excellēs eius laus est quod inter omnes huius ætatis Principes (absit verbis inuidia) nullus eo inuenitur vel doctior, vel sapiētior aut prudētior. Sed multo maio-

to maiorem admirationem meretur, quod in principe insigni, etiam rari exempli pædagogum ac magistrum præstat. Nosti enim ipse, vt ad excitanda filii studia, perpetuo ei a teneris vnguiculis complures opposuerit æmulos, principes, comites, barones, nobiles, qui pares ætate, eadē quoque sectarentur studia: atq; vt primum ipse heroica illustrium ducum facinora illis in mensa inter epulas narrare cōsueuerit: deinde illa ipsa, vt familiariora eis faciat, e bonis auctorib. ediscēda, conuenientiq; voce ac gestu repręsentāda dare soleat. Sed maioris est sollertię quā inter eos aliquādo instituit, tragocomœdia: cum scilicet assignata filio Alexandri magni persona, alii personā Annibalis, tertio personā Pompeii demādauit: instituoq; inter eos de dignitatis gradu certamine, postquā suas quisque partes Latine peregisset, ac singuli suis virtutibus supra ceteras exaggeratis, palmam sibi vindicarent, nec iudices, quorū cognitioni delata erat controuersia, litē decidere auderēt: pater cōmissis belli ducibus, caussam quæ verbis dirimi nequiuerat, hastis gladiisq; agi iussit: finitoq; certamine, vt in equestri ludo, pręmia pro virtute tribuit, & additis fortitudinis elogiis, ad maiora deinceps capessenda accendit. Nec tantū in historiis ceterisq; disciplinis liberalib. ita filiū exercet, verū etiam in grauiorib. disputationibus, iuridicis videlicet ac theologicis: idq; tam felici successu, vt in plerisq; cōcertationib. victorem eum videat. Sic etiam in legationib. nunc audiēdis nunc obeundis eum tātopere exercitat, vt prōptam eius facundiam cum singulari prudētia & grauitate coniunctā etiā exercitatissimi homines cū rubore ac stupore cogantur admirari. Ac quia principē leges & arma decorāt, venationib. quoque, ludis athleticis, ballistis, tormētis, ceterisque rei bellicæ rudimentis, eundem imbuit; vt cum animi cultu etiam corporis agilitas paria incremēta capiat. Iisq; exercitationib. adeo vterq; proficit, vt non immerito dubitetur maiorne docētis an discētis sit dexteritas; cū generosissimus MAVRICIVS tā felices in omni liberaliū exercitationū genere progressus fecerit, vt, quę multi constanti ætate vix sunt assecuti, ipse nondū plene puber sit adeptus; ac matura ætate, paternarum auitarumq; virtutū gloriam nō tātum æquaturus, sed etiā superaturus esse videatur. Nō minor ergo & de te, ADOLPHE illustrissime, exspectatio est. Primū enim ortus generositas fortē e fortibus, bonumq; e bonis futurū pollicetur. Deinde corporis & membrorum commensus, oris ingenuitas, incessus ac gestuum grauitas, aliaq; adolescētię virilia ornamenta, omnia præclara de te spondent. Eandē exspectationē auget ardens liberaliū disciplinarū studiū: quo ita flagrare diceris, vt nō cōtentus Latini sermonis notitia, ceteras quoq; linguas a Latina deflexas addiscere gestias. Quam ad rem vt hortatorē atq; informatorē egregium nactus es, Ludouicum Pincierum, virū doctrina, moribus, & vsu rerum pręstantem, ita ipse tibi calcar in persequendo tam laudabili curriculo subiicis. Themistocli olim tropæa Miltiadis somnum excutiebant: Cæsaremque ad maiora capessenda excitabat Alexandri magni statua. Eodem modo tuis oculis generosissimi matruelis studia perpetuo obuersātur, laudesq;

illius auribus tuis insonãt. Quibus veluti stimulis adeo incitaris, vt eũ vel assequi, vel saltem breui interuallo subsequi enixissime contendas. Recte namque cogitas, quod Aurelius Victor monet, adolescẽtiæ legem omissam, infeliciter in prouecta ętate repeti. ideoq; omni virium contentione annitendum existimas, vt amplissimam prouinciam, quæ tibi ob illustria virtutũ specimina est delata, si non pari annorum grauitate, saltẽ ardenti virtutum studio tuearis. Quam ad rem cum a me quoq; aliquid incitamenti tibi deberi videretur, sicut matrueli Augustę historiæ scriptores dicaui, ita tibi eos offerendos censui, qui partim ad Augustam historiam breui compẽdio deducunt, partim eam succincta narratione pertexunt: vt vno volumine haberes quidquid epitomicorum scriptorũ de Romano imperio ex vetustate nobis est reliquũ. Licet autem maior horum pars ethnicis tenebris adhuc demersa fuerit, tamen vt ceterarum virtutum, ita etiam pietatis, non obscuræ in illis nonnusquã intermicant scintillæ. Postremi vero duo, Cassiodorus & Iordanes, cum Christianæ veritatis cognitione imbuti fuerint, multa non solum de republica, verũ etiam de ecclesia produnt, quę tibi ad vtriusque, & politici & ecclesiastici regiminis moderationem plurimum possint conducere. Id porro historiæ corpus vt tuis omniumque antiquitatis amantium vsibus esset aptius, primum operam dedi vt ordine conuenienti cohærerent omnia. Deinde, cum a veteribus libris manuscriptis nihil esset auxilii, cõquisitis optimis quibusque editionibus, earum collatione omnia quam emendatissima edere studui. Et quoniam magna plerumque exemplarium est discrepantia, ea quæ alicuius momenti esse videbantur, seorsum in Notationum libello exposui. His addidi quæ partim antehac ab aliis eadem de re fuerũt edita, partim nuper a doctissimis hominibus mihi priuatim communicata. Annos vrbis, vbi referre videbatur, in margine, aliorum exemplo, apposui: Græcis Latinam interpretationem addidi. Denique, ne quid deesset, rerum ac verborum memorabilium copiosissimum in fine Indicem adieci. Quæ etsi plus otii, plus etiam suppetiarum requirebant; spero tamen, iis qui alienorum laborum æqui sunt æstimatores, impensam a me operam maiori ex parte satisfacturam esse. Itaque etiam abs te, reuerendissime Princeps, eãdem benigne acceptari cupio, nec solum oblati muneris pretium spectari, verum etiam offerentis animum pensitari. Quamquam enim opus hoc exquisitiore atque accuratiore cultu ad te venire debuisset, tamen etiam hac sui mediocritate non parum tibi & placiturum & profuturum confido. Studii certe atque obseruantiæ erga te meæ perpetuum tibi erit documentum. Quem animi affectum cum virib. declarare nequeam, votis saltem, quod reliquum est, implebo, tibiq; a regum rege, bonorumq; omnium vnico fonte, precabor, vt quem in adolescentia promittis, in virili ætate plenissime pręstes, religiosum, cordatum, constantemque principem, tantis natalibus, tantaque dignitate vere dignum. Francofurdi in Museo Wecheliano, XI kal. Octobr. MDLXXXVIII.

Fridericus

Fridericus Sylburgius Lectori S.

VT in ceteris, ita hic quoque visum est, lector, paucis exponere quidnam a nobis in hoc opere sit praestitum. Principio, Romanae historiae scriptores breuiores in vnum corpus coagmentare libuit: ac primo quidem tomo eos coniungere, qui altius exorsi, Augustae historiae aut viam strauerunt, aut partem eius aliquam ad sua vsque tempora compendioso filo deduxerunt: altero, eos qui meram historiam Augustam conscripserunt: tertio, eos qui Graece idipsum argumentum pertractarunt. Deinde, ordine illorum ac serie ad temporum rationem accommodata, sedulo adniti visum est vt editio eorũ prodiret, quam fieri posset, emendatissima. De primi ergo tomi partibus vt singulatim rationem tibi reddam, FASTORVM *editionem Sigonianam posteriorem cũ priore cõtuli, ac, sicubi correctione opus esse videretur, quãtum licuit, emendaui. Idem in Sigonii Commentario feci, & in eiusdem libro De nominibus Romanorum. in quibus etiam saepe auctorum testimonia, quae citantur, ad fontes ipsos reuocaui: ac, si qua esset manifesta labes, sustuli: sin diuersitas aut scrupulus aliquis incideret, seorsum in Notarum libello exposui. In* MESSALLA CORVINO, *suspecto auctore, contuli primum Basileensem & Lugdunensem editionem; post, etiam nouissimam Henrici Maibomii cum eisdem comparaui.* FLORVM *ex Ioannis Stadii & Eliae Vineti editionibus inter se collatis dedi; consulta tamen interdum & Ioannis Camertis editione, licet minus accurata. In* VELLEIO PATERCVLO *ad Beati Rhenani editionem adhibui recentissimam Aldi Manutii. In* AVRELIO VICTORE *secutus sum editionem Andreae Schotti. sed in Viris illustrib. & Augustae historiae Epitoma, consului nonnumquã & vetustiores editiones, Roberti Stephani, & Joannis Frobenii. In* SEXTO RVFO, *seu* FESTO RVFO, *cum editione Vberti Goltzii contuli non solum antiquiores, Joannis Cuspiniani, & Angeli Tifernatis; sed etiam recentiorem Henrici Maibomii. In* EVTROPIO, *Eliae Vineti editionem comparaui cum editione Antonii Schonhouii; interdum etiam cum editione Frobenii, quamquam minus sincera; quippe quae Eutropium non purum putumque, sed a Paulo Diacono interpolatum exhibet. In* CASSIODORI CHRONICO, *ad Ioannis Cochleei editionem adhibui primum veterem editionem Ioannis Cuspiniani; deinde recentem Gulielmi Fornerii.* IORNANDIS *seu* IORDANIS *exemplaria cum plura inuenire non possem, secutus sum editionem Ioannis Leonclauii, vt nouissimam, ita etiam omnium optimam. Hac igitur editionum collatione, dum veterum m. s. librorum ope destituerer, lectionem quam rectissimam constituere studui, emendatis quae manifestas haberent mendas; ceteris autem, in quibus aut variarent exemplaria, aut scrupulus aliquis inesse videretur, seorsum adnotatis. Eodem Notationum libro complexus sum quae ab aliis in hos auctores partim ex veteribus codicibus, partim e probatis auctoribus priuato ve iudicio adnotata reperiebam; sed ea potissimum, quae ad genuinam lectionẽ pertinerent. cetera quae ad historiae explicationem spectant, in Commentariis aut Obseruationibus eorundem breuitatis caussa visenda reliqui. Etsi ergo m. s. libris hic carui, congessi tamen quae Cuspinianus, Vinetus, Manutius, Schottus, & alii e m. s. adnotarunt. Jisque addidi quae clarissimi viri, Erricus Memmius, Franciscus Pithoeus, Vbertus Gifanius, e suis thesauris communicarunt. In quibus concinnandis id passim religiose obseruatum est, vt sua cuiq; auctori accepta referretur symbola, nec quisquam debita liberalitatis laude priuaretur; vt partim adnotationum textus, partim auctorum catalogus declarat. Sed & meam nonnumquam hic vel ex coniectura, vel e veterum scriptorum monumentis sententiam interserui, si quid prodesse posse videretur. Adhaec Graeca, quae saepe absque interpretatione sunt citata, Latine reddidi: & in fine amplissimum rerum verborumque memorabilium Indicem adieci. Ipsa etiam editionis errata, quae vel exemplarium vitio, vel operarum culpa irrepserunt, ad calcem notaui, ne quid esset quod lectorem moraretur. Locis porro, in quos vel ab aliis vel a me aliquid est adnotatum, asterisci aut obelisci sunt praefixi. Quae ab exemplaribus aliquibus absunt, vncis sunt inclusa, & in Notationũ libello ratio de eis reddita. Anni vrbis in Floro a Ioanne Stadio ad oram sunt appositi; in Victore, ab Andrea Schotto; in ceteris, a me. Jn quibus notandis primum Sigonium nostrum sum secutus: deinde, vbi Sigonius desiit, secutus sum Fastos Onufrii Panuinii. Summa, id operam dedi, vt quam absolutissima prodirent omnia. Quae in re quidquid nos fugit, ut partim operis difficultati, partim temporis angustiae id vere adscribere possumus, ita nostrarum virium infirmitatem in multis non diffitemur. Si quis autem quaerat cur Iornandem Paulo Diacono hic praetulerimus, praeter rationes suo loco expositas hanc quoque nos mouisse sciat, quod Paulus ille fere magis Ecclesiasticis quam Politicis rebus percensendis studuerit. Qua de caussa Orosium etiam ac Bedam hic omisimus; praesertim cum iidẽ verius ad generalem Chronographorũ classem pertineant, vt Eusebius, & cõtinuatores eius Hieronymus, Prosper, Marcellinus, ac huius generis alii.* EXSVPERANTII *autem Opusculum, licet proprium in hoc contubernio locum non habeat, velut particula quaedam Romanae historiae, de bellis ciuilibus Marii, Lepidi, Sertorii: tamen cum hucusque lucem non viderit, placuit illud additamenti vice adiicere, eiusque editione clarissimos Pithoeos, e quorum bibliotheca id trãscripsit Ioannes Opsopoeus, ad alia nobis communicanda incitare. De his praemonendus videbare lector. Tu operam nostram reipublicae iuuandae destinatam boni consule, ac vale.*

AVCTORVM PRIMI TOMI SERIES, IN QVA NON PRÆSTANTIÆ HABITA EST RATIO, SED DESINENTIÆ, *hoc est temporis ad quod a quoque scriptore deducta est historia.*

DE ORDINE HVIVS SYNTAGMATIS.

Ordo quem in hoc Romanæ historiæ corpore secuti sumus, non præstantiã aut methodum respicit, sed tempora in quib. singuli desierunt. Qui methodũ spectant, aliam lectionis rationem instituendam censent. Vt ergo illorum quoque sententiam cognoscas, e Ioannis Bodini Methodo historica subiicere visum est quæ ad nostrum institutum pertinent.

Quemadmodum falluntur qui regionum tabulas prius intuentur quam vniuersi orbis partiumq; singularum inter se & cum toto rationem accurate didicerint: ita non minus errant qui singulas historias prius intelligere se posse putant, quam vniuersæ historiæ omniumq; temporum ordinẽ ac seriem velut in tabula propositã iudicarint. Eadem vtemur analysi in singulari gentis cuiusque historia, vt, si quis Romanorum historias plene intelligere ac memoriæ mandare velit, prius Sextum Rufum legat, qui quatuor paginis totam historiam complexus est. Hinc ad Flori epitomen; deinde ad Eutropium; post ad Livium & Polybium accedat. — Neque tamen satis est vniuersam historiam intelligere, nisi singula quoque eius membra intelligamus. vtraque enim coniuncta, incredibilem (inquit Polybius) vtilitatem afferunt. id quod antea plerosq; fefellit; qui summa capita Rufi vel Flori collegerunt, Liuium neglexerunt; qui propterea pene totus intercidit.

Ex eiusdem capite X, quod inscribitur De historicorum ordine.

Fasti consulares a Carolo Sigonio & Onuphrio Panuinio restituti.

Sexti Rufi v. c. Epitome De gestis Romanorum, ab vrbe condita vsque ad Valentinianum Imp.

Flori Epitome in Liuium.

Velleii Paterculi proconsulis libri duo in vniuersam historiam populi Romani.

Eutropii presbyteri De gestis Rom. libri X. *Et paulo post;*

T. Liuii Patauini libri XLV; qui restant de CXLIIII, ab v. c. vsque ad Augustum.

Cornelii Taciti Annales ab Augusto, in quo desierat Liuius, vsque ad Neruam, libri XVI: qui restãt de vno & viginti.

Ammiani Marcellini, militis Cõstantinopolitani, libri XVIII: qui de vno & triginta seruati sunt. Cœperat a Nerua, in quo desierat Tacitus: desiit in Valente. Cetera Eutropius sarcire potest: tum etiam singulares principum historiæ, Tranquilli, Cassii, Spartiani, Capitolini, Vopisci, Herodiani, Lampridii, Egnatii.

CAROLI



CAROLI SIGONII MVTINENSIS, FASTI CONSVLARES, AC TRIVMPHI ACTI A ROMVLO Rege vsque ad Ti. Cæsarem.

EIVSDEM IN FASTOS ET TRIVMPHOS, ID est in vniuersam Romanam Historiam, Commentarius.

Eiusdem de Nominibus Romanorum liber.

Omnia ab auctore diligentissime recognita & aucta.

ILLVSTRISS. ET POTENTISS. FERRARIENSIVM DVCI, HERCVLI II, CAROLVS SIGONIVS S.

ROMANI *Populi res, domi forisue gestas,* HERCVLES DVX POTENTISSIME, *qui hoc tempore scribere, aut aliquo pacto litteris illustrare aggrediuntur, ii mihi demum videntur in has potissimum duas posse hominum reprehensiones incurrere. nam & ab iis qui eas satis habere splẽdoris ex antiquorum monumentis putant, impudentiæ; & ab iis, qui amissa earum ornamenta nulla restitui ratione posse censent, imprudentiæ ne accusentur, eis valde pertimescendum est. Impudentis enim iudicabũt esse, ea quæ T. Liuius, ac Dionysius Alicarnasseus, ceteriq; Romanarum antiquitatum scriptores grauissime ornatissimeq; tractarunt, velle attingere; imprudentis vero, quæ tenebris vetustatis oppressa prorsus obsoleuerunt, ea sine antiquorum monumentorum ope aggredi renouare. Me vero tantum abest vt harum huiusmodi reprehensionum suspicio vllo vmquam tempore perturbarit, vt nullũ grauius aut maius studium esse duxerim, in quo ipse vel vberiore aliorum cum vtilitate, vel nonnulla mea etiam cum laude, si qua modo mea potest esse laus, elaborarem: præsertim vero,*

si aut alia ratione iisdem de rebus scriberem ac prisci illi fecerunt; aut quæ veteribus eorum monumentis vel deletis vel deprauatis, obscurissima his temporibus facta sunt, quantum per ea quæ supersunt illorum fragmenta licet, illuminarem. Neque enim ignorare te arbitror, DVX MAXIME, fato nescio quo populi R. misero contigisse, ut quo quisque de rebus eius gestis accuratius atq; elegantius scripserat, eo magis libros eius hoc tempore aut omnino desideremus, aut magna ex parte mutilatos & corruptos habeamus. Hac igitur ratione adductus, cum totam magistratuum Romanorum descriptionem annuam labantem & inconstantem, eamdemque multis partibus imperfectam apud omnes rerum Ro. scriptores esse intelligerem, cumq; summam in annis ab Vrbe condita numerandis eorum dissensionem & errorem esse animaduerterem; suscepi laborem hoc tempore omnibus, ut putaui, futurum utilissimum; ut de Romanis magistratibus pro annorum ratione descriptis, deque illorum triumphis breuiter ea traderem, quæ mihi diutius ac diligentius inquirenti, ea quæ relicta sunt antiquitatis monumenta suppeditarent. Hoc enim si fecissem, speraui me totam populi R. historiam, quam pleriq; superioribus temporibus carptim tractarãt, breuiter uno quasi corpore posse complecti; cuius cognitio cum per se iucundissima, tum vero etiam ad Latinorum scripta illustranda, quod fieri maxime cupiebam, quam accommodatissima esset futura. Hoc igitur dicere non dubitabo, me, ut ad hunc laborem accederem, primum communi utilitate adductum fuisse; deinde vero, cum iam rem essem ipsam aggressus, Dei quodammodo ipsius voluntate commotum, in eam acrius in dies incubuisse. Nam cum in hac scriptione, veterum & historiarum & lapidum amissa monumenta desiderarem; tum diuino credo esse consilio factum, primum, ut Dionysius ac Dio, quorũ Græca exemplaria iampridem incredibili legendi cupiditate flagrabam, aut certe illorum particula, Græcis litteris exarata ex Galliis in Italiam afferretur; deinde vero, ut eodem prope etiam tempore, Romæ in foro ipso Romano, vetustissimorum marmorũ fragmenta quædam effoderentur, atq; in Capitolio exponerentur: in quibus hæc fere magistratuum ratio, quam ipse animo designaueram, iamque inchoaueram, erat incisa. Quorum fragmentorum exemplum satis accurate, quãtum ego intelligere poteram, a Bartholemæo Marliano descriptum cum legissem; ac quanta inde percipi utilitas posset, animaduertissem; incredibile est quam valde ad eam quam inchoaueram, descriptionem perficiendam fuerim inflammatus. Neque vero tantummodo ad id quod institueram, absoluendum sum inflammatus; sed ad mutandum etiam, quod initio ceperam, consilium ea sum lectione impulsus. Nam cum prætores, tribunos plebis, ædiles curules

curules, aliosq; eiusmodi magistratus annuos a principio colligere instituissem; omnes tamen, his notatis Capitolinorum marmorũ inscriptionibus, mihi omittendos esse decreui: partim, quod auctorum eorũ quos habemus, incuria me reperire omnes posse diffidebã; partim, quod in his item Capitolinis tabulis eos esse prætermissos intelligebam. abunde autem satisfactum iri huic parti putaui, si regum, cõsulum, & dictatorum fastos vna cum eorum triumphis ex annorũ ordine distinctos notassem. quam potissimum rationem illi mihi videbantur, qui his olim incidendis marmoribus præfuerant, studiosissime conseruasse. quorum cum ego diligentiam, & in illis describendis magistratibus incredibilem quamdam historiæ Romanæ scientiam admirarer; feci illud, vt non solũ eorum lapidum testimonia ad hos, quos institueram Fastos conscribendos adhiberem, sed eodem etiam tempore illa quæ fracta & plurimis in locis exesa, erant effossa quo ad possem, restituerẽ. Itaq; hoc facto, quo omnibus meus labor illustrior esset, atque eodem etiam tempore, & vtilitatis aliorum, & meæ diligẽtiæ rationem haberem, marmorum verba maioribus, mea vero vt minoribus litteris distinguerentur, curaui. in eo tantum ab illorum ratione recessi, quod triumphos, quos illi separatim inciderant, ipse sub annuis magistratibus subieci; nimirum eo consilio, vt qui hæc nostra legissent, vno aspectu omnia vnius anni maxime memorabilia populi R. facta cognoscerent. Cum autem hanc totam descriptionem a Romulo rege vsque ad Ti. Cæsarem per octingentos ferme annos perduxissem, atque in ea conficienda variis annalium, lapidum, & nummorum veterum testimoniis vsus essem; tum visum est, quo omnibus magis ea quæ scripseram, probarem, librum adiungere; in quo cum rationem sigillatim earum rerum omnium redderem, quæ a me in magistratibus & triumphis digerẽdis essent scriptæ: tum etiam, quæ in fragmentis horum Capitolinorum (vt dixi) marmorum essent incisa, partim explicarem, partim etiam vetustorum monumentorum, quotquot habemus, sententia confirmarem. Itaque liber ille continere omnem prope Romanæ rationem historiæ videtur. Etenim in eo non solum hæc omnia quæ in Fastis & Triumphis descripta sunt, veterum testimonio comprobamus; sed si quando illi parum nobis diligentes in historiæ expositione videantur fuisse, notamus: si qua inter eos de re, aut de annis controuersia sit; non omittimus: de nominum Romanorũ caussis vsque latissime disputamus: clarissimam atq; antiquissimam quamq; familiam fere a stirpe describimus, quiq; in ea clari viri fuerint, & magistratus ceperint, subteximus: ex qua descriptione facile illustrium virorum, eorumque præsertim quos tantopere admirari solemus, certissimæ propagines cognoscentur. Atque ex his quidem rebus omnibus, quantum nos prodesse

voluerimus aliis, apparebit. neq; enim omnino quantum cupiebamus, consequi propter manca ipsa (ut dixi) Romanarum rerum monumenta potuimus. Quod si nobis vita suppeditauerit, atque Deus ipse nostris cœptis aspirauerit, non vereor ne hæc ipsa, quæ nunc etiam multis partibus imperfecta eduntur, longe omnium perfectißima aliquando ad posteros eodem operam me nauante perueniant. cui quidem rei polliceor me, quoad potero, nullo umquam tempore defuturum. Hoc autem quod nunc editur, DVX POTENTISSIME, *ego in tuo potißimum clarißimo nomine diuulgari atque apparere non solum volui, sed id etiam facere me debere existimaui. neque enim video, cui potius otii mei fructus dicem quam tibi, cuius præsertim singulari prudentia, & mihi, & ceteris qui in isto tuo beato degunt imperio, pacate quieteque in hoc eiusmodi litterarum curriculo licet versari. atque etiam sic intelligo, vt omnem superiorem litterarum calamitatem in eos iure, qui tum terris imperabant, esse translatam, quorum incuria omnium bonarum artium studia labefactata obsoleuerunt; ita omnem earum restitutionem, quæ his temporibus facta est, in hos merito, qui nunc terras regunt, esse conferendam: quorum singulari in gubernandis regionibus sapientia, hæc ipsa studia non solum reparata, sed multo etiam nitidiora facta esse, quam ante fuerant, videntur. ex quorum tu numero omnium hominum iudicio visus es haud extremum locum semper obtinuisse. Vtut tamen res est, me certe, cum iampridem & me ipsum, meaque omnia tibi, in cuius imperio & natus & educatus sum, consecrauerim, hos etiam paruulos ingenii atque industriæ meæ quasi fœtus quosdam dedicasse, atque auctoritatis tuæ grauißimo numine fultos in vulgus edidisse, numquam pœnitebit. Vale. Mutinæ Id. Mart. M. D. L.*

PRÆNOMINVM NOTÆ COMPEND.

A. Aulus.
Ap. Appius.
C. Caius.
Cn. Cnæus.
D. Decimus.
K. Cæso.
L. Lucius.
M. Marcus.
M'. Manius.
Mam. Mamercus.
N. Numerius.
P. Publius.
Q. Quinctus.
Ser. Seruius.
Sex. Sextus.
Sp. Spurius.
T. Titus.
Ti. Tiberius.
Vol. Volusus.

De ceteris prænominibus, nominibus, cognominibus, agnominibus, late post Cõmentarium disseritur, in tractatu De Nominib. Romanorum.

De numeralibus notis linea superposita insignitis, docetur infra in consf. a. CCXLV.

- - = = defectus signa sunt. Quæ minutiore & pendulo charactere sunt exarata, a Sigonio suppleta sunt; cetera e Capitolinis lapidibus sunt exscripta.

FASTI

FASTI CONSVLARES, AC TRIVMPHI ACTI, A ROMVLO REGE VSQVE AD TI. CÆSAREM.

REGES.

Romulus Rex Regnauit. — *Annos. XXXVII.*
Romulus Rex De Caeninensibus. Et Antemnatibus Primus Triumphauit. — *Anno. V. C. IIII. //*
Idemque Primus Spolia Opima Rettulit Caeninensium Rege Acrone Interfecto.
Romulus Rex. II. De Camerineis. — *Anno. XVI. K. Sextilib.*
Romulus Rex. III. De Fidenatibus. Et Veientibus. — *An. /// Idib. Octobr.*
Interreges — *Annum. I.*
Numa Pompilius Pomponis F. Rex. — *Annos. XLIII.*
Tullus Hostilius Hosti. F. Hosti. N. Rex. — *Annos. XXXII.*
Tullus Hostilius Hosti. F. Hosti. N. Rex. De Albaneis. — *Ann. ////////*
Tullus Hostilius Hosti. F. Hosti. N. Rex. II. De Fidenatibus. — *Ann. /////////*
Tullus Hostilius Hosti. F. Hosti. N. Rex III. De Sabineis. — *Ann. ////////*
Ancus Marcius Numae. F. M. N. Rex — *Annos. XXIV.*
Ancus Marcius Numae F. M. N. Rex. De Veientibus. — *Ann. /////////*
*Ancus Marcius Numae F. M. N. Rex II. De Sabi*neis — *Ann. ////////*
L. Tarquinius Damarati F. Priscus. Rex. — *Ann. XXXVII.*
L. Tarquinius Damarati. F. Priscus. Rex. De Lati*neis* — *Ann. /////////*
L. Tarquinius Damarati. F. Priscus. Rex. II. De Etrusc*eis* — *Ann. //////*
L. Tarquinius Damarati. F. Priscus. Rex. III. De Sabineis. — Ann. CXX // Idib. Sept.
Ser. Tullius. Rex. — *Annos XLIV.*
Ser. Tullius. Rex. De Etruscis. — VI. K. Dec. A. CXXCII.
Ser. Tullius. Rex. II. De Etrusc. — VIII. K. Iun. A. CXXCVI.
Ser. Tullius. Rex. III. De Etrusceis. — Ann. CXXC // IIII. Non.--
Ser. Tullius. Rex — *Lustrum Fecit. I. II. III. IIII.*
L. Tarquinius. L. F. Damarati. N. Superbus. Rex. — *Annos. XXV.*
L. Tarq*uinius. L. F.* Dama*rati. N. Superbus. Rex. De Volsceis.* — *Ann. ////*
L. Tarq*uinius. L. F. Damarati. N.* Super*bus. Rex de Sabineis.* — *Ann. ///*

ANNO POST R. COND. CCXLIIII. CONSVLES PRIMVM CREARI COEPTI.

L. Iunius. M. F. Brutus. In Proelio Posteaquam Sibi Conleg. Subrog. Occis. Est. In Eius Loc. Fact. Est. — *L. Tarquinius. ==. Aruntis. N. Collatinus. Coactus Abdicauit. In Eius Loc. Fact. Est.*
Sp. Lucretius. Tricipitinus. In Mag. Mortuus Est. In Eius Loc. Fact. Est. — *P. Valerius Volusi. F. Qui In Hoc Honore Poplicola. Appellatus Est.*
M. Horatius Puluillus.
P. Valer*ius. Volusi. F. Poplicola.* Cos. *Primus De Veientibus. Et Tarquiniensibus. An. CCXLIV. K. Mart.*
P. Valerius. Volusi. F. Poplicola II. — *T. Lucretius. T. F. Tricipitinus. Lustr. F. V.*
P. Valerius. Volusi. F. Poplicola. III. — *M. Horatius Puluillus.* II.
Sp. Lartius. Flauus. — *T. Herminius. Aquilinus.*
M. Valerius. Volusi. F. — *P. Postumius. Q. F. Tubertus.*
M. Valer*ius. Volusi. F.* Cos. *De Sabineis.* *Ann. CCXLVIII. ===*
P. Post*umius. Q. F. Tubertus.* Cos. *De Sabineis. Ann. CCXLVIII. ===*
P. Valerius. Volusi. F. Poplicola. IIII. — *T. Lucretius. T. F. Tricipitinus.* II.
P. Valeriu*s. Volusi. F.* Poplicol*a. II. Cos. IIII. De Sabineis.* Et Veien*tibus. An. CCXLIX. == Non* as. Mai.
CCL. *P. Postumius. Q. F. Tubertus.* II. — *Agrippa Menenius. C. F. Lanatus.*
P. Postumi*us. Q. F. Tubert*us. Cos. II. O*uans Primus De Sabineis* Ann. CCL. III. Non. Apr.
Agrippa M*enenius. C. F. Lan*atus Cos. De *Sabineis.* Ann. CCL. *Prid*ie Non. Apr.
Opiter Virginius Tricostus. — *Sp. Cassius Viscellinus.*
Sp. Cassiu*s Viscellinus.* Cos. De *Sabineis* Ann. CCLI. ====
Postumus Cominius. Auruncus. — *T. Lartius Flauus.*
Ser. Sulpicius. P. F. Camerinus. — *M. Tullius. Longus. In Mag. M. E.*
P. Veturius Geminus. — *T. Aebutius. T. F. Elua.*
T. Lartius Flauus. II. — *Q. Cloelius. Siculus.*
T. Lartius Flauus. Dictator. Primus. — *Sedit. Sedandae. Et Rei Gerundae Caussa. L. F. VI.*
Sp. Cassius Viscellinus. Magister Eq. Primus.
A. Sempronius Atratinus. — *M. Minucius. Augurinus.*
A. Postumius. P. F. Albus. Qui Postea Regillensis Appellat. Est. — *T. Virginius Tricostus. Coelimontanus.*
A. Postumius. P. F. Albus. Qui In Hoc Honore Regillensis Appell. Est. — *Dictat. Rei Gerund. Caussa.*
T. Aebutius. T. F. Elua. — *Mag. Eq.*
A. Postu*mius. P. F. Albus.* Regi*llensis.* — *Dict. Primus. De Latineis. An. CCLVII. ====*
M. Claudius. Regillensis Sabinus. — *P. Seruilius. P. F. Priscus.*

A.Virginius.A.F. *Tricost.Coelimontanus.* *T.Veturius* *Geminus. Cicurinus.*
M? Valerius Volusi.F. *Qui* *Dict.*
In Hoc Honore Maximus. Appell. Est *Sedit.Sedandae. Et Rei Ger. Caussa.*
Q.Seruilius.P.F. *Priscus.* *Mag.eq.*
M? Valerius *Volusi.F.* *Dict.* *De* *Sabineis.* *Ann.CCLIX. | | |*
CCLX. *Sp.Cassius* *Viscellinus.II.* *Postumus Cominius.* *Auruncus.II. L.F.VII.*
T.Geganius *Macerinus.* *P.Minucius* *Augurinus.*
A.Sempronius *Atratinus.II.* *M.Minucius* *Augurinus.II.*
Q.Sulpicius *Camerin.Cornutus.* *Sp.Lartius* *Flauus.II.*
C.Iulius.L.F. *Iulus.* *P.Pinarius.* *Mamercinus.Rufus.*
Sp.Nautius. *Rutilus.* *Sex.Furius* *Fusus.*
C.Aquillius. *Tuscus.* *T.Sicinius.* *Sabinus.*
T.Sicinius *Sabinus.* *Cos.* *De* *Volsceis.* *Ann. CCLXVI. ||||*
C.Aquillius *Tuscus.* *Cos.* *Ouans* *De* *Herniceis.* *Ann. CCLXVI. ||||*
Sp.Cassius *Viscellinus.III.* *Proculus Virginius* *Tricostus.Rutilus.*
Sp. Cassius Viscellinus.II. *Cos.III.* *De Volsceis. Et Herniceis.* *Ann.* *CCLXVII. ||||* Iun.
Q.Fabius.K.F. *Vibulanus.* *Ser.Cornelius.L.F.* *Maluginensis.Cossus.*
L.Aimilius.Mam.F. *Mamercus.* *K.Fabius.K.F.* *Vibulanus.*
CCLXX. *M.Fabius.K.F.* *Vibulanus.* *L.Valerius Volusi.F.* *Potitus.Volusus.*
C.Iulius.C.F.L.N. *Iulus.* *Q.Fabius.K.F.* Vibulanus.II.
K.Fabius.K.F. *Vibulanus.II.* *Sp.Furius.* *|||.*N. Fusus.
Cn.Manlius.P.F.Cincinnatus.In Proelio.Occis.Est. *M.Fabius.K.F.* *V*ibulanus.II.
K.Fabius.K.F. *Vibulanus.III.* *T.Virginius.* *||*F.T.N. Tricost.Rutil.
L.Aimilius.Mam.F. *Mamercus.II.* *C.Seruilius.* *Stru*ctus. Ahala.
In Mag. Mort. Est. *I*n Eius Loc. F.E.
C.Cornelius. *Lentulus.Es*quilinus.
C.Horatius.M.F. *Puluillus.* *T.Menenius Agrippae.F.C.N.* *L*anatus.
A.Virginius *Tricostus.Rutilus.* *Sp.Seruilius.* *Str*uctus.
P.Valerius.P.F.Volusi.N. *Poplicola.* *C.Nautius.Sp.F.Sp.N.* *R*utilus.
*P.Valerius.P.F.Volusi.N.Poplico*la. *Cos.De Veientib.Sabin*eisque. Ann. CCLXXIIX.K.MAI.
L.Furius *Medullinus.* *A.Manlius.Cn.F.P.N. Vulso.Lustr*um.F.VIII.
A.Manlius.Cn.F.P.N.Vulso. *Cos.Ouan*s.*De Veientibus.* Ann. CCLXXIX. *Id*ibus Mart.
CCXXC. *L.Aimilius Mam.F.* *Mamercus.III.* *Vopiscus Iulius* Iulus.
L.Pinarius *Rufus Mamercinus.* *P.Furius* *Fu*sus.
T.Quinctius. *Capitolinus.Barbatus.* *Ap.Claudius.M.F.* *Sabinus.*
L.Valerius.Volusi.F. *Potitus.II.* *Ti.Aimilius.L.F.Mam.N.* *Mamercin.*
A.Virginius.A.F.A.N. *Coelimontanus.* *T.Numicius.* *Priscus.*
T.Quinctius. *Capitolin.Barbat.II.* *Q.Seruilius.Q.F.P.N.* *Priscus.Structus.*
T.Quinctius *Capitolin.* *Cos.* *II.* *De Antiatibus.* A. CCXXCV. *||||*
Ti.Aimilius.L.F.Mam.N. *Mamercin.II.* *Q.Fabius.M.F.K.N.* *Vibulanus.*
Sp.Postumius. A.F.P.N. Albus Regi*llensis.* *Q.Seruilius.Q.F.P.N.* *Priscus.Structus.II.*
Q.Fabius.M.F.K.N. Vibulan*us.II.* *T.Quinctius* *Capitolinus Barbat.III.L.F.IX.*
A.Postumius.A.F.P.N. Albus Regill*ensis.* *Sp.Furius* *Medullinus.Fusus.*
CCXC. P.Seruilius.Sp.F.P.N. Prisc*us.* *L.Aebutius* *Elua. In Mag. M. E.*
L.Lucretius.T.F.T.N. Tricipitinu*s.* *T.Veturius.T.F.P.N.* *Geminus. Cicurin.*
L.Lucretius.T.F.T.N. *Tricipitinus.* *Cos.* *De Aequeis.* *An. CCXCI. |||||*
T.Veturius.T.F.P.N. Geminus. Cicurin. Cos. *Ouans De Volsceis.* *Ann. CCXCI. ||||*
P.Volumnius.M.F.M.N. Amintin.Gallus. *Ser.Sulpicius.Ser.F.P.N.* *Camerinus.*
P.Valerius.P.F.Volusi.N. Poplicola.II. *C.Claudius.M.F.* *Regillens.Sabinus.*
In Mag.mortuus est. In Eius. L.F.E.
L.Quinctius.L.F.L.N. Cincinnatus.
Q.Fabius.M.F.K.N. Vibulanus.III. *L.Cornelius.Ser.F.L.N.Maluginensis.Cossus.L.F.X*
Q.Fabius.M.F.K.N. *Vibulanus.* *Cos.* *III.* *De Aequeis.* *An.CCXCIIII.Non*is Mai.
*L.Corne*lius. Ser.F.L.N.*Maluginensis.Coss*us.Cos.De Volsceis Antiatib.IV.Id.Mai. An.CCXCIV.
C.Nautius.Sp.F.Sp.N. Rutilus.II. *L.Minucius.* *Augurinus.*
Coactus. A. Dict. Abd. In Eius. L.F.E.
Q.Fabius.M.F.K.N. *Vibulanus.IIII.*
L.Quinctius.L.F.L.N. Cincinnat*us.* *Dict.*
L.Tarquitius.L.F. Flaccus. *Mag.eq.* *Rei Ger. Caussa.*
*L.Quin*ctius.L.F.L.N. Cincinnatus. *Dict.* De Aequeis. Idibus. Septembr. An. CCXCV.
C.Horatius.M.F.M.N. Puluillus. *Q.Minucius.* *Augurinus.*
M.Valerius.M?F.Volusi.N. Maxu*mus.* *Sp.Verginius.* *Coeliment.Tricostus.*
T.Romilius.T.F.T.N. Rocus Vatic*anus.* *C.Veturius.* *Cicurinus.*
Sp.Tarpeius.M.F.M.N. Montan.Ca*pitolin.* *A.Aterius.* *Fontinalis.*
CCC. Sex.Quinctilius.Sex.F.P.N. *Varus. In M. M. E.* *P.Horatius.* *Tergeminus.*
P.Sextius.Q.F.Vibi.N. Capito*linus.* *T.Menenius.T.F.Agripp.N.* *Lanatus.*

Ap. Claudius. Ap. F. M. N. Craſſin. *Regillenſis.* *T. Genucius. L. F. L. N.* *Augurinus.*
Abdicarunt. Vt D *uodecim Tabular. Scribendar. cauſſa.*
Decemuiri Conſularei *Poteſtate Sine Prouocatione Crearentur.*

Ap. Claudius. Ap. F. M. N. Craſſin *us. Regill.* *Sp. Poſtumius. A. F. P. N.* *Albus. Regillens.*
T. Genucius. L. F. L. N. Auguri *nus.* *Ser. Sulpicius. Ser. F. P. N.* *Camerinus.*
Sp. Veturius. Sp. F. P. N. Cr *aſſus.* *P. Seſtius. Q. F. Vibi. N.* *Capitolinus.*
C. Iulius. C. F. L. N. *Iulus.* *T. Romilius. T. F. T. N.* *Rocus. Vaticanus.* XVIRI.
A. Manlius. Cn. F. P. *N.* *Vulſo.* *P. Horatius.* *Tergeminus.*

Ap. Claudius. *Ap. F. M. N.* *Craſſinus Regillens.* II. *Q. Fabius. M. F. K. N.* *Vibulanus.*
M. Cor *nelius. Ser. F. L. N.* *Maluginenſis.* *M'. Rabuleius.*
L. Minucius. *Augurinus.* *Q. Poetelius.*
T. Antonius. *Merenda.* *K. Duilius.*
M. Sergius. *Sp. Oppius.* *Cornicen.* XVIRI.

Ap. Claudius. Ap. F. M. N. *Craſſinus Regillens.* III. *Q. Fabius. M. F. K. N.* *Vibulanus.* II.
M. Cornelius. Ser. F. L. N. *Maluginens.* II. *M'. Rabuleius.* II.
L. Minucius. *Augurinus.* II. *Q. Poetelius.* II.
T. Antonius. *Merenda.* II. *K. Duilius.* II. XVIRI.
M. Sergius. II. *Sp. Oppius.* *Cornicen.* II.
Coacti Abdicarunt. In Eorum Locum Facti Sunt Cos.
L. Valerius. P. F. P. N. *Poplicola. Potitus.* *M. Horatius. M. F. M. N.* *Barbatus.*
M. Hora tius. M. F. *M. N.* Barbatus. *Cos.* de Sabin *eis.* Ann. CCCIV. VII. K. Septembr.
L. Valer ius P. F. P. N. Poplicola. Potit. *Cos.* De Aequeis. Idibus Sextil. Ann. CCCIV.
Lar Herminius. *T. Verginius.* *Cælimontanus. Tricoſtus.*
M. Geganius. M. F. *Macerinus.* *C. Iulius.* *Iulus.*
T. Quinctius. *Capitolin. Barbat.* IIII. *Agrippa Furius.* *Fuſus.*
M. Genucius. L. F. L. N. *Augurinus.* *C. Curtius.*

A. Sempronius. A. F. *Atratinus.*
T. Cloelius. *Siculus.* *TRIB. MILIT. CONS. POTEST. PRIMI.*
L. Atilius. *Longus.*
Vitio Facti Abdicarunt. In Eorum Loc. Facti Sunt Cos.
L. Papirius. *Mugillanus.* *L. Sempronius. A. F.* *Atratinus.*

CCCX. *M. Geganius. M. F.* *Macerinus.* II. *T. Quinctius.* *Capitolin. Barbat.* V.
M. Gega nius. M. *F. Macer* inus. *Cos.* De *Volſceis.* Ann. CCCX. *No* nis Sep *tembr.*
Cenſores Primi. L. Papirius. *Mugillanus.* *L. Sempronius. A. F.* *Atratin. L. F. XI.*
M. Fabius. Q. F. M. N. *Vibulanus.* *Poſtumus Aebutius.* *Elua Cornicen.*
C. Furius. *Fuſus. Pacilus.* *M'. Papirius.* *Craſſus.*
Proculus Geganius *Macerinus.* *L. Menenius. T. F. Agripp. N.* *Lanatus.*
T. Quinctius. *Capitolinus.* VI. *Agrippa Menenius. T. F. Agripp. N.* *Lanatus.*
L. Quinctius. L. F. L. N. *Cincinnatus.* II. *Dict.*
C. Seruilius. *Structus Ahala.* *Mag. Eq.* *Seditionis Sedandae cauſſa.*

Mam. Aimilius. M. F. *Mamercinus.*
L. Quinctius. L. F. L. N. *Cincinnatus.* *TRIB. MIL.*
L. Iulius Vopiſci. F. *Iulus.*

M. Geganius. M. F. *Macerinus.* III. *L. Sergius. C. F. C. N.* *Qui In Hoc Honore Fidenas Appellatus Eſt.*
Mam. Aimilius. M. F. *Mamercinus.* *Dict.*
L. Quinctius. L. F. L. N. *Cincinnatus.* *Mag. Eq.* *Rei Ger. Cauſſa.*
Mam. Aimilius. M. F. Mamercin us. *Dict. De Faliſceis. Veientib. Et Fidenatib.* An. CCCXVI. Idib. Sep *t.*
M. Cornelius. M. F. Ser. N. *Maluginenſis.* *L. Papirius. M. F.* *Craſſus.*
C. Iulius. *Iulus.* II. *L. Virginius.* *Tricoſtus.*
Q. Seruilius. P. F. Sp. N. *Priſcus. Qui In Hoc Honore Fidenas Appell. Eſt* *Dict.* *Rei Ger. Cauſſa.*
Poſtumus Aebutius. *Elua. Cornicen.* *Mag. eq.*
Cenſor. C. Furius. *Fuſus. Pacilus.* *M. Geganius. M. F.* *Macerinus. L. F. XII.*
C. Iulius. *Iulus.* III. *L. Virginius.* *Tricoſtus.* II.
Mam. Aimilius. M. F. *Mamercinus.* II. *Dict.*
A. Poſtumius. *Tubertus.* *Mag. eq.* *Rei Gerund. Cauſſa.*

M. Fabius. Q. F. M. N. *Vibulanus.*
CCCXX. *M. Foslius.* *Flaccinator.* *TRIB. MIL.*
L. Sergius. C. F. C. N. *Fidenas.*

L. Pinarius. *Mamercus.*
L. Furius. *Medullinus.* *TRIB. MIL.*
Sp. Poſtumius *Albus Regillens.*

T. Quinctius. L. F. L. N. Pennus. Cincinnat. C. Iulius. Mento.
A. Postumius. Tubertus. Dict.
L. Iulius Vopisci. F. Iulus. Mag. eq. Rei Gerundae Caussa.
A. Postumius. Tubertus. Dict. De Aequeis. Et Volsceis. Ann. CCCXXII.
L. Papirius. Crassus. II. L. Iulius Vopisci. F. Iulus.
L. Sergius. C. F. C. N. Fidenas. II. Hostus Lucretius. Tricipitinus.
T. Quinctius. L. F. L. N. Cincinnat. Pennus. II. A. Cornelius. Cossus.
A. Cornelius. Cossus. Cos. De Veientibus. Isque Spolia Opima Rettulit Duce Hostium Larte Tolumnio Interfecto. Ann. CCCXXV. = = =
C. Seruilius. Structus. Ahala. L. Papirius. Mugillanus. II.

T. Quinctius. L. F. L. N. Pennus. Cincinnat. C. Furius. Pacilus.
M. Postumius. Albus Regillens. A. Cornelius. Cossus. TR. MIL.
Mam. Aimilius. M. F. Mamercinus. III. Dict.
A. Cornelius. M. F. L. N. Cossus. Mag. eq. Rei Gerund. Caussa.
Mam. Aimilius. M. F. Mamercinus. II. Dict. III. De Veientibus. Et Fidenatibus An. CCCXXVII. = = =

A. Sempronius. L. F. A. N. Atratinus. L. Furius. Medullinus. II.
L. Quinctius. L. F. L. N. Cincinnatus. II. L. Horatius. Barbatus. TR. MIL.

Ap. Claudius. Ap. F. Ap. N. Crassus. Sp. Nautius. Sp. F. Rutilus
L. Sergius. C. F. C. N. Fidenas. II. Sex. Iulius. Iulus. TR. MIL.
Cens. = = = = = = = L. F. XIII.

CCCXXX. C. Sempronius. A. F. A. N. Atratinus. Q. Fabius. Q. F. M. N. Vibulanus.

L. Manlius. Capitolinus. Q. Antonius. Merenda.
L. Papirius. Mugillan. L. Seruilius. Structus. TR. MIL.

T. Quinctius. T. F. Capitolin. Barbat. N. Fabius. Q. F. M. N. Vibulan[illegible]
N. Fabius. Q. F. M. N. Vibulanus. Cos. Ouans. De Aequeis. An. CCCXXXII. = =

T. Quinctius. L. F. L. N. Penn. Cincinnatus. II. M. Manlius. Capitolinus.
L. Furius. Medullinus. III. A. Sempronius. L. F. A. N. Atratin. II. TR. MIL.

Agrippa Menenius. T. F. Agripp. N. Lanatus. Sp. Nautius. Sp. F. Sp. N. Rutilus.
P. Lucretius. Hosti. F. Tricipitinus. C. Seruilius. Q. F. C. N. Axilla. TR. MIL.

M. Papirius. Mugillanus.
C. Seruilius. Q. F. C. N. Axilla. II. TR. MIL.
L. Sergius. C. F. C. N. Fidenas. III.
Q. Seruilius. P. F. Sp. N. Priscus Fidenas. II. Dict.
C. Q. F. C. N. Axilla. Mag. eq. Rei. Ger. Caussa.
Cens. L. Papirius. M. F. Crassus. = = = = = = L. F. XIV.

P. Lucretius Hosti. F. Tricipitin. II. Sp. Veturius. Crassus.
Agrippa Menenius. T. F. Agripp. N. Lanat. II. L. Seruilius. Structus II. TR. MIL.

A. Sempronius. L. F. A. N. Atratinus. III. M. Papirius. Mugillanus. II.
Q. Fabius. Q. F. M. N. Vibulanus. Sp. Nautius. Sp. F. Sp. N. Rutilus. II. TR. MIL.

P. Cornelius. P. N. Cossus. = : Quinctius. Cincinnatus.
C. Valerius. L. F. Volusi. N. Potitus Volusus. N. Fabius. Q. F. M. N. Vibulanus. TR. MIL.

Q. Fabius. Q. F. M. N. Vibulanus. II. Cn. Cornelius. Cossus.
P. Postumius. A. F. A. N. Albinus Regillensis. L. Valerius. L. F. P. N. Potitus. TR. MIL.

CCCXL. M. Cornelius. Cossus. L. Furius. L. F. Sp. N. Medullinus.
Cens. = = = = = = = L. F. XV.
Q. Fabius. M. F. Q. N. Ambustus. C. Furius. C. F. Pacilus.
M. Papirius. Mugillanus. C. Nautius. Rutilus.
M'. Aimilius. Mam. F. M. N. Mamercinus. C. Valerius. L. F. Volusi. N. Potitus. Volusus.
C. Valerius. L. F. Volusi. N. Potitus Volusus Cos. Ouans De Aequeis. Ann. CCCXLIII. = = =
Cn. Cornelius. A. F. M. N. Cossus. L. Furius. L. F. Sp. N. Medullin. II.

C. Iulius L. F. Vopisci. N. Iulus.
P. Cornelius. A. F. M. N. Cossus. TR. MIL.
C. Seruilius. P. F. Q. N. Ahala.
P. Cornelius. M. F. L. N. Rutilus Cossus. Dict.
C. Seruilius. P. F. Q. N. Ahala. Mag. eq. Rei Gerundae Caussa.

C. Valerius. L. F. Volusi. N. Potit. Volusus. II. C. Seruilius. P. F. Q. N. Ahala. II.
L. Furius. L. F. Sp. N. Medullinus. N. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus. II. TR. MIL.

P. Cornelius. M. F. L. N. Rutilus Cossus. L. Valerius. L. F. P. N. Potitus. II.
Cn. Cornelius. Cossus. N. Fabius. M. F. Q. N. Ambustus. TR. MIL.

C. Iulius L. F. Vopisci. N. Iulus. II. M'. Aimilius Mam. F. M. N. Mamercinus. II.

T. Quin-

T. Quinctius. *Capito* lin. Barb. L. Furius. L. F. Sp. N. Medullinus. II. TR. MIL.
Q. Quinctius. *Cinci*nnatus. A. Manlius. A. F. Cn. N. Vulso Capitolin.

P. Cornelius. *Mal*uginensis. Sp. Nautius. Sp. F. Sp. N. *R*utilus. III.
Cn. Cornelius. *Cos*sus. II. C. Valerius. L. F. Vol. N. Potit. Voluss. III. TR. MIL.
K. Fabius. M. F. Q. N. *Amb*ustus. M'. Ser*gius. L. F. L. N.* Fidenas.

M'. Aimilius. Mam. F. M. N. *Mamerci*n. II. M. Fu*rius.* Fusus.
CCCL. *Ap. Claudius. Ap. F. A. N.* *Crassin. Regillensis.* L. Iuli*us.* Iulus. TR. MIL.
M. Quinctilius. *Varu*s. L. Vale*rius. L. F. P. N.* Potitus. III.
Cens. M. Furius. *Camillus. M. P*ostumius. A. F. A. N. Albinus Regillens. L. F. XVI.

C. Seruilius. P. F. Q. N. *Ahala.* III. Q. Sulpicius. Ser. F. Ser. N. Camerin. Cornut.
Q. Seruilius. Q. F. P. N. *Priscus Fidenas.* A. Manlius. A. F. Cn. N. Vulso Capitol. II. TR. MIL.
L. Virginius. *Tricostus.* M'. Sergius. L. F. L. N. Fidenas. II.

L. Valerius. L. F. P. N. *Potitus.* IIII. L. Iulius. L. F. Vopisci. N. Iulus.
M. Furius. *Camillus.* M'. Aimilius Mam. F. M. N. Mamercin. III. TR. MIL.
Cn. Cornelius. *Cossus.* II. K. Fabius. M. F. Q. N. Ambustus. II.

P. Licinius. *Caluus. Primus E Plebe.* *P. Mae*lius. Sp. F. C. N. Capitolinus.
P. Maenius. *L. Fur*ius. L. F. Sp. N. Medullinus. TR. MIL.
**L. Titinius.* *L. Publi*lius. L. F. Voler. N. Philo Vulscus.

M. Pomponius. *L. Atili*us. K. F. K. N. Longus.
C. Duilius. *M. Veturi*us. Ti. F. Sp. N. Crass. Cicurin. TR. MIL.
Cn. Genucius. *Augurinus.* *Volero Publi*lius. P. F. Voler. N. Philo.

L. Valerius. L. F. P. N. *Potitus.* V. *L. Furius. L. F. Sp. N.* Medullinus. III.
M. Valerius. *Maximus.* *Q. Seruilius. Q. F. P. N.* *Priscus.* Fidenas. II. TR. MIL.
M. Furius. *Camillus.* II. *Q. Sulpicius. Ser. F. Ser. N.* *Camerin. Cornut.* II.

L. Iulius. L. F. Vopisci. N. *Iulus.* II. *L. Furius. L. F. Sp. N.* *Medullinus.* IIII.
L. Sergius. *Fidenas.* *A. Postumius.* *Albinus Regillensis.* TR. MIL.
P. Cornelius. *Maluginensis.* II. *A. Manlius. A. F. Cn. N. Vulso.* *Capitolin.* III.
Vitio Facti. *Abdicarunt.*

P. Licinius. P. F. *Caluus.* *L. Titinius.* II.
Cn. Genucius. Augurinus. II. *In Proelio Occis. E.* *P. Maenius.* II. TR. MIL.
L. Attilius. K. F. K. N. *Longus.* II. *P. Maelius. Sp. F. C. N.* *Capitolinus.* II.
M. Furius. *Camillus.* *Dict.* *Rei Ger. Caussa.*
P. Cornelius. *Scipio.* *Mag. eq.*
M. Furius. *Camillus.* *Dict.* *De Veientibus.* *Ann. CCCLVII.*

P. Cornelius. *Cossus.* *P. Cornelius.* *Scipio.*
M. Valerius. *Maximus.* II. *K. Fabius. M. F. Q. N.* *Ambustus.* III. TR. MIL.
L. Furius. L. F. Sp. N. *Medullinus.* V. *Q. Seruilius. Q. F. P. N.* *Priscus Fidenas.* III.

M. Furius. *Camillus.* III. *L. Furius. L. F. Sp. N.* *Medullinus.* VI.
C. Aimilius. *Mamercinus.* *L. Valerius.* *Poplicola.* TR. MIL.
Sp. Postumius. *Albinus. Regillensis.* *P. Cornelius.* *Scipio.* II.

CCCLX. *L. Lucretius.* *Flauus.* *Ser. Sulpicius.* *Camerinus.*
L. Valerius. L. F. L. N. *Potitus.* *M. Manlius.* *Capitolinus.*
Censor. C. Iulius. L. F. Vopisci. N. *Iulus.* *L. Papirius.* *Cursor. L. F. XVII.*
In Mag. Mort. Est. In. E. L. F. E.
M. Cornelius. *Maluginensis.*
L. Valerius. L. F. L. N. *Potitus.* *Cos.* *De Aequeis.* *An. CCCLXI.*
M. Manlius. *Capitolin.* *Cos.* *Ouans.* *De Aequeis.* *An. CCCLXI.*

L. Lucretius. *Flauus.* *Ser. Sulpicius.* *Rufus Praetextatus.*
M. Aimilius. *Mamercinus.* *L. Furius. L. F. Sp. N.* *Medullinus.* VII. TR. MIL.
Agrippa Furius. *Fusus.* *C. Aimilius.* *Mamercinus.* II.

Q. Fabius. M. F. M. N. *Ambustus.* *Q. Sulpicius.* *Longus.*
K. Fabius. M. F. M. N. *Ambustus.* *Q. Seruilius. Q. F. P. N.* *Priscus Fidenas.* IIII. TR. MIL.
C. Fabius. M. F. M. N. *Ambustus.* *Ser. Cornelius.* *Maluginensis.*
M. Furius. *Camillus.* II. *Dict.* *Rei Ger. Caussa.*
L. Valerius. L. F. L. N. *Potitus.* *Mag. eq.*
M. Furius *Camillus. II. Dict. II.* *De Galleis.* *An. CCCLXIII. Idibus Febr.*

L. Valerius. *Poplicola.* II. *L. Virginius.* *Tricostus.*
P. Cornelius. *A. Manlius. A. F. A. N.* *Capitolinus.* TR. MIL.
L. Aimilius. *Mamercinus.* *L. Postumius.* *Regillensis. Albinus.*
M. Furius. *Camillus.* III. *Dict.* *Rei Ger. Caussa.*
C. Seruilius. *Ahala.* *Mag. eq.*

	M. Furius.	*Camillus. III.*	*Dict. III.*	*De Volsceis.*	
	Aequeis.	*Etrusceis. An.*	*CCCLXIIII.*	= = = = =	
	T. Quinctius.	*Cincinnatus.*	*Q. Seruilius. Q.F.P.N.*	*Priscus Fidenas. V.*	
	L. Iulius,	*Iulus.*	*L. Aquillius.*	*Coruus.*	TR. MIL.
	L. Lucretius.	*Tricipitinus.*	*Ser. Sulpicius.*	*Rufus.*	
	L. Papirius.	*Cursor.*	*C. Sergius.*	*Fidenas.*	
	L. Aimilius.	*Mamercin. II.*	*L. Menenius.*	*Lanatus.*	TR. MIL.
	L. Valerius.	*Poplicola. III.*	*C. Cornelius.*		
	Censor. = = = = = = = = = = = =		= = = = = = = = = = *Lustr. Fecer. XVIII.*		
	M. Furius.	*Camillus. IIII.*	*Ser. Cornelius.*	*Maluginensis. II.*	
	Q. Seruilius. Q.F.P.N.	*Priscus Fidenas. VI.*	*L. Quinctius.*	*Cincinnatus.*	TR. MIL.
	L. Horatius.	*Puluillus.*	*P. Valerius. L.F.L.N.*	*Poplicola Potitus.*	
	A. Manlius. A.F.A.N.	*Capitolinus. II.*	*T. Quinctius.*	*Capitolinus.*	
	P. Cornelius.		*L. Quinctius.*	*Capitolinus.*	T
	L. Papirius.	*Cursor. II.*	*C. Sergius.*	*Fidenas. II.*	
	A. Cornelius.	*Cossus.*	*Dict.*	*Seditionis Sedandae. Et R. G. C.*	
	T. Quinctius.	*Capitolinus.*	*Mag. eq.*		
	A. Cornelius. Cossus.	*Dict. De*	*Volsceis.*	*An. CCCLXIIX.* = = = =	
	Ser. Cornelius.	*Maluginensis. III.*	*P. Valerius. L.F.L.N.*	*Potitus Poplicola. II.*	
	M. Furius.	*Camillus. V.*	*Ser. Sulpicius.*	*Rufus. II.*	TR. MIL.
	C. Papirius.	*Crassus.*	*T. Quinctius.*	*Cincinnatus. II.*	
	L. Valerius.	*Poplicola. IIII.*	*L. Lucretius.*	*Tricipitinus. II.*	
CCCLXX.	*A. Manlius. A.F.A.N.*	*Capitolinus. III.*	*L. Aimilius.*	*Mamercinus. III.*	TR. MIL.
	Ser. Sulpicius.	*Rufus. III.*	*M. Trebonius.*	*Flauus.*	
	Sp. Papirius.	*Crassus.*	*Q. Seruilius. Q.F.Q.N.*	*Priscus Fidenas.*	
	L. Papirius.	*Crassus.*	*C. Sulpicius. M.F.Q.N.*	*Peticus.*	TR. MIL.
	Ser. Cornelius. M.F.	*Maluginensis. IIII.*	*L. Aimilius.*	*Mamercinus. IIII.*	
	M. Furius.	*Camillus. VI.*	*L. Furius. Sp.F.L.N.*	*Medullinus.*	
	A. Postumius. Albinus.	*Regillensis.*	*L. Postumius.*	*Albinus Regillensis.*	TR. MIL.
	L. Lucretius.	*Tricipitinus. III.*	*M. Fabius. K.F.M.N.*	*Ambustus.*	
	L. Valerius	*Poplicola. V.*	*L. Menenius.*	*Lanatus. II.*	
	P. Valerius.	*Potitus Poplicola. III.*	*Sp. Papirius. L.F.*	*Cursor.*	TR. MIL.
	C. Sergius.	*Fidenas. III.*	*Ser. Cornelius. M.F.*	*Maluginensis. V.*	
	Cens. C. Sulpicius.	*Camerinus.*	*Sp. Postumius.*	*Albinus. Regillensis.*	
	Abdicauit.		*In Mag.*	*Mortuus. Est.*	
		In Eorum Locum	*Facti Sunt.*		
	= = = = = = = =		= = =	*Vitio Facti Abdicarunt.*	
	T. Quinctius.	*Cincinnatus.*	*Dict.*	*Rei. Ger. Caussa.*	
	A. Sempronius.	*Atratinus.*	*Mag. eq.*		
	T. Quinctius. Cincinnatus.	*Dict.*	*De Praenestineis.*	*An. CCCLXXIII.* = =	
	P. Manlius. A.F.A.N.	*Capitolinus.*	*C. Sextilius.*		
	C. Manlius.	*Capitolinus.*	*M. Albinius.*		TR. MIL.
	L. Iulius.	*Iulus.*	*L. Antistius.*		
	Sp. Furius. Sp.F.L.N.	*Medullinus.*	*P. Cloelius.*	*Siculus.*	
	Q. Seruilius. Q.F.Q.N.	*Priscus Fidenas. II.*	*M. Horatius.*	*Puluillus.*	TR. MIL.
	C. Licinius.	*Caluus.*	*L. Geganius.*	*Macerinus.*	
	Cens. Sp. Seruilius.	*Priscus.*	*Q. Cloelius.*	*Siculus. L.F. XIX.*	
	L. Aimilius.	*Mamercinus. V.*	*Ser. Sulpicius. Rufus*	*Praetext. II.*	
	P. Valerius. L.F.L.N.	*Potitus Poplicola. IIII.*	*L. Quinctius.*	*Cincinnatus. II.*	TR. MIL.
	C. Veturius.	*Crassus. Cicurinus.*	*C. Quinctius.*	*Cincinnatus.*	
	C. Licinius. C.F.P.N.	*Caluus.*	*Trib. Pl. Sine Curul. Mag.*		
	L. Sextius. Sex.F.N.N.	*Sextin. Lateran.*			
	C. Licinius. C.F.P.N.	*Caluus. II.*	*Trib. Pl. Sine Curul. Mag.*		
	L. Sextius. Sex.F.N.N.	*Sextin. Lateran. II.*			
	C. Licinius. C.F.P.N.	*Caluus. III.*	*Trib. Pl. Sine Curul. Mag.*		
	L. Sextius. Sex.F.N.N.	*Sextin Lateran. III.*			
CCCXXC.	*C. Licinius. C.F.P.N.*	*Caluus. IIII.*	*Trib. Pl. Sine Curul. Mag.*		
	L. Sextius. Sex.F.N.N.	*Sextin. Lateran. IIII.*			
	C. Licinius. C.F.P.N.	*Caluus. V.*	*Trib. Pl. Sine Curul. Mag.*		
	L. Sextius. Sex.F.N.N.	*Sextin. Lateran. V.*			
	= = =	= =	= = =	= = actus est.	
	= = =	= =	= = =	= t. dedicauit.	
				L. Furius.	

L. Furius. Sp.F.L.N. *Medullinus*.II. P. Valerius.L.F.L.N. *Potitus* Poplicola.V.
A. Manlius. A.F.A.N. *Capitolinus*. Ser. Sulpicius. *Praet*ext.III. TR.MIL.
C. Valerius. *Potitus*. Ser. Cornelius. *Ma*luginensis.VI.

Q. Seruilius. Q.F.Q.N. *Prisc. Fidenas*.III. M. Cornelius. *Mal*uginensis.
C. Veturius. *Crassus. Cicurin*.II. Q. Quinctius. *Cincinnatus*. TR.MIL.
A. Cornelius. Cossus. M. Fabius. K.F.M.N. Ambustus.II.

L. Quinctius. *Ca*pitolin. Sp. Seruilius. C.F.C.N. Structus.
Ser. Cornelius. M.F. *Ma*luginensis.VII. L. Papirius. Sp.F.C.N. Crassus. TR.MIL.
Ser. Sulpicius. M.F. *Praet*extat.IIII. L. Veturius. L.F.Sp.N. Crassus Cicurinus.
M. Furius. *Cami*llus.IIII. Dict. Rei Gerundae Caussa.
L. Aimilius. L.F. *M*amercinus. Mag. eq.
*Ob Edict*um In Milites Ex S.C. Abdicarunt. In Eorum Locum Facti Sunt
P. Manlius. A.F.A.N. *Ca*pitolinus. Dict. Seditionis Sedandae. Et R. G. C.
C. Licinius. *Caluus. Pri*mus. E Plebe. Mag. Eq.

A. Cornelius. *Co*ssus.II. L. Veturius. L.F.Sp.N. Crassus. Cicurinus.II.
M. Cornelius. *M*aluginensis.II. P. Valerius. L.F.L.N. Potitus. Poplicola.VI. TR.MIL.
M. Geganius. *M*acerinus. P. Manlius. A.F.A.N. Capitolinus.II.
M. Furius. *C*amillus.V. Dict. Rei Gerundae Caussa.
T. Quinctius. *Pennus Cincinnatus*. Mag. eq.
M. Furius. *Camillus. IIII. Dict. V. De Galleis. Senonib. An. CCCXXCVI.*

CONSVLES E PLEBE PRIMVM CREARI COEPTI.

L. Aimilius. L.F. *Ma*mercinus. L. Sextius. Sex. F. N. N. Sextin. Lateran. Primus e plebe.
Cens. = *Postumius*. Regillensis Albinus. C. Sulpicius. M.F.Q.N. Peticus.
L. Genucius. M.F.Cn.N. *Auen*tinensis. Q. Seruilius. Q.F.Q.N. Ahala.
C. Sulpicius. M.F.Q.N. Peticus. C. Licinius. C.F.P.N. Caluus.
CCC..C. L. Aimilius. L.F. *Mam*ercinus.II. Cn. Genucius. M.F.M.N. Auentinensis.
L. Manlius. A.F.A.N. *Capitolinus. I*mperiossus. Dict. Claui. Fig. Caussa.
L. Pinarius. Natta. Mag. eq.
Cens. M. Fabius. K.F.M.N. Ambustus. L. Furius. Sp. F. L. Nepos Medullinus. L.F.XX.
Q. Seruilius. Q.F.Q.N. Ahala.II. L. Genucius. M.F.Cn.N. Auentinensis.II.
Ap. Claudius. P.F. Ap.N. *Crassin*. Regillensis. Dict. Rei Gerundae Caussa.
L. Cornelius. *Scipio*. Mag.eq.
Ap. Claudius. P.F. Ap. N. Crassin. Regillens. Dict. Ouans de Herniceis. An. CCCXCI. = Nou*emb.*
C. Licinius. C.F.P.N. *Caluus*.II. C. Sulpicius. M.F.Q.N. Peticus.II.
T. Quinctius. *Barbatus*. Capitolinus Crispinus. Dict. Rei Gerund. Caussa.
Ser. Cornelius. == M. N. Maluginensis. Mag. eq.
*T. Quinctius Barb. Capitolin. Crispin. Dict. de Galleis. Quirin*alibus. *Anno* CCCXCII. ====
C. Sulpicius. M.F.Q.N. Peticus. Cos. II. De Herniceis. An. CCCXCII. = Mart.
M. Fabius. N.F.M.N. *A*mbustus. C. Poetelius. C.F.Q.N. Libo Visolus.
Q. Seruilius. Q.F.Q.N. Ahala. Dict. Rei Gerund. Caussa.
T. Quinctius Barb. Capitolin. Crispinus. Mag. Eq.
C. Poetelius. C.F.Q.N. Libo. Visolus. Cos. de Galleis. Et Tiburtibus. *An. CCCXCIII. == Ma*rt.
M. Fabius. N. F. M. N. Ambustus. Cos. Ouans. De Herniceis. An. CCCXCIII. Non. Sept.
M. Popillius. M.F.C.N. Laenas. Cn. Manlius. L.F.A.N. Capitolin. Imperios.
C. Fabius. *Amb*ustus. C. Plautius. P. F. P. N. Proculus.
C. Sulpicius. M.F.Q.N. Peticus. Dict. Rei Gerund. Caussa.
M. Valerius. Poplicola. Mag. eq.
Censor. = = = = = = = = = = = = = = = = = = = *Lustr. Fecer. XXI.*
C. Sulpicius. M. F. Q. N. Peticus. II. Dict. De Galleis. Ann. CCCXCV. Nonis. Mai.
C. Plautius. P. F. P. N. Proculus. Cos. De Herniceis. Ann. CCCXCV. Idibus. Mai.
C. Marcius. L.F.C.N. Rutilus. Cn. Manlius. L.F.A.N. Capitolinus Imperios.II.
C. Marcius. L.F.C.N. Rutilus. Cos. De Priuernatibus. Ann. CCCXCVI. K. Iun.
M. Fabius. N.F.M.N. Ambustus.II. *M. Popillius. M. F. C. N. Laenas*.II.
C. Marcius. L.F.C.N. Rutilus. Primus E Plebe. Dictat. Rei Gerund. Caussa.
C. Plautius. P.F.P.N. Proculus. Mag. eq.
C. Marcius. L.F.C.N. Rutilus. Dict. De Tusceis. Ann. CCCXCVII. Pridie Non. Mai.
C. Sulpicius. M.F.Q.N. Peticus.III. *M. Valerius. Poplicola.*
M. Fabius. N.F.M.N. Ambustus.III. *T. Quinctius. Barbatus Capitolin. Crispinus.*
M. Fabius. N. F. M. N. Ambustus. II. Cos. III. De Tiburtibus. Ann. CCCXCIX. III. Non. Iun.
CD. *C. Sulpicius. M.F.Q.N. Peticus*.IIII. *M. Valerius. Poplicola*.II.
T. Manlius. L.F.A.N. Imperios. Torquat. Dict. Rei Gerund. Caussa.
A. Cornelius. P.F.A.N. Cossus. Aruina. Mag. eq.

P. Valerius. Poplicola. C. Marcius. L. F. C. N. Rutilus. II.
C. Iulius. Iulus. Dict. Rei Ger. Caussa.
L. Aimilius. L. F. L. N. Mamercin. Qui postea Mag. eq.
Priuernas Appell. Est.
C. Sulpicius M. F. Q. N. Peticus. V. T. Quinctius. Pennus Cincinnatus.
M. Fabius. N. F. M. N. Ambustus. Dict. Comit. Hab. Caussa.
Q. Seruilius. Q. F. Q. N. Ahala. Mag. eq.
Censor. Cn. Manlius. L. F. A. N. Capitolin. Imperios. C. Marcius. L. F. C. N. Rutilus. Qui L. F. XXII.
Primus Censor E Plebe Factus Est.
M. Popillius. M. F. C. N. Laenas. III. L. Cornelius. Scipio.
L. Furius. M. F. Camillus. Dict. Comit. Hab. Caussa.
P. Cornelius. Scipio. Mag. eq.
M. Popillius. M. F. C. N. Laenas. Cos. III. De Galleis. An. CDIII. Quirinalibus. R. MIL.
L. Furius. M. F. Camillus. P. Claudius. P. F. Ap. N. Crassin. Regillensis.
In Mag. Obiit.
T. Manlius. L. F. A. N. Imperios. Torquat. II. Dict. Comit. Habend. Caussa.
A. Cornelius. P. F. A. N. Cossus Aruina. II. Mag. eq.
M. Popillius. M. F. C. N. Laenas. IIII. M. Valerius. M. F. M. N. Coruus.
= = = = = = Dict. Comit. Habend. Caussa.
= = = = = = Mag. eq.
C. Plautius. Venno. T. Manlius. L. F. A. N. Imperioss. Torquatus.
M. Valerius. M. F. M. N. Coruus. II. C. Poetelius. C. F. C. N. Libo Visolus.
Censor. = = = = = = = = Lustr. Fec. XXIII.
M. Valerius. M. F. M. N. Coruus Cos. II. De Antiatibus Volsceis. Satricaneisq. An. CDVII. K. Febr.
M. Fabius. Dorso. Ser. Sulpicius. Camerinus.
L. Furius. M. F. Camillus. II. Dict. Rei Gerund. Caussa.
Cn. Manlius. L. F. A. N. Capitolin. Imperios. Mag. eq.
C. Marcius. L. F. C. N. Rutilus. III. T. Manlius. L. F. A. N. Imperios. Torquat. II. I
P. Valerius. P. F. L. N. Poplicola. Dict. Latin. Fer. Caussa.
Q. Fabius. Ambustus. Mag. eq.

BELLVM SAMNITICVM.

CDX. M. Valerius. M. F. M. N. Coruus. III. A. Cornelius. P. F. A. N. Cossus Aruina.
M. Valerius. M. F. M. N. Coruus. II. Cos. III. De Samnitibus. Ann. CDX. X. K. Oct.
A. Cornelius. P. F. A. N. Cossus Aruina. Cos. De Samnitibus. Ann. CDX. VIII. K. Oct.
Q. Seruilius. Q. F. Q. N. Ahala. C. Marcius. L. F. C. N. Rutilus. IIII.
M. Valerius. M. F. M. N. Coruus. Dict. Rei Ger. Caussa.
L. Aimilius. L. F. L. N. Mamercinus Priuernas. II. Mag. eq.
L. Aimilius. L. F. L. N. Mamercinus. Priuernas. C. Plautius. Venno. II.
T. Manlius. L. F. A. N. Imperios. Torquat. III. P. Decius. Q. F. Mus. Qui se deuouit.
T. Manlius. L. F. A. N. Imperiossus Torquat. Cos. III. De Latineis. Campaneis. A. CD. XIII.
Sidicineis Auronceis. XV. K. Iunias.
L. Papirius. L. F. M. N. Crassus. Qui Idem Praetor Erat. Dict. Rei Ger. Caussa.
L. Papirius. Sp. F. L. N. Cursor. Mag. eq.
Ti. Aimilius. Mamercinus. Q. Publilius. Q. F. Q. N. Philo.
Q. Publilius. Q. F. Q. N. Philo. Cos. De Latineis. Ann. CDXIV. Idib. Ianuar.
Q. Publilius. Q. F. Q. N. Philo. Dict. Rei Ger. Caussa.
D. Iunius. Brutus. Scaeua. Mag. eq.
L. Furius. Sp. F. M. N. Camillus. C. Maenius. P. F. P. N.
L. Furius. Sp. F. M. N. Camillus. Cos. De Pedaneis. Et Tiburtibus. An. CDXV. IIII. K. Oct.
C. Maenius. P. F. P. N. Cos. De Antiatibus. Lauinieis. Veliterneis. An. CDXV. Pridie. K. Oct.
C. Sulpicius. Ser. F. Q. N. Longus. P. Aelius. Paetus.
C. Claudius. Ap. F. Ap. N. Crassin. Regillens. Dict. Rei Ger. Caussa.
C. Claudius. Hortator. Mag. eq.
Vitio Facti Abdicarunt.
L. Papirius. L. F. M. N. Crassus. K. Duilius.
M. Valerius. M. F. M. N. Coruus. IIII. M. Atilius. M. F. Regulus.
M. Valerius. M. F. M. N. Coruus. III. Cos. IV. De Caleneis.
An. CDXIIX. Idib. Mart.
L. Aimilius. L. F. L. N. Mamercinus. Qui
Postea Priuernas Appell. Est. Dict. Comit. Habend. Caussa.
Q. Publilius. Q. F. Q. N. Philo. Mag. eq.
Ti. Veturius. Caluinus. Sp. Postumius. Albinus.
P. Cornelius. Rufinus. Dict. Rei Ger. Caussa.
M. Antonius. Mag. eq.
Vitio Creati Abdicarunt.

Hoc

CDXX. Hoc Anno Sine Consulibus Resp. Fuit.
A.Cornelius. P.F.A.N. Cossus Aruina. II. Cn. Domitius. Caluinus.
M.Papirius. L.F.M.N. Crassus. Dict.
P.Valerius.P.F.L.N. Poplicola. Mag.eq. Rei Ger. Caussa.
Cens. Q.Publilius.Q.F.Q.N. Philo. Sp.Postumius. Albinus. L.F.XXIIII.
L.Valerius. Potitus Flaccus. M. Claudius. Marcellus.
Cn. Quinctilius Varus. Dict.
L.Valerius Potitus Flaccus. Mag.eq. Claui Fig. Caussa.
L.Papirius. L.F.M.N. Crassus. II. L.Plautius.L.F. Venno.
L.Aimilius.L.F. L.N. Mamercinus. II. C.Plautius.P.F.P.N. Decianus.
L. Aimilius. L.F.L.N. Mamercin. Priuernas. Cos. II. De Priuernatib. Ann. CDXXIV. K. Mart.
C.Plautius. P.F.P.N. Decianus. Cos. De Priuernatibus. Ann. CDXXIV. K. Mart.
P.Cornelius. Scapula. P.Plautius. C.F. P.N. Proculus.
L. Cornelius. Lentulus. Q.Publilius. Q.F.Q.N. Philo. II.
M. Claudius. Marcellus. Dict.
Sp. Postumius. Albinus. Mag.eq. Comit. Hab. Caussa.
Vitio Facti Abdicarunt.
L. Papirius. Sp.F.L.N. Cursor. C. Poetelius. C.F.C.N. Libo Visolus. II.
Q. Publilius. Q. F. Q. N. Philo. II. Primus Pro. Cos. De Samnitibus. Palaepolitaneis. Ann. CDXXVII. K. Mai.
L. Furius. Sp. F.M.N. Camillus. II. D. Iunius. Brutus Scaeua.

L.Papirius.Sp.F.L.N. Cursor. Dict.
Q.Fabius.M.F.N.N. Max. Rullian. Mag.eq. Rei Ger. Caussa.
Hic A Dictatore Coactus Abdicauit. In Eius Locum Factus Est
L.Papirius.L.F.M.N. Crassus. Mag.eq.
Hoc Anno Dictator. Et Magister Eq. Sine Cos. Fuerunt.
L. Papirius. Sp. F. L. N. Cursor. Dict. De Samnitibus. Ann. CDXXIX. III. Non. Mart.

CDXXX. C.Sulpicius.Ser.F.Q.N. Longus. II. Q. Aulius. Q.F.Ai.N. Cerretanus.
Q.Fabius.M.F.N.N. Maxim. Rullian. L.Fuluius.L.F.L.N. Curuus.
A.Cornelius.P.F.A.N. Cossus Aruina. Dict.
M.Fabius.M.F.N.N. Ambustus. Mag.eq. Ludorum Ro. Caussa.
L. Fuluius. L.F.L.N. Curuus. Cos. De Samnitibus. Ann. CDXXXI. Quirinalibus.
Q. Fabius. M.F.N.N. Maximus Rullianus. Cos. De Samnitibus. Et Apuleis. Ann. CDXXXI. XII. K. Mart.
Ti. Veturius. Caluinus. II. Sp. Postumius. Albinus. II.
Q. Fabius. Ambustus. Dict.
P. Ailius. Paetus. Mag.eq. Comit. Hab. Caussa.
Vitio Creati Abdicarunt. In Eorum Loc. Facti Sunt
M. Aimilius. Papus. Dict.
L. Valerius. Flaccus. Mag. Eq. Comit. Hab. Caussa.
L. Papirius.Sp.F.L. N. Cursor. II. Q. Publilius. Q.F.Q.N. Philo. III.
C.Mainius.P.F.P.N. Dict.
M. Foslius.C.F.M.N. Flaccinator. Mag. Eq. = = = = Caussa.

L. Cornelius. Lentulus. Dict.
L. Papirius.L.F.Sp.N. Cursor. II. Mag.eq. Rei Ger. Caussa.

T.Manlius.L.F.A.N.Imperios.Torquatus. III. Dict.
L.Papirius. L. F.M.N. Cursor. Mag. Eq. = = = = Caussa.
L. Papirius. Sp. F. L. N. Cursor. III. Q. Aulius. Q.F. Ai.N. Cerretanus. II.
L. Papirius. Sp. F. L. N. Cursor. II. Cos. III. De Samnitibus. Ann. CDXXXIV. X. K. Septemb.
Cens. = = = = C. Sulpicius. Ser. F.Q.N. = Longus.
L. Plautius. L.F.L.N. Venno. M. Foslius. C.F.M.N. Flaccinator.
Cens. L. Papirius. L.F.M.N. Crassus. C.Mainius. P.F.P.N. Lustrum Fecer. XXV.
Q. Aimilius. Q.F.L.N. Barbula. C. Iunius. C.F.C.N. Bubulcus Brutus.
Sp. Nautius. Sp.F.Sp.N. Rutilus. M. Popillius. M.F.M.N. Laenas.
L. Aimilius. L.F.L.N. Mamerc. Priuernas. II. Dict.
L. Fuluius. L.F.L.N. Curuus. Mag. eq. Rei Gerund. C.
L. Papirius. Sp. F.L.N. Cursor. IV. Q. Poblilius. Q.F.Q.N. Philo. IIII.
Q. Fabius. M.F.N.N. Maximus Rullianus. Dict.
Q. Aulius. Q.F. Ai.N. Cerretan. In Proelio Occisus est. In Eius. L.F. Est. Mag. eq. R. G. C.
C. Fabius. M.F.N.N. Ambustus. Mag. eq.
M. Poetelius. M.F.M.N. Libo. C. Sulpicius. S.F. Q.N. Longus. III.
C. Mainius. P.F.P.N. II. Dict.
M. Foslius. C.F.M.N. Flaccinator. Mag. eq. Rei Gerund. Caussa.
C. Sulpicius. Ser.F.Q.N. Longus. Cos. III. De Samnitibus. Anno. CDXXXIX. K. Quint.

CDXL. L.Papirius. Sp.F.L.N. Cursor. V. C. Iunius. C.F.C.N. Bubulcus Brutus. II.
C.Poetelius. C.F.C.N. Libo Visolus. Dict.
M. M.F.M.N. Libo. Mag. Eq. Rei Gerund. Caussa.
M. Valerius. M.F.M.N. Maximus. P.Decius.P.F.Q.N. Mus.
C. Sulpicius. Ser.F.Q.N. Longus. Dict.
C. Iunius. C.F.C. N. Bubulcus Brutus. Mag. eq. Rei Gerund. Caussa.
Cens. Ap. Claudius. C.F. Ap.N. Caecus. C.Plautius. C.F.C.N. Qui In Hoc. L. F. XXVI.
Honore Venox Appellatus Est.
M. Valerius. M.F.M.N. Maximus Cos. De Samnitibus. Soraneisq. Ann. CDXXXXI. Idib. Sext.
C.Iunius. C.F.C.N. Bubulcus Brutus. III. Q. Aimilius. Q.F.L.N. Barbula. II.
C. Iunius. C.F.C.N. Bubulcus Brutus. Cos. III. De Samnitibus. An. CDXLII. Nonis Sext.
Q. Aemilius. Q.F.L.N. Barbula. Cos. II. De Etrusceis. An. CDXLII. Idib. Sext.
Q. Fabius. M.F.N.N. Maxim. Rullian. II. C. Marcius. C.F.L.N. Rutilus. Qui Postea Censorinus Appellatus Est. FR.MIL.

L Papirius. Sp.F.L.N. Cursor. II. Dict.
C.Iunius. C.F.C.N. Bubulcus Brutus. II. Mag. eq. Rei Gerund. Caussa.
Hoc Anno Dictator. Et Magister Eq. Sine Cos. Fuerunt.
L. Papirius. Sp. F.L.N. Cursor. III. Dict. II. De Samnitibus. An. CDXLIV. Idibus Oct.
Q. Fabius. M.F.N.N. Maximus Rullian. II. Pro Cos. De Etrusceis. An. CDXLIV. Idib. Nou.

P.Decius. P.F.Q.N. Mus. II. Q.Fabius. M.F.N.N. Maxim. Rullian. III.
Ap. Claudius. C.F. Ap.N. Caecus. L. Volumnius. C.F.C.N. Flamma Violens.
Cens. M. Valerius. M. F. M. N. Maximus. C.Iunius. C. F. C. N. Bubulc. Brutus. L.F. XXVII.
Q. Marcius. Q.F.Q.N. Tremulus. P.Cornelius. *A.F.P.N.* *Aruina.*
Q.Marcius. Q.F. Q. N. Tremulus Cos. De Anagnineis. Herniceisq. An. CDXLVII. Prid. K. Quint.
P. Cornelius. === N. Scipio Barbatus. *Dict.*
P. Decius. P.F.Q.N. Mus. *Mag. eq.* *Comit. Habend. Caussa.*
L. Postumius. L.F. Sp. N. Megellus. Ti. Minucius *Augurin. In Proel. Occis. E. In. E. L. F. &*
M. *Fuluius. L.F.L.N.* *Curuus Paetinus.*
M.Fuluius. L.F.L.N. Curuus Paetin. Cos. De Samnitibus. Ann. CDXLIIX. III. Non. Oct.
P. Sempronius. P. F. C.N. Sophus. P. S*ulpicius Ser.F.P.N.* *Sauerrio.*
Cens. Q. Fabius. M.F. N.N. Maxim. Rullianus. *P. Decius. P. F. Q. N.* *Mus. L. F. XXVIII.*
P. Sempronius. P.F.C.N. Sophus Cos. De Aequeis. Ann. CDXLIX. VII. K. Oct.
P. Sulpicius Ser. F. P. N. Sauerrio. Cos. De Samnitibus. Ann. CDXLIX. IIII. K. Nou.
CDL. *Ser. Cornelius.* Cn. F. Cn. N. Lentulus. *L. Genucius.* *Auentinensis.*
M. Liuius. = = C.N. Denter. *M. Aimilius. L.F.L.N.* *Paullus.*
C. Iunius. C.F.C. N. Bubulcus B*rutus.* *Dict.*
M. Titinius. C.F.C.N. *Mag. eq.* *Rei Gerund. Caussa.*
C. Iunius. C.F.C.N. Bubulcus Brutus. II. Dict. De Aequeis. An. CDLI. III. K. Sext.

Q. Fabius. M.F.N.N. Max. *Rullian.* II. *Dict.*
*M. Aim*ilius. L.F.L.N. *Paullus.* *Mag. eq.* *Rei Gerund. Caussa.*
*Hoc An*no Dictat*or.* *Et Magister Eq. Sine Cos. Fuerunt.*
M. Valerius. M.F.M.N. *Coruus.* II. *Dict.*
*P. Sempr*onius. *P. F. C.N.* *Sophus.* *Mag. eq.* *Rei Ger. Caussa.*
M. Valer*ius. M.F.M.N. Coruus.* IV. Dict. II. *De Etrusceis.* *An.* *CDLII.* X = K. Dec.

Q. Appuleius. = F.C.N. *Pansa.* *M. Valerius. M.F.M.N.* *Coruus.* V.
M. Fuluius. Cn. F. Cn. N. *Paetinus.* *T. Manlius. T.F.T.N.* *Torquatus. In Mag. Mort. Est. In Eius Locum Fact. Est.*
M. Valerius. M.F.M.N. *Coruus.* VI.
Cens. P. Sempronius. P.F C.N. *Sophus.* *P. Sulpicius. Ser. F.P.N.* *Sauerrio. L.F. XXIX.*
M.Fuluius. Cn. F.C.N. Paetinus. Cos. De Samnitibus. Nequinatibusque. An. CDLIV. VII. K. Oct.
L. Cornelius. Cn. F. *Scipio.* *Cn. Fuluius. Cn. F. Cn. N.* *Max. Centumalus.*
Cn. Fuluius. Cn.F. Cn.N. Max. Centumalus. Cos. De Samnitibus. Etrusceisq. An. CDLV. Idibus. Nou.
Q. Fabius. M.F.N.N. *Maxim. Rullian.* IIII. *P. Decius. P.F.Q.N.* *Mus.* III.
Ap. Claudius. C.F. Ap. N. *Caecus.* II. *L. Volumnius. C.F.C.N.* *Flamma. Violens.* II.
Q. Fabius. M.F.N.N. M. Rull*ianus.* V. *P. Decius. P.F. Q.N. Mus.* IIII. *Qui Se* deuouit.
Q.Fabius. M.F.N.N. Maximus. Rullianus III. Cos. V. De Samnitibus. Et Etrusceis. Galleis. An. CDLIIX. Prid. Non. Sept.
L. Postumius. L.F. Sp. N. Megellus. II. *M. Atilius. M.F.M.N.* *Regulus.*
Cens. P. Cornelius. A.F.P.N. Aruin*a.* *C. Marcius. C.F.L.N.* *Rutilus. L.F.* XXX.
Qui Postea Censorinus. Appell. Est.
L.Postumius. L.F. Sp. N. Megell. Cos. II. De Samnitib. Et Etrusceis. VI. K. Apr. CDLIX.
M.Atilius. M.F.M.N. Regulus Cos. De Volsonibus. Et Samnitib. A. CDLIX. V. K. Apr.
CDLX. L.Papirius. L.F. Sp.N. Cursor. S*p. Caruilius. C.F.C.N.* *Maxi*mus.
Sp. Caruilius. C.F.C.N. Maximus Cos. De Samnitibus. An. CDLX. Idibus Ian.
L. Papirius. L.F. Sp.N. Cursor *Cos.* *De Samn*itibus. An. CDLX. Idibus Febr.

Q. Fabius.

Q. Fabius. Q.F.M.N. Maxim. Gurges. D. Iulius. D.F. Brutus Scaeua.
L. Postumius. L.F.Sp.N. Megellus. III. C. Iunius. C.F.C.N. Brutus Bubulcus.
Q. Fabius. Q.F.M.N. Maximus Gurges Pro. Cos. De Samnitibus. An. CDLXII. = = = K. Sext.
P. Cornelius. P.F. Rufinus. M'. Curius. M'. F. M'. N. Dentatus.
M'. Curius. M'. F. M'. N. Dentatus. Cos. De Samnitibus. An. CDLXIII. = = =
P. Cornelius. P.F. Rufinus. Cos. De Samnitibus. An. CDLXIII. = = = = =
M'. Curius. M'. F. M'. N. Dentatus. II. Cos. De Sabineis. An. CDLXIII. = = =
M'. Curius. M'. F. M'. N. Dentatus. III. Cos. Ouans. De Lucaneis. An. CDLXIII. = = =
M. Valerius. M.F.M.N. Coruinus. Q. Caedicius. Q.F. Noctua.
Cens. M'. Curius. M'. F. M'. N. Dentatus. L. Papirius. L.F. Sp. N. Cursor. L.F. XXXI.
Q. Marcius. Q.F.Q.N. Tremulus. II. P. Cornelius. A.F.P.N. Aruina. II.
M. Claudius. M.F. Marcellus. Sp. Nautius. Sp.F.Sp.N. Rutilus.
M. Valerius. Potitus. C. Atilius. Paetus.
Q. Hortensius. In Mag. Mort. E. Dict.
= = = = = Mag. eq. Seditionis Sedandae caussa.
C. Claudius. Canina. M. Aimilius. Lepidus.
C. Seruilius. Tucca. L. Caecilius. Denter. In Proelio Occis. E. In Eius Loc. F. E.
M'. Curius. M'. F. M'. N. Dentatus. II.
Cens. = = = = = = = = Sp. Caruilius. C.F.C.N. Maximus.
CDLXX. P. Cornelius. Maximus. Dolabella. Cn. Domitius. Cn.F. Caluinus.
P. Cornelius. Dolabella Maximus. Cos. De Galleis. Et Etrusceis. A. CDLXX. = = =
C. Fabricius. C.F.C.N. Luscinus. Q. Aimilius. Cn.F. Papus.
C. Fabricius. C.F.C.N. Luscinus. Cos. De Etrusceis. Galleisque. An. CDLXXI. III. Non. Mart.

BELLVM TARENTINVM.

L. Aimilius. Q.F.Q.N. Barbula. Q. Marcius. Q.F.Q.N. Philippus.
Q. Marcius. Q.F.Q.N. Philippus. Cos. De Etrusceis. An. CDLXXII. K. Apr.
P. Valerius. Laeuinus. Ti. Coruncanius. Ti.F.Ti. Nepos.
Cens. Q. Fabius. Q.F.M.N. Max. Gurges. = Cn. Domitius. Cn.F. Caluinus. Qui. L.F. XXXII.
Primus E Plebe Lustrum Fecit.
Ti. Coruncanius. Ti.F.Ti.N. Cos. De Vulsiniensibus. Et Vulcientib. An. CDLXXIII. K. Febr.
L. Aimilius. Q.F.Q.N. Barbula. Pro. Cos. De Tarentineis. Samnitibus. Et Sallentineis. An. CDLXXIII. VI. Idus. Quint.
P. Sulpicius. P.F. Ser. N. Sauerrio. P. Decius. P.F.P.N. Mus. In Proel. Occis. Est.
C. Fabricius. C.F.C.N. Luscinus. II. Q. Aimilius. Cn.F. Papus. II.
C. Fabricius. C.F.C.N. Luscinus. II. Cos. II. De Lucaneis. Bruttieis. Tarentin. Samnitibus. An. CDLXXV. Idibus. Decembr.
P. Cornelius. P.F. Rufinus. II. C. Iunius. C.F.C.N. Brutus Bubulcus. II.
C. Iunius. C.F.C.N. Brutus. Bubulc. Cos. II. De Lucaneis. Et Bruttieis. An. CDLXXVI. Non. Ian.
Q. Fabius. Q.F.M.N. Maxim. Gurges. II. C. Genucius. Clepsina.
Q. Fabius. Q.F.M.N. Maximus Gurges. II. Cos. II. De Samnitibus. Lucaneis. Bruttieis. An. CDLXXVII. Quirinalib.
P. Cornelius. P.F. Rufinus. Dict.
= = = = = = Mag. eq. = = = = Caussa.
M'. Curius. M'. F. M'. N. Dentatus. III. L. Cornelius. Ti.F. Ser. N. Lentulus.
M'. Curius. M'. F. M'. N. Dentat. IV. Cos. III. De Samnitib. Et Rege Pyrrho. A. CDLXXIIX. = = Febr.
L. Cornelius. Tit.F. Ser.N. Lentul. Cos. De Samnitibus. Et Lucaneis. An. CDLXXIIX. K. Mart.
Cens. C. Fabricius. C.F.C.N. Luscinus. Q. Aimilius. Cn.F. Papus. L.F. XXXIII.
Ser. Cornelius. Merenda. M'. Curius. M'. F. M'. N. Dentatus. IIII.
CDXXC. C. Fabius. M.F. Dorso. Licinus. C. Claudius = .F.C.N. Canina. II.
C. Claudius. = F.C.N. Canina. Cos. II. De Lucaneis. Samnitibus. Et Bruttieis. An. CDXXC. Quirinalibus.
L. Papirius. L.F. Sp. N. Cursor. II. Sp. Caruilius. C.F.C.N. Maximus. II.
Sp. Caruilius. C.F.C.N. Maximus. II. Cos. II. De Samnit. Lucan. Bruttieis. Et Tarentineis. An. CDXXCI. = =
L. Papirius. L.F. Sp. N. Cursor. II. Cos. II. De Tarentineis. Samnit. Lucaneis. Et Bruttieis. An. CDXXCI. = = =
C. Quinctius. Claudus. L. Genucius. Clepsina.
C. Genucius. Clepsina. II. Cn. Cornelius. L.F. Cn. N. Blasio.
Cn. Cornelius. L.F. Cn. N. Blasio. Cos. De Sassinatibus. A. CDXXCIII. = = =
Cens. T. Coruncanius. Ti.F.Ti.N. = = = = = = = = Lustr. Fec. XXXIIII.
Q. Fabius. C.F.M.N. Pictor. Q. Ogulnius L.F.A.N. Gallus.
P. Sempronius. P.F.P.N. Sophus. Ap. Claudius. Ap.F.C.N. Rufus.
P. Sempronius. P.F.P.N. Sophus Cos. De Peicentibus. An. CDXXCV. = = =
Ap. Claudius. Ap.F.C.N. Crassus. Cos. De Peicentibus. An. CDXXCV. = = =
M. Atilius. M.F.L.N. Regulus. L. Iulius. L.F.L.N. Libo.
M. Atilius. M.F.L.N. Regulus Cos. De Sallentineis. An. CDXXCVI. VIII. = = = =
L. Iulius. L.F.L.N. Libo. Cos. De Sallentineis. An. CDXXCVI. VII. K. Febr.

N.Fabius.C.F.M.N. Pictor. D.Iunius.D.F.D.N. Pera.
D.Iunius. D.F.D.N. Pera. Cos. De Sassinatibus. An. CDXXCVII. V.K. Octobr.
N.Fabius. C.F.M.N. Pictor. Cos. De Sassinatibus. An. CDXXCVII. III. Non. Oct.
N.Fabius. C.F.M.N. Pictor. II. Cos. De Sallentineis. Messapieisque. An. CDXXCVII. K. Febr.
D. Iunius. D.F.D.N. Pera. II. Cos. De Sallentineis. Messapieisque. An. CDXXCVII. Non. Febr.
Q. Fabius. Q.F.M.N. Max. Gurges. III. L. Mamilius. Vitulus.
Cens. Cn. Cornelius. L.F. Cn.N. Blasio. C. Marcius. C.F.L.N. Rutilus. II. Qui. L.F. XXXV.
In Hoc Honore Censorin. Appel. E.

BELLVM PVNICVM PRIMVM.

Ap. Claudius. C.F. Ap.N. Caudex. M.Fuluius. Q.F.M.N. Flaccus.
M. Fuluius. Q.F.M.N. Flaccus. Cos. De Vulsiniensibus. An. CDXXCIX. K. Nou. R.MIL.
CDXC. M'Valerius. M.F.M.N. Maximus. M'Otacilius. C.F.M'N. Crassus.
Qui In Hoc Honore Messal. Appel. E.
Cn.Fuluius. Cn.F. Cn. N. Maxim. Centumalus. Dict. Claui Fig. Caussa.
Q. Marcius. Q.F.Q.N. Philippus. Mag.eq.
M'Valerius. M.F.M.N. Maxim. Messalla. Cos. De Poeneis. Et Rege Siculor. Hierone. An. CDXC. XVI. K. April.
L. Postumius. L.F.L.N. Megellus. Q.Mamilius. Q.F.M.N. Vitulus.
L. Valerius. M.F. L.N. Flaccus. T.Otacilius. C.F.M'N. Crassus.
Cn. Cornelius. L.F. Cn.N. Scipio Asina. C. Duilius. M.F.M.N.
C.Duilius. M.F.M.N. Cos. Primus. Naualem De Sicul. Et Classe Poenica. Egit. An. CDXCIII. K. Interkalar.
L. Cornelius. L.F.Cn.N. Scipio. C.Aquillius. M.F.C.N. Florus.
L. Cornelius. L.F.Cn.N. Scipio Cos. De Poeneis. Et Sardin. Corsica. An. CDXCIV. V. Id. Mar.
A. Atilius. A.F.C.N. Calatinus. C. Sulpicius. Q.F.Q.N. Paterculus.
C.Aquillius. M.F.C.N. Florus Pro Cos. De Poeneis. An. CDXCV. IIII. Non. Oct.
C. Sulpicius. Q.F.Q.N. Paterculus Cos. De Poeneis. Et Sardeis An. CDXCV. III. Non. Oct.
Cens. C. Duilius. M. F. M. N. *L. Cornelius. L.F.Cn. N. Scipio. L.F. XXXVI.*
C.Atilius. M.F.M.N. Regulus. Cn. *Cornelius. L.F.Cn.N. Blasio. II.*
Q. Ogulnius. L.F.A.N. Gallus. Dict. Latinar. Fer. Caussa.
M. Laetorius. M.F.M.N. Plancianus. Mag. Eq.
A. Atilus. A.F.C.N. Calitanus. Pr. Ex Sicilia De Poenis. An. *CDXCVI.* XIIII. K. Feb.
C. Atilius. M.F.M.N. Regulus Cos. De Poenis Naualem Egit. VIII. === *An. CDXCVI.*
L. Manlius. A.F.P.N. Vulso Longus. Q. Caedicius. Q.F.Q.N. In Mag. Mort. E.
In Eius Locum Factus Est.
M. Atilius. M.F.L.N. Regulus. II.
L. Manlius. A.F.P.N. Vulso Long. Cos. De Poenis Naualem Egit. VII. === An. *CDXCVII.*
Ser. Fuluius. M.F.M.N. Paetin. Nobilior. M. Aimilius. M.F.L.N. Paullus.
Cn. Cornelius. L.F.Cn.N. Scipio Asin. II. A. Atilius. A.F.C.N. Calatinus. II.
Ser. Fuluius. M.F.M.N. Paetinus Nobilior Pro. Cos. De Cossurensibus. Et Poeneis. Naualem Egit. XIII. K. Febr. A. CDXCIX.
M. Aimilius. M.F.L.N. Paullus. Pro. Cos. De Cossurensib. Et Poeneis. Naualem. Egit. XII. K. Febr. An. CDXCIX.
D. Cn. Seruilius. Cn.F.Cn.N. Caepio. C. Sempronius. Ti.F.Ti.N. Blaesus.
Cens. D. Iunius. D.F.D.N. Pera. Abd. L. Postumius. L.F.L.N. Megell. Idem Qui Pr. Erat. In Mag. M. Est.
Cn. Cornelius. L.F.Cn.N. Scipio Asina. Pro. Cos. De Poeneis. X. K. April. An. D.
C. Sempronius. Ti.F.Ti.N. Blaesus. Cos. De Poeneis. K. April. An. D.
C. Aurelius. L.F.C.N. Cotta. P. Seruilius. Q.F.C.N. Geminus.
Cens. M'Valerius. M.F.M.N. Maxim. Messal. P. Sempronius. P.F.P.N. Sophus. L.F. XXXVII.
C. Aurelius. L.F.C.N. Cotta. Cos. De Poeneis Et Siculeis. Idibus April. An. DI.
L. Caecilius. L.F.C.N. Metellus. C. Furius. C.F.C.N. Pacilus.
C. Atilius. M.F.M.N. Regulus. II. L. Manlius. A.F.P.N. Vulso. II.
L. Caecilius. L.F.C.N. Metellus Pro Cos. De Poeneis. VII. Idus Septemb. A. DII.
P. Claudius. Ap.F.C.N. Pulcher. L. Iunius. C.F.L.N. Pullus.
M. Claudius. C.F. Glicia. Qui Scriba Fuerat. Dictator. Coact. Abdi. Sine. Mag. eq. In Eius Locum Factus Est.
A. Atilius. A.F.C.N. Calatinus. Dict. Rei Gerund. Caussa.
L. Caecilius. L.F.C.N. Metellus. Mag. Eq.
C. Aurelius. L.F.C.N. Cotta. II. P. Seruilius. Q.F.Cn. N. Geminus. II.
L. Caecilius. L.F.C.N. Metellus. II. N. Fabius. M.F.M.N. Buteo.
Censores. A. Atilius. A.F.C.N. Calatinus. A. Manlius. T.F.T.N. Torquat. Attic. L.F. XXXVIII.

M'Ota-

M'. Otacilius. C.F.M.N. Crassus. II. M.Fabius.C.F.M.N. Licinus.
Ti.Coruncanius. Ti. F.Ti. Nepos. Dict.
M. Fuluius. Q.F.M.N. Flaccus. Mag.Eq. Comit. Hab. Caussa.
M.Fabius.M.F.M.N. Buteo. C.Atilius.A.F.A.N. Bulbus.
A.Manlius.T.F.T.N. Torquat.Attic. C.Sempronius. Ti.F.Ti.N. Blaesus. II.
DX. C.Fundanius. C.F.Q.N. Fundulus. C. Sulpicius. C.F.Ser.N. Gallus.
C.Lutatius.C.F.C.N. Catulus. A.Postumius.A.F.L.N. Albinus.
A. Manlius. T.F.T.N. Torquat. Attic. II. Q.Lutatius. C. F. C.N. Cerco.
Cens. C. Aurelius. L.F.C.N. Cotta. *N.Fabius.M.F.M.N.* *Buteo. L.F.XXXIX.*
C.Lutatius.C.F.C.N.Catulus. Pro.Cos.De Poenis.Ex Sicilia Naualem Egit. IIII.Non.Octob.A. DXII.
Q.Valerius. Q.F.P.N. Falto. Pro. Pr. Ex Sicilia Naualem Egit.Prid.Non.Octob. An. DXII.
Q.Lutatius.C.F.C.N. Cerco. Cos. De Falisceis. K. Mart. An. DXII.
A. Manlius. T.F.T.N. Torquatus Atticus. Cos. II. De Faliscеis. IV.Non. Mart.Ann.DXII.
C.Claudius.Ap.F.C.N. Centho. M.Sempronius.C.F.M.N. Tuditanus.
C.Mamilius. Q.F.Q.N. Turrinus. Q.Valerius. Q.F.P.N. Falto.
Ti. Sempronius.Ti.F.C.N. Gracch. P. Valerius. Q.F.P.N. Falto.
L.Cornelius.L.F.Ti.N. Lentul.Caudin. Q.Fuluius.M.F.Q.N. Flaccus.
L. Cornelius. L. F. Ti. N.Lentulus. Caudinus.Cos. De Liguribus. Idib. Inter. An. DXVII.
P. Cornelius. L.F.Ti.N. Lentul. Caudin. C. Licinius.P.F.P.N. Varus.
Cens.L. Cornelius.L.F.Ti.N.Lent.Caudin. Q.Lutatius.C.F.C.N. Cerco. In M. M. E.
T. Manlius. T.F.T.N. Torquatus. C.Attilius.A.F.A.N. Bulbus. II.
T. Manlius. T. F. T.N. Torquatus. Cos. De Sardeis. VI. Id. Mart. An.DXVIII.
L. Postumius.A.F.A.N. Albinus. Sp. Caruilius. Sp. F. C.N. Maximus.
Cens.C.Atilius.A.F.A.N. Bulbus. A.Postumius.A.F.L.N. Albinus.L. F. X L.
Sp.Caruilius.Sp.F.C.N. Maximus. Cos. De Sardeis. K. April. An. DXIX.
DXX. Q.Fabius.Q.F.Q.N. Maxum.Verrucos. M'. Pomponius.M'.F. M'.N. Matho.
Q.Fabius. Q.F. Q.N. Maximus Verrucossus. Cos. De Liguribus. K.Febr. Anno.DXX.
M'. Pomponius. M'.F.M'.N. Matho. Cos. De Sardeis. Idibus. Mart. An. DXX.
M.Aimilius.M.F.M.N. Lepidus. M. Poblicius.L.F.L.N. Malleolus.
M.Pomponius.M'.F.M'.N. Matho. C. Papirius. C.F.L.N. Maso.
C.Duilius.M.F.M.N. Dict.
C. Aurelius. L. F. C.N. Cotta. Mag. Eq. Comit. Habend. Caussa.
Cens.T.Manlius.T.F.T.N. Torquatus. Q. Fuluius. M.F.Q.N. Flaccus. Vit. Facti Abd.
C.Papirius. C.F.L.N.Maso.Cos.De Corseis Primus In Monte Albano .III.Nonas.Mart.An.DXXII.
M. Aimilius.L.F.Q.N. Barbula. M. Iunius. D.F.D.N. Pera.
Cens. Q.Fabius. Q.F.Q.N. Maxim. Verrucos. M. Sempronius. C.F.M.N. Tuditan.L.F.XLI.
L.Postumius.A.F.A.N. Albinus. II. Cn.Fuluius. Cn. F. Cn. N. Centumalus.
Sp.Caruilius.Sp.F.C.N. Maximus. II. Q.Fabius. Q.F. Q.N. Maxim.Verrucos. II.
Cn.Fuluius.Cn.F. Cn. N. Centumalus. Pro.Cos. Ex Illurieis Naual. Egit. X.K. Quint. An.DXXV.
P.Valerius.L.F.M.N. Flaccus. M.Atilius.M.F.M.N. Regulus.
M.Valerius.M'. F. M.N. Messalla. L.Apustius.L.F.C.N. Fullo.

BELLVM GALLICVM CISALPINVM.

L. Aimilius.Q.F.Cn.N. Papus. C. Atilius. M.F.M.N. Regulus.
Cens. C.Claudius.Ap.F.C.N. Centho. M.Iunius. D.F.D.N. Pera. L.F.XXXXII.
L. Aimilius. Q.F.Cn.N. Papus. Cos. De Galleis. IIII. Idus. Mart. An. DXXIIX.
T.Manlius.T.F.T.N. Torquatus. II. Q.Fuluius. M. F. Q.N. Flaccus. II.
L.Caecilius. L.F.C.N. Metellus. Dict.
N.Fabius. M.F.M.N. Buteo. Mag. Eq. Comit. Habend. Caussa.
DXXX. C. Flaminius.C.F.L. Nepos. P.Furius. Sp.F.M.N. Philus.
C. Flaminius. C. F. L. N. Cos. De Galleis. VI. Idus Mart. An. DXXX.
P. Furius. Sp.F.M.N. Philus. Cos. De Galleis. Et Liguribus. IIII. Idus Mart. Ann. DXXX.
Cn. Cornelius. L.F.L.N. Scipio Calu. M. Claudius.M.F.M.N. Marcellus.
M.Claudius.M.F.M.N.Marcellus.Cos. De Galleis Insubribus. Et German. Isque Spolia Opima Rettulit Duce Hostium Virdumaro Ad Clastidium Interfecto. An. DXXXI. K. Mart.
P.Cornelius.Cn.F.L.N. *Scipio Asina.* *M.Minucius.* *Rufus.*
P.Cornelius. *Scipio Asina.* *Cos. De Istreis.* *An. DXXXII.* ===
Q.Fabius.Q.F.Q.N. *Max.Verrucos.* *Dict.*
C. Flaminius. C.F.L. *Nepos.* *Mag.eq.* = = = *Vit. Facti. Abd.*
L.Veturius.L.F. *Philo.* *C. Lutatius.* *Catulus.*
Cens.L.Aimilius.Q.F.Cn.N. *Papus.* *C.Flaminius.C.F.L.N.* *L.F.XLIII.*
M.Liuius.M.F.M.N. *Salinator.* *L. Aimilius. M.F.M.N.* *Paullus.*
L.Aimilius.M.F.M.N. *Paullus. Cos.* *De Illurieis.* *An. DXXXIIII.* ====
M.Liuius.M.F.M.N. *Salinator. Cos.* *De Illurieis.* *An. DXXXIIII.* ====

BELLVM PVNICVM SECVNDVM.

P. Cornelius. L.F.L.N. Scipio. Ti.Sempronius.C.F. Longus.
C.Flaminius.C.F.L.N. II. In Proel. Cn.Seruilius. Geminus.
Occis. Est. In Eius Loc. Fact. Est.
M.Atilius.M.F.M.N. Regulus. II.
Q.Fabius.Q.F.Q.N. Maxim.Verrucos.II. Dict.
M.Minucius. Rufus. Mag.eq. Rei Gerund. Caussa.
Horum Deinde Aequatum Imperium Est.
L.Veturius.L.F. Philo. Dict.
M.' Pomponius.M.'F.M.'N. Mattho. Mag.eq. Comit.Hab.Caussa. Vit.Facti.Abd.
C.Terentius. Varro. L.Aemilius.M.F.M.N. Paulus.II.
In Proelio Occisus Est.
M.Iunius.D.F.D.N. Pera. Dict.
Ti.Sempronius.Ti.F.Ti.N. Gracchus. Qui Rei Ger. Caussa.
Idem Aedilis. Curulis. Erat. Mag.eq.
N.Fabius.M.F.M.N. Buteo. Dict. Senatus Leg. Caussa.
Sine Magistro Equitum
L.Postumius.A.F.A.N. Albinus.III. Ti.Sempronius.Ti.F.Ti.N. Gracchus.
Antequam Iniret. Occis. E. In E. L. F. E.
M.Claudius.M.F.M.N. Marcellus.II.
Vitio Factus Abdicauit. In E.L.F.E.
Q.Fabius.Q.F.Q.N. Max.Verrucossus.III.
Q.Fabius.Q.F.Q.N. Maxim.Verrucossus.IIII. M.Claudius.M.F.M.N. Marcellus.III.
Cens.M.Atilius.M.F.M.N. Regulus. P.Furius.Sp.F.M.N. Philus.
Abdicauit. In Mag. Mortuus. Est.
DXL. *Q.Fabius.Q.F.Q.N. Maximus. Ti.Sempronius.Ti.F.Ti.N. Gracchus.II.*
C.Claudius.Ap.F.C.N. Centho. Dict.
Q.Fuluius.M.F.Q.N. Flaccus. Mag.eq. Comit. Hab. Caussa.
Ap.Claudius.P.F.Ap.N. Pulcher. Q.Fuluius.M.F.Q.N. Flaccus.III.
P.Sulpicius.Ser.F.P.N. Galba.Maxim. Cn.Fuluius.Cn.F.Cn.N. Centumalus.
M.Claudius.M.F.M.N.Marcellus.Pro.Cos.II.De Syracusaneis.In Monte Albano.An.DXLII.
M.Claudius.M.F.M.N.Marcellus.Pro.Cos.III.Ouans. De Syracusaneis. An.DXLII.
M.Valerius. Laeuinus. M.Claudius.M.F.M.N. Marcellus.IIII.
Q.Fuluius.M.F.Q.N. Flaccus. Dict.
P.Licinius.P.F.P.N. Crassus Diues. Mag.eq. Comit. Hab. Caussa.
Cens.L.Veturius. Philo. P.Licinius.P.F.P.N. Crassus Diues.
In Mag. Mortuus. Est. Abdicauit.
Q.Fabius.Q.F.Q.N. Max.Verrucossus.V. Q.Fuluius.M.F.Q.N. Flaccus.IIII.
Cens.M.Cornelius.M.F.M.N. Cethegus. P.Sempronius.C.F.C.N.Tuditanus.L.F.XLIIII.
Neuter Horum Consularis Erat.
M.Claudius.M.F.M.N. Marcellus.V. T.Quinctius. Crispinus.
In. Proel. Occis. Est. In Proel. Occisus est.
T.Manlius.T.F.T.N. Torquatus. Dict.
C.Seruilius.C.F.P. Nepos. Qui Mag.Eq. Comit.Hab.Et Ludor.Faciend.Caussa.
Idem Aedilis Curulis Erat.
C.Claudius.Ti.F.Ti.N. Nero. M.Liuius.M.F.M.N. Salinator.
M.Liuius.M.F.M.N. Salinator.Cos.De Poenis. Et Asdrubale. An.DXLVI.
C.Claudius.Ti.F.Ti.N. Nero. Cos. De Poenis. Et Asdrubale. An.DXLVI.
M.Liuius.M.F.M.N. Salinator. Dict.
Q.Caecilius.L.F.L.N. Metellus. Mag.eq. Comit. Hab. Caussa.
Q.Caecilius.L.F.L.N. Metellus. L.Veturius.L.F.L.N. Philo.
P.Cornelius.P.F.L.N. Scipio. Qui Postea. P.Licinius.P.F.P.N. Crass.Diues.
African. Appell. Est.
Q.Caecilius.L.F.L.N. Metellus. Dict.
L.Veturius.L.F.L.N. Philo. Mag.Eq. Comit. Habend. Caussa.
M.Cornelius.M.F.M.N. Cethegus. P.Sempronius.C.F.C.N. Tuditanus.
Cens.M.Liuius.M.F.M.N. Salinator. C.Claudius.Ti.F.Ti.N.Nero.L.F.XXXXV.
DL. Cn.Seruilius.Cn.F.Cn.N. Caepio. C.Seruilius.C.F.P. Nepos.
P.Sulpicius.Ser.F.P.N. Galba Maximus. Dict.
M.Seruilius.C.F.P.N. Pulex.Geminus. Mag.Eq. Comit. Habend. Caussa.
Ti.Claudius.P.F.Ti.N. Nero. M.Seruilius.C.F.P.N. Pulex Geminus.
C.Seruilius.C.F.P. Nepos. Dict.
P.Aelius.Q.F.P.N. Paetus. Mag.Eq. Comit. Habend. Caussa.
Cn.Cornelius.L.F.L.N. Lentulus. P.Aelius.*Q.F.P.N. Paetus.*
P.Cornelius.P.F.L.N. Scipio African. Pro. Cos. De Poeneis. Annibale.
Et Syphace Rege Ex Africa Ann. DLII.

BELLVM

BELLVM PHILIPPICVM.

P.Sulpicius.Ser.F.P.N. Galba.Maxim.II. C.Aurelius.C.F.C.N. Cotta.
L.Cornelius.L.F.L.N. Lentulus. Pro. Cos.Ouans.Ex Hispania Citeriore.A.DLIII.= = =
L.Furius.Sp.F.Sp.N. Purpureo. Pr. De Galleis. An.DLIII.= = =
L.Cornelius.L.F.L.N. Lentulus. P.Villius.Ti.F.Ti.N. Tappulus.
Cens.P.Cornelius.P.F.L.N.Scipio African. P.Ailius.Q.F.P.N.Paitus. L.F.XXXXVI.
T.Quinctius.T.F.L.N. Flamininus. Sex.Ailius.Q.F.P.N. Paitus.Catus.
C.Cornelius.L.F.M.N. Cethegus. Q.Minucius.C.F.C.N. Rufus.
C.Cornelius.L.F.M.N. Cethegus. Cos. De Insubrib. Et Caenomaneis. An.DLVI.= = =
Q.Minucius.C.F.C.N. Rufus.Cos.De Liguribus.Boieisque Galleis.In Monte Albano.An.DLVI.= = =
L.Furius.Sp.F.Sp.N. Purpureo. M.Claudius.M.F.M.N. Marcellus.
Cn.Cornelius Lentulus. Pro Cos. Ouans. Ex Hispania. Citer. An.DLVII.= = = =
M.Claudius.M.F.M.N. Marcellus.*Cos.De Comensib. Et Insubribus.* A.DLVII. IV.Non.Mart.
M.Porcius.M.F. Cato. L.Valerius.P.F.L.N. Flaccus.
M.Heluius. Blasio.Pro Pr.Ouans Ex Hispan. Citeriore. An.DLVIII.= = = =
Q.Minucius.Q.F.L.N. Thermus Pro Pr.Ex Hispania Citeriore. An.DLVIII.= = = =
P.Cornelius.P.F.L.N. *Scip*io African.II. Ti.Sempronius.Ti.F.C.N. Longus.
Cens.Sex.Ailius.Q.F.P.N.Paitus Catus.C.Cornelius.L.F.M.N.Cethegus.L.F.XXXXVII.
M.Porcius.M.F. Cato. Pro. Cos. Ex Hispania Citeriore. An.DLIX.= = = =
T.Quinctius.T.F.L.N. Flamininus. Pro. Cos. Ex Macedonia.
Et Rege Philippo Per Triduum. A.DLIX.= = = =
DLX. L.Cornelius.L.F.= = Merula. Q.Minucius.Q.F.*Q.N. Thermus.
L.Quinctius.T.F.L.N. Flaminin. Cn.Domitius.L.F.L.N. Ahenobarbus.

BELLVM ANTIOCHINVM.

M'.Acilius.C.F.L.N. Glabrio. P.Cornelius.Cn.F.L.N. Scipio Nasica.
M.Fuluius.M.F.Ser.N.Nobilior.Pr.Ouans. Ex Hispania Vlteriore. An.DLXII.= = = =
P.Cornelius.Cn.F.L.N.Scipio Nasica. Cos. De Boieis. An.DLXII.= = = =
L.Cornelius.P.F.L.N. Scipio. Qui postea. C.Laelius.C.F.C. Nepos.
Asiaticus Appellatus. Est.
M'.Acilius.C.F.L.N.Glabrio. Pro.Cos.De Aetoleis. Et Rege Antiocho. An.DLXIII.= = = =
Cn.Manlius.Cn.F.L.N. Vulso. M.Fuluius.M.F.Ser.N. Nobilior.
Cens.T.Quinctius.T.F.L.N.Flaminin.M.Claudius.M.F.M.N.Marcellus.L.F.XXXXVIII.
L.Aimilius.M.F.Regillus.Pro Pr.De Rege Antiocho Naualem Egit. An.DLXIIII.K.Febr.
L.Cornelius.P.F.L.N.Scipio Asiaticus Pro.Cos.De Rege Antiocho Ex Asia.An.DLXIIII.Prid.K.Mart.
Q.Fabius.Q.F.Q.N.Labeo.Pr.Naualem Egit. Ex Creta Insula. An.DLXIIII.= = =
C.Liuius.M.F.M.N. Salinator. M.Valerius.M.F.M'.N. Messalla.
M.Aimilius.M.F.M.N. Lepidus. C.Flaminius.C.F.C. Nepos.
M.Fuluius.M.F.Ser.N.Nobilior.Pro.Cos.De Aetolis. Et Cephallenia. An.DLXVI.X.K.Ian.
Cn.Manlius.Cn.F.L.N.Vulso. Pro. Cos.De Galleis Asiaticeis. An.DLXVI. III. Non.Mart.
Sp.Postumius.L.F.A.N. Albinus. Q.Marcius.L.F.Q.N. Philippus.
Ap.Claudius.Ap.F.P.N. Pulcher. M.Sempronius.M.F.C.N. Tuditanus.
L.Manlius.L.F.L.N.Acidin.Fuluian.Pro.Pr.Ouans Ex Hispania Citeriore.A.DLXVIII.= = =
P.Claudius.Ap.F.P.N. Pulcher. L.Porcius.L.F.M.N. Licinus.
Cens.L.Valerius.P.F.L.N. Flaccus. M.Porcius.M.F.Cato. L.F.XXXXVIIII.
C.Calpurnius.C.F.Cn.N. Piso.Pr.De Lusitaneis. Et Celtibereis. An.DLXVIIII.= = =
L.Quinctius Crispinus.Pr.De Lusitaneis. Et Celtibereis. An.DLXVIIII.= = =
DLXX. Q.Fabius.Q.F.Q.N. Labeo. M.Claudius.M.F.M.N. Marcellus.
L.Aimilius.L.F.M.N. Paullus. Cn.Baebius Q.F.Cn.N. Tamphilus.
A.Terentius. Varro.Pro Pr.Ouans Ex Hispania Citeriore. An.DLXX.= = = =
P.Cornelius.L.F.P.N. Cethegus. M.Baebius.Q.F.Cn.N. Tamphilus.
L.Aimilius.L.F.M.N. Paullus. Pro.Cos.De Ligurib.Ingauneis. A.DLXXII.= = =
A.Postumius.A.F.A.N. Albinus. C.Calpurnius.C.F.C.N.Piso.In M.M.E.In E.L.F.E.
Q.Fuluius.Cn.F.M.N. Flaccus.
P.Cornelius.L.F.P.N. Cethegus. Pro. Cos. De Liguribus. An.DLXXIII.= = = =
M.Baebius.Q.F.Cn.N. Tamphilus.Pro. Cos. De Liguribus. An.DLXXIII.= = =
Q.Fuluius.Q.F.M.N. Flaccus.Pro.Pr. Ex Hispania Citeriore. An.DLXXIII.= = =
L.Manlius.L.F.L.N. Acidinus Fuluian. Q.Fuluius.Q.F.M.N. Flaccus.
Hei Fratres Germani Fuerunt.
Cens.M.Aimilius.M.F.M.N. Lepidus. M.Fuluius.M.F.Ser.N. Nobilior. Lustr.F.L.
Q.Fuluius.Q.F.M.N. Flaccus.II.Cos. De Liguribus. Ann.DLXXIV.= = =
M.Iunius.M.F.L.N. Brutus. A.Manlius.Cn.F.L.N. Vulso.
Ti.Sempronius.P.F.Ti.N.Gracchus.Pro Pr.De Celtibereis. Ann.DLXXV.= = =
L.Postumius.A.F.A.N.Albinus.Pro.Pr.De Vaccaeeis. Et Lusitaneis. Ann.DLXXV.= = =
C.Claudius.Ap.F.P.N. Pulcher. Ti.Sempronius.P.F.Ti.N. Gracchus.
C.Claudius.Ap.F.P.N. Pulcher. Cos. De Istreis. Et Liguribus. Ann.DLXXVI.= = = =

Cn. Cornelius. L.F.L.N. Scipio Hispalus. Q. Petillius. C.F.Q.N. Spurinus. In Mag.
In Mag. Mortuus Est. In Eius L.F.E. Postea quam Sibi Conleg. Subrog. Occis. E.
C. Valerius. M.F.P.N. Laeuinus.
P. Mucius. Q.F.P.N. Scaeuula. M. Aimilius. M.F.M.N. Lepidus. II.
Ti. Sempronius. P.F.Ti.N. *Gracchus. Pro Cos.* II. *De Sardeis.* *Ann. DLXXIIX.* = = =
C Valerius. M.F.P.N. *Laeuinus. Pro Cos.* *De Lig*uribus. *An. DLXXVIII.* = = = =
*P. Muci*us. Q.F.P.N. *Scaeuula. Cos. De Lig*uribus. *An. DLXXVIII.* = = = =
Sp. Postumius. A.F. A.N. Albin. Paullul. Q. Mucius. Q.F.P.N. Scaeuula.
Cens. Q. Fuluius. Q.F.M.N. Flaccus. A. Postumius. A.F. A.N. Albinus. Lustr. F. LI.
Ap. Claudius. C.F. *Centho* Pro. *Pr.* Ouans. *Ex* *Cel*tiberia. *An. DLXXIX.* = = =
DXXC. L. Postumius. A.F.A.N. Albinus. M. Popillius. P.F.P.N. Laenas.
C. Popillius. P.F.P.N. Laenas. P. Ailius. P.F.P.N. Ligus.
Ambo Primi De Plebe.
C. Cicereius = = it. Pro. Pr. Ex Corsica In Monte Albano. An. DXXCI. K. Oc*tob.*

BELLVM PERSICVM.

P. Licinius. C.F.P.N. Crassus. C. Cassius. C.F.C.N. Longinus.
A. Hostilius. L.F.A.N. Mancinus. A. Atilius. C.F.C.N. Serranus.
Q. Marcius. L.F.Q.N. Philippus. II. Cn. Seruilius. Cn.F. Cn.N. Cæpio.
Cens. C. Claudius. Ap.F.P.N. Pulcher. Ti. Sempronius. P.F. Ti.N. Gracchus. L.F. LII.
L. Aimilius. L.F.M.N. Paullus. II. C. Licinius. C.F.P.N. Crassus.
Q. Ailius. P.F.Q.N. Pætus. M. Iunius. M.F.M.N. Pennus.
L. Aimilius. L.F.M.N. Paullus II. Pro. Cos. Ex Macedon. Et Rege Perse.
Per Triduum. IIII. III. Pridie K. Decemb. A. DXXCVI.
*Cn. O*ctauius. Cn.F.Cn.N. Pro. Pr. *Ex* Macedon. Et Rege Perse Naual. Egit. An. DXXCVI. K. Dec.
*L. Ani*cius. L.F.M.N. Gallus. Pro. Pr. De Rege *Gen*tio. Et Illurieis. A. DXXCVI. Quirinalibus
C. Sulpicius. C.F.C.N. Gallus. M. Claudius. M.F.M.N. Marcellus.
*M. Cl*audius. M.F.M.N. Marcellus. Cos. De *G*alleis. Contrubeis. Et
Liguribus = = = tibusque. An. DXXCVII. = = Interk.
*C. Sulpici*us. C.F.C.N. *Gallus*. Cos. *De Ligur*ibus Ta = = rneis. An. DXXCVII. X. K. Mart.
T. Manlius. A.F.T.N. Torquatus. Cn. Octauius. Cn.F. Cn.N.
A. Manlius. A.F.T.N. Torquatus. Q. Cassius. L.F.Q.N. Longinus. In M.M.E.
Cens. L. Aimilius. L.F.M.N. Paullus. Q. Marcius. L.F.Q.N. Philippus. L.F. LIII.
DXC. Ti. Sempronius. P.F. Ti.N. Gracchus. II. M'. Iuuentius. T.F.T.N. Thalna.
P. Cornelius. P.F. Cn.N. Scipio Nasica. C. Marcius. C.F.Q.N. Figulus.
Vitio Facti Abdicarunt. In Eorum Loc. Facti Sunt.
P. Cornelius. L.F.L.N. Lentulus. Cn. Domitius. Cn.F.L.N. Ahenobarbus.
M. Valerius. M.F.M.N. Messalla. C. Fannius. C.F.C.N. Strabo.
L. Anicius. L.F.L.N. Gallus. M. Cornelius. C.F.C.N. Cethegus.
Cn. Cornelius. Cn.F. Cn.N. Dolabell. M. Fuluius. M.F.M.N. Nobilior.
Cens. P. Cornelius. P.F. Cn.N. Scipio Nasica. M. Popillius. P.F.P.N. Lænas. L.F. LIIII.
M. Aimilius. M'.F.M'.N. Lepidus. C. Popillius. P.F.P.N. Lænas. II.
M. Fuluius. M.F.M.N. Nobilior. Pro. Cos. *De Liguri*bus. Et *V*eleatibus. A. DXCV. XII. K. Sept.
Sex. Iulius. Sex. F.L.N. Cæsar. L. Aurelius. L.F.L.N. Orestes.
L. Cornelius. Cn.F.L.N. Lentul. Lupus. C. Marcius. C.F.Q.N. Figulus. II.
P. Cornelius. P.F.Cn.N. Scipio Nasic. II. M. Claudius. M.F.M.N. Marcell. II.
*M. Claudius. M.F.*M.N. Marcellus. II. Cos. II. *De* = = = = us. Et = = = = = An. DXCVIII. = = =
P. Cornelius. P.F. *Cn.N.* *Scipio.* *Nasica* *Cos.* *De Dalmateis.* *An. DXCVIII.* = = = =
Q. Opimius. Q.F.Q. Nepos. L. Postumius. Sp.F.L.N. Albin. In M.M.E. In ... L.F.E.
M'. Acilius. M'.F.C.N. Glabrio.
Cens. M. Valerius. M.F.M.N. Messalla. C. Cassius. C.F.C.N. Longinus. Lustr. ..LV.
Q. Opimius. Q.F.Q.N. *Cos.* *De* *Liguribus.* *An.* *DXCIX.* = =
DC. *Q. Fuluius. M.F.M.N.* Nobilior. Ti. Annius. T.F. *Luscus.*
L. Mummius. *Pr.* *De* *Lusitaneis.* *An.* *DC.* = = = = =
M. Claudius. M.F.M.N. Marcel. III. L. Valerius L.F.P.N. *Flaccus. In Ma*g. M.E.
L. Licinius. = = = N. Lucullus. A. Postumius. A.F.A.N. *Albinus.*
M. Claudius. M.F.M.N. *Marcellus. III.* *Pro.* *Cos.* *De Celtibereis.* *An.* *DCII.* = =
T. Quinctius. T.F.T.N. Flaminin. M'. Acilius. L.F.K.N. Balbus.

BELLVM PVNICVM TERTIVM.

L. Marcius. C.F. = .N. Censorinus. M'. Manilius. P.F.P.N.
Sp. Postumius. Sp.F.A.N. *A*lbinus. Magn. L. Calpurnius. C.F.C.N. *Piso Cae*sonin.
P. Cornelius. P.F.P.N. *Scipio* African. Aimil. C. Liuius. M. Aim*iliani F. M. N.* *Dr*usus.
Cens. L. Cornelius. Cn.F.L.N. Lentulus Lupus. L. Marcius. C.F.C.N. *Censorin.* L.F. LVI.
Cn. Corne-

Cn.Cornelius. Lentulus. L.Mummius.L.F.L.N.
Q.Caecilius.Q.F.L.N. Metellus.Pro.Pr. Ex Macedonia. De Andrisco. An. DCVII. ===
P.Cornelius.P.F.P.N. Scipio African. Aimil. Pro. Cos. De Poeneis. Et Asdrubale. Ex Africa. An. DCVII. ====
Q. Fabius. Q.F.Q.N. Maxim.Aimilian. L.Hostilius. A.F.L.N. Mancinus.
L.Mummius. II. Pro. Cos. De Achaeis. Et Corinthiis. An. DCVIII. ===
Ser.Sulpicius.Ser.F.P.N. Galba. L.Aurelius. N. Cotta.
DCX. Ap.Claudius. Ap.F.Ap.N. Pulcher. Q.Caecilius. Q.F.* L.N. Metell. Macedon.
Ap.Claudius. Ap.F.Ap.N. Pulcher. Cos. De Salasseis Ex Alpibus. An. DCX. ===
L.Caecilius.Q.F.L.N. Metellus.Caluus. Q.Fabius.Q.F.Q.N. Maxim. Seruilian.
Cens.P.Cornelius.P.F.P.N.Scipio African.Aemilian. L. Mummius. Achaicus.L.F.LVII.
Cn.Seruilius.Cn.F.Cn.N. Caepio. Q.Pompeius.A.F.
C.Laelius.C.F.C.N. Sapiens. Q.Seruilius.Cn.F.Cn.N. Caepio.
Cn.Calpurnius. Piso. M.Popillius.M.F.P.N. Laenas.
P.Cornelius.P.F.P.N. Scipio Nasica Serapio. D.Iunius.M.F.M.N. Brutus.
Qui Postea Callaicus Appellat. Est.
M.Aimilius.M.F.M.N. Lepidus Porcina. C.Hostilius. Mancinus.
P.Furius. = Philus. Sex.Atilius. Serranus.
Cens. Ap. Claudius. Ap.F. Ap.N. Pulcher. Q.Fuluius.M.F.M.N. Nobilior.L.F.LVIII.
Ser.Fuluius Flaccus. C.Calpurnius. Piso.
M.Perperna. Pr. Ouans De Serueis Fugitiueis Ex Sicilia. An.DCXVIII. ||||
Ser. Fuluius Flaccus Cos. De Vardaeis. Ex Illurico. An.DCXVIII. ===
P.Cornelius.P.F.P.N. Scipio African.Aimil. II. C.Fuluius. Flaccus.
DCXX. P.Mucius.P.F.Q.N. Scaeuula. L.Calpurnius. Piso Frugi.
P.Popillius.C.F.P.N. Laenas. P.Rupilius.P.F.P.N.
D.Iunius.M.F.M.N. Brutus. Pro. Cos. De Lusitaneis. Et Galleceis. Ex Hispania Vlteriore. An. DCXXI. ====
P.Cornelius. P.F.P.N. Scipio Afric. Aimilian. II. Pro. Cos. De Numantineis. Ex Hispania Citeriore. An. DCXXI. ====
P.Licinius.P.F.P.N. Crassus.Mucianus. L.Valerius. L.F.L.N. Flaccus.Flam.Mart.
Cens.Q.Caecilius.Q.F.L.N.Metellus Macedon. Q.Pompeius.A.F. L.F.LIX.
Ambo Primi E Plebe.
P.Rupilius.P.F.P.N. Pro Cos. Ouans De Serueis Fugitiueis Ex Sicilia. An. DCXXII. ===
M.Perperna. C. Claudius.C.F.Ap.N. Pulcher.Lentulus.
C.Sempronius.C.F.C.N. Tuditanus. M'. Aquillius.M'.F. M'.N.
C. Sempronius. C.F.C.N. Tuditan. Cos. De Iapudibus. An. DCXXIV. K. Oct.
Cn.Octauius.Cn.F.Cn.N. T.Annius.T.F.T.N. Rufus.
L.Cassius. Q.F.L.N. Longinus.Rauilla. L.Cornelius.L.F. Cinna.
M.Aimilius Lepidus. L. Aurelius.L.F.L.N. Orestes.
M'. Aquillius.M'.F.M'.N. Pro. Cos. Ex Asia. Ann.DCXXVII. III. Idus.Nouembr.
Cens.Q.Fabius.Q.F.Q.N.Max.Seruilian. L.Caecilius.Q.F.L.N. Metellus. Caluus.

BELLVM ALLOBROGICVM.

M.Plautius. Hypsaeus. M.Fuluius.M.F.Q.N. Flaccus.
Cens. Cn.Seruilius.Cn.F.Cn.N. Caepio. L.Cassius.Q.F.L.N. Longinus.Rauilla.L.F.LX.
C.Cassius.C.F.C.N. Longinus. C.Sextius. Caluinus.
CDXXX. Q.Caecilius.Q.F.Q.N. Metell.Balear. T.Quinctius.T.F.T.N. Flamininus.
M.Fuluius.M.F.Q.N.Flaccus.Pro. Cos.De Liguribus Vocontieis.Et Saluieis.An.DCXXX. ===
Cn.Domitius.Cn.F.Cn.N. Ahenobarbus. C.Fannius.C.F.C. Nepos.
C. Sextius Caluinus. Pro. Cos. De Saluieis. An. DCXXXI. ===
Q.Fabius.Q.F.Q.N. Maxim. Qui Postea Allobrogicus Appellat. Est. L.Opimius.
Q.Caecilius.Q.F.Q.N.Metell.Balearicus.Pro.Cos. De Balearibus. A. DCXXXII. ===
Cn.Domitius.Cn.F.L.N.Ahenobarbus.Pro Cos.De Allobrogib. Et Aruerneis.An. DCXXXII. ===
P.Manilius. C.Papirius. Carbo.
Q.Fabius.Q.F.Q.N. Maxim.Allobrog. Pro. Cos. De Allobrogibus. Ruteneis. Aruerneis. Et Rege Bituito. An. DCXXXIII. ====
Cens.L.Calpurnius. Piso Frugi. Q.Caecilius.Q.F.Q.N.Metell.Balearic.L.F.LXI.
L.Caecilius.L.F.Q.N. Metellus.Caluus. L.Aurelius. Cotta.
M.Porcius.M.F.M.N. Cato. In M. M. Est. Q.Marcius. Rex.
L.Caecilius.Q.F.Q.N. Metell. Qui In Hoc Honore Dalmatic. Appell. Est. Q.Mucius.Q.F.Q.N. Scaeuula.
Q.Marcius. Rex. Pro Cos. De Galleis. An. DCXXXVI. ===
C.Licinius. Geta. Q.Fabius. Maximus.Eburnus.
L.Caecilius.Q.F.Q.N. Metell. Dalmatic. Cos. De Dalmateis. An. DCXXXVII. ===

M. Aimilius. Scaurus. M. Caecilius. Q.F.Q.N. Metellus.
Cens. L. Caecilius. L.F. Q.N. Metell. Caluu. Cn. Domitius. Cn.F.Cn.N. Ahenobarb. L.F.LXII.
M. Aimilius Scaurus. Cos. De Liguribus. A. DCXXXVIII. = = =
M'. Acilius. M'. F.L.N. Balbus. C. Porcius. M.F.M.N. Cato.

BELLVM CIMBRICVM.

DCXI. C. Caecilius. Q.F.Q.N. Metell. Caprarius. Cn. Papirius. C.F. Carbo.
M. Caecilius. Q.F.Q.N. Metellus. Pro. Cos. De Sardeis. An. DCXL. = = = =
T. Didius. T.F. Sex. N. Pro. Pr. Ex Thracia De Scordisceis. An. DCXL. = = = =
C. Caecilius. Q.F.Q.N. Metellus. Caprar. Cos. Ex Thracia. An. DCXL. = = = =
M. Liuius. C.F.M.N. Drusus. L. Calpurnius. L.F. Piso Caesoninus.

BELLVM IVGVRTHINVM.

P. Cornelius. P.F.P.N. Scipio Nasica. In M. M.E. L. Calpurnius. Bestia.
M. Liuius. C.F.M.N. Drusus. Pro. Cos. De Scordisceis Ex Macedonia. Ann. DCXLII. = = =
M. Minucius. Q.F. Rufus. Sp. Postumius. Sp.F.Sp.N. Albinus.
Q. Caecilius. L.F. Q.N. Metellus. Qui M. Iunius. Silanus.
Postea Numidicus Appell. Est.
Cens. M. Aimilius. Scaurus. Abdic. M. Liuius. C.F.M.N. Drusus. In Mag. M.E.
M. Minucius. Q.F. Rufus. Pro. Cos. De Scordisceis. Et Triballeis. An. DCXLIV. = = =
Ser. Sulpicius. Ser.F. Ser.N. Galba. = = = = = Damn. Est. In E.L.F.E.
M. Aurelius. Scaurus.
Cens. Q. Fabius. Q.F.Q.N. Max. Allobrog. C. Licinius. Geta. L.F.LXIII.
Q. Seruilius. Q.F. Cn.N. Caepio. Pro. Pr. De Lusitaneis Ex Hispania Vlteriore. A. DCXLV. = = =
L. Cassius. L.F. Longinus. In M. Occis. Est. C. Marius. C.F.
Q. Caecilius. L.F.Q.N. Metellus. Numidic. Pro. Cos. De Numideis. Et Rege Iugurtha Ann. DCXLVI. = = = = =
C. Atilius. Serranus. Q. Seruilius. Q.F.Cn.N. Caepio.
P. Rutilius. M.F. Rufus. Cn. Mallius.
C. Marius. C.F. II. C. Flauius. Fimbria.
C. Marius. C.F. Cos. II. De Numideis. Et Rege Iugurtha. An. DCXLIX. K. Ian.
DCL. C. Marius. C.F. III. L. Aurelius. L.F.L.N. Orestes. In M. M.E.
C. Marius. C.F. IIII. Q. Lutatius. Q.F. Catulus.
M. Antonius. Pro. Pr. De Pirateis. Ex Cilicia. An. DCLI. = = =
Cens. Q. Caecilius. L.F.Q.N. Metell. Numidic. C. Caecilius. Q.F. Q.N. Metellus Caprarius. L.F. LXIIII.
C. Marius. C.F. V. M'. Aquillius. M'. F. M'. N.
C. Marius. C.F. II. Cos. V. De Ambronib. Teutoneis. Et Cimbreis. Ann. DCLII. = = =
Q. Lutatius. Q.F. Catulus Pro. Cos. De Cimbreis. Ann. DCLII. = = =
C. Marius. C.F. VI. L. Valerius. Flaccus.
= = = = Pro Cos. De Lusitanis Ex Vlteriore Hispania. An. DCLII. = =
M. Antonius. A. Postumius. A.F.A.N. Albinus.
M'. Aquillius. M'. F. M'. N. Pro. Cos. Ouans De Seruis Ex Sicilia. A. DCLIIII. = = = =
Q. Caecilius. Q.F.Q.N. Metellus Nepos. T. Didius. T.F. Sex. N.
L. Cornelius. L.F. L.N. Dolabell. Pro. Cos. Ex Hispania Vlterior. De Lusitan. DCLV. V. K. Feb.
Cn. Cornelius. = = =. N. Lentulus. P. Licinius. M.F.P.N. Crassus.
Cens. L. Valerius. = = =. N. Flaccus. M. Antonius. L.F.LXV.
Cn. Domitius. Cn. F. Cn. N. Ahenobarb. C. Cassius. L.F. Longinus.
L. Licinius. L.F. Crassus. Q. Mucius. P.F.P.N. Scaeuola.
C. Coelius. Caldus. L. Domitius. Cn.F.Cn.N. Ahenobarbus.
DCLX. C. Valerius. = = =. N. Flaccus. M. Herennius.
T. Didius. T.F. Sex. N. II. Pro. Cos. Ex Hispania De Celtibereis. An. DCLX. IIII. Id. Iun.
P. Licinius. M.F.P.N. Crassus. Pro. Cos. De Lusitaneis. An. DCLX. Pridie. Idu. Iun.
C. Claudius. C.F.C.N. Pulcher. M. Perperna. M.F.
Cens. Cn. Domitius. Cn.F. Cn.N. Ahenobarb. L. Licinius. L.F. Crassus.
L. Marcius. Q.F.Q.N. Philippus. Sex. Iulius. C.F. Sex.N. Caesar.

BELLVM MARSICVM.

L. Iulius. L.F. Sex. N. Caesar. P. Rutilius. L.F.L.N. Lupus. In Proel. Occis. E.
Cn. Pompeius. Sex. F. Cn.N. Strabo. L. Porcius. M.F.M.N. Cato. In Pr. Occis. E.
Cn. Pompeius. Sex. F. Cn.N. Strabo. Cos. De Asculaneis. Picentibus. An. DCLXIV. VI. K. Ian.
Cens. P. Licinius. M.F. P.N. Crassus. L. Iulius. L.F. Sex.N. Caesar.
L. Cornelius. L.F.P.N. Sulla. Qui Postea. Q. Pompeius. Q.F. Rufus.
Felix Appellatus. Est. In Mag. Occisus. Est.
=. Seruilius. C.F.M.N. Vatia. Pro. Pr. De = = = = An. DCLXV. XII. K. Nouem.

Cn. Octa-

Cn. Octauius. Cn. F. Cn. N. In Mag. Occ. E. L. Cornelius. L. F. L. N. Cinna. Ex. S. C. Mag. Et Abrogat. E. In Eius Locum Fact. Est.
L. Cornelius. Merula. Flam. Dial. In Mag. Occisus Est.
L. Cornelius. L. F. L. N. Cinna. II. C. Marius. C. F. C. N. VII. In. M. M. E. In E. L. F. E.
L. Valerius. Flaccus. II.
Cens. L. Marcius. Q. F. Q. N. Philippus. M. Perperna. M. F. L. F. L. XVI.
L. Cornelius. L. F. L. N. Cinna. III. Cn. Papirius. Cn. F. C. N.
Cn. Papirius. Cn. F. C. N. Carbo. II. Solus. L. Cornelius. L. F. L. N. Cinna. IIII.
Consulatum. Gessit. In Mag. Occisus Est.
DCLXX. L. Cornelius. L. F. L. N. Scipio Asiaticus. C. Norbanus.
C. Marius. C. F. C. N. In Mag. Occis. Est. Cn. Papirius. Cn. F. C. N. Carbo. III. In M. Occis. E.
L. Cornelius. L. F. P. N. Sulla Felix. Dict. Reip. Constituendae Caussa.
L. Valerius. L. F. L. N. Flaccus. Mag. eq.
M. Tullius. M. F. A. N. Decula. Cn. Cornelius. Dolabella.
L. Cornelius. L. F. L. N. Sulla Felix. Dict. De Rege Mithridate Ex Graecia. Et Asia Per Biduum. A. DCLXXII. III. K. Febr.
Cn. Pompeius. Cn. F. Sex. N. Magnus. Pro. Pr. Ex Africa De Hiarba Rege Primus Eques Ro. An. DCLXXII.
L. Cornelius. L. F. P. N. Sulla Felix. II. Q. Caecilius. Q. F. L. N. Metellus Pius.
L. Licinius. Murena Pro Pr. Ex Ponto De Mithridate Rege. An. DCLXXIII.
P. Seruilius. C. F. M. N. Vatia. Qui Postea Isauricus. Appellatus. Est. Ap. Claudius. C. F. C. N. Pulcher.
M. Aimilius. Q. F. M. N. Lepidus. Q. Lutatius. Q. F. Q. N. Catulus.
D. Iunius. D. F. M. N. Brutus. Mam. Aimilius. Mam. F. Lepid. Liuianus.
Cn. Cornelius Dolabella. Pro. Cos. Ex Macedonia. An. DCLXXVI. = = =
Cn. Octauius. M. F. Cn. N. C. Scribonius. C. F. Curio.
L. Octauius. Cn. F. Cn. N. C. Aurelius. M. F. Cotta.
L. Licinius. L. F. L. N. Lucullus. M. Aurelius. M. F. Cotta.
P. Seruilius. C. F. M. N. Vatia Isauricus. Pro Cos. De Isaureis. Ex Cilicia. An. DCLXXIX. = =
DCXXC. M. Terentius. M. F. Varr. Lucull. C. Cassius. L. F. Varus.
L. Gellius. L. F. Cn. Cornelius. Cn. F. Lentulus. Clodianus.
C. Scribonius. C. F. Curio. Pro. Cos. De Dardaneis Ex Macedonia. An. DCXXCI. = = =
Cn. Aufidius. Orestes. P. Cornelius. = = P. N. Lentulus Sura.
M. Terentius. M. F. Varro. Lucullus. Pro. Cos. De Besseis. Ex Macedonia. An. DCXXCII. = = =
M. Licinius. P. F. M. N. Crassus. Pro. Pr. Ouans De Fugitiuis. Et Spartaco. A. DCXXCII. = = =
Q. Caecilius. Q. F. Q. N. Metellus Pius. Pro. Cos. Ex Hispania. A. DCXXCII. III. K. Ian.
Cn. Pompeius. Cn. F. Sex. N. Magnus. II. Pro. Cos. Ex Hispania Adhuc Eques Ro. An. DCXXCII. Prid. K. Ian.
Cn. Pompeius. Cn. F. Sex. N. Magnus. M. Licinius. P. F. M. N. Crassus. Diues.
Cens. Cn. Cornelius. Cn. F. Lentulus. Clodianus. L. Gellius. L. F. L. F. L. XVII.
Q. Hortensius. L. F. Q. Caecilius. L. F. Q. N. Metellus. Qui Postea. Creticus. Appell. Est.
M. Puppius. M. F. Piso. Pro. Cos. Ex Hispania. An. DCXXCIII. = =
L. Caecilius. L. F. Q. N. Metellus. In M. M. E. Antequam Mag. Iniret. Q. Marcius. Q. F. Rex. Solus. Consulatum Gessit.
In E. L. F. E. = = = = = = = In Mag. Mort. Est.
C. Calpurnius. Piso. M'. Acilius. M'. F. Glabrio.
M'. Aimilius. Lepidus. L. Volcatius. Tullus.
P. Cornelius. Ser. F. P. N. Sulla. P. Autronius. Paetus.
Hi Anteq. Inirent. Damnati Sunt. In Eorum Locum Facti Sunt.
L. Aurelius. M. F. Cotta. L. Manlius. L. F. Torquatus.
Cens. Q. Lutatius. Q. F. Q. N. Catulus. M. Licinius. P. F. M. N. Crassus. Abdicarunt.
L. Iulius. L. F. L. N. Caesar. C. Marcius. C. F. Figulus.
Cens. L. Aurelius. M. F. Cotta. P. Seruilius. C. F. M. N. Vatia. Isauricus.
DCXC. M. Tullius. M. F. M. N. Cicero. C. Antonius. M. F.
L. Licinius. L. F. L. N. Lucullus. Pro. Cos. De Ponto. Cappadocia. Armenia. Et Regib. Mithridate. Et Tigrane. An. DCXC. = = = =
D. Iunius. M. F. Silanus. L. Licinius. L. F. Murena.
Q. Caecilius. L. F. Q. N. Metellus Creticus. Pro. Cos. Ex Creta Insula. A. DCXCI. K. Iun.
M. Pupius. M. F. Piso. M. Valerius. M. F. Messalla. Niger.
Cens. L. F. L. XVIII.
Cn. Pompeius. Cn. F. Sex. N. Magnus. III. Pro. Cos. Ex Asia. Ponto. Paphlagonia. Cappadocia. Cilicia. Syria. Armenia. Pirateis. Iberia. Creta. De Regib. Mithridate. Et Tigrane. Per Biduum. III. Prid. K. Octo. An. DCXCII.

L. Afranius. A.F. Q. Caecilius. Q.F. Metellus Celer.
C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. M. Calpurnius. Bibulus.
L. Calpurnius. L.F.L.N. Piso Caesonin. A. Gabinius. A.F.
P. Cornelius. P.F. Lentulus Spinther. Q. Caecilius. Q.F. Q.N. Metellus Nepos.
Cn. Cornelius. P.F. =. N. Lentulus Marcellin. L. Marcius. L.F. Q.N. Philippus.
Cn. Pompeius. Cn.F. Sex.N. Magnus. II. M. Licinius. P.F.M.N. Crassus. II.
Cens. M. Valerius. M.F. Messalla. Niger. = = = = = = =
L. Domitius. Cn.F. Cn.N. Ahenobarbus. Ap. Claudius. Ap.F.C.N. Pulcher.
C. Pontinius. Pro. Cos. De Allobrogibus. An. DCXCIX.
DCC. Cn. Domitius. M.F.M.N. Caluinus. M. Valerius. Messalla.
Cn. Pompeius. Cn.F. Sex.N. Magnus. III. Q. Caecilius. Q.F. Q.N. Metellus Pius Scipio.
Sine Conlega. Primus. Ex A. D. K. Sextil.
Ser. Sulpicius. Q.F. Rufus. M. Claudius. M.F.M.N. Marcellus.
P. Cornelius. P.F. Lentulus Spinther. Pro. Cos. Ex Cilicia. An. DCCII. ==

L. Aimilius. M.F. Paullus. C. Claudius. C.F.M.N. Marcellus.
Cens. Ap. Claudius. Ap.F.C.N. Pulcher. L. Calpurnius. L.F.L.N. Piso Caesonin. L.F. LXIX.
C. Claudius. M.F.M.N. Marcellus. L. Cornelius. P.F. Lentulus.
Eodem Anno.
C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. Dict. Sine Mag. eq. Comit. Hab. Caussa.

C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. II. P. Seruilius. P.F. C.N. Vatia Isauricus.

C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. II. Dict. R.P.C. Et R. Ger. C.
M. Antonius. M.F.M.N. Mag. eq.
Eodem Anno.
Q. Fusius. Q.F.C.N. Calenus. P. Vatinius. P.F.
M. Aimilius. M.F.Q.N. Lepidus. Pro. Pr. Ex Hispania. An. DCCVI. ===

C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. III. M. Aimilius. M.F.Q.N. Lepidus.
C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. Cos. III. De Galleis. An. DCCVII. ===
C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. II. Cos. III. Ex Ponto De Pharnace Rege. An. DCCVII. ===
C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. III. Cos. III. Ex Aegypto. An. DCCVII. ===
C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. IIII. Cos. III. Ex Africa De Iuba Rege. An. DCCVII. ===

C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. III. Dict. R.P.C. Et R.G.C.
M. Aimilius. M.F.Q.N. Lepidus. Mag. eq.
Eodem Anno.
C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. IIII. Sine Conlega.
Eodem Anno.
Q. Fabius. Q.F.Q.N. Maximus. In Mag. C. Trebonius. C.F.
Mortuus Est. In Eius Locum Fact. Est.
C. Caninius. C.F.C.N. Rebilus.
C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. V. Cos. IIII. Ex Hispania. An. DCCVIII. = Octob.
Q. Fabius. Q.F.Q.N. Maximus. Cos. Ex Hispania. An. DCCVIII. III. Idus. Oct.
Q. Pedius. M.F. Pro. Cos. Ex Hispania. An. DCCVIII. Idib. Dec.

C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. IIII. Dict. R.P.C. Et R.G.C.
M. Aimilius. M.F.Q.N. Lepidus. II. Mag. eq.
C. Octauius. C.F.C.N. Mag. eq.
Vt Qum. M. Aimilius Lepidus. Paludatus. Exisset. Iniret.
Cn. Domitius. M.F.M.N. Caluinus.
In Insequentem Annum Designatus.
Erat. Non. Iniit.
C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. V. M. Antonius. M.F.M.N.
P. Cornelius. P.F. Dolabella.
C. Iulius. C.F.C.N. Caesar. VI. Dict. IIII. Ouans Ex Monte Albano. An. DCCIX. VII. K. [illegible]br.

DCCX. C. Vibius. C.F.C.N. Pansa. A. Hirtius. A.F.
In Mag. Occis. E. In E. Loc. Fact. Est. In Mag. Occis. E. In E. Loc. Fact. Est.
C. Iulius. C.F. C.N. Caesar. Qui Q. Pedius. M.F. In Mag. Mort. Est.
Postea Imperator Caesar Augustus Appell. In Eius Locum Factus Est.
Est. Abd. In Eius Locum Fact. Est.
C. Carrinas. C.F. P. Ventidius. P.F. Qui idem Praetor Erat.
M. Aimilius. M.F.Q.N. Lepidus.
M. Antonius. M.F.M.N. } III. VIRI. R.P.C. Ex. A.D.V.K. Dec. AD. PR.K. Ian. Sex.
Imp. Caesar C.F.C.N.
L. Munatius. L.F.L.N. Plancus. Pro. Cos. Ex Gallia. An. DCCX. IIII. K. Ian.
M. Aimilius. M.F.Q.N. Lepidus. II. III. Vir. R.P.C. Pro. Cos. Ex Hispania. Pridie. K. Ian.
L. Muna-

L. Munatius. L.F.L.N. *Plancus.* *A.Postumius* *Albinus. Brutus.*
Anteq. Iniret. Damn In. E. Loc. Fact. E.
M. Aimilius. M.F. Q.N. *Lepidus.* II.
Cens. L. Antonius. M.F.M.N.P. *Sulpicius.* *P. F. Quirinus.* *Lustr. Non Fecer.*
P.Vatinius P. F. Pro. Cos. De Illurico Pr*idie* = =
P. Seruilius. P.F.C.N. *Vatia. Isauric.* II. *L. Antonius. M.F.M.N.*
L. Antonius. M. F. M.N. Cos. Ex Alpibus. K. Ian.
Cn. Domitius. M.F.M.N. *Caluinus.* II. *C. Asinius. Cn. F.* *Pollio.*
Abdicauit. In Eius. Loc. Fac. Est. *Abdicauit. In Eius Loc. Fact. Est.*
L. Cornelius. P. F. *Balbus.* *P. Canidius. P.F.* *Crassus.*
Imp. Caesar. Diui. F. C. N. III. Vir. R.P.C. Ou*ans*. Quod Pacem Cum M. Antonio Fecit.
M. Antonius. M. F. M. N. III. Vir. R.P. C. Oua*ns*. Quod Pacem Cum Imp. Caesare Fecit.
L. Marcius. L.F.C.N. *Censorius.* *C. Caluisius. C.F.* *Sabinus.*
L. Marcius. L. F. C. N. Censorinus. Cos. Ex Macedonia. An. *DCCXIIII.* K. Ian.
C. Asinius. Cn. F. Pollio. Pro. Cos. Ex Parthineis. An. D C C XIV. VII. K. Nouem.
Ap. Claudius. C.F. *Pulcher.* *C. Norbanus. C.F.* *Flaccus.*
P. Ventidius. P.F. Pro. Cos. Ex Tauro Monte. Et Partheis. An. D C C X v. V. K. Decem.

M. Aimilius. M.F. Q.N. *Lepidus.*
M. Antonius. M.F. *M.N.*
Imp. Caesar Diui. *F. C.N.*
} *IIIVIRI. R. P. C.* II. * *Ad Prid. K. Quinct.*
M. Agrippa. L.F. *L. Caninius. L.F.* *Gallus.*
Abdicauit. In Eius Loc. Fact. Est.
T. Statilius. T.F. *Taurus.*
L. *Gellius.* L.F.L.N. *Poplicola.* *M. Cocceius. M.F.* *Nerua.*
Abdicauit. In Eius Loc. Fact. Est. *Abdicauit. In Eius Loc. Fact. Est.*
L. Munatius. L.F.L.N. *Plancus.* *P. Sulpicius. P.F.* *Quirinus.*
Eodem Anno.
M. Aimilius. M.F.Q.N. Lepidus. IIIVir. R.P.C. II. *Coactus A Conlega.*
Imp. Caesare Diui F. Abdicauit.
Cn Domitius. M.F.M.N. Caluinus. Pro. Cos. Ex Hispania. An. D C C X V II. * X V I I. K. Sextil.
Imp. Caesar. Diui. F. C. N. II. III Vir. R. P. C. II. Ouans. Ex Sicilia. A. D C C X V II. Idib. Nouembr.
L. Cornificius. L. F. *Sex. Pompeius. Sex. F.*
L. Scribonius. L.F. *Libo.* *M. Antonius. M.F.M.N.* II. *K. Ian.*
Abdic. In Eius Loc. Fact. Est. *Abdic. In Eius Loc. Fact. Est.*
= = = = = = = = = = *L. Sempronius. L.F.L.N.* *Atratinus.*
Ex K. Iulis. *Paullus Aimilius. L.F.M.N.* *Lepidus.*
C. Memmius.
Ex K. Nou. *C. Herennius.*
T. Statilius. T. F. Taurus. Pro. Cos. Ex Africa. A. D C C XIX. Pridie K. Iul.
C. Sosius. C.F.T.N. Pro. Cos. Ex Iudaea. An. D C C XIX. III. Nonas Septembr.
C. Norbanus. C. F. Flaccus. Pro. Cos. Ex Hispania. An. D C C XIX. * III. Id. Octob.
DCCXX. *Imp. Caesar. Diui. F.C.N.* II. *K. Ian.* *Sex. Pompeius. Cn.F.Cn.N.* *Magnus.*
Abdic. In Eius Loc. F. E. *Anteq. Iniret. Occis. E. In E. L. F. E.*
L. Autronius. L.F. *Crassus.* *L. Volcatius. L. F.* *Tullus.*
Ex K. Mais. *L. Flauius.*
Ex K. Iulis. *M. Atilius.*
C. Fonteius.
Ex K. Sept. *L. Vinucius.*
Ex K. Oct. *L. Laenonius.*
Cn. Domitius. Cn.F.Cn.N. *Ahenobarbus.* *C. Sosius. C.F.T.N.*
Ex K. Iulis. *Paullus Aimilius. M.F. Q.N.* *Lepidus.*
L. Cornelius.
Ex K. Nou. *N. Valerius. M.F.M.N.* *Messalla.*
Imp. Caesar Diui. F.C.N. III. *M. Antonius. M.F.M.N.* III.
Anteq. Iniret. Hostis Iud. In E. L. F. E.
M. Valerius. M.F.M.N. *Messalla Coruin.*
Ex K. Mais. *M. Titius. M.F.* *Rufus.*

EODEM ANNO.

IMP. CAESAR DIVI F. C.N. EX A.D. IIII. NON. SEPT. VICTO AD ACTIVM M. ANTONIO IIIVIRO R.P.C. II. *SOLVS REMP. TENVIT.*

Ex. K. Oct. *Cn. Pompeius.*
Imp. Caesar Diui F.C.N. IIII. *M. Licinius. M.F.M.N.* *Crassus.*
Ex K. Iulis. *C. Antistius.* *Vetus.*
Ex Id. Sept. *M. Tullius. M.F.M.N.* *Cicero.*
Ex K. Nou. *L. Saenius.* *Rufus.*

Imp. Caesar. Diui F. C. N. V. Sex. Appuleius. Sex. F. Sex. N.
Ex K. Iulis. Potitus Valerius. M. F. M. N. Messalla.
Ex K. Nou. C. Furnius.
C. Cluuius.
Imp. Caesar. Diui. F. C. N. III. Cos. V. De Pannonieis. A. DCCXXIIII.
Dalmateis. Iapudibus. Et Gallis. VIII. Id. Sext.
C. Carrinas. C. F. Pro. Cos. De Morineis. Galleis. Et Sueueis. A. DCCXXIIII. VIII. Id. Sext.
Imp. Caesar Diui. F. C. N. IIII. Cos. V. Ex Macedonia. A. DCCXXIIII. VII Id. Sext.
Imp. Caesar Diui. F. C. N. V. Cos. V. Ex Aegypto. An. DCCXXIV. VI. Id. Sextil.
L. Autronius. P. F. Crassus. Pro. Cos. Ex Africa. An. DCCXXIIII. XVII. K. Septembr.
Imp Caesar Diui. F. C. N. Augustus. M. Agrippa. L. F. Lustrum Fecerunt. LXX.
Imp. Caesar Diui. F. C. N. VI. M. Agrippa. L. F. II.
M. Licinius. M. F. M. N. Crassus. Pro. Cos. Ex Traecia, Et Getheis. A. DCCXXV.* Non. Iul.
Imp. Caesar Diui. F. C. N. Qui VII. M. Agrippa. L. F.
In Hoc Honore Augustus Appell. Est.
M. Valerius. M. F. M. N. Messalla Coruinus. Pro. Cos. Ex Gallia. A. DCCXXVI. VII. K. Oct.
Imp. Caesar Diui F. C. N. Augustus. VIII. T. Statilius. T. F. Taurus. II.
Sex. Appuleius Sex. F. Sex. N. Pro. Cos. Ex Hispania. A. DCCXXVII. VII. K. Febr.
Imp. Caesar Diui F. C. N. Augustus. VIIII. M. Iunius. D. F. M. N. Silanus.
Imp. Caesar Diui. F. C. N. Augustus. X. C. Norbanus. C. F. C. N. Flaccus.
DCCXXX. Imp. Caesar Diui F. C. N. Augustus. XI. A. Terentius. Varro Murena.
Abd. In Eius Loc. Fact. Est. In Mag. Mort. Est. in E. L. F. E.
L. Sestius. P. F. Vibi. N. Cn. Calpurnius. Cn. F. Cn. N. Piso.
Imp. Caesar Diui F. August. Postq. Dictator Appellatus E. Abdicauit Tribunic. Pot.
M. Claudius. M. F. M. N. Marcell. Aesernin. L. Arruntius. L. F. L. N.
Imp. Caesar Diui. F. Augustus Tribunic. Potestatis.
Censor. L. Munatius. L. F. L. N. Plancus. Paullus Aemilius. L. F. M. N. Lepid. Lust. Non. Fec.

Imp. Caesar Diui. F. Augustus. Tribunic. Potest. II.
Imp. Caesar Diui. F. Augustus. XII. In
Inseq. Ann. Des. Erat. Non. Iniit. In E. L. F. E.
Q. Aemilius. M. F. Lepidus. M. Lollius. M. F.
L. Sempronius. L. F. L. N. Atratinus. Pro. Cos. Ex Africa. A. DCCXXII. IIII. Idus Octob.

Imp. Caesar Diui. F. Augustus. Tribunic. Potest. III.
M. Appuleius. Sex. F. Sex. N. P. Silius. P. F. Nerua.

Imp. Caesar Diui. F. Augustus. Tribunic. Potest. IIII.
Imp. Caesar Diui. F. Augustus. XII. In
Inseq. Ann. Des. Erat. Non. Iniit. In E. L. F. E.
Q. Lucretius. Q. F. Vespillo. C. Sentius. C. F. C. N. Saturninus.
Ex K. Iulis. M. Vinucius. P. F.
L. Cornelius. P. F. Balbus Pro. Cos. Ex Africa. An. DCCXXXIV. VI. K. April.

Imp. Caesar Diui. F. Augustus. Trib. Potest. V.
M. Agrippa. L. F. Tribuniciae Potestatis.
P. Cornelius. P. F. Cn. N. Lentul. Marcellin. Cn. Cornelius. L. F. Lentulus.

Imp. Caesar Diui. F. Augustus. Trib. Potest. VI.
M. Agrippa. L. F. Tribunic. Pot. II.
C. Furnius. C. F. C. Iunius. C. F. Silanus.

Imp. Caesar Diui. F. Augustus. Trib. Potest. VII.
M. Agrippa. L. F. Trib. Potest. III.
L. Domitius. Cn. F. Cn. N. Ahenobarbus. P. Cornelius. P. F. P. N. Scipio.
Ex K. Iulis. L. Tarius. Rufus.
P. Silius. P. F. P. N. Nerua. Pro Cos. Ex Alpibus. Et Pannonieis. An. DCCXXXVII.
L. Asinius. C. F. Cn. N. Gallus. Pro Cos. De Sauromateis. An. DCCXXXIX.

Imp. Caesar Diui. F. Augustus. Trib. Potest. VIII.
M. Agrippa. L. F. Trib. Potest. IIII
M. Liuius. L. F. Drusus Libo. L. Calpurnius. L. F. L. N. Piso. Caesonin.

Imp. Caesar Diui F. Augustus. Trib. Potest. IX.
M. Agrippa. L. F. Trib. Potest. X.
M. Licinius. M. F. M. N. Crassus. Cn. Cornelius. Cn. F. Lentulus. Qui
Postea Gaetulicus Appellat. Est.

Imp. Caesar Diui F. Augustus. Pont. Max. Tribunic. Potest. X.
M. Agrippa. L. F. Tribunic. Potest. VI.
DCCXL. Ti. Claudius. T. F. Nero. P. Quinctilius. Sex. F. Varus.
Qui Postea Ti. Caesar August. Appell. E.

Imp. Caesar Diui. F. Augusl. Pont. Max. Tribun. Potest. XI.
M. Agrippa. L. F. Trib. Potest. VII. *Hoc Anno Mortuus Est.*
M. Valerius. M. F. M. N. Messal. Barbat. Aimilian. *P. Sulpicius. P. F. P. N.* *Quirinus.*
In *Magist. Mortuus. E. In E.* L. F. E.
C. Valgius. C. F. Saturnin. Ruf. Abdic. In E. L. F. E.
C. Caninius. C. F. C. N. Rebil. In Mag. M. E.

Imp. Caesar Diui. F. Augustus Pont. Max. Trib. Pot. XII.
Q. Aelius. Q. F. Tubero. Paullus Fabius. Q. F. Q. N. Maximus.

Imp. Caesar. Diui F. Augustus Pont. Max. Tr. Potest. XIII.
Iulus Antonius. M. F. M. N. Africanus. Q. Fabius. Q. F. Q. N. Maximus.

Imp. Caesar Diui F. Augustus. Pont. Max. Trib. Pot. XIV.
Nero Claudius. Ti. F. Drusus Germanic. T. Quinctius. T. F. Crispinus.
In Mag. Mort. Est. In E. L. F. Est.
* * * * * * * * * * * * * *
Ti. Claudius. Ti. F. Ap. N. Nero Germanicus. Pro. Cos. Ouans De Dalmateis. Pannonieis. Et Daceis. Ex Illurico. Ann. DCCXLIIII. * * * *

Imp Caesar Diui. F. Augustus. Pont. Max. Trib. Pot. XV.
C. Marcius. L. F. L. N. Censorinus. C. Asinius. C. F. Cn. N. Gallus.

Imp. Caesar Diui F. Augustus. Pont. Max. Trib. Pot. XVI.
Ti. Claudius. Ti. F. Ap. N. Nero. II. *Cn. Calpurnius. Cn. F. Cn. N. Piso.* II.
Ti. Claudius. Ti. F. Ap. N. Nero Germanicus. II. Cos. II. *De Germaneis. An. DCCXLVI. K. Ianuar.*

Imp Caesar Diui F. Augustus. Pont. Max. Trib. Potest. XVII.
Ti. Claudius Ti. F. Ap. N. Tribunicia Potestatis.
C. Iulius Augusti F. Diui N. Caesar.
In Inseq. Ann. Des. Erat. Non. Iniit.
D. Laelius. D. F. D. N. Balbus. C. Antistius. C. F. Vetus.
Ex K. Iulis. L. Mantlius.
Q. Nonius. Asprenas. Torquat.
Ex K. Oct. * * * * * * * * * * * * *

Imp. Caesar Diui F. Augustus. Pont. Max. Trib. Pot. XVIII.
Ti. Claudius. Ti. F. Nero. Trib. Pot. II.
Imp. Caesar. Diui. F. Augustus. XII. *L. Cornelius. P. F. P. N. Sulla.*
Abdic. In Eius Loc. Fact. Est.
* * * * * * * * * * * * * *

Imp Caesar Diui. F. Augustus. Pont. Max. Tr. Pot. XIX.
Ti. Claudius. Ti. F. Ap. N. Nero. Trib. Pot. III.
C. Caluisius. C. F. C. N. Sabinus. L. Passienus. Rufinus.

Imp. Caesar Diui. F. Augustus. Pont. Max. Tr. Pot. XX.
Ti. Claudius. Ti. F. Nero. Trib. Pot. IIII.
L. Iulius Augusti F. Diui N. Caesar.
In Inseq. Ann. Des. Erat. Non. Iniit.
DCCL. *L. Cornelius. L. F. Lentulus. M. Valerius. M. F. M. N. Messallinus Cotta.*

Imp. Caesar Diui F. Augustus. Pont. Max. Tr. Pot. XXI.
Ti. Claudius. Ti. F. Nero. Tr. Pot. V.
Imp. Caesar Diui F. Augustus. XIII. *M. Plautius. M. F. A. N. Siluanus.*
Abd. In Eius Loc. Fact. Est.
* * * * * * * * * * * * * *
Ex K. * * *C. Caninius. Gallus.*

Imp. Caesar Diui F. Augustus. Pont. Max. Trib. Pot. XXII.
Coss. Cornelius. Cn. F. Lentulus. L. Calpurnius. Cn. F. Piso Augur.
Qui Postea Gaetulicus Appell Est.

Imp. Caesar Diui F. Augustus. Pont. Max Tr. Pot. XXIII.
C. Iulius Augusti F. Diui N. Caesar. L. Aemilius. L. F. M. N. Paullus.

Imp. Caesar Diui F. August. Pont. Max. Tr. Pot. XXIIII.
P. Vinucius. M. F. P. N. P. Asinius. P. F. Varus.

Imp. Caesar Diui F. August. Pont. Max. Tr. Pot. XXV.
L. Aelius. L. F. Lamia. M. Seruilius. M. F.

Imp. Caesar Diui F. Augustus. Pont. Max. Trib. Pot. XXVI.
Sex. Aelius. Q. F. Catus. C. Sentius. C. F. C. N. Saturninus.
Imp. Caesar Augustus Censum Egit. Lustrum. Non Fecit.

Imp. Caesar Diui F. Augustus. Pont. Max. Tr. Pot. XXVII.
Ti. Caesar Augusti F. Diui N. Trib. Pot. VI.
Cn. Cornelius. L.F. L.N. Cinna Magn. L. Valerius Potiti F. M.N. Messalla Volusus.

Imp. Caesar Diui. F. Augustus. Pont. Max. Tr. Pot. XXVIII.
Ti. Caesar Augusti F. Diui N. Trib. Pot. VII.
M. Aimilius. L.F. Lepidus. L. Arruntius. L.F. L.N.
Ex K. Iulis. C. Ateius. Capito.
C. Vibius. C.F. Postumus.

Imp. Caesar Diui F. August. Pont. Max. Tr. Pot. XXIX.
Ti. Caesar Augusti F. Diui N. Trib. Pot. VIII.
A. Licinius. A.F. Nerua Silianus. Q. Caecilius. Q.F. Q.N. Metell. Cretic.
Ex K. Iulis. P. Cornelius. Cn.F. Lentulus. Scipio.
T. Quinctius. T.F. Crispinus. Valerianus.

Imp. Caesar. Diui F. Augustus. Pont. *Max.* Tr. Pot. XXX.
Ti. Caesar Augusti F. Diui N. Trib. Potest. IX.
DCCLX. M. Furius. P.F. P.N. Camil. Sex. Nonius. L.F. L.N. Quinctilian.
Ex K. Iul. L. Apronius. C.F. C.N.
A. Vibius. C.F. C.N. Habitus.

Imp. Caesar Diui F. Augustus. Pont. Max. Tr. Pot. XXXI.
Ti. Caesar Augusti F. Diui N. Trib. Potest. X.
C. Poppaeus. Q.F. Q.N. Sabinus. Q. Sulpicius. Q.F. Q.N. Camerinus.
Ex K. Iul. M. Papius. M.F. N.N. Mutilus.
Q. Poppaeus. Q.F. Q.N. Secund.

Imp. Caesar Diui. F. Augustus. Pont. Max. Tr. Pot. XXXII.
Ti. Caesar. Augusti F. Diui N. Trib. Potest. XI.
P. Cornelius. P.F. P.N. Dolabella. C. Iunius. C.F. M.N. Silanus. Flam. Mart.
Ex K. Iul. Ser. Cornelius. Cn.F.
Cn. N. Lentul. Malug. Flam. Dial.

*Imp. Caes*ar Di*ui F. Augustus Pont. Max. Trib. Pot.* XXXIII.
*Ti. Caes*ar Augu*sti F. Diui N. Tribun. Potest.* XII.
*M. Ai*milius. Q.F. M.N. Lepidus. *T. Statilius. T.F. T.N. Taurus.*
Ex K. Iul. L. Cassius. L.F. = N. Longinus.
*Imp. Ca*esar Diui F. August*us. Pont. Max. Trib. Pot.* XXXIIII.
*Ti. Caesar A*ugusti F. Diui *N. Tr. Pot.* XIII.
Germanicus Ca*esar T*i. F. Augusti. N. C. Fonteius. C.F. C.N. Capito.
Ex K. Iulis. C. Visellius. C.F. C.N. Varro.
Ti. Caesar Augusti F. Diui. N. III. Pro. Cos. De Illurieis. An. DCCLXIV. Pannonieis. Dalmateis. Et Germaneis.
Imp. Caesar Diui F. Augustus Pont. Max. Tr. Pot. XXXV.
Ti. Caesar Augusti F. Diui N. Tr. Pot. XIIII.
C. Silius. P.F. P.N. L. Munatius. L.F. L.N. Plancus.

Imp. Caesar Diui F. Augustus Pont. Max. Tr. Potest. XXXVI.
Ti. Caesar Augusti F. Diui N. Tr. Pot. XV.
Sex. Pompeius. Sex. F. Sex. Appuleius. Sex. F.
*Imp. Caesar Diui F. Augustus. Ti. Cæsar Augusti F. Lustrum F. * LXXI.*
HOC ANNO IMP. CAESAR AVGVSTVS ANTE DIEM XIIII. K. SEPT. MORT. E.
TI. CAESAR AVGVSTVS IMPERIVM EXCEPIT.

FINIS.

CAROLI



CAROLI SIGONII MVTINENSIS IN FASTOS CONSVLARES AC TRIVMPHOS Romanos, Commentarius, ab Auctore recognitus & auctus.

SERENISSIMO AC ILLVSTRISSIMO Venetiarum Principi LAVRENTIO PRIOLO, *Carolus Sigonius S. D.*



VM multis locis excellentem humani ingenij vim soleo mirari, SERENISSIME PRINCEPS; tum maxime in eo, quod cum lubrica & præceps eius natura sponte ad vitium deferatur, vnius tamen dignitatis atque honestatis amore, non solum a fraude atque flagitio reuocetur, sed ad præclaras etiam atque honestas res obeundas facile traducatur. Cuius rei si caussa subtilius inuestigetur, profecto nulla alia, nisi naturale quoddam, quo nostrum quisque trahitur, studium gloriæ inuenietur. Quæ, cum in constanti, eaque præclara aliorum de nostra virtute opinione sit posita; incredibile est, quibus ipsa quasi facibus nostras mentes ad res etiam difficiles aggrediendas, & maxima adeunda pericula, exigui sæpe fructus spe, vno duntaxat ardore famæ accẽdat. Est etiam altera nobis ingenerata cupiditas; vt, quam caduco ipso & fragili corpore adipisci æternitatem non possumus, eam animo, atque egregiis animi, qui immortalis est, actionibus assequamur. Æternitas autem nostrarum actionum, honesta eorum hominum, qui futuri sunt, prædicatione & memoria continetur. quę quo puriori virtutum e fonte ducentur, eo sine dubio ab iis ad nos vberior gloria permanabit. Præclara autem agendi ratio, etsi latissime patere, atque in multas diffusa esse partes videtur; illa tamen, nescio quo modo, omnium hominum iudicio, excellere, ac proxime ad deorum vim natura mortali accedere existimatur, quę tota in ipsis iuuandis hominibus est occupata. vt merito quondam etiam ij, qui tãta laude floruerint, pro diis ab hominibus habiti, ac diuinis honoribus aucti atque ornati sint. Quod si qui in hoc studio vlla aliquando cum laude versati sunt, ij mihi fuisse potissimum videntur, qui vel ciuitates

ſuas ſancte adminiſtrarunt, vel alienis iura integre reddiderunt. quorum quo magis virtus in hominum genere ſubleuando enituit, eo cõmendatior erit hominum memoriæ ſempiternæ; niſi forte aut Ariſtidis, aut Themiſtoclis, aut Camilli, aut Catonis memoriam vlla aliquãdo ſæcula obſcurabunt; aut Curij, Fabricij, & Paulli gloriam aliqua inimicæ vetuſtatis procella labefactabit. Ego vero non tam horum hominũ, qui ſuis olim in ciuitatibus regendis virtute præſtiterunt, quam eorum, qui admirabili poſtea ſapientia hanc rempublicam iis legibus atque opibus munierunt, vt ab inteſtinis tuta ſeditionibus, firmiſſimũ aliquando laborantis Italiæ præſidium eſſet, famam futuram immortalem exiſtimo. Inter quos patere quæſo, SERENISSIME PRINCEPS, vt te ſine vlla aſſentationis ſuſpicione potiſſimum referam. Etenim cum tu in hac republica ſummo genere natus, iiſdem atque maiores tui, omni dignitate ornatiſſimi, moderationis atque innocentiæ gradibus ad illud amplitudinis faſtigium aſcenderis, ad quam ſummam ciuilibus ſtudiis vera peruenire virtus poteſt; cum nobiliſſimas huius imperij vrbes atque prouincias, fidei ac poteſtati tuæ traditas, ſanctiſſime gubernaris; cum hanc demum rempublicam in omni ſenatorio munere acerrime ſemper defenderis; pro certo habere debes, te eiuſmodi actiones tuas non ad præſentis ſolum, ſed ad futuri quoque temporis perpetuam prædicationem ſuſcepiſſe; eaſque non in diurna, verum in ſempiterna hominum memoria defixiſſe; neq; alio plauſu poſteros memoriam nominis tui celebraturos, atque eorum, quorum ipſe facta egregia imitatus es, a nobis nunc etiam poſt tot demum ſæcula celebratur. ſiquidem illud inter omnes conſtat, te cum naturę tuę habitu prope diuino, excellenti animo atque virtute præditum eſſe; tum vero maxime bonarum artium, quibus ſemper ſtudueris, cognitione, ac veterum magnorum virorum admiratione, ad ſingularem hanc virtutis laudem perueniſſe. Quo etiam ego incenſus ſum vehementius, vt commentarium hunc, quem de rebus Romanis ſcripſi, ad te hoc tempore mitterem; non vt hæc te, cui omnia notiſſima ſunt, edocerem; ſed vt tibi ſummis aliis, pręſertim noui principatus occupationibus impedito; exiguam earum rerum, quarum ſtudio delectaris, memoriam renouarem, ac longioris lectionis laboris aliquid adimerẽ eſt enim hic liber ita copioſe ſcriptus, vt nihil octingentorum fer[illegible]e annorum interuallo memorabile prætermiſſum ſit; ita breuiter, v[illegible] in tanta tamen rerum & bellorum multitudine, non admodum diu[illegible]rna lectione cupidum diſtinere lectorem poſſit; atque omnino oti[illegible]ſo homini non ingratus, occupato vero non inutilis fore videatur. Fu[illegible]t etiam illa huius conſilij mei non contemnenda cauſſa, quod, cum hæc ad te ſcriberem, me huic ſenatui, cuius tu princeps es, otij huius honeſtiſſimi, quod ab illo conſequutus ſum, quodammodo rationem reddere mihi videbar. cuius otij præter alios multos clariſſimos huius reipubl. ſenatores, auctorem habeo MATTHÆVM DANDVLVM, vxoris

tuæ

tuæ mulieris lectissimæ fratrem, virum omni virtute ac dignitate præditum: cuius non tam doleo, quod magnitudinem summorum erga me meritorum nullo officij genere consequi, quam quod ne eximiam quidem eius grauitatem, ac singularem sapientiam satis oratione complecti pro mea vel opum tenuitate vel ingenij possum. sed vt aliquando possim, certe, dum viuam, elaborabo. nunc redeo ad commentariū. Me autem vt hunc librum scriberem, non rerum Romanarum, vt ceteros olim, maiestas; sed earum, quod neminē fortasse alium, difficultas adduxit; cum viderem, quæ veteres illi prope diuini homines nobis plenissime atque pulcherrime scripta reliquissent, ea nos fere aut manca ac plane decurtata, aut fœdata & corrupta ita habere, vt vix intelligi possent. Quamobrem omnibus historiarum Romanarum in vnum locum testimoniis collatis, perpetuam earum seriem, quæ apud grauissimum quemque illarum scriptorem hodie interrupta est, a primo vrbis ortu vsque ad Augusti interitum, seruatis diligenter notatisque temporibus contexui, ac quid quaque de re, quæ habere quæstionem videretur, ex Romanæ antiquitatis obseruatione sentirem, verbis plerumque eorum allatis exposui. Quo factum est, vt nullus fere annus inciderit, quo breuiter non aut quid domi forisve gestum sit, aut quid iniuria vetustatis interierit, indicauerim. nam qua cura ac diligētia, & cetera, & præcipue eximia singulorum imperatorum facta, bellorumque memorabilium caussas atque euentus, ijs prȩsertim temporibus, quibus Liuiana desideratur historia, collegerim atque aperuerim, vereor ne dicere aut ambitiosum, aut putidū forte videatur. Hac autem in re, cum aliorum veterum monumētorum subsidio vsus sum, tum maxime nobilium quorundam lapidum; quos paucis ante annis e foro Romano, vbi diu in occulto latuerant, in Capitolium translatos ego non solum sequutus, sed etiam diligenter interpretatus sum; nummorumque etiam multorum, quorum mihi antiquitatis omnis indagator diligentissimus, ANDREAS LAVREDANVS, affinis tuus, liberalissime copiam fecit. Omnino mea voluntas fuit, SERENISSIME PRINCEPS, vt hoc commentario, iisq; quos de familiis & prouinciis Romanorum institui, præclara hæc Romanæ antiquitatis studia, si nō iampridem iacentia subleuarem, at certe, quoad possem, labentia sustinerem. Quod ipsum si hoc libro, atq; felicibus celsitudinis tuæ auspiciis aliqua ex parte consequutus fuero, diuturni me laboris mei non minimum tulisse fructum existimabo. Vale. Venetiis prid. non. Iulias, MDLVI.

CAROLI SIGONII MVTINENSIS IN COMMENTARIVM FASTORVM AC TRIVMphorum Romanorum præfatio.

QVo adducti olim consilio veteres, eruditissimi homines, Capitolinas consulares ac triumphales tabulas composuerint; quoniam, nisi quæ Romanæ Reip. forma fuerit, ac quibus ipsa quasi gradibus ad summum imperij fastigium ascenderit, notum sit, ne intelligi quidem omnino videtur posse: propterea nihil nos alienum ab instituto nostro facturos esse arbitrati sumus, si hæc ipsa hoc commentario, quem in eas tabulas scripsimus, primum paucis explicaremus, deinde vero singula, quæ in iis tabulis scripta sunt, grauissima, quoad possemus, veterum monumentorũ auctoritate cõprobaremus. Multiplex ergo omnis fere ratio reip. existimatur. Etenim ciuitas ipsa, cuius descriptio ac constitutio quædam esse respubl. dicitur, vel vnius, vel paucorum, vel multorum in imperio sit, necesse est. Qui si ita remp. gubernarint, vt omnia ad eorum, quibus præsint, commoda referant, nihilq; nisi ciuium ac communis vtilitatis caussa faciant, tria constituunt recta reip. genera; sin contra, suo commodo omnia metientes, quæstui remp. habeant, deprauata item tria. Nam cum bene ac iuste res geritur siue ab vno rege, siue a paucis optimatibus, siue ab vniuerso populo, resp. est, & quidem recta. at cum iniustus est rex, quem antiqui tyrannum; aut iniusti optimates, quorum consensum factionem vocarunt; aut iniustus populus, cui nomen vsitatũ nullum repererunt, nisi vt etiam ipsum tyrannum appellarent; non modo vitiosa, sed omnino nulla resp. existimanda est. Harum autem formarum quæ præcipue Romanæ reip. conueniat, difficillimum esse iudico non modo dictu, sed etiam intellectu. Neq; enim aut Polybius, aut Cicero, satis mihi speciem eius reip. videntur aut mente comprehendisse, aut oratione expressisse, cum vno verbo eam optimam fuisse tradiderunt: optimam autem, quæ ex tribus iustis, regia, optimatum, ac populi, iuncta esset, intellexerunt; quod in ea consules regiam, senatores optimatũ, plebs popularem auctoritatẽ ac potestatem haberet. Ille, Græcus, eam vnam rempubl. adumbrauit, quam ipse vidit, & quæ cũ P. Africano, cuius ipse æqualis ac socius fuit, exspirauit: hic, noster, eam remp. informauit, quam idem Africanus, quem in suis libris loquentem fecit, administrauit. quam quidem cum perfectam, quia æquissimis erat legibus temperata; tum sanctam, quia summus in ea paupertati ac parsimoniæ honos habebatur, ij viri tractarunt, qui a Pyrrhi regis bello vsque ad tertium Punicum floruerunt: quo tempore nulla nobilium dissentio, nullus populi motus, summa honorum ac rerum omnium inter eos communio fuit; nullum in priuata re cumulanda atque augenda, omnium in amplificando ac propagando imperii studium est collocatum. Nam reliqua tempora, quo ab hac ætate magis, eo ab optimæ reip. specie longius abfuerunt. siquidem extremis temporibus, partim regum, partim imperatorũ; mediis autem, modo optimatum, modo populi parum moderatum imperium ciuitas pertulit. Neque vero negare possum, quin reges aliquot iusti, publicæq; studiosi vtilitatis exstiterint; quos iis legibus ac institutis Romanam fundasse remp. video, vt ab iis primordiis ad certissimum exterarum omnium gentium ac populorum bello paceq; principatum eam peruenire non difficile fuerit. sed quod pleriq; eorum aut patricios, quorum ipsi e corpore erant, vehementius extulerunt, plebem depresserunt; aut quod regnum per vim partum, imperiosius quam decebat, administrarunt; ne iustum quidem omnino eorum fuisse dominatum existimo. Exactis autem propter immoderatam quandam eorum in ciues libidinem atque audaciam regibus,

ne tum quidem moderata videtur reipub. forma instituta. Etenim quid tam non dicam iniustum, sed a temperata repub. alienum esse potuit, quàm vniuersam remp. paucorum patriciorum imperio committi, plebem omni prorsus reip. munere excludi? patricios solos consulatum, id est regium imperium, sacra, comitia fere, atque omnem in plebem & vitæ & necis potestatem habere; plebem ipsam non modo omnis expertem honoris optimatibus obedire, sed diremptis connubiis, vitæ etiam ipsius prope communione priuatam, maxima cum indignitate seruire? Ergo vt quæ tum nulla in repub. erat, moderatio induceretur, atque vt tenuiores cum principibus æquarentur, & plebs pari cum patriciis in ciuitate iure vteretur, sacrosanctus ei fuit tribunatus à patribus concedendus, quo ipsa tamquam acerrimo quodam telo, cōtra optimatum potentiam atque libidinem, se, libertatem, ac pudicitiam suam tueretur atque defenderet. connubia communicanda fuerunt, ne pars ciuium, tamquam contaminata atque indigna, à nobilibus contemni, ac nullo numero haberi videretur. patricij denique summi honores impertiendi, ne soli optimates in rep. dominarētur. Quam ob rem cum plebs consulatū, quæ firmissima semper prope arx potentiæ patriciorum fuerat; præterea dictaturam, censurā, imperium, sacra, sacerdotia, quæ vnius ante nobilitatis fuerant, non sine magnis reip. motibus ipsa sibi vindicasset, iamq; nihil aliud ad ius totius reip. adæquandum, quam vt plebiscita, quibus tum sola plebs tenebatur, omnes Quirites astringerent, quæreretur; tum denique hoc etiam, secessione in Ianiculum facta, lege Hortensia consequuta est. Ita æquissimis demū legibus temperata rep. atq; plebe omnium rerum in societatem vocata, magna Italiæ parte deuicta, cum Tarentinis, & cum Pyrrho rege bellum susceptum est. ex quo tempore præclara, atque ad omnis posteritatis famam illustria abstinentiæ, modestiæ, iustitiæ, fortitudinis, ciuilis denique concordiæ, vsque ad tertium Punicum bellum exempla edita sunt. tum enim Curij, tum Fabricij, tum Coruncanij viguerunt. tum Metelli, Fabij, Marcelli, Scipiones, Paulli, Lepidi floruerunt; quorum cum eximiam in bello animi magnitudinem ac prudentiam, tum incredibilem in pace iustitiam ac moderationem merito admirareris & coleres. Post autem cum, vetere labente disciplina, totius ciuitatis mores inclinare, & ad leuitatem iam nimiam atque ambitionem incumbere cœpissent, præsertim vero luxuria per Asiaticos iam triumphos in ciuitatem inuecta, atque exterarum gentium metu amoto, à quibus, Pyrrho rege pulso, Pœnis duobus asperrimis bellis deuictis, tertio etiam funditus deletis, Philippo, Perseo, Antiocho regibus potentissimis superatis, Sicilia, Sardinia, Hispania, Illyrico, Macedonia, Græcia prouinciis in ditionem populi R. redactis, iustam principatus orbis terrarum atque imperij confessionem extorserant: qui vsque eó vere optimus reip. status ex Polybij & Ciceronis sententia fuerat, is primum sensim ac leuiter tentatus; deinde aperte, translata iam ad iniustum populi dominatum republ. funditus labefactatus atque euersus est. Hunc autem statum duo Gracchi, Saturninus, Drusus, tribuni plebis furiosi atque amentes, partim agrariis & iudiciariis legibus ferendis, quibus optimatum potentiam frangerent, plebis confirmarent; cum aut eorum agros plebi diuisissent, aut antiquam iudiciorum auctoritatem a senatoribus ad equites transtulissent; partim ciuitate sociis danda, vt suffragiorum plebeiorum multitudine facilius nobilitatis opes in comitiis comminuerent; partim frumēto largiendo, quo ad omnia, quæ in republ. molirentur plebem eo deuinctam munere paratiorem haberent, intulerunt, ac præstantissimum illum optimæ consensum reip. perturbarunt. Ab eo igitur tempore maiores in republ. plebis quam optimatum opes exstitere; quippe quæ omnium iam honorum, quos soli ante patricij obtinuerant, particeps facta; præterea tribunatum, ac tributa comitia, quibus omnino patriciis interdictum erat, adepta; ad hæc agris, iudiciis, frumento, sociorum suffragiis aucta atque locupletata; vniuersam remp. vt in potestate haberet, sic ex libidine administraret. Hunc autem plebis dominatum L. Sulla dictator sustulit; qui imperio, quod a senatu acceperat, lege tribunicia a C. Mario spoliatus, extorta armis ex inimicorum manibus republica tribunorum plebis potestate imminuta, plebe agris pulsa ac trucidata, iudiciis senatui redditis, rursus optimatum remp. stabiliuit, popularemque conuellit. Verum ne hic quidem status diuturnus admodum fuit. Nam paucis post annis, Cn. Pompeius in primo consulatu antiqua tribunis plebis potestate ac dignitate restituta, plebe ad iudicia cum senatoribus & equitibus lege Aurelia aduocata, vetus illud optimæ reip. quæsisse temperamentum videtur, quod mutatis, immo corruptis iam penitus totius ciuitatis moribus, atq; auaritia iam & ambitione latissime grassante, assequi nullo modo potuit. Ita perturbato sæpe reip. statu, crebro a paucis de vniuersa occupanda rep. cogitatum est. tum enim Piso, tum Catilina, cum aliis eiusdem

furoris

furoris ſociis, aduerſus rempubl. conſpirarunt. tum Cæſar, Craſſus, & ipſe mutata (credo) mente Pompeius, inita ſocietate, extraordinarias opes, quæ liberæ ciuitati iure formidabiles eſſent, ſibi quæſiuerunt. qua dirempta, ciuilis repente diſcordia, ac totius reipubl. perturbatio conſequuta eſt; cum Cæſaris potentiã ſenatus, Pompeij (nam Craſſus interierat) populus ferre non poſſet. Victo autem fatali prælio Pompeio, atque optimatum factione afflicta, rurſus ad iniuſtum vnius Cæſaris dominatum reſpub. recidit. quo ab iis qui libertati ſtudebant, interfecto, cum reuiuiſcere priſca patrum grauitas, atque ad ſpem auctoritatis priſtinæ quodammodo reſpirare videretur; haud ita multo poſt, in ipſomet recuperandæ reip. apparatu, a populo, cui Antonius, ac poſt etiam Octauius, qui Cæſaris partes ambo ſuſceperant, ſeruierunt, ſublata funditus atque oppreſſa eſt; cum inauditum ante triumuiratum in rempubl. intuliſſent, ac nefariam optimatum atque inimicorum ſuorum proſcriptionem & cædem feciſſent. Triumuiris autem duobus ſublatis, tertius Octauius tamquam bellorum ciuilium, quæ ipſe confecerat, præmium, totius ad ſe reipubl. ius, poteſtatem, atque imperium, quod ab initio regum, poſt magiſtratuũ, ſenatus ac populi fuerat, in perpetuum tranſtulit. Quibus ex rebus ſatis intelligi poſſe arbitror, vix, reip. Ro. forma qualis fuerit, vt ante dicebam, poſſe exponi: quippe quæ modo vnius, modo paucorum, nunc multorum, nunc æquo omnium imperio adminiſtrata fuerit, atq; pro naturali rerum humanarum viciſſitudine, iterum atq; iterum commutata ſit. Quam ob rem ſi quis rei militaris laudem Romanis, in qua cum virtute multum, tum diſciplina plurimum valuerunt, tribuerit; ſi in iis grauitatem, conſtantiam, magnitudinem animi, probitatem, fidem excellentem, in omni genere virtutem admiratus fuerit, iure, mea quidem ſententia, fecerit. at vero ſi aut rectiorem reip. gerendæ rationem, aut maiorem ciuilis tuendæ concordiæ curam deſiderarit, ne iniuſte ille quidem mihi eſſe facturus videtur. Nam vt illi neglecta ciuili diſciplina, relictam a maioribus libertatem atque imperium amiſerunt; ſic militari ſtudio conſeruato, ſubacta intra quingentos annos Italia, facile, ac breui temporis ſpatio, magnam orbis terrarum partem ſub ſuum imperium ſubiunxerunt. Has autem reipubl. mutationes, atq; Romani progreſſus & incrementa imperij, ij mihi breuiter omnibus exponere videntur voluiſſe, qui olim Conſulares faſtos (ſic enim iam ex antiquorum conſuetudine appellandi videntur) ac triumphos Capitolinos, ratione & ordine digeſtos in publico poſuerunt. Illi enim, & qui rempubl. quotannis domi militiæq; adminiſtrauerint, ſiue reges. ſiue conſules, ſiue decemuiri, ſiue tribuni conſulares atque plebeij, ſiue triumuiri reip. conſtituendæ fuerint; & qui quoque triumpho acto rem Romanam auxerint ſiue conſulari, ſiue dictatorio, ſiue prætorio, ſiue extraordinario cum imperio triumpharint, ſumma fide, atque incredibili diligentia continent. Quos quidem nos innumerabilibus prope (vt ſupra diximus) in locis ex veterum ſcriptorum ſententia ante perfectos, nunc hoc etiam commentario interpretandos, ac priſcorum annalium verbis confirmandos ſuſcepimus. Sed hæc hactenus. neque enim dubito quin ex iis quæ diximus, ſatis eorum qui has tabulas ſcripſerunt, ratio atque conſilium patefactum ſit. Reliqua perſequamur.

DE ROMVLO REGE.

VRBS Roma, regum ab initio imperio paruit, tantæ futuræ reipublicæ non ſolum vtili, verum prope etiam neceſſario. neque enim paſtorum conuenarumque congregata illa multitudo, quæ ex ſuis populis ad nouam vrbem incolendam transfugiſſe dicitur, cum adhuc nec coniugum aut liberorum, nec ipſius ſoli, cui lõgo tempore aſſueſcitur, caritas animos eorum conſociaſſet; ſoluta metu regio, agitari popularibus ſeditionibus, aut in aliena vrbe cum patribus ciuili contentione decertare ſine ſumma totius reip. pernicie potuiſſet. Primus autem Romæ regnaſſe, qui eandem etiam condidiſſe, Romulus proditur. Hunc quidem incerto patre natum, & ſpurium fuiſſe cum aliis placet auctoribus, tum maxime Plutarcho in Theſeo. vetus tamen opinio fuit, eum ex Marte & Ilia, ſiue Rhea, ſiue Siluia (hæc enim omnia eius nomina traduntur) Veſtali virgine, Numitoris Albani regis filia, Albæ furtiuo fuiſſe concubitu genitum; eundemque a ruma, id eſt ab vbere, *Romum* primum, deinde blandiendi cauſſa *Romulum* dictum; quod paruulus, & lactens, vberibuſque lupinis inhians, ſit inuentus. Hic idem

vna cum fratre Remo, quem postea interfecit, vrbem in Palatio condidit; eamq; Romam a suo nomine (vt plerique putant) appellauit. De anno, quo vrbis fundamenta iacta sunt, inter scriptores non conuenit. Ego tamen Dionysio, qui septimæ olympiadis anno primo, post Ilium captum anno CDXXXIII, iacta prodidit, potissimum assentior; quod recitatis aliorum multorum, refutatisque sententiis, suam opinionem firmissimis ac certissimis rationibus tueri atque asserere videatur. Parilibus autem iacta, qui dies sacer fuit deæ Pali, XI Kal. Maias, Plutarcho, Solino, Messala, & vetere Kalendario auctoribus arbitror. Hic idem cum populi consensu regnasset annos XXXVII, (tot enim annos Romulo regi omnes tribuunt, præter vnum Eutropium, qui XXXIX) atque imperium Romanum præclaris multis legibus ac institutis fundasset, domesticamque ac militarem disciplinā stabilisset, Nonis Quinctilibus mortuus est. qui dies, *Nonæ Caprotinæ*, quod is ad Capræ paludem exercitum recensens non comparuerit; ac † *Populi fuga*, ob consternatum repentina regis morte populum, Plutarcho & Dionysio testibus, postea appellatus est. Idem post consecrationem *Quirinus* dictus. cuius cognominis has caussas reddit in Fastis Ouidius: *Siue, quod hasta Quiris priscis est dicta Latinis, Bellicus a telo venit in † arma deus: Siue suo regi nomen posuere Quirites; Seu † quia Romanus vicerat ille Cures.* Eadem etiam scribit Plutarchus. Quod autem a Quiritibus Quirinus dici potuerit, testes locupletissimi sunt Dionysius & Plutarchus, qui tradunt, ita inter Romulum, & T. Tatium Sabinorum regem, quem Sabino bello Romulus in ciuitatis & imperij societatem accepit, conuenisse, vt vrbs a Romulo Roma diceretur; populus a Curibus T. Tatij patria Quirites vocaretur. Eundem sine vxore vitam traduxisse, multi fuere qui scriberēt. Liuius autem Ersiliam Sabinam sibi despondisse prodidit. quam non sibi, sed Hosto Hostilio fortissimo viro despondisse ab aliis traditum est. Dionysius Ersiliam matrem Romulo, filiam Hostilio nupsisse ait. Eadē ratione ne liberos quidem vllos ipsum reliquisse sunt qui putent, vt Plutarchus, & Dionysius: cum tamē Zenodotus, teste Plutarcho, filiam nomine Primam, & filium Aollium, post Abillium nominatum, ipsum suscepisse tradiderit. Atque hæc quidem, quatenus ad magistratuum tabulas pertinet, de Romulo hactenus.

De triumpho instituto, III triumphus Romuli regis, & spoliis opimis ab eo relatis.

De triumphis autem hæc habemus quæ dicamus. Triumphum eximium honorem fuisse quendam, quem is qui auspicio suo hostes prœlio deuicisset, in vrbē cum incolumi exercitu rediens, senatus primum decreto, post etiam populi iussu consequeretur, satis inter omnes auctores constat. Dictum autem esse triumphum Varro putat libro de lingua Latina V, quod cum imperatore milites redeuntes, clamitarent per vrbem in Capitolium euntes, *Io triumphe.* idque a θριάμβῳ, græco Liberi patris cognomine, dictum existimat; qui primus deuicta India, huius honoris auctor fuisse traditur. Itaque Liuius lib. XLV, ait; *Milites laureati triumphū nomine cient.* Triumphorum vero duo genera fuerunt. vnus, maior; qui præcipue Triumphus; alter, minor, quæ *Ouatio* nominata est. Ex his autem alij terrestres, alij nauales; itemque alij in vrbe, alij in monte Albano, acti sunt. Horum autem quidque qui primi, & quo anno, & qua caussa fecerint, & quid inter triumphum & ouationem interfuerit, suo loco demonstrabo. nunc tantum id quod instat, agendum est. Quis igitur primus Romæ triumphum egerit, parum inter scriptores conuenit. Dionysius, Plutarchus, & Messala, Romulum huius instituti auctorem nominant; sed iidem tamen tradunt ab aliis quibusdam L. Tarquinio Prisco regi hoc tribui. quos Florus & Eutropius secuti sunt; & fortasse etiam Liuius, qui nullius regij triumphi, nisi eius quem L. Tarquinius Priscus de Sabinis egit, meminit. Plutarchus autem Priscum, primum illum quidem fuisse putat qui curulem in vrbem triumphum inuexerit; sed qui triumphandi molem instituerit, Romulum prodit. Itaque reprehendit etiam Dionysium, qui Romurum curru vrbem ingressum in triumpho scripserit; scilicet quod non Romulus, sed aut Priscus, aut certe (vt alij tradiderunt) P. Valerius Poplicola consul, primi curru vrbem triumphi caussa inuecti sint. Hic honos omnium maximus stāte rep. semper habitus

habitus eſt: euerſa autem republica triumphalia ornamenta pro triumpho ab Auguſto primum decerni cœpta ſunt. Ceterum prima Romanis arma illata ſunt a Latinis finitimis; ſecunda, ab Etruſcis. Latinos ad bellum dolor acceptæ a Romulo regeiniuriæ accendit; quos benigne atque amice cum vxoribus ad ludos inuitatos, raptis in vrbe ex compoſito mulieribus, grauiſſima ille contumelia affecerat. Hi Cęninenſes, Cruſtomini, Antemnates, & Sabini fuerunt. Camerinos autem ex Latinis, ac Fidenates & Veientes ex Etruſcis, ſpes prædæ ad Romanum agrum populandum incitauit. Itaque omnibus iis bello intra paucos dies deuictis, Romulus primum de Cæninenſibus & Antemnatibus, iterum de Cameri nis, tertium de Fidenatibus & Veientibus triumphauit, vt ait Dionyſius lib. II. Nam de Cruſtominis, quamquam prœlio fractis, triumphus nullus actus eſt. & Sabini in ipſo ſummo prœlij diſcrimine icto fœdere, in partem etiam ciuitatis & reipublicæ vocati ſunt. Solinus tamen cap. I I, Romulum primum de Cæninenſibus, iterum de Camerinis, tertium de Veientibus triumphaſſe prodit. Nam Plutarchus de Cæninenſibus tantum, ac poſt de Veientibus & Fidenatibus triumphatum, & quidem Veientium regem ipſum ſenem in triumpho ductum eſſe idibus Octobr. prodit. Quoniam autem in Capitolinis triumphis dies & annus ab vrbe condita, vnicuique triumpho adſcriptus eſt, propterea conatus ſum vt ne ab eorum ratione diſcederem; quoties quidem poſſem. Itaque anno ab vrbe condita I I I I, de Cæninenſibus triumphatum eſſe ſcripſi; quod Dionyſius eo anno mulieres raptas eſſe credat potius, quam (vt multi ſcripſerunt) menſe quarto. Quod ſi quarto anno mulieres raptæ ſunt, eodemque anno victi ſunt Cæninenſes, qui mulierum cauſſa bellum Romulo intulerant, profecto eodem etiam anno triumphatum eſt. De Camerinis autem anno X V I, Kal. Sextil triumphatum ſcripſi; quia Plutarchus ait victos Cametinos a Romulo eo anno, eoque die Romam eſſe ttanslatos. ex quo intelligi poteſt, aut eodem die, aut paulo ante, triumphum actum. De Veientibus porro Idibus Octobr. ttiumphatum idem ſcribit. annum eius triumphi certum conſequi coniectura non potui. Cum autem varia ſint (vt dixi) genera triumphorum, obſeruatum eſt nobis, eos qui Capitolinos triumphos inciderunt, quoties curulem triumphum, eumque terreſtrem & in vrbe actum ſignificare velint, hanc fere ſcribendi formulam adhibere, quam nos adſcripſimus. eſt enim præciſa oratio, cum verbum *triumphauit* vbique deſideretur. In reliquis autem quæ ſcribendi ratio ſeruata ſit, ſuo loco demonſtrabimus. Quæ porro de *opimis ſpoliis* ſcripſi, a Romulo interfecto Acrone Cæninenſium rege relatis, ea ſcripta ſunt apud Dionyſium, Liuium, Plutarchum, Solinum, Valerium; de quibus nihil dixiſſem, niſi tertiorum ſpoliorum, quæ M. Marcellus C O S. an. D X X X I rettulit, fieri mentionem in Capitolinis triumphis animaduertiſſem. De opimis autem ſpoliis hæc tradita ſunt. Plutarchus in Romulo opima ſpolia non ab opibus (vt Varro cenſuit) ſed ab opere rei geſtæ, quæ ducibus hoſtium interfectis Romani duces tulerint, dicta putat. Varronem autem ſequitur Feſtus: cuius verba mēdoſiſſima a me ita quadam ex parte reſtituta ſunt: Opima, magnifica, & ampla. vnde ſpolia quoque, quæ dux populi Romani duci hoſtium detraxit. quorum tanta raritas eſt, vt intra annos paulo minus D X X X, tantum trina contigerint nomini Romano: vna, quæ dux Romulus de Acrone; altera, quæ Coſſus Cornelius de Tolumnio; tertia, quæ M. Marcellus de Virdumaro fixerunt. M. Varro ait opima ſpolia eſſe (etiam ſi manipularis miles detraxerit; dummodo duci hoſtium detraxerit. quod autem omnia ſolita non ſint ad ædem Iouis Feretrij poni, teſtimonio eſſe libros pontificum; in quibus ſit, pro primis ſpoliis boue, pro ſecundis *ſueouetaurilibus, pro tettiis agno publice fieri debere. Eſſe etiam Pompilij regis legem opimorum ſpoliorum talem; *Cuius auſpicio claſſe procincta, opima ſpolia capiuntur, Ioui Feretrio darier oporteat. & bouem cædito, qui cepit æris* CCC. *Secunda ſpolia in Martis aram, octoginta, ſueouetaurilia vtra voluerit cædito. Tertia ſpolia Iano Quirino, agnū marem cædito; C qui ceperit ex ære dato.* Hæc Feſtus. Seruius etiam exponens illum Virgilij verſum; *Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirino*; prima Ioui, ſecunda Marti, tertia Quirino dicata fuiſſe ex lege Numæ

Pompilij, scribit. Idem tradit Plutarchus in Marcello; quo in loco vestigia exstant emendandæ huius apud Festum scripturæ. Sed de spoliis opimis hactenus. nam alia multa, vbi de secundis spoliis agemus, afferemus.

DE INTERREGIBVS.

POST Romulum anno vno Interreges reip. præfuisse, multis constat auctoribus. de quo anno ita Liuius: Mortuo Romulo, rem inter se centum patres, decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summæ rerum præessent, consociant. decem imperitabant; vnus cum insignibus imperij & lictoribus erat. quinq; dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat; annuumque interuallum regni fuit. id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, *Interregnum* appellatũ. Eadem Dionysius, & Plutarchus in Numa.

DE NVMA POMPILIO REGE.

PATREM Numæ regis Plutarchus, & is qui de viris illustribus scripsit, vocant Pomponium; at Dionysius lib. II, itemque Liuius lib. XL, Pomponem. Hunc Numam, quod æquitate & prudentia inter omnes excelleret, Curibus vrbe Sabinorum, post Interreges in regnum Romam vocatum esse, Romana monumenta omnia loquuntur. Regnasse autem annos XLIII, omnes item conueniunt; præter Eutropium, qui XLI prodit. De vxoribus & liberis eius magna quæstio est. alij vxorem eius vnam tradunt Tatiam, T. Tatij Sabini, qui cum Romulo regnauit, filiam; alij alteram adiungunt Lucretiam, quam post Tatiæ mortem rex sibi desponderit. Eadem ratione alij Pompiliam filiam ex Tatia; alij præter Pompiliam, filios etiam quatuor ex Lucretia reliquisse tradiderunt, Pomponem, Calpum, Pinum, & Mamercum. Hæc Plutarchus in Numa. Rex hic nulla belli laude insignis fuit: pacis autem ac religionis studiis floruit. is enim sacra & cæremonias, omnemque deorum cultum docuit. idem pontifices, augures, flamines, salios, vestales, aliosque sacerdotes primus creauit.

DE TVLLO HOSTILIO REGE, ET *III triumphis eius.*

DE Tulli Hostilij genere hæc accepimus. Dionysius lib. IIII, Vir, inquit, nobilis ac fortis, Hostilius, ex vrbe Medullia Romam commigrans regnante Romulo, Ersiliæ filiam sibi despondit. bello Sabino cum cecidisset, filium reliquit; ex quo Tullus Hostilius rex natus est. Liuius autem libro primo Tullum regem Hostilij illius nepotem vocat; cuius bello Sabino in infima arce clara pugna fuerat. quo de viro Plinius lib. XVI ita: Romulus frondea coronauit Hostum Hostilium, quod Fidenas primus irrupisset. auus Tulli Hostilij regis hic fuit. Item Macrobius libro primo Saturnal. Vetustatis peritissimi referunt, in raptu Sabinarum, vnam mulierum nomine Ersiliam, dum adhæreret filiæ, simul raptam; quam cum Romulus Hosto cuidam ex agro Latino, qui in asylum eius confugerat, virtute conspicuo, vxorem dedisset, natum ex ea puerum, antequam vlla aliarum Sabinarum partum ederet; eumque, quod primus esset in hostico procreatus, Hostum Hostilium a matre vocitatum; & eundem a Romulo bulla aurea, ac prætexta insignibus decoratum. Ex his locis satis intelligi potest, & patrem & auum regis huius prænomen Hosti tulisse. Hunc porro post Numam annos XXXII regnasse, constantissime omnes scriptores tradunt, regem non solum Numæ dissimilem, sed etiam Romulo ferociorem. Tria siquidem hic bella gessit, Albanum, *Fidenas, ac Sabinum. Albanum & Sabinum res vtrinque raptæ, ac nequicquam repetitæ, excitauerunt: Fidenas vero, suspicio insidiarum, quas a Fidenatibus Romanis atque Albanis paratas rex animaduertit. Albanos autem primum virtute Horatiorum tergeminorum, quibus singularis pugna cum Curatiis Albanis mandata erat, in potestatem adduxit; deinde fraude ac perfidia eorum Fidenati bello comperta, vrbe eorum deleta, Romam omnes

mnes traduxit. Idem omnibus his bellis re bene geſta, ter (vt ait Dionyſius) triumphauit: primum de Albanis, iterum de Fidenatibus, quorum auxilio Veientes etiam venerant; tertium de Sabinis. Itaque parum ſcite Macrobius, qui libro primo, Tullum bis de Albanis triumphaſſe ſcripſit; tertium de Sabinis. Horum triumphorum meminit ſic in ſexto Virgilius, *--reſideſque mouebit Tullus in arma viros, & iam deſueta triumphis Agmina.* Hoc autem ait; quia Numa rex nec triumphauerat, nec bellum geſſerat.

DE ANCO MARCIO REGE, *& II triumphis eius.*

DE patre & auo Anci Marcij regis hæc ſcripta ſunt apud Plutarchum in Numa: Marcius, inquit, Sabinus, cum Numam Pompilium ad regnum ſuſcipiendum hortatus eſſet, cum eo Romam commigrauit, & in ſenatum lectus eſt. poſt obitum autem Numæ, in regni certamine a Tullo Hoſtilio ſuperatus, ſibi mortem conſciuit. ex eo natus eſt Marcius; cui Pompilia Numæ regis filia collocata eſt: ex quibus genitus eſt Ancus Marcius, rex quartus. Quæ vero ſcribit Plutarchus, eadem ſunt apud Liuium & Dionyſium. Pater autem regis huius, Numæ prænomine vſus eſt. Nam ſcribit Tacitus lib. v, Numam Marcium ab Tullo Hoſtilio rege vrbi præfectum fuiſſe. nemo autem, regnante Tullo, niſi Anci pater, Romæ vixiſſe videtur e gente Marcia, cui ille tantum muneris mandare potuerit. Eiuſdem Numæ Marcij M.F. meminit Liuius lib. I. quem a Numa Pompilio rege pontificem primum creatum eſſe tradit, vt in Scholiis Liuianis oſtendimus. Reliquit hic rex filios duos: qui poſt, cum L. Tarquinium Priſcum regem interfeciſſent, a Ser. Tullio rege in exſilium acti ſunt, auctoribus Liuio, Dionyſio, & Plutarcho. Atque huic quidem etiam annos regni omnes aſcribũt XXIIII. Huius porro regis inſignis in re bellica virtus fuit. Etenim ſeptem bella geſſit. primum cum Latinis, ſecundum cum Fidenatibus, tertium cum Sabinis, quartum & quintum cum Veientibus, ſextum cum Volſcis, ſeptimum iterũ cum Sabinis. Horum omnium bellorum communis vna cauſſa fuit, vt fines ſuos ab finitimorum incurſionibus & latrociniis defenderet, ac prædas abactas, quas illi iure non reddebant, armis repeteret. Hoſtibus vbique pulſis, ac re ex ſententia geſta, de Veientibus tamen priore bello victis tantum triumphauit, vt Dionyſius tradit. neque enim alius triumphi meminit. Vereor tamen ne aut de Latineis aut de Sabineis præterea triũphauerit. Me enim mouet ſyllaba quædam NEIS, quæ eſt in tabulis triumphalibus Capitolinis proxime ante triumphos L. Tarquinij Priſci; quæ ſine dubio ad hunc regem pertinet, atque extrema ſyllaba eſt vocis vel LATINEIS, vel SABINEIS. *Latineis* probarẽ magis, quia illud bellum eſt illuſtrius; at quia Sabinum Veienti poſterius fuit, *Sabineis* ſcripſi. alij iudicabunt. Eſt autẽ intelligendum, ne omnes quidem, quotquot habemus Romanæ hiſtoriæ ſcriptores, eorum qui hæc marmora exararunt, (quod infra etiam apertius oſtendetur) fidem ac diligentiam adæquare.

DE L. TARQVINIO PRISCO REGE *& III triumphis eius.*

L. TARQVINII regis haud difficilis eſt generis explicatio; præſertim omnibus in eo tradendo conſentientibus annalibus. Nam (vt Dionyſius, Liuius & Strabo ſcribunt) Damaratus, cum Corintho patria per ſeditionem pulſus in Italiam commigraſſet, Tarquiniis Etruriæ vrbe, omnium fortunarum ſuarum ſedem collocauit; ibique filios procreauit Aruntem & Lucumonem. Damarato autem & Arunte mortuis, Lucumo, neglectis Tarquiniis, cum magna clientum manu Romã veniens, ſeq; pro Lucumone Lucium, & Tarquinium a Tarquiniis, vbi educatus erat, appellãs, ab Anco rege in ciuium & in patriciorum ac ſenatorum numerum aſcitus, poſt eo mortuo dignus, qui ei in regni adminiſtratione ſuccederet, habitus eſt. Hic filias duas reliquit; quatũ vna Ser. Tullio regi nupſit, altera M. Iunio Bruti patri; itemque filium,

qui

qui viuente patre mortuus eſt, relictis filiis duobus, Arunte & Lucio. Ex quibus Lucius poſt Superbi cognomine inuento, Romæ regnauit. Atque hæc quidem Dionyſius. nam ab eo diſſentit Liuius, vt poſt dicemus. Regnaſſe hunc annos XXXVIII, Dionyſius & Liuius tradunt: Rufus, Meſſalla, Eutropius, & Solinus, XXXVII. Quibus potiſſimum nos in his tabulis perficiēdis, ob eas cauſſas quas poſtea recitabimus, aſſentimur. PRISCI hic cognomen inuenit, auctore Dionyſio; quod natu maior, quam L. Tarquinius, qui Superbus dictus eſt, fuit. Idem pluribus prœliis Latinos, Etruſcos, ac Sabinos rebellantes, ac populationibus infeſtum Romanum agrum reddentes, fregit, ac triumphos egit. Hunc enim primum Romæ triumphaſſe Meſſalla, Eutropius, & Florus ſcribunt; vt ſupra in Romulo diximus. Ter autem triumphaſſe, conſentientibus Capitolinis tabulis, auctor eſt Dionyſius; primum de Latinis, iterum de Etruſcis, tertium de Sabinis. quamquam qui librum de viris illuſtribus ſcripſit, de Sabinis eum tantum & priſcis Latinis ait triumphaſſe. Macrobius autem & Liuius triumphi ſolum, quem de Sabinis egit, meminerunt.

DE SER. TVLLIO REGE, *& III triumphis eius.*

DE genere Ser. Tullii regis non omnes ſcribunt vno modo. Tullius enim (inquit Dionyſius) Corniculanus, vir nobilis, cum pro patria, quæ tum a Tarquinio rege oppugnabatur, dimicans cecidiſſet, Ocriſiam vxorem prægnantem reliquit: quam captiuam rex vxori Tanaquili donauit. Ea cum puerum peperiſſet, quem a patris nomine Tullium, a fortuna *Seruium* nominauit, libertati reſtituta eſt. Puer autem, vbi corroborata ætate fuit, gener regi aſcitus eſt. poſt autem, ſocero ipſo rege a filiis Anci occiſo, hortatu ſocrus regnum Romæ ſuſcepit. Hæc Dionyſius. Liuius patrem huius, Ser. Tullium nominat; ita vt potius rex a patre, Seruii prænomen ſumpſiſſe videatur, quam (vt ait Dionyſius) a ſeruitute. quamquam (vt adiicit Liuius) fortuna matris, quod capta patria in hoſtium manus venerat, vt ſerua natus videretur, effecerit. Qui autem Capitolinos triumphos inciderunt, patris prænomen reticuerunt; credo, quod eum ſpurium & incerto patre ortum opinarentur. quam opinionem multorum fuiſſe Plutarchus in libro De fortuna Romanorum oſtendit: quo in loco ſcribit, alios putaſſe Ocriſiam domi Tarquinii ex quodam regis cliente; alios, ex lare aliquo; alios, ex Vulcano ipſo deo Seruium procreaſſe. De Vulcano autem rumorem percrebuiſſe maxime tum, cum repentina flamma Seruii pueri caput flagrauit. Sed hæc, atque alia eiuſmodi, fabulis ſimilia ſunt. Hic filias duas reliquit: quarum altera, Arunti; altera, Lucio Tarquiniis collocata eſt, Liuio auctore, & Dionyſio. quorum etiam teſtimonio apparet hunc annos regnaſſe XLIIII. Idem cum Etruſcis diuturnum bellum per annos XX geſſit. Eius belli auctores Veientes, Cæretes, & Tarquinienſes fuerunt; qui, reliqua ſolicitata Etruria, ictæ pacis cum Priſco rege conditionibus ſtare noluerunt. Magna igitur & huius regis in hoc bello virtus enituit: quippe qui hoſtes ita contuderit, vt etiam de iis ter triumpharit. hoc enim cum apud Dionyſium ſcriptum, tum in Capitolinis triumphalibus tabulis eſt inciſum. Meſſalla eum etiam de Veientibus & Etruſcis nobilem victoriam ait retuliſſe.

De Luſtro inſtituto.

QVIA qui Capitolinas tabulas deſcripſerunt, luſtra omnia etiam antequam a cenſoribus conderentur, adſcribunt, faciendum eſſe mihi putaui, vt initium luſtrorum omnium notarem. quod Ser. Tullio regi, ſcriptorum omnium conſenſu defertur. Luſtri autem ratio hæc fuit, quantum ego ex Dionyſio & Liuio intelligere poſſum. Ciues omnes bona ſua æſtimare rex iuſſit, atque eorũ æſtimationē iureiurando obſtrictos ad ſe deferre; pręterea nomina & ætatē vxorum, liberorũ, libertorũ, ſeruorumque profiteri; quaque vrbis in regione habitarent, indicare: qui ſecus feciſſet, bona eius publicari, ipſum verberatum vænire, & ciuitatem amittere voluit. Prout autem varius erat cuiuſque cenſus, ita varias etiam deſcripſit ciuium claſſes; ita vt in primam claſſem ditiſſimum, in ſextam tenuiſſimum quemque cōiiceret. Ditiſſimos autem, quos militaribus muneribus, & bellicis ſumptibus, eoſdem domeſticis etiam ornamen-

ornamentis atque inſignibus affecit. in ſuffragiis enim ferendis maximam prærogatiuam primæ claſſis eſſe, tum ſecundæ, tum tertiæ deinceps vſque ad ſextam voluit. Cum autem ciues omnes in campo conuenire iuſſiſſet, atque ibi cenſum egiſſet, exercitum omnem ſueouetaurilibus luſtrauit. Cenſa ſunt ciuium capita LXXX M. Id luſtrum Romæ primum conditum eſt. cuius condendi munus, quemadmodum poſt a regibus ad conſules, a conſulibus ad cenſores peruenerit, infra oſtendam. Nũc quia luſtrum a cenſoribus quinto quoque anno plerumque eſt conditum, hinc Luſtrum pro quinquennali ſpatio ſumptum eſſe, idque a luendo dictum, ſcribit Varro lib. v de lingua Latina; quod quinto quoque anno vectigalia & vltro tributa per cenſores perſoluerentur. Hic autem non vnum tantum, ſed quatuor luſtra a Ser. Tullio interpoſitis temporibus eſſe condita dicit. Indicat id Valerius lib. III; qui Ser. Tullio contigiſſe ait, vt quater luſtrum faceret, ter triumpharet.

DE L. TARQVINIO SVPERBO REGE, *& II triumphis eius.*

L. TARQVINIVM Superbum, filium L. Tarquinij Priſci regis tradit cum ceteris omnibus Liuius: Dionyſius firmiſſimis certiſſimiſque rationibus errorem illorum coarguit; idq; haud fieri potuiſſe ex certa annorum ratione oſtendit. nepotem autem Priſci fuiſſe ex filio, qui Priſco ipſo viuente obiit; at vero adoptione filiũ, probat. quæ res ceteris erroris cauſam præbuerit. Vtrocumque autem modo ſentiamus, haud incommoda illa noſtra deſcriptio eſt, cum eum L. F. Damarati N. eſſe ſcribimus; quæ eſt tabularum etiam Capitolinarum. Filios hic reliquit tres, Sextum, Aruntem, & Titum. Sextum natu maximum vocat Dionyſius; at Liuius, & Ouidius in Faſtis, minimum. Hic Sextus cum ſtuprum Lucretiæ intuliſſet, cauſam L. Bruto & ſociis eius præbuit, vt pater eius cum tota regia ſtirpe Roma exigeretur. quamquam Seruius Aruntem, non Sextum, qui Lucretiæ vim fecerit, nominat. Titus a patre ad oraculum, comite L. Bruto dato, miſſus: Aruns poſt ab ipſo Bruto cos. in acie occiſus eſt. Reliquit & Tarquiniam filiam, quæ Octauo Mamilio Tuſculano duci nupſit. Idem *Superbus* ex moribus nominatus. Regnauit annos XXV, vt Liuio & Dionyſio placet. qui vero Ser. Tullio annos XXXIIII aſſignant, iidem Superbo XXXV aſcribunt. Ne hic quidem rex expers gloriæ bellicæ fuit; quippe qui Sabinorum opes, qui parere recuſabant, duobus bellis comminuerit; ac Volſcos populantes primus bello aggreſſus, deuicerit. Quamquam autem nullos auctores habeo, qui triumphos vllos actos a Superbo rege ſcribant; tamen quoniam bis eum triumphaſſe ex Capitolinorum triumphorum fragmentis intelligebam, ſuſpicatus ſum triumphos duos accipiẽdos eſſe: vnum, quem de Volſcis; alterum, quem de Sabinis egerit: præſertim vero cum hos populos ab eo victos Liuius, Dionyſius, Meſſala, iſq; qui ſcripſit de viris illuſtribus, conſtantiſſime tradant. neque enim nomina ipſorum populorum in fragmento Capitolino exſtant.

DE CONSVLIBVS PRIMVM CREATIS, ET *quo vrbis anno, ac quo die inierint.*

HÆC eſt ſecunda mutatio reipubl. qua Superbo rege, cùm propter regis impotentiam, tum propter ſtuprum Lucretiæ a regis filio illatum, exacto, & libertate recuperata, imperium duobus viris annuum mandatum eſt; qui poſtea, quòd conſulerent reipublicæ, *Conſules* (vt in lib. de legibus ait Cicero) nominati ſunt. Creati autem ſunt a Sp. Lucretio Lucretiæ patre interrege, comitiis centuriatis ex commentariis Ser. Tullij regis. Omnia iura, omnia inſignia regum, primi conſules habuere. id modo cautum eſt, ne, ſi ambo faſces haberent, duplicatus terror videretur. Patricij autem ambo ſunt creati. quod iccirco aſcribo, vt progreſſus reip. cognoſcatur, cùm poſt etiam ex plebe ſint creari cœpti. nam hoc tempore vniuerſa in patriciorum poteſtate reſp. fuit. Ceterum annum, quo primi conſules inierunt, non eodem modo numerari ab omnibus inuenio. Liuius enim ac Dionyſius, poſt Romam conditam CCXLV appellant; alij vero, quorum opiniõnem nos ſequuti ſumus, CCXLIIII. Huius autem varietatis cauſa eſt, quòd illi Priſco regi annos XXXVIII

tribuerunt; hi, XXXVII. nos autem ab iis diſſidere coacti ſumus, vt ſumma annorum Capitolinorum conueniret. annus enim quo P. Valerius cos. de Veientibus triumphauit, in Capitolinis fragmentis CCLXXVIII appellatur; is vero quo Sp. Caſſius de Sabinis, CCLI: quo P. Poſtumius, Agrippa Menenius de Sabinis, CCL. Quæ ſi vere ſcripta ſunt, profecto, ſi regredientes, vſque ad annum, quo reges pulſi ſunt, perueniemus, eum CCXLIII, non CCXLIIII eſſe reperiemus. Quod autem dico a Capitolinis ſcriptoribus obſeruatum eſſe, idem aliorum etiam auctoritate comprobatur. Meſſalla enim anno ab vrbe condita CCXLIIII, pulſis regibus, ſub conſulibus annuo imperio iura Romana fuiſſe tradit: Oroſius anno ipſo CCXLIIII Brutum conſulem de filiis ſumpſiſſe ſupplicium. Rufus, Eutropius, Iornandes, itemq; Solinus, in emendatis præſertim libris, Romæ regnatum eſſe annos CCXLIII ſcribūt. Adde quod, cum Rufus dicat regnatum eſſe annos CCXLIII, a Roma condita ad Hirtium & Panſam conſules annos numerat DCCX; ab expulſis regibus, annos CDLXVII. qua ſumma nihil cum Capitolina eſſe poteſt congruentius. Eſt autem illud admonendum, magnam in annis ab vrbe condita numerandis ac digerendis inter antiquos ſcriptores diſſenſionem fuiſſe. Quod & Cicero tradit in Bruto, & nos ita eſſe ex variarum ſupputationum obſeruatione ac comparatione deprehendimus. Omnis autem huius controuerſiæ cauſa inde oritur, quod quos alij conſules, & ſine conſulibus dictatores ſæpe interſerunt, eos omnino alij prætereunt. quod & infra ſuo cuiuſque in anno oſtendam, & in ſupputatione etiam Liuiana alio loco demonſtraui. Eſt autem varia & inconſtans annorum apud omnes ratio vſque ad quingenteſimum ferme annum ab vrbe condita: ab eo vero hanc conſtantem inter eos eſſe controuerſiam inuenio, quod alij alios vno, alij duobus, alij tribus, alij quatuor annis antecedunt aut ſubſequuntur. * Vt autem de anno, ſic de die, quo primi conſules inierint, incertum diuerſi auctores faciunt. Plutarchus in Problematis primos coss. K. Ianuarij iniſſe ſcribit. Ouidius in Faſtis duos dies feſtos Romæ regis fugij tradit; vnum, VII K. Mart. alterum IX K. Iun. Ego vero Plutarchum errare, cum multis rationibus arbitror, tum vero quod anno tantum ſexcenteſimo ab vrbe condita, cōſules K. Ian. primum inire cœpiſſe inuenio. Neq; vero Brutus cos. primum conſulatum inire VII K. Mart. potuit: quippe qui auctore Plutarcho in Poplicola, prid. K. Mart. obierit. quid eſt enim abſurdius, quam tantas res, quantas ille in conſulatu geſſit, ab eo quinq; dierum ſpatio geſtas dicere? Neq; etiam Brutum VII K. Mart. magiſtratum cepiſſe, eumq; vſq; ad prid. K. Mart. ſequētis anni, id eſt ad extremum anni diem, obtinuiſſe, dicere poſſumus. nam ſi ita res cecidiſſet, nullum in Bruti mortui locum ſubrogari opus fuiſſet; cum tamen duo ſint ei deinceps ſuffecti, Sp. Lucretius, & M. Horatius: M. autem Horatius diu etiam ex rebus eius geſtis in magiſtratu fuiſſe videatur. Quod cum ita ſit, ſane efficitur, vt IX K. Iun. reges expulſi ſint. ſiquidem ſcribit Macrobius lib. primo Saturn. Nonnulli putauerunt Iunium menſem a Iunio Bruto, qui primus Romæ conſul factus eſt, nominatum; quod hoc menſe, id eſt K. Iuniis, pulſo Tarquinio, ſacrum Carnæ deæ in Cœlio monte voti reus fecerit. Sic autem efficitur, vt Bruto poſt nouem menſes in acie interfecto, in reliquum anni Sp. Lucretius, ac eo mortuo M. Horatius fuerint ſuffecti. Confirmant hanc opinionem ea quæ de ſegete matura meſſi, & de Tiberi leni fluente aqua, vt mediis caloribus ſolet, affert Liuius, cum de bonis regi reddendis paulo poſt regis expulſionem loquitur. ex iis enim Iunij potius, aut Quinctilis, quam Martij aut Aprilis tempus deſcribitur. Adde, quod Dionyſius ait primos conſules iniſſe quatuor menſibus illi anno deficientibus. Quod ita ego interpretor; conſueuiſſe eos tum a K. Octobr. annum ordiri: cum autem primi cos. circa K. Iun. inierint, menſes quatuor ante ſolennem exordiendi noui anni diem iniſſe. Fuiſſe autem videtur annus ille libertatis primus, non duodecim menſium, ſed ſexdecim; quod primi conſules Valerius Horatiusq;, quorum ille Tarquinio, hic Bruto in eundem annum ſuffectus eſt, de templo Capitolino dedicando inter ſe contenderunt; quod ab Horatio conſule Idib. Septembr. id eſt extremo mēſe conſulatus, conſecratum eſt, Plutarcho in Poplicola, & Liuio lib. VII, auctoribus. Quod autem circa K. Octobr. tum annum exorſi ſint, apparet ex Dionyſio, qui lib. VI, Sp. Caſſium & Poſtumum Cominium cos. anno CCLX conſulatum iniſſe ait K.

Septem-

Septembribus, citius quam alij ante consueuerint. Nihil tamen ante DXXX fere ab vrbe condita annum labantius atque inconstantius fuit, quam solennis consulatui ineundo dies. quod suo loco ostendam.

DE PRIMIS COS. AN. CCXLIIII.

NEMO est qui dissentiat quin L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, primi consulatum Romæ gesserint. Patrem Bruti M. Iunium vocat Dionysius; eumque progeniem vnius eorum prodit, qui cum Ænea coloniam condiderunt. Is duobus ex Tarquinia Prisci regis filia susceptis filiis, M. & L. Iuniis, vna cum maiore filio Marco a Superbo rege occisus est. Lucius autem, cum regis insidias metueret, quo facilius, quæ animo agitabat, exsequi posset, stultitiam simulauit; seq; *Brutum* (id est stultum) dici non recusauit. Itaque cum Sex. Tarquinius Lucretiæ Collatini vxori vim intulisset, primus populum ad libertatem recuperandam incitauit; & primus expulso rege consul factus est cum Collatino Lucretiæ viro; de quo nõ idem tradit Liuius & Dionysius. ille enim, hunc Egerij filium, Aruntis nepotẽ, Damarati pronepotem; hic vero, Egerij nepotem, Aruntis pronepotem, Damarati abnepotem vocat. Plutarchus in incerto est, vtram sequatur sententiam. Ego tamen sequutus sum Dionysium, qui in eiusmodi quæstione acutissime mihi versari videtur. Quia vero patris prænomen non traditur a Dionysio, interuallum inane relinquere sum coactus: quod multis aliis etiam in locis erit necessario faciendum. Porro autem *Collatini* cognomen inuenit primus Egerius, cum diu Collatiæ præfuisset. de quo in II Fastorum Ouid. *clarum cui dederat Collatia nomen.* Quoniam autem credo in Capitolinis consulibus eos præponi, qui priore mense fasces habuerint; prior autem ex his habuit Brutus; propterea Collatino eum præposui. De Bruti fascibus auctor est Liuius; & Valerius lib. VII. Bruti, inquit, vafre telluri impressum osculum, vrbi libertatem, ipsi primum in fastis locum tribuit. & Virgilius, *Consulis imperium hic primus sæuasque secures Accipiet.* Quod autem, COACTVS ABDICAVIT, scripsi, feci ex Capitolinarum tabularum præscripto; in quibus caussæ omnes notari solent depositi magistratus. Huius autem abdicationis Collatini non eadem caussa ab omnibus traditur. Liuius enim libro II, Plutarchus in Poplicola, L. Tarquinium consulem scribunt, ne nomen Tarquiniorum populo infensum in vrbe esset, hortatu consulis Bruti deposito magistratu, sponte vrbe cessisse. idem scribit L. Piso apud Gellium libro XV; L. Tarquinium collegam suum, quia Tarquinium nomen esset, metuere: eumque orat, vti sua voluntate Roma cõtendat. Hanc autem opinionem Dionysius irridet, & refutat. ortam autem esse dissensionem inter Brutum & Collatinum ait, cum Brutus supplicio de filiis, qui de recipiendis in vrbem regibus consilia habuerant, sumpto, pariter in sororum Collatini filios coniurationis eius socios animaduerti vellet. Quos cum pro pari potestate, qua præditus erat, eximere pœna Collatinus vellet, Brutum, misso in suffragia populo, ei magistratum abrogasse. Pisonem sequitur Cicero III de officiis, & in Bruto; Dionysium Zonaras. P. autem Valerium Collatino suffectum, qui Brutum ante in expellendo rege iuuerat, apud omnes inuenio. Pater huius in annalibus Volesus, in tabulis Capitolinis Volusus appellatur. POPLICOLA autẽ in hoc magistratu vocatus est, quia leges tulit valde populares, vt de prouocatione a consulibus ad populum, & de imperio a populo accipiendo; vt Liuius & Dionysius auctores sunt. Dictus est autem Poplicola, auctore Dionysio, quasi δημοκηδής, id est populum colens. Hanc autem rationem scribendi, ex Capitolinis consulibus sumpsi, in quibus est alio loco ita; QVI IN HOC HONORE MESSALL. APPELLAT. EST. &, QVI IN HOC HONORE CENSORIN. APPELL. EST. a qua formula ne pũctũ quidem mihi discedendum esse duxi. Porro aũt L. Brutum cos. in magistratu ab Arunte Superbi regis filio (mouerat enim rex Romanis bellum) interfectum in prœlio esse prid. K. Mart. Plutarch. & alij tradunt. Quo mortuo P. Valerius Sp. Lucretiũ Tricipitinum Lucretiæ patrem sibi cooptauit, eique vt natu grandiori prius fasces dedit. Dionysius, Liuius, Plutarch. Liuius præterea ac Dionysius auctores sunt, Lucretium iam ætate confectum, paucos intra dies mortuum esse; in eius autem locum M. Horatium Puluillum subrogatum. Addit Liuius, in quibusdam annalibus Lucretium consulem

prætermiſſum, & Bruto ſtatim M. Horatium eſſe ſuffectum; forte, quia nulla res inſignem fecerit conſulatum, memoria excidiſſe.

De triumpho P. Valerij Poplicolæ cos. de Etruſcis.

Hoc anno L. Superbum regem, atque Etruſcos a Superbo ipſo concitatos, bellum populo R. intuliſſe, Veientes nempe & Tarquinienſes; deque iis populis P. Valerium conſulem re præclare geſta triumphaſſe, auctores ſunt Dionyſius lib. v, Liuius lib. II, Plutarchus in Poplicola, & is qui ſcripſit de viris illuſtribus. Addit Plutarchus, primum hũc fuiſſe, qui quadrigis vectus triumphauerit. Huic ego quod PRIMVS adſcripſerim, feci ex obſeruatione Capitolinorum triumphorum. Nam qui in aliquo magiſtratu alicuius auctor eſt inſtituti, is ſane hac ratione ibi deſcribitur: vt infra, Q. PVBLILIVS PHILO PRIMVS PRO COS. & C. DVILIVS PRIMVS NAVALEM EGIT. P. autem Valerium primum fuiſſe qui conſul triumphauerit, notat Dionyſius, & Plutarchus, & Zonaras. Triumphatum autem eſſe K. Mart. puto, quia Dionyſius ait, poſtridie quam pugnatum erat, triumphum eſſe actum. Pugnatum autem eſt Plutarcho auctore pridie K. Martias.

DE COS. AN. CCXLV.

Consvles ſecundus poſt exactos reges annus habuit P. Valerium iterum, & T. Lucretium, auctore Liuio, & Dionyſio. Iterum autem conſul Valerius ſcribitur, vt idem eſſe, qui priore anno fuit, intelligatur. notatur autem hoc modo, II. ſic enim eſt in nummis antiquis, & lapidibus, maxime Capitolinis. Qua de re ſcribit etiam Gellius lib. x; vbi numerum tertij conſulatus Cn. Pompeij in theatro tribus tantum lineis III inciſis ſignificatum ait fuiſſe. Eſt autem hoc a nobis obſeruatum, numeros quibus magiſtratus multiplicati notantur, ſuperimpoſitam habere lineam, hoc modo; $\overline{\text{II}}$, $\overline{\text{III}}$, $\overline{\text{IIII}}$, in Capitolinis tabulis; triumphorum vero numeros nullam, ſic, II, III, IIII. quod ipſum differentiæ cauſſa nobis diligentiſſime cuſtodiendum eſſe putauimus. Porro autem T. Lucretium patrem eſſe reor T. Lucretij T. F. T. N. Tricipitini, qui cos. eſt anno vrbis CCXCI in Capitolinis tabulis. His conſulibus L. Porſena rex Cluſinus, rogatu Tarquiniorum, bellum populo R. intulit, nec quicquam profecit.

De Luſtro V.

Censvm, cuius auctor Ser. Tullius rex fuerat, cum toto Superbi regno intermiſſus fuiſſet, hoc anno, & ab his conſulibus actum atque relatum eſſe, cenſaque eſſe ciuium capita CXXX millia, Dionyſius ſcribit. Solet autem Dionyſius cenſus nomine etiam luſtrum intelligere, vt in VIII luſtro dicam; quo loco, & hoc luſtrum quintum eſſe, nec vllo modo prætermitti poſſe, docebo.

DE COS. AN. CCXLVI.

Consvles in hunc annum edit Liuius P. Lucretium, & P. Valerium Poplicolam: Dionyſius P. Valerium Poplicolam tertium, M. Horatium iterum. Plutarchus P. Valerij tertium conſulis tantummodo meminit. Nos Dionyſium ſequuti ſumus, quem faſti quidam conſulares Græce ſcripti, atque ex Sicilia (vt audio) aduecti, & alij etiam Latini, quos citat Cuſpinianus, ſequuntur; in quibus conſules deinceps collocantur cognominibus eorum tantum allatis, hoc modo;

BRVTO, & COLLATINO	Βρούτου καὶ Κολλατίνου.
PVBLICOLA II. & TRICIPITINO	Ποβλικόλα καὶ Λουκρητίου.
PVBLICOLA III. & PVLVILLO.	Ποβλικόλα β, καὶ Πουλουίλλου.

Eſt autem *Puluillus* M. Horatij cognomen. Addit Dionyſius, hoc demum anno ædem Iouis Capitolini a M. Horatio conſule dedicatam eſſe; quam Liuius ab eodem dedicatam tertio ante anno ſcripſit. Hoc anno Etruſco bello finis, pace cum Porſena facta, impoſitus eſt, Porſena ipſo nouis Romanæ fortitudinis exemplis Horatij, Mucij, & Clœliæ virginis perculſo.

DE COS. AN. CCXLVII.

Poplicolæ tertium consuli suggerit consules Dionysius Sp. Lartium, & T. Herminium. idem facit Cassiodorus; idem liber Cuspiniani, ita;
PVBLICOLA III. & PVLVILLO.
RVFO, & AQVILINO.
VALERIO, & TVBERTO.
Contra Liuius hos omittit, atque M. Valerium & P. Postumium Tubertum subijcit; sed (vt ostendi in scholiis Liuianis) vitio librariorum. qui rationes, cur ita censeam, quæret, inde facile petere poterit. In fastis Siculis non hi solum, sed etiam sequentes consules omittuntur. Hos autem consules a Capitolina supputatione non respui, satis constat; quod qui sequentes annorum numeros intuebitur, facile intellexerit. Meminit Sp. Lartij sæpius Dionysius; sed sæpe cum menda. est autem Σπόεριος Λάρκιος Φλαῦος in secundo huius consulatu legendum. quod *Flauum* cognomen huic sæpe attribuit Dionysius, id *Rufum* esse in libro Cuspiniani, satis cõstat. Nam *Aquilinus* Herminij collegæ cognomen est. Hic Sp. Lartius frater fuit T. Lartij dictatoris. Dionysius lib. v. Quietus a bello annus hic fuit.

DE COS. AN. CCXLVIII.

Consvles subsequuti sunt M. Valerius, & P. Postumius, Liuio & Dionysio testibus. M. Valerius Poplicolæ frater fuit. Dionysius, Liuius, Plutarchus. Postumius cognomine vsus est TVBERTO, Zonaras, Plutarch. in Poplicola, Dionysius libro v, & vi; & Cicero de legibus, cum ait, Tuberto virtutis caussa tributum est vt in vrbe sepeliretur; quod eius posteri iure tenuerunt. de eodem Valer. lib. II, cap. II. Itaque in lib. Cuspiniani hi consules ita scribuntur; VALERIVS, & TVBERTVS. Hunc Quincti filium vocat Dionysius, vbi de legatis consularibus agit ad plebem missis anno CCLX.

De triumphis M. Valerij, & P. Postumij Tuberti cos. de Sabinis.

Hoc anno Sabini, contemptis Romanorum opibus Etrusco bello fractis, bellum a latrociniis exorsi intulerunt. de quibus prœlio victis M. Valerium, P. Postumium consules triumphasse, auctor est Dionysius lib. v, & Liuius lib II. Plutarchus autem in Poplicola M. Valeriũ Poplicolæ fratrem de Sabinis, quos bis prœlio fuderat, triumphasse; Plinius lib. XXXVI, cap. XV, fratrem Poplicolæ bis Sabinos in eodem magistratu vicisse aiunt. Hic est M. Valerius cui, quia sæpius vicerat, ædes in Palatio tributæ sunt, & publico sumptu ædificatæ. cuius rei auctores sunt Dionysius lib. v, Pædianus in Pisonianam, Plutarchus in Poplicola, Plinius lib. XXXVI, cap. XV.

DE COS. AN. CCXLIX.

Livivs in hunc annum consules prodit P. Valerium Poplicolam IIII, & T. Lucretium II. Idem scribit Dionysius, Plutarchus, & Cassiodorus. Fasti Cuspin. Publicolam IIII, & Tricipitinum edunt; Siculi, Poplicolam III, & Lucretium II. De quatuor Poplicolæ consulatibus sic Valerius lib. IIII; Valerius Poplicola consulatus initium cum Bruto auspicatus est; idemque postea tres consulatus acceptissimos populo Romano gessit.

De triumpho II P. Valerij Poplicolæ cos. IIII, de Sabinis.

Consvles hoc anno Sabinorum opibus prœlio comminutis triumphasse, Liuius tradit, & Dionysius. Plutarchus & Zonaras cum operam nauasse vtrumque consulem Sabinorum in bello scribant, non tamen nisi Poplicolam triumphasse aiunt. Atque hic vnus etiam triumphus est in fragmentis Capitolinis. Quoniam autem ex iisdem fragmentis apparet, non solum de Sabinis, sed etiam de Veientibus ab eo esse triumphatum, quod Liuius & Dionysius omiserunt, non ignorandum est,

id etiam recte videri factum. Nam qui de viris illustribus scripsit, Poplicolam ait primum de Veietibus, iterum de Sabinis, tertium de vtrisq; gentibus triumphasse. quamquam nos eum bis tantum triumphasse arbitramur. quod ex fragmentis etiam Capitolinis intelligi potest.

DE COS. AN. CCL.

Livivs & Cassiodorus consules suggerunt Agrippam Menenium, & P. Postumium: Dionysius Agrippam Menenium Lanatum, P. Postumium Tubertum iterum: Fasti Cuspiniani, Tubertum iterum, & Lanatum: Siculi, Menenium, & Postumium: Zonaras Postumium II, & Agrippam. Agrippam Meneniũ C. F. vocat Dionysius, vbi de legatis consularibus agit ad plebem missis anno CCLX. Valerius vitiose hunc lib. IIII, cap. IIII, M. Menenium Agrippam nominat. rectius qui de viris illustribus scripsit, Menenium Agrippam cognomento Lanatum.

De P. Postumio Tuberto cos. II, ouante; Agrippæ Menenij Lanati cos. triumpho de Sabinis.

Hoc anno colonias duas Latinas Pometiam & Coram ad Auruncos defecisse, cum Aruncis initum bellum, deque iis acie victis consules triumphasse, tradit Liuius. Dionysius autem Sabinos, tertiam in agrum R. impressionem facientes, a consulibus fusos cæsosq; esse; atq; de iis Agrippam consulem triumphasse, Postumium primum ouantem vrbem ingressum scribit. Quem, quia certiora affert, (vt solemus) sequuti sumus. De Agrippa enim idem scribit is qui de viris illustribus tradidit, & Dionysius iterum lib. VI extremo, vbi mortem eius exponit: quo in loco εἷς τῶν ὑπατικῶν legendum est, non τῶν ὑπάτων. De Postumio vero Plin. lib. XV ita ait; Bellicis se quoque rebus myrtus inseruit; triumphansq; de Sabinis Postumius Tubertus in consulatu, (qui primus omnium ouans vrbem ingressus est, quoniam rem leuiter sine cruore gesserat) myrto Veneris victricis coronatus incessit; optabilemq; arborem etiam hostibus fecit. Vtriusq; etiam triumphi vestigia certissima in Capitolinis fragmentis exstant. Vtrumque etiam consulem rem bene in Sabinis gessisse tradit Zonaras.

De ouatione instituta.

Nvnc vero, quia locus postulat, de ouatione quid inuenerimus exponamus. *Ouationem* minoris esse triumphi genus, Dionysius lib. V, Plutarchus in Marcello memoriæ prodiderunt. Ouantes scribit Festus lætantes esse, ab eo clamore quem mittunt redeuntes e pugna victores milites, geminata litera O. quod idem placet etiam Dionysio. quasi vero Romani, inquit, εὐασμὸν Græcorum vocem, quæ clamorem significat, ouationis nomine voluerint interpretari. At Plutarchus hanc opinionem refellit, & ouationis nomen ab oue ductum putat: quam qui hoc genere triumphi ornabatur, sacrificabat; quemadmodum qui maiorem triumphum agebat, taurum in Capitolium veniens immolabat. Differt autem ouatio a triumpho, vt ait Dionysius; quod qui ouans ingreditur, is nec curru vectus, nec trabeam nec togam pictam indutus, pedibus vrbem exercitu præeunte iniret. Plutarchus autem eundem nec quadrigis inuectum, nec laurea coronatum, nec tubis concinentibus, sed pedibus & calceis, myrtea redimitum, tibiis modulantibus vrbem inisse scribit. Myrtea autem eos potius esse vsos, quam (vt ait Dionysius) laurea, Plutarcho assentior; quod id etiam traditum sit a Plinio, Festo, & Gellio. Hoc autem triumphi genus hoc primum anno a senatu institutum esse, ex Licinij annalibus docet Dionysius. Cur autem hoc factum sit, non eandem causam idem cum Plinio affert. hic enim, quia Postumius leuiter & sine cruore rem gesserat; ille, ex prælio ante infelicissime facto; in quo, plurimis ex suis amissis, parum abfuit quin ipse cum ceteris in fuga caperetur. De caussis autem huius decernendi honoris, ita scribit Gellius lib. V; Ouandi non triumphandi caussa est, cum aut bella non rite indicta, neque cum iusto hoste gesta sunt, aut cum hostium nomen humile & non idoneum est, vt seruorum piratarumque; aut deditione repente facta, * in puluere (vt dici solet) incruentaque victoria obuenit. cui facilitati aptam esse Veneris frondem crediderunt; quod non Martius, sed

quasi

quasi Venerius triumphus quidam foret. Hanc myrteam coronam M. Crassus, bello fugitiuorum confecto, cum ouans rediret, insolenter aspernatus est; senatusq; consultum faciendum per gratiam curauit, vt lauro, non myrto coronaretur. Adijcit Plutarchus, cum verbis & comitate res cum hostibus transacta & bene gesta esset, tum vt ouantes inirent, fuisse permissum. His adde, cum aut in aliena prouincia, aut alienis auspiciis, aut cum sine magistratu res gesta esset: vt sigillatim suo loco exponetur. Pedibus autem, an equo vecti ouantes ingrederentur, magna quæstio est. de qua sic etiam Gellius; Prætereundum non est, quod ad ouationem attinet, super quo dissentire veteres auctores scio. partim enim scripserunt, qui ouaret, introire solitum equo vehente. & Sabinus Massurius pedibus ingredi ouantes dicit, sequentibus eos non militibus, sed vniuerso senatu. Hæc Gellius. Itaque Dionysius, pedibus ingressos; Dio, equo vectos intelligit. Etenim ouantem ingredi, equo vehi Dio appellat. Nam de Tiberio ouante ait; τὰ ἐπὶ τοῦ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε. & de Druso; τὸ ἐπὶ κέλητος ἐς τὸ ἄστυ ἐλάσαι. & de Augusto; τὸ ἐφ᾽ ἵπποις ἐξελάσαι. & de Antonio; ἐπὶ ἵππων αὐτοὺς ἐξαγαγόντες. & de Cæsare; ἱππεύοντα ἐκ τοῦ Αλβανοῦ. Dionysius autem pedestrem triumphum ouationem vocat, dum de A. Manlio ouante an. CCLXXIX loquitur.

DE COS. AN. CCLI.

IN hunc annum consules comparantur a Liuio & Zonara Opiter Virginius, & Sp. Cassius: a Dionysio vero, qui vberior est, Sp. Cassius Vscelinus, & Opiter Virginius Tricostus. Liuium sequitur Cassiodorus. TRICOSTVM cognomen esse Virginiorum, satis constat. Quem autem Dionysius Οὐσκελῖνον, Cicero in Lælio *Becillinum*, fasti Cuspiniani *Viscellinum* vocant. hos ego sequutus sum. quamquam in Siculis est Tricostus & Vitellinus.

De triumpho Sp. Cassij Viscellini cos. de Sabinis.

LIVIVS hoc anno rem bene gestam in Auruncos scribit; deque iis magis ob iras grauiter vltas, quam ob magnitudinem perfecti belli, consules triumphasse. Dionysius Sp. Cassium tantum de Sabinis triumphasse; & Sabinorum bellum, quod iam per annos quatuor gerebatur, cōfecisse ait. cui ego, & quia in hac colligenda historia diligentior est Liuio, & quia cum fragmentis Capitolinis consentit, assentior. quod etiam in prioribus proximis triumphis describendis feci. Adde etiam, quod Zonaras ab his consulibus pacem Sabinis datam scribit.

DE COS. AN. CCLII.

HIC annus consules habuit Postumum Cominium, & T. Lartium. Liuius, Dionysius, Zonaras, Cassiodorus. Horum consulum cognomina fuerunt, fastis Cuspiniani testibus Auruncus & Rufus; Siculis vero, Aruncus & Flauus. Valerius lib. IIII, cap. III, Postumi Cominij II consulis meminit, & Postumi Cominij Aurunci in epitoma. T. Lartius Flauus, a Dionysio dicitur frater Sp. Lartij, de quo supra dictum est. His consulibus populi Latinorum in Ferentinum agrum, auctore Mamilio Tarquinij regis genero, conuenerunt; atque absentibus Romanis, quos ad cōcilium ex fœdere non aduocauerant, de bello aduersus eos suscipiendo egerunt; vt ait Dionysius. Liuius eius rei caussa dictatorem primum creatum scribit; quem triēnio post creatum Dionysius tradit.

DE COS. AN. CCLIII.

CONSVLES suggerit in hunc annum Liuius & Zonaras, Ser. Sulpicium; & M. Tullium: Siculi fasti, Camerinum, & Longum; Cuspiniani, Camerinum & Tullium: Dionysius Ser. Sulpicium Camerinum, & Manium Tullium Longum. M. Tullij Cos. meminit Cicero in Bruto, cum ait; Vt si me a M'. Tullio esse dicerem, qui patricius anno x post reges exactos, cum Ser. Sulpicio cos. fuit. De *Manio* prænomine in Prænominibus dictū est. Ser. Sulpicium P. F. Camerinum vocat Dionysius, vbi

de legatis consularibus agit. Idem Manium Tullium in magistratu mortuum esse scribit; neque in eius locum quemquam, quia prope in fine annus erat, subrogatum. Hoc anno nihil dignum memoria actum. Liuius.

DE COS. AN. CCLIIII.

CONSVLES edit in sequentem annum idem cum Cassiodoro T. Æbutium, & P. Vetusium: Dionysius P. Veturium, & P. Æbutium Ἐλαάλβαν; mendose, pro P. Veturium, & T. Æbutium Ἔλβαν. sic enim, vbi de legatis consularibus agit, & in magisterio equitum Æbutij, scriptum est. Idem T. Æbutium T. F. vocat. cuius cognomen *Eluam* esse, Latini quoque scriptores asserunt. P. Veturium eundem esse puto cum eo quem Poplicola primum consule primum quæstorem cum M. Minucio factũ scribit Plutarchus, vbi eum Πόπλιον Οὐετούριον nominat. vt omnino Publij prænomen magis probem quam Caij, quod in deprauatis est Liuij libris. Qui *Vetusium* scribunt, antiquam consuetudinem imitantur, qua S. pro R. ponebatur; vt cum Fusios, Valesios, Papisios, Auselios dicebant; qui Veturium, recentem vsum. Hac de re Liuius in anno CCXCI. Veturij cognomen est GEMINVS. in fastis enim Siculis horum consulum cognomina sunt Elua & Geminus. His consulibus Fidenæ obsessæ, Crustomeria capta, Præneste ab Latinis ad Romanos desciuit. Liuius.

DE COS. AN. CCLV.

LIVIVS consules subijcit Q. Clœlium cum T. Lartio. item Cassiodorus. Dionysius T. Lartium Flauum, Q. Clœlium Siculum. in Fastis Cuspiniani huic anno hæc duo cognomina consulum respondent, Siculus, Rufus; quorum illud, Clœlij est; hoc, Lartij. sic enim pro Flauo Rufum etiam supra attulerunt, vt Siculi Flauum & Siculum. T. Lartius est idem qui ante consul & dictator fuit. Dionysius. Hoc anno nihil actum exponit Liuius: cum tamen Fidenas a Lartio consule captas, & de Fidenatibus supplicium sumptum Dionysius scribat.

De dictatore, & magistro eq. primum creatis.

NVLLVM inuenio magistratum, de quo tam variæ sint veterum scriptorum, & tam discrepantes sententiæ, quam de dictatore. Neque enim aut quo anno, aut qua caussa, aut quis primus dictator factus sit, conuenit. Hanc autem annalium discordiam Liuius etiam mirans, quid de hac re constituat, ambigit. Dionysius asseuerantior est. Nos vtriusq; sententiam exponemus. Liuius igitur, etsi, quod sequatur, certum nihil habet; tamen triennio ante, dictatoris primum creandi mentionem ortam esse censet. Dionysius eam in hunc annum reijcit, quo anno T. Lartius II, & Q. Clœlius Siculus consulatum gesserunt. Liuium sequuntur Eusebius & Eutropius. vterque enim eorum nono post reges exactos anno dictatorem creatum esse ait. Neque vero de caussa etiam (vt dixi) conueniunt. Orosius enim, Sabinorum bellum mouentium caussa; Liuius, ad Sabinos Latini etiam belli metu accedente, cum triginta iam coniurasse populos, concitante Octauo Mamilio, satis constaret. Dionysius & Zonaras, cum plebs graui ære alieno demersa, ad bellum Latinum nomina dare detrectaret, post longas consultationes nouum hunc magistratum, a quo nulla esset prouocatio, ad comprimendos sedandosque eius tumultus, senatum creasse ait. Atque alij quidem (vt inquit Liuius & Festus) M. Valerium M. F. Volusi N. qui nondum consul fuerat, creatum scribunt: alij vero, quos & Liuius & Dionysius sequuntur, T. Lartium consulem. Senatusconsultum autem factum ait Dionysius, vt Lartius & Clœlius consules, ceterique magistratus abdicarent, vnusque vir, quem senatus nominaret, populus scisceret, haud amplius quam per sex mensium spatium, sine prouocatione, & maiore quam consules potestate, imperaret. Itaque Clœlio consuli negotium datum dictatoris dicendi. Clœlium autem T. Lartium Flauum collegam suum dixisse. De iure autem dictatoris sic Festus lib. XIII; *Optima lege* cum diceba- tur in magistro populi faciendo, qui vulgo *Dictator* appellatur, quam plenissimum posset ius esse significabatur; vt fuit M. Valerij M. F. Volusi nepotis; qui primus magister populi creatus est. postquam vero prouocatio ab eo magistratu ad populum

populum data est, quæ antea non erat, desitum est dici vt optima lege; vtpote imminuto iure priorum magistratuum. Hęc ille. Patricij aūt primi dictatores creati sunt. neq; enim nisi post centesimū & quinquagesimum fere annum, hic magistratus plebi patuit. Vt autem e consularibus fierent, lege prouisum tradit Liuius. Dictatorem porro tradit Dionysius ab Albanis sumptum esse, qui post Numitoris & Amulij mortem deficiente regia stirpe, annuo magistratui regium imperium commendauerint. Dictatoris autem vocem, duplicem habere posse originem. Nam & quod non a populo crearetur, sed ab vno diceretur, & quod ipse edicendi summam potestatem haberet, videri Dictatorem vocatum: siquidem rerum iustarum iniustarumque iussa a Romanis *Edicta* nominari. Quæ autem a Dionysio scripta sunt, ea Varro de lingua Latina confirmat, cum ait; Dictator, quod a consule diceretur, cuius dicto omnes audientes essent, nominatus est. Vtrasq; etiam caussas exponit eleganter Plutarchus in Marcello. *Magistrum* autem *equitum* dictum esse a dictatore primo T. Lartio, tradit Dionysius; atque inde eam semper in republ. consuetudinem vsq; ad suam ætatem mansisse, vt dictator sine magistro equitum magistratum non gereret. Quod tamen & bello Punico secundo, & postremo ab ipso etiam Cæsare neglectum esse comperio. Huius autem vocis ratio ea fuit, quam tradit Varro lib. quarto de lingua Latina, quod summa potestas eius esset in equites, & accensos; perinde atq; summa est in populum dictatoris; a quo is quoq; *magister populi* appellatus est. Magistrum autem equitum primum dictum fuisse Sp. Cassium, eum qui ante cōsul fuerat, Dionysius & Liuius produnt. Ac causæ quidem dictatoris a principio creandi illæ fuerunt, quas diximus, Rei gerendæ, & Seditionis sedandæ. Verum progredientibus temporibus, aliæ deinceps accessere; vt Claui figendi, Ludorum faciendorum, Feriarum Latinarum, Comitiorum habendorum, Senatus legendi, & Reipubl. constituendæ; de quibus suo loco. Cum autem in dictaturis Capitolinis obseruatum sit, vt caussa etiam dictatoris dicti exstaret, propterea id ipsum nobis etiam studiosissime retinendum esse putauimus; ea custodita ratione scribendi, quam in tabulis Capitolinis vsurpari animaduertimus. Hic dictator censu populi habito exercitum in Latinos eduxit; ac Latinorum vrbibus per legatos ab armis deterritis, quosdam ex Mamiliano exercitu, agrum Romanum populantes, partim cecīdit, partim cepit; ac dissolutis Latinorum copiis, annuas vrbibus inducias dedit. Dionysius.

De Lustro VI.

OMNINO Liuius, cum ad sua tempora properaret, exiliter atque anguste res has a primis reipubl. temporibus videtur tractasse, & consulto negligens fuisse. neq; enim cum aliarum multarum rerum meminit, quæ cognitu & vtiles & iucundæ essent; tum ne lustrorum quidem etiam & censuum; quæ res ad tradendū Romani imperij incrementū maxime pertinetet. Itaq; nisi eorum nobis vestigia certa Dionysius reliquisset, nullum omnino censum horum temporum haberemus. Scribit enim dictatorem Lartium ex instituto Ser. Tullij populum censuisse, eoq; lustro centum quinquaginta millia & septingenta capita esse censa. Eusebius item, qui triennio ante Lartium dictatorem prodit, eodem etiam anno factum esse censum ait. Dionysium autem Census nomine Lustrum etiam comprehendere, alio loco docui.

DE COS. AN. CCLVI.

LIVIVS, & Cassiodorus consules in hunc annum edunt A. Sempronium & M. Minucium: fasti Cuspiniani cum Siculis Atratinum & Augurinum. at Dionysius A. Sempronium Atratinum, & M. Minucium Augurinum. quamquam Augurini cognominis non meminit nisi in secundo Minucij consulatu. Fuisse autem *Atratinum* Semproniorum, *Augurinum* Minuciorū cognomen, satis infra apparebit. His consulibus ædes Saturno dedicata; Saturnalia dies festus institutus. Liuius, Dionysius.

DE COS. AN. CCLVII.

A. Postumium, T. Virginium COS. deinceps factos esse inuenio apud Liuium, & Cassiodorum, & Dionysium. In fastis Siculis Album & Cœlimontanum inuenio.

Itaq; Dionysius vbi de legatis agit ad plebem missis, hunc vocat A. Postumium P.F. Album; & Plutarchus in Poplicola, Postumium Album. quamquam vtrobiq; mendose est βάλβος, pro ὁ ἄλβος. *Albus* enim & *Albinus*, Postumiorum cognomina sunt. Itaq; filius huius in Capitolinis consulibus dicitur P. Postumius A.F.P.N. Albus Regillensis. TRICOSTVS, est (vt ante dixi) Virginiæ gentis cognomen. quod vna cum Regillensi in fastis Cuspiniani huius anni consulibus respondet.

De A. Postumio Albo dictatore, & triumpho eius de Latinis.

HOC anno Latinis populis post annuas inducias, duce Mamilio Tusculano, quē Tarquinij excitauerant, mouentibus, in magna trepidatione ciuitatis, opus dictatore fuit. Itaq; ex consulibus alter, A. Postumius, qui minor erat natu, a collega Virginio Dictator dicitur. Postumius T. Æbutium T.F. Eluam, virum cōsularem, magistrum equitum dixit. Ita Dionysius. Nam Liuius, etsi variātibus annalibus in vtram partem inclinet in dubio est, tamen tertio ante anno, P. Veturio, T. Æbutio cōsulibus, dictatorem A. Postumium dictum tradit. Nos autem Dionysium sequimur; quia verosimilius videtur, Postumium in consulatu, quam ante consulatum, dictatorem esse ex lege dictum. Magistrum equitum bello Latino ad lacum Regillū fuisse Cossum, scribit Florus. Idē sentire videtur is qui de viris illustribus tradidit; cum Cossi strategema illud exponit, de quo Liuius in anno CCXXVII. in quo valde decipiūtur. Ceterum rem prospere gestam esse ad lacum Regillum a Postumio dictatore Latinis prœlio victis, & triumphum nobilissimum actum esse, scribit cum Liuio Dionysius. Eiusdem victoriæ meminit etiam Florus, Valerius lib. I, & auctor libri de viris illustribus. Hanc pugnam pugnatam esse idibus Quinctilibus, Dionysius lib. VI, Plutarchus in Coriolano, tradidere. Triumphi autem vestigia sunt in Capitolinis triumphis. ex quibus apparet etiam hunc *Regillensem* esse dictum; credo, quod bene ad lacum Regillum pugnauerit. Hoc bello a Romanis fœdus & societas antiqua Latinis populis reddita. Dionysius.

DE COS. AN. CCLVIII.

Ap. Claudium, P. Seruilium COS. produnt in hunc annum Liuius & Cassiodorus: fasti Cuspiniani & Siculi, Sabinum & Priscum. at Dionysius Ap. Claudium Sabinū, P. Seruilium Priscum. Ap. Claudij cum Seruilio consulis anno ab vrbe condita CCLIX, meminit Plin. lib. XXXV, cap. XXXI. sequitur enim Liuianam hoc loco & Dionysianam summam. Hic est princeps gentis Claudiæ, * *Actius Clausus* primum, post *Ap. Claudius* appellatus; qui ex Sabinorum vrbe Regillo (vnde *Sabinus Regillensis* dictus) Romam commigrauit anno ab vrbe condita CCL, atque in patricios adscriptus est. Liuius, Dionysius, Suetonius in Tiberio, auctores. Hic auus decemuiri Ap. Claudij fuit; qui quia in Capitolinis tabulis Ap.F.M.N. scribitur, propterea hūc ego cogor vel inuitus Marcum Claudium nominare. P. Seruilius, P.F. a Dionysio dicitur, vbi de legatis consularibus agit ad plebem missis.

De triumpho P. Seruilij Prisci cos. de Volscis.

VOLSCIS hoc anno bellum illatum, quod auxilia comparassent, quæ superiore bello Latinis mitterent. P. autem Seruilium cos. re bene contra Volscos gesta, cum triumphum a senatu, Claudio collega intercedente, non impetrasset, cum lictoribus coronatis coronatum, & triumphali veste ornatum, vrbem plebe, cui carissimus erat, prosequente iniisse, atque in Capitolio vota persoluisse, scribit Dionysius. Quem triumphum nec Liuius, nec Capitolina fragmenta habent; credo, quia inuito senatu, a quo tum decernebantur triumphi, est actus. quamquam Liuius consulem cum maxima gloria sua victorem exercitum reduxisse ait.

DE COS. AN. CCLIX.

CONSVLES memorat in hunc annum Liuius & Cassiodorus T. Vetusium, & A. Virginium: Dionysius A. Virginium Montanum, T. Veturium Geminum: fasti Cuspiniani, Montanum & Geminum; Siculi, Cœlimontanum & Geminum. Qui

autem

autem *Montanus*, idem etiam *Cælimontanus* fuit. itaque Dionysius vbi de legatis consularibus agit, de hoc inquit; Αὖλος Οὐϊργίνιος Αὔλου υἱὸς καὶ τομεντανός: mendose pro καιλιμοντανός. sic enim alio loco Liuius. Hos consules Pædianus in Cornelianam A. Virginium Tricostum, L. Veturium Cicurinum appellat. ex quo intelligi potest, vtrumque horum duo cognomina tulisse, Tricostum Cœlimontanum, & Geminum Cicurinum. sic enim alio loco alij, vt apparebit. Hunc annum vna cum Cicerone post reges exactos XVI esse Pædianus scribit.

De M. Valerio dictatore, & triumpho eius de Sabinis.

CVM Æqui, Volsci, & Sabini vna omnes mouerent, ac plebs ad bellum nomina profiteri nollet, iamq; seditio, anno priore nexorum caussa commota, vehementius in dies gliseeret, visum est patribus ad dictatorem cōfugere, cuius metu plebs sine dubio quietura esset. Itaque Manius Valerius dictator dicitur. is Q. Seruilium sibi magistrum eq. cooptauit. Hæc Dionysius, ac fere etiam Liuius. Manium Valeriū Volesi filium Liuius, Poplicolæ fratrem Dionysius tradunt. Eundem septuaginta amplius annos natum Dionysius, non consularem dictatorem factum Liuius auctores sunt. Q. etiam Seruilius, P. Seruilij P.F. Prisci priore anno consulis frater a Dionysio proditur. Seditionis autem sedandæ, & rei gerendæ causa factum notaui, quod apud Liuium Valerius ipse ita loquitur; Discordiæ intestinæ, bellū externum fecere, vt hoc magistratu egeret respubl. Et vero triumphus etiam ab eo actus, rem ab eo gestam esse ostendit. Idem Liuius libro VII, claui figendi caussa hunc dictum esse videtur significare, cum ait in anno CDXXII; Itaque memoria ex annalibus repetita, in secessionibus quondam plebis clauum ab dictatore fixum, alienatasque discordia mentes hominum eo piaculo cōpotes sui fecisse; dictatorem claui figendi caussa creari placuit. Quod enim scribit Liuius in secessionibus quondam plebis clauū a dictatore fixum, id quando factum sit, nisi hoc anno, diuinare non possum. Cum igitur & plebs domi compescenda, & foris hostes repellendi essent, quarum rerum caussa dictator dictus fuerat, M. Valerius conuocata cōcione, plebem gratissima oratione repressit, pollicitus vbi primum confecto bello domum rediisset, sibi curæ fore, vt ad senatum de nexis referretur. Eaque de caussa *Maximus* nuncupatus est, vt ait Cicero in Bruto. quamquam Cicero hanc orationem ab eo habitam esse non in vrbe ait, sed in castris in Sacro mōte, in quem plebs secesserat. Quod idem etiam tradit Valerius lib. VIII, cap. IX. Verba Ciceronis sunt hæc; Videmus item paucis annis post reges exactos, cum plebs prope ripam Anienis ad tertium milliarium consedisset, eumque montem qui Sacer appellatus est, occupauisset, M. Valerium dictatorem dicendo sedauisse discordias; eique ob eam rem amplissimos honores esse habitos, & eum primum ob eam ipsam caussam Maximum esse appellatum. Eadem fere Valerius. Quod autem ab illis scribitur, ratione vacare videtur. Etenim Dionysio, Liuioq; testibus, M. Valerius ante se dictatura abdicauit, quam plebs sacrum montem occuparet. Et quamquam ipse post ad eam in montē legatus venit a senatu cum aliis nouem consularibus missus, & verba de concordia fecit, tamen nec dictator tum erat, nec eius potissimum oratione plebs in vrbem rediisse, sed noto illo ac peruulgato Agrippæ Menenij de ventre & membris apologo traditur. Credo autem Ciceronem aut alios annales sequutum, aut lapsum esse. Plutarchus item in Pompeio, & Zonaras, Valerium a populo Maximum appellatum scribunt, quia plebem senatui conciliauit. Quod autem ait Cicero, Valerio Maximo honores habitos esse, intelligendum est, significari eos quos Pædianus affert in Pisonianam, sic; Valerio Maximo (vt Antias tradidit) inter alios honores, domus quoq; publice ædificata est in Palatio; cuius exitus, quo magis insignis esset, in publicum versus declinaretur; hoc est, extra priuatum aperiretur. de quibus item Dionysius. Sedata aūt plebis (vt diximus) seditione, Valerius tres conscripsit exercitus; vnum, quem T. Veturius consul in Æquos; alterum, quem A. Virginius collega eius in Volscos; tertium, quem ipse in Sabinos perduxit. Post autem victoria vbique parta, ipse solus de Sabinis, quos fuderat fugaueratque & castris exuerat, triumphauit. cuius triumphi approbantibus etiam Capitolinis fragmentis, meminere Liuius & Dionysius. Post triumphum, cum ad senatum

de nexis retulisset, vt se facturum ante plebi pollicitus fuerat, eaque relatio a patribus reiecta esset, indignationis plenus, dictatura abdicauit. Liuius, & Dionysius.

DE COS. AN. CCLX.

CONSVLES prodit in hunc annum Liuius & Dionysius Sp. Cassium, & Postumum Cominium. Eorundem meminit etiam Cicero pro Cornelio. Cuspiniani fasti Viscellinum edunt & Auruncum: Siculi, Aruncum & Vitellinum. Postumi Cominij cos. meminit Valerius lib. IIII, cap. II, & Plutarchus in Coriolano. Eosdem vnâ ante etiam consules fuisse, hoc vero anno k. Sept. citius quàm consuetudo erat, inisse, auctor est Dionys. Hoc anno Corioli capti; vnde C. Marcius Coriolani cognomen inuenit.

De Lustro VII.

CENSVM ab his cos. actum, censa ciuium capita amplius CX millia esse, tradit Dionysius. Hoc esse Lustrum VII, in sequenti lustro probabo. neque vero de hoc quicquam aliud comperi.

De prima secessione plebis, & tribunis plebis primum creatis.

QVONIAM tribuni plebis aliquando sine magistratibus curulibus vllis summæ rerum præfuerunt; propterea ortum eorum mihi hoc loco esse putaui ostendẽdum. Triennio ante, Claudio Seruilioq; cos. seditio plebis ex nobilium fœneratorum impotentia, qui plebem ære alieno obstrictam in vinculis habebant, exarsit. sedata tamen est per Seruilium cos. cum edixisset, Ne quis ciuem Romanũ vinctum aut clausum teneret, quo minus eis nominis edendi apud consules, qui tum in Volscos bellum parabant, potestas fieret. Anno vero insequenti, Veturio Virginioq; consulibus, plebem iterum eadem de causa militiã detrectantem M. Valerius dictator promissis mitigauit, & in hostes eduxit; ac cùm victoria parta, per senatũ promissa præstare non posset, dictatura se abdicauit. Post autem, cum plebs per causam renouati ab Æquis belli ex vrbe educta esset, auctore Sicinio quodam, a consulibus discessit, & trans Anienem amnem collem quendam occupauit, qui *Sacer* est appellatus; neque eo anno reuocari in vrbem potuit. Consules inde per secessionem plebis fiunt Sp. Cassius II, Postumus Cominius II. Tum legatis decem a senatu ad plebem de pace missis, vnius Agtippæ Menenij oratione commota rediit, hac lege, vt magistratum & ipsa sibi e suo corpore contra patriciorum potentiam ac vim creare posset. Ii *Tribuni plebis* dicti sunt. Hæc Dionysius fere, atque etiam Liuius. a quibus in eo dissentit Cicero pro Cornelio, quòd anno XVI post reges exactos, Veturio Virginioq; cos. creatos eos scribit. Primum autem comitiis curiatis creati duo sunt; deinde tres adiecti, vt essent quinque; vt Pædianus in Cornelianam ex Ciceronis, Attici, Tuditani, Liuij sententia tradit. nam Dionysius & Plutarchus quinque, primum factos profitentur. Piso (vt ait Liuius) duos tantum in hunc annum: at vero in annum CCLXXXII, Claudio Quinctioq; consulibus, tribus adiectis, quinque edit. Illud autem non ambigitur, quin anno CCXCVI, Horatio & Minucio consulibus quinque additis, decem effecti sint: qui numerus deinde in perpetuum stante republ. conseruatus est. Primos duos creatos Liuius C. Licinium, & L. Albinium vocat: Pædianus L. Sicinium L.F. Bellutum, L. Iunium C.F. Paterculum: Dionysius C. Sicinium Bellutum, L. Iunium Brutum: Plutarchus in Poplicola, Iunium Brutum, Sicinium Bellutum: Suidas in voce δήμαρχοι, Sicinium, & Brutum. Ex tribus reliquis vnũ Sicinium nominat Liuius; de reliquis parum ait conuenire. Dionysius autem eos C. & P. Licinios, & C. Icilium Rugam vocat. Diem, quo primi ttibuni inierunt, ante IIII idus Decembris nominat Dionysius; eumq; solennem fuisse vsque ad sua tempora ineundo tribunatui tradit. Quapropter Liuius etiam lib. XXXIX Næuium tribunum pl. eo die inisse ait. Hac autem de tota re sic Cicero pro Cornelio perduellionis reo: Tanta igitur in illis virtus fuit, vt anno XVI post reges exactos, propter nimiam dominationem potentium, leges sacratas ipsi sibi constituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons Sacer nominatur, in quo armati cõsederant, æternæ memoriæ causa consecrarent. Hæc ille. *Lex* autem *sacrata*, cuius

Cicero

Cicero, Dionysius, & Liuius meminerunt, ea videtur fuisse, quam in Sacro monte plebs tulit: Vt liceret plebi magistratum ex suo corpore creare, qui plebem ab iniuria prohiberet: vt nemini patricio hunc magistratum capere liceret: vt hic magistratus sacrosanctus esset; id est, ne quis tribunum plebis aut verbo aut manu violaret: qui secus fecisset, ipsum impune posse occidi, ac sacrum esse videri.

DE COS. AN. CCLXI.

LIVIVS cos. in hunc annum nominat T. Geganium, P. Minucium: Dionysius T. Geganiũ Macerinum, P. Minucium: Siculi fasti & Cuspiniani, Macerinum & Augurinum. Sunt autem hæc cognomina, illud Geganiorum, hoc Minuciorum. quod infra apertius patebit. Hoc anno domi & foris quieta omnia fuerunt. Liuius.

DE COS. AN. CCLXII.

CONSVLES prodit hoc anno Liuius & Cassiodorus A. Sempronium, M. Minucium: Dionysius A. Sempronium Atratinum II, M. Minucium Augurinum II: fasti Cuspiniani cum Siculis, Atratinum & Augurinum. Hunc annum XIX nuncupat Dionysius, ex quo Poplicola cos. legem de prouocatione tulit. C. Marcius Coriolanus exsilio a plebe multatur, quod in summa annonæ caritate, ne frumentum ex Sicilia aduectum plebi diuideretur, summa ope contenderat. damnatus absens, in Volscos abiit. Liuius.

DE COS. AN. CCLXIII.

A. Sempronio, M. Minucio consulibus, consules suggerit Dionysius Q. Sulpicium Camerinum, Sp. Lartium Flauum iterum: fasti Cuspiniani, Cornutum & Flauum; Siculi, Camerinum & Flauum. est autem *Cornutus* Sulpiciorum cognomen, vt alio loco ex Capitolinis tabulis intelligitur. Hos autem cõsulto transcendit Liuius. Non esse autem omittendos ad Capitolinam rationem, docet triumphus P. Valerij, qui in annum CCLXXIIX non caderet, si hos consules subtraheremus. His consulibus ludi magni votiui vitio facti. Dionysius.

DE COS. AN. CCLXIIII.

CONSVLES suggerit Dionysius C. Iulium Iulum, P. Pinarium Rufum: fasti Cuspiniani, Iulum & Mamercinum; Siculi, Sulum & Rufum. esse autem *Mamercum* cognomen etiam Pinariorum, alio loco apparet. Hos etiam, vt priores omittit Liuius. de quo idem possumus dicere, quod ipse libro IX de Pisone ait, sic; Hos consules Piso Q. Fabio & P. Decio suggerit, biennio exempto, quo Claudium Volumniumque, & Cornelium cum Marcio, consules factos tradidimus. memoriáne fugerit in annalibus dirigendis, an consulto binos consules factos ratus transcenderit, incertum est. His cos. cum ludi magni votiui ex somnio T. Latinij instauratitij fierent, Volsci astu Tulli Attij regis eorum, a consulibus vrbe Roma pulsi, concitantur ad bellum, ac duce Coriolano in Romanos fines irrumpunt. Dionysius.

DE COS. AN. CCLXV.

CONSVLEM Sp. Nautium cum Sex. Furio in hũc annum inuenio apud Liuium, & Dionysium, & Cassiodorum. in fastis Cuspiniani, est RVTILVS (quod est Nautij cognomen) & Viscellinus; in Siculis, Nautius & Fusus. *Medullinum* vero, aut *Fusum*, Furiorum cognomen fuisse, infra apparebit. His cõsulibus cum Coriolanus bellum patriæ exercitu Volscorum assumpto faceret, ab eius oppugnatione materna pietate deterritus est. Liuius, Dionysius.

DE COS. AN. CCLXVI.

CONSVLES hoc anno fuerunt auctore Liuio T. Sicinius, C. Aquillius; quos Cassiodorus & Dionysius T. Siccium, & C. Aquillium vocant. Cognomina horum ex fastis Siculis & Cuspiniani, fuerunt Tuscus & Sabinus.

De triumphis T. Sicinij & C. Aquillij cos. de Volscis & Hernicis.

SICINIO Volsci, Aquillio Hernici (nam ij quoq; in armis erant) prouincia euenit. eo anno Hernici deuicti; cum Volscis æquo Marte discessum est. hæc Liuius. Ex quibus intelligi potest, quam festinanter libertatis recuperatę primordia ab eo tradita sint; cum ea prætereat ex quibus vel maxima comparatur populo R. laus & gloria, id est triumphos de subactis a se populis actos. Scribit enim Dionysius, re bene vtrobiq; gesta, Sicinio, quia maiore periculo vrbem liberauerat, vt laureatus triumpharet; Aquillio, quia leuius prœlium fecerat, vt ouans vrbem ingrederetur, esse decretum.

DE COS. AN. CCLXVII.

COS. edit Liuius in hunc annum Sp. Cassium & Proculum Virginium: Dionysius Sp. Cassium tertiúm, Proculum Virginium: (est enim legendum apud eum Πρόκλος, non Γόπλιος, ex eodem met alio loco) Diodorus Siculus lib. XI, (quod ego ex manuscriptis eius libris cognoui) Sp. Cassium, Proculum Virginium Tricostum: fasti Siculi & Cuspiniani, Rutilum & Viscellinum. Valerius etiam lib. VI, cap. III, tres magnificos Sp. Cassij consulatus prodit.

De triumpho II Sp. Cassij cos. III.

HOC anno Æqui a Virginio cos. fusi fugatiq;: Volsci & Hernici, a Cassio, qui cōtra eos exercitum duxerat, ad amicitiam traducti. Ea de caussa Cassius gratia potius quam iure triumphum impetrauit. Elatus autem tribus consulatibus, & duobus triumphis, quod nemini adhuc contigerat, regnum affectauit, & legem de agro Hernicorum Latinis, & ciuibus Ro. diuidendo, ad cōciliandam sibi plebem, primus Romæ promulgauit. Hæc Dionysius, & Valerius lib. VI, cap. III. Liuius nullius rei nisi legis agrariæ ab eo primum promulgatæ meminit; eumque post damnatum necatumque ob affectati regni suspicionem scribit.

DE COS. AN. CCLXVIII.

Q. FABIVM inde, & Ser. Cornelium cos. profitentur Liuius, Cassiodorus, & Dionys. at Diodorus lib. XI Q. Fabium Vibulanum, Ser. Cornelium Cossum: fasti Siculi Fabium & Maluginensem. Hunc Q. Fabium Cæsonis F. Vibulanum vocat etiam Dionysius in secundo consulatu huius. id quod est etiam in Capitolini eius cōsulatus fragmentis. Ser. Cornelium patrem esse reor L. Cornelij Ser. F. L. N. Maluginensis Cossi, consulis an. CCXCIIII. Volsci Æquiq; a Fabio cos. victi. Liuius.

DE COS. AN. CCLXIX.

SVBSEQVVTI sunt consules auctore Liuio & Cassiodoro L. Æmilius, & Cæso Fabius: Dionysio, L. Æmilius Mamerci filius, Cæso Fabius Cæsonis filius: Diodoro, Cæso Fabius, L. Æmilius Mamercus: Siculis fastis Fabius & Mamercus. ex quo intelligo apud Dionysium esse per mendum in tertio huius consulatu, L. Æmilius Marcus, pro *Mamercus*. Infra autem sæpius patebit *Mamercinum* Æmiliorum esse cognomen. Cæsonem Q. Fabij Vibulani, qui consulatu abiit, fratrē prodit Dionysius. idem etiam hunc annum ab vrbe condita vocat CCLXX. Volsci & Æqui rebellantes, Æmilio duce superati. Liuius.

DE COS. AN. CCLXX.

M. FABIVM, L. Valerium cos. in hunc annum comparant Liuius, Cassiodorus, & Dionys. M. Fabium Vibulanum, L. Valerium Potitum Diodorus: fasti Cuspiniani Potitum. Ex his M. Fabius frater est K. Fabij, qui consulatu abiit, trium fratrum minimus. Dionysius, Liuius. L. Valetium patrem esse arbitror C. Valerij L. F. Vol. N. Potiti Volusi, III consulis anno CCCXLIX. Veiens bellum initum, & Volsci rebellarunt. Liuius.

DE COS. AN. CCLXXI.

Q. FABIVM, C. Iulium consules subijcit cum Cassiodoro Liuius: C. Iulium & Q. Fabium K. F. II, Dionysius: Iulum & Fabium fasti Siculi & Cuspiniani: Vibulanum

II lapis

II lapis Capitolinus. C.Iulius post in decemuiratu C.F.L.N. dicitur in tabulis Capitolinis. siquidem cum legatus ad plebem mittitur, consularis appellatur anno CCCIIII. Liuius,& Pædianus in Cornelianam. IVLVM Iuliorum esse cognomen, infra apparebit. Hoc anno ab Æquis arma sumpta; Veientes agrum Romanum populantes inierunt. Liuius.

DE COS. AN. CCLXXII.

CONSVLES subsequuti sunt Cæso Fabius,& Sp.Furius,Liuio, Cassiodoro,Dionysio,Zonara,& Diodoro testibus.Dionysius Fabium iterum,Diodorus Furiū Medullinum edit. ex lapide Capitolino apparet Furio huic cognomen fuisse FVSVM. est enim in fastis Siculis Sabinus & Fusus. Hoc anno in Veientibus & Æquis a consulibus Fabio & Furio res gesta est. Liuius.

DE COS. AN. CCLXXIII.

M. FABIVM, Cn. Manlium consules in hunc annum edunt Liuius,Diodorus, & Cassiodorus: M.Fabium II, C. Manlium Dionysius: Fabium II,& Cincinnatum fasti Cuspiniani cum Siculis: Vibulanum II lapis Capitolinus. Manlium hūc patrem esse suspicor A.Manlij Cn.F.P.N.decemuiri anno CCCII.

De Cn.Manlio cos.occiso, & triumpho a M.Fabio cos. abiecto de Etruscis.

PVGNATVM esse hoc anno acerrime cum Veientibus, ad quos vndiq; ex Etruria auxilia cōuenerant,atq; in ea pugna cecidisse Q.Fabium fratrem consulis, & Cn. Manlium consulem; prætereaq; oblatum a senatu triumphum,a M.Fabio consule ob funestam familiam abiectū esse, Liuius, Dionysius, Orosius, Valerius, auctores sunt. Addit Dionysius M. Fabium, quod collega mortuus esset, & ipse vulnere in prœlio accepto vexaretur,consulatu se duobus ante exitum anni mensibus abdicasse.

DE COS. AN. CCLXXIIII.

CAESONEM Fabium memorant in hunc annum cum T. Virginio cōsulem Liuius,Cassiodorus,Diodorus,& Dionysius:Fabium cum Rutilo fasti Siculi. Cęsonem fratrem consulis abdicantis,tertiūm hoc anno consulem factum notat Dionysius: T. Virginium Rutilum anno CCXC in pestilentia mortuum Liuius. Hunc *Tricostum Rutilum* cognomina tulisse,indicat lapis Capitolinus. Hoc anno K.Fabius cos.cum gente Fabiorum Veiens bellum sibi depoposcit.

DE COS. AN. CCLXXV.

L. AEMILIVM, C.Seruilium cos.in hunc annum comparant Liuius,Cassiodorus,& Dionys.quamquam apud Dionysium est mendose Sergius,pro Seruilio. Nam cognomina STRVCTVS AHALA, quæ sunt in Capitolino fragmento, Seruiliorum sunt, non Sergiorum. Diodorus L.Æmilium Mamercum cum C. Cornelio Lentulo edit: fasti Siculi Æmilium cum Esquilino: fragmentum Capitolinum alterum tantum, Structum Ahalam, cum suffecto ei Esquilino. Quoniam autem L. Æmilio collegam addit Diodorus C.Cornelium Lentulum, suspicatus sum hunc eum esse qui suffectus sit. Alij de tota re iudicabunt. Veiens bellum a familia Fabiorum hoc anno gestum.

DE COS. AN. CCLXXVI.

T. MENENIVM, C.Horatium cos. suggerit Liuius, Cassiodorus, Dionysius, Diodorus.hic, Puluillum cognomen addit Horatio; Menenio Lanatum lapis Capitolinus. Itaque in fastis Cuspiniani & Siculis est etiam Lanatus & Puluillus. Horum consulum meminit Gellius lib. XVII, cap.XXI: sed non sine menda. C. Horatium M.Horatij,qui primo anno consul fuit; T.Menenium Agrippæ Menenij Lanati,qui iis temporibus consul fuit, filios esse placet Liuio & Dionysio. Fabij CCCVI, qui biennio ante sibi cum Veientibus bellum depoposcerant, ad vnum omnes ad Cremeram occisi. Liuius.

DE COS. AN. CCLXXVII.

A. VIRGINIVM, Sp. Seruilium ſubdit coſ. Liuius, Caſſiodorus, & Dionyſius: A. Virginium Tricoſtum, C. Seruilium Structum Diodorus. in faſtis Cuſpiniani eſt cognomen *Rutilus*, quod eſt Virginij; in Capitolinis *Structus*, quod eſt Seruilij; in Siculis, vtrumque. Hos conſules ſolſtitio æſtiuo ſextili menſe iniſſe notat Dionyſius; Veientes a Seruilio occidione occiſos, Liuius.

DE COS. AN. CCLXXVIII.

P. VALERIVM, C. Nautium coſ. nuncupant in hunc annum Liuius & Caſſiodorus: P. Valerium Poplicolam, & C. Nautium Dionyſius: P. Valerium Poplicolam, & C. Nautium Rufum Diodorus: Nautium & Poplicolam faſti Siculi; Poplicolam & Rufum Cuſpiniani. Pro Rufo Rutilum habent faſti Capitolini, vt Dionyſius ante in Lartio pro Rufo flauum. Hi ambo conſules deſcripti ſunt ex ſecundo ipſorum conſulatu Capitolino. P. autem Valerius, P. Poplicolæ filius fuit, auctore Dionyſio in anno CCXCI.

De triumpho P. Valerij Poplicolæ coſ. de Veient. & Sabinis.

HOC anno Veientibus Sabini arma coniunxerunt. Itaque Liuius Veientes Sabinosque duas potentiſſimas & maxime finitimas gentes, victas eſſe a P. Valerio coſ. ſcribit; de triumpho nihil aſcribit. cuius tamen veſtigia ſunt in tabulis Capitolinis; mentio etiam apud Dionyſium.

DE COS. AN. CCLXXIX.

LIVIVS & Caſſiodorus hoc anno conſules nominant L. Furium, C. Manlium: Dionyſius L. Furium, A. Manlium: faſti Siculi Manlium & Furium; Diodorus L. Furium Medullinum, M. Manlium Vulſonem. Cur ego A. Manlium ex ſententia Dionyſij ſcribam, cauſſa exſtabit in decemuiratu huius Manlij anno CCCIII.

De Luſtro VIII.

HIS conſulibus cenſum actum, cenſa ciuium capita CIII millia, atq; amplius, prodit Dionyſius. Eutropius etiam poſt K. Fabium, & T. Virginium coſ. cenſum actum eſſe cum ſcribat, nullum alium ſignificare quam hunc videtur. Vt autem ex fragmentis Capitolinis apparet, hoc luſtrum ab vrbe condita VIII fuit. Ex quo intelligi poteſt, ſi ter tantum ante hos conſules a conſulibus cenſum actum eſſe repperimus, eodem etiam tempore ab iis luſtrum cõditum fuiſſe, & Ser. Tullium regem, interea dum regnauit, (regnauit autem annos XLIIII) quater cenſum & luſtrum, vt ſcripſit Valerius, feciſſe. nam, vt ante diximus, omnis cenſuum ratio regnante Superbo penitus intermiſſa eſt. Alioquin niſi quater a Seruio, ter a conſulibus luſtrum ante factum dicamus, ad hunc luſtrorum numerum, qui eſt in Capitolino fragmento, peruenire non poterimus. Hoc autem ita eſſe, oſtendit Valerius lib. III, cum Seruio Tullio contigiſſe ait, vt quater luſtrum conderet, ter triumpharet.

De A. Manlio coſ. ouante de Veientibus.

A. MANLIVS coſ. in Veientes profectus, coegit eos ſine pugna ad deditionem deſcendere. Ea de cauſſa pedeſtris ei a ſenatu triumphus decretus eſt, cum maioriis qui prœlio rem bene gererent decerneretur. Hæc Dionyſius. Liuius autem Manlio Veientes obtigiſſe, nec bellatum eſſe, inducias in annos XL petentibus datas, tradit. At in Capitolinis fragmentis priori triumpho Poplicolæ ſubijciuntur hæc verba AN. CCLXXIX. IDIB. MART. quibus perſpicue hic triumphus Manlianus ſignificatur.

DE COS. AN. CCXXC.

DIONYSIVS in hunc annum cõſulem prodit L. Æmilium Mamercum III, cum Vopiſco Iulio: Liuius L. Æmilium, & Opitrem Virginium. ſed in quibuſdam annalibus ait ſe inueniſſe pro Virginio Vopiſcũ Iulium. Eos annales ſequutus eſt Diodorus,

& aucto-

& auctores consularium tabularum, quæ in Capitolio sunt; in quarũ fragmentis huius anni est IVLVS: quod cognomen est Iuliorũ. Itaq; in fastis Siculis est Æmilius & Iulius; in Cuspiniani, Mamercus & Vopiscus. Cassiodorus Liuiũ sequutus est. Annus foris quietus, domi motũ Cn. Genucius tribunus pl. lege agraria excitauit. Liuius.

DE COS. AN. CCXXCI.

DEINCEPS consules nominant Liuius, Dionysius, & Cassiodorus L. Pinarium, L. Furium: Diodorus L. Pinarium Mamercinum, P. Furium Φίσρωνα; mẽdose, vt puto. Horum consulum meminit Macrobius lib. primo Saturn. sic; Varro scripsit antiquissimam legem fuisse incisam in columna ærea a L. Pinario, P. Furio cos. cui mentio interkalaris ascribitur. FVSVM, familiare hoc tempore Furiorum cognomen, restitui P. Furio. est enim in fastis Siculis Pinarius & Fusus; & in Capitolinis fragmentum eius, =SVS. Hoc anno lex a Volerone tribuno pl. promulgata est de plebeiis magistratibus comitiis tributis creandis. Liuius.

DE COS. AN. CCXXCII.

LIVIVS edit consules in hunc annum Ap. Claudium Ap. F. T. Quinctium: Dionysius Ap. Claudium Ap. F. Sabinum, T. Quinctium Capitolinum: Diodorus Ap. Claudium, T. Quinctium Capitolinum; itemque Cassiodorus. Quem alij Ap. Claudium Ap. F. vocãt, nos Ap. Claudium M. F. nominamus; ob eam caussam quam ante in consulatu patris diximus. Capitolino Barbatum addimus; quod ita vocari hũc in quincto consulatu a Zonara animaduertimus. Hoc anno lex Voleronis, priore anno promulgata, perlata est, nõ sine magnis reipublicæ motibus. Claudius in Volscos, Quinctius in Æquos rem gessit, qui inter seditionem Romanam vastauerant agros. Liuius.

DE COS. AN. CCXXCIII.

CONSVLES in hunc annum suggerunt Liuius & Cassiodorus T. Æmilium, L. Valerium: Diodorus L Valerium Poplicolam, T. Æmilium Mamercum: Dionysius L. Valerium II, Ti. Æmilium. Æmilium autem ait esse L. Æmilij ter consulis filium. *Tiberius*, prænomen est familiare Æmiliis. Itaque puto in hoc cos. per mendum legi Titum pro Tiberio. Fasti Siculi nihil nisi nomina suggerunt, Æmilium & Valerium; Cuspiniani, Potitum & Mamercum. Valerius cum Volscis, Æmilius cum Sabinis rem gessit. hostis se castris tenuit. Liuius.

DE COS. AN. CCXXCIIII.

A. VIRGINIVM, T. Numicium cos. repperio in hunc annum factos apud Liuium & Cassiodorum & Diodorum. Iis addit cognomina Dionysius Montanum & Priscum: fasti Siculi Cœlimontanum & Priscum; Cuspiniani, Nomentanum. Hunc filium A. Virginij consulis anno CCLIX esse suspicor. Consules, Numicius Volscis; Virginius Æquis repressis, in Sabinos populantes exercitu ducto, plus cladium, quam intulerant, acceperunt. Liuius.

DE COS. AN. CCXXCV.

T. QVINCTIVS, Q. Seruilius, consules deinceps facti. Liuius. quos Dionysius vocat T. Quinctium Capitolinum II, Q. Seruilium Priscum: fasti Cuspiniani Capitolinum & Priscum; Siculi, Cœlimontanum & Priscum; sed vitio, vt puto, Cœlimontanum. Diodorus T. Quinctiũ, Q. Seruilium Structum: Cassiodorus T. Quinctium II, Q. Seruilium, quem Seruiliũ suspicor esse filium Q. Seruilij Prisci magistri eq. anno CCLIX. Sabini populantes, a Seruilio effuse vastati. Liuius.

De triumpho T. Quinctij Capitolini cos. de Antiatibus.

NOBILEM de Volscis, qui iam per triennium in armis erant, a T. Quinctio cos. hoc anno victoriam relatam, præsertim Antio oppido capto, Liuius pariter ac Dionysius tradiderunt. Addit Dionysius, redeunti Quinctio senatum obuiam processisse, atque vltro triumphum obtulisse. Eiusdem triumphi notæ quædam vix apparent

in fragmentis Capitolinis. cuius tamen ne verbum quidem fecit Liuius. in fragmẽtis autem priori Manliano triumpho hæ notæ ſuggeruntur; A. CCXX--. quæ aperte ad hunc triumphum pertinent.

DE COS. AN. CCXXCVI.

CONSVLES in hunc annum comparat Liuius & Caſſiodorus T. Æmilium II, Q. Fabium: Dionyſius Ti. Æmilium II, Q. Fabium: faſti Siculi Æmilium & Vibulanum; Cuſpiniani, Mamercum & Vibulanum: Diodorus Ti. Æmilium Mamercum, Q. Fabium Vibulanum. Hic eſt autem Q. Fabius is, qui anno CCLXXVI ex CCCVI Fabiis ad Cremeram interfectis puer ſuperfuit, auctore Liuio & Dionyſio; M. Fabij viri conſularis filius. Mirari autem quis poterit, quemadmodum, cum annos X ante (auctore Liuio) prope puber eſſet, hoc anno conſulatum capere potuerit. Itaque aſſentior potius Dionyſio, qui ſcribit hunc vnum ex Fabiis ſuperfuiſſe ad res gerendas virum idoneum, & manu promptum. Æqui a Q. Fabio (is enim eo cum exercitu venerat) pacem petiere; irritamque eam ipſi ſubita incurſione in agrum Latinum fecere. Liuius.

DE COS. AN. CCXXCVII.

HIC annus conſules habuit Q. Seruilium, Sp. Poſtumium, vt Liuius & Caſſiodorus tradunt: Priſcum & Albinum, vt faſti Cuſpiniani: at vt Dionyſius, Sp. Poſtumium Albinum, Q. Seruilium Priſcum II: vt Diodorus, Q. Seruilium, Sp. Poſtumium Albinum. In fragmento tamen Capitolino Sp. Poſtumius *Albus Regillenſis* vocatur, non *Albinus*. Eſt autem filius A. Poſtumij dictatoris. Itaque Liuius filium dictatoris Poſtumij, ædem Caſtoris & Pollucis a patre votam bello Latino, dedicaſſe duumuirum ad id creatum tradit. Hos conſules cum inſequentibus tranſcendunt faſti Siculi. Q. Seruilius in Æquos miſſus, in Latino agro ſtatiua habuit. intra caſtra quies neceſſaria morbo implicitum exercitum tenuit. Liuius.

DE COS. AN. CCXXCVIII.

CONSVLES deinceps ſubijcit Liuius T. Quinctium, Q. Fabium: Caſſiodorus T. Quinctium II, Q. Fabium II: Diodorus T. Quinctium Capitolinũ, Q. Fabium: Dionyſius T. Quinctium Capitolinũ III, Q. Fabium Vibulanum II. In Capitolino etiam fragmento eſt Q. FABIVS VIBVLAN--. Æqui a Q. Fabio acie fuſi, fines Romanos cum inuaſiſſent: a T. Quinctio recepta præda cæſi ſunt. Liuius.

De Luſtro IX.

LVSTRVM his conſulibus factum ita prodit Liuius; Cenſus actus, & conditum a Quinctio luſtrum: cenſa ciuium capita CXXIIII millia dicuntur, præter orbos orbasque. Dionyſius hoc prætermiſit. Nonum autem hoc eſſe luſtrum, hinc intelligi poteſt, quod & proximum ſuperius, VIII in Capitolinis tabulis; & proximum inſequens, X eſſe a Liuio notatur.

DE COS. AN. CCXXCIX.

A. POSTVMIVM Album, Sp. Furium Fuſum cos. in hunc annum inuenio apud Liuium, Caſſiodorum, & Dionyſium: in faſtis Siculis Regillanum & Fuſum: apud Diodorum vero A. Poſtumium Regillenſem, Sp. Furium Medullinum. recte autem, atque ad harum familiarum rationem apte. In Capitolino enim fragmento eſt A. Poſtumius A.F. P.N. Albus Regillenſis. Eſt autem hic A. Poſtumius A. Poſtumij dictatoris filius: Sp. autem Furius, vt puto, auus eſt L. Furij L.F. Sp. N. Medullini, trib. mil. an. CCCXLVIII. Hic conſul in acie contra Æquos fratrem amiſit P. Furium; eum, vt opinor, qui cos. fuit anno CCLXXXI. Dionyſius; apud quem eſt mendoſe Σέρβιος pro Σπόριος. Hoc primum anno T. Quinctius pro conſule iuſſus eſt ſubſidio caſtris cum exercitu ſociali mitti; Poſtumius conſul Romæ manere ad conſcribendos eos qui arma ferre poſſent. Magnæ vtrimque clades acceptæ. Liuius.

DE COS. AN. CCXC.

L. AEBVTIVM, P.Seruilium cos. in hunc annum subsequutos scribit Liuius & Cassiodorus: Dionysius L. Æbutium, P. Seruilium Priscum: Diodorus L. Æbutium Eluam, P. Seruilium Structum: fasti Siculi, Priscum & Flauum; Cuspiniani, Eluam & Priscum: P. Seruilium Sp. F. P. N. Priscum Capitolinus lapis. Hunc annum vocat Orosius CCLX; mendose pro CCXC. ex quo apparet, supputationem Capitolinam ab eo hoc loco probari. Liuius K. Sextilibus, vt tum anni principium agebatur, consules ait inisse. Eodem anno fœdissima pestilẽtia ciuitatem Romanam vexatam; ambos consules Æbutium Seruiliumque mortuos Liuius, Dionysius, Orosius, auctores sunt. ego vero Æbutij mortem tantum notaui; quia Seruilij obitum Capitolini fragmenti interuallum non capiebat. Æqui Volscique, prædonum magis quam hostium more, fines Romanos, nullo occurrente exercitu, populati sunt. Liuius.

DE COS. AN. CCXCI.

L. LVCRETIVM Tricipitinum, T. Veturium (siue Vetusium) Geminum, edit consules in hunc annum Liuius, Cassiodorus, & Dionysius: at Diodorus L. Lucretiũ, T. Veturium Cicurinum: fasti Cuspiniani, Geminum & Tricipitinum; Siculi, Tricipitinum & Veturium; Capitolini, L. Lucretium Tricipitinum. Hunc T. Veturium, filium T. Veturij esse arbitror, qui cos. fuit anno CCLIX. Hi consules ante diem III Idus Sextilis inierunt. Lex Terentia de quinqueuiris imperio consulari scribendis promulgata, ciuitatem turbauit. Liuius.

De triumpho L. Lucretij cos. T. Veturio cos. ouante de Volscis & Aequis.

IAM valida ciuitate, L. Lucretio Æquos, T. Veturio Volscos prouinciam euenisse, Dionysius & Liuius consentiunt illi quidem; sed in victoria tamen vtriusque describenda paulum discrepant. Liuius enim vtrumque eorum cum vtroq; hoste congressum, de Æquis & Volscis meritum rettulisse honorem scribit; triumphum illum, hunc, vt ouans vrbem iniret. Dionysius vero victorias separat; atque Lucretio, quia cum Æquis acerrime pugnarat, maiorem triumphum; Veturio, quia Volscos sine pugna fugarat, minorem a senatu decretum ait. Nos Dionysium sequuti sumus.

DE COS. AN. CCXCII.

P. VOLVMNIVM, Ser. Sulpicium cos. in hunc annum profitetur Liuius & Cassiodorus P. Volumnium, Ser. Sulpicium Camerinum Dionysius: P. Volumnium Amintinum, Ser. Sulpicium Diodorus: Gallum & Camerinum fasti Siculi; P. Volumnium Amintinum Gallum Capitolini. Eorundem consulum meminit Valerius lib. primo cap. VI. Ser. Sulpicium Ser. Sulpicij consulis an. CCLIIII, filium esse opinor; patrem autem Q. Sulpicij Ser. F. Ser. N. Camerini Cornuti, tribuni militum anno CCCLI. Lex Terentia item agitata. Cæso Quinctius ferox iuuenis, quo duce pulsi sæpe foro tribuni, plebs fugata erat, damnatus in exsilium abiit. Liuius.

DE COS. AN. CCXCIII.

P. VALERIVM Poplicolam, C. Claudium Sabinum, cos. nominant in hunc annum Liuius & Dionysius: P. Valerium Poplicolam, C. Claudium Regillanum Diodorus: Poplicolam & Sabinum fasti Siculi & Cuspiniani: P. Valerium P. F. Volusi N. Poplicolam lapis Capitolinus. P. Valerius, Poplicolæ filius est, idem qui ante etiam consul fuit. Quod ipsum si animaduertisset Liuius, haud ita hunc consulem loquentem fecisset; Ausurum se in tribunis, quod princeps familiæ suæ ausus esset in regibus: item, Memorem se maiorum suorum, memorem cognominis, quod populi colendi veluti hæreditaria cura sibi a maioribus esset tradita. Etenim eum de patre, vt de atauo loquentem inducit. C. Claudium Ap. F. patruum esse Ap. Claudij decemuiri Liuius & Dionysius auctores sunt. nos vero qua de caussa & hunc M. F. appellemus, iam diximus. Ceterum P. Valerium cos. in pugna contra seruos, qui hoc anno duce

Ap. Herdonio Sabino Capitolium occuparant, cecidiſſe; inque eius locum L. Quinctium Cincinnatum ſuffectum eſſe, Liuius, Dionyſius, Oroſius, & ij qui conſules Capitolinos digeſſerunt, prodiderunt. Liuius item menſe Decembri ſuffectum; Dionyſius ex agro quem colebat, ad conſulatum a viatore vocatum; alij id ei poſt in dictatura obtigiſſe ſcripſerunt. Eodem prœlio Herdonius interfectus, Capitolium recuperatum eſt.

DE COS. AN. CCXCIIII.

Q. FABIVM III, L. Cornelium Maluginenſem, cos. Liuius ſuggerit hoc anno, & Caſſiodorus: Dionyſius Q. Fabium Vibulanum III, L. Cornelium: Diodorus Q. Fabium Vibulanum, L. Cornelium Κυρηπτον; mendoſe, vt puto: Vibulanum & Maluginenſem faſti Siculi & Cuſpiniani: Q. Fabium Vibulanum III lapis Capitolinus. eſt etiam in fragmento Cornelij conſulis Capitolino, ſyllaba VS, quæ ad cognomen eius pertinet; quam ego ſum interpretatus COSSVS: quod fuit cognomen Corneliorum, vt etiam ante in Ser. Cornelio cõſule, huius conſulis (vt puto) patre, apparuit ex Diodoro. Hunc eundem auum eſſe opinor P. Cornelij M. F. L. N. Coſſi Rutili trib. mil. anno CCCXLV. Eorundem conſulum meminit Dionyſius in anno CCCX.

De Luſtro X.

CENSVS anno ſuperiore actus eſt. luſtrum, propter Capitolium captum, conſulem occiſum, condi religioſum fuit. perfectum eſt autem hoc anno. Id luſtrum ab origine vrbis decimum conditum. Fuerunt cenſa ciuiũ capita CXXXII millia, CCCCIX. Hæc Liuius. Eutropius etiam hoc anno cenſum actum ſignificat, cum poſt cenſus mentionem L. Quinctium dictatorem dictum eſſe ait. Huius luſtri meminit Dionyſius in anno CCCX explicando, conditumque ab his conſulibus ſcribit. Quæ cum ita ſint, ſatis apparet, ex Liuij etiam ſententia nouem ante, quæ nos poſuimus, luſtra eſſe condita. quamquam eorum ipſe non meminit.

De triumphis conſulum Q. Fabij Vibulani III de Aequis,
L. Cornelij Maluginenſis Coſſi de Volſcis.

HOC anno Tuſculum populo Ro. fœderatum, improuiſo ab Æquis captum; Antium Volſcorum a Romanis defeciſſe; Æquos Volſcosq; cõiunctis copiis fines Hernicorum, qui ſocij populi Rom. erant, inuaſiſſe, nuntiatum eſt. Itaq; conſulibus prouincias ſortitis, Fabio Æqui, Cornelio Volſci prouincia euenit. Fabius recuperato ab Æquis Tuſculo, eoſdem illos vna cum Volſcis caſtra habentes ad Algidum, fugat, & caſtris exuit. Cornelius ab altera parte Antium primum obſedit; poſt vi cepit. His de cauſſis triumphus vtrique decretus eſt. Ita Dionyſius. Liuius autem Fabium Volſcos ad Antium, de quo ſuſpicio erat ne deficeret, fudiſſe, & Tuſculum ab Æquis captum recepiſſe ait. De Cornelio vero ita loquitur; Eodem anno deſciſſe Antiates, apud pleroſque auctores inuenio: L. Cornelium conſulem bellum id geſſiſſe, oppidumq; cepiſſe, certum affirmare, quia nulla apud veteres ſcriptores eius rei mentio eſt, non auſim. Hæc illi. Ego vero Dionyſium, quem hoc loco ſequuti ſunt etiam Capitolini triumphorum ſcriptores, ſequutus ſum. Liuius enim ad extremum etiam conſules triumphantes cum victore exercitu rediiſſe ſcribit.

DE COS. AN. CCXCV.

L. Minucium, C. Nautium, ſuggerit cos. Liuius & Caſſiodorus: L. Minucium, C. Nautium iterum Dionyſius: L. Minucium Καρβιλιανὸν, C. Nautium Rutilum, Diodorus: C. Nautium Rutilum II lapis Capitolinus. L. Minucij cos. meminit etiã in Cincinnato is qui ſcribit de viris illuſtribus. Apud Diodorum neſcio quid cognominis Καρυπανός, ego Augurinum familiare Minuciis cognomen attribui. puto enim eſſe vitioſe apud Diodorum Καρβιλιανὸς, pro αὐγουρῖνος. in faſtis tamen Siculis eſt Nautius & Atratinus. Tradunt etiam Dionyſius & Liuius, L. Quinctium hoc anno dictatorem, cum L. Minucium conſulem obſidionis periculo exemiſſet, eundem, vt ſe magiſtratu abdicaret, coegiſſe. quod idem Valerius lib. II, cap. II, ſcribit ſic; Age quanto ſpiritu putamus vſum L. Quinctium Cincinnatũ dictatorem eo tẽpore, quo deuictis Æquicolis,

colis,

colis, & sub iugum missis, L. Minucium consulatum deponere coegit, quod castra eius hostes iidem obsederant &c. Hoc idem quia in Capitolinis consulibus notatum fuisse ex inani interuallo quodam suspicatus sum, ne mihi quidem omittendum duxi. quin etiam Q. Fabium Vibulanum IIII in Minucij locum suffectum, ex Liuio, qui id subsignificat, notaui; cum ait; Minucio Q. Fabius successor in Algidum missus. Nautius consul cum Sabinis egregie ad Erētum pugnauit. Idem.

De L. Quinctio Cincinnato dictatore, & triumpho eius de Aequis.

ÆQVI hoc anno fracto fœdere, quod priore anno cum populo Rom. icerant, duce Clœlio Graccho mouerunt. aduersus eos L. Minucius consul missus cum in Algido monte cōclusus esset, intellectum est rem & tempus dictatore egere. quare dictator a C. Nautio cos. dictus L. Quinctius Cincinnatus. is magistrum equitum sibi L. Tarquitium cooptauit. hæc Liuius, Dionysius, & lapis Capitolinus. Hoc anno ex agro [illegible]tractum esse L. Quinctium ad dictaturam, scribunt iidem; præterea Orosius, Eutropius, Valerius lib. IIII, cap. IIII: Plin. lib. XVIII, cap. III: Cicero de finib. II: is qui scribit de viris illustribus. Hoc idē ei ante etiam in cōsulatu obtigisse notat Dionysius; præterea nemo. Cicero in Catone hoc quoque honore affectum in secunda dictatura significat, tum cum magister eq. eius Ahala Sp. Mælium interfecit. in quo, vt puto, memoriæ vitio labitur. Dictatorem autem L. Quinctium, circumseptum in Algido monte L. Minucium consulem ab Æquis liberasse, Clœlium Gracchum ducem Æquorum in deditionem accepisse, Æquos ipsos subactos sub iugum misisse, deque illis triumphasse; cumque in menses sex dictaturam cepisset, post XVI dies his rebus gestis dictatura abdicasse, Liuius, Dionysius, lapis Capitolinus, Zonaras, & is qui de viris illustribus scribit, sunt auctores.

DE COS. AN. CCXCVI.

CONSVLES in huncannum nominăt Liuius & Cassiodorus Q. Minucium, M. Horatium Puluillum: Diodorus L. Postumium, M. Horatium: Dionysius C. Horatium Q. Minucium: fasti Siculi, Puluillum & Augurinum; Capitolini, C. Horatium Puluillū. collega eius intercidit. puto autem legendum apud Liuium, C. Horatium. nam anno CCCI, C. Horatium Puluillum augurem mortuum scribit. Tribuni pl. hoc anno primum X creati. Minucius in Sabinis non inuenit hostem: Horatius cum Æquis in Algido bene pugnauit. Liuius.

DE COS. AN. CCXCVII.

IN huncannum consules inuenio M. Valerium cum Sp. Virginio apud Liuium, Cassiodorum, & Dionysium: at apud Diodorum lib. XII, M. Valerium Lactucam, Sp. Virginium Tricostum: in fastis Cuspiniani, Maximum & Cœlimontanum; in Siculis, Maximum & Virginium; Capitolinis, M. Valerium Maximum. *Lactucinum* cognomen esse Valeriorum, docet Plinius. Horum etiam consulum meminit Censorinus de ludis sæcularibus. Idem M. Valerius biennio ante dicitur a Liuio M'. F. Volusi. N. quod etiam scriptum est in hoc Capitolino consulatu. His consulibus domi forisque otium fuit. Liuius.

DE COS. AN. CCXCVIII.

DEINCEPS consulatum ineunt C. Veturius, T. Romilius, Liuius, Cassiodorus, Dionysius. C. Veturium Cicurinum, T. Romilium Vaticanum, edit Diodorus: Geminum & Vaticanum, fasti Cuspiniani; Rocum & Veturium, Siculi; T. Romilium T. F. T. N. Rocum Vaticanum, Capitolini. Eiusdem Romilij meminit etiam Plinius lib. VII, cap. XXVIII. De Veturio dicam in decemuiratu eius, anno CCCII. In Algido cum Æquis a consulibus prospere pugnatum est. Liuius.

DE COS. AN. CCXCIX.

CONSVLEM in huncannum nominăt Sp. Tarpeium Liuius, Cassiodorus, Dionysius, Diodorus, Pædianus in Cornelianā. De collega eius non satis constat. Liuius

eum vocat A. Æternium; itemque Plinius lib. VII, cap. XXVII: Dionysius Αὖλον Τερμένιον: Gellius lib. II, cap. XI, A. Thermum; Diodorus Αὖλον Ἀστέριον Φοντίνιον; Cassiodorus, & Solinus in manuscriptis libris cap. VI, A. Aterium. Ego Solinum & Cassiodorum sequutus sum. est enim Ateria gens notior, quam ceteræ quas alij produnt. Ei cognomen alij *Fontinalem* adijciunt. De Tarpeij cognomine nihil certi est. in Capitolino etiam fragmento est Sp. Tarpeius M.F.M.N. MONTANCA-- mendose pro MONTAN. CA. id est Montanus Capitolinus. Etenim *Capitolini* cognomen est etiam in fastis Siculis & Cuspiniani. Hoc anno abiecta lege Terentia, quæ per multos annos iactata erat, legati tres in Græciam ad eorum leges cognoscendas missi. ab externis bellis quietus annus fuit. Liuius.

DE COS. AN. CCC.

LIVIVS, itemq; Cassiodorus, consules memorant in hunc annum, Sex. Quinctilium, & P. Curiatium; Dionysius Sex. Quinctilium & P. Horatium; Diodorus Sex. Quinctilium Tergeminum; Sex. Quinctilium Sex.F.P.N. lapis Capitolinus. Est autem *Tergeminus* tam Horatiorum quam Curatiorum cognomen. Horatium tamen probaui magis. Hoc anno pestilentia laboratum est. inter ceteros mortuus est consul Sex. Quinctilius, &, qui in eius locum suffectus fuerat, Sp. Furius. Ita Dionysius. De morte Quinctilij meminit etiam Liuius: sed de Sp. Furio aut suffecto aut mortuo, ne verbum quidem. cuius annales sequutos eos esse opinor, qui Capitolinas tabulas exararunt. Ab hoste otium fuit.

DE COS. AN. CCCI.

C. MENENIVM, P. Sestium, cos. in hunc annum suggerunt Liuius, Cassiodorus; L. Menenium, P. Sestium, Dionysius: fasti Cuspiniani Lanatum & Vaticanum: Diodorus T. Menenium, P. Sestium Capitolinum: Festus lib. XIIII, P. Sestium Capitolinum, T. Menenium Lanatum: P. Sestium Q.F. Vibi N. Capitolinum lapis Capitolinus. Hunc T. Menenij filium esse reor consulis anno CCLXXVI, fratrem L. Menenij, qui consul erit anno CCCXIII. Consulum qui per hos annos fuerunt, nomina interuersa sunt in fastis Siculis; ita; Capitolinus. Varus Sestius. Quinctilius. Lanatus. Capitolinus. cum sit ita legendum; Capitolinus, Fontinalis: Quinctilius Varus, Tergeminus: Sestius Capitolinus, Lanatus.

DE COS. AN. CCCII.
abdic. vt decemuiri consulares fierent.

CONSVLES in hũc annum designatos fuisse Ap. Claudium, & T. Genucium; verum decemuirûm creandorum caussa abdicasse, Liuius cum Dionysio, & Capitolini scriptores, quantũ ex tabularum fragmẽto intelligi potest, prodiderunt. Decemuiratum autem in rempubl. intulit lex Terentia, quam C. Terentius Arsa tribunus pl. de quinqueuiris creandis, qui leges consulari imperio scriberent, promulgauit. querebatur enim plebs, nimium esse consulis imperium; idque imminui, & moderatius fieri postulabat. Quæ lex cum sex annos a tribunis frustra iactata, tandem pro concessa sibi duplicandorum tribunorum potestate penitus refrixisset, tamen Romilio Veturioque consulibus in plebem militiam detrectantem impotentius se gerentibus, acrius etiam quam ante relata est. Igitur incertis quid agerent patribus, placuit ea sententia, cuius princeps T. Romilius fuisse dicitur, vt legum latores crearentur, qui iura patribus plebique scriberent; quæque ab iis essent decreta, ea plebem & patres tenerent. Plebe autem assentiente, mittuntur legati tres in Græciam, qui Atheniensium & aliarum Græciæ ciuitatum instituta, mores & iura noscant, eaq; Romam deferant; Sp. Postumius Albus, A. Manlius, Ser. Sulpicius Camerinus. Missi autem Tarpeio Aterioque consulibus, tertio anno, quo Menenius & Sestius consulatum gerebant, cum legibus reuertuntur. Cum autem instarent tribuni, vt tandem legum scribendarum initium fieret, iamq; in hunc annum designati consules essent Ap. Claudius & T. Genucius, tum in Ap. Claudij sententiam senatusconsultũ factum est, vt reliquis abrogatis magistratibus, decemuiri crearentur cum imperio consulari

ac regio

ac regio sine prouocatione; qui ex patriis moribus, & peregrinis legibus optimas seligentes & reip. maxime vtiles, iura populi Rom. cōstituerent; quæque ij scripsissent, si senatus populusq; R. probasset, ea in perpetuū populum ipsum Romanum tenerēt. Quo senatusconsulto a plebe cōprobato, consules abdicarunt. In eorū locum decemuiri consulares facti sunt: quorum nomina hæc sunt; Ap. Claudius, T. Genucius, qui consulatu abierant; Sp. Postumius, Ser. Sulpicius, A. Manlius, qui consulares legati Athenas iuerant; T. Romilius, C. Iulius, P. Sestius, P. Horatius, omnes cōsulares: prætera Sp. Veturius: Liuio, Dionysio, & Diodoro auctoribus. quamquam Dionysius Postumium Publium, non Spuriū, vt Liuius & Diodorus, vocat: & Veturium Liuius Lucium, Dionysius Titum, Diodorus & Capitolini lapides Spuriū nominant. Qui si fuit cōsularis, forte collega T. Romilij fuit; quem omnes C. Veturiū nominant, & Cicurino cognomine, non Crasso, vt est in fragmentis Capitolinis, afficiunt. Pro Horatio, Liuius Curatium, vt in consulatu quoq;, edit. Ap. Claudiū Suetonius in Tiberio, & Diodorus, Regillanum appellant; Capitolinæ tabulæ CRASSIN. R==. i. Crassinum Regillensem. Hos decemuiros anno ab vrbe cōdita trecentesimo altero inisse scribit Liuius, & eum sequutus Cassiodorus: Capitolini auctores anno CCCII, & cum iis etiā Solinus. Hi decimo die ius populo singuli reddebant. eo die penes præfectū iuris, fasces duodecim erant: collegis nouem singuli accensi apparebāt. Liuius.

DE DECEMVIRIS AN. CCCIII.

PROPOSITIS decem legum tabulis a decemuiris, vulgatur deinde rumor, duas deesse tabulas; quibus adiectis, absolui posse velut corpus omnis Ro. iuris. Ea expectatio, cum dies comitiorum instaret, desideriū decemuiros iterum creandi fecit. Plebs etiam, præterquam quod consulum nomen haud secus quam rēgum perosa erat, ne tribunicium quidem auxilium, cedentibus inuicem appellatione decemuiris, quærebat. Creati igitur in hūc annum magno patrū plebisq; studio iterum decemuiri sunt, Ap. Claudius II, M. Cornelius Maluginensis, M. Sergius, L. Minucius, Q. Fabius Vibulanus, T. Antonius Merenda, M'. Rabuleius; Q. Pœtelius, K. Duilius, Sp. Oppius Cornicen. hi tres extremi e plebe. auctores Dionysius, Liuius, Diodorus. M. Cornelium fratrem L. Cornelij Maluginensis, consulis an. CCXCIIII, tradit Dionysius & Liuius. Q. Fabius is est, qui ter cōsul fuerat. Dionysius. Nomina horum aliquot apud Diodorum desiderantur; ac Sp. Veturius inter hos falso, vt puto, numeratur.

De secunda secessione plebis, & decemuiris an. CCCIIII *abdicatis, & consulibus suffectis.*

CVM maior pars anni superioris processisset, & duabus tabulis ad decem adiectis, nihil superesset, si hæ quoq; tabulæ centuriatis comitiis perlatæ essent, cur decemuiris reipubl. opus esset, exspectaretq; populus quam mox consulibus creandis comitia indicerētur, tum decemuiros nulla comitiorū mentione facta, iuuenum cateruis stipatos, superbius atq; impotētius se in vnumquemq; gessisse; & idibus Maijs aduenientibus, (qui dies tum solennis ineundo cōsulatui erat) nullis magistratibus subrogatis, eosdem qui priore anno fuerant, decemuiratum cum magna totius populi indignatione continuasse, Liuius & Dionysius produnt. Abdicasse autem eosdem haud ita multo post hāc ob caussam inuenio. Ap. Claudius, cum alij collegæ in Æquos, alij in Sabinos exercitum duxissent, vrbis præsidio relictus, Virginiam plebeiam virginem, quā amabat, pretio pellicere adortus, cum frustra se laborare animaduertisset; in seruitutem per clientem suum M. Claudiū asserere eam conatus, patrem eius eo cōpulit, vt ipsam filiā manu sua sibi potius occidendam putarit, quam Ap. Claudij libidini dederetur. Ea res, vt erat atrox, in vtraq; castra perlata, seditionem maximā plebis excitauit: quæ relictis castris cum primū in Auentinum, post in montem Sacrum secessisset, paulo post placata, se rediturам esse professa est, si tribuni plebis sibi restituerentur, & decemuiris abdicatis, consularis potestas reuocaretur. Quibus conditionibus a senatu acceptis, ipsa in vrbem rediit. Tribuni pl. decem iterum ceati, & decemuiri abdicati sunt. Eadem secessio a Varrone *Crustumerina* dicitur, credo, quod plebs tum e castris secesserit, quæ inter Fidenas Crustumeriamq; loco edito communita erant.

Sexageſimo hoc poſt reges exactos anno factum eſſe, teſtis eſt Cicero De finibus, inquiens; L. Virginius ſexageſimo anno poſt libertatem receptam, Virginiam filiam ſua manu occidit potius, quam ea Ap. Claudij libidini, qui tum erat ſummo in imperio, dederetur. Conuenit autem Ciceroniana ſumma cum Capitolina. Comitiis porro (vt ait Liuius) conſularibus habitis, per interregem conſules creantur L. Valerius Potitus, M. Horatius Barbatus, ijdemque magiſtratum ſtatim occeperunt. Idem Liuius decemuiros in tertium annum continuaſſe, poſt tertium annum conſules iniiſſe ſignificat. Quod nos in his tabulis ne ſcriberemus, & aliorum, & maxime Capitolinorum ſcriptorum mouit auctoritas. Rufus enim tantum per biennium decemuiros reipubl. præfuiſſe; Tacitus decemuiralem poteſtatem non vltra biennium valuiſſe tradit. cum autem in Capitolinis horum conſulum triumphis numerus aſcriptus ſit anni ab vrbe condita CCCCIIII, ſatis patet, tertium decemuirûm annum cum hoc ipſo, quo conſules Valerius & Horatius inierunt, coniungendum eſſe; vt ſit quartus poſt Quinctilium & Horatium conſules annus, qui ex Capitolinis tabulis in annum trecenteſimum inciderunt. Eorundem conſulum meminit poſt abdicatos etiam decemuiros Caſſiodorus. quorum cognomina Barbatus & Potitus, ſunt etiam in faſtis Cuſpiniani & Siculis. Eorum L. Valerius, P. Valerij filius eſt, eius qui cos. Ap. Herdonium interfecit; P. Valerij, qui reges eiecit, nepos: M. autem Horatius, M. Horatij, qui cum Poplicola item conſul fuit, nepos. De L. Valerio ſic Cicero in Bruto; Ne L. Valerium quidem Potitum arbitror non aliquid potuiſſe dicendo, qui poſt decemuiralem inuidiam plebem in patres incitatam, legibus & concionibus ſuis mitigauerit. Diodorus hos cos. nominat M. Horatium, L. Valerium τερπῖνον: mendoſe, vt puto, pro ποτῖτον: P. Valerium Poplicolam Potitum, M. Horatium Barbatum triumphus eorum Capitolinus.

De triumphis L. Valerij Potiti, M. Horatij Barbati cos. de Aequis & Sabinis.

L. VALERIVS in Æquos & Volſcos, M. Horatius in Sabinos profecti, optime rem geſſerunt. Iidemque cum a ſenatu triumphum non impetrarent, ad populum conuerſi, primi iuſſu populi, inuito ſenatu triumpharunt. Liuius, Dionyſius, Zonaras. Ex eorum etiam verbis apparet Valerium de Æqueis & Volſceis triumphaſſe; cum in Capitolino tamen triumpho Æquorum tantum nomen inciſum ſit.

DE COS. AN. CCCV.

CONSVLES ſuggerit Liuius Sp. Herminium, T. Virginium Cœlimontanum: L. Herminium, T. Virginium Caſſiodorus: Λάρον Ἑρμήνιον, Τίτον Οὐεργίνιον Dionyſius: Λαεῖνον Ἑρμήνιον, Τίτον Οὐεργίνιον Στρύκτον Diodorus. In ſcholiis Liuianis oſtendi Lartem Herminium eſſe legendum. Vereor etiam ne στρύκτος apud Diodorum mendoſe ſit, pro τρικόστος: nam *Structus*, Seruiliorum eſt, non Virginiorum: præſertim vero cum in faſtis Siculis ſit Herminius & Tricoſtus. Otium domi ac foris fuit.

DE COS. AN. CCCVI.

M. GEGANIVM Macerinum, C. Iulium cos. ſubijcit Liuius: M. Geganium, L. Iulium Diodorus: Macrinum & Iulium faſti Siculi. Dionyſij multæ hic paginæ deſiderantur. M. Geganius, M. F. dicitur in ſecundo ipſius conſulatu Capitolino. Hi conſules, plebem decreto ad bellum Volſcorum & Æquorum delectu ſuſtinendo, rem ab ſeditionibus continuere. Liuius.

DE COS. AN. CCCVII.

T. QVINCTIVM Capitolinum IIII, Agrippam Furium, conſules in hunc annum comparant Liuius & Dionyſius: T. Quinctium Agrippam Furium Diodorus & Caſſiodorus: Furium & Capitolinum faſti Siculi. Æquis Volſcisque qui ad mœnia ipſa Romæ populabundi venerant, fuſis, conſules triumphum nec poſtularunt, neque eis ab ſenatu delatus eſt. Ager Aricinorum & Ardeatium controuerſus, teſtimonio P. Scaptij populo R. adiudicatus eſt. Liuius.

DE COS. AN. CCCVIII.

CONSVLATVM deinde ceperunt M. Genucius, C. Curtius. auctor Liuius, Zonaras, & Dionysius. M. Genucium, Agrippam Curtium Chilonem edit Diodorus. quamquam mendose est apud Dionysium Minucius pro Genucio, & apud Liuium Curiatius pro Curtio. quod ex M. Varrone intelligi potest, qui de lingua Latina ita ait; Cornelius & Luceius scribunt locum palustrem, qui tum in foro fuit, antequam cloacæ sint factæ, esse fulguratum, & ex senatusconsulto septum esse: idque factum esse a Curtio consule, cui M. Genucius fuit collega: atque inde Curtium lacum appellatum. Itaque in fastis Siculis est etiam Genucius & Curtius. His consulibus lex a Canuleio tribuno pl. de communicandis plebi patriciorum connubiis, quæ decẽuiri ante diremerant, lata est. Ardeates ob iniuriam agri abiudicati defecere; & Veientes extrema agri Romani populati sunt. Liuius.

De primis tribunis milit. conf. pot. An. CCCIX.

CVM C. Canuleius trib. pl. priore anno legem alteram promulgasset, vt consul alter ex plebe crearetur, in quo patriciorum dignitas minuebatur, patres veriti ne se inuitis lex perferretur, in eam sententiam ierunt, cuius auctor fuisse C. Claudius dicitur, vt pro consulibus crearentur tres tribuni militum ex patriciis, totidemque ex plebe, iique consulari potestate ornati remp. regerent: eorum autem annuo finito imperio, rursus senatus & plebs consuleretur, consulesne an tribunos mallent: qui vero placuissent, fierent. His rebus decretis, in magno plebeiorum & patriciorum petẽtium studio, tres ex patriciis tantum creati sunt. plebs eo contenta fuit, quod sui ratio in comitiis habita fuisset. Hæc Liuius & Dionysius. Adiicit Liuius, fuisse qui propter adiunctum Æquorum Volscorumque bello, & Ardeatium defectioni Veiens bellũ, quia consules obire tot simul bella nequirent, tribunos militum tres creatos dicerẽt, sine mentione promulgatæ legis de consulibus ex plebe creandis, & imperio atque insignibus consularibus esse vsos. Nomina tribunorum sunt hæc: A. Sempronius Atratinus, L. Atilius Longus, T. Clœlius Siculus; vt ait Liuius, Dionysius, Diodorus. *Longus* certe Atiliorum cognomen fuit, vt alibi patet. A. Sempronius, frater est L. Sempronij, qui consul suffectus est hoc anno. auctor Dionysius. Primos tribunos militum inisse anno ab vrbe condita trecentesimo decimo, scribit Liuius; at Suidas in voce χιλίαρχοι, trecentesimo quinto; Capitolini lapides, trecentesimo nono. Zonaras his consulibus item tribunos militares consulari potestate primum factos scribit.

De tribunis militum abdicatis, & consulibus suffectis.

TRIBVNORVM militarium non pro firmato stetit ius, quia tertio mense quam inierunt, augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere: quod C. Curtius, qui comitiis eorum præfuerat, parum recte tabernaculum cepisset. Interim patricij, cum sine curuli magistratu resp. esset, coiere, & interregem creauere. Contentio consulesne an tribuni militum crearentur, in interregno rem dies complures tenuit. Interrex ac senatus, consulum comitia; tribuni plebis, & plebs, tribunorum vt haberentur, tendunt, vicere patres. T. Quinctius Barbatus interrex, cõsules creat L. Papirium Mugillanum, L. Sempronium Atratinum. hæc Liuius & Dionysius. Hi consules in fastis Siculis præteriti sunt. Itaque addit etiam Liuius, hos consules neque in annalibus priscis, neque in libris magistratuum inueniri: Licinium autem Macrum, & in fœdere Ardeatino, & in libris linteis esse, scripsisse. Horum consulum meminit Cicero in epistola ad Papirium Pætum. Papirij, inquit, fuerunt patricij minorum gentium; quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui consul cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea censor cum eodem fuisset annis post Romam conditam CCCXII. sed tum Papisij dicebantur. Quo in loco legendum puto; *Qui censor cum L. Sempronio Atratino fuit, cum antea consul cum eodem fuisset:* ex ipsa historia. L. Sempronium filium esse A. Sempronij L. F. A. N. Atratini, consulis anno CCCXXXVII, puto. His consulibus fœdus cum Ardeatibus renouatum. Liuius.

DE COS. AN. CCCX.

CONSVLES edit in hunc annum Cassiodorus T. Quinctium, M. Geganium: Diodorus T. Quinctium, M. Geganium Macerinum: fasti Cuspiniani & Siculi, Macerinum & Capitolinum: Zonaras M. Macerinum & Barbatum: Liuius & Dionysius M. Geganium Macerinum iterum, T. Quinctium Capitolinum quinctum. Eosdem mense Decembri iniisse tradit Dionysius.

De censoribus primis, & Lustro XI.

IDEM annus censuræ initium intulit. ortum autem eius rei initium est, quod in populo per multos annos incenso neque differri census poterat, neque consulibus, cum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotiũ agere. Mentio illata ab senatu est, rem operosam, ac minime consularem, suo proprio magistratu egere; cui scribarum ministerium, custodiæque, & tabularum cura, cui arbitrium formulæ cẽsendi subiiceretur. Et patres, quamquam rem paruam, tamen quo plures patricij magistratus in rep. essent, læti accepere; id quod euênit, futurum rati, vt mox *ope eorum qui præessent, ipsi honori ius maiestatemque adiicerent: & tribuni, id quod tunc erat, magis necessariam quam speciosi ministerij procurationem intuentes, haud sane tetendere. Hæc ad verbum Liuius. Dionysius hac de re consules ait ad senatũ rettulisse, censumque in vrbe necessarium esse, præsertim in qua intra XVII annos post Q. Fabium, L. Cornelium consules census nullus actus esset, docuisse. Reliqua vero, quæ hunc locum continebant, temporum iniuria apud eum desiderantur, vna cum reliquis pulcherrimæ & certissimæ illius historiæ partibus; cuius præsidio memoria rerum Romanarum lapsa subleuari facile potuit. CENSORES porro a censu agendo dictos scribit Liuius. Varro de lingua Latina censorem ait dictum esse, ad cuius censionem, id est, arbitrium, populus censeretur. Festus censores nuncupatos scribit, quod rem suam quisque tanti æstimare solitus esset, quantũ illi censuissent. De censorum iure tradit Plutarchus in Catone maiore, Varro de lingua Latina, Zonaras lib. II. Cum autem, vt ait Liuius, a primoribus ciuitatis spretus honos esset, Papirium Semproniumque, quorum de consulatu dubitabatur, vt eo magistratu parũ solidum magistratum explerent, censui agendo populus præfecit. Cicero ad Pætum L. Papirium Mugillanum scribit cum L. Sempronio Atratino censorem ante fuisse, quam consul fuisset. in quo vitium est (vt dixi) librarij. Illud non prætleribo, cum duo censores essent, eos inter se sortiri solitos fuisse, vter lustrum conderet, vt Varro & sæpissime alias Liuius notarunt. Qui autem lustrum fecit, is fere postponitur collegæ suo. Quod & ipse quoque, sequutus Capitolinos auctores, feci, quoad potui. Quamquam autem lustri nulla mentio fit, factum tamen esse, sequentia lustra indicabunt.

De triumpho M. Geganij Macerini cos. II.

VOLSCI Ardeam populo Rom. fœderatam duce Æquo Clœlio cum obsidione premerent, a M. Geganio cos. circumuallati, atque in extremum periculum adducti, in deditionem accipiuntur, & sub iugum missi, cum singulis vestimẽtis, ignominiæ cladisque pleni, dimittuntur. Consul duce Clœlio ante currum ducto, in vrbem triumphans redit. Hæc Liuius. vestigia parua huius triumphi exstant etiam in Capitolinis triumphis, hæc; M. GEGANIVS M. F. DE=== ANN. CCCX. NONIS SEPT.

DE COS. AN. CCCXI.

C

CONSVLES nominat hoc anno Cassiodorus M. Fabium, Postumum Æbutium: Diodorus M. Fabium, Postumum Æbutium Οὔλεκον: Liuius M. Fabium Vibulanum, Postumum Æbutium Cornicinem: fasti Siculi Vibulanum & Eluam; Cuspiniani Vibulanum & Cornicinem. Valerius in Epitoma Postumi Æbutij Eluæ meminit. Liuius M. Æbutij Eluæ triumuiri coloniæ deducendæ hoc anno mentionem facit. Quid sit cognomen Οὔλεκος, nisi ὁ Ἔλβας legatur, incertum habeo. M. Fabius, filius est Q. Fabij M. F. K. N. qui ter consul fuit, & cladi ad Cremeram superfuit. Ardea colonia præsidij caussa deducta. Liuius.

DE

DE COS. AN. CCCXII.

In hunc annum consules inuenio in fastis Siculis, apud Liuium & Cassiodorum, C. Furium Pacilum, M. Papirium Crassum: apud Diodorum Q. Furium Fusum, Manium Papirium Crassum. Est autem Manius Papiriorum prænomen; quod in aliis etiam celebratum est. Foris res quietæ fuerunt. Liuius.

DE COS. AN. CCCXIII.

Proculum Geganium Macerinum, L. Menenium Lanatum cos. collegas produnt hoc anno Liuius & Cassiodorus: T. Menenium, Proculum Geganium Macerinum Diodorus: Macrinum & Lanatum fasti Siculi. L. Menenium fratrem esse arbitror Agrippæ Menenij tribuni mil. anno CCCXXXVI. In summa annonæ caritate Sp. Mælius, vir ex equestri ordine, ingẽtes plebi frumẽti largitiones fecit. Liuius.

DE COS. AN. CCCXIIII.

Hic annus consules habuit T. Quinctium Capitolinum VI, Agrippam Meneniũ Lanatum, Liuio & Cassiodoro auctoribus: Diodoro autem, T. Quinctium, T. Menenium: fastis Siculis, Menenium & Capitolinum. Agrippa descriptus est ex tribunatu militari Capitolino an. CCCXXXVI.

De L. Quinctio Cincinnato dictatore II, & Sp. Mælio interfecto.

Sp. Maelius ex equestri ordine, in summa annonæ caritate, cum frumentum ex Etruria priuata coemptum pecunia aduehendũ curasset, atque largitionibus frumenti factis plebem delinisset, elatus supra modum hominis priuati, de regno agitare, domique consilia habere anno priore cœpisse dicitur. Hoc autem anno cum tela in domum Sp. Mælij conferri quotidie, ad senatum delatum esset a L. Minucio Augurino annonæ præfecto, eumque domi de regno non dubia cõsilia habere; senatus tantæ rei nouitate commotus, ex T. Quinctij consulis sententia dictatorem dici iussit. L. Quinctius Cincinnatus, post octogesimum annum dictator a T. Quinctio cos. dictus, C. Seruilium Ahalam magistrum equitum sibi cooptauit. Seruilius iussu dictatoris Mælium in ius vocatum, quia dicto non parebat, obtruncauit. Dictator iuste factum pronuntiauit, etiam si regni crimine insons fuisset. Ita Liuius, & fere Zonaras. Qui vero de viris illustribus scripsit, ita; L. Cincinnatus, viginti annos postquam dictator fuerat, iterum dictator cum magistro eq. Seruilio Ahala Sp. Mælium interfecit. & Cicero in Catone sic; L. Quinctio Cincinnato in agro aranti nuntiatum est, eum dictatorem esse factum. cuius dictatoris iussu magister eq. C. Seruilius Ahala Sp. Mælium regnum affectantem & occupantem interemit. Diximus autem eum non eodem tempore ex agro ad dictaturam vocatum esse, & Mælium interfici iussisse. neque enim eum post octogesimum annum in agro fuisse colendi caussa, verisimile videtur. De Seruilio magistro eq. scribit Valerius hoc modo lib. v; Ahala cum magister equitum Sp. Mælium regnum affectantem occidisset, custoditæ libertatis ciuium exsilio suo pœnas pependit. & Liuius anno CCCXVI ait rogationẽ latam esse a Sp. Mælio tribuno pl. de publicandis Seruilij Ahalæ bonis ob necẽ ciuis indemnati; sed nihil egisse. Scribit tamen hac de re Cic. sic Pro domo; Cæso ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & C. Seruilius Ahala, cum essent optime de rep. meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque subierunt. Hunc magistrum equitum post in cõsulatu anno CCCXXVI Structum pro Ahala vocat Diodorus.

DE TR. MIL. AN. CCCXV.

Tribuni pl. peruicerunt, vt tribunorum militum potius quam consulum comitia haberentur; non dubij quin sex lectis, (tot enim iam creari licebat) ex plebeiis aliqui, profitendo se fore Mælianæ cædis vltores, crearentur. plebs tamen nec plures quam tres tribunos consulari potestate creauit, & in iis L. Quinctium Cincinnati filium. prælatus suffragiis Quinctio Mamercus Æmilius, vir summæ dignitatis. L. Iulium tertium creant. Liuius. Tres tribunos militares in hunc annum edit etiam

Diodorus, Manium Æmilium Mamercum, C. Iulium, L. Quinctium. Mam. Æmilius (sic enim potius quam M'. voco) pater est M'. Æmilij Mam. F. M. N. Mamercini, tribuni mil. an. CCCXLVIII. L. Iulius, pater est L. Iulij L. F. Vopisci N. Iuli, tribuni mil. anno CCCLII. His consulibus Fidenates coloni ad Lartem Tolumnium Veientium regem & Veientes defecere; & legatos Romanos caussam noui consilij quærentes, iussu regis interfecere. Liuius.

DE COS. AN. CCCXVI.

AD curam summæ rerum, quieta plebe tribunisque eius, nihil controuersiæ fuit quin consules crearentur, M. Geganius Macerinus tertium, & L. Sergius. Hæc Liuius. Cassiodorus etiam, qui non nisi nomina consulum apponit, M. Geganium III, & L. Sergium cos. edit: Diodorus item M. Geganium, L. Sergium: fasti Cuspiniani & Siculi Macerinum & Fidenatem. Hunc enim Sergium Fidenatem a bello Fidenati gesto vocatum tradit Liuius. hic enim primus hoc anno cis Anienem cum rege Veientium secundo prœlio conflixit, nec incruentam victoriam rettulit. Idem ornatus est ex tertio tribunatu Capitolino an. CCCXXXV.

De Mam. Aemilio Mamercino dictatore, & triumpho eius de Faliscis, Veientibus, & Fidenatibus.

CVM maior ex ciuibus bello Fidenati amissis L. Sergio consule dolor, quam lætitia fusis hostibus esset, senatus, vt in trepidis rebus, dictatorem dici Mamercum Æmilium iussit. is magistrum eq. ex collegio prioris anni, quo simul tribuni mil. consulari potestate fuerant, L. Quinctium Cincinnatum, dignum parente iuuenem, dixit. Ita Liuius. Vtriusque meminit etiam Orosius & Eutropius. Qui autem scripsit de viris illustribus, Quinctium Cincinnatum dictatorem, A. Cornelium Cossum magistrum eq. prodit. Cossum autem hoc anno tribunum militum fuisse, plerisq; auctoribus placuisse tradit Liuius. Cum Veientibus porro, & Fidenatibus, & Faliscis, qui horum auxilio venerant, hoc anno acerrime a Mam. Æmilio dictatore pugnatum est. qui omnibus locis re bene gesta, senatus cōsulto iussuque populi triumphans in vrbem rediit. Liuius. Plerique A. Cornelium Cossum tribunum militum in hoc bello Lartem Tolumnium Veientium regem interemisse scripserunt, & secūda opima spolia Ioui Feretrio rettulisse. Nos hanc victoriam in consulatum eius reiecimus, quem nono ab hinc anno gesturus est. Id quo consilio fecerimus, eo loco latius exponemus. Eutropius Fidenas captas & excisas scribit a Mam. Æmilio dictatore, & L. Quinctio Cincinnato magistro eq. Liuius autem Mam. Æmilio dictatore III, & A. Cornelio Cosso magistro eq. id factum ait. Huius triumphi notæ sunt in Capitolinorum triumphorum fragmentis hæ; = VS. == AN. CCCXVI. IDIB. SEPT.

DE COS. AN. CCCXVII.

LIVIVS & Cassiodorus consules in hunc annum memorāt M. Cornelium Maluginensem, & L. Papirium Crassum: Diodorus L. Papirium, A. Cornelium Macerinum: vitiose sine dubio. siquidem est etiam in fastis Cuspiniani & Siculis, Maluginensis & Crassus. L. Papirium esse reor, qui post in censura Capitolina M. F. appellatur. M. Cornelium arbitror esse filiū M. Cornelij ante decemuiri cōsularis. Exercitus in agrum Veientem & Faliscum ducti. hostis nusquam inuentus. Liuius.

DE COS. AN. CCCXVIII.

CONSVLES in hunc annum inuenio apud Liuium & Cassiodorum C. Iulium iterum, & L. Virginium: apud Diodorum, C. Iulium, Proculum Virginium Tricostum: in fastis Cuspiniani & Siculis, Iulium & Virginium. Iulius anno CCCVI consul fuit.

De Q. Seruilio Prisco dictatore.

CVM Fidenates, Veientium exercitu accito, Anienem transissent, atque haud procul

procul porta Collina castra haberent, Iulius consul in aggere murisque explicat copias. Virginius S. C. dictatorem dicit Q. Seruilium; cui Priscum alij, alij Structum fuisse cognomen tradunt. is sibi magistrum eq. Postumum Æbutium Eluam cooptat. Hæc Liuius. Seruilius in secunda dictatura Capitolina scribitur Q. Seruilius P. F. Sp. N. Priscus Fidenas. Puto autem Fidenatem appellatum in hoc magistratu, quo Fidenas cepit; vt ait Liuius. Cuius tamen victoriæ triumphum miror a Liuio esse præteritum; aut caussam cur non eum egerit, esse neglectam.

De censoribus, & Lustro XII.

HIS consulibus C. Furium Pacilum, & M. Geganium Macerinum censores villam publicam in campo Martio probasse, ibique primum populi censum actum esse, tradit Liuius. Eundem M. Geganium & C. Furium violentos censores appellat in anno CCCCXLIII. Lustrum ab his conditum probant sequentia lustra. neque enim eorum hoc præterito constaret numerus.

DE COS. AN. CCCXIX.

EOSDEM consules in sequenti anno refectos, Iulium tertium, Virginium iterum, apud Macrum Licinium inuenio. Valerius Antias, & Q. Tubero, M. Manlium & Q. Sulpicium consules in eum annum edunt. Ceterum in tam discrepanti editione, & Tubero & Macer libros linteos auctores profitentur. neuter tribunos militū eo anno fuisse traditum a superioribus antiquis dissimulat. Licinio libros haud dubie sequi linteos placet: & Tubero incertus veri est. Sed inter cetera vetustate incomperta, hoc quoque in incerto positum. Hæc Liuius. Diodorus tamen pro consulibus tres tribunos militares edit, M. Manlium, Q. Sulpicium Prætextatum, Ser. Cornelium Cossum. Nos autem, quia C. Iulium III, L. Virginium II consules etiam a Cassiodoro poni animaduertimus, propterea eos consules apposuimus: quamuis in fastis Siculis sit Capitolinus & Camerinus: quorum illud M. Manlij, hoc Q. Sulpicij cognomē est.

De Mam. Aemilio Mamercino dictatore II.

CVM Falisci ac Veientes, captis a Seruilio dictatore Fidenis exterriti, legatis circa XII populos missis impetrassent, vt ad Voltumnæ fanum indiceretur omni Etruriæ concilium, velut magno inde tumultu imminente, senatus Mam. Æmilium dictatorem iterum dici iussit. ab eo A. Postumius Tubertus magister eq. est dictus. Non mouentibus autem Etruscis, dictator, ne nequicquam creatus esset, legem pertulit, qua censuram, quæ quinquennalis ante erat, annuam & semestrem fecit; ac se dictatura abdicauit. Censores, ægre passi, Mamercum, quod magistratum populi Ro. imminuisset, tribu mouerunt; octuplicatoque censu, ærarium fecerunt. Ita Liuius. Idem A. Postumius Tubertus, post dictator erit.

DE TR. MIL. AN. CCCXX.

TRIBVNI pl. assiduis concionibus prohibendo consularia comitia, cum res prope ad interregnum perducta esset, euicere tandem vt tribuni mil. consulari potestate crearentur. Victoriæ præmium, quod petebatur, vt plebeius crearetur, nullum fuit. omnes patricij creati sunt; M. Fabius Vibulanus, M. Foslius, L. Sergius Fidenas. sic Liuius. Diodorus item edit M. Fabium, M. Φαλίνιον, L. Seruilium: sed mendose. M. Fabius, idem est qui consul fuit an. CCCXI: L. Sergius, qui fuit anno CCCXVI. Foslius Flaccinator alibi in Capit. lapid. scribitur, non Folius, vt in vulgatis Liuianis libris; quem mendose Φαλίνιον vocat Diodorus.

DE TR. MIL. AN. CCCXXI.

CONSVLARIVM comitiorum nulla mentio habita est: Tribuni mil. consulari potestate omnes creati sunt, L. Pinarius Mamercus, L. Furius Medullinus, Sp. Postumius Albus. Ita Liuius. Diodorus nominat L. Furium, Sp. ====, == Pinarium Mamercum. Tumultus ab Æquis & Volscis nuntiatus.

DE COS. AN. CCCXXII.

S. C. factum est, vt comitia consularia haberentur. Tumultus caussa fuit; quem ab

Æquis & Volscis Hernici nuntiabant. T. Quinctius L. F. Cincinnatus, (eidem & Penno cognomen additur) & C. Iulius Mento, consules facti. sic Liuius. Eosdem cõsules ponit etiam Cassiodorus. cognomina etiam eorum sunt in fastis Siculis. T. autem Quinctius, alter filius est Cincinnati senis; quos, excepto Cæsone, quem populus ante damnauit, tres habuit; vt ait Liuius. Diodorus item cos. edit T. Quinctium, C. Iulium. Huius consulatus meminit etiam Liuius in anno CCCXXX.

De A. Postumio Tuberto dictatore, & triumpho eius de Aequis & Volscis.

SENATVI dictatorem dici placuit, quia populi sæpe victi, maiore quam alias conatu rebellabant, & aliquantum Romæ iuuẽtutis morbo absumptum erat. Sunt qui male pugnatum ab his consulibus in Algido putent; eamque caussam dictatoris creandi fuisse. Dictus est dictator A. Postumius Tubertus. is sibi magistrum eq. L. Iulium cooptauit. Ita Liuius. Diodorus etiam A. Postumij dictatoris, L. Iulij magistri eq. meminit. Hic est A. Postumius, qui paulo ante magister equitum fuit Mam. Æmilio dictatori. Eundem dictatorẽ hoc anno sæuisse in filium, quod iniussu suo præsidio progressus hostes fuderat, plerique tradunt; vt Valerius libro II, cap. II: Diodorus lib. XII: Gellius libro XVI, his verbis; Circa annum fere post Romam conditam CCCXXIII, A. Postumius Torquatus dictator Romæ fuit; qui filium suum, quod cõtra suum dictum in hostem pugnauerat, securi necauit. hostes tum populi Ro. fuerant Fidenates. Hoc loco apud Gellium mendose est Torquatus pro Tuberto; aut certe deceptus est historiæ similitudine Gellius: siquidẽ T. Manlius Torquatus post idem etiam fecisse consul traditur. Hoc idem a multis proditum, se probare negat Liuius; quod imperia Manliana, non Postumiana dicta sint. Plutarchus huius dictatoris meminit etiam in Camillo. L. Iulius tribunus mil. fuit anno CCCV. Gellius porro cum Fidenatibus esse pugnatum ab A. Postumio dictatore ait; & labitur. Nam Fidenas ante captas alij a Mamerco dictatore, alij a Q. Seruilio tradiderunt. Liuius autem pugnatum esse scribit cum Æquis & Volscis; itemque Plutarchus in Camillo. Hostibus autem deditis, dictator triumphans vrbem inuectus, dictatura se, vt ait Liuius, abdicauit. Eiusdem triumphi meminit etiam Diodorus; sed dictaturam hanc in annum priorem refert.

DE COS. AN. CCCXXIII.

AGITATVM in vrbe ab tribunis pl. vt tribuni mil. consulari potestate crearentur, nec obtineri potuit. consules fiunt L. Papirius Crassus, L. Iulius. sic Liuius & Cassiodorus. at Diodorus C. Papirium, L. Iunium edit: mendose: siquidem in fastis Siculis est Crassus & Iulus; quæ Papiriorum & Iuliorum cognomina sunt. L. Papirius Crassus consul fuit anno CCCXVII; L. Iulius & tribunus militum, & magister equitum. Æqui inducias annorum octo impetrauerunt. otium vndiq; Romanis fuit. Liuius.

DE COS. AN. CCCXXIIII.

CONSVLES hoc anno apud Cassiodorum L. Sergius, Hostus Lucretius: apud Diodorum Opiter Lucretius, L. Sergius Fidenas: apud Liuium L. Sergius Fidenas II, Hostus Lucretius Tricipitinus: in fastis Siculis Tricipitinus & Fidenas. Horum meminit Valerius in epitoma, sic; Hostum prænomen habuit Lucretius Tricipitinus collega L. Sergij. Nihil dignum memoria actum. Liuius.

DE COS. AN. CCCXXV.

IN hunc annum consules edit cum Liuio Cassiodorus A. Cornelium Cossum, T. Quinctium Pennum II: at Diodorus L. Quinctium, A. Sempronium: credo per mendum. est enim in Fastis Siculis Cossus & Pennus, Cornelij & Quinctij cognomen. Horum consulum meminit etiam Liuius supra anno CCCXVI: eosque nono post anno ait factos. A. Cornelius, tribunus mil. fuit Mamercino dictatori anno CCCXVI. pater (vt puto) fuit P. Cornelij A. F. M. N. Cossi, tribuni mil. anno CCCXLV. Idem Pont. max. anno CCCXXII. Liuius.

De

De triumpho A. Cornelij Coſsi conſulis de Veientibus, & ſpoliis opimis ſecundis.

A. Cornelivm Coſſum ſecunda opima ſpolia Larte Tolumnio Veientium rege interfecto rettuliſſe, tradunt vno conſenſu omnes. at vero quo in magiſtratu id fecerit, aliqua controuerſia eſt. Plerique ipſum tribunum militum, alij conſulem, quidam etiam magiſtrum equitum ea rettuliſſe ſcripſerūt. Liuius omnes ante ſe auctores ſequutus, tribunum mil. Mamercino dictatori iterum fuiſſe prodit: Valerius lib III, magiſtrum equitum. magiſter autem equitum fuit Mamercino dictatori tertium an. CCCCXXXVII. Verba eius ſunt hæc; A Romulo proximus Cornelius Coſſus, eidem deo ſpolia conſecrauit, cum magiſter equitum ducem Fidenatium in acie cõgreſſus interemiſſet. Idem eſt ſcriptum in lib. de viris illuſtribus. Fidenates, inquit ille, vt ſine ſpe veniæ fortius dimicarent, legatos ad ſe miſſos interfecerunt. ad quos Quinctius Cincinnatus dictator miſſus, magiſtrū equitum habuit Cornelium Coſſum, qui Lartem Tolumnium ducem ſua manu interfecit. De eo ſpolia opima ſecūdus ab Romulo conſecrauit. Hæc ille. Quam autem & in bello, & in magiſtratibus nominandis labatur, nemo eſt qui non videat. Qui vero ab eo conſule relata eſſe ſpolia dicunt, his potiſſimum rationibus adducuntur. primum, quod opima ſpolia ea rite habentur, quæ dux duci detraxerit; nec dux eſt, niſi cuius auſpicio bellum geritur: tribunus autem militum, & magiſter equitum, alieno pugnant auſpicio. Itaque quemadmodum nec Torquatus, nec Coruus, nec Æmilianus (vt ait Valerius de fortitudine) hoſtium ducibus interemptis, quia alienis auſpiciis rem geſſerant, tribuni militum cum eſſent, ſpolia Ioui Feretrio nõ poſuerunt; ſic ne Coſſum quidem tribunum, aut magiſtrum equitum, ſpolia conſecrare potuiſſe. Dio etiam lib. LI, M. Craſſum Baſtarnarum regem Deldonem interfeciſſe ait; atque de eo ſpolia opima Ioui Feretrio fuiſſe relaturū, ſi ipſe imperator dux fuiſſet, id eſt, εἴπερ αὐτοκράτωρ στρατηγὸς ἐγεγόνει. ſiquidem ea res Auguſti auſpiciis gerebatur, non Craſſi. Accedit, quod Plutarchus in Romulo Cornelium Coſſum ait quadrigis vrbem inuectum ſpolia rettuliſſe. Quadrigis autem vehi, non niſi triumphans poterat; triumphare vero, niſi qui ſuo auſpicio rem geſſerat; vt eſt apud Valerium de iure triumphandi. Poſtremo ſcribit Liuius, ſe audiſſe Auguſtum ingreſſum ædem Iouis Feretrij, quam vetuſtate dilapſam refecit; dicentem, ſe ipſum in thorace linteo ſcriptum legiſſe, Coſſum ea ſpolia cõſulem dedicaſſe. His nos rationibus ducti, triumphum A. Cornelij Coſſi cõſulis cum relatis ab eo ſpoliis in hunc annum contulimus. quamquam ſcribit Liuius, cum Veiẽtes, & ex Fidenatium iuuentute quidam, hoc anno in agrum Rom. excurſiones feciſſent, cognitionem eius rei L. Sergio, Q. Seruilio, & Mam. Æmilio, eſſe permiſſam; nec bello rem eſſe tranſactam. Spolia autem ſecunda Marti, non Ioui eſſe dicata ex lege Numæ, ante in Romulo diximus.

DE COS. AN. CCCXXVI.

Consvles hoc anno C. Seruilius Ahala, L. Papirius Mugillanus; vt aiunt Liuius, Caſſiodorus, & Diodotus. hic tamen pro cognomine Ahala, Structum habet. Fieri enim poteſt, vt Structus Ahala dictus ſit, vt in Capit. tabulis an. CCLXXIIII. in faſtis tamen Siculis inuenio Axillam & Mugillanum. L. Papirius ante conſul etiam fuit. Hunc opinor eum fuiſſe, qui magiſter equitum ante fuit. C. Seruilius Q. F. C. N. Axilla ſcribitur in ſecundo ſuo Capitolino tribunatu, an. CCCXXXV.

DE TR. MIL. AN. CCCXXVII.

Plebs tenuit, ne conſules in hunc annum crearentur. Tribuni mil. conſulari poteſtate quatuor creati ſunt, T. Quinctius Pennus ex conſulatu, C. Furius, M. Poſtumius, A. Cornelius Coſſus. ſic Liuius. Diodorus autem C. Furium, T. Quinctium, M. Poſtumium, A. Cornelium nominat. Ego C. Furium Pacilum eſſe reor eum qui cõſul & cenſor ante fuit: A. Cornelium Coſſum, qui conſul. Poſtumio cognomina addidi familiæ propria hoc tempore, Album Regillenſem. Veientibus rebellantibus bellum indictum. Liuius.

De Mam. Aemilio dictatore III, & triumpho eius de Veientibus ac Fidenatibus.

A. CORNELIVS Coſſus vrbi præfuit. tres reliqui tribuni in Veios profecti, plus ignominiæ quam cladis acceperunt. mœſta ciuitas dictatorem popoſcit. A. Cornelius dictatorem Mam. Æmilium dixit; & ipſe ab eo magiſter equitum eſt dictus. Hæc Liuius. Diodorus item dictatorem dictum Manium Æmilium, A. Cornelium magiſtrum equitum ſcribit, propter legatos a Fidenatibus interfectos: parum (vt ego opinor) prudenter. nam legatorum cædem Æmilius vltus eſt in prima dictatura, non in tertia: Liuius autem atque Oroſius, aperte hanc Æmilio tertiam dictaturam delatam tradunt. De Fidenatibus autem ita Liuius; Vni Fidenatium populo rebellare placuit; &, tamquam niſi ab ſcelere bellum ordiri nefas eſſet, ſicut legatorū antea, ita tum nouorum colonorum cæde imbutis armis, Veientibus ſeſe coniungunt. Cum ergo Fidenates iterum rebellarent, ſeque Veientibus, qui in armis erant, coniungerent, Fidenis ſedes belli capta eſt. In eos dictator exercitu adducto, caſtra vrbemque eorum cepit atque diripuit. cumque exercitum victorē opulentumq; præda triumphans Romam reduxiſſet, die ſextodecimo ſe abdicauit.

DE TR. MIL. AN. CCCXXIIX.

HIC annus tribunos militares conſulari poteſtate habuit L. Furium, L. Quinctium, A. Sempronium; vt ait Diodorus: at vero vt Liuius, A. Sempronium Atratinum, L. Quinctium Cincinnatum, L. Furium Medullinum, L. Horatium Barbatū. A. Sempronius, L. F. A. N. Atratinus in tertio ſuo tribunatu Capitolino ſcribitur: L. Quinctius etiam ante tribunus mil. fuit anno CCCXV: L. Furius & ante ſemel, & poſt III erit anno CCCXXXIII in tabulis Capitolinis. Veientibus in XX, Æquis in III annos induciæ datæ. Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCXXIX.

TRIBVNI militum conſulari poteſtate hoc anno Diodoro auctore quatuor T. Claudius, Sp. Nautius, L. Sergius, Sex. Iulius: Liuio autem, Claudius Craſſus, Sp. Nautius Rutilus, L. Sergius Fidenas, Sex. Iulius Iulus. Claudium Liuius paulo poſt vocat Appium, decemuiri filium. Duos autē Sp. Nautios Rutilos tribunos per hæc tempora idem edit: vnum, qui nunc eſt primum, iterū vero anno CCCXXXVII: alterum, qui primum eſt anno CCCXXXIIII, iterum anno CCCXLIX. Eoſdem etiam tabulæ Capitolinæ habent; verum vnum ſemel, alterum ter tribunum fuiſſe tradunt, vt poſt apparebit: quem hunc eſſe reor. L. Sergius Fidenas tr. mil. fuit anno CCCX primum; tertium autem erit anno CCCXXXV in Capitolinis tabulis. Ergo nunc eſt iterum. Hic annus neque bello foris, neque domi ſeditione inſignis fuit. Liuius.

De cenſoribus & luſtro XIII.

POST annū CCCXIIX, quo cēſores fuiſſe diximus C. Furium Pacilum, & M. Geganium Macerinum, luſtrumque XII conditum eſſe notauimus, vſque ad annum CCCL, quo M. Camillum cum Poſtumio Albino cenſores fuiſſe, & luſtrum XVI cōdidiſſe in Capitolinis tabulis ſcriptum eſt, nulli nominantur apud Liuium cenſores: & tamen aliquot fuiſſe neceſſe eſt, qui XIII, XIIII, & XV luſtrum condiderint. Quia vero anno CCCXXXV cenſor L. Papirius in fragmentis Capitolinis inciſus eſt, a quo luſtrum XIIII conditum eſſe ex interuallo temporum ſuſpicari poſſumus, propterea ante id tempus luſtrum XIII collocauimus. cuius tamen vna cum cenſorum nominibus certum annum reperire nequiuimus.

DE COS. AN. CCCXXX.

CONSVLES creati in hunc annum, auctore Caſſiodoro & Liuio, C. Sempronius Atratinus, Q. Fabius Vibulanus. C. Sempronium Atratinum conſulem Valerius lib. III, cap. II; & lib. VI, cap. V, cum Volſcis ad Verruginem temeritate ſua male pugnaſſe ſcribit. Quod idem eſt etiam apud Liuium. Eundem C. Sempronium patruelem fratrem eſſe A. Sempronij L. F. A. N. Atratini, tribuni mil. III anno CCCXXXVII,

CCCXXXVII. Diodorus hos consules consulto præterit: quorum tamen cognomina produnt Fasti Siculi. Hosidibus Decembris iniisse tradit Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCXXXI.

SENATVS, cum odio Sempronij consulare nomen offenderet, tribunos militares consulari potestate creari iussit. creati sunt L. Manlius Capitolinus, Q. Antonius Merenda, L. Papirius Mugillanus. Hæc Liuius. apud quem desideratur nomen quarti tribuni, L. Seruilij Structi; de quo in anno CCCXXXVI dicam. Vt autem multa nomina tribunorum interciderint apud hunc auctorem, in scholiis Liuianis ostendi. Hos etiam transcendit Diodorus. in fragmento Capitolino exstat cognomen MVGILLAN. quod est L. Papirij.

DE COS. AN. CCCXXXII.

HIC annus consules habuit N. Fabium Vibulanum, T. Quinctium Capitolinum, Liuio & Cassiodoro auctoribus. Hic Fabius primus fuit qui in gente Fabia hoc prænomine vsus sit, filius Q. Fabij, qui sexcentis ad Cremeram interfectis superfuit. Itaque in secundo Capitolino tribunatu Q. F. M. N. Vibulanus nuncupatur. T. Quinctium Capitolini filium scribit Liuius, eius qui sexies consul fuit: quem idem anno CCCXXX exactæ iam ætatis fuisse ait. Et hos omittit Diodorus: fasti autem Siculi non item. In fragmento Capitolino est T. Quinctius CAPITOLIN. BARBAT. N. FABIVS.

De N. Fabio Vibulano ouante de Aequis.

CVM trepidam tantum aciem his consulibus Æqui ostendissent, turpi fuga funduntur; haud magno cõsulis Fabij, cui ea prouincia euenerat, decore. Itaque triumphus negatus. Ceterum ob Sempronianæ cędis leuatam ignominiam, vt ouans vrbẽ iniret, concessum est. Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCXXXIII.

CVM maior pars anni per nouos tribunos pl. & aliquot interreges certaminibus extracta esset, modo prohibentibus tribunis patricios coire ad prodendum interregem, modo interregem interpellantibus, ne S. C. de comitiis consularibus faceret: postremo L. Papirius Mugillanus interrex castigando nunc patres, nũc tribunos plebis, obtinuit vt tribunicia comitia haberentur. Creati tribuni consulari potestate omnes patricij, T. Quinctius Cincinnatus tertium, L. Furius Medullinus iterum, M. Manlius, A. Sempronius Atratinus. Liuius hæc. Cum autem in Capitolinis fragmẽtis sit Cincinnatus II, Medullinus III, contra atque apud Liuium; profecto intelligẽdum est, numeri notas apud Liuium esse præpostero ordine; non librariorum vitio, sed annalium varietate. In eodem fragmento est etiam M. Manlius, A. Sempronius. T. Quinctius ante tribunatum gessit anno CCCXXVII. Hos etiam præterit Diodorus. Hoc loco annum interregni Liuiani, quem summa annorum Capitolina non patitur, omisimus.

DE TR. MIL. AN. CCCXXXIIII.

TRIBVNI mil. consulari potestate in hunc annum Agrippa Menenius Lanatus, P. Lucretius Tricipitinus, Sp. Nautius, auctore Liuio. Desideratur autem librariorum (vt puto) culpa quartus tribunus, C. Seruilius Q. F. C. N. Axilla; qui anno insequenti in Capitolinis tribunis numeratur cum hac nota, II, & hoc anno ibi est, C. SERVILIVS, quarti tribuni loco. P. Lucretius Hosti F. dicitur in secundo eius tribunatu Capitolino. Agrippa Menenius idem est qui consul fuit anno CCCXIIII. Et hi desiderantur apud Diodorum. In fragmento Capitolino ita est; AGRIP. N. LANATVS. SP. NAVTIVS. =TRICIPITINVS. C. SERVILIVS. Serui qui de vrbis incendio coniurarant, supplicio affecti.

DE TR. MIL. AN. CCCXXXV.

DIODORVS in hunc annum edit tribunos mil. consulari pot. L. Sergium, M.

Seruilium, M. Papirium. Liuius L. Sergium Fidenatem, M. Papirium Mugillanum, C. Seruilium Prisci F. quo dictatore captæ Fidenæ fuerant. quem C. Seruilium Axillam II nuncupari inuenio in Capitol. tribunis. Quod etiam traditum non ignorat Liuius, cum ait, Q. Seruilium dictatorem magistrum eq. sibi cooptasse C. Seruilium filium, alios tradidisse; alios vero, C. Seruilium Ahalam. in fragmento Capitolino ita est; MVGILLANVS. C. SERVILIVS Q. F. L. N. AXILLA. II. L. SERGIVS C. F. C. N. FIDENAS. III.

De Q. Seruilio Prisco dictatore II.

LAVICANIS (Æquorum populi sunt) noua arma capientibus, bellum indictū est. Re minus prospere a tribunis duobus gesta, ex senatus consulto C. Seruilius, qui vrbi præerat, Q. Seruilium, quo dictatore captæ Fidenæ fuerant, dictatorem dixit. pater magistrum equitum filium sibi cooptauit: alij Ahalam Seruilium magistrum eq. hoc anno fuisse scribunt. Liuius. Eiusmodi vero annales sequuti sunt ij, qui Capitolinos triumphos concinnarunt; qui Q. Seruilium P. F. Sp. N. Priscum Fidenatem II, C. Seruilium Q. F. C. N. Axillam II edunt. Porro autē Lauicos dictatorem cepisse ac diripuisse, exercitumque victorem Romam reduxisse, dieq; octauo, quam creatus erat, magistratu se abdicasse, scribit Liuius. neque triumphi in tanto viro verbum vllum facit, perinde atque ne in priore quidem eius dictatura.

De censoribus & lustro XIIII.

L. PAPIRIVM censorem in hunc annum produnt Capitolina fragmenta. Liuius mire negligens est, qui & huius, & aliorum multorum annorum censores præteriit de industria. Hunc ego L. Papirium Crassum, eum qui bis ante consul fuit, esse opinor. Collegam eius inuenire non potui. Lustrum autem ab his conditū esse XIIII, ratio temporum docet: vt in XVI lustro ostendam.

DE TR. MIL. AN. CCCXXXVI.

TRIBVNI militum consulari pot. hoc anno P. Lucretius, C. Seruilius, Agrippa Menenius, Sp. Veturius, Diodoro auctore, at Liuius edit Agrippam Menenium Lanatum, L. Seruilium Structum, P. Lucretium Tricipitinum; iterum omnes hos: Sp. Veturium Crassum. Ex his L. Seruilius Structus primum fuit anno CCCXXXI, librariorum vitio præteritus: neque enim quo alio anno fuerit, apparet. in fragmento Capitolino est; P. LVCRETIVS HOSTI F. AGRIPPA MENENIVS T. F. AGRIPP. N. Res externæ quietæ.

DE TR. MIL. AN. CCCXXXVII.

TRIBVNOS mil. consulari potestate habuit hic annus auctore Diodoro A. Sempronium, M. Papirium, Q. Fabium, Sp. Nautium: Liuio, A. Sempronium Atratinum III; & duos II, M. Papirium Mugillanum, & Sp. Nautium Rutilum. Præteritum esse a librariis Q. Fabium quartum huius anni tribunum, Capitolinus hic tribunatus, Diodorus, & ipsemet Liuius ostendit, qui Q. Fabium tribunum mil. II esse scribit anno CCCXXXIX; vt in scholiis Liuianis apertius ostendi. quin etiam in fragmēto Capitolino, A. SEMPRONIVS L. F. A. N. Foris otium fuit.

DE TR. MIL. AN. CCCXXXVIII.

TRIBVNOS militum edit quatuor in hunc annum Diodorus, P. Cornelium, C.=====.=======.==. Fabium: Liuius P. Cornelium Cossum, C. Valerium Potitum, Quinctium Cincinnatum, N. Fabium Vibulanum: lapis Capitolinus P. Cornelium, C. Valerium L. F. Volusi N. Fabius in secundo suo tribunatu Capitolino scribitur: N. Fabius Q. F. M. N. Vibulanus II. Æqui Lauicanis nouis colonis Romanis arma intulerunt.

DE TR. MIL. AN. CCCXXXIX.

TI. POSTVMIVS, C. Cornelius, C. Valerius, Cæso Fabius, tribuni mil. a Diodoro produntur in hunc annum: at a Liuio Cn. Cornelius Cossus, L. Valerius Potitus, Q. Fabius

Q. Fabius Vibulanus II. P. Postumius Regillensis. Q. Fabius est is qui biennio ante præteritus est a librariis. P. Postumium aduersus Æquos profectum, propter crudelitatem ab exercitu suo lapidibus obrutum scribit Liuius. L. Valerius L.F.P.N. Potitus scribitur in secundo suo tribunatu Capitolino. In fragmento autem huius anni est, Q. Fabius Q.F.M.N. P. Postumius A.F.A.N.

DE COS. AN. CCCXL.

DEINDE patres vicere vt consules crearentur. Q. Fabio Vibulano comitia habente, consules creati sunt M. Cornelius Cossus, L. Furius Medullinus. Eosdem consules nominat Cassiodorus, & Diodorus, exemptis cognominibus: quos cum insequētibus omittunt fasti Siculi. L. Furius Medullinus bis cos. erit, septies tribunus militū. in secundo autem tribunatu Capitolino, L.F.Sp.N. scribitur. Furius cos. aduersus Volscos populantes Hernicorum fines missus, cum hostem ibi non inuenisset, Ferentinum, quo magna multitudo Volscorum se contulerat, cepit.

DE COS. AN. CCCXLI.

Q. FABIVS, C. Furius, consules subsequuntur apud Cassiodorum: apud Liuium autem & Cassiodorum, Q. Fabius Ambustus, C. Furius Pacilus. Hunc C. Furium C. Furij F. esse reor, qui ante & censor & tribunus mil. fuit. Præterquam ab morbo annonaque, nihil hoc biennio intestini externive incommodi fuit. Liuius.

DE COS. AN. CCCXLII.

M. PAPIRIVM, C. Nautium Rutilum, edunt consules hoc anno Liuius, Cassiodorus, & exempto Rutili cognomine Diodorus: Mugillanum & Rutilum cum fastis Siculis Cuspiniani.

De censoribus & Lustro XV.

LVSTRI XV sedes incerta est: & nomina censorum, qui id condiderint, adhuc nobis incomperta sunt. Id est Liuij negligentiæ tribuendum, a quo hæc, vt multa alia, consulto neglecta sunt.

DE COS. AN. CCCXLIII.

M. AEMILIVM, C. Valerium, consules in hunc annum produnt Liuius & Cassiodorus: at Diodorus Manium Æmilium, C. Valerium: fasti Siculi Aimilium & ῥυσίκον: vt puto, mendose. Hic Æmilius in primo & tertio tribunatu Capitolino M'. Æmilius Mam. F.M.N. Mamercinus scribitur: Valerius in primo & tertio tribunatu Capitolino L.F. Volusi N. Potitus Volusus appellatur.

De C. Valerio ouante de Aequis.

CVM Æqui in Latinum Hernicumque agrum transcēdissent, atque arcem Caruentanam occupassent, C. Valerius consul motis castris eos deiecit præsidio, arcemque recuperauit. Itaque dignus senatui visus est qui propterea ouans in vrbem introiret. Liuius.

DE COS. AN. CCCXLIIII.

IN hunc annum creati consules teste Cassiodoro L. Furius. Cn. Cornelius: Diodoro L. Furius, Cn. Pompeius: Liuio Cn. Cornelius Cossus, L. Furius Medullinus iterum: fastis Siculis Cossus & Medullinus, In fragmēto Capitolino est; A.F.M.N. quod ad Cornelium pertinet; & MEDVLLIN. II; quod ad Furium. Consules an ambo profecti sint ad arcem Caruentanam, an alter ad comitia habenda substiterit, incertū diuersi auctores faciunt. illa pro certo habēda, in quibus non dissentiunt, ab arce Caruentana (hanc Æqui iterum inuaserant) cum diu nequicquam oppugnata esset, recessum; Verruginem in Volscis eodem exercitu receptam. Eodem anno quæstores primum ex plebe creati. Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCXLV.

C. IVLIVS, P. Cornelius, C. Seruilius, tribuni militum in hunc annum suggerūtur a Diodoro. iisdē addunt cognomina lapis Capitolinus & Liuius, Iulum, Cossum,

Ahalam. C. Iulium fratrem esse reor L. Iulij L.F. Vopisci N. Iuli, tribuni mil. CCCLII. C. Seruilius. P.F. Q.N. Ahala in secundo tribunatu Capitolino scribitur.

De P. Cornelio Cosso dictatore, & re gesta cum Volscis.

CVM Volscorum Æquorumque motus maiores etiam quam res erat, Romam nuntiarentur, senatus extemplo, quod in rebus trepidis cōsilium erat, dictatorem dici iussit. C. Seruilius Ahala tribunus militum, dictatorem P. Cornelium dixit: ipse ab eo magister equitum creatus est. Bellum haud memorabile fuit: vno eoque facili prœlio cæsi ad Antium hostes. Dictator ita bello gesto, vt non defuisse fortunæ videretur, felicitate quam gloria maiore in vrbem rediit, seq; dictatura abdicauit. Liuius. Huius dictatoris & magistri eq. notæ sunt etiam in Capitolino fragmento; =RVTILVS COSSVS DICT. REI GER. CAVSSA. =AHALA MAG. EQ. ex quo quæ vtriusque cognomina fuerint, apparet.

DE TR. MIL. AN. CCCXLVI.

TRIBVNI mil. consulari pot. hoc anno C. Furius, C. Seruilius, C. Valerius, N. Fabius, apud Diodorum. at Liuius edit quatuor, patricios omnes, iam functos eo honore, L. Furium Medullinum, C. Valerium Potitum, N. Fabium Vibulanum, C. Seruilium Ahalam. hunc autem refectum cōtinuato honore, tum ob alias virtutes, tum ob recentem fauorem vnica moderatione partum. In fragmēto Capitolino est =Potitus Volusus II. =Medullinus. C. Seruilius Ahala II. N. Fabius Vibulanus II. In Volscis accepta clades amisso Verrugine præsidio. Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCXLVII.

DIODORVS tribunos militum COS. pot. edit in hunc annum P. Cornelium, N. Fabium, L. Valerium, Terentium Maximum: Liuius P. & Cn. Cornelios Cossos, N. Fabium Ambustum, L. Valerium Potitum. P. Cornelius est is qui fuit dictator. Cn. Cornelius, alius est ab eo qui tribunatum mil. gessit anno CCCXXXIX, & ab eo qui gessit anno CCCXLV. neque enim in fragmento Capitolino est multiplicati vnius honoris nota. ita enim habet;

=RVTILVS COSSVS L. VALERIVS L. F. P. N. POTITVS II.

= == COSSVS. N. FABIVS. M. F. Q. N. AMBVSTVS.

Veientibus, cum induciarum tempus exisset, bellum indictum ob superbum responsum Veientis Senatus, qui legatis repetentibus res, ni facesserent propere vrbe finibusque, daturos quod Lar Tolumnius dedisset, responderi iussit. Stipendium de publico primum militibus datum. Hoc bellum decimo post anno captis Veiis, a Camillo dictatore confectum est.

DE TR. MIL. AN. CCCXLVIII.

TRIBVNOS mil. sex in hunc annum creatos ait Diodorus, T. Quinctium, C. Iulium, A. Manlium: reliquorum nomina reticet. Liuius omnes nominat, T. Quinctiū Capitolinum, Q. Quinctium Cincinnatum, C. Iulium iterum, A. Manlium, L. Furiū Medullinum tertium, M'. Æmilium Mamercum. lapis Capitolinus edit =Iulum II. M'. Æmilium Mam. F. M. N. Mamercinum. =Capitolin. Barb. L. Furium L. F. Sp. N. Medullinum II. =Cincinnatum. A. Manlium A.F. Cn. N. Vulsonem Capitolinū. T. Quinctius Capitolinus Barbatus, idem qui consul fuit anno CCCXXXII. De L. Furio dissentit (vt dixi) a Liuiana historia Capitolina. Hic annus primus sex tribunos mil. habuit; quod lege cautum fuerat, vt fieret iam tum cum primum de tribunis creandis latum fuerat. quo anno Veij primum circumsessi sunt.

DE TR. MIL. AN. CCCXLIX.

TRIBVNI mil. consulari pot. subsequuntur apud Diodorum P. Cornelius, K. Fabius, Sp. Nautius, C. Valerius, M'. Sergius, καὶ Ἴσιος Λύκυλος: mendose; apud Liuium C. Valerius Potitus III, M'. Sergius Fidenas, P. Cornelius Maluginensis, Cn. Cornelius Cossus, K. Fabius Ambustus, Sp. Nautius Rutilus II. in lapide Capitol. =Maluginensis,

ginensis, Sp. Nautius Sp. F. Sp. N. Rutilus III, =Cossus II, C. Valerius L. F. Vol. N Potit. Volus. III, =Ambustus, M'. Sergius Fidenas. Ex his M'. Sergius L. F. L. N. Fidenas scribitur in secundo Capitolino tribunatu: itemque K. Fabius M. F. Q. N. Ambustus. præterea Cossus II notatur. quis autem sit ex tribus Cnæis Corneliis Cossis, de quibus ante diximus, in obscuro est. Nautium Rutilum II Liuius, Capitolini scriptores III nominant. qua de re supra dictum est. Cũ Volscis bene pugnatum, Artena vrbe eorum capta.

DE TR. MIL. AN. CCCL.

LIVIVS tribunorum militum numerum hoc anno a Romanis auctum, atque octo (quod nunquam antea) creatos scribit, M'. Æmilium Mamercum II, L. Valerium Potitum III, Ap. Claudium Crassum, M. Quinctilium Varum, L. Iulium Iulũ, M. Postumium, M. Furium Camillum, M. Postumium Albinum. Apud Diodorum autem hæc nomina sunt; Manius =====.==. Claudius, M. Quinctilius, L. Iulius, M. Furius, L. Valerius. Quamquam autem desunt aliquot apud eum voces, hunc tamen non octo tribunos edidisse puto, sed sex: quod ij fecerunt etiam, qui hunc annum Capitolinum concinnarunt ita; =Mamercin. II, M. Furius Fusus, =Crassus, L. Iulius Iulus, =Varus, L. Valerius Potitus III. qui iidem Albinum & Camillum non tribunos hoc anno faciunt, sed censores. Vt autem hoc anno Camillum potius censorem fuisse opiner quam tribunum, me adducit Plutarchus, qui Camillum ante censorẽ creatum narrat, quam tribunum. Inter sex autem tribunos M. Furius Fusus in Capitolino fragmento nominatur, qui a Liuio M. Postumius appellatur. *Fusus* autem antiquum est gentis Furiæ cognomen. Ap. Claudius est filius Ap. Claudij tribuni mil. anno CCCXXIX, decemuiri nepos. Liuius multis locis. Hunc autem M. Camillum ne eum quidem esse qui Gallos vrbe expulit, in scholiis Liuianis docui. Hoc anno ad Veios hibernacula primum obsidionis continuandæ caussa fieri cœpta.

De censoribus & Lustro XVI.

NISI Capitolina fragmenta nobis annum horum censorum subindicassent, incerta ita esset huius XVI lustri sedes, vt aliorum superiorum. Postumium autem Albinum insequenti anno lustrum XVI fecisse, nemo est qui non ex fragmento Capitolino intelligere possit. Huic ego M. Furium Camillum collegam adiunxi; quia Valerius lib. II cap. III, Camilli & Postumij censorum meminit, & eorum edicti, quo eos qui cœlibes ad senectutem vsque peruenissent, mulcta dignos esse voluerunt, cuius etiam mentionem facit Plutarchus, dum de Camillo censore disserit. Et quia idẽ Plutarchus Camillum censuram cepisse ante alios magistratus scribit, non dubitaui quin certissimus hic esset eius honoris locus. M. Postumium etiam Liuius cum Camillo coniunxit hoc anno in tribunatu, censura præterita. Hunc autem M. Postumiũ fratrem esse P. Postumij tribuni mil. an. CCCXXXIX, qui ab exercitu lapidatus fuit, ex Capitolina descriptione cognoscitur. vterque enim A. F. A. N. Albinus Regillensis vocatur. Contra morem autem hi censores consulibus præpositi sunt in fastis Capitolinis; quod ex linea diuidente eos ab his consulibus, & cum posteris coniungente, intelligi potest.

DE TR. MIL. AN. CCCLI.

TRIBVNI militum consulari potestate hoc anno C. Seruilius, L. Virginius, Q. Sulpicius, A. Manlius Capitolinus, Κλώδιος, Μάρκος Α'γκος, mendose, apud Diodorum: at vero apud Liuium C. Seruilius Ahala III, Q. Seruilius, L. Virginius, Q. Sulpicius, A. Manlius II, M'. Sergius II. Q. Seruilium Fidenatem vocat Liuius in alijs sequentibus eius tribunatibus, quos sex geret. Hunc ego Q. Seruilij Prisci Fidenatis bis dictatoris filium esse reor. In fragmento Capitolino nominantur Q. Sulpicius Ser. F. Ser. N. Camerinus Cornut. A. Manlius A. F. Cn. N. Vulso Capitolin. II. M'. Sergius L. F. L. N. Fidenas II. Castra, quibus Sergius trib. mil. ad Veios præerat, a Capenati, Falisco, & Veienti hoste expugnata. Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCLII.

TRIBVNOS mil. cõsulari pot. edit in hunc annum Diodorus L. Iulium, M. Fu-

rium, Æmilium Mamercum, C. Cornelium, Cæsonem Fabium, Παῦλον Σέξτον, vitio: Liuius L. Valerium Potitum IIII, M. Furium Camillum, M'. Æmilium Mamercũ III, Cn. Cornelium Cossum II, K. Fabium Ambustum, L. Iulium Iulum. Ex quibus Camillus nunquam antea fuit, si Capitolinos auctores sequimur. Cn. Cornelius Cossus is est qui anno CCCXLVII tribunus mil. primum fuit. K. Fabius ante etiam tribunatum gessit. Itaque in Capitolino fragmento est, L. Iulius L. F. Vopisci N. Iulus. M'. Æmilius Mam. F. M. N. Mamercin. III. K. Fabius M. F. Q. N. Ambustus II. Hi K. Octobribus inire iussi, cum idus Decembris ante solennes essent, ob cladem a M'. Sergio priore anno ad Veios acceptam. Camillus in Faliscos, Cornelius in Capenates, Valerius in Volscos ad Anxur recipiendum, Æmilius & Fabius ad Veios obsidẽdos profecti.

DE TR. MIL. AN. CCCLIII.

DIODORVS de tribunis mil. huius anni ita; Tribunatum inierunt P. Mælius, Sp. Mænius, L. Furius, & alij tres: at Liuius, P. Licinius Caluus, P. Mælius, P. Titinius, P. Mænius, L. Furius Medullinus, L. Publilius Vulscus. sic enim legendum esse, in scholiis Liuianis ostendimus. in lapide enim Capitolino est,

ELIVS SP. F. C. N. CAPITOLINVS.
IVS L. F. SP. N. MEDVLLINVS.
LILIVS L. F. VOLER. N. PHILO. VVLSCVS.

P. Licinium vnum ex plebe vsurpandi iuris caussa factum, ceteros patricios fuisse, tradit Liuius. Plebeios tamen omnes hos esse præter Furium, ex plebeiis eorum magistratibus obseruaui. Anxur in Volscis receptum. Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCLIIII.

TRIBVNI mil. consulari potestate in hunc annum subsequuti sunt teste Diodoro, Cn. Genucius, L. Atilius, M. Pomponius, C. Duilius, M. Veturius, Volero Publilius, auctore Liuio. M. Veturius, vnus patricius; reliqui, plebeij, M. Pomponius, C. Duilius, Volero Publilius, Cn. Genucius, L. Atilius. sic enim ex veteribus libris emẽdauimus. Liber Cuspiniani, qui nisi duorum tribunorũ cognomina quotannis profert, Augurinum edit & Lõgum; alterum, Genucij cognomen; alterum, Atilij. M. Veturius Ti. F. vix intelligitur ex lapide Capitolino. *Tiberium* autem prænomen esse Veturiorum, ex aliis hoc prænomine præditis Veturiis aperte cognoscitur. sic enim in eo est; L. ATILIVS K. F. K. N. LONGVS. M. VETVRIVS TI. F. SP. N. CRASS. CICVRIN. Volero PVBLILIVS P. F. VOLER. N. PHILO. Cum Veientibus, Faliscis, & Capenatibus, prospere dimicatum.

DE TR. MIL. AN. CCCLV.

IN hunc annum patricij omnes creati tribuni mil. consulari potestate, Liuio auctore, L. Valerius Potitus V, M. Valerius Maximus, M. Furius Camillus II, L. Furius Medullinus III, Q. Seruilius Fidenas II, Q. Sulpicius Camerinus II: Diodoro autem L. Valerius, M. Furius, Q. Seruilius, Q. Sulpicius, Κλαύδιος Οὔγγον, Μάρκος Ἄππιος: mendose. Camilli II tribuni militum meminit etiam Plutarchus: Medullini III, & Fidenatis II, lapis Capitolinus. Hoc anno lacus in Albano nemore ad altitudinem insolitam creuit. ea de re legati ad Delphicum oraculum missi sciscitatum, quidnam eo prodigio dij portenderent. Ex agro Veienti, Falisco, & Capenate, prædæ tantum abactæ. Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCLVI.

LIVIVS in hunc annum profitetur tribunos mil. consulari potestate hos; L. Iulium Iulum, L. Furium Medullinum IIII, L. Sergium Fidenatem, A. Postumium Regillensem, P. Cornelium Maluginensem, A. Manlium: Diodorus L. Sergium, A. Postumium, P. Cornelium, Σέξτον Κέγσιον, Q. Manlium, Ἀνίτιον Κάμηλον. est autem in duobus menda grauissima. A. Manlius III scriptus est, quia bis ante fuit: P. Cornelius II; quia semel: item L. Iulius. Legati, qui de Albana palude Delphos missi fuerant, reuersi

reuersi, monitos se a deo renuntiarunt, vt aquam Albanam per agros riuis emitterēt & sacra patria, quorum omissa cura erat, instaurata facerent; atque ita victoriam de Veientibus breui sperarent. Cum autem inuentum esset, id nihil aliud esse quam magistratus vitio creatos Latinas sacrumque in Albano monte non rite concepisse, vnā expiationem eorum esse, vt tribuni militum se magistratu abdicarent, auspicia deintegro repeterentur, & interregnum iniretur: ea ita facta sunt ex S. C. Interreges tres deinceps fuere, L. Valerius, Q. Seruilius Fidenas, M. Furius Camillus. Liuius auctor.

DE TR. MIL. AN. CCCLVII.

P. LICINIVS P. F. L. Titinius, P. Mænius, P. Mælius, Cn. Genucius, L. Atilius, tribuni mil. consulari potestate deinceps subsequuti sunt, auctore Liuio: (sic enim emendauimus) Diodoro autem, L. Titinius, P. Licinius, P. Mælius, Q. Mænius, Cn. Genucius, L. Atilius. Hi omnes præter P. Licinium P. F. paulo ante tribunatum gesserūt, vt ait Liuius: qui Genucium etiam in prœlio cecidisse aduersus Faliscos & Capenates auctor est.

De bello Veienti confecto, M. Camillo dictatore, & triumpho eius.

MAM. Æmilius Mamercinus dictator III, anno CCCXXVII, Veientium opes ita afflixit, vt postero anno inducias in XX annos petierint. Anno autem CCCXLVI, quia (vt inquit Liuius) induciarum tempus exierat, Veientes ab senatu impetrarunt, quia ipsi discordia intestina laborarent, ne res ab se repeterentur. Insequenti ergo anno Veiens bellum motum, ob superbum responsum Veientis senatus, qui legatis repetentibus res, nisi facesserent propere vrbe finibusq;, daturos quod Lar Tolumnius dedisset, responderi iussit. Id patres ægre passi, decreuere vt primo quoque tempore tribuni militum de bello Veientibus indicendo ad populum ferrēt: ac, tum primum stipendio de publico militibus decreto, latum est. Ita insequenti anno, qui fuit ab vrbe condita CCCXLVIII, circumsessi primum Veij sunt: atque inde per nouem annos vario euentu a tribunis militaribus res cum Veientibus gesta est. Hoc autem anno, cum Genucius Titiniusque tribuni mil. aduersus Faliscos & Capenates profecti, ille in acie temere cecidisset, hic in editum tumulum ex multa trepidatione militibus collectis, æquo loco se hosti nunquam commisisset, atque ea res maximum ad Veios tumultum excitasset, quod rumor castra peruaserat, ducibus exercituque cæso victorem Capenatem ac Faliscum, Etruriæque omnem iuuentutem haud procul inde abesse, atque iis tumultuosiora Romæ nuntiarentur; M. Furius Camillus dictator dictus, magistrum eq. P. Cornelium Scipionem dixit. Is Faliscis & Capenatibus fusis, ac castris exutis, ad Veios profectus, cuniculo in arcem hostium acto, vrbem ipsam decimo eius belli anno cepit. ac maxima præda potitus, Iunonis etiam signum Romam delatum in Auētino, exstructo ibi templo, locauit, cum clarissimum de Veientibus in vrbem triumphum equis albis iūcto curru inuexisset. Liuius, Plutarchus, Diodorus, Valerius lib. IIII cap. I, Orosius, Eutropius, Gellius lib. XVII cap. XXI, is qui de viris illustribus scripsit, Zonaras.

DE TRIB. MIL. AN. CCCLVIII.

VEIIS captis sex tribunos militares consulari pot. insequens annus habuit, duos P. Cornelios, Cossum & Scipionem; M. Valerium Maximum II, K. Fabium Ambustum III, L. Furium Medullinum V, Q. Seruilium III. Liuius. at Diodorus edit P. Ser. Cornelium Cossum, Cæsonem Fabium, L. Furium, Q. Seruilium, M. Valerium. Cornelij Faliscum, Valerius & Seruilius Capenas bellum gesserunt.

DE TR. MIL. AN. CCCLIX.

HOC anno apud Liuium tribuni militares consulari potestate fuerunt M. Furius Camillus, L. Furius Medullinus VI, C. Æmilius, L. Valerius Poplicola, Sp. Postumius, P. Cornelius II. Diodorus tres edit, M. Furium, C. Æmilium, Κάτλον Βῆρον, mendose. Camillus nunc est III: P. Cornelium, esse Scipionem puto, non Cossum; quod

idem ante magister eq. etiam Camillo fuerit. Reliquis familiaria cognomina addidi. Hoc anno Camillus tribunus militum, Faliscos iustitia in ditionem populi Ro. redegit, remisso ad Faliscos puerorum magistro proditore. Liuius, Plutarchus. Miror autem Valerium lib. VI, hanc rem a Camillo consule actam tradere; cum Plutarchus eũ nunquam consulem fuisse tradat. Eodem anno in Æquis varie bellatum.

DE COS. AN. CCCLX.

ANNVM post quintum decimum creati consules sunt, L. Lucretius Flauus, Ser. Sulpicius Camerinus. Hos vocat Cassiodorus & Diodorus L. Lucretium, Ser. Sulpicium. quamquam Diodorus non meminit horum nisi post Romam captam: nam quinque annos, quos ante transcendisse diximus, interponit. Fasti autem Siculi Flauum & Camerinum profitentur. Æqui a L. Lucretio consule acie victi. Liuius.

DE COS. AN. CCCLXI.

L. VALERIVM Potitum, M. Manlium, cui postea Capitolino cognomen fuit, consules edit in hunc annum Liuius. (Dionysius etiam horum meminit libro primo, atque L. Valerium Potitum, T. Manlium Capitolinum vocat) Cassiodorus L. Valerium, M. Manlium: Diodorus L. Valerium, A. Manlium: fasti Siculi Potitum & Capitolinum. Hunc Manlium a conseruato Capitolio Capitolinum appellatum scribit Liuius. nos autem, quia Capitolini cognomen etiam ante hunc M. Manlium in gente Manlia repperimus, hunc auctorem huius appellationis nota scribendi formula non fecimus. L. Valeriũ Potitum, filium esse arbitror L. Valerij Potiti quinquies ante tribuni militum. Hunc annum Dionysius post reges exactos numerat CXIX.

De censoribus & Lustro XVII.

DE censoribus, & lustro ab iis hoc anno condito, hæc apud Liuium scripta sunt: C. Iulius cẽsor decessit: in eius locum M. Cornelius suffectus. quæ res postea religioni fuit, quia eo lustro Roma est capta. nec deinde vnquam in demortui locum censor sufficitur. At anno CCCCXLIII, ita ait: Vrbs eo lustro capta est, quod demortuo collega C. Iulio censore, L. Papirius Cursor, ne abiret magistratu, M. Cornelium Maluginensem collegam subrogauit. Hæc confirmat etiam Dionysius, qui libro primo, duobus annis ante quam Roma caperetur, L. Valerio Potito, T. Manlio Capitolino consulibus, lustrum conditum a censoribus scribit, annis post reges exactos CXIX: & Plutarchus, qui in Camillo censorẽ mense Iulio decessisse tradit. Hoc lustro censa capitum CLII millia, *DXXII, testis est Plinius lib. XXXIII, cap. I. C. Iulium esse reor, qui bis ante consul fuit.

De triumphis L. Valerij Potiti, M. Manlij Capitolini consulum de Aequis.

BELLVM hoc anno in Algido cum Æquis gestum, haud memorabile est, fusis hostibus prius pene quam manus consererent. Valerio, quod perseuerantior cædendis in hostibus fuit, triumphus; Manlio, vt ouans ingrederetur vrbem, decretum est. Liuius.

DE AN. CCCLXII.

CONSVLIBVS morbo implicitis, placuit per interregnum renouari auspicia. Itaque cum ex senatus consulto consules magistratu se abdicassent, interrex creatur M. Furius Camillus; qui P. Cornelium Scipionem; is deinde L. Valerium Potitũ prodidit. Ab eo creati sex tribuni militum consulari potestate, vt, si cui eorum incõmoda valetudo fuisset, copia magistratuum reip. esset. K. Quinctilibus magistratum occepere L. Lucretius, Ser Sulpicius, M. Æmilius, L. Furius Medullinus VII, Agrippa Furius, C. Æmilius II. Hęc Liuius. At Diodorus quatuor edit, L. Lucretium, Ser. Sulpicium, C. Æmilium, L. Furium. Ex his L. Lucretium esse puto, qui paulo ante consulatum gessit; Ser. Sulpicium eum, qui post in tertio & quarto tribunatu Capitolino Prætextatus dicitur, & quem Zonaras Rufum appellat. neque enim aliâs primi eius tribunatus locus reperitur. Reliquis sua cuique cognomina restituta sunt. M. Camillus die dicta ab L. Apuleio tribuno plebis ob prædam Veientanam inique diuisam, in exsilium abiit. absens quindecim millibus grauis æris damnatur. Clusini a Gallis obsessi, opem Romanorum implorant. Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCLXIII.

Q. FABIVS Ambustus, & fratres duo, Q. Sulpicius Longus, Q. Seruilius IIII, Ser. Cornelius Maluginensis, tribuni militum consulari potestate in hunc annum eduntur a Liuio: at a Diodoro Quintus, Cæso, Caius Fabij, Q. Sulpicius, Q. Seruilius, Ser. Cornelius Maluginensis. quamquam non sine librorum vulgatorum apud vtrumque menda. Hos Fabios M. Ambusti F. vocat Liuius. Hi sunt qui priore anno legati ad Gallos Clusium obsidentes de pace componenda missi, cum in acie Clusina stetissent aduersus Gallos, bellum eorum in se conuerterũt. Q. Sulpicij trib. mil. meminit Plutarchus in Camillo, & Macrobius libro Saturnalium I. Ser. Cornelius Maluginensis vsque ad septimum tribunatum perueniet.

De Roma a Gallis capta, & triumpho M. Camilli dictatoris II.

EODEM anno Galli Romanis irati, exercitum relicto Clusio Romã adduxerunt; Romano exercitu qui eis occurrerat ad Aliam fuso fugatoque, vrbem ingressi, tecta omnia disturbarunt atque incenderunt. Cum pars ciuitatis robustior Capitolinam arcem in quã se extremis reip. temporibus receperat, teneret, septem menses a Gallis obsessa est. Interea lege Curiata M. Camillus, qui Ardeæ exsulabat, reuocatus, & absens dictator dictus est. is L. Valerium magistrum eq. sibi cooptauit. Liuius, Plutarchus, Diodorus latissime: breuius Eutropius, Orosius, Zonaras. L. Valerium Poplicolam, an Potitum (horum enim recens memoria est) intelligat, incompertum est. ego tamen Potitum significari puto, cuius recentior mentio est. Camillus igitur dictator absens dictus, contracto exercitu ex Ardeatibus & iis qui ex prœlio Aliensi fugerant, & qui Roma exierant, Gallos inter pendendum aurum adortus, Roma expulit; & ad octauum lapidem Gabina via consequutus, occidione occidit: deq; iis triũphans in vrbem rediit, Romulus a militibus, & parens patriæ, cõditorque alter vrbis vocatus. Hæc iidem; præterea Polyænus lib. VIII, Florus, & qui de viris illustribus scripsit. Gallos porro Plutarchus a Camillo Roma pulsos scribit idibus Februariis: ex quo intelligi potest, aut eodem die, aut certe non ita multo post ab eo triumphatũ esse. Idem inquit certum annum vrbis captæ inuenire difficile esse; captam tamen esse post annos amplius CCCLX, quam vrbs condita sit: Plinius lib. XXXIII cap. primo, anno CCCLXIIII: Liuius an. CCCLXV: nos summam Capitolinam sequuti, an. CCCLXIII: Dionysius libro primo, post reges exactos anno CXX expleto. Idem Camillus sacra restituit, & vrbem euersam instaurauit; & ne cupidus populus Veios trãsmigraret, effecit: neque nisi circumacto anno abdicauit. Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCLXIIII.

IN hunc annum tribuni militum creati apud Liuium L. Valerius Poplicola II. L. Virginius, P. Cornelius, A. Manlius, L. Æmilius, L. Postumius: apud Diodorum P. Cornelius, L. Virginius, ========, == Valerius, A. Manlius, L. Postumius. Eorundem meminit Macrob. lib. primo Saturn. his verbis; Anno ab vrbe condita CCCLXIII, a tribunis militum Virginio, Mãlio, Cœlio, Postumio, collegisque eorum, tractatum in senatu, quid esset quod toties inter paucos annos male affecta esset resp. Suspicor autem ibi esse mendose Cœlium pro Cornelio, ex Liuio ac Diodoro. A. Manlium patrem esse opinor P. Manlij A. F. A. N. qui post tribunus militum iterum erit anno CCCLXXXV in tabulis Capitolinis.

De triumpho M. Camilli dictatoris III, de Volscis, Aequis, Etruscis.

CVM Volsci veteres hostes ad extinguendum nomen Romanum arma sumpsissent, Etruriæ autem principes de bello coniurassent; & Latini Hernicique, qui post pugnam ad lacum Regillum factam, per annos prope centum nunquã ambigua fide in amicitia populi Ro. fuerant, defecissent; placuit eiusdẽ auspiciis defendi remp. cuius recuperata esset; dictatoremque dici M. Furium Camillum. is dictator C. Seruiliũ Ahalam magistrũ eq. dixit. Hæc Liuius. Plutarchus etiam Camillum dictatorem III creatum scribit ob Æquos, Volscos, & Latinos arma capientes, & Etruscos Sutrium vrbem populo Ro. fœderatam obsidẽtes. Igitur Volsci fusi cæsique, & castris exuti sunt; præda militi data; & septuagesimo demum anno subacti, & ad deditionem

compulsi sunt a Camillo dictatore. Æquorum exercitu ad Bolas oppresso, vrbs etiã primo impetu capta est. Eodemque die captum Sutrium, quod ab Etruscis fuerat occupatum. Camillus in vrbem triumphans rediit simul trium bellorum victor. hæc Liuius, & fere etiam Plutarchus. Eutropius autem sic; Anno CCCLXV post Romam captam, dignitates mutatæ sunt; & pro duobus consulibus facti tribuni militares cõsulari potestate. Hic iam cœpit res Romana crescere. Nam Camillus dictator eo anno Volscorum ciuitatem, quæ per LXX annos bellum cum Romanis gesserat, vicit, & Æquorum vrbem occupauit; Sutrinorum recuperauit, deletis Etruscorum exercitibus; & tres simul triumphos egit. De eadem Camilli dictatura scriptum est etiam apud Orosium lib. IIII. Quod autem de dignitatibus mutatis scribit Eutropius, ἀνιστορησίαν in eo suam incredibilem indicat. De hoc bello aliter etiam traditum scribit Plutarchus, & Macrobius lib. I. Saturnalium. verba Macrobij apponam; Post vrbem captam, cum sedatus esset Gallicus motus, res vero publica esset ad tenue deducta, finitimi opportunitatem inuadendi Romani nominis aucupati, præfecerunt sibi Postumum Liuium Fidenatium dictatorem. qui mãdatis ad senatum missis postulauit, vt si vellent reliquias suæ ciuitatis manere, matres familiæ sibi & virgines dederentur. cumque patres essent in ancipiti deliberatione suspensi, ancilla nomine Tutula, seu Philotis, pollicita est, se cum cæteris ancillis sub nomine dominarum ad hostes ituram; habituque matrum familias & virginũ sumpto, hostibus cum prosequẽtium lacrymis ad fidem doloris ingestæ sunt. quæ cum a Liuio in castris distributæ fuissent, viros plurimo vino prouocauerunt, diem festum apud se esse simulãtes. quibus soporatis, ex arbore caprifico, quæ castris erat proxima, signum Romanis dederunt, qui cum repentina incursione superassent, memor beneficij senatus, omnes ancillas manu iussit emitti, dotemque eis ex publico fecit; & ornatum, quo tunc erant vsæ, gestare concessit, diemque ipsum *Nonas Caprotinas* nuncupauit, ab illa caprifico ex qua signum victoriæ ceperunt.

DE TR. MIL. AN. CCCLXV.

TRIBVNI militum consulari potestate subsequuti sunt in hunc annum Liuio teste T. Quinctius Cincinnatus, Q. Seruilius Fidenas V, L. Iulius Iulus, L. Aquilius Coruus, L. Lucretius Tricipitinus, Ser. Sulpicius Rufus: Diodoro autem T. Quinctius, L. Seruilius, L. Iulius, = Aquillius, L. Lucretius Ἄγλος, Ser. Sulpicius. Ex quo loco patet, L. Lucretium & Ser. Sulpicium alios esse, quam qui quadriennio ante tribunatum consularem gesserunt. neque enim iterati honoris nota addita est. Itaque recte illos Flauo & Camerino cognominibus affecimus, cum hi Tricipitinum & Rufum tulerint. Hoc anno oppida Etruscorũ Cortuosa & Cortenebra vi capta dirutaq;. Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCLXVI.

L. PAPIRIVS, Cn. Sergius, L. Aimilius II, L. Menenius, L. Valerius Poplicola III, traduntur hoc anno tribuni militum consulari potestate a Liuio: a Diodoro vero L. Papirius, C. Cornelius, L. Menenius, C. Seruilius, A. Valerius, Q. Fabius. Deest autem apud Liuium sexti tribuni nomen. Hunc esse C. Corneliũ puto; vt in scholiis Liuianis ostendi. Seruilium etiam habet Diodorus pro Sergio, & Æmilium pro Fabio. veritas incomperta est. L. Papirium Cursorem esse arbitror, quem Liuius censorem hoc lustro fecit.

De censoribus & Lustro XVIII.

IN hunc annum censores coniecimus, & lustrum XVIII; quod ab iis factum esse vero simile videtur. Sequuti autem illam coniecturam sumus, quod hoc anno tribus additas quattuor, Stellatinam, Tromentinam, Sabatinam, & Arniensem, scribit Liuius. neque vero id nisi a cẽsoribus fieri potuit. quod quidem, si alia tribuum adiectarum tempora intueamur, facile patebit. accedit quinquennale spatium censuræ legitimum, quod inter superius atque inferius lustrum intercedit.

DE TR. MIL. AN. CCCLXVII.

RES ad Camillum tribunum mil. consulari potestate rediit. collegæ additi quinque,

que Ser. Cornelius Maluginensis, Q. Seruilius Fidenas VI, L. Quinctius Cincinnatus, L. Horatius Puluillus, P. Valerius. Ita Liuius. at Diodorus quatuor creatos scribit, M. Cornelium, Q. Seruilium, M. Furium, L. Quinctium. P. Valerius hic a Liuio in aliis magistratibus cognominibus afficitur Poplicolæ Potiti: ac in VI tribunatu Capitolino L. F. L. N. scribitur. De Q. Seruilio Fidenate VI tribuno, sic est apud Liuium in oratione M. Camilli; Pro certo habeo, te ita rem gesturum vt patre, auo, teq; ipso, ac sex tribunatibus dignum est. Hoc anno M Camillus oblata dictatura non esse opus dixit; & vna cum collegis tribunis Volscos, Antiates, atque Etruscos rebellantes vicit. Liuius.

DE TRIB. MIL. AN. CCCLXVIII.

TRIBVNOS mil. in hunc annum tradit Liuius A. Manlium, P. Cornelium, T. & L. Quinctios Capitolinos, L. Papirium Cursorem II. Diodorus autem quatuor edit, L. Papirium, Q. ======. T. & L. Quinctios. Ex quibus A. Manlius cum tribunus fuerit anno CCCLXV, anno vero CCCLXXI, III, profecto nunc est iterum. Hoc anno excidisse apud Liuium puto C. Sergium, qui anno CCCLXVII fuit primum, anno vero CCCLXXIII erit III. quo autem anno II fuerit non cõstat, nisi hoc anno intercidisse dicamus apud Liuium.

De A. Cornelio Cosso dictatore, & triumpho eius de Volscis.

BELLVM Volscum graue per se, oneratum Latinorum & Hernicorum defectione in speciem caussæ iactatum, vt maior potestas quæreretur. sed noua consilia Manlij magis compulere senatum ad dictatorem creandum. creatus A. Cornelius Cossus magistrum eq. dixit T. Quinctium Capitolinum. Liuius. Significat autem seditionẽ, quam M. Manlius, qui Capitolium a Gallis defenderat, excitabat, plebem ære alieno exsoluendo, cum aperte regnum affectare constaret. Plutarchus in Camillo Quinctium Capitolinum non magistrum eq. fuisse, sed dictatorem scribit. Volscorum porro exercitum fugatum a dictatore, castraque eorum capta ac direpta, triumphũ actum de Volscis esse, scribit Liuius. Eundem dictatorem in carcerem M. Manlium seditionis auctorem coniecisse, & Liuius & Plutarchus auctor est. Minante autem plebe se carcerem refracturam, Manlius S. C. e vinculis liberatus est.

DE TR. MIL. AN. CCCLXIX.

TRIBVNI mil. consulari pot. hoc anno, teste Liuio, sex; Ser. Cornelius Maluginensis III, P. Valerius Potitus II, M. Furius Camillus V, Ser. Sulpicius Rufus II, C. Papirius Crassus, T. Quinctius Cincinnatus II: Diodoro autem auctore quatuor, Ser. Sulpicius, L. Papirius, M. Cornelius, T. Quinctius. Hoc anno ob affectati regni crimen M. Manlius ad populum a tribunis pl. accusatus, in luco Petelino comitiis centuriatis damnatus est, atque de saxo deiectus. Sunt qui duumuiros, qui de perduellione inquirerent, creatos auctores sint. Liuius, Plutarchus in Camillo, Valerius, alij. Hunc annum numerat Velleius septimum post vrbem captam, vbi de Setia colonia agit.

DE TR. MIL. AN. CCCLXX.

CREATI in hunc annũ sex tribuni mil. cõsulari potestate, vt ait Liuius; L. Valerius IIII, A. Mãlius III, Ser. Sulpicius III, L. Lucretius, L. Æmilius III, M. Trebonius: vt Diodorus, quatuor; L. Valerius ======. Crispus, A. Manlius, Ser. Sulpicius. Ex his L. Lucretium eum esse, qui anno CCCLXVI tribunus militum fuit, puto. CRISPVS cognomen est forte Trebonij apud Diodorum; cuius nomen cum prænomine intercidit. *Flauum* alij vocant. Veliternis & Lanuuinis deficientibus bellum indictum est. exercitus propter pestilentiam non eductus.

DE TR. MIL. AN. CCCLXXI.

DEINCEPS subsequuti sunt tribuni mil. consulari potestate, teste Liuio, Sp. & L. Papirij, Ser. Cornelius Maluginensis IIII, Q. Seruilius, C. Sulpicius, L. Æmilius IIII. Diodorus quatuor edit, Q. Seruilium, Sp. Papirium, ==. Cornelium Φάβιον Ἄλβον; mendose. Ex his Sp. Papirium patrem esse reor L. Papirij Sp. F. C. N. Crassi, tribuni mil.

anno CCCLXXXV. Q. Seruilium Q. Seruilij Fidenatis sexies ante tribuni filium esse opinor. hic enim paulo post erit II. C. Sulpicium Peticum esse reor, qui post consul & censor erit, atque M.F.Q.N. in censura Capitolina anno CCCLXXXVIII dicitur. Ad Velitras, quibus Prænestini auxilio erant, pugnatum. ea de caussa Prænestinis bellum indictum.

DE TR. MIL. AN. CCCLXXII.

PRAENESTINI Satricum coloniam populi Ro. adiunctis Volscis vi expugnarant. Eam rem ægre passi Romani, M. Furium Camillum, VI tribunum mil. creauere. additi collegæ A. & L. Postumij Regillẽses, ac L. Furius cum L. Lucretio, & M. Fabio Ambusto. Liuius. Hos nominat Diodorus M. Furium, L. Furium, A. Postumiũ, L. Lucretium, M. Fabium, L. Postumium. Plutarchus sextum hoc anno tribunum mil. Camillum appellat, quo Prenestinos & Volscos vicit; & Tusculanos, quibus bellum indictum erat, quod in bello Prænestinorum affuissent, positis armis nihil hostile agentes, in fidem recepit. L. Lucretium esse arbitror, qui paulo ante bis tribunatũ gessit. L. Furium puto alium esse ab eo qui septies ante tribunus mil fuit; eundem autem cum eo qui L. Furius Sp.F.L.N. Medullinus in censura Capitolina anno CCCXC dicitur, iuuenis certe hoc anno cum sene Camillo contendit, cum vterque pari cum imperio ad bellum profectus esset. auctor Liuius, & Plutarchus. M. Fabius ex secundo tribunatu Capitolino ornatus est. L. Postumium etiam ante anno CCCLXV tribunum fuisse puto.

DE TR. MIL. AN. CCCLXXIII.

LIVIVS sex tribunos militum prodit in hunc annum, L. & P. Valerios, Lucium V, & Publium III; C. Sergium III, L. Menenium II, Sp. Papirium, Ser. Cornelium Maluginensem: at Diodorus octo, L. Valerium, P. Valerium, C. Terentium, L. Menenium, C. Sulpicium, T. Papirium, L. Æmilium; M. Fabium. Ex his Sp. Papirium L. Papirij Sp.F.L.N. Cursoris patrẽ esse opinor, qui triũphauit anno CDXXIX. Ser. Cornelium V esse scribendum, sextus & septimus tribunatus eius ostendit.

De censoribus.

CENSORIBVS quoque eguit annus, maxime propter incertam famam æris alieni. Creati censores C. Sulpicius Camerinus, Sp. Postumius Regillensis. cœptaque iam res morte Postumij, quia collegam suffici censori religio erat, interpellata est. Igitur cum Sulpicius abdicasset se magistratu, censores alij vitio creati, non gesserunt magistratum; tertios creari, velut diis non accipiẽtibus in eum annum censuram, religiosum fuit. Liuius. Sp. Postumium eum esse opinor, qui tribunus mil. fuit anno CCCLIX. Secundorum censorum nomina nec Liuius nec quisquam amplius memoriæ prodidit.

De T. Quinctio Cincinnato dictatore, & triumpho eius de Prænestinis.

HOC anno Prænestini ad portam Collinam signa intulere. Ingens in vrbe trepidatio fuit: conclamatum ad arma, concursumque in muros atq; portas est. tandemque ab seditione ad bellum versi, dictatorem T. Quinctium Cincinnatum creauere. is magistrum eq. A. Sempronium Atratinum dixit: atque fugatis ad Aliam Prænestinis & Præneste ipso capto, triumphum de iis nobilissimum egit. Hoc Liuius. Idẽ scribit Eutropius his verbis; T. Quinctius Cincinnatus Prænestinos, qui vsque ad Romæ portas venerunt, persequutus, ad Aliam vicit: & ei triumphus decretus est. Eusebius etiam anno quarto centesimæ olympiadis Prænestinos a Quinctio Cincinnato subactos notauit. Eiusdem victoriæ meminit etiam Orosius.

DE TR. MIL. AN. CCCLXXIIII.

COMITIA inde habita tribunorum militum consulari pot. quibus æquatus patriciorum plebeiorumque numerus. Ex patribus creati P. & C. Manlij cum L. Iulio: plebes C. Sextilium, M. Albiniũ, L. Antistium dedit. Liuius. At Diodorus octo prodit, P. Manlium, C. Erenucium, C. Sextium, L. Iulium, ==. Albinium, P. Trebonium, C. Manlium, L. Antistium. Ex his P. Manlius A.F.A.N. Capitolinus in secundo suo tribunatu

tribunatu Capitolino ſcribitur. In Volſcis a Manliis temere pugnatum. Prænestini rebellarunt. Liuius.

DE TR. MIL. AN. CCCLXXV.

TRIBVNOS mil. conſulari pot. ſex habuit hic annus, Sp. Furium, Q. Seruilium II, L. Menenium III, P. Clœlium, M. Horatium, L. Geganium. Hæc Liuius. Diodorus autem quatuor edit, Q. Seruilium, L. Furium, C. Licinium, P. Clœlium. Eſt autẽ legendum apud Liuium pro L. Menenio III, C. Licinius; quod oſtendi latius in ſcholiis Liuianis. Sp. Furium fratrem eſſe ſuſpicor L. Furij tribuni mil. anno CCCLIII. Reliquos affeci familiaribus cognominibus. In Volſcos Antium & Ecetram perrectum: neutra parte obuius hoſtis fuit. Liuius.

De cenſoribus & Lustro XIX.

ÆRIS alieni noſcendi gratia Sp. Seruilius Priſcus, Q. Clœlius Siculus, cenſores facti, ne rem agerent, bello impediti ſunt. Ita Liuius. qui etiamſi luſtri non meminit, factum tamen puto; quia quando factum ſit, non proditur, niſi hoc anno dicamus. mira enim in luſtris explicandis eius negligentia iam ſatis probata eſt.

DE TR. MIL. AN. CCCLXXVI.

TRIBVNOS militares patricios omnes plebs coacta principum opibus fecit, L. Æmilium, P. Valerium IIII, C. Veturium, Ser. Sulpicium, L. & C. Quinctios Cincinnatos. Liuius. Hos etiam edit Diodorus, L. Æmilium, C. Veturium, Ser. Sulpicium, L. Quinctium, C. Cornelium, C. Valerium. Ex his L. Æmilium eſſe arbitor, qui ante quater tribunatum cepit: Ser. Sulpicium Prætextatum, qui ſemel: (hũc tamen Sulpicium Rufum vocat Zonaras. nam in Capitolinis tabulis anno CCCLXXXIII, eſt tertiũm) L. Quinctium Cincinnatum, qui ante ſemel: vt his ambobus nota duplicati honoris adiungenda eſſe videatur. Latini & Volſci ad Satricum a P. Valerio & L. Æmilio tribunis fuſi; caſtra capta direptaque ſunt. Antiates vrbem agroſque Romanis dedunt. Qua re Latini commoti, Satricum eorum vrbem incenderunt, ac Tuſculũ occuparunt; quod a L. Quinctio & Ser. Sulpicio tribunis recuperatum eſt. Liuius.

De tribunis plebis per annos V *dominantibus.*

HOC anno quintùm mutata eſt Reip. Romanæ ſpecies. a tribunis enim militum conſulari poteſtate, ad tribunos plebis adminiſtratio reip. recidit. Huius mutationis auctores a Liuio traditi ſunt C. Licinius Stolo, & L. Sextius tribuni pl. qui cum anno priore leges tres aduerſus patriciorum opes pro commodis plebis promulgaſſent; vnam, de ære alieno; alteram, de modo agrorum; tertiam, ne tribunorum militum comitia fierent, & conſulum vtique alter ex plebe crearetur; neque eas ferre per collegarum interceſſiones, quos de induſtria patres comparauerant, potuiſſent; tum irati, comitia præter ædilium tribunorumque plebis nulla haberi, nec vllos curules magiſtratus creari paſſi ſunt. eaque magiſtratuum ſolitudo, & plebe reficiente duos tribunos, & his comitia tribunorum militum tollentibus, per quinquennium vrbẽ tenuit. Hæc Liuius. Hanc autem magiſtratuum ſolitudinem Diodorus appellat ἀναρχίαν, atq; in priorem annum reiicit. quam non quinquennio, ſed quadriennio occupaſſe rempublicam alij tradunt. ſic enim Eutropius; Dignitas tribunorum militum nõ diu perſeuerauit. nam poſt aliquantum, nullos placuit fieri; & quadriennium ita in vrbe fluxit, vt poteſtates ibi maiores non eſſent. Sextus autem Rufus ita; Quadragintaquinque annis Romæ conſules defuerunt: ſub decemuiris, duobus; ſub tribunis militum, XLIII. ſine magiſtratibus Roma fuit annis quatuor. Caſſiodorus autem ſic; Tribunis militum ob inſolentiam remotis, per annos IIII poteſtas conſulũ tribunorumque ceſſauit. Nos Liuium ſequuti ſumus; cuius annales ſequuti vidẽtur ſcriptores Capitolini. Plinius etiam lib. XVI, cap. XLIIII, meminit anni CCCLXIX ab vrbe condita, qui fuit ſine magiſtratibus; quo anno Romæ loton fuiſſe ait, in Lucinæ area æde condita. Porro autem in fragmentis Capitolinis hæc verba exeſa ſunt;

ACTVS EST.

DEDICAVIT.

Quæ quid valeant, adhuc colligere coniectura non potui. neque enim Liuius, aut quisquam alius, lumen aliquod ostendunt, quod intuentes, ad veritatis cognitionẽ peruenire possimus.

DE TR. MIL. AN. CCCLXXXII.

REMITTENTIBVS tribunis plebis C. Licinio & L. Sextio, comitia per interregem sunt habita; creatique tribuni militum L. Furius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, Ser. Cornelius, P. & C. Valerij. Hos Liuius. Diodorus vocat L. Papirium. L. Menenium, Ser. Cornelium, Ser. Sulpicium. Post hos iterum solitudinem magistratuũ fuisse scribit: qua sublata, creatos A. Manlium, L. Furium, Ser. Sulpicium, Ser. Cornelium. Est enim mira apud illum, tum librariorum tum auctoris ipsius vitio, annorũ & magistratuum perturbatio. L. Furium esse puto, qui anno CCCLXXIII tribunatum mil. gessit: A. Manlium, fratrem P. Manlij, qui postea dictator fit, & tribunus II. Ser. Sulpicium Prætextatum III, Ser. Cornelium Maluginensem VI, P. Valerium Poplicolam V esse scribendum, fragmenta huius anni Capitolina satis ostendunt. Veliterni Tusculum obsidentes, a mœnibus repulsi; Velitræ a Romanis obsideri cœptæ sunt.

DE TR. MIL. AN. CCCLXXXIII.

TR. MIL. consulari potestate insequens annus habuit, auctore Liuio, Q. Seruilium, C. Veturium II, A. & M. Cornelios, Q. Quinctium, M. Fabium: Diodoro, Q. Seruilium, C. Veturium, A. Cornelium, M. Cornelium, M. Fabium, ===. Ex his Q. Seruilius bis ante tribunus mil. fuit. Q. Quinctium Cincinnatum potius quam Capitolinum voco, quod alij etiam Cincinnati *Quinti* prænomen tulerint. Reliqua ex fragmentis Capitolinis fidem habent, in quibus est =Cossus. =Maluginensis. =Cincinnatus. M. Fabius Ambustus II. Est autem M. Fabius Ambustus is, qui filias duas collocauerat; vnam, C. Licinio Stoloni; alteram, Ser. Sulpicio Prætextato; vt scribit Liuius. Velitræ item vt priore anno obsessæ.

DE TR. MIL. AN. CCCLXXXIV.

TRIBVNOS militum consulari potestate inuenio in hũc annum apud Liuium, L. Quinctium, Ser. Cornelium, Ser. Sulpicium, Sp. Seruilium, L. Papirium, L. Veturium. Tres edit Diodorus, T. Quinctium, Ser. Cornelium, Ser. Sulpicium. Hi vero omnes quibus cognominibus, ac qua numerorum in multiplicatis honoribus nota signandi sint, Capitolina fragmenta docent; in quibus est; =Capitolinus. =Maluginensis VII. =Prætextatus IIII. Sp. Seruilius Structus. L. Papirius Crassus. L. Veturius Crassus Cicurinus.

De M. Furio Camillo dictatore IIII, & seditione de plebeio consule.

PRINCIPIO statim anni ad vltimam dimicationem de legibus a Licinio & Sextio promulgatis ventum est; & cum tribus vocarentur, nec intercessio collegarũ latoribus obstaret, trepidi patres, ad duo vltima auxilia, summũ imperium, summumq; ciuem, decurrunt. Dictatorem dici placet. dicitur M. Furius Camillus; qui magistrũ eq. L. Æmilium cooptat. hæc Liuius. Eundem Camillum abdicasse dictatura, scribit idem paulo post, ita; Cum plebis duces acrius contra Camillum de legibus ferendis agerent, tum percitus ira Camillus, lictores, qui de medio plebem amouerent, misit: & addidit minas, sacramento omnes adacturum, exercitumque extemplo ex vrbe educturum. Re autem neutro inclinata, se abdicauit: seu quia vitio creatus erat, vt tradidere quidam; seu quia tribuni pl. tulerunt ad plebem, idq; plebes sciuit, vt si M. Furius pro dictatore quid egisset, quingentûm milium æris ei multa esset. Sed auspiciis magis quam noui exempli rogatione deterritum vt potius credam, cum ipsius viri facit ingenium, tum quod ei suffectus est extemplo P. Manlius dictator: quẽ quid creari attinebat ad id certamen quo M. Furius victus esset? & quod eundem M. Furiũ dictatorem insequens annus habuit, haud sine pudore certe fractũ priore anno in se imperiũ repetiturum. simul quod eo tẽpore, quo promulgatum de multa eius traditur, aut & huic rogationi, qua se in ordinem cogi videbat, obsistere potuit; aut ne illas

quidem,

quidem, propter quas hæc lata erat, impedire, & quod vsq; ad memoriam nostram, quoties tribuniciis consularibusque certatum viribus est, dictaturæ semper altius fastigium fuit. Hæc (vt dixi) Liuius. Plutarchus autem caussam, quam Liuius infirmare conatur, asserit. quæ eadem caussa fuisse videtur incisa in Capitolinis tabulis; si modo earum fragmenta recte interpretati sumus. Verba Plutarchi sunt hæc; Cum Licinius Stolo tribunus plebis seditionem excitaret, lege promulgata, vt ex duobus consulibus alter ex plebe fieret, isque vna cum collegis comitia consularia haberi prohiberet, resp. autem sine magistratibus esset, Camillus plebe inuita dictator quartum a senatu creatur. Qui cum diem persensisset, quo de lege agendum ad populum esset, delectum se habiturum esse professus, ex foro populum in campum euocauit; in eos se, qui dicto audientes non fuissent, animaduersurum minatus. Cum autem tribuni repugnarent, ac quinque eum argenti myriadibus multaturum esse iurarent, nisi edictum & legem in plebem antiquaret, Camillus, siue quod exsilium & damnationem secundam senex timeret, siue quod plebem superaturum se esse diffideret, domum se contulit; ac simulata valetudine, dictatura se abdicauit. Magister equitum L. Æmilius Mamercinus vocatur in fragmento dictaturæ huius Capitolinæ. puto autẽ pattem esse L. Æmilij L.F.L.N. Mametcini Priuernatis, qui post consulatum cepit.

De P. Manlio Capitolino dictatore.

DICTATORI Camillo abdicato extemplo suffectum esse altetum dictatorem, Liuius & Plutarchus tradunt. Liuius P. Manlium nominat: Plutarchus nomẽ omittit. Magistrum autem equitum ab eo cooptatum fuisse C. Licinium, vterque fatetur. quamquam non eundem vterq; intelligit. Plutarchus enim eum esse ait, qui dux seditionis fuerat, & leges promulgarat: Liuius, eum qui tribunus mil. consulari potestate fuerat; & recte. nam qui seditionis caput fuerat, is hoc anno nonum tribunus pl. refectus erat. neq; vero eodem tempote & tribunus pl. & magister equitum erat. Itaq; vt hos distingueret Liuius, sic loquutus est; P. Manlius dictator rem in caussam plebis inclinauit, C. Licinio, qui tribunus militum fuerat, magistro equitum de plebe dicto. Id ægre passos patres accipio; dictatorem propinqua cognatione Licinij se apud patres excusare solitum; simul negantem, magistri equitum maius quam tribuni consularis imperium esse. Hæc vbi dixit, tum deinceps de C. Licinio tribuno plebis addit; Licinius Sextiusque ita se gerere, vt negando iam sibi velle continuari honorẽ, acerrime accenderent ad id, quod dissimulando petebant, plebem. Vterque autem Licinius ab aliis scriptoribus Stolo, a Capitolinis Caluus vocatur. Itaque Liuius in anno CCCCLIIII ait; C. Licinius Stolo, primus magister equitum de plebe factus est. Dictatorem esse puto P. Manlium A.F.A.N. Capitolinum, ttibunum mil. consularẽ anno sequenti in Capitolinis tabulis. His autem duobus dictatoribus annum CCCLXXXVI tribuunt fasti Capitolini, in quibus hic annus lineis a superiote & inferiote distinctus est.

DE TR. MIL. AN. CCCLXXXVI.

CREATOS in hunc annum tribunos militum consulares hos tradit Liuius, A. & M. Cotnelios II, M. Geganium, P. Manlium, L. Veturium, P. Valerium VI. quos prę̄terit Diodorus. Horum cognomina, & multiplicatorũ honorum notæ, in fragmẽtis Capitolinis sunt, ita; =Cossus II. =Maluginensis II. =Macerinus. L. Veturius Crassus Cicurinus II. P. Valerius Potit. Poplicola VI. P. Manlius Capitolinus II.

De M. Furio Camillo dictatore V, & triumpho IIII eius de Gallis.

CVM præter Velitrarum obsidionẽ quietæ res Romanæ essent, fama repens Gallici belli allata, perpulit ciuitatem vt M. Furius dictator V diceretur. is T. Quinctium Pennum magistrum eq. dixit. sic Liuius. Plutarchus item metu Gallici belli Camillũ iam prope octoginta annos natum, dictatorem V ab omnibus vno ore creatum scribit. Magistrum equitum Cincinnati cognomine vsum, docet fragmentum Capitolinum. Itaque T. Quinctius Pennus Cincinnatus est scribendus, filius (vt arbitror) L. Quinctij, qui Cincinnati senis filius fuit. Porro autem bellatum hoc anno

cum Gallis ad Anienem flumen, fuisse qui tradiderint, prodit Liuius; se autem in Albano agro rem gestam esse, potius credere. Fugatos autem cæsosque amissis castris Gallos dictatore Camillo, & victoriam ingentem esse relatam, eique senatus & plebis consensu triumphum esse decretũ, idem scribit. Plutarchus pugnatum ad Anienem esse prospere ait, & præterea Velitras a Camillo esse captas. Polyænus item lib. VIII, ad Anienem a Camillo V dictatore cum Gallis bene rem gestam scribit. Appianus autem in Celtica, Gallos bis victos a Camillo patre tradit; hoc autem tempore triumphasse eum, cum octogesimum annum ageret. Polybius demum lib. I, Camillum cum Gallis dimicasse ad Albam, auctor est, anno post Romam captam XXX; Polyænus & Plutarchus, XIII: cum tamen XXIII annus hic sit, ex quo vrbs capta est. Liuius pugnam ad Anienem cum Gallis, in annum CCCXCII reiicit, T. Quinctio dictatore. Liuium sequitur Zonaras.

DE COS. AN. CCCLXXXVII
ex plebe primum creari cœptis.

CVM L. Sextius, C. Licinius tribuni plebis decimum refecti, acrius de legibus ferendis pugnarent, dictatorem tandem & senatum vicerunt, ac comitia cõsulum aduersa nobilitate vt fierent, obtinuerunt; quibus L. Sextius de plebe primus consul factus est. cum autem patricij se auctores futuros negarent, ac prope ad secessionẽ plebis res spectaret, per dictatorem sedatæ discordiæ sunt: concessumque ab nobilitate plebi, de consule plebeio; a plebe nobilitati, de prætore vno, qui ius in vrbe diceret, ex patribus creando. Iidem etiam ædiles curules duos, ex patribus vt fierent, contẽderunt. Plebs consulatum L. Sextio, cuius lege partus erat, dedit. ei collega ex patribus datus L. Æmilius Mamercus. Hæc Liuius, & Plutarchus. qui cum Cassiodoro consules edit L. Æmilium ex patriciis, L. Sextium ex plebe. Diodorus hos vocat L. Æmilium Mamercum, L. Lateranum. Est autem *Lateranus* Sextij cognomen, vt est in tabula Capitolina, in qua Mamercinus, & L. Sextius Sextinus Lateranus, consules eduntur, vt in fastis Siculis Mamercinus & Lateranus. In lib. de viris illustribus scriptum est, non L. Sextium, sed C. Licinium Stolonem, primum è plebe consulem factum. qua de re Fabius Pictor (vt scribit Gellius lib. V. cap. IIII) ita; Quapropter tum primum e plebe alter consul factus est, duo & vicesimo anno, postquam Romã Galli cepetunt. id est, vt interpretatur Gellius, duodeuicesimo. ego tamen malim XXII intelligi. L. Æmilium Mamercinum puto eundem esse, atq; eum qui magister eq. fuit.

De prætore primum creato.

DE prætore sic Liuius; Annus hic fuit insignis noui hominis consulatu, duobus magistratibus, prætura, & curuli ædilitate. Hos sibi patricij quæsiuere honores pto concesso plebi altero consulatu. Patres præturam Sp. Furio M. F. Camillo, ædilitatẽ Cn. Quinctio Capitolino, & P. Cornelio Scipioni, suarum gentium viris, dederunt. Hæc ille. Suidas item Furium Camillum, Camilli dictatoris filium, primum prætorem tradit in voce Πραίτωρ. Prætori iuris dicundi negotium datum est, & sex lictoribus vt vteretur permissum. vnde Polybius ac Plutarchus Præturam ἑξαπέλεκυν vocant ἀρχὴν, id est, sex securium magistratũ. Deinde hic honos plebi etiam cõmunicatus est anno ab vrbe cõdita CCCCXVI. Q. Publilius Philo teste Liuio, prætor primus e plebe factus est. At vero circa annum DX, prætor alter additus est. cumque eorum alter inter ciues, alter inter peregrinos ius diceret, *Vrbanus* ille, hic *Peregrinus* vocatus est, Epitomarũ lib. XIX. Circa annũ autẽ DXIX, Sicilia atq; Sardinia in prouinciarum formã redactis, prætotes duo additi sunt, qui in eas prouincias quotãnis mitterentur. Epitom. lib. XX, Solinus cap. XXI, Põponius de origine iuris. Victis præterea duabus Hispaniis, prætores item duo creati sunt, qui in Hispanias mitterẽtur. Anno DLVI, Hispanias, vlteriorem & citeriorem, terminatas, primi prætores sortiti sunt M. Heluius, & C. Sempronius Tuditanus. auctor Liuius & Pomponius. Postremo Sulla dictator latis nouis quæstionibus, prætores duos adiecit, vt essent octo. tot enim Ciceronis tempore erant; quod ex eius post reditum orationibus intelligitur. Inde Cæsar, duobus additis, decem effecit, teste Dione & Pomponio. Prætoris originem hoc loco mihi demonstrandam esse duxi, quoniam Prætoribus sæpissime

imperium

imperium datum, & triumphi decreti; nec solum prætoribus, sed etiam iis qui extra ordinem cum prætorio imperio essent. De quibus sæpe infra dicendum erit.

De censoribus.

CENSORES in hunc annum fuisse Regillensem Albinum, & C. Sulpicium Peticum, ex Capitolinis fragmentis cõijcio: quod non videtur a veritate alienum. Nam Liuius anno sequenti censorem ait pestilentia periisse. Lustrum autem ab his conditum non est, fortasse propter censoris alterius mortem. Eius sane nulla nota est in Capitolina censura. Regillensis certe periit. nam C. Sulpicij post magna fit mentio. hic autem an Aulus an Lucius Postumius Regillensis Albinus fuerit, qui ambo tribuni militum ante fuerunt, in incerto est.

DE COS. AN. CCCLXXXVIII.

LIVIVS, Cassiodotus, & Diodorus, consules in hunc annum edunt L. Genuciũ, & Q. Seruilium. Eorundem consulum meminit Orosius & Eutropius. Q. Seruilius Q.F.Q.N. Ahala scribitur in hoc consulatu Capitolino: L. Genucius M.F. Cn.N. Auentinensis in secundo. in fastis autem Siculis est Genucius & Κέρβιος, vt opinor, per mendam. Hoc anno Camillus mortuus, XXV annis postquam vrbem a Gallis liberauerat. Res a seditione & a bello quietæ. Liuius.

DE COS. AN. CCCLXXXIX.

CONSVLES in hunc annum creati apud Diodorum C. Sulpicius, C. Licinius: apud Liuium & Cassiodorum, C. Sulpicius Peticus, C. Licinius Stolo. Eorundem meminit Valerius lib. II, cap. I; & Plutarchus in Problematis. Quem autem ceteri Stolonem, Capitolini scriptores (vt dixi) Caluum appellant: itemque Siculi, qui horũ consulum cognomina edunt Peticum & Caluum. Est autem C. Sulpicius M.F.Q.N. Peticus in secundo consulatu Capitolino. Ludi scenici primum instituti. nihil aliud dignum memoria actum.

DE COS. AN. CCCXC.

HIC annus consules habuit C. Genucium, L. Æmilium Mamercum II, Liuio & Cassiodoro testibus. quos Diodorus vocat lib. XVI, Cn. Genucium, L. Æmilium. in Capitolinis tabulis, = Mamercinus II, Cn. Genucius M.F.M.N. Auentinensis. in fastis Siculis est Mamercinus & Σύλλας.

De L. Manlio Capitolino Imperiosso dictatore.

CVM piaculorum magis conquisitio animos, quam corpora morbi afficerent, repetitum ex seniorum memoria dicitur, pestilentiam quondam clauo ab dictatore fixo sedatam. Ea religione adductus senatus, dictatorem claui figendi caussa dici iussit. Dictus L. Manlius Imperiossus, L. Pinarium magistrum eq. dixit. Hæc Liuius. Eiusdem dictatoris meminit Cic. de off. L. Manlio, inquit, A.F. cum dictator fuisset, M. Pomponius diem dixit. Huius etiam dictaturæ vestigia sunt in tabulis Capitolinis; ex quibus apparet, Manlium *Imperiossi*, Pinarium *Nattæ* cognomen tulisse. Hunc autem L. Manlium Imperiossum primum appellatum, ob seueritatem delectus in dictatura habiti, & quod filium rus a se relegasset, scribit Liuius. Idem etiam postea, quasi sui oblitus, T. Manlium, huius filium, qui Torquatus dictus est, primum eiusmodi cognomen ait inuenisse ob supplicium de filio sumptum. Est autem intelligendum, cognomen hoc cœpisse in patre, in filio confirmatum esse. Pinarios Nattæ cognomine vsos esse, ostendit Cicero, qui inquit lib. II De diuinatione; Pinarij Nattæ nobiles: & Tacitus lib. IIII, qui Pinarij cuiusdam Nattæ meminit. De solenni claui figendi, latius scribit hoc loco Liuius.

De censoribus, & lustro XX.

CENSORES hoc anno fuisse Ambustum, & L. Furium Medullinum, eosque lustrum XX condidisse, (quarum rerum ne verbum quidem Liuius) Capitolina fra-

gmenta declarant. Priorem autem censorem M. Fabium K.F. M.N. Ambustum esse duco, qui bis ante tribunus mil. fuit, perinde atque L. Furius Medullinus collega eius & ante in tribunatu, & nunc etiam in censura.

DE COS. AN. CCCXCI.

CONSVLES prodit in hunc annum Diodorus Q. Seruilium & Q. Genucium: fasti Siculi Ahalam & Genucium; Liuius & Cassiodorus Q. Seruilium Ahalam, L. Genucium. Hi sunt qui triennio etiam ante collegæ inter se comparati sunt. Itaque in Capitolina tabula nota numeri II, vtrique addita est.

De Ap. Claudio Crassino dictatore, & ouatione eius.

L. GENVCIVS cos. qui primus ex plebe bellum suis auspiciis gessit, in Hernicos profectus, ab iisq; insidiis circumuentus, occisus est. Ea de caussa dictatorem cõsensu patriciorum Seruilius cõsul dixit Ap. Claudium. Hæc Liuius. Ex monumentis Capitolinis intelligi potest, Crassinum Regillensem dictaturam cepisse. Hunc autem Liuius Ap. Claudium vocat, eum qui anno CCCXCV contra legem de plebeiis consulibus dixit; quem decemuiri nepotem esse probauimus in tribunatu eius anno CCCL. Magistrum eq. nullum nominat Liuius. fuisse tamen aliquem fragmenta Capitolina declarant; in quibus est pro magistro eq. syllaba SCI= quæ est prima cognominis Scipio. Hũc autem fuisse existimo L. Cornelium Scipionem, qui post dictaturam cepit. Hæc de dictatore. De re autem gesta sic Liuius; Vsque ad castra fugientes Hernicos Romanus sequitur. castrorum oppugnatione, quia serum erat diei, abstinuere: postero die deserta fuga castra Hernicorum, & saucij relicti quidam inuenti. agmenque fugientium ab signis, cum præter mœnia eorum infrequentia signa cõspecta essent, fusum, ac per agros trepida fuga palatum est. Nec Romanis incruenta victoria fuit. quarta pars militum amissa; &, vbi haud minus iacturæ fuit, aliquot equites Romani cecidere. Hæc Liuius de Ap. Claudio dictatore; qui eum triumphasse non adscribit. At eum nos ouantem iniisse statuimus, vt ad numerum duarum ouationum, quas Claudiis patriciis permissas prodidit in Tiberio Suetonius, perueniremus. In fragmentis certe triumphalibus Capitolinis est hæc Syllaba NOV=. quæ fortasse ad hunc triumphum pertinet. Alter e Claudiis patriciis, qui vrbem ouans ingressus est, fuit Ap. Claudius Cenetro ex Celtiberia, anno DLXIX.

DE COS. AN. CCCXCII.

CONSVLES memorat in hunc annum Liuius C. Sulpicium, & C. Licinium Caluum: Cassiodorus C. Sulpicium II, & C. Licinium: Diodorus C. Sulpicium, C. Licinium. Nos eosdem esse putamus, qui triennio ante collegæ etiam fuerunt. Itaque Licinio etiam iterati honoris notam addendam esse. nam Sulpicio Petico Capitolini scriptores eam addiderunt, Licinium Siculi non Calui, vt ante, sed Stolonis cognomine afficiunt, vt Sulpicium Petici.

De dictatore T. Quinctio Capitolino, & triumpho eius de Galleis.

DICTATOREM T. Quinctium Pennum hoc anno fuisse, satis constat; & magistrum eq. Ser. Cornelium Maluginensem. Macer Licinius comitiorum habendorum caussa, & ab Licinio consule dictum scribit. Cuius rei cum mentionem in vetustioribus annalibus nullam inueniam, magis vt belli Gallici caussa dictatorem creatũ arbitrer, inclinat animus. Eo certe anno Galli ad tertiũ lapidem Salaria via trans pontem Anienis castra habuere. Ita Liuius. Hoc anno item dictatorem fuisse, fragmenta Capitolina demonstrant: eumq; non (vt scripsit Licinius) comitiorum habendorum caussa, sed (vt Liuius) rei gerendæ caussa. Appianus enim in Celtica, Gallos tertiũ reuersos, a Quinctio victos scribit: at T. Manliũ Gallo, a quo singulari prœlio prouocatus fuerat, occiso, Torquati cognomen retulisse, Gallos proxima nocte in Tiburtem agrum, atq; inde societate belli facta in Campaniã transisse, Liuius & Eutropius. Cognomina dictatoris in Capitolinis monumẽtis hęc visuntur= S. Capitolinus Crispinus.

in quo

in quo a Liuio dissentiunt. nam Liuius eum Pennum nominauit. *Pennus* autem, fuit Cincinnatorum cognomen, non Capitolinorum. Itaque literam s, quæ extrema est primi cognominis huius dictatoris, vltimã literam esse puto huius cognominis *Barbatus*; quod Quinctiorum Capitolinorum fuit. Ceterum Ser. Cornelium Maluginensem magistrum equitum, filium esse arbitror Ser. Cornelij Maluginensis, qui paucis ante annis septies tribunatum militum gessit. Triumphasse dictatorem apud neminem inueni, nisi in Capitolinis fragmentis, ex quibus triumphatum esse bis anno CCCXCII apparet, primum Quirinalibus, deinde == Mart.

De triumpho C. Sulpicij Petici cos. de Hernicis.

DE C. Sulpicij cos. triumpho nemo tradit. Quoniã autem qui Capitolinos triumphos digesserunt, eum anno CCCXCV dictatorem triumphasse iterum scripserunt, nec quo potissimum anno primum triumphauerit constat, ego suspicatus sum, id hoc anno factum. Nam de eius victoria sic scribit Liuius. C. Sulpicius & C. Licinius cos. in Hernicos exercitum duxerunt; neque inuentis in agro hostibus, Ferentinum eorum vrbem vi ceperunt. Priore certe consulatu hic triumphare non potuit; quod eo propter pestilentiam nihil memorabile gesserit. Hoc autem triumphasse, Capitolina fragmenta subindicant, quæ duos (vt dixi) in hunc annum triumphos edunt.

DE COS. AN. CCCXCIII.

C. POETELIVM Balbum, M. Fabium Ambustum, cõsules in hunc annum tradit Liuius & Cassiodorus: at Diodorus M. Fabium, & C. Γόπλιον; mendose, pro Ποιτέλιον. M. Fabius ex Capitolino triumpho eius descriptus est. Alia cognomina tradunt Capitolini scriptores C. Pœtelij quam Liuius. illi enim Libonem Visolum; hi Balbum. cum Capitolinis faciunt Siculi.

De Q. Seruilio Ahala dictatore, & re cum Gallis gesta.

CVM aduersus Tiburtem hostem duce C. Pœtelio consule contenta esset respublica, Gallicus tumultus dictatorẽ creari coegit. creatus Q. Seruilius Ahala, T. Quinctium magistrum eq. dixit. Pugnatum haud procul porta Collina totis viribus vrbis est: magnaque vtrinque cæde edita, tandem auertitur acies Gallorum. Egregie tum ab dictatore tum ab consulibus re gesta, dictator cõsulibus & apud populum & apud senatum magnifice collaudatis, & suarum quoque rerum illis remisso honore, dictatura se abdicauit. Hæc Liuius. Q. Seruilius Ahala, is est qui bis paulo ante consul fuit: T. Quinctius, qui dictaturam priore anno administrauit.

De triumpho C. Pœtelij cos. de Gallis & Tiburtibus; ouatione M. Fabij Ambusti cos. de Hernicis.

C. POETELIVS cos. aduersus Tiburtes iussu populi exercitum ducere iussus est. ab eo Galli, qui ex pugna dictatoris aufugerant, palati procul Tibure excepti, egressis ad opem Gallis ferendam Tiburtibus, simul cum his intra portas compelluntur. Pœtelius de Gallis Tiburtibusque geminum triumphum egit. M. etiam Fabius, cui Hernici prouincia euenerat, cum prœliis primũ paruis, postremo vna insigni pugna hostes totis adorti copiis essent, Hernicos deuincit. ei satis visum vt ouans vrbem iniret. Hæc Liuius. quæ eadem sunt in tabulis triumphalibus Capit.

DE COS. AN. CCCXCIIII.

LIVIVS, Cassiodorus, consules produnt in hunc annum M. Popilliũ Lænatem, Cn. Manlium: Diodorus M. Popillium Lænatem, & Cn. Manlium Imperiossum. M. Popillius descriptus est ex tertio consulatu Capitolino. Primus e Popilliis hic fuit qui *Lænas* dictus sit; cuius caussam sic exponit in Bruto Cicero; M. Popillius cum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione & seditione nuntiata, vt erat læna amictus, ita venit in concionem; seditionemque tum auctoritate, tum oratione sedauit. Hæc ille. Liuius etiam hoc anno orientem seditionem inter patres & plebem

compressam ait, vt Tiburtes, qui ad mœnia Romæ venerant, repelleret. ex quo intelligere possumus, hoc anno M. Popillium cum læna exisse in concionem. in lapide Capit. est, = Lænas. Cn. Manlius Capitolin. Imperioss. In fastis Siculis bini anni in vnum confusi sunt. nam Libonem & Lænatem comparant.

DE COS. AN. CCCXCV.

NOVI cõsules inierunt apud Liuium & Cassiodorum C. Fabius, C. Plautius: apud Diodorum, M. Fabius, C. Plotius. Liuius huius etiam C. Fabij meminit interregis an. CCCXCVIII, inter alios multos consulares: in fastis Siculis est, Ambustus & Proculus; in Capitolinis = Ambustus, C. Plautius Proculus. Hernici a Plautio deuicti: Fabius incaute cum Tarquiniensibus pugnauit.

De censoribus & lustro XXI.

CENSORES in hunc annum contulimus satis certa cõiectura adducti. Hoc enim tribus duas additas, Pontinam & Publiliam, tradit Liuius. quæ non nisi a censoribus addi potuerunt. confirmat coniecturam quinquennale censuræ spatium, quod post priores censores abiit. qui cum XX lustrum fecerint, his XXI condendum reliquerunt.

De C. Sulpicio Petico dictatore, & triumpho eius de Gallis.

CVM Gallos Præneste venisse, atque inde circa Pedum consedisse auditum esset, dictatorem dici C. Sulpicium placuit. consul C. Plautius dixit: magister eq. dictatori additus M. Valerius. Liuius hæc. C. Sulpicius ex triumpho Capitolino descriptus est. M. Valerius in consulatu, quem tertio ab hinc anno geret, Poplicola nominatur a Liuio. Ceterum C. Sulpicium dictatorem rem bene gessisse cum Gallis, qui & a Pœtelio consule victi fuerant, eosq; ita subegisse, vt non alius post M. Furium iustiorem de Gallis triumphum egerit, scribit Liuius. Eiusdem victoriæ meminerunt Orosius, Eutropius, Polybius libro primo, Appianus in Celtica, Frontinus stratagematum lib. II. Hic autem triumphus in Capitolinis tabulis secundus Sulpicij scribitur. ex quo intelligi potest priorem a Liuio (vt supra dixi) esse omissum. id autem mirum non est. nam etiam hoc anno Plautianum triumphum omisit.

De triumpho C. Plautij Proculi consulis.

TRIVMPHASSE enim etiam C. Plautium Proculum consulem de Hernicis scriptum est in Capitolinis tabulis, cuius victoriæ Liuius meminit, triumphi nõ meminit. Hernicos enim a C. Plautio victos subactosq; esse tantummodo ait.

DE COS. AN. CCCXCVI.

CONSVLES hoc anno C. Marcius, Cn. Manlius. testis Liuius, Cassiodorus, Diodorus. quorum cognomina edunt fasti Siculi Rutilum & Capitolinum. Cn. Manlius biennio ante cõsul fuit: C. Marcius ex Capitolino triumpho descriptus est. Cn. Manlius aduersus rebellantes Faliscos nihil memorabile egit.

De triumpho C. Marcij Rutili cos.

C. MARCIVS cos. in agrum Priuernatem exercitum duxit, vrbem eorum in deditionem accepit: triumphauitq; de Priuernatibus. Liuius. Idem triumphus est in tabulis Capitolinis.

DE COS. AN. CCCXCVII.

DIODORVS consules in hunc annum prodit M. Fabium, M. Popillium: fasti Siculi Ambustum & Lænatem: Liuius & Cassiodorus M. Fabium Ambustum II, & M. Popillium Lænatem II. Tiburtes a Lænate in vrbem compulsi: Fabius a Faliscis & Tarquiniensibus prima pugna fusus, hostium castris post potitus est.

De C. Marcio Rutilo dictatore & triumpho eius de Tuscis.

HOC anno concitatur omne nomen Etruscum, & Tarquiniensibus Faliscisq; ducibus ad Salinas perueniũt. aduersus eum terrorem dictator C. Marcius Rutilus primus

mus de plebe dictus, magistrum eq. item de plebe C. Plautium dixit. Ita Liuius. Idem scribit in anno CCCCLIIII. C. Marcius, idem est qui priore anno consul fuit; C. Plautius, qui biennio ante. Hunc dictatorem scribit Liuius cum Tuscis congressum, castris eorum, & VIII millibus hostium captis, ceteris aut cæsis aut agro Romano fugatis, sine auctoritate patrum (plebeius enim erat) populi iussu triumphasse. idem notat etiam in anno CDLIX. Eiusdem triumphi Orosius etiam & Eutropius meminerunt. quem in monumentis quoque Capitolinis incisum inuenimus.

DE COS. AN. CCCXCVIII.

QVADRINGENTESIMO anno, quã vrbs condita erat; quinto tricesimo, quam a Gallis recepta, ablato post XI annum a plebe consulatu, patricij consules ambo ex interregno magistratum inierunt, C. Sulpicius Peticus III, M. Valerius Poplicola. Liuius. Eadem nomina sunt etiam apud Cassiodorum & Diodorum, & in fastis Siculis. Cur dissentiat Liuiana summa annorum a nostra, caussa supra exposita est. latius etiam in chronologiæ Liuianæ scholiis. Empulium ex Tiburtibus captum.

DE COS. AN. CCCXCIX.

LIVIVS; Consules hoc anno fuerunt ambo patricij, M. Fabius Ambustus III, T. Quinctius. In quibusdam annalibus pro T. Quinctio M. Popillium cõsulem inuenio. Liuio assentitur Cassiodorus, & Diodorus, & Solinus; qui ait; Alexander (vt Nepos edidit) M. Fabio Ambusto, T. Quinctio Capitolino consulibus, oritur, post Romam conditam anno CCCXCV. T. Quinctius, hic est qui ante dictator & magister equitum fuit. Hi consules, cum iis qui sequuntur, in fastis Siculis præteriti sunt: in Cuspiniani vero, est Ambustus & Capitolinus.

De triumpho II *M. Fabij Ambusti cos. de Tiburtibus.*

HOC anno cum Tiburtibus ad deditionem pugnatum, Sassulam ex his vrbem captam, & gentem vniuersam positis armis in fidem consulis venisse, deque Tiburtibus triumphatum esse, scribit Liuius. Hic autem cõsul fuit M. Fabius Ambustus; quod ex Capit. triumpho intelligitur.

DE COS. AN. CD.

CONSVLATVM vtrumque apud patricios mansisse, consules creatos C. Sulpicium Peticum IIII, M. Valerium Poplicolam II, inuenio apud Liuium & Cassiodorum. Diodorus item prioribus consulibus subijcit M. Valerium, C. Sulpicium.

De T. Manlio Torquato dictatore, & re gesta cum Cæritibus.

SENATVS in Etrusci belli curam intentus, Valerium consulem Volscis oppositum, reuocatum inde dicere dictatorem iussit. T. Manlium L. F. dixit: is sibi magistrũ eq. A. Cornelium Cossum cooptauit. Hic Manlius anno CCCXCII, quod Gallum spolians, quocum pugnarat, ei torquem detraxit & se induit, *Torquatus* est appellatus. Itaq; in tertio Capitolino consulatu scribitur L. Manlius L. F. A. N. Imperiossus Torquatus. Liuius, Gellius lib. IX, cap. XIII; Cicero de off. lib. III. A. Cornelius P. F. A. N. Cossus Aruina scribitur in triumpho Capitolino, quem gessit anno CDX. Hic cum Cæritibus rem gessit, quibus bellum indictum erat, quod Tarquiniensibus se adiunxerant. Cærites sine prœlio in deditionem accepti, in centum annos inducias impetrarunt. Liuius.

DE COS. AN. CDI.

P. VALERIO Poplicolæ datus est a plebe collega C. Marcius Rutilus in hunc annum, vt ait Liuius. Hos vocat Cassiodorus P. Valerium, C. Marcium Rutilum II: Diodorus M. Fabium, P. Valerium. Hos cum insequentibus confundunt fasti Siculi, qui Rutilum & Pennum inter se comparant.

De C. Iulio dictatore.

TERROR vanus Etrusci belli, cum coniurasse XII populos fama esset, dictatorem dici coegit. Dictus in castris (eo enim ad consules missum S. C. est) C. Iulius; cui ma

F iij

giſter eq. adiectus L. Æmilius. Ceterum foris tranquilla omnia fuere. Liuius. Ego C. Iulio attribui familiare cognomen Iulum. L. Æmilium eſſe puto, qui in triumpho ſecũdi conſulatus Capitolino, quem egit anno CDLXXXIIII, L.F. dicitur: quo anno Priuernas eſt appellatus.

DE COS. AN. CDII.

CREATI in hunc annum conſules C. Sulpicius Peticus, T. Quinctius Pennus, quidam Cæſonem, alij Caium nomen Quinctio adijciunt. ſic Liuius. Caſſiodorus C. Sulpicium Peticum, T. Quinctium Pennum edit: Diodorus C. Sulpicium, & C. Quinctium. Hunc T. Quinctium eum eſſe cenſeo, qui anno CCCLXXXVI magiſter eq. fuit; & a Liuio Pennus, a Capitolinis ſcriptoribus Cincinnatus vocatus eſt. C. Sulpicium $\overline{\text{V}}$ notaui, quia quater ante fuit.

De cenſoribus, & Luſtro XXI.

CVM cenſoribus creandis indicta comitia eſſent, profeſſus ſe petere cenſuram C. Marcius Rutilus, qui primus dictator de plebe fuerat, concordiam ordinum turbauit. poſt autem non variatum comitiis eſt quin cum Manlio Cnæo cenſor Marcius crearetur. ita per eundem qui ad dictaturam aperuit viam, cenſuræ quoq; in partem vocata plebs eſt. Liuius. Eutropius etiam expoſito triumpho, quẽ anno CCCXCVII C. Marcius de Tuſcis egit, Romæ cenſum actum ſcribit. ex quo, hoc anno cenſum luſtrumque factum eſſe, colligere poſſumus. Alio etiam loco Liuius in anno CCCCLIIII C. Marcium Rutilum cenſorem primum de plebe factum ſcribit. Cn. Manlius Imperioſſus bis ante conſul fuit.

De M. Fabio Ambuſto dictatore.

DICTATOREM quoque hic annus habuit M. Fabium, nullo terrore belli, ſed ne lex Licinia comitiis conſularibus obſeruaretur. Magiſter eq. dictatori additus Q. Seruilius. Hæc Liuius. Idem in anno CCCCXXVIII huius dictatoris meminit; eumq; ait ter conſulem, & dictatorem fuiſſe. Idem ſcribit Valerius lib. II, cap. II. Q. Seruilius Ahala, ſiue ille ſit qui ante bis conſul fuit, ſiue eius filius, (quod magis probo) omnino Q. F. Q. N. eſt ſcribendus.

DE COS. AN. CDIII.

M. POPILLIVM Lænatem a plebe conſulem in hunc annum, a patribus L. Cornelium Scipionem datum, ſcribit Liuius. Caſſiodorus M. Popillium Lænatem $\overline{\text{III}}$, L. Cornelium Scipionem edit: Diodorus C. Cornelium, M. Popillium: faſti Siculi Scipionem & Lænatem.

De L. Furio Camillo dictatore.

M. POPILLIVS. Lænas conſul in Gallos profectus, rem bene geſſit. moram triumpho vulnus attulit; eademque cauſſa dictatoris deſiderium ſenatui fecit, vt eſſet qui ægris conſulibus comitia haberet. Dictator L. Furius Camillus dictus, addito magiſtro equitum P. Cornelio Scipione. Hæc Liuius, & fere Zonaras. Ceterum L. Furius Camillus, filius fuit M. Camilli $\overline{\text{V}}$ dictatoris. auctores Liuius, & Appianus. Hoc anno dictatorem fuiſſe, indicant veſtigia Capitolina magiſtri equitum.

De triumpho M. Popillij Lænatis cos. $\overline{\text{III}}$, *de Gallis.*

FORTVNA illuſtriorem plebeium conſulem fecit. Nam cum ingentem Gallorum exercitum in agro Latino caſtra poſuiſſe nuntiatum eſſet, Scipione graui morbo implicito, Gallicum bellum Popillio extra ordinem datum: Galli amiſſis caſtris fugati: conſul vulnere accepto tardius triumphauit. Sed tamen ante quam inirent noui conſules, triumphus ab eo actus eſt, magno fauore plebis. Hæc Liuius. Huius Popillianæ de Gallis victoriæ meminit etiam Appianus in Celtica. Idem triumphus inciſus eſt in tabulis Capitolinis.

DE COS. AN. CDIIII,
& re gesta a L. Furio cos. cum Gallis.

DICTATOR L. Furius Camillus reddidit patribus pristinam possessionem consulatus. ipse ob id meritum ingenti patrum studio creatus consul, collegam P. Claudium Crassum dixit. Liuius. Iidem consules produntur a Cassiodoro. Diodorus M. Æmilium, T. Quinctium edit: fasti Siculi, Camillum & Crassum. Horum consulum meminit Cicero in Catone, cum ait, Platonem Tarentum venisse L. Camillo ac P. Claudio cos. & Gellius lib. IX, cap. XI, cum ait, L. Furio, Ap. Claudio cos. anno vrbis conditæ CDV, M. Valerius cum Gallo pugnauit, & Coruinus est appellatus. Hoc enim anno cum Galli ex Albanis montibus campos & maritima loca popularentur, P. Claudius in ipso belli apparatu moritur: L. Furius Gallos in agro Pontino acie fusos in Apuliam compulit: M. Valerius tribunus mil. ex singulari pugna cum Gallo commissa, Corui cognomen accepit. Liuius & Eutropius. De obitu P. Claudij scriptum est etiam in fragmento huius anni Capitolino.

De T. Manlio Torquato dictatore II.

L. CAMILLVS iussus ab senatu bellum maritimum curare, cum prætore iunxit castra. ibi quia res trahi segnitie Græcorum non committentium se in aciem videbatur, Dictatorem comitiorum caussa T. Manlium Torquatum ex senatus auctoritate consul Camillus dixit. dictator, magistro eq. A. Cornelio Cosso dicto, consularia comitia habuit. Liuius. Nos quia eosdem esse, qui anno CD collegæ in hoc eodem magistratu fuerunt, putamus, iterati honoris notam adiecimus. Dictatorem hoc anno comitiorum habendorum caussa factum, Capitolinum etiam fragmentum docet.

DE COS. AN. CDV.

DICTATOR absentem M. Valerium Coruum (id enim illi deinde cognominis fuit) summo fauore populi tres & viginti natum annos consulem renuntiauit. collega Coruo de plebe M. Popillius Lænas IIII consul futurus datus est. Ita Liuius, & Cassiodorus. Diodorus triennio post, M. Valeriū & M. Popillium edit. Huius cōsulatus Valeriani, ætatis, cognominis, Valerius etiam, & Eutropius, & Gellius lib. IX cap. XI, meminerunt. Se ex Poplicolarum familia, & a P. Valerio qui reges eiecit, hic Coruus ortum apud Liuium profitetur. In fragmento Capitolino est tantum M. Valerius M. F. M. N. Coruus consul: in fastis Siculis, Coruinus & Lænas. Domi forisq; otium.

De ///////// *dictatore.*

DICTATOREM hoc anno cum magistro eq. comitiorum habendorum caussa creatum, ex fragmentis Capitolinis apparet. Qui vero fuerint, nec Liuius prodit, nec exeso marmore Capitolini scriptores. Itaque inter cetera vetustate incomperta, hoc quoque in incerto sit.

DE COS. AN. CDVI.

T. MANLIVM Torquatum, C. Plautium, consules in hunc annū edunt Liuius & Cassiodorus: fasti Cuspiniani & Siculi, Torquatum & Vennonem. in Capitolino fragmēto exstant cognomina Mālij, Imperiossus Torquatus. Domi forisq; res quietæ.

DE COS. AN. CDVII.

M. VALERIVM Coruum II cum C. Pœtelio consulem profitetur in hunc annum Liuius & Cassiodorus: fasti Cuspiniani & Siculi, Coruinum & Libonem. Censorinus etiam horum consulum meminit, vbi agit de ludis sæcularibus; atque hunc annū CDX ab vrbe condita nominat. C. Pœtelius ex dictatura Capitolina anno CDXL gesta, descriptus est. nam in fragmento huius consulatus exstat tantum cognomen eius alterum, VISOLVS.

De censoribus, & lustro XXIII.

CVM anno CDII lustrum XXII factum esse dixerimus, anno autem CDXXI lustrum XXIIII conditum esse appareat, profecto inter hoc tempus fuerint necesse

est qui lustrum XXIII fecerint. De quo cum nihil apud Liuium inuenirem, suspicatus sum ex quinquennali spatio censores hoc anno id fecisse. sed fortasse diuinamus. qui certiora habet, ea sequatur. nos ne coniecturas quidem nostras, in tanto interuallo temporum, historiæ R. subleuādæ caussa, omisimus. Eusebius VII annis ante quam T. Torquatus cos. in filium animaduerteret, censum factum, censa CLX millia scribi

De triumpho M. Valerij Corui cos. II, *de Antiatibus Satricanisque.*

VALERIUS consul Volscis bellum inferre iussus, ad Satricum infesto exerci tu pergit. quo cum Antiates aliique Volsci occurrissent, nulla mora dimicandi fact est. Volsci certamine victi, Satrici mœnia petunt: cumque vrbs caperetur, ad quatu millia præter multitudinem imbellem sese dedidere. oppidum dirutum atque inc sum. Qui se dediderunt, vinctos ante currum triumphans Valerius egit. Ita Liuius. eundem triumphasse de Antiatibus Volscis Satricanisque, scriptum est in Capitolina tabula.

DE COS. AN. CDVIII.

CREATI consules in hunc annum M. Fabius Dorso, Ser. Sulpicius Camerinus. auctor Liuius & Cassiodorus. Diodorus etiam, quamquam non suo loco, M. Fabium & Ser. Sulpicium consules prodit: fasti Siculi Dorsonem & Camerinum. Meminit etiam Liuius C. Fabij Dorsonis supra in anno CCCLXIII. Hi consules ambo patricij fuerunt. quod omisit Liuius.

De L. Furio Camillo dictatore II, *& re gesta cum Auruncis.*

AVRUNCUM bellum, ab repentina populatione cœptum; dictatorem velut aduersus armatum iam Latium, L. Furium creatum, magistrum eq. Cn. Manlium Capitolinum dixisse, auctor est Liuius. Dictator legionibus in Auruncos ductis, prima acie debellauit: ac victor Romam reuersus, dictatura se abdicauit. Hic idem dictaturam ante gessit; Cn. Manlius & consulatum, & censuram.

DE COS. AN. CDIX.

CONSULES hoc anno C. Marcius Rutilus III, T. Manlius Torquatus II. Liuius & Cassiodorus auctor. Diodorus item edit C. Marcium, T. Manlium Torquatum: fasti Siculi Rutilum & Torquatum. Eorundem meminit etiam Frontinus libro primo Stratagematum.

De P. Valerio Poplicola dictatore, & feriis Latinis.

CUM lapidibus pluuisset, & nox interdiu visa esset intēdi, librisq; inspectis cū plena religione ciuitas esset, senatui placuit dictatorem feriarum constituendarū caussa dici. Dictus P. Valerius Poplicola: magister eq. ei Q. Fabius Ambustus datus est. Liuius. Ferias autem intelligit quę *Latinæ* dicebantur; quod solenne etiam *Latiar* appellatum est. Earum feriarum Superbus rex auctor fuit. Locus erat in monte Albano, in quem populus R. & Latini fœderati (ij fuisse XLVII populi traduntur) cōueniebant, atque Ioui Latiali vno consensu omnes sacrificabant. cumq; eorum alij agnos, alij caseum, alij lac, alij alia domo secum ex instituto attulissent, tauro immolato, suā quisq; carnis partem accipiebant. Conceptiuas aūt has fuisse ferias, docet Macrobius; quod a magistratibus quotannis in certos vel incertos dies conciperentur. His feriis vnus dies primum dicatus fuit a Superbo; exactis autem regibus, biduū; post secessionem pl. in montem sacrum, triduum; anno deniq; CCCXCVI ab vrbe condita, composita de plebeio consulatu seditione, quatriduum. auctor Liuius, Plutarchus in Camillo, & Dionysius. Sic anno CDXCVI Latinarum feriarum constituendarum caussa dictator creatus est Q. Ogulnius Gallus; vt est in Capitolinis tabulis.

DE COS. AN. CDX.

CREATI consules in hunc annum M. Valerius Coruus III, A. Cornelius Cossus. Liuius auctor & Cassiodorus. M. Valerium & A. Cornelium edit Diodorus, Cicero

De

De diuinat. & Frontinus: Valerium Maximum & Cornelium Cossum is qui scripsit de viris illustribus: Coruinum & Cossum fasti Siculi. Vterque patricius est.

De bello Samnitico, & triumphis consulum Corui & Cossi.

ANIMADVERTI in tabulis consularibus Capitolinis maximum quodque bellum notari; quale est hoc Samniticum. quod ab his cos. primum gestum esse, scribit Liuius. Susceptum autem esse Campanorũ caussa, qui a Samnitibus oppressi, se suaq; omnia senatui Romano per legatos dediderunt, idem tradit. Florus per annos quinquaginta gestum scribit, ex eoque triumphos viginti quatuor esse actos. Liuius lib. xxxi, in oratione legati Romani in concilio Ærolorum, per annos LXX gestum ait. Anno CDLXXXI bello huic finem esse impositũ arbitror; quo anno L. Papirius de Samnitibus triumphauit. Ceterum M. Valerius consul in Cãpaniam aduersus Samnites missus cum exercitu, bis pugnauit: primum, ad montem Gaurũ; iterum, ad Suessulam. vtroq; in loco victoria parta est, fusis hostibus, eorumque castris captis atq; direptis. A. Cornelius cos. in Samnium profectus, ad Saticulam castra fecit. cum autem quendam in saltum caua valle peruium, circaq; insessum ab hoste, exercitum perduxisset, P. Decius tribunus mil. accepto quod postulabat, præsidio, in superiorem locum euasit, & hostes terruit. Ex eo comparata Cornelio victoria est, cæsis hostibus, castrisque eorum direptis. Ambo de Samnitibus triumpharunt. Liuius. Et hi etiam triumphi in Capitolinis tabulis incisi sunt.

DE COS. AN. CDXI.

CONSVLES in hunc annum produnt Liuius & Cassiodorus C. Marcium & Q. Seruilium: Diodorus Q. Seruilium, Marcium Rutilum: Ahalam & Rutilum fasti Siculi. Hunc Marcium iam quartũm consulem esse, & dictatorem ac censorem fuisse, auctor est Liuius. Q. Seruilium Ahalam puto esse eum qui magister equitum fuit anno CDII. Hoc anno lex lata, ne quis intra decem annos eundem magistratum caperet. auctor Liuius.

De M. Valerio Coruo dictatore.

CVM in castris C. Marcij consulis milites seditionem fecissent, quod eorum consilia, quæ de adimenda Campanis Capua inierant, cõsul infirmasset; atq; T. Quinctio patricio viro (quamquã claudo) imperatore appellato, eum arma inferre patriæ coegissent; dictator M. Valerius Coruus cum magistro eq. L. Æmilio Mamerco dictus est. qui ad eos cum exercitu profectus, oratione, ne contra patriam irent, effecit. Ita militari defectione compressa, Coruus Romam rediit. Hęc Liuius, & is qui scripsit de viris illustribus. In aliis annalibus Liuius se inuenisse ait, non Valerium dictatorem dictum, sed per consulem rem omnem actam; atque non T. Quinctium, sed C. Manlium ducem sibi milites depoposcisse. L. Æmilius fuit etiam magister eq. anno CDI.

DE COS. AN. CDXII.

CONSVLES subsequuti sunt C. Plautius II, & L. Æmilius Mamercus, teste Liuio & Cassiodoro: Diodoro autem, L. Æmilius, C. Plotius: fastis Siculis, Venno & Mamercinus. L. Æmilius in secunda dictatura Capitolina anno CDXXXVII, L.F.L.N. Mamercin. Priuernas dicitur. De C. Plautio cos. sic Liuius; Priuernas & Volscũ bellum Plautio sorte euenit. Prius ad Priuernum profectus, extemplo acie cõflixit. haud magno certamine deuicti hostes: oppidum captum, redditumque Priuernatibus. Cum igitur C. Plautium consulem Liuius scribat Priuernum cepisse, inueniam autem in nummo argenteo perantiquo apud clarissimum virum Andream Lauredanum, patricium Venetum, hæc verba;

C. YPSAEVS COS.
PRIV. CEPIT. & ab altera parte; P. YPSAEVS S. C.

non dubito quin hic C. Plautius sit. *Hypsæus* enim post cognomen Plautiorum fuit. De Plautio consule ad Priuernum, meminit etiam Valerius lib. VI, cap. II. L. Æmilius in Samnites profectus, nullum hostem inuenit. Samnites pacem a senatu petentes impetrarunt.

DE COS. AN. CDXIII.

Bello Latino, deuotione P. Decij consulis, & triumpho T. Torquati cos.

T. MANLIVS Torquatus III, P. Decius Mus, hoc anno consulatum gesserunt auctore Liuio & Cassiodoro. Diodorus edit T. Manlium Torquatum, P. Decium. Siculi Fasti, Torquatũ & Murem: Zonaras, Torquatum III, & Decium. Eorundem consulum meminit Plin. lib. XXII, cap. V; Valerius lib. I, cap. V; Florus de bello Latino, auctor libri de viris illustrib. in Decio & Torquato. Plutarchus item in Parallelis ait in bello contra Samnites creatum consulem Manlium τὸν ἐπιτάκτην ἐπικληθέντα, id est, Imperiossum cognominatum, de filio, qui contra edictum suum pugnauerat, supplicium sumpsisse. in quo errat. Nam non cum Samnitibus hoc anno bellatum est, qui foederati erant; sed cum Latinis. P. Decium Q.F. vocat Cicero de diuinatione lib. I. Quod idem confirmant Capitolinæ tabulæ, in quibus filius huius P.F.Q.N. appellatur. Hunc primum in domum suam consulatum intulisse, scribit eodem loco Cicero, & Valerius lib. V, cap. VI. Cum Latini, qui post pugnam ad lacum Regillum in fide Romanorum manserant, assumptis Campanis ac Sidicinis, bellum Samnitibus foederatis populi R. facerent, ac Romam euocati arma ponere iuberẽtur, feroci responso, quo alterum consulem e Latio fieri petierunt, bellum Romanum in se conuerterunt. Castra autem aduersus eos Torquato & Decio consulibus ad Capuam habentibus, in quiete vtriq; audire visum est, ex vna acie imperatorem, ex altera exercitum diis manibus matriq; Terræ deberi. vtrius exercitus imperator legiones hostium, superq; eas se deuouisset, eius populi partisq; victoriam fore. cum autem nocturnos visus contulissent, ita inter eos conuenit, vt cuius cornu in acie laboraret, diis se manibus deuoueret. factum est vt post inita ad Veserim cum hoste pugna, inclinãte Decij parte, is se & hostes per M. Valerium pontificẽ diis manibus deuouerit; & impetu in eos facto, morte sua victoriam suis pepererit. auctores Liuius, Valerius lib. V. cap. VI, Plin. lib. XXII, cap. XXV, Orosius, Florus, Plutarchus in Parallelis; vbi hoc bellum Albanum vocat. Cicero autem de diuinatione lib. I, ita; At vero P. Decius ille Q.F. qui primus e Deciis consul fuit, cum esset tribunus militum M. Valerio & A. Cornelio consulibus, a Samnitibusque premeretur noster exercitus, incolumis exercitum obsidione liberauit: post triennium autem, cum consul esset, deuouit se, atque in aciem Latinorum irrupit armatus. Deuouendi formula, & ritus, & verba, scripta sunt apud Liuium latius. Fugati ad Veserim Latini, cum post exercitu reparato vni Torquato se obtulissent inter Sinuessam Minturnasq; deuicti sunt. Ita T. Manlius consul de Latinis, Campanis, Sidicinis, Auruncis, quos virtute sua, collegæ Decij morte vicerat, triumphauit; vt ex Capitolinorum triumphorum fragmentis apparet. neque enim Liuius triumphi verbum vllum facit. Verba eius sunt; Ita bello gesto, T. Manlius Romam rediit; cui venienti seniores tantum obuiam venisse constat. Ea de re sic Valerius lib. IX, cap. III; Manlio Torquato amplissimam & gloriosissimã victoriam in vrbem referenti, cum seniores omnes lætitia ouantes occurrerent, iuniorũ nemo obuiam processit. at lib. VI; T. Manlius Torquatus patriam Latino tumultu fessam speciosissimo triumpho recreauit. & Orosius; Manlius, quamuis victor, occursum tamen nobilium iuuenum Romanorum triumphãs parricida non meruit. & Diodorus; Romani cum Latinis & Campanis congressi ad oppidum Suessam, victores fuerunt, & victis agri partem ademerunt: Manlius autem cos. cuius auspicio res bene gesta est, triumphauit. Idem tradit Zonaras. Hoc bello T. Manlius de filio, qui iniussu suo pugnauerat, supplicium sumpsit. Liuius, Valerius, omnes.

De L. Papirio Crasso dictatore, & re gesta cum Antiatibus.

ANTIATES in agrum Hostiensem, Ardeatem, Solonium, incursiones fecerunt. Manlius consul, quia ipse per valetudinem id bellum exsequi nequierat, dictatorem L. Papirium Crassum, qui tum forte erat prætor, dixit. ab eo magister equitum L. Papirius Cursor dictus. Nihil memorabile aduersus Antiates ab dictatore gestum, cum aliquot menses statiua in agro Antiati habuisset. Ita Liuius. Cicero autem ad Poerum sic;

ſic; Poſt L. Papirium Mugillanum XIII fuerunt ſella curuli ante L. Papirium Craſſum, qui primus *Papiſius* eſt vocari deſitus. Is dictator cum L. Papirio Curſore magiſtro eq. factus eſt annis poſt Romam conditam CCCCXV. Craſſus ex Capitolina cenſura deſcriptus eſt; Curſor ex triumpho.

DE COS. AN. CDXIV.

CREATI cos. in hunc annum Ti. Æmilius Mamercus, Publius Philo, teſte Liuio: Caſſiodoro vero, Ti. Æmilius Mamercus, Q. Publilius Philo: Diodoro, Q. Publilius, Ti. Æmilius: faſtis Siculis, Mamercinus & Philo. Si quid autem ſit mendi in his ſcriptoribus, id in Liuianis ſcholiis quo modo tolleretur, oſtendi. Tiberij prænomen quam ſit Æmiliis familiare, ſupra etiam patuit. Publilius ex triumpho Capitolino ornatus eſt.

De triumpho Q. Publilij Philonis cos. de Latinis.

...iram agri amiſſi rebellantes, in campis Senectanis fuſi caſtriſq; exuti ſunt. Publilio, cuius auſpicio res geſtæ erant, & qui in deditionem Latinos populos acceperat, quorum ibi iuuentus cæſa erat, triumphus decretus eſt. Sic Liuius. Idem etiam triumphus eſt in Capit. tabulis deinceps poſt Manlianum triumphum inciſus. Æmilius aduerſus Pedanos miſſus.

De Q. Publilio Philone dictatore.

ÆMILIVS conſul bello Pedanorum infecto repente omiſſo, quia collegæ decretum triumphum audiuit, ipſe quoq; triumphi ante victoriam flagitator Romam rediit. Qua cupiditate offenſis patribus, negantibuſq;, niſi Pedo capto aut dedito triumphum, hinc alienatus ab ſenatu, ſeditioſis tribunatibus ſimilem conſulatum geſſit. Itaque poſtquam ſenatus, finire imperium conſulibus cupiens, dictatorem aduerſus rebellantes Latinos dici iuſſit, Æmilius, cuius tum faſces erant, collegam dictatorem dixit, ab eo magiſter eq. Iunius Brutus dictus. Hæc Liuius. Magiſter eq. eſt D. Iunius Brutus Scæua, is qui poſt conſul fuit anno CCCCXXVIII. Plus hoc anno domi acceptum cladis ab cõſulibus & dictatore, quam ex victoria eorum belliciſq; rebus foris auctum imperium, legibus plebi ſecundiſſimis, aduerſis nobilitati latis.

DE COS. AN. CDXV.

CONSVLES in hũc annum prodit Liuius & Caſſiodorus L. Furium Camillum, & C. Mænium: Diodorus L. Furium, & C. Μάλιον; mendoſè: Camillum & Mænium faſti Siculi: L. Furium Camillum, C. Mænium triumphi Capitolini. C. Mænij conſulis anno CDXVI meminit Plinius lib. XXXIIII, cap. V. Hic L. Furius, alius ab eo eſt qui ante conſul & dictator fuit. ille enim M. F. hic Sp. F. M. N. ſcribitur in Capitolino triumpho.

De triumphis L. Furij Camilli & C. Mænij conſulum de Latinis.

ARICINOS, Lauinios, & Veliternos, Antiatibus Volſcis ſe coniungentes, ad Sturam flumen Mænius improuiſo adortus, fudit. Camillus ad Pedum cum Tiburtibus maxime valido exercitu maiore mole, quamquam æque proſpero euentu, pugnauit. Præſidiis inde diſpoſitis per recepta oppida, Romam ad deſtinatum omnium conſenſu triumphum deceſſere. Ita Liuius. Iidem triumphi ſunt in Capitolinis tabulis. Liuius additum triumpho honorem ſcribit, vt ſtatuæ cõſulibus, raræ illa ætate res, in foro ponerentur. Qua de re ſic Eutropius; Latini ingenti pugna ſuperati ſunt, ac de his perdomitis triumphatum eſt. Statuæ conſulibus ob meritum victoriæ in roſtris poſitæ. Plinius autem ſic lib. XXXIIII cap. V; Antiquior columnarum celebratio eſt, ſicut C. Mænio, qui Latinos Priſcos deuicerat; eodemque in conſulatu in ſuggeſtu roſtra deuictis Antiatibus fixerat anno vrbis CCCCXVI. de quibus roſtris eadem ſcribit Liuius. Itaque Florus ita ait; Exſtant & parta de Antio ſpolia, quæ Mænius in ſuggeſtu fori capta hoſtium claſſe ſuffixit. ſi tamen illa claſſis. nam ſex fuere roſtratæ. vulgo autem legitur *Mænibus*, pro *Mænius*. Ita bellum Latinum triennio confectum.

DE COS. AN. CDXVI.

SEQVVTOS conſules eſſe C. Sulpicium Longum, P. Ælium Pætum, ſcribit Liuius & Caſſiodorus: C. Sulpicium & L. Papirium Diodorus: Longum & Pætum faſti Siculi. C. Sulpicius ex tertio conſulatu Capitolino deſcriptus eſt, quem geret anno CDXXXIX.

De C. Claudio Regillenſi dictatore.

CVM Sidicini Sueſſam Auruncam euertiſſent, ſenatus infenſus conſulibus, quorum cunctatione Aurunci ſocij deleti eſſent, dictatorem dici iuſſit C. Claudium Regillēſem; qui magiſtrum eq. C. Claudium Hortatorem dixit. cum autem augures dictatorem vitio creatum videri dixiſſent, dictator magiſterque eq. ſe abdicarunt. Liuius. C. Claudius hic Regillenſis, fortaſſe pater fuit Ap. Claudij C.F. Ap.N. Cæci, vt eſt in Capitolinis tabulis.

DE COS. AN. CDXVII.

L. PAPIRIVS Craſſus, K. Duilius, conſules in hunc annum. auctores Liuius, Caſſiodorus, & exempto Craſſi cognomine Diodorus. Craſſus & Duilius eſt in faſtis Siculis. His de conſulibus ſic Cicero ad Pætum; L. Papirius Craſſus, quadriennio poſtquam dictatôr fuit, conſul factus eſt cum K. Duilio. Hic L. Papirius ex cenſura Capitolina, quam geſſit anno CDXXXV, deſcriptus eſt.

DE COS. AN. CDXVIII.

HOC anno Auſones, qui Cales vrbem incolebant, Sidicinis arma iunxerunt. Ea res fecit vt M. Valerium Coruum maximum imperatorem, conſulem quartúm facerent. collega additus Coruo M. Atilius Regulus. Hæc Liuius. Eoſdem etiam conſules prodit Caſſiodorus, & exceptis cognominibus Diodorus. cognomina autem exſtant in faſtis Siculis. M. Atilium patrem eſſe reor M. Atilij M.F. M.N. Reguli, qui conſul triumphauit anno CDLIX, in Capitolinis tabulis.

De triumpho III M. Valerij Corui cos. IIII de Calenis.

M. VALERIVM conſulem, cui ea prouincia extra ſortem data erat, ad Cales, vnde bellum Auſonum ortum erat, profectum, Calenos ipſos acie fudiſſe, atque oppido capto, ex ſenatus conſulto triumphaſſe, ſcribit Liuius. Idem etiam triumphus eſt in Capitolinis tabulis.

De L. Aemilio Mamercino Priuernate dictatore.

NE M. Atilius expers gloriæ eſſet, iuſſi ambo conſules aduerſus Sidicinos ducere exercitum. dictatorem ante ex ſenatus conſulto conſulum habendorum cauſſa dixerunt L. Æmilium Mamercum. is magiſtrum equitum Q. Publilium Philonem dixit. Liuius. L. Æmilius ante etiam conſul fuit. itemque Philo.

DE COS. AN. CDXIX.

DICTATORE comitia habente, creati ſunt conſules T. Veturius & Sp. Poſtumius: vt ait Liuius. Eoſdem conſules edit Caſſiodorus & Diodorus: Zonaras Tiberium Caluinum, & Sp. Poſtumium. recte. fuit enim Tiberius Veturiorū prænomen. Liuius in anno CDXXXII Veturium Caluinum; Poſtumium Plutarchus in Parallelis, vbi de clade Caudina ſcribit, Albinum appellat.

De P. Cornelio Rufino dictatore.

CVM Samnium fama eſſet conciri ad bellum, dictator ab conſulibus ex auctoritate ſenatus dictus P. Cornelius Rufinus: magiſter eq. M. Antonius. Religio deinde inceſſit, vitio creatos eſſe; magiſtratuque ſe abdicarunt. Liuius.

De anno CDXX ſine conſulibus.

HOC loco annum cogimur interponere ſine conſulibus; etiamſi eius neque apud Liuium, neque apud quemquam alium vlla mentio fit. Hoc autem facimus, vt rationem

nem habeamus summæ annorum, quæ in Capitolinis tabulis, quas sequimur, instituta est. Nam cum M. Valerium Coruum consulem IIII fuisse scriptum sit anno vrbis conditæ CDXVIII, L. autem Æmilium & C. Plautium anno CDXXIIII: omnino, vt hæc inter se consentiant, annum interserere debemus. quo prætermisso, fiet vt L. Æmilius consul in annum CCCCXXIII incidat, eaque tota deinceps annorum summa, quæ in Capitolinis tabulis est, labet. neque vero mirum hoc volo cuiquam videri, cum alio etiam loco idem necessario faciundum esse intellexerit. Quod autem annus hic interijciendus sit, vidit etiam ante me Gregorius Haloander, qui Chronologiam consulum scripsit. Ego vero puto hoc anno magistratuum solitudinem, & sine consulibus rempubl. fuisse pestilentiæ caussa. de qua Liuius scribit hoc modo; Dictator & magister eq. magistratu se abdicauerunt: & quia pestilentia insecuta est, velut omnibus eo vitio contactis auspiciis, res ad interregnum rediit. Huius anni in fastis Siculis ratio non habetur.

DE COS. AN. CDXXI.

A. CORNELIVM II, Cn. Domitium, consules suggerunt Liuius & Cassiodorus: Diodorus autem A. Cornelium, C. Domitium: Caluinum & Cossum fasti Siculi. Ego tamen Cn. Domitium malim: vt sit pater C. Domitij Cn. F. Caluini ædilis curulis, cuius meminit Liuius in anno CDLV; & Plin. lib. XXXIII, cap. I, cum ait, Cn. Flauium ædilem curulem factum cum Q. Anicio Prænestino, præteritis C. Pœtelio & C. Domitio, quorum patres consules fuerant.

De M. Papirio Crasso dictatore.

TRANQVILLIS rebus, fama Gallici belli pro tumultu valuit, vt dictatorem dici placeret. Dictus M. Papirius Crassus, & magister eq. P. Valerius Poplicola, a quibus cum delectus intentius quam aduersus finitima bella haberetur, exploratores missi attulerunt, quieta omnia apud Gallos esse. Liuius. M. Papirium Crassum fratrem esse reor L. Papirij Crassi dictatoris anno CDXIII: P. Valerium, qui dictator fuit anno CDIX.

De censoribus & lustro XXIIII.

CENSVM hoc anno a censoribus Publilio Philone & Sp. Postumio actum, tribus Mæciam & Scaptiam additas, scribit Liuius. Horum censorum meminit etiam Velleius libro primo, cum inquit a Sp. Postumio, Philone Publilio, Acerranis ciuitatem datam. Ea enim de re agit hoc etiam anno Liuius. Hi cõsules ante fuerunt. Lustrum si quis neget a censoribus his factum, itemq; ab aliis, eo quia Liuius lustri verbum nullum fecerit, nunquam ad lustrorum numerum Capitolinum perueniet, & eum quem Liuius lib. x extremo edidit. Hoc autem fuit, si superiora spectes, XXIIII.

DE COS. AN. CDXXII.

CREATI inde cos. M. Claudius Marcellus, C. Valerius. auctor Liuius & Cassiodorus. C. Valerius, M. Clodius, sunt etiam apud Diodorum. Liuius se Flaccum Potitumq; varie in annalibus cognomen Valerij reperire ait. Orosius Claudium Marcellum, & Valerium Flaccum edit: Potitum & Marcellum fasti Siculi. Ego vtrumque cognomen retinui; vt Potito antiquo Valeriæ gentis cognomini, nouum Flacci cognomen adiunctum esse videatur. Hunc Marcellum auum esse suspicor M. Marcelli quinquies consulis, qui M. F. M. N. describitur. quem primum vsum esse Marcelli cognomine, falso scribit Plutarchus.

De Cn. Quinctilio dictatore.

HOC anno primũ de veneficiis Romæ quæsitum est. Matronę veneficia coquentes, pestilentiam alebant. Ea res prodigij loco habita, captisq; magis mentibus, quam consceleratis similis visa. Itaque memoria ex annalibus repetita, in secessionibus quondam plebis clauum a dictatore fixum, alienatasque discordia mentes hominum eo piaculo sui compotes fecisse, dictatorem claui figendi caussa creari placuit. Creatus Cn. Quinctilius, magistrum eq. L. Valerium dixit. qui clauo fixo, magistratu se

abdicauit. Liuius. de ſolenni autem figendi claui ſcripſit lib. VII copioſius. Varum, cognomen Quinctiliorum, Quinctilio; Potitum, Valeriorum, Valerio addidi.

DE COS. AN. CDXXIII.

L. PAPIRIVM Craſſum II, L. Plautium Vennonem, conſules ſuggerit Liuius, & Caſſiodorus: L. Plotium, L. Papirium Diodorus: Craſſum & Vennonem faſti Siculi. L. Plaurius, pater eſt (vt puto) L. Plautij L.F.L.N. Vennonis, cõſulis anno CDXXXV in Capitolinis tabulis. Priuernas bellum hoc anno initum, quod M. Vitrubius Vaccus Fundanus commouerat. Priuernum duobus exercitibus conſularibus obſeſſum. Liuius.

DE COS. AN. CDXXIIII.

CREATI deinceps conſules L. Æmilius Mamercus, & C. Plautius, teſte Liuio & Caſſiodoro: L. Plotius, & L. Papirius, Diodoro: Mamercinus & Decianus faſtis Siculis. Vterque horum quomodo deſcribendus ſit, triumphus eorum Capitolinus aperte docet. Hi conſules K. Quinctilibus magiſtratum inierunt.

De triumphis L. Aemilij Mamercini Priuernatis cos. IIII. C. Plautij Deciani cos. III, de Priuernatibus.

CVM Priuernatibus hoc anno proſpere pugnatum eſſe, Priuernum captum, Vitrubiumque eius belli auctorem in poteſtatem veniſſe, eaque de re Plautium conſulem triumphaſſe, tradit Liuius. Quod idem ſcriptum eſt etiam in Capitolinis tabulis. In iis etiam inciſus eſt triumphus L. Æmilij Mamercini Priuernatis conſulis de Priuernatibus; cuius Liuius ne verbum quidem facit. immo ei Gallicum bellum obtigiſſe ait. Veriſimilem autem hunc triumphum reddit cognomen eius *Priuernas*, quo ipſe primum vſus eſt; & quod ait Liuius, explorata eius temporis quiete, omnem a Gallis Priuernum vim conuerſam eſſe.

DE COS. AN. CDXXV.

CONSVLES ſubijcit Liuius & Caſſiodorus P. Plautium Proculum, & P. Cornelium Scapulam: P. Cornelium, A. Poſtumium Diodorus: Vennonem & Scipionem faſti Siculi. P. Plautium arbitror eſſe filium C. Plautij P.F.P.N. Proculi, conſulis anno CDXCV. Annus nulla re belli domiue inſignis. Palæpolitani multa hoſtilia aduerſus Romanos agrum Campanum Falernumq; incolentes fecerunt. Liuius.

DE COS. AN. CDXXVI.

L. CORNELIVM Lentulum, Q. Publilium Philonem, conſules in hunc annum comparat Liuius & Caſſiodorus: L. Cornelium & Q. Publilium Diodorus: Lentulum & Philonem faſti Siculi. Eſt autem nunc II conſul Philo. Palæpolitanis ferociter ad res repetitas reſpondentibus, bellum a Q. Publilio conſule illatum eſt: Cornelius, Samnitibus, ſi qua ſe mouerent, oppoſitus.

De M. Claudio Marcello dictatore.

CVM comitiorum inſtaret dies, & Publiliũ imminentem Palæpolitanorum muris auocari a ſpe capiendæ vrbis haud e republ. eſſet, actum cum tribunis eſt, ad populum ferrent, vt cum Publilius Philo conſulatu abiiſſet, pro conſule rem gereret, quoad debellatum cum Græcis eſſet. L. Cornelio, quia ne eum quidem in Samnium iam ingreſſum reuocari ab impetu belli placebat, litteræ miſſæ, vt dictatorem comitiorum cauſſa diceret. dixit M. Claudium Marcellum. ab eo magiſter eq. dictus Sp. Poſtumius. nec ab dictatore habita comitia ſunt; quia vitióne creatus eſſet, in diſcuſſionem venit. conſulti augures, vitioſum videri dictatorem pronuntiauerunt. Res ad interregnum rediit. Liuius. Vterque horum ante conſulatum geſſit.

DE COS. AN. CDXXVII.

C. POETELIVM, L. Papirium cos. in hunc annum edit Liuius: C. Pœtelium III, L. Papirium Mugillanum Caſſiodorus. Meminit horum etiam Solinus cap. XXXV, cum

cum ait, L. Papirio Sp. F. C. Pœtelio C. F.* Alexandria condita eſt. Papirium Liuius Mugillanum vocat ille quidem; ſed in aliis tamen annalibus Curſorem ſe inuenire ait. Itaque ego etiam hunc Curſorem appello, tum vt numerus conſulatuum ſequentium, qui in tabulis Capitolinis ſunt, conſtet; tum etiã quia Liuius anno CDXXXIII iterum cõſulem Curſorem vocat: cum tamen, quando primum fuerit, non appareat, niſi eum hoc anno fuiſſe ſtatuas. idque tanto libentius, quod in faſtis Siculis Libonem & Curſorem comparatos inuenio. C. Pœtelius II, non III, ſcribendus eſt. non enim eſt idem qui conſul fuit anno CCCXCIII; ſed eius filius. Cum Samnitibus, quibus vt apertis hoſtibus bellum indictum erat, res bene a conſulibus geſta.

De triumpho Qu. Publilij Philonis primi procos. de Palæpolitaneis.

Pvblilio decretum eſſe triumphum ſcribit Liuius de Palæpolitaneis; quod ſa[illegible]edebatur obſidione domitos hoſtes in fidem veniſſe. Addit etiam, duo hæc ſingularia [illegible] contigiſſe, prorogationem imperij non ante in vllo factam, & acto honore triumphum. ſiquidem (vt diximus) actum cum tribunis pl. erat, ad populum ferrent, vt cum Publilius conſulatu abiiſſet, pro conſule rem gereret, quoad debellatum cum Græcis eſſet. Itaq; videmus etiam notatum in Capitolina tabula, Publilium primum pro conſule triumphaſſe. De procõſulari imperio diximus in ſcholiis Liuianis.

DE COS. AN. CDXXVIII.

Consvles ſuggerit Liuius & Caſſiodorus L. Furium Camillum II, Iuniũ Brutum Scæuam: Diodorus L. Furium, D. Iunium: Camillum & Brutum faſti Siculi. Camillo Samnium, Bruto Veſtini, qui ſe Samnitibus cõiunxerant, prouincia euenit.

De L. Papirio Curſore dictatore, ſine cos. an. CDXXIX, *& triumpho eius de Samnitibus.*

L. Fvrivm, cui Samnium prouincia euenerat, morbo implicitum, fortuna bello ſubtraxit. iuſſusq; dictatorem dicere rei gerendæ cauſſa, dixit L. Papiriũ Curſorem longe clariſſimũ bello ea tempeſtate: a quo Q. Fabius Maximus Rullianus magiſter eq. dictus eſt. Huic poſtea Curſor, quia iniuſſu ſuo, ſe Romam ad auſpicia repetenda profecto, cum Samnitibus proſpere pugnarat, magiſterium equitum abrogauit, & in eius locum L. Papirium Craſſum ſibi cooptauit. Hæc Liuius, Eutropius, Valerius lib. II, & is qui ſcripſit de viris illuſtribus. L. Papirium Craſſum eſſe opinor eum, cuius dictatoris ante hic Curſor magiſter eq. fuit. Q. Fabius ex ſequentibus magiſtratibus Capitolinis deſcriptus eſt, M. Fabij Ambuſti, qui ter conſul & dictator fuerat, filius, Liuio, & Plinio libro VII cap. XLI, teſtibus. Ac Liuius quidem ita loquitur, vt eodem anno Papirium dictatorem fuiſſe intelligat, quo conſules fuerunt Camillus & Brutus. fuerunt autem anno ab vrbe condita CDXXIIX. Ego autem cum L. Papirium dictatorem de Samnitibus triumphaſſe anno CDXXIX ſcriptum inueniam in tabulis Capitolinis, earum auctoritatem ſequutus, L. Papirium dictatorem in hunc annum conieci. quod ei neceſſario faciendum eſt, qui Capitolinam annorum ſummam tueri velit. Nam ſi Philo procos. triumphauit anno CDXXVII de Palæpolitanis, L. autem Fuluius & Q. Fabius conſules anno CDXXXI, profecto L. Papirius dictaturam geſſit non anno CDXXIIX, ſed CDXXIX: idq; (vt puto) ſine conſulibus. neq; vero continuaſſe dictaturam eum dici poteſt; quia in triũpho dictator II ſcriberetur. Hunc autem annum, quo L. Papirius dictator ſine conſulibus fuit, ne Glareanus quidem & Haloander omiſerunt. Dictatorem etiam L. Papirium Curſorem, fuſis fugatisque Sa[illegible]ſſe, auctor eſt Liuius, & ſcriptor libri de viris illuſtribus. Liuius tamẽ in priorem annum hunc triumphum cõiecit. Papirij Curſoris dictatoris cum Fabio Rullo magiſtro equitum aduerſus Samnites, Zonaras etiam meminit.

DE COS. AN. CDXXX.

L. Papirivs dictator, priuſquam dictatura ſe abdicaret, conſules creauit C. Sulpicium Longum II, Q. Æmilium Cerretanum. Auliũ quidam annales habent. Hæc

Liuius. Fasti item Siculi Longum & Cerretanum habẽt. Q. Aulius. Q. F. AI. N. Cerretanus, est magister equitum anno CDXXXVIII, in tabulis Capitolinis. Cassiodorus Αἴλιον mendose pro Αὔλιον edit. Sulpicio Samnites; Apulia, nouum bellum, Aulio euenit. Nulla res memorabilis acta.

DE COS. AN. CDXXXI.

Q. FABIVM, L. Fuluium, consules in hunc annum produnt Liuius & Cassiodorus: quos Q. Fabium Maximum Rullianum, L. Fuluium Curuum nominant Capitolini triumphi. Itaq; miror in fastis Siculis suggeri Cursorem & Syllam.

De A. Cornelio Cosso Aruina dictatore, & triumphis Qu. Fabij & L. Fuluij cos. de Samnitibus.

A. CORNELIVS Aruina dictator, & M. Fabius Ambustus magister eq. exercitum aduersus Samnites duxerunt, remq; bene gesserunt. dictator ex senatus consulto triumphauit. Hoc bellum a consulibus bellatum quidam auctores sunt, eosque de Samnitibus triumphasse. nec discrepat quin dictator eo anno A. Cornelius fuerit; id ambigitur, belline gerendi caussa creatus sit, an vt esset qui ludis Romanis, quia L. Plautius prætor graui morbo forte implicitus erat, signum mittendis quadrigis daret, functusque eo haud sane memorandi imperij ministerio, se dictatura abdicaret: nec facile est aut rem rei, aut auctorem auctori præferre. Hæc Liuius. Alios annales Capitolini scriptores sequuti sunt, quod ad consules, non ad dictatorem triumphos contulerunt. Quæ caussa effecit vt ipse hoc anno dictatorem ludorum Rom. caussa creatum, non rei gerẽdæ, scripserim. Summi magistratus munus fuisse signum dare mittendis quadrigis, ostendit idem Liuius lib. XLV, cum ait; A. D. X. K. Octobr. ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio consuli, ad quadrigas mittendas exscendenti, tabellarius reddidisse laureatas literas dicitur. quadrigis missis, consul currum conscendit. Ludi autem Romani primi Romæ instituti sunt L. Tarquinio Prisco regnante; vt Liuius lib. I. L. Tarquinius Priscus, præda ex Latinis maiore quam quanta belli fama fuerat, reuecta, ludos opulentius instructiusque quam priores reges fecit. Tunc primum circo, qui nunc Maximus dicitur, designatus locus est: loca diuisa patribus equitibusq;, vbi spectacula sibi quisq; fecerunt; fori appellati. spectauere furcis, duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes. Ludicrum fuit, equi pugilesq; ex Etruria acciti. solennes deinde annui mansere ludi Romani; Magniq; varie appellati. Horum ludorum curam mandatam fuisse ædilibus curulibus, vt plebeiorum ludorum plebeijs ædilibus commissa fuerat, apparet ex Liuio lib. VI extremo, aliisque plurimis ex locis; atque etiam ex Cicerone in Verrem, qui ait; Nunc sum designatus ædilis; habeo rationem quid a populo Rom. acceperim. mihi ludos sanctissimos maxima cum cæremonia Cereri, Liberæ, Liberoque faciendos; mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt appellati, maxima cum dignitate ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæque esse faciendos. Fuerunt & alij ludi Magni votiui, itemque alij Megalenses appellati, bello secundo Punico instituti. Ceterum hoc anno (vt dixi) aliis a dictatore, aliis a consulibus cum Samnitibus bellatum esse, Fabium in Appuliam processisse, atque inde magnas prædas egisse, placuit: qui Capitolinos autem triumphos descripserunt, ij triumphasse consules, non dictatorem, voluerunt. quod a quibusdam traditum videtur Liuius improbare. Zonaras A. Cornelium dictatorem Samnites debellasse putat.

DE COS. AN. CDXXXII.

Hoc anno T. Veturium Caluinum, Sp. Postumium, consules iterum apud Liuium & Cassiodorum: Tiberium Caluinum & Sp. Postumium apud Zonaram: Caluinum & Albinum in fastis Siculis. Vtrumque II consulem fuisse docet Cicero, qui tertio de Off. scribit; At vero T. Veturius & Sp. Postumius, cum iterum consules essent, quia cum male pugnatum apud Caudium esset, legionibus nostris sub iugum missis, pacem cum Samnitibus fecerunt, dediti sunt. Hoc idem scribit Liuius, Eutropius, Orosius, auctor libri de viris illustribus. Id C. Pontio duce factum est.

De Qu. Fabio Ambusto, M. Aemilio Papo dictatoribus.

Consvles domum reuersi, postquam sub iugum a Samnitibus missi fuerunt, & fœdus turpe fecerunt, in priuato abditi, nihil pro magistratu agere, nisi quod expressum senatus consulto est, vt dictatorem dicerent comitiorum caussa. Q. Fabium Ambustum dixerunt: is P. Æmilium Pætum magistrum eq. dixit. Q. autem Fabio & P. Ælio vitio creatis suffectus est M. Æmilius Papus dictator, L. Valerius Flaccus magister eq. nec per eos comitia habita. Et quia tædebat populum omnium magistratuum eius anni, res ad interregnum rediit. Liuius.

DE COS. AN. CDXXXIII.

Q. Pvblilivs Philo, & L. Papirius Cursor II, consules fuerunt in hunc annum auctore Liuio & Cassiodoro: Cursor & Philo fastis Siculis. Philonem nunc III consulem esse, superiores consulatus ostendunt. Hoc anno Postumius & Veturius, qui turpe fœdus ad Caudium spoponderunt, Samnitibus dediti, nec recepti. atque ita solutis religione Romanis, bellum rursus Samnitibus indictum. Liuius.

De dictatoribus tribus eiusdem anni.

Ex fragmentis Capitolinis apparet tres hoc anno dictatores, cum tribus magistris equitum creatos. verum cur facti aut suffecti sint, parum liquet. Non est autem dubium quin primi sint C. Mainius, M. Fossius; quod eos II fuisse, in tabulis Capitolinis scriptum sit anno CDXXXIX. Qui etiam sequuntur eos, L. Cornelium Lentulum, & L. Papirium Cursorem cõsulis Cursoris filium esse, perspicuum est. de quibus Liuius ait ambigi, an ipsi res ad Caudium, atque inde ad Luceriam gesserint, & de Samnitibus triumphauerint; an consulis Papirij præcipuum decus id fuerit. Postremos, T. Manlium Torquatũ, qui iam bis dictator, & ter consul fuerat, & L. ipsum Papirium Crassum esse arbitratus sum, qui haud ita multo post censor erit. Primos autem rei gerendæ caussa creatos, quod vitio facti essent, abdicasse: secundos, rei gerendæ caussa suffectos (id enim tradit Liuius) tertios, his abdicatis, comitiorum caussa factos existimo. in fragmento autem ita est:

C. MA=
M. FOS=

L. CORN=
L. PAPIRIV=

T. MANLI=
L. PAPIRIV=

DE COS. AN. CDXXXIIII.

Livivs ambigi ait Cursórne Papirius hoc annò cum Q. Æmilio Cerretano iterum ob rem bene gestam Luceriæ, continuato magistratu consul tertium creatus sit, an L. Papirius Mugillanus, & in cognomine erratum sit. Cassiodorus L. Papirium, Q. Aulium Cerretanum edit: Papirium & Cerretanum fasti Siculi. Cursorem autem, nõ Mugillanum probat Capitolinus eius triumphus. Alios annales sequuti sunt ij qui librum quem citat Cuspinianus, scripserunt, in quo est, Mugillanus III, & Cerretanus. quasi vero idem fuerit Mugillanus cum Cursore.

De triumpho II L. Papirij Cursoris cos. III, de Samnitibus.

Postquam Romanus exercitus a Samnitibus ad Caudium interclusus, sub iugum missus est, populus Rom. deditis turpissimæ pacis auctoribus, bellum renouauit; cumque fortissime dimicasset, Samnitibus superatis, atq; sub iugum missis, ignominiam ante acceptam acerrime vltus est. Itaque triumphatum de Samnitibus esse, nemo dissentit: at vero quo duce, aut quo anno, non conuenit. Liuius alios fuisse, qui scripserint anno superiore a L. Cornelio Lentulo dictatore triumphatum, ait; alios, qui a L. Papirio Cursore II consule; alios, qui a L. Papirio Cursore III consule, id est

hoc anno. ita enim ait; Inde ad triumphum decessisse Romam Papirium Cursorem scribunt, qui eo duce Luceriam receptam, Samnitesq; sub iugum missos, auctores sunt. Hos autem auctores sequutus est Eutropius, & ij quoq; qui Capitolinos triumphos digesserunt; a quibus triumphus de Samnitibus a L. Papirio Cursore consule III actus, in hunc annum est reiectus.

De Censoribus.

CENSORES item hoc anno fuisse, fragmenta Capitolina docent. Eorum alterum fuisse C. Sulpicium Longum virum consularem, ex fragmento Capirolino apparet. Lustrum autem ab his nullum esse factum puto. neque enim, si factum fuisset hoc anno, caussa fuisset cur sequenti proximo irerum fieret: quod ex Capirolinis monumentis apparet: præsertim vero cum inter duo lustra quatuor anni fere soleant intercedere. Credo autem censores, cum in hunc annum essent creati, aliqua tamen de caussa abdicasse, nec lustrum fecisse: atque ita sequenti anno creatos esse qui XXV fecerint. quo autem certo anno XXIIII factum sit, parum mihi compertum est. sed tamen cum inter lustrum XXIII & XXV amplius X anni intersint, profecto medio hoc interuallo, non extremo factum esse putauero. Lustra autem solennia per hæc tempora condita fuisse docet Liuius, qui in anni huius historia exponenda, cum de Alexandro Macedone loquitur, ait; Censebantur eius ætatis lustris ducena quinquagena millia ciuium.

DE COS. AN. CDXXXV.

NON erit cur in his XII sequentibus annis expoliendis valde elaboremus: præsertim vero cum vndiq; incorrupti & integri fasti cum triũphis Capitolinis ad nos peruenerint. Ii vero, & Liuius & Cassiodorus, in hunc annum cõsules edunt M. Foslium Flaccinatorem, L. Plautium Vennonem: Diodorus L. Plotium, Μάνιον Φέλβιον: Vennonem & Flaccum fasti Siculi. De Flaccinatore fit mentio etiam in secundo eius magisterio eq. Capitolino. Hoc anno Samnitibus induciæ biennij petentibus datæ: Apuli Theanenses, & Canusini, in deditionem venerunt. Liuius.

De censoribus, & lustro XXV.

L. PAPIRIVM L.F.M.N. Crassum, C. Mainium P.F.P.N. censores hoc anno lustrum condidisse XXV, scriptum est in Capitolinis tabulis. Eorum autem nec Liuius, nec alius quisquam, quod compererim, meminit; nisi Festus, cum ait, Mainiana dicta a censore Mainio; & Isidorus lib. XV; Mainius collega Crassi, in foro proiecit materias, quæ Mainiana dicta. Liuius tantum, cum hoc anno tribus duas additas ait, Vfentinam & Falerinam, eodem censores fuisse significat.

DE COS. AN. CDXXXVI.

CONSVLES suggerit Cassiodorus C. Iunium, Q. Æmilium: Liuius C. Iuniũ Bubulcum, Q. Æmilium Barbulam: Capitolinus lapis Q. Æmilium Barbulam, C. Iunium Bubulcum Brutum. Apulia perdomita, in Lucanos perrectum. inde repentino aduentu Æmilij consulis Nerulum vi captum. Liuius.

DE COS. AN. CDXXXVII.

DEINCEPS Sp. Nautium, M. Popillium consules edunt Liuius & Cassiodorus. Rutilus & Lænas eorum cognomina nobis a Capitolinis tabulis restituta sunt: quæ eadem exstant quoque in fastis Siculis.

De L. Aemilio Mamercino dictatore II.

LIVIVS dictatori L. Æmilio a consulibus legiones traditas scribit; eumque cum L. Fuluio magistro eq. Saticulam oppugnare adortum, rebellandi caussam Samnitibus dedisse. Hunc dictatorem in hunc annum conijciunt etiam Capitolini scriptores. ex quorum tabulis apparet, dictatoris cognomina esse, Mamercinum Priuernatem; magistri eq. Curuum. Fusi Samnites, spe abiecta tuendæ Saticulæ, Plistiam socios Romanorum circumsederunt. Liuius.

DE COS. AN. CDXXXVIII.

CONSVLVM huius anni nomina exciderunt apud Liuium. ea vero ſunt, L. Papirius IIII, Q. Publilius Philo IV; vt apud Caſſiodorum, & in tabulis Capitolinis, & in libro Cuſpiniani ſcriptum eſt, vbi eſt Curſor & Philo. Miror autem faſtis Siculis eſſe Curſorem & Læenatem.

De Qu. Fabio Maximo dictatore.

HIS cos. dictatorem Q. Fabium, magiſtrum eq. Q. Æmilium Cerretanum, cum Samnitibus pugnaſſe, auctor eſt Liuius. quamquam in aliis annalibus pro Æmilio Aulium ſe reperire ait: magiſtro autem eq. Aulio in prœlio occiſo, C. Fabium eſſe ſuffectum. Quæ omnia ſumma diligentia notata ſunt etiam in Capitolinis tabulis. Saticula Romani, Pliſtia Samnites potiuntur. Ad Soram, quæ ad Samnites defecerat, vis belli conuerſa eſt. Liuius.

DE COS. AN. CDXXXIX.

C. SVLPICIVM, M. Pœtelium, conſules memorat in hunc annum Liuius & Caſſiodorus: Diodorus autem C. Sulpiciũ, & Μάρκον Πόπλιον, mendoſe, pro Ποιτήλιον: Capitolini ſcriptores M. Pœtelium Libonem, C. Sulpicium Longum III: Siculi Longum & Σαμνιτῶν: ſed, vt puto, per mendum.

De C. Mainio dictatore II.

CVM omnia infida Romanis eſſent, Capuæ quoque occultæ principum coniurationes patefactæ ſunt. de quibus cum ad ſenatum relatum eſſet, quæſtiones decretæ; dictatoremque quæſtionibus exercendis dici placuit. C. Mænius dictus. is M. Foſlium magiſtrum equitum dixit. Hæc Liuius: a quo Capitolini auctores diſcrepant. non enim quæſtionum exercendarum, ſed rei gerendæ cauſſa creatum dictatorem C. Mænium ſcripſerunt.

De triumpho C. Sulpicij cos. de Samnitibus.

C. SVLPICIVM conſulem de Samnitibus triumphaſſe, inuenio in Capitolinis triumphis. de quo triumpho ne verbum quidem Liuius. ait enim Soram & Auſonam oppida, & Luceriam, quæ defecerant, recepta; Samnites prœlio victos Beneuentum perfugiſſe; conſules victoria parta, protinus inde ad Bouianum oppugnandum legiones duxiſſe, ibique hiberna egiſſe. Ex quibus verbis intelligi poteſt, aut vtrumque conſulem triumphaſſe, aut neutrum.

DE COS. AN. CDXL.

L. PAPIRIVM quintum, C. Iunium cos. in hunc annum edit Diodorus: Curſorem & Bubulcum faſti Siculi: Liuius autem & Caſſiodorus L. Papirium Curſorem V, C. Iunium Bubulcum II. Horum etiam conſulum meminit Feſtus libro XVIII. Triumuiri, inquit, M. Valerius Coruinus, D. Iunius Scæua, P. Fuluius Longus, ex ſenatus conſulto idibus Ian. L. Papirio Curſore, C. Iunio cos. Intelligit autem triumuiros qui hoc anno miſſi ſunt ad colonias deducendas Interamnam & Caſſinum: qua de re etiam Liuius.

De C. Pœtelio Libone dictatore.

C. POETELIVS dictator cum M. Foſlio magiſtro eq. a conſulibus exercitum accepit. Nola ſiue a Pœtelio dictatore, ſiue ab C. Iunio conſule, (nam vtrumq; traditur) capta eſt. Qui captæ decus Nolæ ad conſulem trahunt, adijciunt, Atinam & Calatiam ab eodem captas; Pœtelium autem, peſtilentia orta, claui figendi cauſſa dictatorem dictum. Ita Liuius. a quo Capitolinæ tabulæ in eo tantum diſſentiunt, quod pro M. Foſlio magiſtro eq. M. Pœtelium Libonem; neque claui figendi, ſed rei gerendæ cauſſa creatum dictatorem produnt.

DE COS. AN. CDXLI.

M. VALERIVM Maximum, P. Decium, conſules inſequutos eſſe Liuius; M. Valerium, P. Decium, Caſſiodorus ſcribunt. Meminit etiam horum Frontinus de

aquæductibus. Appia aqua (inquit) M. Valerio Maximo, P. Decio Mure consulibus, inducta est, annos triginta post initium belli Samnitici. P. Decium Murem post vocat Liuius: Maximum, & Murem, fasti Siculi.

De C. Sulpicio Longo dictatore.

ALTERO consule in Samnio reliquias belli persequente, P. Decius, qui grauiter æger Romæ restiterat, auctore senatu, ad belli Etrusci famam, dictatorem C. Iunium Bubulcum dixit. Neutri tamen finibus egressi. Ita Liuius. at Capitolini dictatorem C. Sulpicium Longum, magistrum eq. C. Iunium Bubulcum edunt. ex quo intelligi potest mendum esse apud Liuium, & librarium prætermisso C. Sulpicio, ad C. Iunium transcendisse. itaque apud Liuium legendum esse; P. Decius dictatorem C. Sulpicium, is magistrum eq. C. Iunium Bubulcum dixit.

De Censoribus, & lustro XXVI.

CENSORES in eundem annum prodit Liuius Ap. Claudium Crassum, cui postea cognomen Cæcus fuit; & C. Plautium: Capitolini scriptores Ap. Claudium Cæcum, C. Plautium Venocem. Ap. Claudij censoris meminit etiam Eutropius, Cassiodorus, Frontinus, & Cicero in Catone. Ap. Claudius Cæcus, inquit, censor ante superiorem consulatum fuit. & Diodorus; Appius cum magistratu se abdicasset, & senatus inuidiam caueret, se cæcum esse simulauit, & domi mansit. De cæcitate autem eius sic Liuius; Quia Appio auctore gens Potitia, cuius ad aram maximam Herculis familiare sacerdotium fuerat, seruos publicos ministerij delegandi caussa, solennia eius sacri docuerat, memori deûm ira post aliquot annos Appium tradunt luminibus captum. C. Plautium Venocem appellatum scribit Frontinus lib. I, ob inquisitas aquæ venas. quæ aqua ab Ap. Claudio collega in vrbem perducta, *Claudia* nominata est. Eosdem censores lustrum XXVI fecisse, scriptum est in tabulis Capitolinis. quod lustrum miror a Liuio esse prætermissum.

De triumpho M. Valerij Maximi cos. de Samnitibus.

EODEM anno M. Valerium consulem reliquias belli in Samnio persequutum esse, P. Decium ægrotasse, prodit Liuius, sine vlla cuiusquam triumphi mentione. at vero in Capitolinis tabulis exstat, M. Valerium de Samnitibus triumphasse. Itaq; nescio vnde acceperit is qui scripsit de viris illustribus, P. Decium Decij F. primo consulatu de Samnitibus triumphasse, & spolia Cereri consecrasse: præsertim vero cum Decium hoc anno ægrotasse Liuius scribat, nec inter Capitolinos Decianus vllus triumphus relatus sit.

DE COS. AN. CDXLII.

CONSVLES reperio hoc anno apud Liuium & Cassiodorum C. Iunium Bubulcum III, Q. Æmilium Barbulam II: apud Diodorum, C. Iunium, Q. Æmilium: in fastis Siculis Bubulcum & Barbulam. Eadem nomina sunt etiam in Capitolinis, quæ apud Liuium. Iunio Samnites, Æmilio Etrusci obuenerunt.

De triumphis C. Iunij Bubulci cos. III *de Samnitibus; Qu. Aemilij Barbulæ cos.* II *de Etruscis.*

C. IVNIVM Bubulcum consulem de Samnitibus, Q. Æmilium de Etruscis triumphasse, quod exstat in Capitolinis tabulis, mihi probatur; quamquam conniuente in tantæ rei mentione Liuio; quia Iunium in Samnitibus, Æmilium in Etruscis prospere rem gessisse; Cluuiam & Bouianum in Samnio captum, Satricum in Etruria oppugnatum scribit.

DE COS. AN. CDXLIII.

C. MARCIVS Rutilus, Q. Fabius consules in hunc annum sunt apud Liuium: apud Cassiodorum C. Marcius Rutilus, Q. Fabius II: apud Diodorum C. Marcius, Q. Fabius iterum: in fastis Siculis Rullus & Rutilus: Capitolinis Q. Fabius Maxim.

Rullian.

Rullian. II, C. Marcius Rutilus, qui postea Censorinus in secunda censura anno CDXCVIII appellatus est. Filius autem fuit (vt ait Liuius in an. CDLIX) C. Marcij, eius qui dictator primus de plebe iniussu senatus triumphauit anno CCCXCVII.

De L. Papirio Cursore dictatore II, anno CDXLIIII, *& triumpho eius de Samnitibus.*

Hoc loco annum interponunt Capitolini scriptores; quo L. Papirius Cursor II dictator, cum C. Iunio Bubulco II magistro equitum, summæ rerum sine consulibus præfuerunt. quem annum transcendit Liuius. scribit enim, L. Papirium Cursorem cum C. Iunio Bubulco magistro eq. Fabio & Marcio consulibus dictum, quod res non satis prospere a C. Marcio consule in Samnitibus essent gestæ. Liuium sequitur & Diodorus & Cassiodorus. nam superioribus consulibus Q. Fabium III, P. Decium II, consules suggerunt. L. autem Papirium Cursorem dictatorem de Samnitibus triumphasse, tradit Liuius ille quidem; sed triumphũ tamen eius in annum refert eum, quo Fabius Marciusq; consules fuerunt. quem hoc anno actum esse Capitolini scriptores memoriæ prodiderunt.

De triumpho Qu. Fabij Maximi procos. de Etruscis.

Livivs item Fabium in consulatu de Etruscis triumphasse scribit; cum in Capitolinis tabulis eum hoc anno pro consule triumphasse traditum sit. scriptor etiam libri de viris illustribus, Q. Fabium iterum de Samnitibus triumphasse testatur. Hoc anno Fabius trãs Ciminiam syluam profectus, ad Perusiam ita opes Etruscorum fregit, vt a Perusia, Crotona, & Arretio, legati pacem petentes venerint, atque inducias in triginta annos petierint, & impetrarint. ad Vadimonis vero lacum congressus, quod in acie roboris fuit, cecidit, castra cepit, diripuitque. Perusini induciarum fide rupta, a Fabio victi, vrbem dediderunt. Liuius.

DE COS. AN. CDXLV.

Fabio continuatum consulatum ob egregie domitam Etruriam, eundemque Decio collegam datum, prodit Liuius. Cassiodorus consules Q. Fabium III, P. Decium II profitetur: Diodorus P. Decium, Q. Fabium: fasti Siculi Murem & Rullum: Capitolini P. Decium Murem II, Q. Fabium Maximum Rullianum III. Decius in Etruscis rem gessit; Fabius e Samnio ad Vmbros mouentes se contulit, eosq; ad deditionem compulit.

DE COS. AN. CDXLVI.

Deinceps sequutos consules Ap. Claudium & L. Volumnium prodit Liuius, Cassiodorus, & Diodorus: Appium & Violentem fasti Siculi: Ap. Claudium Cæcum, L. Volumnium Flammam Violentem Capitolini. Ap. Claudium bis post censuram consulatum gessisse, auctor est Cicero in Catone. Eundem etiam censorem petiisse consulatum, comitiaq; eius ab L. Furio tribuno pl. interpellata, donec censura se abdicauit, se in quibusdam annalibus repperisse fatetur Liuius. Fabius pro consule cum Samnitibus rem gerit; Volumnius consul cum nouis hostibus Sallentinis.

De censoribus, & Lustro XXVII.

Hoc anno censores M. Valerium Maximum, & C. Iunium Bubulcum lustrum XXVII condidisse, exstat in Fastis Capitolinis. Liuio scripsisse satis fuit, ædem Salutis a C. Iunio Bubulco censore locatam, quam consul bello Samnitium vouerat: ab eodem, collegaque eius M. Valerio Maximo, censoribus, vias per agros publica impensa factas. quod etiam notauit Cassiodorus. His de censoribus sic Valerius lib II; M. Valerius Maximus, & C. Iunius Bubulcus Brutus censores, L. Antonium senatu mouerunt, quod quam virginem in matrimonium duxerat, repudiasset, nullo amicorum in consilium adhibito.

DE COS. AN. CDXLVII.

Consvles in hunc annum edunt P. Cornelium Aruinam, Q. Marcium Tremulum, Liuius & Cassiodorus: Q. Marcium, P. Cornelium Diodorus: Tremulum &

Aruinam fasti Siculi. Q. Marcius ex triumpho huius anni Capitolino descriptus est; P. Cornelius ex censura Capitolina anni CDLIX. Horum etiam consulum vestigia apparent in consulatu Capitolino. P. Cornelius in Samnitibus rem prospere gerit, Q. Marcius in Hernicis.

De P. Cornelio Scipione Barbato dictatore.

DICTATOREM idem annus habuit P. Cornelium Scipionem cum magistro eq. P. Decio Mure. ab iis, propter quæ creati erant, comitia consularia habita; quia neuter consulum potuerat bello abesse. Hæc Liuius. Scipio Barbatus, Cornelij; Mus, Decij cognomina, exstant etiam in fragmento Capitolinæ dictaturæ. Liuius quoque Cornelij Barbati pont. max. post meminit.

De triumpho Qu. Marcij Tremuli cos. de Hernicis.

Q. MARCIVS, cui bellum Hernicorum Anagninorum decretum erat, Hernicos trinis castris intra paucos dies exuit, & gentem in deditionem accepit, ac de Hernicis triumphans in Vrbem rediit; statuaque ei equestris in foro decreta est, quæ ante templum Castoris posita fuit; vt ait Liuius. quem triumphum etiam inter Capitolinos inuenimus. Itaque Plinius etiam lib. XXXIIII, sic scriptum reliquit; Ante ædem Castoris fuit Q. Marcij tremuli statua equestris togata; qui Samnites bis deuicerat, captaque Anagnia, populum stipendio liberauerat. & Cicero Philipp. VI; In foro L. Antonij statuam videmus; sicut illam Q. Tremuli, qui Hernicos deuicit, ante Castoris.

DE COS. AN. CDXLVIII.

L. POSTVMIVM, Ti. Minucium consules subijciunt Liuius, Cassiodorus, & Diodorus: Megellum & Minucium fasti Siculi. Hos consules Piso Q. Fabio & P. Decio suggerit biennio exempto, quo Claudium Volumniumque, & Cornelium cum Marcio consules factos esse tradidimus, memoriá ne fugerit in annalibus digerendis, an consulto binos consules falsos ratus transcenderit, incertum est. Liuius. Addit idem; Minucium consulem in Samnites profectum, cum vulnere relatum in castra mortuum, quidam auctores sunt; & M. Fuluium consulem in eius locum suffectum. In hoc collegio Ti. Minucius Augurinus locum obtinuit plebeij consulis. argumento est, quod in eius demortui locum Fuluius plebeius suffectus sit. Minucij enim Augurini, patricij cum essent, ad plebem se contulerunt. auctor fuit L. Minucius tribunus pl. vndecimus, anno CCCXIIII; teste Liuio & Plinio. L. Postumius descriptus est ex secundi consulatus triumpho anni CDLIX. Hoc etiam anno Megellum Postumij cognomen; & Tiberium Minucij, Marcum Fuluij prænomina edit fragmentum Capitolinum. Fuluij cognomina fuerunt Curuus Pætinus; vt scriptum est in triumpho eius.

De triumpho M. Fuluij cos. de Samnitibus.

CONSVLES Minucium & Postumiũ in Samnites profectos, Bouiano capto magna gloria rerum gestarum triumphasse, ait Liuius ille quidem; sed ab aliis tamen traditum addit, Minucium consulem cum vulnere in castra relatũ mortuum; & M. Fuluium in eius locum suffectum, Bouianum cepisse. quos auctores qui triumphos Capitolinos descripserunt, sequuti sunt; præsertim cum duorũ consulum triumphos reticuerint, tertium M. Fuluij Curui Pætini consulis de Samnitibus adscripserint.

DE COS. AN. CDXLIX.

CONSVLES insequuti sunt P. Sulpicius Sauerrio, P. Sempronius Sophus. auctores Liuius & Cassiodorus. apud Diodorum, P. Sulpicius, P. Sempronius: in fastis Siculis Sempronius & Sauerrio. Horum consulum meminit Plin. lib. XXXIII: Annulos quoq;, inquit, depositos a nobilitate, in annales relatum est, non a senatu vniuerso. Hoc actum P. Sempronio Longo, P. Sulpicio cos. anno vrbis conditæ CDXLIIX. Hi consules ex triumphis eorum Capitolinis descripti sunt. in cõsulatu enim tantum exstat cognomen Sempronij, Sophus; & prænomen Sulpicij, Publius.

De

De censoribus, & lustro XXVIII.

CENSORES in hunc annum vna cum Capitolinis tabulis conijcit Liuius P. Decium & Q. Fabium. De Fabio autem ita tradit; Fabius simul concordiæ caussa, simul se humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus coniecit, vrbanasq; eas appellauit. adeoque eam rem acceptam gratis animis ferunt, vt *Maximi* cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret. Eandem caussam tradit etiam Plutarchus in Pompeio, & Valerius lib. I I, cap. I, vbi horum censorum meminit. De censura & cognomine Fabij, idem est in lib. de viris illustr. Cum autem Maximus in hoc honore dictus sit, mirum videtur cur in prioribus magistratibus hoc cognomine a Liuio & a Capitolinis scriptoribus affectus sit. Ab his censoribus lustrum XXVII conditum, ex sequentibus lustris apparet.

De triumphis P. Sempronij Sophi cos. de Aequis, P. Sulpicij Sauerrionis cos. de Samnitibus.

P. SEMPRONIVM cõsulem de Æquis, P. Sulpicium de Samnitibus triumphasse, video scriptũ esse in Capitolinis tabulis. Quæ res est mihi admirationi. Etenim Liuius hoc anno Samnitibus petentibus fœdus antiquum esse redditum tradit; ambos autem consules in Æquos profectos, eorum nomen prope ad internecionem deleuisse; deque iis triumphatum esse. Verba eius hæc sunt; Eo anno cum Samnium exercitus Romanus, P. Sempronio consule, benigne præbito commeatu peragrasset, fœdus antiquum Samnitibus petentibus redditum. Ad Æquos inde per multos annos sub specie infidæ pacis quietos versa arma; quod Samnitibus auxilia miserant, & post etiam ad eos desciuerant. Consules ambo, ad singulas vrbes circumferendo bello, XLI oppida intra dies IX omnia oppugnando ceperunt; nomenque Æquorum prope ad internecionem deletum; de Æquis triumphatum. Diodorus libro XX rem in Æquis gestam a P. Sempronio consule scribit, eumque triumphasse.

DE COS. AN. CDL.

L. GENVCIVM, Ser. Cornelium cõsules in hunc annum suggerunt Liuius, Cassiodorus, & Diodorus: Auentinensem & Lentulum fasti Siculi. Cornelio etiam cognomen Lentulum adijciunt Capitolini scriptores. Ne Romani prorsus imbellem gererent annum, parua expeditio in Vmbria facta est; quod nuntiabatur, ex spelunca quadam excursiones armatorum in agros fieri. fumo ac pauore ad duo millia armatorum, ruentia nouissime in ipsas flammas, dum euadere tendunt, absumpta. Liuius.

DE COS. AN. CDLI.

CONSVLES hoc anno nominat Liuius M. Liuium, C. Æmilium: Cassiodorus M. Liuium, L. Æmilium: Diodorus M. Liuium, M. Æmilium. De prænomine Æmilij credo potius Diodoro, quam ceteris: præsertim vero cum apud Liuium mentio sit anno sequenti M. Æmilij Pauli magistri eq. quem eundem cum hoc consule esse duxi. M. Liuius Denter scribitur in fastis Capitolinis: quod cognomen Liuiis adijcit etiam alio loco Liuius. Cuspiniani item liber Dentrem & Paullum, tamquam horum cognomina consulum, edit: Dentrem & Aimilium fasti Siculi.

De C. Iunio Bubulco dictatore, & triumpho eius de Aequis.

C. IVNIVM Bubulcum dictatorem cum magistro eq. M. Titinio rei gerendæ caussa, in hunc annum creatum prodit Liuius. Eius etiam dictatoris cognomina extant in Capitolinis tabulis, Bubulcus Brutus. Hac autem de re sic Liuius; Redintegratum Æquorum bellũ, tantum terrorem Romæ fecit, quia vix credibile erat tam affectis rebus solos per se Æquos ad bellum coortos, vt tumultus eius caussa dictator diceretur C. Iunius Bubulcus cum M. Titinio magistro equitum. profectus, primo congressu Æquos subegit, ac die octauo triumphans rediit; ædemque Salutis, quam consul vouerat, censor locauerat, dictator dedicauit. Hic idem secundus Bruti triumphus etiam inter Capitolinos relatus est.

De

De dictatoribus duobus anno CDLII.

Cvm faſtos Capitolinos perficerem, in multos incidi locos obſcuros atque difficiles; ſed nullus alius æque mihi difficilis & obſcurus viſus eſt, atq; hic ipſe, quem nũc tracto. In quo video Liuium a Capitolinis fragmentis diſſentire. & quia manca admodum ea fragmenta ſunt, quo modo, & qua de cauſſa diſſentiant, ſatis aſſequi coniectura non poſſum. Recitabo primum verba Liuij; deinde quid ipſe de iis iudicem, indicabo. Multiplex, inquit, deinde exortus terror. Etruriam rebellare nuntiabatur. Itaq; propter eum tumultum dictus M. Valerius Maximus dictator; magiſtrum equitum ſibi legit M. Æmilium Paullum. Id magis credo, quam Q. Fabium Maximum ea ætate atque eis honoribus Valerio ſubiectum. Ceterum ex Maximi communi cognomine ortum errorem, haud abnuerim. Et paulo infra; Prœlio ab dictatore commiſſo, fractæ iterum Etruſcorum opes. dictator triumphans in vrbem rediit: con[illegible] ex dictatura factus M. Valerius. Non petentem, atq; adeo abſentem etiam [illegible] credidere quidam. Et per interregem ea comitia facta. Id vnum non ambigitur, conſulatum cum Appuleio Panſa geſſiſſe. Hæc ille. In his verbis primum addubito, an eodem anno M. Valerius hic dictator fuerit, quo C. Iunius Bubulcus; an alio atq; alio. neq; enim Liuius hæc aperte diſtinguit. Hos igitur, etiamſi contra alij ſentiãt omnes, dicimus non eodem anno fuiſſe; verum annum interijciendum eſſe cenſemus; tribus de cauſis. primum, vt cõſtet ratio annorum qui notati ſunt in faſtis Capitolinis. Nam ſi C. Iunius Bubulcus dictator triumphauit anno CDLI, qui fieri poteſt vt Cn. Fuluius Centumalus conſul anno CDLV triumpharit, niſi annum hunc interſeramus? Deinde, quia fragmenta Capitolina oſtendere videntur dictatorem hoc anno ſine conſulibus fuiſſe. Poſtremo, vt cõſtent verba Ciceronis in Catone, qui ait inter duos Ap. Cæci conſulatus decem annos interfuiſſe; qui tamen hoc exempto niſi nouem eſſe reperiuntur. Hac expoſita quæſtione, ſequitur altera, quæ me item maxime torquet; an vnus hoc anno, an duo dictatores fuerint. Ac ſane, ſi Liuium attendamus, vnum tantum dicemus fuiſſe, M. Valerium Maximum: ſin autem Capitolina fragmenta, duos, Q. Fabium Maximum, & M. Valerium Coruum. quod ita eſſe etiam probabimus. primum enim illæ literæ M.F.N.N. MAX. ad neminem alium referri poſſunt, quam ad Q. Fabium Maximum, quem M.F.N.N. Capitolini ſcriptores nuncupant. nam M. Valerium Maximum M.F.M.N. appellant. Deinde vero, obſeruatio Capitolinæ ſcripturæ, docet illam ſyllabam MAX. potius cognominis eſſe Q. Fabij, quam M. Valerij. etenim in M. Valerio integra ſcripta fuiſſet, cui nullum aliud cognomen addendum erat: at in Fabio, quia ſequebatur etiam, RVLLIANVS, compendioſa ſcriptura opus fuit. Accedit, quod Liuius ait, annales aliquot pro M. Æmilio Q. Fabium Maximum magiſtrum eq. prodere; ſe autem putare ex communi Maximi cognomine natum eſſe errorem. Quæ verba abſurdam continebunt ſententiam, ſi ea ita vt ſcripta ſunt, interpretabimur. quo enim modo commune Maximi cognomen fuerit in Æmilio Paullo & Q. Fabio, non video. Itaque diſceptationem eam potius fuiſſe arbitror, an M. Valerius Maximus, an Q. Fabius Maximus dictator fuerit; eamque (vt ille ait) ex communi Maximi cognomine eſſe ortam puto. Quapropter Q. Fabium Maximum potius, quam M. Valerium Maximum dictatorem fuiſſe, credendum eſt. At vero quis alter fuerit dictator, in diſquiſitionem venire merito poteſt. Ac certe æquum videri pleriſque poſſet, vt quoniam M. Valerium Maximum vel inuito fortaſſe Liuio ex priore dictatura deiecimus, ei ſaltem alteram relinqueremus. Quod ne fieri quidem etiam poſſe oſtẽdo. Primum aũt, quod ad illas litteras attinet, quæ in Capitolino fragmento ſunt, M.F.M.N. ſciendum eſt illas referri promiſcue poſſe ad duos virtute hoc maxime tempore florẽtes viros, M. Valerium Maximum, & M. Valerium Coruum. vtrumque enim eorum M.F.M.N. Capitolinæ tabulæ nominant. at vero fragmentum triumphi hoc anno acti, omnino Valerium Maximum reſpuit, Valerium Coruum patitur, & probat: in quo eſt ita; = IV. DICT. II. DE. = Significat autem M. hunc Valerium, cuius triumphus deſcribebatur, quartũm triumphaſſe, iterum dictatorem fuiſſe. Quæ cum nullo modo transferri poſſint ad Maximum, Coruo quidem ita conueniunt, vt ne aptius quidem poſſint. Hic enim

ſemel

ſemel ante dictator fuit, ter triumphauit: Maximus autem, nunquam ante dictator, ſemel triumphauit. Deinde, cum Liuius addat, M. Valerium ex dictatura conſulem factum cum Q. Appuleio; qui vero cum Q. Appuleio factus ſit, is M. Valerius Coruus ſit, profecto qui dictator eſt, eum Coruum eſſe, non Maximum, neceſſe eſt. Quod autem Coruus cum Q. Appuleio conſul fuerit, paulo poſt apertius oſtendam. Ergo cum M. Valerius Coruus dictator fuerit, magiſtrum autem equitum habuerit, nec is, qui fuerit, conſtet, ego coniectura vſus, ex illis ſyllabis quæ ſunt in fragmento Capitolino accepta, ONIVS, P. SEMPRONIVM Sophum eſſe ratus ſum: cuius nomen per hæc tempora fuit celeberrimum. Quæ autem de duobus dictatoribus hoc anno, Coruo & Fabio Maximo ſcripſi, ea confirmantur etiam auctoritate veteris libri Cuſpiniani, in quo eſt ita;

DENTRE, ET PAVLO.
CORVO II, ET RVLLIANO.
CORVO V, ET PANSA.

Nam Denter & Paullus, conſules ſunt; quibus ſubiecti ſunt in annum vnum duo dictatores, Coruus II, & Rullianus: vel vnus dictator Coruus, cum magiſtro eq. Rulliano. deinceps in tertium annum ſequuntur conſules Coruus V, & Panſa. neque vero Coruus conſul eſſe poteſt cum Rulliano, quia nec id traditur: neque II, ſed V eſſet ſcribendus. Ex his quæ dixi apparet, eos qui fragmenta Capitolina ordinarunt, non recte hoc fragmentum diſpoſuiſſe, cum ſuperiori fragmento antepoſuerint.

De triumpho II M. Valerij Corui dict. II, de Etruſcis.

HOC anno prœlio fractæ iterum Etruſcorum opes; pax negata, induciæ biennij datæ. dictator M. Valerius Maximus triumphans in vrbem rediit. Habeo auctores, ſine vllo memorabili prœlio pacatam ab dictatore Etruriam eſſe. Liuius. Huius triumphi veſtigia, quæ dixi, in Capitolinis tabulis exſtant. tribuitur autem (vt oſtendi) M. Valerio Coruo dictatori, non Maximo.

DE COS. AN. CDLIII.

LIVIVS & Caſſiodorus M. Liuio & M. Æmilio conſulibus conſules ſuggerunt M. Valerium, & Q. Appuleium Panſam. M. autem Valerium Maximum videtur intelligere Liuius; quod eum ex dictatura conſulem factum ait. Dictatorem autem M. Valerium Maximum aperte ſcribit. Nos autem vt ante pro Maximo Coruum dictatorem ſcripſimus, ſic hoc etiam loco Coruum conſulem, non Maximum facimus. primum, vt Coruus nunc ſit conſul quintùm apud Liuium, cum anno ſequenti certum ſit eum VI eſſe. deinde, quia faſti Cuſpiniani & Siculi id etiam affirmant, in quibus eſt, quod ad hunc annum pertinet; CORVO V, vel CORVINO, & PANSA. Valerius bellum haud memorabile aduerſus rebellantes Æquos geſſit: Appuleius in Vmbria Nequinum oppidum circumſedit.

DE COS. AN. CDLIIII.

IN hunc annum conſules profitentur Liuius, Caſſiodorus, M. Fuluium Pætum, T. Manlium Torquatum: Pætinum & Torquatum faſti Siculi. Liuius Q. Fabium conſulatum ſibi non petenti, oblatum ait recuſaſſe. T. Manlium Torquatum puto eſſe filium T. Manlij Torquati, quem pater T. Manlius, quod iniuſſu ſuo pugnauerat, interfecit. M. Fuluius Pætinus, ex triumpho Capitolino deſcriptus eſt. Ceterum T. Manlio conſuli Etruria, quæ aduerſus inducias bellum parabat, euenit. is autem vix dum ingreſſus hoſtium fines, cum exerceretur inter equites, ab rapido curſu circumagendo equo effuſus, extemplo prope exſpirauit. tertius ab eo caſu dies, finis vitæ fuit. M. Valerium conſulem omnes centuriæ dixere; quem ſenatus dictatorem iuſſurus erat. Hæc Liuius. M. autem Valerium Coruum intelligit. video enim ſcriptum eſſe apud Plutarchum in Mario, Valerio Coruo ſoli ad hanc diem ſextum conſulatum fuiſſe delatum. Cicero præterea in Catone, Plin. libro VII, Valerius lib. VIII, auctores ſunt, Valerium Coruum ad centeſimum annum vitam perduxiſſe,

atque inter primum & ſextum eius conſulatum XLVI annos interfuiſſe. quamquam Plutarchus XLV ſcribit. Idem hoc anno aduerſus Etruſcos miſſus, hoſtes elicere ad certamen non potuit.

De cenſoribus, & luſtro XXIX.

DE cenſoribus, & luſtro hoc anno condito, ſic Liuius; Et luſtrum eo anno conditum a P. Sempronio Sopho, & P. Sulpicio Sauerrione: tribusq; additæ duæ, Anienſis, & Terentina. Hoc luſtrum XXIX eſſe, ex XXX quod proxime ſequitur, intelligi poteſt.

De triumpho M. Fuluij Pætini cos. de Nequinatibus.

M. FVLVIVM conſulem de Samnitibus Nequinatibusq; triumphaſſe, cum inciſum ſit in Capitolinis tabulis, miror eſſe a Liuio prętermiſſum. Etenim eum Nequinum cepiſſe, & exercitum cum magna præda Romam deduxiſſe tantum aſcribi-. Samnites ille hoc etiam anno quieuiſſe intelligit ex fœdere icto anno CDXL.

DE COS. AN. CDLV.

DEINCEPS Cn. Fuluium & L. Cornelium Scipionem conſules prodit Caſſiodorus & Liuius: Maximum & Scipionem faſti Siculi. Cn. Fuluius ex triumpho Capitolino deſcriptus eſt. L. Cornelium Scipionem patrem eſſe arbitror L. Cornelij L. F. Cn. N. Scipionis, conſulis anno CDXCIIII.

De triumpho Cn. Fuluij Centumali cos. de Samnitibus & Etruſcis.

CN. Fuluium Centumalum Maximum conſulem de Samnitibus & Etruſcis triumphaſſe, reperio ſcriptum Capitolinis tabulis. Quod admirationem mouere poteſt; quia Liuius a Scipione conſule rem in Etruſcis geſtam ſcribit, nulla triumphi eius facta mentione. Cn. autem Fuluium bene re geſta de Samnitibus triumphaſſe, quibus bellum indictum erat, quod Lucanis ſociis Rom. quos ad ſocietatem armorum perlicere non poſſent, arma intulerant, ac fines eorum populati erant.

DE COS. AN. CDLVI.

HIC annus conſules habuit Q. Fabium Maximum IIII, P. Decium Murem III. Porro autem Q. Fabium non petentem, ac recuſantem conſulem factum, ſcribit Liuius. Eadem nomina ſunt etiam apud Caſſiodorũ: cognomina in faſtis Siculis. Samnites cum Etruſcis arma coniunxiſſe, fama fuit. Etruſcis autem quieſcentibus, cum Samnitibus ab vtroque conſule proſpere pugnatum eſt.

DE COS. AN. CDLVII.

L. VOLVMNIVS de plebe, Ap. Claudius ex patribus conſul in hunc annum factus: qui priore conſulatu inter ſe item comparati fuerunt. Liuius, & Caſſiodorus. In faſtis etiam Siculis eſt Claudius & Violens. Cicero autem in Catone auctor eſt, inter duos Ap. Cæci conſulatus annos decem interfuiſſe. Hoc anno Fabius & Decius, prorogato in ſex menſes imperio, multa Samnitum oppida ceperunt. ſunt tamen quidam qui nouorum conſulum eam gloriam faciant: alij non amborum, ſed alterius L. Volumnij, cui Samnium prouincia euenerat. is certe in Samnio atque in Etruria, cum ad Claudium collegam ſe cum exercitu contuliſſet, proſpere pugnauit.

DE COS. AN. CDLVIII.

DEINCEPS ſubſequutos cõſules eſſe Q. Fabium V, P. Decium IIII, qui iam duobus conſulatibus & cenſura collegæ fuerant, auctor eſt Liuius, & Caſſiodorus: Rullum & Murem faſti Siculi. Quorum conſulum meminit etiam in an. DXXXIX Liuius, cum ait; Referebant ſenes, ſic Maximum Rullum cum P. Decio ad bellum Gallicum conſules declaratos. Valerius lib. V, Fabium Rullianum V cõſulem memorat. Plutarchus hunc Q. Maximi cunctatoris πρόπαππον vocat, & quinquies cõſulem fuiſſe, ac triumphos clariſſimos egiſſe. Liuius a M. Valerio, A. Cornelio cos. hunc eſſe annum XLVI ait. in quo a noſtra ſupputatione diſcedit.

De deuotione P. Decij cos. IIII, & triumpho Qu. Fabij Max. cos. V, de Samnitibus, Etruſcis & Gallis.

Hoc anno conſules Q. Fabius & P. Decius ad bellum profecti ſunt, quod Samnites, Galli, Etruſci, & Vmbri, collatis armis, grauiſſimum inferebāt. cum autem audiſſent apud hoſtes Samnitibus & Gallis delegatam pugnam, inter ipſum certamen Etruſcos Vmbroſq; caſtra Romana oppugnare iuſſos; Cn. Fuluio, vt ex Faliſco; L. Poſtumio, vt ex Vaticano agro exercitum ad Cluſium admoueant, ſummaque ope fines hoſtium depopulentur, ſcribūt. Ita Etruſcis ad ſuos fines tutandos reuocatis, Samnites Galloſq; in agro Sentinati iuſto certamine prouocant. in quo cum equitatus Romanus a Gallis, quibus oppoſitus erat Decius, in fugam verteretur, Decius exemplum patris ſequutus, qui bello Latino ad Veſerim ſe pro populo Rom. deuouerat, adhibito M. Liuio pontifice, pariter ſe deuouit, & morte ſua populo Rom. victoriam tradidit. Fabius caſtris Samnitum captis, atq; Egnatio hoſtium duce interfecto, Gallos a tergo circumuentos cecīdit. Hæc Liuius; qui idem paulo poſt adijcit, ita; Magna eius diei, quo in Sentinati agro bellatum, fama eſt, etiam vero ſtanti. ſed ſuperiecere quidam augendo fidem; qui in hoſtium exercitu peditum XL millia CCCXX; equitum ſex millia, mille carpentorum ſcripſere fuiſſe; ſcilicet cum Vmbris Tuſciſq; quos & ipſos pugnæ affuiſſe. & vt Romanorum quoque augerent copias, L. Volumnium proconſulem ducem conſulibus, exercitumque eius legionibus conſulum adijciunt. In pluribus annalibus duorum ea conſulum propria victoria eſt. Q. Fabius Deciano exercitu relicto in Etruria, ſuis legionibus deductis ad vrbem, de Gallis Etruſciſque & Samnitibus triumphauit: milites triumphantem ſequuti ſunt. De iiſdem populis triumphatum eſſe, ſcriptum eſt etiā in tabulis Capitolinis: quamquam in libro de viris illuſtr. proditum eſt, Q. Fabium tertio de Gallis, Vmbris, Marſis, & Tuſcis triumphaſſe, nulla Samnitum facta mentione. Deuotionem Decianam, & victoriam Fabianam, omnes hiſtorici, Oroſius, Florus, Cicero in II de finib. & in Catone, memoriæ mandarunt.

DE COS. AN. CDLIX.

Inseqvvti deinceps conſules ſunt L. Poſtumius Megellus, M. Atilius Regulus. auctor Liuius & Caſſiodorus. vtrumque ex Capitolino ipſo eorum triumpho deſcripſi. in conſulatu enim tantum exſtant parua fragmenta cognominum Megelli & Reguli; quæ expreſſa ſunt in faſtis Siculis.

De Cenſoribus, & luſtro XXX.

Censores hoc anno luſtrum XXX condidiſſe, ſcriptum eſt in tabulis Capitolinis. Liuius horum meminit in anno ſequenti, ita; Luſtrum conditum eſt eo anno a P. Cornelio Aruina, & C. Marcio Rutilo cēſoribus. Idem tamen, qui in inſequentem annum luſtrū reiecit, hoc anno de C. Marcio loquens, patrem nominat eius qui tunc cenſor erat. ex quo intelligi poteſt, cenſores hoc anno fuiſſe illos quidem, at poſtero luſtrum feciſſe. Idem Liuius hos cenſores viceſimos ſextos a primis, & luſtrum hoc vndeuiceſimū numerat. Ex quo perſpici licet, aliquot nos cenſores ſcriptoris eius incuria amiſiſſe. Quod autem in Capitolinis tabulis hoc luſtrum XXX ſit, non XIX, vt a Liuio ſcribitur, obſcura cauſa eſt. Ego, niſi in numerorum notis XXIX & XIX menda ſit, luſtra eum vndecim præterire, alios ſequutum annales, putauerim. Ceterū vt C. Marcius poſtea Cenſorinus appellatus ſit, in ſecunda eius cenſura dicemus.

De triumphis L. Poſtumij Megelli cos. de Samnitibus & Etruſcis, M. Atilij Reguli cos. de Volſonibus & Samnitibus.

Livivs affert diuerſas horum de conſulum triumphis ſententias. Eius a nobis verbis expoſitis, facile quid ipſe, quid ceteri ſenſerint, apparebit. Re ab ambobus conſulibus in Samnitibus geſta, Atilius, inquit, comitiorum cauſſa Romam profectus eſt. cui de triumpho agēti, negatus honos, & ob amiſſa in Samnio ſeptem millia militum & tercentos, & quod captiuos ſine pactione ad Luceriā in Apulia ſub iugum miſiſſet.

Postumius re primum in Samnitibus, post in Etruscis bene gesta, auxilio tribunorum pl. trium, contra septem tribunorum intercessionem, & repugnantem senatum, vix triumphauit. obstabat enim quod tardius ab vrbe valetudinis caussa exisset, & quod iniussu senatus ex Samnio in Etruriam transisset. Huius tamen anni parũ constans memoria est. Postumiũ auctor est Claudius in Samnio captis aliquot vrbibus, in Apulia fusum fugatumque, saucium ipsum cum paucis Luceriam compulsum; ab Atilio in Etruria res gestas, eumque triumphasse. Fabius ambos consules in Samnio, & ad Luceriam res gessisse scribit; traductumque in Etruriam exercitum: sed ab vtro consule, non adiecit: & ad Luceriam vtrimque multos occisos. Hæc Liuius. ex Capitolinis tabulis apparet, L. Postumio de Samnitibus & Etruscis, M. Atilio de Volsonibus & Samnitibus triumphum esse decretum. ita vt ille & in Samnio, & in Etruria; hic, & in Samnio, & in Apulia ad Luceriam (hos enim Volsones vocant) rem gesserit. M. Atilium Regulum consulem æquo Marte cum Samnitibus pugnasse scribit Zonaras.

DE COS. AN. CDLX.

In hunc annum consules fuerunt L. Papirius Cursor, & Sp. Caruilius, auctore Liuio & Cassiodoro: Cursor & Maximus fastis Siculis. Lapis Capitolinus Papirij L. F. Sp. N. Cursoris meminit: quem Papirium Liuius L. Papirij Cursoris quinquies consulis filium tradit. De iis sic Plinius libro VII; Princeps Romanis solarium horologium statuit ante duodecim annos, quam cum Pyrrho bellatum est, ad ædem Quirini L. Papirius Cursor, cum eandem dedicaret a patre suo votam; vt a Fabio Vestali proditur. Sp. Caruilij Q. F. Maximi meminit Liuius in anno CDLV; in quem annum eum ædilem curulem profitetur. Ita etiam Capitolinæ tabulæ. Eundem scribit Velleius lib. II, equestri loco natum, & nouum hominem ad summos honores populi Rom. suffragiis peruenisse.

De triumphis L. Papirij Cursoris, & Sp. Caruilij Max. consulum de Samnitibus.

Hoc anno L. Papirius cos. Samnitium exercitum, qui iureiurãdo obstrictus, quo maiore constantia virtutis pugnaret, ad bellũ venerat, fudit, atq; ingentem victoriam peperit. Itaq; de triumpho eius sic subijcit Liuius; Papirius consul de Samnio exercitũ deduxit. venienti Romam triumphus omnium consensu delatus est. triumphauit in magistratu insigni (vt illorum temporum erat) triumpho. Idem triumphus est etiam inter Capitolinos, & apud Zonaram. De Caruiliano autem triumpho ita Liuius: Sp. Caruilius re primum in Samnitibus, post in Etruria bene gesta, Faliscis annuis induciis datis, ad triumphum decessit, vt minus clarum de Samnitibus, quam collegæ triumphus fuerat, ita cumulo Etrusci belli æquatũ. De eodem sic Plinius lib. XXXIIII; Fecit & Sp. Caruilius Iouem qui est in Capitolio, victis Samnitibus sacrata lege pugnantibus. Eundem Sp. Caruilium de Samnitibus triumphasse, incisum est in tabulis Capitolinis. Pecuniam tantum in ærarium intulisse scribit Zonaras.

DE COS. AN. CDLXI.

Insequens annus consules habuit Q. Fabium Gurgitem, D. Iunium Brutum Scæuam, teste Liuio & Cassiodoro: Iunium Brutum, & Q. Fabium Maximum Zonara; Maximum & Scæuam fastis Cuspiniani; Brutum & Maximum Siculis. Fabium Q. Maximi Rulliani quinquies ante consulis filium Liuius, Plinius lib. VII, Capitolinæ tabulæ, & Zonaras prodiderunt. Brutum D. Iunij Bruti Scæuæ filium esse opinor, consulis anno CDXXVIII.

De re gesta cum Samnitibus & Faliscis.

Horum consulum res gestæ apud Liuium exciderunt. quo nos eas diligentius ex aliis annalibus conquisitas afferemus. sic igitur scriptum est in II Historiarum Zonaræ: Cum Samnites & Falisci Romanorũ opibus, vel pestilentiæ caussa, qua ciuitas laborabat, vel cõsulum, quos, vt pacatis temporibus, non ex virtute delegerant, contem-

contemptis mouissent, Romani Caruilium Iunio Bruto, Q. Fabio Maximũ Rullianum patrem legatum decreuerunt. Ac Brutus quidem Faliscis victis, & eorum & aliorum Tuscorum agros populatus est: Fabius autem, cum educere sine patre Roma copias, quod Samnites Campanum agrum populabundos inisse audierat, properasset, atque in speculatores quosdam hostium incidisset, vt eos pedem referentes vidit; exercitum vniuersum hostium fugientem ratus, vt ad se vniuersæ rei gloriam ante patris aduentum traheret, manum conserere festinauit. Incomposito vero profectus agmine, atque in confertos delapsus hostes, cum vniuerso exercitu cæsus fuisset, nisi nox superuenisset. multi tamen post periere; cum neque medicorum, neque aliarum opportunitatum copia esset; quod spe victoriæ momento temporis comparandæ, post se impedimenta reliquissent. Samnites autem eos postridie vniuersos cecidissent; nisi Fabium imperatoris patrem aduentare rati, recessissent. Quibus rebus Romam nuntiatis, populus Rom. indignatus, consulem ad supplicium ab exercitu reuocauit. Pater autem eius senex, rebus suis, & familiæ suæ gestis commemoratis, cum idem filium suum nihil maiorum suorum dignitate alienum facturum esse promitteret, atque cladem acceptam in ætatem transferret, populum placauit; & cum filio egressus, Samnites victos castris exuit: agrisque vastatis, prædam, quæ magna erat, partim in ærarium intulit, partim militibus disttribuit. Hæc Zonaras. Quæ eadem ab Eutropio video confirmari his verbis; Samnites reparato bello Q. Fabium Maximum vicerunt, tribus millibus hominum occisis: postea cum pater ei Fabius Maximus legatus datus fuisset, & Samnites vicit, & plurima eorum oppida cepit. & ab Orosio his; Fabius Gurges consul, male aduersus Samnites pugnauit. namque commisso prœlio, victus in vrbem refugit. Itaque cum senatus de * immouendo eo deliberaret, pater Fabius Maximus ignominiam filij deprecatus, legatum se filio iturum vltro obtulit; si illi depellendæ ignominiæ, & gerendi iterum belli facultas daretur. qua impetrata, prœlioque conserto, cum subito pugnantem filium consulem, insistente Pontio Samnitium duce, & infestis hostium telis conclusum videret, in medium se agmen pius senex equo vectus intulit. Quo facto permoti Romani, tota ibi incubuere acie, donec ipsum ducem Pontium deleto hostili exercitu victum oppressumque * viderunt. Cæsa sunt in eo prœlio Samnitium viginti millia, capta quatuor millia cum rege suo; tandemque Samniticum bellum, quod per XLIX annos multa Romanorum clade trahebatur, capti ducis destitutione finitum est. Hinc etiam illa sunt apud Valerium capite De institutis; Q. Fabius Maximus quinquies consul, vir iampridem summæ auctoritatis, & tunc vltimæ senectutis, a filio consule inuitatus, vt inter se & lictorem procederet, ne hostium Samnitium turba, ad quorum colloquium descendebant, elideretur, id facere noluit. Quod autem Valerius addit; *Idem a senatu legatus missus ad filium consulem Suessam:* turpem eius ἀνιστορησίαν ostendit; cum id Fabio Verrucosso contigerit, non Rulliano auctores omnes.

DE COS. AN. CDLXII.

CVM EX HOC consulatu Liuij libri x interciderint, quem locupletissimum auctorem huius historiæ hucusque habuimus, iamq; maximis prope annalium præsidiis destituti simus, Dionysij, Diodori, & Liuij; nemo est qui non intelligat, quantum nobis sit in posterũ laborandum in his magistratuum ac triumphorum tabulis & confirmandis & perficiendis. Itaq; abhinc Cassiodoro & Siculis fastis in primis auctoribus vtemur in annis per consules digerendis. neque vero interea, si quid ab aliis nobis adiumenti suppeditabitur, reijciemus. In hunc igitur annum creatos consules esse L. Postumium, & C. Iunium, scribit Cassiodorus; quorum cognomina, Megellum & Brutum Bubulcum, ne fasti quidem Cuspiniani & Siculi omiserunt. Itaque Liuius libro XXVIII horum ita meminit; L. Postumius Megellus interrex, iis comitiis quæ ipse habuit, cum C. Bubulco crearus est. L. Postumius ex binis superioribus consulatibus descriptus est. C. Iunius, filius est (vt puto) C. Iunij C. F. C. N. Bruti Bubulci consulis anno CDXL. Consulibus his quæ prouinciæ obuenerint, incompertum est. Nam Fabio Gurgiti pro consule prorogatum in Samnites

imperium eſt. Poſtumius autem conſul quietam videtur ſortitus eſſe prouinciam; quod milites in agris colendi cauſſa habuerit. qua de re ſequenti anno damnatus eſt. Sic enim ſcriptum eſt in Epitoma Liuianarum XI; L. Poſtumius cõſularis, quoniam, cum exercitui præeſſet, opera militum in agro ſuo vſus eſſet, damnatus. & apud Suidam. Poſtumius duobus conſulatibus, & generis ſplendore elatus, cum collegam plebeium eſſet nactus, in eum ſuperbius ſe geſſit, & milites in agro habuit. Collegam autem plebeium, opinor, Brutum intellexit. Cum ciuitas peſtilentia laboraret, miſſis legatis, vt Æſculapij ſignum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui ſe in nauem eorum contulerat, in quo ipſum numen eſſe conſtabat, deportauere; eoque in inſulam Tiberis egreſſo, eodem loco ædes Æſculapij conſtituta eſt. Epitoma XI; Valerius capite de miraculis.

De triumpho Qu. Fabij Maximi Gurgitis pro cos. de Samnitibus.

Hoc anno, qui eſt ab V.C. CDLXII, Maximum triumphaſſe, fragmenta triumphorum Capitolina indicant. is aũt eſt Q. Fabius Maximus Gurges; qui priore anno conſul, rem bene cum Samnitibus, patre adiuuante, geſſit, atq; hoc anno de iis pro cos. triumphauit. ſiquidem ſcriptum eſt apud Zonaram, victoria Fabiana de Samnitibus Romam nuntiata, & patri honorem habitum, & filio imperium in alterum annum, vt pro conſule bellum gereret, prorogatum: patrem autem, qui & tum legatus erat, omnia, ita tamen vt a filio geſta viderentur, adminiſtraſſe. quin etiam in Epitoma XI inuenio, Fabium filium, conſiliis & opera patris ſui adiutum, cæſis Samnitibus triumphaſſe; C. Pontium Samnitium imperatorem, ductũ in triumpho, ſecuri percuſſiſſe. & apud Valerium hæc ſunt; Fabius Rullianus, quinque conſulatibus ſumma cum gloria peractis, legatus ire Fabio Gurgiti filio, ad bellum difficile & periculoſum conficiendum, grauatus non eſt. Idem triumphantis currum equo inſidens ſequi, quem ipſe paruulum triumphis ſuis geſtauerat, in maxima voluptate poſuit.

DE COS. AN. CDLXIII.

In hunc annum conſules edit Caſſiodorus P. Cornelium Rufinum, M'. Curium Dentatum. pro quibus inuenio in faſtis Siculis Maximum III, & Murem VI: quos in annum CDLXXXVIII reijciendos puto. Horũ autem meminit Plinius lib. VII, cum inquit; P. Cornelius Rufus, qui cos. cum M'. Curio fuit, dormiens, oculorum viſum amiſit. & Velleius primo; Sabinis, inquit, ſine ſuffragio data ciuitas Curio & Rufino cos. Eutropius item M'. Curium Dentatum, & P. Cornelium Rufinum in hunc annum conſules commemorat. Rufini porro conſulis meminit & Plutarchus in Sylla. Cicero in Catone, M'. Curium conſulatum quinquennio cepiſſe poſt Decij filij deuotionem ſcribit. P. Cornelius, filius (vt puto) fuit P. Cornelij Rufini, dictatoris anno CDXIX. Curium *Dentatum* inde appellatum tradit Plinius lib. VII, quod cum dentibus natus eſſet. Idem ex quarto Capitolino triumpho deſcriptus eſt.

De re geſta cum Samnitibus, Lucanis, & Sabinis; & triumphis Rufini & Curij conſulum.

Hoc anno cum Samnitibus, Lucanis, & Sabinis, acie dimicatum eſt. Samnites veteres hoſtes erant: Lucanos & Sabinos, alios aliæ ad bellum cauſſæ, ſed parum nobis compertæ, incitarunt. Triumphaſſe autem Curium de omnibus, Rufinum de Samnitibus, verbis ſcriptorum expoſitis, demonſtrabo. Eutropius; Deinde P. Cornelius Rufinus, M'. Curius Dentatus, conſules ambo contra Samnites miſſi, ingentibus prœliis eos confecere. tum bellum cum Samnitibus per annos XLIX geſtum ſuſtulerunt. & in epitoma XI; Curius Dentatus conſul, Samnitibus cæſis, & Sabinis, qui rebellauerant, victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magiſtratu triumphauit. Cicero etiam in Catone, Curium de Samnitibus, Sabinis, & Pyrrho, ſcribit triumphaſſe. Sed de Pyrrho paulo poſt. Appuleius item Apologia prima, M'. Curium ter triumphum vna porta egiſſe, de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho ait. Plutarchus denique in Catone maiore, Curium ſcribit ter triumphaſſe. Nam ab eo etiam in

Sabinis rem proſpere geſtam eſſe, oſtendit Florus, cum ait; Populus R. a Latinis aggreſſus eſt gentem Sabinorum; qui immemores factæ ſub T. Tatio affinitatis, quodam contagio belli ſe Latinis adiunxerant. ſed Curio Dentato conſule, omnem eum tractum, qua Nar ambit, fonteſq; Velini Adriatico tenus mari, igne ferroque vaſtauit. qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in poteſtatem, vt in vtro plus eſſet, ne ipſe quidem poſſet exiſtimare qui vicerat. & Oroſius, cum inquit; Cum Sabinis Curio conſule bellum geſtum eſt; vbi quot millia hominum interfecta, quot capta ſint, ipſe conſul oſtendit, qui, cum in ſenatu magnitudinem acquiſiti agri Sabini, & multitudinem capti populi referre vellet, numerum explicare non potuit. De eodem Curio in Sabinis ſic Frontinus libro primo; M? Curius aduerſus Sabinos, qui ingenti exercitu conſcripto, relictis finibus ſuis noſtros occupauerant, occultis itineribus manum miſit; quæ deſolatos agros eorum vicoſque per diuerſa incendit. Sabini ad arcendam domeſticam vaſtitatem receſſerunt. Curio contigit & vacuos infeſtare hoſtium fines, & exercitum ſine prœlio auertere, ſparſumque cædere. Hinc etiam eſt quod Cicero libro IIII epiſt. ad Att. Lacum Velinum a M? Curio monte interciſo in Nar emiſſum ait: & quod Sabinis hoc anno ciuitatem datam ſine ſuffragio ſcribit Velleius. Eundem porro Curium eodem anno cum Lucanis ſecundo prœlio decertaſſe, inde intelligi poteſt, quod de iis ouans vrbem ingreſſus eſt. quod ex libro De viris illuſtribus liquet, in quo ita eſt; M? Curius Dentatus primo de Samnitibus triumphauit, quos vſque ad mare ſuperum pacauit. regreſſus, in concione dixit; Tantum agri cepi, vt ſolitudo futura fuerit, niſi tantum hominum cepiſſem; tantum porro hominum cepi, vt fame perituri fuerint, niſi tantum agri cepiſſem. Iterum de Sabinis triumphauit: tertio de Lucanis ouans introiuit vrbem. Hunc autem auctorem ſequutus, ouationis etiam memini, vt poſt, cum de Pyrrho triumphauit, quartum triumphauerit: quemadmodum in Capitolino eius triumpho inciſum eſt. Hoc autem tempore bellum geſtum eſſe cum Lucanis, docet etiam Epitoma XI; in qua ſic ſcriptũ eſt; Res aduerſus Lucanos geſtas continet; contra quos auxilium Tyrrhenis ferre placuerat. Significat autem, Romanos Tyrrhenorum cauſſa bellum ſuſcepiſſe contra Lucanos, vt ante Campanorum cauſſa contra Samnites. Bellum autem Lucanum, eodem anno quo & Tarentinum & Samniticum, qui poſt arma coniunxerant, eſt confectum. Hoc eſt autem tempus illud quo M? Curius ad focum ſedens, aurum offerentibus Samnitibus aſpernatus eſt; & malle ſe aurum habentibus imperare, quam aurum habere dixit. auctor Cicero in Catone, Plinius lib. X cap. V, Plutarchus in Catone maiore, & in Apophthegmatis. quamquam Athenæus aurum oblatum a Sabinis tradit libro decimo. Hæc de triumphis Curij. Rufini autem triumphi obſcurior multo memoria eſt. eum vero tradit Plinius lib. XXXIII, cap. XI, cum ait; Propter quinque pondo notatum a cenſoribus triumphalem ſenem, fabuloſum iam videtur. ſenem enim triumphalem vocat Rufinum; quem poſt ab Æmilio Fabricioque cenſoribus notatum ea de cauſſa, in eorum exponenda cenſura oſtendemus. Adijciam illud hoc loco, Samnites hoc demum anno bello fractos pacem petiiſſe, & cum iis fœdus quarto renouatum eſſe; de quo fœdere ſcriptum eſt in Epitoma XI ante res Curij geſtas, vt puto, præpoſtere. ſiquidem Eutropius his demum etiam conſulibus bellum Samniticum ſublatum eſſe teſtis eſt. neque veriſimile videtur, eos aut tam cito de fœdere deceſſuros, aut per tot annos ſine fœdere nouo quieturos fuiſſe. ſiquidem nouem poſt annis eoſdem cum Tarentinis defeciſſe conſtat.

DE COS. AN. CDLXIIII.

M. VALERIVS, Q. Cædicius, deinceps conſulatum ineunt auctore Caſſiodoro. quorum cognomina, CORVINVS & NOCTVA, vt ſunt in faſtis Cuſpiniani, ſic in Siculis prætereuntur. Eſt autem Coruinus, M. Valerij Corui, qui iam ſexies conſul fuit, ſine dubio filius: Noctua Cædicij cognomen: quem Cædicium patrem eſſe arbitror Q. Cædicij Q. F. Q. N. conſulis anno CDXCVII. Hoc (vt opinor) anno TRIVMVIRI CAPITALES primum creati: de quibus ſcriptum eſt in Epitoma XI. Per hos annos quieſcentibus Samnitibus, ſæpius cum Vulſinienſibus &

Lucanis pugnatum; verum quibus consulibus, aut quo euentu, parum compertum est. Hoc autem declarant verba Epit. XI hæc; Res contra Vulsinienses & Lucanos gestas continet.

De censoribus, & Lustro XXXI.

HOC anno censores fuisse, cum quinquennale spatium docet, tum verba Epitomæ XI; in qua post Curianum triumphum est ita; Census actus est: lustrum conditum: censa sunt ciuium capita CCXXIII millia. Censores qui fuerint, parum exploratum est. fuisse autem M'. Curium cum L. Papirio, consentaneum est. de quibus sic scripsit Frontinus in libro De aquæ ductibus: Vetus Anio, post annos XL quam Appia aqua, perducta est, anno ab V.C. CCCCLXXXIX. M'. Curius Dentatus, qui censuram cum L. Papirio Cursore gessit, Anionis, qui nunc dicitur Vetus, aquam perducendam in vrbem ex manubiis de Pyrrho captis curauit, Sp. Caruilio, L. Papirio cos. Scriptor autem libri De viris illustribus sic; Curius aquam Anienem e manubiis hostium in vrbem induxit. Videtur autem hic esse Frontini sensus; Curium Caruilio & Papirio cos. aquam ex manubiis Pyrrhi fortasse duumuirum perduxisse, cum multo ante cum L. Papirio censor fuisset. fit enim Curij duumuiri apud eundem mentio. Nam si in eum consulatum hos censores reijciamus, L. Papirium consulem & censorem eodem anno faciemus. Lustrum autem non hoc anno, sed postero conditum, vt in multis aliis animaduerti, puto.

DE COS. AN. CDLXV.

CASSIODORVS consules subrogatos in hunc annum scribit Q. Marcium, P. Cornelium; eos credo, qui anno CDXLVII collegæ fuerunt; quorum cognomina Tremulus & Aruina exstant in fastis Cuspiniani & Siculis. Consulum prouinciæ quæ fuerint, excidit. cum Lucanis tamen & Vulsiniensibus interea bellatum esse, ante ostendimus.

DE COS. AN. CDLXVI.

INSEQVENS annus consules habuit, auctore Cassiodoro, M. Marcellum, Sp. Nautium; Marcellum & Rutilum fastis Siculis & Cuspiniani. Marcellum filium esse puto M. Claudij Marcelli, consulis anno CDXXII: Sp. Nautium, Sp. Nautij Sp. F. Sp. N. Rutili, consulis an. CDXXXVI. Et horum consulum res gestæ desiderantur.

DE COS. AN. CDLXVII.

M. VALERIVM, C. Ælium, consules prodit in hunc annum Cassiodorus. Eorũ cognomina sunt in fastis Cuspiniani, Maximus & Pætus; Siculis, Potitus & Pætus.

De tertia secessione plebis, & Q. Hortensio dictatore.

PER hos annos populum R. ab externis difficilibus bellis quieuisse, seditione autem domestica laborasse, existimo. Huius rei secessionem plebis in montem Ianiculum, habeo testem; quæ hoc certe triennio facta est. cuius seditionis sedandæ caussa Q. Hortensium dictatorem creatum inuenio: verum quibus potissimum consulibus, exploratum non habeo. Illud vero dubium non est, quin post lustrum conditum dictus sit. siquidem post eius mentionem ita scriptum est in Epitoma XI; Plebs propter æs alienum, post graues & longas seditiones, ad vltimum secessit in Ianiculum: vnde a Q. Hortensio dictatore deducta est. isque in ipso magistratu decessit. Adijcit Zonaras, seditionem hoc tempore lege de nouis tabulis a tribunis plebis promulgata, & a creditoribus impedita, excitatam esse; neque ante compositam, quam hostes vrbem inuaserint. De eadem re sic scribit Augustinus libro tertio de ciuitate Dei; Post graues & longas Romanorum seditiones, ad vltimum plebs in Ianiculum hostili diremptione secessit. cuius mali tam dira calamitas fuit, vt eius rei caussa dictator creatus Hortensius sit: qui plebe reuocata, in eodem magistratu exspirauit; quod nulli dictatori ante contigerat. Idem etiam legem in hoc magistratu tulisse dicitur, de qua

de qua scriptum est apud Plinium libro XVI; Q. Hortensius dictator, cum plebes secessisset in Ianiculum, legem in Esculeto tulit, vt quod ea iussisset, omnes Quirites tenerent. Vnde scriptum est in primo libro Institutionum, Plebiscita lege Hortensia lata, non minus quam leges valere cœpisse. qua de re Gellius etiam libro XV, cap. XXVII. Hæc autem lex lata ante fuerat a Q. Publilio dictatore anno CDXIIII; sed forte non obseruata. Magistri equitum certum nomen, neque aliud quicquam de tanto plebis motu inuenire potui.

DE COS. AN. CDLXVIII.

CASSIODORVS consules suggerit C. Claudium, M. Æmilium: Caninam & Lepidum fasti Siculi & Cuspiniani; quorum illud Claudij, hoc Æmilij cognomen est. Horum consulum res gestæ ignorantur. Bruttios tamen hoc tempore cum Lucanis & Etruscis ad arma excitos hortatu Tarentinorum, sequentibus annis explanandis docebo.

DE COS. AN. CDLXIX.

C. SERVILIVM, L. Cælium consules edit in hunc annum Cassiodorus. Cælium tamen ego puto esse mendose pro Cæcilio. Cicero enim nouam gentem Cœliam vocat, & paucis ante se annis cōsulatum adeptam, pro Murena, cum ait; Quamquam ego putabam, Iudices, multis viris fortibus ignobilitas ne obijceretur, meo labore esse perfectum: qui non modo Curiis, Catonibus, Pompeijs, antiquis illis fortissimis viris, nouis hominibus; sed his recentibus, Marijs, Didijs, Cœlijs commemorandis iacebunt. Intelligit autem M'. Curium Dentatum, M. Porcium Catonem, Q. Pompeium, C. Marium, T. Didium, C. Cœlium Caldum; qui primi ex suis consulatum ceperunt. C. autem Cœlius anno DCLIX consul factus est. In fastis Siculis cognomina horum sunt Δέντων & Τύκκος; vtrumque, vt puto, mendose. *Dentrem* enim legendum existimo; quod, vt Liuiorum, sic etiam Cæciliorum fuisse accepimus. alij *Tuccam* Seruilio cognomen adijciunt.

De Censoribus.

QVINQVENNIVM absolutum postulat vt in hunc annum censores referantur. de quibus tamen nihil accepimus. Coniecturæ autem si dandus locus est, alter ex his fuit Sp. Caruilius C.F.C.N. Maximus, vir consularis ac triumphalis; quem Velleius lib. II, ad censuram etiam euectum a populo R. cum equestri esset loco natus, significat. Lustrum tamen ab his factum non esse, ex sequentibus lustris apparet. Collegæ eius patricij nomen ne colligere quidem diuinatione possumus.

De bello Gallico Senonico, & L. Cæcilio cos. cæso.

HOC anno Gallos Senonas bellum, quo funditus deleti sunt, excitasse, inde intelligi potest, quod & Polybius post decimum annum quam a Fabio V consule victi fuerant, arma mouisse ait; & quod id bellum L. Cæcilio duce, qui & in eo cécidit, gestum fertur; quem hoc anno consulem fuisse accepimus. Neque vero me mouent verba Orosij, qui postero anno, Dolabella & Domitio consulibus, illata a Gallis arma inquit. exarsisse enim tum bellum, quod hoc anno susceptum est, puto. De caussis porro huius belli, scriptum est ita in Epitoma XII; Cum legati Romanorum a Gallis Senonibus interfecti essent, bello ob id Gallis indicto, L. Cæcilius prætor cū legionibus ab iis cæsus est. & Orosius; Dolabella & Domitio cōsulibus, Lucani, Bruttii, Samnites quoque, cum Etruscis & Senonibus Gallis facta societate, cum rediuiuum contra Romanos bellum molirentur, Romani ad exorandos Gallos misere legatos, quos cum Galli interfecissent, Cæcilius prætor ob vlciscendam legatorum necem, & comprimendum multorum hostium impetum cum exercitu missus, ab Etruscis Gallisq; oppressus interiit. septem tribuni mil. cęsi; multi nobiles trucidari: XIII millia militum Ro. ibi bello prostrata sunt. Polybius autem aliquanto secus; qui Lucium ante cæsum quam legatos violatos ait. Post decimum (inquit) annum, quam cum Gallis ad Clusium pugnatum est, ijdem comparato ingenti exercitu in Etruriā

Arretium obſident. Romani cum Arretinis auxilio veniſſent, non longe ab vrbe acie conflixerunt. in qua pugna ſuperati ſunt, Lucio duce amiſſo. M'. Curium in eius locum ſuffecere. Hic ſtatim legatos in Galliam ad redimendos captiuos miſit; quos violato iure gentium Galli interfecere. Reliqua in poſterum annum referenda exiſtimo. Ex his apparet, bellum Gallicum hoc anno initum, & L. Cæcilio conſule, vt conſentaneum eſt, non prætore geſtum; & in eius locum M'. Curium conſulem eſſe ſubrogatum.

DE COS. AN. CDLXX.

P. CORNELIVM Dolabellam, Cn. Domitium conſules ſuggerit Caſſiodorus: Dolabellam & Caluum faſti Cuſpiniani: Dolabellam Maximum Siculi. Maximum autem Dolabellæ cognomen putant quidam: quod ex Gallici belli parta laude ſibi videtur comparaſſe. Hic eſt autem Cn. Domitius Cn. F. Caluinus, cuius ædilis curulis meminit Liuius in anno CDLV. Horum conſulum alij etiam meminerunt, vt Oroſius.

De re geſta cum Gallis a P. Dolabella cos. & triumpho eius.

GALLICI belli perfecti decus penes Dolabellam conſulem fuiſſe, nemo eſt qui neget. Significat hoc Eutropius, cum ait; Interiectis aliquot annis, iterum ſe Gallorum copiæ contra Romanos Tuſcis Samnitibuſque iunxerunt. ſed cum Romam tenderent, a P. Cornelio Dolabella conſule deletæ ſunt. Significat & Florus, cum inquit; Poſt aliquot annos, omnes reliquias Gallorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella deleuit; ne quis exſtaret in ea gente, qui incenſam a ſe Romam vrbem gloriaretur. Vnde inquit etiam Polybius; Romani nouo delectu habito, in Galliam penetrant. Quibus cum Senones Galli occurrerent, magno prœlio victi ſunt. iiſque e regione pulſis Romani Senam vrbem eorum coloniam deducunt. Boij autem, cum deletos Senones intelligerent, & ſuis rebus timerent, aduocatis Etruſcis, exercitum aduerſus Romanos eduxerunt; atque ad lacum Vadimonis congreſſi, pleriſque Etruſcis cæſis, ipſi vix euaſerunt. Quæ cum ita ſint, quamquam triumphaſſe Dolabellam conſulem nemo tradit, tamen quin tam glorioſa parta victoria triumpharit, neminem dubitare poſſe opinor. Hac enim victoria ab Æſi fluuio, quondam Italiæ termino, vſque ad Rubiconem, Italiæ fines producti ſunt. Ad hoc etiam bellum illa pertinere exiſtimo, quæ ſunt apud Suetonium in Tiberio; Liuius Druſus hoſtium duce Druſo cominus trucidato, ſibi poſteriſque ſuis cognomen inuenit. Traditur etiam pro prætore ex prouincia Gallia rettuliſſe aurum, Senonibus olim in obſidione Capitolij datum, nec (vt fama eſt) extortum a Camillo.

DE COS. AN. CDLXXI.

C. FABRICIVM, Q. Æmilium conſules ſubijcit Caſſiodorus; Luſcinum & Papum Siculi faſti. Horum autem ſic meminit Cicero in Lælio; Videmus Papum Æmilium C. Luſcino familiarem fuiſſe. ſic a patribus accepimus, bis vna conſules, & collegas in cenſura. Præterea C. Fabricij, & Q. Æmilij Papi meminit etiam Valerius capite de paupertate. Æmilium mendoſe Paulum vocat Plutarchus in Parallelis. Pater eſt L. Æmilij Q. F. Cn. N. Papi, conſulis anno DXXVIII. C. Fabricius deſcriptus eſt ex ſecundo ipſius Capitolino conſulatu.

De triumpho C. Fabricij Luſcini cos. de Etruſcis & Gallis.

C. FABRICIVM priore hoc conſulatu triumphaſſe, ex Capitolinis fragmentis colligo, primum, quia eundem conſulem iterum, triumphaſſe iterum ſcriptum eſt. deinde, quia veſtigia exſtant etiam prioris triumphi. nam ſyllabæ illæ EISQVE, quæ ſunt proxime ante triumphum Q. Marcij conſulis, ſine dubio pertinent ad C. Fabricium; qui conſul Q. Marcium conſulem præcedit. Triumphaſſe autem Fabricium ſcripſi de Etruſcis Gallisque, quod Polybius anno poſtquam ad lacum Va-

dimonem

dimonem cum Etruscis Boij deleti fuerant, eosdem nouo delectu habito arma mouisse, atque victos pacem petiisse a Romanis tertio ante Pyrrhi in Italiam aduentum anno, scribit. vt ex eo intelligi possit, ne Boios quidem atque Etruscos clade priore perculsos, hoc anno otium habuisse. In Epitome quidem XII etiam scriptum est, aduersus Bruttios & Lucanos & Etruscos, aliquot prœliis a compluribus ducibus bene esse pugnatum.

DE COS. AN. CDLXXII.

DEINCEPS sequuti sunt consules Q. Marcius cum L. Æmilio. auctor Cassiodorus. Horum alter, Philippus; alter, Barbula nominatus est. quod ex fastis Siculis, & eorum triumphis Capitolinis intelligi potest, ex quibus vterq; descriptus est. Marcio Etrusci, Æmilio Tarentini obuenerunt.

De triumpho Q. Marcij Philippi cos. de Etruscis.

Q. MARCIVM Philippum consulem de Etruscis triumphasse scriptum est in tabulis Capitolinis. cuius triumphi mentionem nemo facit. ad hunc tamen pertinent hæc verba Epitomæ XII; Aduersus Lucanos, Bruttios, & Etruscos, res a compluribus ducibus bene gestæ. Adde, quod Iornandes scribit, nondum Etrusco bello confecto, cum Tarentinis bellari cœptum.

De bello Tarentino, & regis Pyrrhi.

BELLVM autem Tarentinum, inter Romana bella nobilissimum, hoc anno initum est; cum priore anno caussam, Orosio auctore, habuisset, quæ apud Zonaram ita narratur; Cum Tarentini maximum aduersus Romanos bellum Gallorum atq; Etruscorum concissent, neque ipsi tamen arma cepissent, casu euenit vt bello grauissimo caussam dederint. Nam cum L. Valerius classis præfectus Tarentum, quam sociam esse ciuitatem rebatur, accessurus esset, vt inde, quo mittebatur, iret, Tarentini ex conscientia scelerum suorum, eum aduersus se venisse suspicati, ipsum nihil hostile metuentem adorti, cum multis aliis demerserunt. Qua re Romæ cognita, Romani, etsi hanc iniuriam grauissimo animo tulerunt, tamen per legatos cum eis questi sunt. quibus non modo nihil æqui responsum est, sed etiam contumelia illata, L. Postumij legatorum principis veste sordibus inquinata. Ea caussa fecit vt bellum L. Æmilio consuli sit decretum. qui cum eo venisset, idoneis verbis animos eorum tentauit; ratus eos pacem facile æquis conditionibus accepturos. sed in magna ciuium dissensione, cum seniorum ac locupletiorum animi ad pacem, iuniorum ac tenuiorum ad bellum inclinarent, iuniorum sententia vicit. Suis autem diffisi viribus, Pyrrhum Epirotam, legatis & muneribus ad eum missis, ad belli societatem accersiuerunt. Quibus rebus cognitis, Æmilius agrum populatus est; eosque in aciem egressos in fugam vertit; vt oppida quædam etiam ceperit. Cum autem captiuos diligenter curaret Æmilius, & aliquot etiam ex potentioribus dimisisset, Tarentini & humanitatem eius admirati, & in spem pacis impetrandæ erecti, Agidem Romanis amicum cum summo imperio ducem creauerunt. Qui cum vix magistratum iniisset, Cineas legatus a Pyrrho præmissus aduenit, atque pacis omnia consilia disturbauit. Etenim Pyrrhus, cum ingenij facilitate, tum disciplina ac rerum vsu præstans, maxima Græciæ parte vel beneficiis vel metu sibi adiuncta, Tarentinorum societatem rationibus suis accommodatam futuram existimans, cum impridem Siciliam, Carthaginem, & Sardiniam affectaret, & tamen cum Romanis inire inimicitias vereretur, se iis auxilio futurum esse spoponderat. Sed ne in Romanorum suspicionem incideret, statim se domum rediturum esse ostendit; & in fœdere excepit, ne diutius quam opus esset, ab eis in Italia detineretur. Hæc pactus, maiorem legatorum partem, vt in colligendis militibus operam nauaturos, obsidum loco retinuit; paucos & Cineam cum exercitu præmisit. Quorum aduentu confirmati Tarentini, pace repudiata, imperium Agidi abrogatum, vni legatorum detulerunt. Neque multo post Milo a Pyrrho cum copiis missus, arcem eorum ad Pyrrhum recipiendum occupauit, & muros sibi custodiēdos assumpsit. id quod gratum

Tarentinis fuit, quod neq; in præsidiis esse, neq; laborem militarem quemquam suscipere cogerentur. Itaq; cibaria præbuerunt, & Pyrrho pecuniam miserunt. Æmilius, qui ad id tempus in agro erat, Pyrrhi militum aduentu percepto, cum hiberna incommoda tolerare non posset, in Apuliam abire statuit. Sed cum Tarentini, angustis quibusdam faucibus occupatis, per quas ei necessario transeundum erat, iter ei sagittis, iaculis, & fundis interclusissent, captiuos eorum, quos secum ducebat, opposuit. Illi vero veriti, ne suos pro Romanis conficerent, destiterunt. Hæc Zonaras. Eadem belli caussa scripta est in epitoma XII, ita; Cum a Tarentinis classis Romana direpta esset, duumuiro, qui præerat classi, occiso, legati ad eos a senatu, vt de iniuriis quererentur, missi, pulsati sunt. ob id bellum iis indictum est. Samnites defecerunt. Eadem apud Florum. Valerius autem capite De institutis, legatum Romanum non pulsatū, sed vtina respersum scribit. Liuius præterea libro XXXI, cum Tarentinis Samnitem, & Bruttium, & Lucanum defecisse tradit.

DE COS. AN. CDLXXIII.

P. VALERIVM cum Ti. Coruncanio consulem in posterum annum prodit Cassiodorus: Læuinum & Coruncanium fasti Siculi. Valerio Læuinum cognomen addunt item Florus, Orosius, Eutropius, Epitomæ. omnes demum præter Plutarchum; qui Ἀλβῖνον habet pro Λαβῖνον. Ti. Coruncanius ex triumpho Capitolino descriptus est. Valerio Tarentini, Coruncanio Etrusci, quæ duæ hoc tempore consulares prouinciæ erant, obtigerunt.

De re gesta cum Pyrrho a P. Læuino cos.

HOC anno ineunte, Pyrrhum in Italiam venisse opinor. scribit enim Zonaras, eum non exspectato vere, cum maximo & lectissimo exercitu, & viginti elephantis, (quæ animalia non ante in Italia conspecta, admirationem ac terrorem hominibus attulerunt) profectum, dum Ionium traijceret, fœdissima tempestate multis amissis, ceteris dissipatis, vix pedestri itinere Tarentum peruenisse. Quod idem significat Pausanias in Atticis, cum ait; Primus in Italiam rex Pyrrhus trans mare Ionium aduersus Romanos exercitum transportauit, a Tarentinis accitus; qui priore anno suscepto cum Romanis bello, suis se id sustinere viribus posse diffidebant: cum maximum Tarentinorum erga Pyrrhum beneficium exstaret, quod eum Corcyrensium bello implicatum classe adiuuerant. Venit ergo in Italiam Pyrrhus P. Læuino consule. quod etiam indicat Plinius libro VIII, cum ait; anno vrbis conditæ CDLXXII Italiam primum elephantos vidisse Pyrrhi bello. & Polybius, cum inquit, Gallis pacem datam tertio ante Pyrrhi in Italiam aduentum anno. De Pyrrhi porro aduentu loquuntur omnes historiæ, Plutarchi, Iustini, Eutropij, alij. Res autem aduersus eum a Læuino consule gestas, his prope verbis narrat Zonaras: Cum Tarentum Pyrrhus peruenisset, iuuentutem Tarentinam conscriptam copiis suis inseruit; ne seorsum instructi, nouis rebus studerent: ac theatrum clausit, ne eo conuenientes, aliquid molirentur; & conuiuiorum comissationumq; vsum interdixit. iuuenes autem in armis exerceri, aut totos dies in foro agere iussit. Vt autem quosdam harum rerum molestia se subducere animaduertit, suos portis, ne eos exire paterentur, præfecit. His igitur rebus, & commeatu suppeditando, & satellitibus eius intra ædes suas recipiendis oneratos Tarentinos pœnituit, cum dominum, non socium Pyrrhum experirentur. Ille vero, ne ad Romanos inclinarent veritus, eos qui gerendæ reipubl. & tractando populo idonei erant, partim per caussas aliquas in Epirum ad filium misit, partim clam sustulit: Aristarchum vero, summum apud illos virum, & summa eloquentia præditum, sibi conciliauit, vt ob suam familiaritatem populi in suspicionem incideret. Sed cum ei nihilominus fidem a populo haberi videret, eum in Epirum ire iussit. qui aduersari non ausus, conscendit ille quidem; sed Romam profectus est. Quæ cum Tarenti agerentur, Romani, Pyrrhi aduentu anxij, tum quod Italiam infestam haberent, tum quod illum rei militaris peritum firmissimum adducere exercitum fama erat, delectibus habitis, coactaq; pecunia, sociorum oppida præsidiis firmant, ne illi quoque deficerent: & quos nouis rebus studere senserunt, eorum principes

multa-

multarunt. Contra Pyrrhum vero ac Tarentinos,eorumque ſocios, Valerium Læuinum miſerunt,parte exercitus in vrbe præſidij cauſſa retenta. Is ſtatim Roma profectus eſt,vt bellum quamlongiſſime a patria gereret, & terrorem Pyrrho incuteret, qui ab iis vltro laceſſeretur,quorum ſe mœnia oppugnaturum arbitrabatur. ac motis caſtris,munitum atque opportunum in Lucanis oppidum cepit,ac præſidium reliquit,ne illi hoſtibus eſſe adiumento poſſent. Pyrrhus, Læuini aduentu cognito, eductis copiis,tempus terere,dum auxilia cōueniſſent,cupiens, litteras ad Læuinum miſit ſuperbas;quibus ſe litis,quæ inter Romanos ac Tarentinos eſſet,arbitrum fore profeſſus eſt,atque Læuinum ea de cauſſa ad ſe acciuit. Cui Læuinus ſe cum toto exercitu venturum ad pœnas de Tarentinis atque ipſo repetendas, reſpondit. Atque ita properans,caſtris interiecto flumine poſitis,ſpeculatores aliquot cōprehendit; quos per caſtra circumductos,cum ſe multo maiorem alium habere exercitum gloriaretur,dimiſit. Quo facto perculſus Pyrrhus,pugnam detrectauit, tum quod ſocii eius nondum conueniſſent,tum quod Romanos in hoſtili agro re frumentaria laboraturos ſperabat. Eadem Læuinus quoque reputans,confligere quamprimum ſtatuit. & quia milites Pyrrhi famam & elephantes timebant,conuocato exercitu, & longa oratione ad confirmandos militum animos habita,ita ſe parat vt cum Pyrrho vel inuito pugnaturus. qui quamuis a pugna abhorreret, tamen ne Romanos formidare videretur,& ipſe milites ſuos ad pugnam cohortatus,Læuinum flumen iuxta caſtra tranſire conantem prohibuit. Is igitur cum peditatu ibi ſe continens, equitibus per ſpeciem prædæ petendæ ablegatis,mandat vt longe prouecti traiiciant. Qui cum ex improuiſo terga hoſtium inuaſiſſent,& ordines turbaſſent,Læuinus flumine ſuperato,prælium & ipſe init. Sed Pyrrhus dum ſuis fugientibus ſuccurrit, equo ex vulnere amiſſo,periiſſe putabatur. vnde Epirotis animi imminuti ſunt, Romanis creuerunt, mutata prœlij facie. Qua re Pyrrhus intellecta,veſtem inſignem dat Megacli induēdam;eumque paſſim circumuehi iubet; vt ſe viuere arbitrati hoſtes terrerentur, ſui confirmarentur. ipſe priuati hominis habitu cum toto exercitu, elephantis exceptis, in Romanos inuehitur;& vbique laborantibus ſuccurrens,ſuos ſubleuat. Pugna igitur initio anceps fuit;donec quidam Megacle occiſo,Pyrrhum ſe occidiſſe ratus, effecit vt idē & alij crederent. Tum vero & Romanis aucti ſunt animi, & hoſtes ceſſerunt. Quod cum Pyrrhus ſenſiſſet,abiecto pileo,& nudato capite circumiens,pugnę fortunam mutauit. & cum Læuinus equites,quos extra aciem in inſidiis habebat, a tergo in hoſtes incurrere iuſſiſſet, ſignum elephantis dedit. Ibi ex inuſitato belluarum conſpectu,& horrendo barritu,armorumque ſonitu,quem qui in turribus ferebantur,edebant,tum Romani perterriti ſunt;tum equi perturbati, ſeſſores paſſim excutientes,partim vehentes,fugerunt. Itaque fractis animis in fugam verſi,partim ab iis qui in elephantorum turribus erant,occidebantur,partim ab ipſis belluarum proboſcidibus & cornibus ſeu dentibus conficiebantur,partim pedibus earum conterebātur. Multos etiam equites inſequuti occiderunt. neque euaſiſſet quiſquam, niſi elephantus vulneratus regrediens,barritu ſuo ceteros diſturbaſſet. Nā cum ea de cauſſa Pyrrhus perſequendi finem feciſſet,Romani flumine ſuperato, in oppidum quoddam Apuliæ peruenerunt. Multi tamen ex Pyrrhi militibus & ducibus ceciderunt. quare cum ei quidam victoriam gratularetur,Si iterum,inquit,ita vicerimus,actum de nobis erit. & Romanos quamuis victos admiratus,ſi eis imperaret,ſe orbis terrarū imperio facile potiturum affirmauit. Ex ea victoria magnam laudem adeptus eſt, & multi ad eum defecerunt. Sociis, cum veniſſent, ob moram nonnihil caſtigatis, partem ſpoliorum dedit. Qui Romæ erant,ob acceptam cladem mœſti, Læuino ſupplementum miſerunt;& Tiberio ex Etruria reuocato,vrbem præſidiis firmarūt. nam Pyrrhum ad eam tendere audierant. Lęuinus vero ſauciis curatis,& diſperſis recollectis,acceptiſque miſſis ab vrbe militibus,Pyrrhum perſequutus eſt;& Capuam, cuius illum potiendæ cupidum eſſe audierat,defendit. Quo conſilio fruſtratus Pyrrhus,Neapolim receſſit. quam cum occupare non poſſet,Romam properans, ac per Etruriam tranſiens,vt eam quoque ſibi gentem adiungeret, vbi eos cum Romanis fœdus percuſſiſſe didicit,& Tiberium ſibi obuiam ire,Læuinum a tergo ſequi,ne ab eis in regione ignota circumueniretur, extimeſcens,longius non eſt progreſſus. Vt

vero recedenti,& Campaniæ fines ingreſſo,Læuinus cum exercitu multo maiore, quam ante habuerat,ſe oſtendit: Hydræ inſtar,inquit,Romanorum legiones cæden do renaſcuntur.& aciem inſtruxit ille quidem, verum prœlio abſtinuit. Nam cum ſuos milites clypeos haſtis pulſantes clamorem tollere,& claſſica canere, & elephantos barrire iuſſiſſet,vt Romanos ante congreſſum perterrefaceret; illi autem multo ferocius reclamaſſent, vt ipſius milites conſternarentur; pugnare, auſpicia infauſta cauſſatus,noluit:ac motis caſtris Tarentum rediit. Hæc ex Zonara. Eadem alij, ſed breuius; & maxime in Pyrrho Plutarchus; Pyrrhum,vbi P. Læuinum conſulem aduerſus ſe exercitum adducere,atque vna Lucanorum agros vaſtare accepit, non exſpectatis ſociis,caſtra in eum mouiſſe,præmiſſo præcone,qui Romanos moneret, ſi de cõtrouerſiis cum Italis diſceptare iure quam armis mallent, ſe eos vti arbitro poſſe.pugnatum præterea ab his eſſe in Campania inter Pandoſiam & Heracleam vrbes ad flumen Sirim.ibique victis ac pulſis Romanis, maxime elephantorum inuſitata tum apud eos pugna,Pyrrhi haud incruentam victoriam fuiſſe. Poſt autē cum Samnitium,Bruttiorum,Lucanorumque ſociorum copiæ acceſſiſſent,eum propius Romam populabundum caſtra admouiſſe, ac Præneſte vſque veniſſe. inde Romanis nouo delectu habito occurrentibus,iterum in Campaniam ſe recepiſſe. Itaque in Epitoma XIII ſic ſcriptum eſt; Pyrrhus Epirotarum rex, vt auxilium ferret Tarentinis, in Italiam venit. Cum in præſidium Rheginorum legio Campana cum præfecto Decio Iubellio miſſa eſſet,occiſis Rheginis,Rhegium occupauit. Valerius Læuinus cõſul parum proſpere aduerſus Pyrrhum pugnauit, elephantorum maxime inuſitata facie territis militibus. Poſt id prœlium cum corpora Romanorum,qui in acie ceciderant,Pyrrhus inſpiceret,omnia verſa in hoſtem inuenit; populabunduſque ad vrbem Romam proceſſit. Et apud Frontinum libro III, Valerius Læuinus aduerſus Pyrrhum,occiſo quodam gregali, tenens gladium cruentum, exercitui vtrique perſuaſit,Pyrrhum interemptum.quamobrem hoſtes,deſtitutos ſe ducis morte credentes,conſternati a mendacio,ſe pauidi in caſtra receperunt. Et libro IIII; P. Valerio conſuli ſenatus præcepit,exercitum ad Sirim victum ducere Serinum;ibique caſtra munire,& hiemē ſub tentoriis exigere. Hoc eodem anno C. Fabricium legatũ a ſenatu ad Pyrrhum Tarentum de captiuis redimendis miſſum , ſummo in honore ab eo habitum,captiuos ſine pretio a Pyrrho remiſſos, ſcribit Zonaras. Qua de re ita eſt in Epitoma XIII ſcriptum; C.Fabricius miſſus ad Pyrrhum a ſenatu, vt de redimendis captiuis ageret,fruſtra, vt patriam deſereret, a rege tentatus eſt. Captiui ſine pretio remiſſi ſunt.Hæc eadem Plutarchus,Oroſius,Eutropius,Florus,Iuſtinus; Ennius apud Ciceronem libro primo de Officiis. Quin etiam eodem hoc anno a Pyrrho Cineam legatum Romam de componenda pace miſſum , auctor eſt Zonaras; eundem muneribus nobilium animis tentatis,in ſenatum veniſſe; atque expoſita regis in eum volũtate,pacem petiiſſe.ad quam cum maior pars ſenatus inclinaret, Ap. Cæcum ſe lectica in curiam deferri iuſſiſſe,& eam frequenti ſenatu diſſuaſiſſe; atque ex eius ſententia Cineam eodem die vrbe abire a ſenatu iuſſum, Pyrrho regi bellum indictum.captiuos vero militari ignominia notatos;cum iis neque contra Pyrrhum vſi ſint,neque vſquam alibi vniuerſis, ne quid coniuncti rerum nouarum molirentur;ſed alios in alia præſidia dimiſiſſe.Ex quo apparet, locum illum Ciceronis in Catone,in quo ait, Ap. Cæcum eam ſententiam dixiſſe decem & ſeptem poſt alterum conſulatum annos,ita intelligendum eſſe, vt extremos etiam annos comprehendamus,& eum quo conſul Appius fuit,& eum quo pacem diſſuaſit.Hac de re item Plutarchus in Pyrrho,& Florus.Illud noui eſt in Epitoma; Cineam egiſſe vt pacis componendæ cauſſa rex in vrbem reciperetur.

De Triumpho Ti. Coruncanij cos. de Vulſinienſibus.

TI. Coruncanium conſulem de Vulſinienſibus & Vulcientibus triumphaſſe, nemo eſt qui tradat præter Capitolinos ſcriptores. Rem quidem geſtam a Tiberio cõſule in Etruria, & fœdus cum Etruſcis ictum, tradit Zonaras. Ex quo intelligi poteſt, Coruncanium conſulem reliquias Etruſcæ victoriæ, Vulcientibus & Vulſinienſibus domitis,ac pace illis data,confeciſſe. neque enim Etruſci belli póſt vlla per aliquot annos

annos mentio fit. Hinc etiam Castrum & Cossam per hos annos in Etruria colonias deductas in Epitomis legimus. Addo etiam, Coruncanium triumphalem a Velleio libro II extremo significari.

De censoribus & Lustro XXXII.

CENSORES hoc anno creatos, ex quinquennalibus sequentibus Lustris opinor. Auget hanc opinionem, quod in Epitoma XIII, post pacis, quam cum Pyrrho Ap. Claudius dissuasit, mentionem, sic scriptum est; Cn. Domitius censor primus e plebe Lustrum condidit. censa sunt ciuium capita CCLXXVIII millia CCXXII. Ego vero Cn. Domitium Caluinum esse arbitror, qui consul fuit anno CDLXX. Consularẽ.n. quærimus qui censor factus sit. Vt autem C. Marcius primus e plebe censor fuit, sic hic primus e plebe censor lustrum fecit. Domitij collega, si coniecturis standum est, fuit Q. Fabius Maximus Gurges consularis; quem Plinius lib. VII principem Senatus appellat. Principem autem senatus legi, qui ex censoriis vetustissimus esset, moris fuisse ante II bellum Punicum, prodit Liuius. Accedit quod patricius & plebeius censores comparantur; quod his temporibus factitabatur.

DE COS. AN. CDLXXIIII.

DEINCEPS P. Sulpicium cum P. Decio consules suggerit Cassiodorus: Sauerrionem & Murem fasti Siculi. P. Decium P. Decij, qui se Samnitico & Gallico bello deuouit, filium fuisse, auctor est Cicero libro II De finibus, & in Tusculanis disputationibus. P. Sulpicium P. Sulpicij Sauerrionis filium esse arbitror, qui consul fuit anno CDXLIX. Vtrique Tarentinum & cum Pyrrho bellum decretum.

De re gesta cum Pyrrho a consulibus.

QVAE Romani hoc anno cum Pyrrho gesserint, ea his fere verbis apud Zonaram scripta esse inuenio: Per hiemen vtrinque bellum paratum est. Vere autem ineunte, Pyrrhus impressione in Apuliam facta, multa vi, multa deditione sibi adiunxit, donec Romani ad Asculum oppidum aduersus eum castra posuerunt. Permultos autem dies vtrinque, cum alter alterum metueret, otium fuit. Interea cum nonnulli rumore dissipato, Decium ad deuouendum se exemplo patris & aui paratum esse, Epirotis terrorem inferrent, quasi ex illius obitu perituris omnibus, Pyrrhus suos milites hortatus est ne perturbarẽtur; indagatoque habitu, quo Decij se deuouissent, monuit, si quem ita ornatum conspexissent, ne occiderent, sed viuentem comprehenderent. Decio vero nuntiari iussit, facinus illud ei non successurum: &, si viuus caperetur, male periturum esse minatus est. Cui consules, nulla sibi deuotione opus esse, respõderunt. se enim alia ratione victoriam adepturos. ac traiecto flumine, quod inter vtraque castra interiectum erat, signa contulerunt. Cum Græci pellerentur, Pyrrhus elephantis in auxilium, non qua falcati currus stabant, sed in alteram partem adductis, equitatum Romanorum terrore belluarum ante congressum profligauit; sed pedites non magno admodum detrimento affecit. Interea quidam Appuli, Epirotarum castra ingressi, Romanis victoriam attulerunt. Nam cum Pyrrhus pugnatores aliquot ad eorum impetum comprimendum misisset, reliqui omnes turbati & castra capta esse, & illos fugere opinati, inclinarunt; eorumque multi cæsi sunt. Pyrrhus ipse, & ex præfectis alij multi vulnerati, cum ob commeatus, tum ob medicamentorum inopiam, grauiter affecti sunt. Quare, antequam id Romani sentirent, Tarentũ recessit. Consules etsi flumen pugnandi caussa transierant, tamen cum audissent hostes omnes dissipatos esse, in vrbes Appuliæ in hiberna regressi propter saucios milites, eos persequi non potuerunt. Hæc Zonaras. quæ breuius Eutropius ita; Missi sunt contra Pyrrhum duces P. Sulpicius & P. Decius Mus consules. certamine commisso Pyrrhus vulneratus est; elephãti interfecti; XX millia cæsa hostium: at ex Romanis tantum quinque millia: Pyrrhus Tarentum fugatus. Hoc autem in prœlio P. Deciũ cecidisse auctor est Cicero lib. II De finibus. Quæ cum ita sint, profecto verba hæc Epitomæ XIII ad hunc annum pertinent; Iterum aduersus Pyrrhum dubio euentu pugnatum est. Dubio enim euentu ait, quod rex ab vna parte vulneratus, consul ab

altera interfectus ſit; plures tamen inde quam hinc ceciderint. Poſtremo apud Frontinum lib. II ſcriptum eſt, Pyrrhum pro Tarentinis apud Aſculū dextro cornu Samnitas Epirotaſque, ſiniſtro Bruttios atque Lucanos cum Sallentinis, in media acie Tarentinos collocaſſe; equitatum & elephantos in ſubſidiis eſſe iuſſiſſe: contra conſules aptiſſime diuiſis in cornua equitibus, legiones in prima acie & in ſubſidiis poſuiſſe, his immiſcuiſſe auxilia; vtrinque XL millia fuiſſe: Pyrrhi dimidiam partem exercitus amiſſam, apud Romanos quinque millia deſiderata.

DE COS. AN. CDLXXV.

DEINCEPS C. Fabricius, Q. Æmilius conſulatum inierunt, vt ait Caſſiodorus. quorum cognomina, Luſcinum & Papum, edunt faſti Siculi. Hi ſunt qui etiam ante collegæ fuerunt anno CDLXXI. Hos enim bis vna conſules fuiſſe ſcribit in Lælio Cicero. Eorundem meminit Plutarchus in Pyrrho, Gellius lib. III. & Cicero pro Cornelio, Cum Heraclea, inquit, fœdus ictum C. Fabricio cos. Pyrrhi tēporibus. Vtrique conſuli Tarentinum bellum decretum.

De re geſta cum Pyrrho a conſulibus, & triumpho C. Fabricij cos.

QVAE vero conſules hoc anno cum Pyrrho geſſerint, ea fere, quantum ex annalibus Zonaræ colligitur, hæc ſunt: Pyrrhus Tarenti, quo aduerſo prœlio facto receſſerat, cum alia parauit, tum milites ac pecunias domo aduehi iuſſit. Sed cum Fabriciū & Papum conſules in caſtra veniſſe audiſſet, ſententiam mutauit. Tum vero Nicias quidam, qui ei fidus eſſe putabatur, conſules adiit; pollicitus ſe dolo Pyrrhum interfecturum. Quod ægre ferens Fabricius, inſidias Pyrrho indicauit. qua ille humanitate permotus, captiuos iterum gratuito remiſit. atque iterum de pace legatos miſit. Cum autem Romani nihil de pace reſponderent, ſed tum denique, cum Italia exceſſiſſet, eum de pace agere iuberent, in Siciliam, quo a Syracuſanis aduocabatur, regreſſus eſt, Milone, qui Tarētum & reliqua Italiæ loca tueretur, relicto. Hęc Zonaras. quæ breuius multo video cōfirmari ab Eutropio, his verbis: Interiecto anno, contra Pyrrhum Fabricius miſſus eſt, qui prius inter legatos ſollicitari nō potuerat. tunc cum vicina caſtra ipſe & rex haberent, medicus Pyrrhi ad eum nocte venit, promittens veneno Pyrrhum occiſurum, ſi ſibi aliquid polliceretur. quem Fabricius vinctum reduci iuſſit ad dominum, Pyrrhoque dici quæ contra caput eius medicus ſpopondiſſet. tunc rex in Siciliam profectus eſt. Fabricius victis Samnitibus & Lucanis triumphauit. Idem in Epitoma XIII ſcriptum eſt ita; Cum C. Fabricio conſuli is qui ad eum a Pyrrho transfugerat, polliceretur, ſe regi venenum daturum, cum indicio ad regem remiſſus eſt. res præterea contra Etruſcos, Lucanos, Bruttios & Samnites proſpere geſtas continet. Pyrrhus in Siciliam traiecit. C. etiam Fabricium Luſcinum cōſulem ſcribit Valerius De miraculis, proſpere cum Bruttiis & Lucanis auxilio Martis dimicaſſe. Itaque in tabula triumphali Capitolina eſt, vnum C. Fabricium II conſulem, II de Lucanis, Bruttiis, Tarentinis, & Samnitibus triumphaſſe. Ex his autem apparet, neutrum horum conſulum cum Pyrrho ſigna contuliſſe. Itaque miror Critolaum (vt eſt in Parallelis Plutarchi) ſcripſiſſe, Æmilium Papum cōſulem victoria ex Pyrrho parta, elephantos Romam miſiſſe cētum ſexaginta. Etenim Plinius auctor eſt, Romam primum elephantos vidiſſe in Curij triumpho de Pyrrho. miror etiam multo magis, Plutarchum pugnam ad Aſculum, in conſulatum Æmilij & Fabricij referre. quod videtur facere, cum eius pugnæ poſt indicatas Pyrrho ab his conſulibus inſidias meminerit. Sed hæc atque eiuſmodi alia grauiora vitia, vel ſcriptorum negligentia, vel hiſtoriæ varietas contrahit. quale vitium illud eſt Flori, & eius qui librum ſcripſit De viris illuſtribus, qui Curium Fabriciumque conſules comparant, Æmiliumque prætereunt. De inſidiis porro a conſulibus his regi demonſtratis, quæque de ea re inter ſcriptores controuerſia ſit, Gellius lib. III, Plutarchus in Pyrrho, & in Apophthegmatis, Cicero lib. I De officiis, Valerius libro VI.

DE

DE COS. AN. CDLXXVI.

INSEQVENS annus auctore Cassiodoro consules habuit P. Cornelium, C. Iunium. quorum cognomina inuenio in fastis Siculis Rufinum & Bubulcum. P. Cornelium bis consulem profitetur Gellius lib. IIII, & XVII. De hoc etiam consulatu idem loquitur lib. IIII, cum ait; C. Fabricius Luscinus P. Cornelium Rufinum, manu quidem strenuum, & bellatorem bonum, sed furacem hominem, & auaricia acri, odio habebat. Sed cum reip. difficillimis temporibus creandi consules forent, & Rufinus peteret consulatum, competitoresque eius essent imbelles, summa ope adnixus est Fabricius vt Rufino consulatus deferretur. eam rem plerisque admirantibus, Fabricius inquit, Nihil est quod miremini, si malui compilari quam venire. Idem Cicero lib. II de Oratore. C. Iunius ex triumpho suo Capitolino descriptus est. Vtrique consuli bellum Tarentinum decretum.

De triumpho C. Iunij Bubulci cos. de Lucanis & Bruttiis, & rebus gestis a consulibus.

RES autem hoc anno a consulibus gestas, his verbis memoriæ mandauit Zonaras: Romani per absentiam Pyrrhi confirmatis animis, ad vlciscendos eos a quibus accersitus erat, conuersi, Tarentinorum vindicta in aliud tempus dilata, Rufini & Iunij consulum ductu atque auspiciis Samnium inuaserunt. Samnites enim in asperos montes carissima pignora, & pretiosissima quæque contulerant. Igitur Romani contemptim eo conscendere ausi, plerique aut ceciderunt, aut capti sunt. Eius cladis culpam consules cum alter in alterum conferrent, bellum de communi sententia gerere destiterũt. ac Iunius partem Samniticæ regionis vastauit, Rufinus Lucanos & Bruttios afflixit; & ad Crotonem recuperandam, quæ a Romanis defecerat, profectus est, a familiaribus suis accersitus. Sed ceteri ante aduentum eius, præsidium cui Nicomachus præerat, a Milone aduocarant. Cuius rei ignarus, cum, vt ad amicorum mœnia, negligentius accessisset, subita hostium eruptione cladem accepit. deinde arte quadam vrbe potitus est. duos enim captiuos perfugarum nomine Crotonem misit; quorum alter diceret, eum desperata vrbis expugnatione, Locros, quo a proditoribus vocaretur, discessurum; alter affirmaret, eum iam in itinere esse. quæ oratio vt esset probabilior, collectis sarcinis se properare simulauit. Id Nicomachus verum esse ratus, (nam speculatores idem renuntiabant) Crotone relicta, breuiore via celeriter Locros contendit. Quo cum peruenisset, Rufinus conuerso Crotonem itinere, animaduertente nemine, quod & præter exspectationem aderat, & nebula conspectũ eripuerat, vrbem cepit. Quo Nicomachus cognito, Tarentum rediturus, cum in itinere in Rufinum incidisset, multos amisit. Locri ad Romanos se contulerunt. Hæc Zonaras. De Rufino autem idem prope etiam Frontinus libro III; Cornelius Rufinus consul, cum aliquanto tempore Crotonem oppidum frustra obsedisset, quod inexpugnabile faciebat assumpta in præsidia Lucanorum manus, simulauit se cœpto desistere. captiuum deinde magno præmio sollicitatum misit Crotonem, qui tamquã ex custodia effugisset; persuasit discessisse Romanos. Id verum Crotonienses arbitrati, dimisere auxilia; destitutique propugnatoribus, inopinati & inualidi capti sunt. Est etiam in Epitoma XIIII, quod ad hanc rem attinet, ita; Res contra Lucanos, Samnites & Bruttios prospere gestas continet. In tabulis autem Capitolinis tantum inuenio, C. Iunium Bubulcum cos. II, de Lucanis & Bruttiis triumphum egisse. De Crotone item per hæc tempora capto tradit Eusebius.

DE COS. AN. CDLXXVII.

Q. FABIVM, C. Genucium consules suggerit Cassiodorus: Gurgitem & Clepsinam fasti Siculi. Horum consulum sic meminit Orosius; Fabio Gurgite II, C. Genucio Clepsina consulibus, pestilentia grauis vrbem & fines eius inuasit.

De P. Cornelio Rufino dictatore.

DE dictatura P. Cornelij Rufini, hæc habeo quæ dicã. Gellius lib. IIII, & XVII, ita scriptum reliquit; P. Cornelius Rufinus bis consul, & dictatura functus, notatus est a Fabricio censore. & Valerius de censoria nota; Cornelius Rufinus duobus con-

sulatibus & dictatura speciosissima functus, a Luscino censore est notatus. Hæc verba me adduxerunt vt ante censuram Fabricij dictaturam P. Cornelij collocarem: quamquam quo potissimum anno, aut qua de caussa dictus ille fuisset, parum certum haberem. Quoniam autem hoc anno graui pestilentia ciuitas laborauit, videndum putaui ne claui figendi caussa, vt alij ante alias dictus esset. Nam Augustinus lib. III de ciuitate Dei, hanc pestilentiam summa vi in homines pecudesque sæuisse scribit. Si quis tamen certiora attulerit, & ipse sequar. meam coniecturam in re omnino non contemnenda ne obscuram quidem esse cuiquam volui.

De triumpho Qu. Fabij Gurgitis cos. II, de Samnitibus, Lucanis, & Bruttiis.

QVAE res ab his consulibus gestæ sint, nemo tradit. apparet tamen Romanos cũ Samnitibus, Lucanis, & Bruttiis bellum continuasse, ex eo, quia in Capitolinis tabulis scriptum est, Q. Fabium Gurgitem in hoc consulatu de Samnitibus, Lucanis, & Bruttiis triumphasse. cui triumpho seruiunt etiam illa Epitomæ XIIII verba; Res contra Lucanos, Samnites, & Bruttios prosperæ gestæ. Victoriam autem ingẽtem fuisse, inde intelligi potest, quod Tarentini ac Samnites rebus suis diffisi, Pyrrhum ex Sicilia reuocauerint.

DE COS. AN. CDLXXVIII.

DEINCEPS M'. Curium, L. Lentulum subiicit consules Cassiodorus & Eutropius: Dentatum & Lentulum fasti Siculi. Hic est tertius M'. Curij consulatus, qui vna cum Lentuli consulatu ex Capitolino huius anni triumpho descriptus est. Bellum Tarentinum & Samniticum vtrique consuli datum.

De triumpho IIII M'. Curij cos. de Samnitibus & Pyrrho, & L. Lentuli cos. de Samnitibus & Lucanis.

HOC anno reuerso in Italiam ex Sicilia Pyrrho, bellum cum eo & Tarentinis renouatum, cum Samnitibus & sociis eorum continuatum est. quod ipsum ita esse, expositis annalium verbis, facile quiuis intelliget. scribit Zonaras ita; Anno insequente Romanis, exercitu contra Samnites & Lucanos educto, belloque Bruttiis illato, Pyrrhus Sicilia pulsus, & in Italiam reuersus, permolestus fuit. Locros, qui Romano præsidio cæso defecerant, recepit: sed a Rhegij oppugnatione depulsus, & ipse vulneratus est, & multos milites amisit. Inde in Locridem profectus, quibusdam aduersæ factionis multatis, frumentoque & pecunia a ceteris acceptis, Tarẽtum rediit. A Samnitibus, quos Romani grauiter vrgebant, in auxilium euocatus, in fugam coniectus est. Nam cum pullus elephanti vulneratus, sessoribus excussis, matrem passim quæreret; eaque perturbata, ceteri etiam elephanti conciti essent, omnia sine discrimine immiscuerunt. Postremo Romani multis occisis, & VIII elephantis captis, castris etiam potiti, vicerunt. Pyrrhus cum paucis equitibus Tarentum refugit; atque inde in Epirum, vt rediturus, Milone cum præsidio Tarenti relicto, nauigauit. Hæc Zonaras. De quibus sic scriptum est apud Iustinum; Interiecto tempore legati ab Italicis sociis venere, nuntiantes, Romanis resisti non posse, deditionemque futuram, nisi subueniat. Pyrrhus anxius tam ambiguo periculo, incertusque quid ageret, vel quibus primum subueniret, in vtrumque pronus consultabat. quippe instantibus hinc Carthaginiensibus, inde Romanis, periculosum videbatur exercitum in Italiam non traiicere; periculosius, a Sicilia deducere; ne aut ille, non lata ope; aut hi, deserti amitterentur. Itaque conserto prœlio cum superior fuisset, quoniam tamen a Sicilia abiret, pro victo fugere visus est. ac propterea socij ab eo defecerunt: & imperium Siciliæ tam cito amisit, quam facile quæsiuerat. Sed nec in Italia fortuna meliore vsus, in Epirum regreditur. Eutropius autem scribit hoc modo; Curius Dentatus, & Cornelius Lentulus, aduersus Pyrrhum, qui ex Sicilia in Italiam reuerterat, missi sunt. Curius contra eum pugnauit, exercitum eius cecîdit; ipsum Tarento fugauit, castra cepit. ea die cæsa sunt hostium XXIII millia. Curius in consulatu triumphauit. Primus Romam elephantos quattuor duxit. Pyrrhus etiam a Tarento mox recessit:

in Epitoma autem XIIII ita est; Curius Dentatus cum delectum haberet, eius qui citatus non responderat, bona primus vēdidit. Is iterum Pyrrhum ex Sicilia in Italiam reuersum vicit, & Italia expulit. Hoc item anno tertium cum Pyrrho pugnatum, idque in Lucania in Aurusinis campis, auctor est Orosius, & Florus; ad Beneuentū autē Plutarchus. Idē Florus Pyrrhū bis castris exutum, bis saucium ex Italia victum excessisse adscribit. De acie Pyrrhi hoc prœlio instructa, sic Frontinus lib. IIII; Pyrrhus rex primus totum exercitum sub eodem vallo continere instituit. Romani deinde, victo eo in campis Aurusinis ad Beneuentum, castris eius potiti, & ordinatione notata, paulatim ad hanc vsque metationem, quæ nunc effecta est, peruenerunt. Triumphasse porro M'. Curium de Pyrrho rege, tradit Cicero in Catone, & in defensione Murenæ; Eutropius, & Florus; cuius hæc verba sunt; Nec vllus pulchrior in vrbem aut speciosior triumphus intrauit; cum ante hūc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma vidisset. Tum si captiuos aspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Bruttius, Appulus, atque Lucanus; si pompas, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque deliciæ. Sed nihil libētius populus R. aspexit, quam illas quas timuerat cum turribus suis belluas; quæ non sine sensu captiuitatis, summissis ceruicibus victores equos sequebantur. Plutarchus item M'. Curium Pyrrhum regem vicisse, ac Samnitium opes fregisse scribit. Itaque in tabulis Capitolinis eum de Samnitibus & Pyrrho rege quartum triumphasse scriptum est. De L. autem Cornelij Lentuli consulis triumpho, quem de Samnitibus actum in Capitolinæ tabulæ fragmento incisum est, hæc accepimus. Pyrrhum scribit Plutarchus partem copiarum in Lucaniam misisse, vt alterum consulem morarentur; ipsum Curio ad Beneuentum occurrisse. Plinius etiam libro XXXIII, L. Lētulus consul, inquit, Ser. Cornelio Merendæ, Samnitium oppido capto, coronam auream ex præda dedit. Quibus ex verbis intelligi potest, Lentulum item de Samnitibus, ac (quoniam fragmentum huius triumphi Capitolinum habet, SAMNITIBVS ET) Lucanis etiam fortasse, triumphasse.

De censoribus & Lustro XXXIII.

HOC anno censores fuisse Fabricium & Papum, tradit his verbis Zonaras; Eodē anno Fabricius & Papus cēsores facti, cum alios equites & senatores, tum Rufinum, quamuis dictatorium, atque iterum consulem, notarunt, quod decem pondo argenti facti haberet. Cui verba Epitomæ XIIII astipulantur, quæ Curianam victoriam proxime subsequuntur; Fabricius censor P. Cornelium Rufinum consularem senatu mouit, quod decem argenti pondo facti haberet. Lustro a censoribus condito, censa sunt ciuium capita CCLXXI millia CCXXIIII. Cuius census meminit etiam Eusebius. Collegam Fabricij Q. Æmilium Papum nominat Cicero in Lælio, & Gellius libro XVII. De Rufino a Fabricio cēsore notato item Gellius, & Plutarchus in Sylla; Florus de bello Tarentino, Valerius de censoria nota. Hinc etiam illud Iuuenalis Satyra IX; *argenti vascula puri, Sed quæ Fabricius censor notet.*

DE COS. AN. CDLXXIX.

SER. Cornelium, M'. Curium consules tradit in hunc annum Cassiodorus; Dentatum & Merendam fasti Siculi. Ego Ser. Cornelium Merendam esse opinor eum, quem scribit Plinius ab L. Lentulo consule anno priore, capto Samnitium oppido, coronam ex auro accepisse. M'. Curius iam quartum consul est. Consules cū Bruttiis & Lucanis & Samnitibus bellasse opinor. Illud tantum est apud Zonaram, quod ad hunc annum pertinet; Tarentini quidam Milonem, a quo male tractati erant, Nicone duce aggressi, cum nihil profecissent, castello quodam suæ ditionis occupato, inde in eum impressionem fecerunt; & cum Romanos aduersus se bellum parare cognouissent, legatis Romam missis, pacem impetrarunt.

DE COS. AN. CDLXXX.

CASSIODORVS suggerit consules C. Fabium, C. Claudium: fasti Siculi, Licinum & Caninam; Cuspiniani, Licinium & Cinnam; Eutropius Fabium Licinium,

& C. Claudium Caninam: Velleius Fabium Dorſonem, & Claudium Caninam. Ex quo intelligi poteſt hos conſules vocatos C. Fabium Dorſonẽ Licinum, & C. Claudium Caninam. Nam *Dorſo*, antiquum fuit Fabiorum cognomen; *Licinus* autem, poſt etiam in iis vel Capitolinis tabulis teſtibus celebrabitur. vt ſit pater M. Fabij C. F. M. N. Licini, conſulis anno D VII. C. autem Claudius Canina, is eſt qui ante conſul cum M. Æmilio Lepido fuit. vnde intelligi poteſt, eum fuiſſe plebeium; præſertim qui tum cum Æmilio, nunc cum Fabio patriciis comparatus ſit. neque enim per hæc tempora niſi ex vtroque corpore conſules fiebant. Aliquando in hunc annum Fabricium Luſcinum conſulem contuli; parum emendatis annalibus antiquorum deceptus.

De rebus hoc anno geſtis, & triumpho C. Claudij Caninæ cos. II, de Samnitibus & Lucanis.

QVAE in hunc annum ex Zonara geſta referẽda ſunt, hæc fere ſunt: Ptolemæus Philadelphus Ægypti rex, Pyrrhi cladibus & Romanorum incrementis cognitis, & munera eis miſit, & amicitiam pepigit. Qua re Romani læti, & ipſi ad eum legatos miſerunt; qui magnifice ab illo donati, munera in ærarium referre voluerunt; ſed ea ſenatus legatos habere iuſſit. His conſulibus legatos Alexandrinos Romam veniſſe a Ptolemæo, & ſocietatem cum Romanis iũxiſſe, tradit etiam Eutropius: Coſſam, & Pæſtum colonias deductas, Velleius. Coſſa autem Vulciẽtium eſt, de quibus paulo ante triumphatum eſt; auctore Plinio. Quibus de rebus ſic ſcriptum video in Epitoma XIIII; Cum Ptolemæo Ægypti rege ſocietas iuncta eſt. Sextilia virgo Veſtalis, damnata inceſti, viua defoſſa eſt. Coloniæ deductæ ſunt Poſidonia & * Coſſa. Legatos porro qui a ſenatu ad regem miſſi ſint, nominat Valerius Q. Fabium Gurgitem conſularem, N. Fabium Pictorem, & Q. Ogulnium; qui poſt conſulatum adipiſcentur: lib. IIII, cap. IIII: & Iuſtinus lib. XVIII. Poſtremo C. Claudium Caninam conſulem triumphaſſe de Samnitibus & Lucanis, apparet in fragmento triumphi Capitolino. cuius rei meminit nemo. Continetur autem hic triumphus his verbis Epitomæ XIIII; Res contra Lucanos, Samnites, & Bruttios proſpere geſtas continet.

DE COS. AN. CDLXXXI.

SP. Caruilium, L. Papirium Curſorem cõſules deinceps prodit Caſſiodorus. Curſorem & Maximum Siculi faſti & Cuſpiniani. Hi ambo iterum conſules fuerunt; quod ex Capitolinis eorum triumphis liquet. Meminit horum Frontinus de aquæ ductibus, & Liuius lib. XXIIII. Ambobus conſulibus Tarentini cum Samnitibus & ſociis euenerunt.

De triumpho II L. Papirij cos. II, & Sp. Caruilij cos. II, & re cum Tarentinis ac Samnitibus geſta.

HOC demum anno bellum Samniticum & Tarentinum confectum eſt. cuius rei hæc habeo annalium priſcorum teſtimonia: Zonaras, Poſt hæc, inquit, Samnites per Caruilium ſubegerunt: Lucanos & Bruttios, per Papirium vicerunt. Idem Papirius etiam Tarentinos domuit. qui cum Milonem ferre non poſſent, & a ſuis, vt dixi, vexarentur, qui Miloni erant infeſti, Carthaginienſium præſidium, Pyrrhi morte percepta, implorarunt. At Milo in anguſtum adductus, Romanis terra, Carthaginienſibus mari prementibus, arcem Papirio ea conditione tradidit, vt ſibi cum pecuniis & militibus incolumi diſcedere liceret. Inde Carthaginienſes, vt Romanis fœderati, receſſerunt. vrbs Papirio armis & nauibus traditis, muriſque dirutis, & tributo pacto ſe dedidit. Quæ autem ſcribit Zonaras, ea a Liuio etiam confirmantur, cum inquit libro XXIIII, Papirium & Caruilium conſules aduerſus Samnites Bruttioſque, & Lucanum cum Tarentino populum, declaratos eſſe. & Epitoma XIIII, in qua eſt; Carthaginienſium claſſis auxilio * Tarentinis venit. quo facto ab iis fœdus violatum eſt. res præterea contra Lucanos & Samnites & Bruttios proſpere geſtas, & Pyrrhi regis mortem continet. victis Tarentinis pax & libertas data eſt. *His*

adde Orosium, qui inquit; Tarentini, Pyrrhi morte comperta, noua arma sollicitant aduersus Romanos. Carthaginiensium auxilia poscunt per legatos, atque accipiunt. Conserto prœlio Romani vicere. & Frontinum lib. III; Papirius Cursor consul, apud Tarentum Miloni, qui cum præsidio Epirotarum vrbem obtinebat, salutem ipsi, & popularibus, si per illum oppido potiretur, pollicitus est. Quibus præmiis ille corruptus, persuasit Tarentinis vt se legatum ad consulem mitterent. a quo plena promissa ex pacto referens, in securitatem oppidanos resoluit, atque ita incustoditam vrbem Cursori tradidit. Vnde Eusebius etiam Romanos Tarentum a Milone accepisse notauit. De Samnitico bello illud apponam, quod ipsi apud Liuium libro XXIIII in oratione ad Annibalem posuerunt: Per centum prope annos cum populo R. bellum gessimus, nullo externo adiuti, nec duce, nec exercitu: nisi quod per biennium Pyrrhus nostro magis milite suas auxit vires, quam suis viribus nos defenderit. Item; Hostes populi R. fuimus primum per nos ipsi, quoad nostra arma, nostræ vires nos tutari poterant. Postea quam iis parum fidebamus, Pyrrho regi nos adiunximus; a quo relicti, pacem necessariam accepimus. Libro autem XXXI propius ad veritatem loquitur, cum ait Samnites cum Romanis per an. LXX bellasse. Nam Florus per L. annos Samnites domitos imprudenter scribit. ac nescio an imprudentius Appianus in procemio historiæ; qui LXXX prodit, cum ad nostram supputationem sint LXXI. siquidem bellum initum est anno CDX, finitum CDLXXXI. Capitolina porro fragmēta vtrumque consulem de Tarētinis triumphasse significant: sed ita, vt de aliis etiam triumphatum ab iis esse intelligi possit, vt de Lucanis, Samnitibus, & Bruttiis. Florus viginti quatuor triumphos de Samnitibus actos tradit; nos autem vnum & triginta collegimus. Hac victoria magna pars Italiæ in potestatem redacta est, victis præsertim Tarentinis, Samnitibus, Lucanis, & paulo ante quoque Etruscis.

DE COS. AN. CDLXXXII.

C. QVINCTIVM, L. Genucium consules prodit in hunc annum Cassiodorus: Claudium & Clepsinam fasti Siculi cum Cuspiniani. quorū illud Quinctij, hoc Genucij cognomen videtur. Liuius lib. VII, T. Quinctij meminit altero pede claudi: a quo hoc forte cognomen tractum est.

De legione Campana a Genucio cos. cæsa.

Hoc anno (vt ait Orosius) magnam viscerum suorum partem seueritas Romana concidit. Nam octaua legio, quæ aduentante Pyrrho, diffidens Romanæ spei, Rheginos omnes, quibus subsidio præerat, interfecerat, ac prædam sibi omnem atque ipsum oppidum vindicauerat, L. Genucio consuli punienda data est. qui obsessa Rheginorum vrbe, captisq; omnibus, ipse quidem in reliquos perfugas & latrones exercuit digna supplicia; Romanos vero milites integræ legionis Romam misit; qui populi iussu medio foro virgis cæsi, securique percussi sunt. qua de re in Epitoma quoq; XV post pacem Tarentinam ita scriptum est; Legio Campana, quæ Rhegium occupauerat, obsessa, deditione facta, securi percussa est. Eandem rem Polybius libro primo tradit pluribus verbis, & postremus omnium Zonaras; & Valerius, qui libro II ita loquitur; Populus R. milites qui Rhegium iniusto bello occupauerant, mortuoq; duce D. Iubellio M. Cæsium scribam eius sua sponte imperatorem delegerant, carcere inclusit; ac M. Fuluio Flacco tribuno pl. denūtiante, ne in ciues R. aduersus morem maiorum animaduerteret, nihilo minus propositū exsequutus est. ceterum minore cum inuidia vt id perageretur, quinquagenos per singulos dies virgis cæsos securi percuti iussit; eorumque nullum sepulturæ mandari, mortemque lugeri vetuit.

DE COS. AN. CDLXXXIII.

C. GENVCIVM, Cn. Cornelium consules prodit deinceps Cassiodorus: Clepsinam & Blasionem fasti Cuspiniani. C. Genucius idem est, vt puto, qui ante cōsul fuit an. CDLXXVII: Cn. Cornelius ex censura Capitolina descriptus est, quam gereret anno CDLXXXVIII. Hi in fastis Siculis præteriti sunt.

De triumpho Cn. Cornelij Blasionis cos. de Saßinatibus.

FRAGMENTA Capitolinorum triumphorum satis indicant, Cn. Cornelium consulem de Sassinatibus triumphasse. Cuius victoriæ auctor exstat nemo. *Saßina* eadem quæ *Sarsina* est; Vmbriæ oppidum: quos Polybius libro II vocat Ὄμβρους καὶ Σαρσινάτους. Vmbros autem hoc tempore mouisse, apparet ex XV Epitoma, in qua est; Vmbri victi in deditionem accepti sunt. quamquam id factum est anno CDLXXXVII.

De censoribus & Lustro XXXIIII.

QVINQVENNII ratio postulat vt in hunc annum censores conferamus; quos quidem nemo tradit. Quod si coniecturis standum est, eorum alterum esse Ti. Coruncanium T. F. T. N. dicemus: quem vt cōsularem ac triumphalem, sic censorium, lib. II Velleius significat. Collega autem eius patricius, ne coniecturæ quidem auxilio indagari potest. Lustrum autem ab his conditum, & quidem XXXIIII, ex sequenti lustro XXXV Capitolino opinor.

DE COS. AN. CDLXXXIIII.

CASSIODORVS Cornelio & Genucio consulibus P. Sempronium & Ap. Claudium consules suggerit, atque Quinctium Gulonem, Fabium Pictorem consulto transcendit. quorum meminit Eutropius, cum ait; Quinctio Gulone, Fabio Pictore consulibus, Picentes bellum commouere; & ab insequentibus cōsulibus P. Sempronio, Ap. Claudio victi sunt. & Plin. lib. XXXIII, Q. Fabio consule, inquit, argentum signatum est annis quinque ante Punicum bellū. Hos etiam numerat Velleius, cum inquit lib. I, Ap. Claudium & P. Sempronium quinquennio post consulem C. Claudium Caninam consules fuisse. Ne hos quidem consules prætereunt fasti Siculi, aut Cuspiniani; in quibus est Gallus & Pictor; aut Zonaras, qui Q. Gallum & C. Fabium edit. Ex quo intelligi potest, Eutropij librum habere mendum in altero horum consulū graue, & pro Quinctio Gulone, Quinto Ogulnio (sic enim manuscripti aliquot habent libri) esse reponendum: vt sit Q. Ogulnius L. F. A. N. Gallus; qui paulo ante legatus ad Ptolemæum missus est, & post dictator erit an. CDXCVII, Capitolinis tabulis testibus. Cadit autem præclare, vt Ogulnius plebeius cum Fabio patricio comparetur. C. Fabium Pictorem fratrem esse natu maiorē puto N. Fabij C. F. M. N. Pictoris, post consulis anno CDLXXXVII. in Plinio vero mendose Q. pro C. legi.

De re gesta a consulibus.

HOC anno Lollius Samnis Romæ obses, fuga elapsus, manu contracta, & valido regionis suæ castello occupato, latrocinati cœpit. Aduersus quem cum Q. Gallus & C. Fabius exercitū eduxissent, ipsum, & qui cum eo erant conuenas & plerosq; inermes, ceperunt. Inde cum in Caracenos mouissent, apud quos illi prædam deposuerant, magna pericula adierunt. Tandem vero superato muro nocte a perfugis, pene in tenebris cæsi sunt. cum autem luna illuxisset, castellum expugnarunt. tunc etiā magna pecuniarum vis Romanis accessit; ita vt denarios argēteos vsurparint. Hæc Zonaras. Hoc est autem id quod exstat in epitoma; Tunc primum populus R. argento vti cœpit.

DE COS. AN. CDLXXXV.

P. SEMPRONIVM, Ap. Claudium, consules subiicit (vt dixi) Cassiodorus & Eutropius: Sempronium & Rufum fasti Siculi: Sempronium Sophum, & Appium Cęci filium Velleius: Sophum & Rufum Cuspinianus. P. Sempronius Sophus ex censura Capitolina anni DI descriptus est. Ambobus consulibus Picentes euenerunt.

De re gesta cum Picentibus, & triumphis Ap. Claudij & P. Sempronij consulum.

HOC tempore cum Picentibus bellum susceptum est: de quo quid inuenerim, exponam. Eutropius; Quinto Ogulnio, C. Fabio Pictore consulibus, Picentes bellū cōmouere; & ab insequentibus consulibus P. Sempronio, Ap. Claudio victi sunt: & de his triumphatum est. conditæ a Romanis ciuitates, Ariminum in Gallia, & Beneuentum in Samnio. In Epitoma XV; Cum legatos Apolloniatium ad senatum missos

quidam iuuenes pulſaſſent, dediti ſunt Apolloniatibus: Picentibus victis pax data: Coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneuentum in Samnio. & Valerius lib. VI; Legatos ab vrbe Apollonia Romam miſſos Q. Fabius, Cn. Apronius ædiles, orta contentione pulſauerunt. quod vbi comperit ſenatus, continuo eos per fœtiales dedidit: quæſtoremque cum his Brunduſium ire iuſſit, ne quam in itinere a cognatis deditorum iniuriam acciperent. De Picentibus autem victis ſic ſcribit Florus; Domiti ſunt poſt Tarentinos Picentes, & caput gentis Aſculum, Sempronio duce; qui tremente inter prœlium campo, Tellurem deam promiſſa æde placauit. & Oroſius ita: Sempronius conſul aduerſus Picentes duxit exercitum; & cum directe intra iactū teli vtraque acies conſtitiſſet, repente ita cum horrendo fragore terra tremuit, vt ſtupore miraculi vtrumque pauefactum agmen hebeſceret. diu attoniti vtrique populi hæſitauere, præiudicata incœpti conſcientia: tandem procurſu concito, iniere certamen. Romani, qui admodum pauci eo prœlio remanſerunt, vicerunt. Et Frontinus lib. primo ita; Ti. Sempronius Gracchus conſul, acie aduerſus Picentes directa, cum ſubitus terræ motus vtraſque partes confudiſſet, exhortatione confirmauit ſuos, & impulit vt conſternatum ſuperſtitione hoſtem inuaderent; adhortatuſque deuicit. In quo illud eſt mendoſe, quod Ti. Gracchum pro P. Sopho edit: vterque enim ex gente Sempronia fuit. Poſtremo Velleius li. I, Ariminum, inquit, & Beneuentum coloni miſſi; & ſuffragij ferendi ius datum Sabinis, Sempronio Sopho, & Ap. Cæci filio conſulibus. Hos conſules ambos de Picentibus triumphaſſe, facile ex fragmentis eorum Capitolinis intelligi poteſt.

DE COS. AN. CDLXXXVI.

M. ATILIVM, L. Iulium Libonem conſules ſuggerit Eutropius: Regulum & Libonem faſti Siculi: M. Atilium, L. Iulium Caſſiodorus. Vterque ex triumphis Capitolinis deſcriptus eſt.

De bello Sallentino, & triumphis M. Atilij & L. Iulij conſulum.

HOC anno bellum initum eſt cum Sallentinis. auctor eſt Eutropius, cum inquit; M. Atilio Regulo, L. Iulio Libone cos. Sallentinis bellum indictum. captique ſunt cum ciuitate ſimul Brunduſini; & de his triumphatum eſt. & Florus; apud quem ita ſcriptum eſt; Sallentini Picentibus additi, caputq; regionis Brunduſium inclyto portu, M. Atilio duce. & in hoc certamine victoriæ pretium templum ſibi paſtoria Pales vltro popoſcit. Itaque in epitoma XV etiam eſt; Sallētini in deditionem accepti ſunt. & apud Zonaram hoc modo; Deinde Calabriæ arma intulerunt, id crimini dantes, quod Pyrrhum hoſtem recepiſſent, & ſocios ſuos vexaſſent; ſed reueta, vt Brunduſium ſubigerent, & inclyto portu inſtructum, & ad traiiciendum ex Illyrico & Græcia adeo commodum, vt eodem vento in portum accedere, & ſoluere portu liceret. quod cum in poteſtatem redegiſſent, eo coloniam deduxerunt. Quas res cum geſſiſſent, ac mirum in modum opes ſuas adauxiſſent, non tamen ſuperbia euecti ſunt; ſed Q. Fabium ſenatorem Apolloniatibus Ionium ſinum accolentibus dediderunt, quod eorum legatos contumelia affeciſſet. quem illi acceptum incolumē remiſere. M. etiam Atilium Regulum fuſis Sallentinis triumphaſſe, ſcriptum inuenio in libro de viris illuſtribus. & Cicero de finib. lib. II, M. Atilium bis conſulem fuiſſe ac triumphaſſe ſcribit. Ab his tamen conſulibus bellum confectum nō eſſe, indicant triū phi ſequentium conſulum; quos vna cum horum conſulum triumphis integros in tabulis Capitolinis habemus.

DE COS. AN. CDXXCVII.

D. IVNIVM, M. Fabium conſules edit in hunc annum Caſſiodorus; Peram & Pictorem faſti Siculi: D. Iunium D. F. D. N. Peram, N. Fabium C. F. M. N. Pictorem Capitolini triūphi. Hic eſt N. Fabius qui cum Q. Fabio Gurgite, & Q. Ogulnio Gallo, legatus ad Ptolemæum ante miſſus eſt.

De triumphis duobus D. Iunij Peræ, & N. Fabij Pictoris conſulum, de Saſſinatibus & Sallentinis.

HOS conſules ambos bis in magiſtratu triumphaſſe, ſcriptum eſt in tabulis Ca-

pitolinis,primum de Saſſinatibus,deinde de Sallentinis Meſſapiiſque. Quos triumphos probant verba Epitomæ x v hæc;Vmbri & Sallentini victi,in deditionem accepti ſunt. & quod Eutropius ait,de Sallentinis triumphatum eſſe. Sunt autem Saſſinates,vt dixi,Vmbriæ populi.Nec quicquam aliud de hoc bello accepimus.

DE COS. AN. CDXXCVIII.

CASSIODORVS Iunio & Fabio conſulibus ſuggerit Ap. Claudium,M.Fuluiũ: atque ſine dubio annum tranſcendit.Nam ſi Iunius, Fabiuſque an. CDXXCVII,M. autẽ Fuluius an.CDXXCIX triũpharũt,profecto interferẽdus eſt annus CDXXCVIII. Itaque recte in faſtis Siculis Pictori & Peræ Maximus & Vitulus ſuggerũtur; & apud Zonaram Q.Fabius ac Mamilius; & apud Cuſpinianum Q.Fabius Maximus, & L. Mamilius Vitulus.Ego vero hunc Q.Fabium Gurgitem ex Flori ſententia eſſe exiſtimo,qui Vulſinios hoc tempore a Fabio Gurgite victos eſſe tradit.

De re geſta cum Vulſinienſibus.

Hoc anno bellatum eſt cum Vulſinienſibus. Huius belli cauſſam his verbis expoſitam apud Zonaram video:Q.Fabio,& Mamilio COS. ad Vulſinienſes ſocios ſuos in libertatem vindicandos exercitum adduxerunt. qui cum Etruſcorum antiquiſſimi eſſent,magnas opes ſibi cõpararant,& mœnia validiſſima conſtituerant, & remp. bonis legibus inſtituerãt.qua de cauſſa diu Romanis bello reſtiterant. Vt autem ſubacti ſunt,ad delicias conuerſi, reip. adminiſtrationem ſeruis commiſerunt, & bella per eos plerumque gerebant:atque eo tandem eos euexerant, vt ipſi ſe in libertatem vindicantes,dominas etiam ſuas vxores ducerent,& dominis ſuccederent, & in ſenatum legerentur,& magiſtratus caperent,& ipſi omnem auctoritatem obtinerent, & iniurias a dominis factas petulanter obiicerent. Cum autem veteres ciues eos neque perferre,neque vlciſci viribus ſuis poſſent, clam legatos Romam miſerunt; qui precibus ſecreto impetrarunt vt ſenatus,ne res palam fieret, priuatim in ædibus cõueniret.Ac illi quidem vt nemine audiente deliberabant:Samnis autem quidam, ædium domini hoſpes,ægrotans per incuriam ibi relictus,cognito ſenatus cõſulto monuit eos qui accuſabantur.Illi vero legatos reuerſos comprehẽderunt; ac de iis quæſtione habita,cum quid ageretur cognouiſſent,eos vna cum aliis primoribus interfecerunt.Quare Fabius a Romanis contra eos miſſus, qui ſibi occurrerunt, in fugam vertit,ac pleroſque in fuga aſſequutus occidit:reliquis intra mœnia incluſis, ad oppidum exercitum adduxit. Vbi cum ex vulnere occubuiſſet, ſerui audenti animo eruperunt;atque iterum victi,pedem retulerunt.atque obſeſſi, tandem ob cibariorum inopiam ſeſe dediderunt.Conſul autem eos qui dominis ſuis magiſtratus ademerãt, excruciatos necauit,vrbem euertit;indigenas vero, & ſeruos qui in dominorum fide manſerant,alibi collocauit.Ita Zonaras.at Florus hoc modo;Poſtremi Italicorum in fide manſere Vulſinij opulentiſſimi Etruſcorum,implorantes opem aduerſus ſeruos quondam ſuos,qui libertatem a dominis datam in ipſos erexerant, tranſlataque in ſe rep.dominabantur.ſed hi quoque duce Fabio Gurgite pœnas dederunt. Auctor autem libri de viris illuſtr.ita; Vulſinij,Etruriæ nobile oppidum,luxuria pene perierunt. nam dum temere ſeruos manumitterent,dum in curiam legerent, conſenſu ſeruorũ oppreſſi,cum multa indigna paterentur,clam Roma auxilium petierunt. miſſuſque Decius Mus libertinos omnes aut in carcere necauit,aut dominis in ſeruitutem reſtituit. Ex his intelligi poteſt, Q.Fabium Gurgitem hoc bellum geſſiſſe hoc anno,eo mortuo Decium Murem bellum confeciſſe. Quoniam autem M.Fuluium Flaccum de Vulſinienſibus ſequenti anno triumphaſſe ſcriptum eſt in Capitolinis tabulis, fit vt non hoc anno, neque a Decio, ſed poſtero anno,& a M. Fuluio Flacco conſule bellum finitum eſſe putem;atque hunc eſſe conſulem eum cuius Zonaras poſt Fabij mortem meminit,a quo huic bello finem impoſitum tradit.

De cenſoribus & Luſtro XXXV.

CENSORES hoc anno Cn.Cornelium Blaſionem,& C.Marciũ Rutilum II,qui in hoc magiſtratu Cenſorinus appellatus eſt,luſtrum XXXV condidiſſe, ſcriptum eſt in tabula Capitolina. Qua de re ſic Eutropius; Cum iam clarum vrbis Romæ nomẽ eſſet,

eſſet, arma tamen extra Italiam mota non fuerant. vt igitur cognoſcerent quæ copiæ Romanorum eſſent, cenſus eſt habitus. tum inuenta ſunt ciuium capita CCXCII millia CCXXIIII. Et Oroſius, Sæuiente per biennium peſtilentia, inquit, cenſus indictus eſt; qui non quantum hominum deperiſſet, ſed quantum ſuperfuiſſet, inquireret. Luſtrum autem ſequenti anno conditum puto, quia in Epitoma luſtri mentio fit poſt pacem Hieroni regi datam, ita; Luſtrum a cenſoribus conditum: cenſa ſunt ciuium capita CCXCII millia CXXIIII. De Marcio autem cenſore iterum, ſic Valerius libro IIII; Marcius Rutilus Cenſorinus, iterum cenſor creatus, ad concionem populum vocatum quam potuit grauiſſima oratione corripuit, quod eam poteſtatẽ bis ſibi detuliſſet. Plutarchus item in Coriolano ait e Marciorum gente fuiſſe Cenſorinum, quem populus bis cẽſorem creauit. Hic ex cenſura bis nouo exemplo capta, *Cenſorinus* in hoc honore appellatus eſt.

De bello Punico primo.

Hoc anno bellum Punicum primum excitatum eſt; ſuſceptum autem anno ſequenti, Ap. Claudio, qui primus bellum intulit Pœnis conſule, anno (vt ait Solinus) CDXXCIX. in quo cum Capitolina ſumma conſentit. Belli cauſſæ ferebãtur hæ, vt inquit Zonaras: a Romanis, quod Pœni Tarentinis aduerſus ſe auxilio veniſſent: a Pœnis, quod Romani cum Hierone amicitiam iniſſent. vera autẽm cauſſa erat, quod ſe inter ſe ſuſpectos haberent, atque vterq; ſalutem ſuam in eo poneret, ſi alterum ſubegiſſet. Cum autem ita affecti eſſent, hæc belli gerendi occaſio incidit. Quo tempore Rhegium, vt inquit Polybius, a legione Romana D. Iubellio duce, qui vrbis præſidio præerat, in finibus Italiæ occupatum eſt, eodem etiam Meſſana in Sicilia Campani, qui ſub Agathocle meruerant, intra mœnia recepti, violata fide, ciuibus partim interfectis, partim expulſis, potiti ſunt. Supplicio de legione Romana a Romanis ſumpto, anno (vt ſcripſi) CDLXXXII, qui Meſſanam tenebant, cum metu perterriti, tum prœlio aduerſo cum Hierone, quo ille victor rex Syracuſanorum appellatus fuerat, fracti, alij Carthaginienſium, alij Romanorum præſidium implorarunt. Romani, veriti ne Carthaginienſes hac occaſione tota Sicilia potirentur, cum illi cetera omnia præter Meſſanam & Syracuſas tenerent, Mamertinis aduocantibus opem ferendam eſſe cenſuerunt. Hæc multis verbis Polybius; breuius Florus & Zonaras. Hoc autem loco magna habẽda vetuſtati gratia eſt, quæ cum omnia prope hiſtoriarum huius temporis monumenta conſumpſerit, integras nobis conſulares triumphaleſque tabulas vſque ad ſecundum bellum Punicum reliquerit. quas quibus poterimus antiquorum annalium teſtimoniis confirmabimus.

DE COS. AN. CDXXCIX.

In hunc annum edunt conſules Ap. Claudium, Q. Fuluium Caſſiodorus, Eutropius, Oroſius, & Florus: Caudicem & Flaccum faſti Cuſpiniani cum Siculis. Hi a Gellio lib. XVII, cap. XXI, nominantur Ap. Claudius Caudex Cæci frater, & M. Fuluius Flaccus, vt etiam in Capitolinis tabulis.

De re ab Ap. Claudio cum Pœnis geſta.

Ap. Claudio conſuli Sicilia prouincia obuenit; M. Fuluio, Etruria. Appius C. Claudium tribunum militum præmiſit. qui cum nauicula Meſſanam traieciſſet, ac fruſtra de pacis conditionibus cum vtriſque egiſſet, claſſe fretum ſuperare conatus, partim vi tempeſtatis, partim Pœnorum ſolertia multis nauibus amiſſis, vix Rhegiũ tenuit. Annone vero Pœnorum imperator, captis nauibus remiſſis, Claudium ad componendam pacem prouocauit: qua ille repudiata, ac claſſe refecta, æſtuſq; natura & freti notata, in Siciliam traiecit. Annone autem arcis præfecto in carcerem a Romanis approbantibus Mamertinis condito, Pœni legatum ad Romanos miſerunt, atq; vt certa die Sicilia excederent, edixerunt. quibus nõ obedientibus, Italos omnes qui ſub ſe ſtipendia faciebant, necarunt; & Hierone Syracuſanorum rege ſocio aſſumpto Meſſanam obſederunt, ac fretum, ne aut copiæ aut commeatus importarentur, cuſtodiuerunt. Conſul autem Appius, præſidiis Pœnorum deceptis, nocte traiecit,

Cōſiliū quo vſus eſt, tale narrat Frontinus: Ap. Claudius cos. inquit, cum a Rhegio Meſſanam traiicere militem nequiret, cuſtodientibus fretum Pœnis, ſparſit rumorē, quaſi bellum iniuſſu populi incœptum gerere non poſſet; claſſemque Italiam verſus ſe agere ſimulauit. digreſſis deinde Pœnis, qui profectioni eius habuerant fidem, circumactas naues appulit Siciliæ. Hieronem porro improuiſo adortus, cum eo ita conflixit, vt equeſtri prœlio victus, pedeſtri proſpere pugnauerit, ac Hieronem Syracuſas fugauerit. Variis deinde prœliis cum Carthaginienſibus ad Meſſanam factis, præſidio Meſſanæ relicto, Hieronem perſequutus eſt, ac Syracuſas obſedit: poſtremo in anguſtum adductus, captus eſſet, niſi antequam circumueniretur, de pacis conditionibus ad regem legatum miſiſſet. nam cum quidam veniſſet quocum de pace ageret, inter colloquendum paulatim receſſit, donec in tutum peruenit. Itaque Meſſanæ relicto præſidio, Rhegium ſe recepit. Huius triumphum nullum adſcripſerunt Capitolini ſcriptores, triumphaſſe autem eum, Eutropius auctor eſt, & Silius lib. VI, cum ait; *Appius aſtabat pugnæ, lauroque reuinctus, Iuſtum Sarranæ ducebat cæde triumphum.*

De re geſta cum Vulſinienſibus & triumpho M. Fuluij Flacci cos.

VVLSINIENSE bellum, vt dixi, a Q. Fabio cos. priore anno initum, hoc anno excidio Vulſiniorum a M. Fuluio Flacco cos. finitum eſt. oſtendit hoc triumphus eius Capitolinus, quem de Vulſinienſibus hoc anno ab eo actum eſſe, ſcriptum eſt. oſtendit etiam Zonaras; qui conſulem alterum, mortuo Fabio, ſupplicium de ſeruis ſumpſiſſe, & oppidum euertiſſe ait, atque hunc eſſe eum quem Decium Murem vocat ille qui ſcripſit de viris illuſtribus, puto. Accedit, quod idem Zonaras in rebus huius anni exponendis ait, Romanos rebus Etruriæ compoſitis, atque Italia plane pacata, ambos conſules in Siciliam miſiſſe. ſignificat enim hoc anno alterum tantum eſſe miſſum, Ap. Claudium; cum alter M. Fuluius Etruſco bello eſſet implicatus. Metrodorus, auctore Plinio libro XXXIIII, cap. VII, Vulſinios expugnatos eſſe propter duo millia ſtatuarum, Romanis obiecit.

DE COS. AN. CDXC.

M'. VALERIVM, M'. Otacilium conſules ſuggerunt Polybius, Caſſiodorus, atq; Eutropius: Valerium Maximum, & Otacilium Craſſum Zonaras: Maximum Meſſallam & Craſſum faſti Cuſpiniani, & Siculi. Vt autem in hoc honore Valerius Meſſalla dictus ſit, teſtibus Capitolinis ſcriptoribus, mox oſtendam. Vtrique Sicilia obuenit.

De Cn. Fuluio Centumalo dictatore.

DICTATOREM hoc anno Cn. Fuluium Centumalum cum magiſtro equitum Q. Marcio Philippo claui figendi cauſſa dictum, nemo prodit, niſi qui tabulas Capitolinas ſcripſit. Id autem mihi probatur, propter peſtilētiæ vim, quæ acrius ciuitatem per hos annos auctore Oroſio & Zonara vexauit. Clauo enim figendo peſtilentiam remitti, perſuaſum erat Romanis; vt ante diximus.

De re geſta cum Pœnis a conſulibus, & triumpho M'. Valerij Meſſallæ.

HVIVS anni res cum Pœnis geſtæ, non eodem modo traduntur ab omnibus. Nā Polybius ſic ſcribit; Conſules inde M'. Valerius, & M'. Otacilius in Siciliam traiiciūt. quorum aduentu non ſolum pleræque Carthaginienſium vrbes ad Romanos defecerunt; ſed ipſe etiam rex Hiero, rebus ſuis diffidens, pacem petiit, atque impetrauit his conditionibus; vt captiuos Romanorum ſine pretio dimitteret; argenti talenta centum penderet; ſocius populi R. eſſet. His rebus auditis, Carthaginienſes in Siciliā ſupplementum miſerunt, Agrigentum tamquam arcem aduerſus Romanos tenuerunt. Conſules fœdere cum Hierone icto, ex Sicilia receſſerunt. Et Zonaras; Conſules Valerius Maximus, & Otacilius Craſſus, tam ſeorſum, quam vna inſulam peruagantes, multos in deditionem acceperunt; ac locis pleriſque adiunctis, Syracuſas cōtenderunt. Hiero vero perterritus, redditis vrbibus quas ademerat, promiſſaque pecunia, & captiuis dimiſſis, pacem petiit, atque impetrauit, quod conſules opibus eius adiunctis, facilius debellari Pœnos poſſe rebantur. Pactis firmatis, ad alias vrbes in

quibus

quibus Punica præsidia erant, conuersi, & ceteris repulsis, Segestam vltro se dedentem receperunt: atque ob hibernum tempus Rhegium reuersi sunt, maiore Punicarum copiarum parte in Sardiniam transportata. Ita si Polybium sequamur & Zonaram, res ab his consulibus sine prœlio cum Hierone bene gesta est. Qui autem triumphum Messallæ Capitolinum de Pœnis & Hierone rege, & Valerium in hoc magistratu Messallam appellatum scripserunt, alios annales sequuti videntur, eosdē prope quos etiam Plinius, qui libro XXXV scribit; M? Valerius Maximus Messalla princeps tabulam picturæ prœlij, quo Carthaginienses & Hieronem in Sicilia deuicerat, proposuit in latere curiæ Hostiliæ, anno ab V.C. CDXC. Et lib. VII, cap. LX; M? Valerium Messallam bello Punico primo consulem, Catana in Sicilia capta, primū horologium in publico statuisse secundum rostra in columna, M. Varro tradit. Et Eutropius, qui ait; M? Valerio, & Otacilio cōsulibus, in Sicilia a Romanis res magnæ gestæ sunt; Taurominitani, Catanenses, & præterea quinquaginta ciuitates, in fidem acceptæ sunt. Idem etiā Eutropius in eo dissentit, quod pacem Hieroni regi datam nō primo belli anno scribit, vt est in libro de viris illustribus, & apud Florum & Orosiū, nec secundo, vt apud Polybium; sed tertio insequenti. Cum Capitolinis autem scriptoribus stat etiam Macrobius; qui libro primo Saturnalium scribit; Valerius Maximus postquam Messanam vrbem Siciliæ nobilissimam cepit, *Messala* cognominatus est. Credo etiam Liuium hos annales sequutum esse. sic enim scriptum est in epitoma eius XVI; Origo Carthaginiensium, & primordia vrbis eorum referuntur. contra quos & Hieronem regem Syracusanorum, auxilium Mamertinis ferendum censuit senatus. cum de ea re inter suadentes vt id fieret, dissuadentesque contentio fuisset, transgressis tum pimum mare equitibus Romanis aduersus Hieronem sæpius bene pugnatum. petenti pax data est. res præterea contra Pœnos, Vulsinios prospere gestas continet.

DE COS. AN. CDXCI.

CONSVLES subdunt Cassiodorus & Polybius L. Postumium, Q. Mamilium; Zonaras Postumium Albinum, & Q. Mamilium: fasti Siculi Albinum & Vitulum. at Capitolini L. Postumium L.F. L.N. Megellum, Q. Mamilium Q.F. M.N. Vitulū. Vtrique Sicilia decreta.

De re gesta cum Pœnis.

CONSVLES in Siciliam profecti, Agrigentum, quod a Pœnorum duce Annibale tenebatur, obsidēt: Erbesus, quod erat horreum populi Romani ab Annone receptum. Pœni nihilominus fame oppressi, ad summam dimicationē cum venissent, victi sunt. Agrigentum, clam præsidio Pœnorum egresso, in potestatem Romanorū venit. Hæc Polybius. at Eutropius ita; Afri tertio anno belli Punici primi, in Sicilia victi sunt: & de his iterum Romæ triumphatum est. Hunc tamen triumphum Capitolini scriptores non probant. De Agrigento obsesso a Romanis & capto, latius etiā Orosius & Zonaras.

DE COS. AN. CDXCII.

L. VALERIVM, T. Otacilium consules comparant inter se in hunc annum Polybius & Cassiodorus. Valerij cognomē est Flaccus, Otacilij Crassus, vt est in Capitolinis tabulis, itemque in Siculis.

De re gesta cum Pœnis.

VT Valerius & Otacilius consules nouo delectu habito in Siciliam missi, plerasq; mediterraneas ciuitates, pedestrium copiarum Romanarum metu; ita Pœni maritimas classis terrore ad se traxerūt. Id cum Romani animaduertissent, quinqueremes centum, triremes viginti exædificandas curant; quibus partim Italiæ oram tuerētur, partim Africam ipsam vexarent. Polybius. Atque hoc primum tempore Romani classem belli gerendi caussa habuerunt. Hos consules nihil memorabile in Sicilia gessisse tradit Zonaras.

DE COS. AN. CDXCIII.

Consvles ſuggerit Caſſiodorus & Zonaras Cn. Cornelium, C. Duilium: item etiam Polybius; præterquam quod Λίβιον habet pro Δυίλιον: Scipionem & Duilium faſti Siculi. Cn. Cornelius Scipio Aſina nominatur a Capitolinis ſcriptoribus, Oroſio, Eutropio, & Valerio lib. vi, cap. x. de quo cognomine ſic Macrobius lib. I. Saturn. *Aſinæ* cognomentum Corneliis datum eſt, quoniã princeps Corneliæ gentis empto fundo, ſeu filia data marito, cum ſponſores ab eo ſolenniter poſcerentur, aſinam cum pecuniæ onere produxit in forum; quaſi pro ſponſoribus præſens pignus. De C. Duilio mox dicam.

De nauali triumpho C. Duilij cos. de Pœnis.

Cn. Cornelius cos. claſſi præfectus, omnibus nauibus, vbi perfectæ eſſent, ad fretum venire iuſſis, ipſe cum decem & ſeptem Meſſanam contendit. inde cum, paratis neceſſariis rebus, quadam oblata ſpe, aliquanto celerius quam neceſſe erat, Liparas cum xvii nauibus conceſſiſſet, ibi ab Annibale Pœnorum duce cõcluſus & captus eſt. Annibal cum ad claſſem Romanorum ſpeculandam iret, atq; improuiſo in eam inſtructam incidiſſet, magna ſuarum nauium parte amiſſa, ipſe vix viuus effugit. His rebus auditis, C. Duilius pedeſtribus, quibus præerat, copiis tribunis militum traditis, ad claſſem ſe contulit; ac Pœnos nauali prœlio congreſſus, deuicit. Annibal vix Carthaginem incolumis rediit. Romani Segeſtam obſidione exemerunt, ac Macellam oppidum in Sicilia vi ceperunt. Hæc Polybius & Zonaras: quæ eadem ſunt in Epitoma xvii, ita; Cn. Cornelius cos. a claſſe Punica circumuentus, & per fraudem veluti in colloquium euocatus, captus eſt. C. Duilius cos. aduerſus claſſem Pœnorum proſpere pugnauit; primuſque omnium Romanorum ducum, nauali victoriæ duxit triumphum. ob quam cauſſam ei perpetuus quoque honos habitus eſt, vt reuertenti a cœna tibicine canente funale præferretur. Itaque apud Ciceronem Cato merito ita loquitur; C. Duilium M. F. qui Pœnos primus claſſe deuicerat, redeuntem a cœna ſenem ſæpe vidi puer. delectabatur crebro funali, & tibicine; quæ ſibi nullo exemplo priuatus ſumpſerat. tantam licentiam dabat gloria. Et Florus; Duilius victor, ad Liparas merſa & fugata hoſtium claſſe, primum illum maritimum egit triumphum. cuius quod gaudium fuit? cum Duilius imperator non contentus vnius diei triumpho, per vitam omnem, vbi a cœna rediret, prælucere funalia, & præcinere ſibi tibias iuſſit: quaſi quotidie triumpharet. Eadẽ Eutropius & Oroſius. & Plinius lib. xxxiiii; Columna poſita C. Duilio cos. qui primus naualem triumphum egit de Pœnis; quæ eſt etiam nunc in foro. Et Tacitus lib. ii; Iano templum apud forũ olitorium C. Duilius ſtruxit; qui primus rem R. proſpere mari geſſit, triumphumque naualem de Pœnis meruit. Idem eſt etiam apud ſcriptorem libri de viris illuſtr. De manibus ferreis, quas excogitauit in prœlio Duilius, & coruos nominauit, ſcribit Polybius, Frontinus libro ii. cap. iii.

DE COS. AN. CDXCIIII.

C. Aqvillivm, L. Cornelium conſules Caſſiodorus: Florum & Scipionẽ faſti Siculi: C. Florum, L. Scipionem Zonaras: C. Aquillium Florum, L. Cornelium Scipionem Eutropius & Oroſius ſuggerunt. Hos prætermittit Polybius. Tabulæ Capitolinæ cum annalibus conſentiunt Eutropij & Oroſij.

De triumpho L. Cornelij Scipionis cos. de Pœnis & Sardinia & Corſica.

L. Cornelivm Scipionem conſulem de Pœnis, Sardis, & Corſis triumphaſſe, ſcriptũ eſt in tabulis Capitolinis. De quo triumpho ſic Eutropius; C. Aquillio Floro, L. Cornelio Scipione cos. Scipio Corſicam & Sardiniam vaſtauit, multa millia inde captiuorum abduxit, triumphum egit. In Epitoma xvii; L. Cornelius in Sardinia contra Sardos & Corſos, & Annonem Pœnorum ducem feliciter pugnauit. Et Florus; L. Scipio cos. ſerpente latius bello, in Sardiniam, annexamque ei Corſicam, tranſit: vbi & Caracalæ vrbis excidio incolas terruit, & omnes Pœnos ita terra mariqu[e]

rique expugnauit, vt iam victoriæ nihil nisi Africa ipsa restaret. Item Orosius; item Zonaras: item Valerius libro quinto; L. Cornelius cos. primo Punico bello, cum Olbiam oppidum cepisset, pro quo fortissime pugnans Anno dux Carthaginiensium occiderat, corpus eius e tabernaculo suo amplo funere extulit. Et Frontinus libro III, L. Scipio in Sardinia cuiusdam ciuitatis per tumultum relicta oppugnatione, quam instruxerat, speciem fugientis præstitit; insequutisq; temere oppidanis, per eos quos in proximo occultauerat, oppidum inuasit. Hoc anno nihil memorabile gestum in Sicilia scribit Polybius. Quamquam vtrumque consulem de Pœnis triumphasse, scriptum est in Capitolinis tabulis. id quod probatur: quia Zonaras scriptum reliquit, Amilcarem Pœnorum ducem totam Siciliam in dicionem suam fuisse redacturum, nisi a C. Floro consule ei obuiam itum esset.

DE COS. AN. CDXCV.

A. ATILIVM, C. Sulpicium consules edit in hunc annum Polybius: A. Atilium Calatinum, C. Sulpicium Cassiodorus; CALATINVM & PATERCVLVM fasti Cuspiniani cum Siculis: A. Atilium Calatinum, C. Sulpicium Paterculum Capitolini: Atilium Calatinum, C. Sulpicium Zonaras.

De triumpho C. Aquillij Flori pro cos. de Pœnis.

C. AQVILLIVM Florum pro cõsule de Pœnis hoc anno triumphasse, scriptum inuenio in tabulis Capitolinis. Ex quo intelligi potest, rem priore anno ab ambobus cos. & in Sicilia & in Sardinia gestam. quamuis Polybius nihil gestum memoria dignum tradiderit.

De triumpho C. Sulpicij Paterculi cos. de Pœnis & Sardis.

CONSVLES in Siciliam profecti, Panormum, vbi Pœnorum tum copiæ hiemabant, totum belli impetum conuertunt. eo vero oppido relicto, Hippanam & Mytistratum capiunt; Camarinam, quæ a se defecerat, recipiunt; Ennam & alia Pœnorum oppida occupant; Liparas obsident. Ita Polybius. Qui vero scripsit de viris illustribus, hoc modo; Atilius Calatinus Enna, Drepano, Lilybæo hostilia præsidia deiecit, Panormum cepit: totamque Siciliam peruagatus, paucis nauibus magnam hostiũ classem duce Amilcare superauit. cum ad Camarinam ab hostibus obsessam properaret, a Pœnis in angustiis clausus est. vbi tribunus militum Calpurnius Flamma, acceptis trecentis, in superiorem locum euasit, consulem liberauit; ipse cum trecentis pugnans cecidit; & postea ab Atilio semianimis inuentus & sanatus est. Florus autẽ sic; Calatino dictatore, omnia fere præsidia Pœnorum Agrigento, Drepano, Panormo, Eryce, Lilybæo detracta: trepidatum semel circa Camarinensium saltum: sed eximia virtute Calpurnij Flammæ tribuni militum, euaserunt. In Epitoma autẽ XVII ita; Atilius Calatinus consul, cum in locum iniquum a Pœnis circumsessum temere duxisset exercitum, M. Calpurnij tribuni militum virtute & opera euasit; qui cum trecentis militibus eruptione facta, hostes in se conuertit. De eodem Calpurnio Orosius, Gellius lib. III cap. VII, Plinius lib. XXII cap. VI, Frontinus de stratagematis, Valerius. Agrigentum non recte Florus hoc anno captum scribit, cum biennio ante per obsidionem in potestatem Romanorum venerit. Præterea vero illud etiam apud scriptorem libri de viris illustribus est imprudenter scriptum, quod A. Atilio prœlium nauale tribuit; quod C. Atilio sequenti anno cõsuli tribuendum est; vt post dicam. apud Florum iterum, quod res has a Calatino dictatore gestas prodit; cum in consulatu gestæ sint. Porro autem C. Sulpicium in Sardinia rem gessisse, vt A. Atilium in Sicilia, apparet inde, quod Sulpicius de Pœnis & Sardis consul triumphauit; Atilius sequenti anno pr. de Pœnis ex Sicilia, auctoribus Capitolinis tabulis.

De censoribus & Lustro XXXVI.

IN tabulis Capitolinis hoc anno censor est C. Duilius. collega eius intercidit, neq; annalium ope vlla reperiri adhuc potuit. in fragmentis Capitolinis est syllaba SCI= ex qua apparet Scipionem fuisse; credo eum qui priore anno cõsulatum gessit. Lustrum factum esse XXXVI, probat sequens lustrum XXXVII.

DE COS. AN. CDXCVI.

Cn. Cornelium, C. Atilium Serranum consules prodit Cassiodorus: C. Atilium Polybius: C. Atilium Regulum Capitolinæ tabulæ: REGVLVM & BLASIONEM iterum, fasti Cuspiniani & Siculi. Hic Atilius primus fuisse videtur, qui *Serrani* cognomen tulerit. de quo Cicero pro Roscio; Næ tu Erucci accusator ridiculus esses, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro accersebantur qui cõsules fierent. etenim qui præesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen qui missi erant, conuenerunt, hominem turpissimum iudicares. & Valerius lib. IIII, Atilium, qui ad eum accersendum a senatu missi erant ad imperium populi R. suscipiendum, semen aspergentem viderunt. sed illæ rustico opere attritæ manus, salutem publicam stabilierunt, ingentes hostium copias pessumdederunt; quæque modo arantium boum iugum rexerant, triumphalis currus habenas retinuerunt. & Appuleius in Apologia Romanorum etiam maioribus Quinctiis & Serranis non modo vxores, verum etiam consulatus & dicturæ in agris offerebantur. Plin. lib. XVIII; Ipsorum tunc manibus imperatorum colebantur agri (vt fas est credere) gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore. serentem inuenerunt, dati honores; Serranum vnde cognomen. Ex his enim intelligitur, Atilium eũ qui Serranus dictus est, & consulatum gessisse, & triumphum egisse. quæ duo huic contigerunt.

De Q. Ogulnio dictatore.

Q. OGVLNIVM Gallum dictatorem cum M. Lætorio Planciano magistro equitum hoc anno creatum feriarum Latinarum caussa, nisi scriptum esset in Capitolinis tabulis, id, vt multa alia, vetustas obruisset. Hunc esse opinor eum qui consul ante fuit anno CDXXCIIII.

De triumpho A. Atilij Calatini pr. ex Sicilia de Pœnis.

IN tabulis Capitolinis est, A. Atilium Calatinũ pr. ex Sicilia de Pœnis triumphasse. de quo triumpho scribit etiam auctor libri de viris illustribus. De rebus autem ab eo gestis, diximus in anno priore. Illud admonendum hoc loco videtur, prætorem pro proconsule poni in tabulis Capitolinis. hoc enim significant, Atilium prorogato vltra consulatum imperio, non in magistratu triumphasse. nisi malis, eum post consulatum absentem prætorem creatum, in prætura triumphum egisse. quod quidem ego potius crediderim.

De triumpho nauali C. Atilij Reguli cos. de Pœnis.

C. ATILIVM Regulum consulem de Pœnis naualem egisse, inuenio scriptum in tabulis Capitolinis. qui triumphus probatur etiam auctoritate Orosij, qui sic ait; Annibal senior, a Carthaginiensibus iterum classi præpositus, infeliciter cum Romanis nauali prœlio congressus, & victus, ab exercitu suo seditione orta, lapidibus obrutus est. Atilius consul Liparam Melitamque, insulas Siciliæ nobiles, peruagatus euertit. Item Zonaras. Item in epitoma XVII; Annibal dux Pœnorum victa classe, cui præfuerat, a militibus suis in crucem sublatus est. Huc etiam referuntur quæ de A. Atilio Calatino sunt in libro de viris illustribus; Totam Siciliam peruagatus, paucis nauibus magnam hostium classem duce Amilcare superauit. Hos annales sequuti sunt ij, qui triumphum huius naualem Capitolinum scripserunt. nam Polybius bis mari pugnatum esse ab C. Atilio & Pœnis ait ita, vt ambo sibi victoriæ gloriam vindicarent: ceterum terra nihil memorabile gestum esse. Hinc factum est vt Plinius hũc triumphalem aratorẽ appellauerit; & Valerius triumphalis currus habenas eum tractasse tradiderit, vt ante exposui.

DE COS. AN. CDXCVII.

Q. CAEDICIVM, L. Manlium consules edit deinceps Cassiodorus: Vulsonem & Cædicium fasti Siculi: M. Regulum, L. Manlium Zonaras: M. Atilium Regulum, L. Manlium Vulsonem Eutropius. M. Atilium, L. Manlium Polybius. Liuius etiam libro trigesimonono, Post M. Atilium Regulum, inquit, & L. Manlium consules, A-

frica

frica nullas copias Romanas vidit, nisi post annos fere quinquaginta, cum P. Scipio traiecit. Eorundem meminit etiam Iustinus lib. XLI. Est autem intelligendum, Q. Cædicium in magistratu mortuum, M. Atilium in eius locum subrogatum, atque iterum factum esse. quod ex Capitolinis tabulis patet; in quibus est L. Manlius Vulso Longus, & in locum Q. Cædicij M. Atilius Regulus II: & ex libro Cuspiniani, apud quem est LONGVS & REGVLVS.

De triumpho nauali L. Manlij Vulsonis cos. de Pœnis, & rebus a M. Atilio Regulo cos. cum Pœnis gestis.

Hoc anno Romani pararunt omnia, vt in Africam traiicerent. Pœni id pro viribus impedire conati, prœlium nauale commiserunt. duces hinc erant cōsules, M. Atilius, L. Manlius; inde, Anno & Amilcar. victoria penes Romanos fuit. Iidem reparatis quas ceperant nauibus ad Mercurij promontorium, quod est in Africa, inde Aspidem vrbem a litore primam veniunt: eaque in deditionem accepta, in agrum Carthaginiensem impetum faciunt. L. Manlius Romam cum parte classis reuocatus est. M. Atilius in Africa cum XL nauibus, & XV millib. peditum, & D equitibus, mansit. Carthaginienses tribus ducibus, Asdrubali, Bostari, & Amilcari, regionis præsidium tradūt. Atilius Adi oppido obsesso, Tunete expugnato, cum successorem timeret, facere fœdus cum Carthaginiensibus voluit: quod ab iis propter acerbiores conditiones repudiatum est. Hoc Polybius. Eutropius paulo secus de eadem re ita; L. Manlio Vulsone, M. Atilio Regulo cos. bellum in Africam translatum est. contra Amilcarē Carthaginiensium ducem in mari pugnatum, victusque est. nam amissis LXIIII nauibus, regressus est. Romani XII amiserunt: cum in Africam transissent, primam Clypeam Africæ ciuitatem in deditionem acceperunt. consules vsque ad Carthaginem processerunt: multisque vastatis oppidis, Manlius victor Romam rediit, & XXVII millia captiuorum cum ingentibus spoliis reduxit. Atilius in Africa remansit; contra tres Carthaginiensium duces aciem instruxit, Asdrubales duos, & Amilcarē; ac dimicans, victor fuit. XVIII millia hostium cecidit, V millia cum XVIII elephātis cepit: serpentem miræ magnitudinis, qui milites multos, qui ad flumen Bagradam aquatum descenderant, deuorauerat, occidit: cuius corium CXX pedes longum fuit; Romam delatum, aliquandiu cunctis miraculo fuit. tum victi Carthaginienses, pacē a Romanis petierunt. In Epitoma autem XVII sic est; Atilius Regulus cos. victis nauali prœlio Pœnis, in Africam traiecit. item, in Africa serpentem portentosæ magnitudinis cum maxima militum clade occidit. Eadem sunt apud Orosium, & Florum, & Zonaram, & Silium. De sepente, & corio eius, Gellius lib. VI, cap. III: Valerius de miraculis. Hæc & naualem triumphum L. Manlij, de quo est in Capitolinis tabulis, & nobilem victoriam M. Atilij, confirmare possunt. Eodem anno extremo captū M. Atilium puto. id enim & tradit Zonaras, & hæc verba Liuij probant, quæ sunt lib. XXIIII; M. Atilius primo accessu ad Africam, non offendit: eique portus Africæ patuerunt: & quantum ad Carthaginienses duces, inuictus ad vltimum permansit. Captum autem ita scribit Eutropius; Cum Regulus pacem nisi duris conditionibus daret, Pœni auxilium a Lacedæmoniis petierunt; & dux eis missus Xanthippus, eius belli victor fuit. Regulus victus est vltima pernicie: II millia tantum ex Romanis effugerunt; XV millia cum Regulo capta, XXX millia cæsa. Xanthippus ilico in Græciam nauigauit; Regulus in catenas coniectus. Polybius elephantorum maxime caussa cladem acceptam scribit. De eodem etiam capto pluribus agit Zonaras.

DE COS. AN. CDXCVIII.

SER. Fuluium, M. Aimilium consules in hunc annum prodit Polybius: Nobiliorem & Paullum fasti Cuspiniani: Paetinum & Paullum Siculi: Ser. Fuluium Nobiliorem, M. Aimilium Paullum Cassiodorus, & cum fastis Capitolinis Eutropius. Vterque in Siciliam missus.

De triumphis Ser. Nobilioris, & M. Paulli pro cos. de Coſſurenſibus & Pœnis.

IGITVR Æmilius Paullus & Fuluius Nobilior conſules, audita captiuitate Reguli (inquit Oroſius & Zonaras) & clade exercitus Romani, tranſire in Africam cum claſſe CC nauium iuſſi, Clupeam petunt. Eo & Carthaginienſes cum pari claſſe confeſtim venerunt. nec differri potuit nauale certamen. CIIII naues Carthaginienſiũ demerſæ: XXX cum pugnatoribus captæ: præterea XXXV millia militum cæſa ſunt. Romanorum autem nouem nauibus deprehenſis, mille cētum periere milites. conſules Clupeæ caſtra poſuerunt. cum duo Annones eo cum magno exercitu conueniſſent, prœlio commiſſo, IX millia militum perdiderunt. poſt autem, cum Romana claſſis ad Italiam prædis onuſta remearet, infando naufragio euerſa eſt. nam ex CCC nauibus CCXX perierunt, LXXX vix abiectis oneribus liberatæ ſunt. Amilcar cũ exercitu in Numidiam Mauritaniamque miſſus, poſtquam hoſtiliter in vniuerſos egit, quod Regulum libenter ſuſcepiſſe dicerentur, mille argenti talentis, & XX millibus boum reliquos condemnauit. Eadem ſunt apud Polybium fere & Eutropium: de naufragiis Romanis in Epitoma XVIII. Itaque in Capitolinis tabulis ſcriptum eſt, vtrumque conſulē de Coſſurenſibus & Pœnis pro conſule ſequenti anno triumphaſſe. vt omnino naufragia conſulibus, quo minus victoriæ honorem meritum adepti ſint, impedimento fuiſſe non videantur. Coſſura autem inſula fuit in mari Africo ad quam conſules tempeſtate delatos eſſe; eamque vaſtatam præſidiiſque firmatam reliquiſſe, tradit Zonaras.

DE COS. AN. CDXCIX.

CN. Cornelium, A. Atilium conſules memorat in hunc annum Caſſiodorus, & Polybius: A. Atilium Calatinum II, Cn. Cornelium Scipionem Aſinam II, ſcribunt Capitolini auctores. De Cn. Cornelio Aſina cos. II ſic Valerius lib. VI; Cn. Cornelius Scipio Aſina, qui conſul a Pœnis apud Liparas captus fuit, cum belli iure omnia perdidiſſet, cuncta recuperauit conſul iterum creatus. ita ex conſule captiuus, ex captiuo iterum conſul factus.

De re geſta a conſulibus cum Pœnis, & triumpho Cn. Cornelij Aſinæ pro cos. de Pœnis.

ROMANI ducentarum & viginti nauium claſſe refecta, conſules Cn. Corneliũ, A. Atilium in Siciliam miſerunt, qui acceptis iis quæ ex naufragio ſuperfuerunt, & claſſe trecentarum nauium facta, Panormum Pœnorum vrbem obſidione ceperũt. Ita Polybius, & Zonaras. Eutropius item claſſem ducentarum nauium ſtatim a Romanis reparatam ſcribit. Hac de cauſſa factum eſt vt Cn. Cornelius de Pœnis, ſed pro conſule, atque inſequenti anno, triumphauerit. eius enim triumphus in Capitolinis tabulis ſcriptus eſt; præterea nuſquam.

DE COS. AN. D.

CONSVLES ſuggerit Caſſiodorus & Polybius Cn. Seruilium, C. Sempronium. Cæpionem & Blæſum faſti Siculi: Seruilium Cæpionem & C. Sempronium Zonaras: Cn. Seruilium Cæpionem, C. Sempronium Blæſum Eutropius & Oroſius. Eorundem meminit etiam Solinus capite XXX, & lapis Capitolinus.

De cenſoribus abdicatis.

CENSORES in hunc annum coniiciunt Capitolini ſcriptores D. Iunium Peram, L. Poſtumium Megellum, qui idem prætor erat. Ceterum abdicatos eos morte Poſtumij intelligendum eſt. Nam nec luſtrum adſcriptum eſt, & poſtero anno alteri cenſores creati ſunt. Horum autem meminit, quod legerim, nemo.

De triumpho C. Sempronij Blæſi cos. de Pœnis.

CONSVLES CL nauibus in Siciliam, inde in Africam tranſgreſſi, vniuerſam oram maritimam quæ circa Syrtes eſt, depopulati ſunt. ignari autem locorum, cum in Syrtes impuliſſent, onera abiicere omnia, vt naues ſubleuarent, coacti, cum retro in Siciliam, atque ex Sicilia in Italiam [illegible]ent, coorta tempeſtate, CL naues onerarias & prædam amiſerunt. Itaque S. C. factum, ne amplius quam LX nauium claſſis ad

ad subsidium Italiæ haberetur. Hæc Polybius, Eutropius, Orosius, & Zonaras. Itaque Solinus cap. XXX, Cn. Seruilio, C. Sempronio cos. inquit, inter Syrtes classis Romana impulit. Adiicit etiam Polybius, a consulibus his nihil memorabile gestum. vt nō eosdem omnes sequuti annales videantur: siquidem rem præclare gestam esse, indicant ij qui Capitolinum triumphum C. Sempronij Blæsi consulis de Pœnis descripserunt. forte autem, quia maritimam oram late populatus erat, Sempronius triumphum impetrauit.

DE COS. AN. DI.

CONSVLES subiicit Cassiodorus C. Aurelium Cottam, & P. Geminum: Cottam & Geminum fasti Siculi; C. Aurelium Cottam, P. Seruilium Geminum Capitolini. P. Seruilium, C. Aurelium Zonaras. Cicero in Lucullo C. Cottam cum P. Seruilio Gemino bis consulem fuisse scribit. C. Cottæ consulis in Sicilia meminit etiam Frontinus lib. IIII de stratagematis, & Orosius.

De censoribus & Lustro XXXVII.

M'. VALERIVM Maximum, P. Sempronium Sophum censores edunt in eundem annum Capitolinæ tabulæ, ab iisque lustrum XXXVII conditum profitentur. De quibus hæc tantum Valerius capite de censoria nota; P. Sempronius Sophus, M'. Valerius censores, quadringentos iuuenes equites, quia in Sicilia ad munitionum opus ire iussi, facere id neglexerant, equis publicis spoliatos, in numerum ærariorum retulerunt. Et in Epitoma XVIII; P. Sempronius Sophus, M'. Valerius Maximus censores cum senatum legerent, XIII senatu mouerunt; lustrum condiderunt, quo censa sunt ciuium capita * CCXCVII millia * DCCXCVII.

De triumpho C. Aurelij Cottæ cos. de Pœnis & Siculis.

C. AVRELIVM Cottam consulem de Pœnis & Siculis triumphasse, nemo prodit nisi is qui Capitolinos triumphos digessit. Probant autem hunc triumphum verba Orosij, ita scribentis; Patres decreto rupto, Cottam consulem in Siciliam miserūt. qui plurimis prœliis aduersus Pœnos & Siculos terra marique pugnauit, & per totam Siciliam partim hostium, partim etiam sociorum inhumanas strages reliquit. Et Frōtinus lib. IIII sic; Aurelius Cotta consul, cum ad opus equites necessitate cogentē iussisset accedere, eorumque pars detrectasset imperium, quæstus apud censores, effecit vt notarentur. a patribus deinde obtinuit ne eis præterita æra procederent. Tribuni quoque plebis de eadem re ad populum pertulerūt. omniumque consensu stabilita disciplina est. Item; Cotta consul in Sicilia in Valerium nobilem tribunum militum virgis animaduertit. Idem P. Valeriū Pecuniolam sanguine sibi iunctum; quē obsidioni Liparitanæ ad auspicia repetenda Messanam transiturus, præfecerat, virgis cæsum militiæ munere inter pedites fungi coegit; quod eius culpa ager incensus, & pene castra erant capta. Polybius Cottæ nomen omisit: victoriam autem his (vt puto) verbis expressit: Romani accepta ab elephantis in Africa clade, adeo perculsi erant, vt per biennium partim in agro Africo, partim in Selinuntino, cum prope hostes quinque aut sex stadia castra fecissent, nec pugnam inire, nec æquis se campis committere auderent, quod elephantorum incursionem pertimescerent. Thermam autem ac Liparas interea obsederunt. Cum hæc ratio facit vt Orosio non assentiar, qui Cottam mari pugnasse tradidit; tum vero quod nec Cottæ triumphus naualis fuisse traditur, & Romani nisi biennio post, decretum de classe restituenda fecerunt. Cottam Zonaras nauibus Hieronis regis vsum scribit.

DE COS. AN. DII.

L. CAECILIVM, Cn. Furium consules Polybius suggerit: Metellum & Pacilum fasti Siculi: Cæcilium Metellum, C Furium Zonaras: L. Cæcilium Metellum, C. Furium Cassiodorus: L. Cæcilium Metellum, C. Furium Pacilum Eutropius, Orosius, & lapis Capitolinus. Hic est L. Metellus bis consul, & Pont. max. de quo Plinius lib. VII, cap. XLIII.

De re gesta cum Pœnis a L. Metello cos.

L. CAECILIVM Metellum consulem rem cum Pœnis in Sicilia bene gessisse nemo negat. pro consule etiam gessisse, indicat triumphus eius, quem pro consule egit VII idus Septembr. Hoc enim tempore consules iniisse arbitror aut Maio, aut Iunio mense; quod priore anno C. Cotta extremo (vt par est) consulatu de Pœnis & Siculis idib. Aprilis triumphauerit. De rebus autem a Metello gestis sic Polybius; L. Metellus, C. Furius, in Siciliam cum pedestribus copiis missi. iis naues tantum LX comportandi frumenti caussa datæ, quod Romani sæuissimis naufragiis conflictati, mari sibi abstinendum esse decreuissent. Asdrubal autem, Romanorum metu cognito, cum, altero consule cum parte copiarum Romam reuerso, solum Metellum Panormi se continere audiret, ex Lilybæo in Panormitanum agrum irrupit; vt, si posset, Metellũ ad prœlium prouocaret. eum Metellus traiicientem flumen adortus, maxime elephantorum, quos in Romanos ille impulerat, in suos fuga, summo prœlio superauit. quo factum est vt vrbe egressus, castra & ipse sub dio habuerit. Ita Polybius. Orosius autem hoc modo; Asdrubal nouus Pœnorum dux, cum elephantis CXXXIII, & equitum peditumque amplius XX millib. Lilybæum venit ex Africa, & cum Metello consule apud Panormum pugnauit. sed Metellus vim belluarum timens, eas consilio vel fugauit vel cecîdit: & sic facile magnam vim hostium superauit. XX millia Carthaginiẽsium cæsa; elephanti XXVI interfecti; CIIII capti, & per Italiam ducti maximum Italis spectaculum præbuere. Asdrubal cum paucis Lilybæum profugit: & absens a Pœnis capite damnatus est. Et Eutropius; Metellus consul in Sicilia Asdrubalem cum CXXX elephantis, & magnis copiis vicit. apud Panormum XX millia hostium occidit; XXVI elephantes cepit, reliquos errantes collegit. De eodem ita etiã in Parallelis Plutarchus; Pœnis ac Siculis socia aduersus Romanos arma parantibus, Metellus imp. omnibus diis præterquam Vestæ, sacrificium fecit. quæ cum aduersos ventos immisisset, C. Iulius augur eos cessaturos dixit, si ante filiam immolasset. quod cum ille facturus esset, dea buculam supposuit. Hoc anno victos Pœnos Regulum captiuum Romam de pace, aut de captiuis commutandis misisse; vtrumq; eum in senatu dissuasisse, scribit Eutropius, Orosius, Gell. lib. VI cap. IIII, Valerius lib. primo, cap. I, Cicero de Off. de Finibus; Epitoma XVIII, Zonaras pluribus, & Silius.

DE COS. AN. DIII.

C. ATILIVM, L. Manlium consules edit hoc anno Polybius: C. Atilium Regulum, L. Manlium Cassiodorus: C. Atilium Regulum, L. Manlium Vulsonem, ambos iterum, Orosius, & lapis Capitolinus: C. Atilium Reguli fratrem, & L. Manlium Zonaras: Regulum & Vulsonem fasti Siculi.

De triumpho L. Metelli pro cos. de Pœnis.

L. METELLVM pro consule triumphasse de Pœnis, tradunt Capitolini scriptores. qui triumphus omnium pene annalium vocibus celebratur. sic enim loquitur Plinius lib. VIII; Roma plurimos elephantos anno quingentesimo secundo vidit, victoria L. Metelli pont. in Sicilia de Pœnis captos. Et lib. VII; L. Metellus pont. bis cos. dict. magister eq. primus elephantos primo Punico bello duxit in triumpho. Et lib. XVIII; M. Varro auctor est, cum L. Metellus in triumpho plurimos duxit elephãtos, assibus singulis farris modios fuisse. Epitoma autem XIX, ita; Cæcilius Metellus rebus aduersus Pœnos prospere gestis, speciosissimũ egit triumphum XIII ducibus hostium, & CXX elephantis in eo ductis. Et Florus; Argumentum ingentis victoriæ Metelli centum circiter elephantorum captiuitas. Eutropius CXXX elephantos in triumpho ductos scribit. Quo præterea consilio elephantos traiecerit in Italiam Metellus, Frontinus docet libro primo cap. VII.

De re gesta a consulibus cum Pœnis.

HOC anno Romani, inquit Polybius, Metelli victoria elati, noua ædificata classe, & vetere refecta, consules C. Atilium & L. Manlium in Siciliam miserunt. hi

acceptis pedestribus copiis,ad Lilybæum obsidendum pergunt.Imilco vrbi præerat. cum obsidio differretur, Annibal Amilcaris filius ex Africa cum classe missus, atque intra oppidum receptus,Pœnorum animos confirmauit. multis Romanorum diuturna obsidione deletis,Romani supplementum miserunt. Hæc Polybius. Orosius autem sic; Remisso Regulo captiuo Carthaginem,alter Atilius Regulus, & Manlius Vulso,ambo II consules,cum classe C C nauium, & IIII legionibus, Lilybæum profecti sunt. quod oppidum obsidere Romani conati, superueniente Annibale Amilcaris filio victi,maiore exercitus sui parte amissa,ipsi ægre euaserunt.

DE COS. AN. DIIII.

CONSVLES subiicit P.Claudium,L.Iunium Cassiodorus & Polybius: L. Iuniũ, Claudium Pulchrum Zonaras. Claudio Pulchrum Florus, & Suetonius in Tiberio; Iunio Pullum Censorinus cognomine adiiciunt. quæ eadem sunt etiam in Siculis & Capitolinis tabulis. Hunc P.Claudium Cicero de diuinatione,& de natura deorum, Ap.Cæci filium; Plinius lib.x v,nepotem vocant.cum Cicerone stant Capitolini scriptores.Eorundem consulum meminit Valerius lib.I,cap.IIII.

De re gesta a consulibus cum Pœnis.

P. CLAVDIVS consul in Siciliam,vt exercitui præesset,missus, cum Drepanum, vbi Adherbal erat,nauigaret;cum eodem occurrente congressus, vix cum X X X nauibus incolumis euasit. X C I I I in manus hostium peruenere. propterea a Romanis postea iudicio condemnatus,quod eius temeritate cladem eam acceptam satis constabat. L. Iunius consul alter,refecta classe a Romanis in Siciliam mittitur, vt iis qui Lilybæum obsiderent,adesset. classis Romana, quæ in portu Lilybætano erat,interea a Carthalone & Imilcone præfectis partim incenditur, partim capitur. ad cuius rei nuncium,cum L. Iunius,qui Syracusis erat, properaret, orta sæua tempestate omni classe amissa,sollicitus Lilybæum contendit. inde in Eryce monte & oppido capto præsidiis impositis,Romam rediit. Hæc Polybius. De eadem autem re Orosius sic; Claudius consul cũ classe C X X nauium ad Drepani portum cõtra hostem profectus, ibique mox exceptus classe Pœnorum, superatus est: & ipse quidem cum X X X nauibus Lilybæum in castra confugit,reliquæ omnes aut captæ aut demersæ fuerunt. VIII millia militum cæsa, X X millia capta referuntur: L. Iunius collega Claudij vniuersam classem naufragio amisit. Eutropius autem ita; Claudius contra auspicia pugnauit,& a Carthaginiensibus victus est: Iunius classem naufragio amisit: exercitum tamen saluum habuit,quia vicina litora erant. De neglectis ab vtroq; consule auspiciis Cicero de diuinatione,& de natura deorũ, sic; P. Claudius Ap. Cæci filius, primo Punico bello etiam per iocum deos irridens,cum cauea liberati pulli non pascerentur,mergi eos in aquam iussit,vt biberent,quoniam esse nollent. qui risus multas ipsi lacrhymas,magnam populo Ro.cladem attulit:itaque a populo cõdemnatus est. L.autem Iunius P.Claudij collega,tempestate classem amisit,cum auspiciis non paruisset.itaque necem sibi ipse consciuit. Valerius tamen lib.VIII, Claudium damnatum non esse ostendit,cum ait; P. Claudius neglectis auspiciis amissa classe, infesto populo obiectus,cum effugere debitam pœnam nullo modo posse crederetur, subito coorti imbris beneficio a damnatione tutus fuit.discussa enim quæstione,aliam velut diis interpellantibus de integro instaurari non placuit. Iunium a Carthalone captum scribit Zonaras.

De M. Claudio Glicia dict. abd. A. Atilio Calatino dictatore suffecto.

HOC anno M. Claudio dictatore creato,eoque abdicato, A. Atilium Calatinum subrogatum esse inuenio, non solum in Capitolinis tabulis,sed etiam apud Suetoniũ in Tiberio,& in Epitoma X I X. Suetonius quidem sic scribit; Claudius Pulcher apud Siciliam non pascentibus in auspicando pullis, ac per contemptum religionis mari demersis, vt biberent,quando esse nollent, prœlium nauale iniit: superatusque,cum dictatorem dicere a Senatu iuberetur, velut iterum illudens * crimini publico, Gliciam viatorem suum dixit. In Epitoma autem scriptum est ita; Claudius Pulcher

consul, qui contra auspicia profectus iussit immergi pullos, qui cibari nolebant, infeliciter aduersus Carthaginienses classe pugnauit: & reuocatus a senatu, iussusq; dictatorem dicere, C. Glauciam dixit vltimæ sortis hominem. qui coactus abdicare se magistratu, postea ludos prætextatus spectauit: Atilius Calatinus primus dictator exercitum extra Italiam duxit. Dio etiam lib. XXXVI, obseruatum esse diligenter ait, ne dictator extra Italiam imperium haberet. ac nemini vnquam nisi vni in Siciliam id esse delatum. De L. Cæcilio Metello magistro equitum agit Plin. lib. VII, cap. XLIII. Quæ Calatinus dictator in Sicilia gesserit, ea ad nos non peruenerunt. Zonaras a Calatino dictatore, & Metello magistro equitum, nihil memorabile gestum esse ait.

DE COS. AN. DV.

P. SERVILIVM, C. Aurelium consules suggerit Cassiodorus. Hos bis consules fuisse scribit in Lucullo Cicero: quod etiam ex Capitolinis & Siculis tabulis intelligitur; in quibus cognomina horum sunt Geminus II, & Cotta II.

De re gesta cum Pœnis.

Hoc anno C. Aurelius, & P. Seruilius consules, Lilybæum & Drepanum oppida oppugnarunt, ac Pœnos terra prohibuerunt, & socias eorum vrbes populationibus infestas reddiderunt. Quos vt auerteret Carthalo, classe oram Italiæ peragrauit. Sed inito consilio, mercenariorum militum seditione permotus, in Siciliam rediit. Hæc Zonaras. Polybius autem Romanos inquit, prioris anni naufragiis afflictos, per quinque annos mari abstinuisse. sic enim potius apud eum legendum puto, quam *quindecim*. Classem Punicam insequentibus post Claudium consulem annis Italiæ oram infestam reddidisse, eamque lōge lateque vastasse, auctor est Eutropius, & Polybius. Multa interea per tres annos prœlia ad Erycem commissa esse inter Romanos & Pœnos, cum summum & imum montem Romani, Amilcar Barca eorum imperator mediam vrbem teneret; verum quibus Romanis ducibus, ac quid quoque anno sigillatim gestum sit, memoriæ proditum non esse ait Polybius.

DE COS. AN. DVI.

L. CAECILIVM, M. Fabium consules in hunc annum edit Cassiodorus: Cæcilium Metellum, & Numerium Fabium Zonaras: METELLVM II, & BVTEONEM II, fasti Cuspiniani & Siculi: L. Cæcilium Metellum II, N. Fabium Buteonem II, Capitolini Metellum bis consulem fuisse, tradit etiam lib. VII Plinius. Hoc anno Metellus cos. ad Lilybæum fuit; Fabius Drepanum obsedit, & Columbariam insulam cepit. Pœni Italiæ oram classe vexarunt. Zonaras.

De censoribus & Lustro XXXVIII.

CENSORES A. Atilium Calatinum, A. Manlium Torquatum Atticum hoc anno lustrum fecisse XXXVIII, inuenio in tabulis Capitolinis scriptum. De censorū nominibus nihil proditum ab aliis est. De lustro ita est in Epitoma XIX; Lustrum a censoribus conditum est: censa sunt ciuium capita CCLI millia CCXXII.

DE COS. AN. DVII.

M. FABIVM, M. Otacilium consules suggerit Cassiodorus: Crassum & Licinū, fasti Siculi: Fabium Licinum, & Otacilium Crassum Gellius libro X, capite VI: M. Fabium Licinum, M'. Otacilium Crassum Capitolini lapides. His consulibus, auctore Gellio, Claudia Cæci filia, P. Claudij soror, a ludis diuertens, cum turba premeretur, dixit, Vtinam frater meus viueret, iterumque classem duceret: propter eaque C. Fundanius, & Ti. Sempronius ædiles pl. multam dixerunt ei æris grauis XXV millia. Idem scriptum est apud Suetonium in Tiberio, & Valerium, & in Epitoma XIX. Hi consules cum insequentibus nihil memoria dignum in Sicilia gesserunt.

De Ti. Coruncanio dictatore.

TI. Coruncanium dictatorem cum magistro eq. M. Fuluio Flacco comitiorum haben-

habendorum caussa creatum, nisi Capitolinæ tabulæ tradidissent, in huius profecto historiæ ignoratione, in tanto præsertim annalium silentio, versati essemus, nec clarissimum hunc summi viri titulum cognouissemus. hic est enim Ti. Coruncanius, qui consul triumphauit, & primus de plebe pontifex maximus factus est.

DE COS. AN. DVIII.

M. FABIVM, C. Atilium consules in hunc annum memorat Cassiodorus: Buteonem & Bulbum Siculæ tabulæ; M. Fabium Buteonem, C. Atilium Bulbum Capitolinæ. De re a M. Fabio consule gesta sic Florus; M. Fabio Buteone consule, populus Romanus classem hostium in Africo mari apud Ægimurum in Italiam vltro nauigantem cecidit. Quantus ò tum triumphus tempestate intercidit. Classis autem intelligenda est quam ad tutanda Italiæ litora Romani habuerunt. Eodem anno Fregellæ colonia deducta. Velleius lib. primo, Epitoma xix.

DE COS. AN. DIX.

CASSIODORVS consules prodit A. Manlium, C. Sempronium; Torquatum & Blæsum fasti Siculi: ATTICVM & BLAESVM liber Cuspinianus: A. Manlium Torquatum Atticum, C. Sempronium Blæsum II, Capitolini scriptores. Horum consulum sic meminit Velleius; Brundusium colonia deducta Sempronio & Torquato cos. Cuius rei mentio est etiam in Epitoma xix.

DE COS. AN. DX.

C. FVNDANIVM, C. Sulpicium consules subdit Cassiodorus: Fundulum & Gallum Siculi scriptores: C. Fundanium Fundulum, C. Sulpicium Gallum Capitolini. Horum meminit præterea nemo.

DE COS. AN. DXI.

CONSVLES in hunc annum prodit Cassiodorus C. Lutatium, A. Postumium: Catulum & Albinum fasti Siculi: C. Lutatium Catulum, A. Postumium Albinum Eutropius, & Capitolini auctores. Horũ & alij meminerunt, vt mox dicemus. Cæcilius Metellus pont. max. A. Postumium consulem, quoniam idem & flamen Martialis erat, cum ille ad bellum gerendum proficisci vellet, in vrbe tenuit, nec passus est a sacris recedere: Epitoma xix. C. Lutatio consuli Sicilia obuenit. Q. Valerius Falto prætor, adiutor Lutatio datus. Hoc anno primum pretores duos creatos opinor: (quod ex Epitoma etiam ipsa cognosci potest) vnum, qui in vrbe ius diceret; alterum, qui Lutatium consulem in bello iuuaret. Zonaras hunc pretorem Q. Valerium Flaccum appellat.

De re gesta a C. Catulo consule cum Pœnis.

HOC anno Romani reparata classe, C. Lutatium consulem aduersus Pœnos miserunt. Huic, cum iam Drepani portum, ceteraſque quæ circa Lilybæum sunt stationes, in potestatem redegisset, Anno classis præfectus ad Amilcarem nauigans occurrit. summo commisso prœlio, res Romana superior fuit: naues Pœnorũ submersæ L, captæ LXX, reliquæ Hieronesum refugerunt: viui capti amplius X millia hominum. Hæc Polybius & Zonaras. Orosius autem ita; Lutatius cum classe CCC nauium in Siciliam transuectus, dum apud Drepanum ciuitatem pugnam inter primores Siciliæ cieret, transfixo femore, ægerrime, cum iam obrueretur, erectus est. Porro autem Pœni cum CCC nauibus magnisque copiis ad Siciliam duce Annone concurrunt. Nec tamen Lutatius segnior: immo cõsilia Pœnorum mira celeritate præuenit: postquam proxime sibi vtrorumque classes apud Ægates insulam per totam noctem intertextis propemodum ancoris constiterunt, orta luce prior Lutatius signum bello dedit. crudescente pugna victus Anno nauem auertit, & dux fugæ primus fuit. aliquanta cum eo pars exercitus sui, Africam petunt: alij Lilybæum confugere. LXIII Punicæ naues captæ sunt, CXXV demersæ; XXII millia hominum capta, cæsa XIII millia. Romanorum autem XII naues demersæ sunt. Lutatius deinde ad Erycinam ciuitatem, quam Pœni tenebant, venit: ibique duo millia Carthaginiẽsium conserta

pugna interfecit. Idem scribit Eutropius. Idem est in Epitoma XIX his verbis; Rebus aduersus Pœnos a pluribus ducibus [prospere] gestis, summam victoriæ C. Lutatius consul, victa ad Ægates insulam classe Pœnorum, finem bello imposuit. Liuius lib. XXII; Modo C. Lutatio quæ alia res quam celeritas victoriam dedit? quod postero die quam hostem vidit, classem graue commeatibus, impeditam suo & ipsam instrumento & apparatu, oppressit?

DE COS. AN. DXII.

Q. LVTATIVM, A. Manlium consules in hunc annum edunt Cassiodorus, Eutropius & Orosius: Cerconem & Torquatum fasti Siculi; Q. Lutatium Cerconem, A. Manlium Torquatum Atticum II, Capitolini. C. Lutatius Cerco legatus etiam quidam lib. XLII nominatur a Liuio. C. Lutatio & Q. Valerio prorogatum imperiū est. His cos. cum templum Vestæ arderet, L. Metellus pont. max. sacra ex incendio rapuit. Orosius, Epitoma XIX, Plinius lib. VII, Valerius lib. I, Plutarchus in Parallelis. Velina & Quirina tribus adiectæ; Epitoma XIX: Spoletum colonia deducta, Floralia instituta; Velleius lib. primo, Epitoma XIX, & Plin. lib. XVIII, cum ait; Floralia XIIII K. Maij ex libris Sibyllæ, vt omnia bene deflorescerent, instituta.

De pace Pœnis data, & triumphis naualibus C. Lutatij Catuli cos. Qu. Valerij Faltonis pro pr. de Pœnis.

Hoc anno petentibus Carthaginiensibus pax data est. Loquitur enim Anno sic apud Liuium lib. XXI; Lutatio & Postumio consulibus victi apud Ægates sumus. & lib. XXX Liuius ipse ita; Q. Lutatio, A. Mālio consulibus, pax postremo cum Carthaginiensibus facta est. Zonaras etiam Q. Lutatium consulem cum Catulo fratre res in Sicilia composuisse, atque prouinciam ordinasse ait. Probus Amilcarem, cum eum Eryce excedere relictis armis Catulus iuberet, se periturum potius respōdisse tradit, quam vt arma contra hostes a patria data hostibus traderet. Itaque merito Liuius ita ait lib. XXVI; Fœdera Carthaginiensium cum Romanis, Amilcaris scripta manu sunt. Amilcar iussus a consule, præsidium ab Eryce deduxit, & graues leges impositas Carthaginiensibus mœrens accepit. Et lib. XXI; Pœni ab Eryce duodeuicenis denariis æstimati, emissi. Leges autem hæ latæ sunt; Pœni Sicilia, & omnibus insulis quæ inter Italiam & Africam sunt, excedunto: duo millia & ducenta talenta in annos XX pendunto, in præsens mille: captiuos Romanos sine pretio reddunto: Vtriusque populi socij apud vtrumque populum tuti sunto: Alterius socios neuter in amicitiam recipito. Neuter in alieno imperio imperato, neue milites conducito. Polybius, Eutropius, alij. Itaque Liuius lib. XXI ait; Pœni nauali ad Ægates clade accepta, Sicilia & Sardinia cessere, & se vectigales ac stipendiarios fieri passi sunt. Hic autē annus est huius belli XXIIII. quem qui negligunt, bellum hoc per XXIII annos duntaxat gestum tradunt. Ceterum C. Lutatium Catulum, qui Pœnos vicit & bellum confecit, hoc anno pro consule de Pœnis naualem triumphum egisse, idemque Q. Valerium Faltonem pro prætore fecisse, scriptum est in Capitolinis tabulis. quos triumphos probant hæc verba Valerij capite de institutis; C. Lutatius consul, & Q. Valerius prætor, circa Siciliam insignem Pœnorum classem delerāt, eo nomine Lutatio consuli triūphum decreuit senatus. cum sibi decerni etiam Valerius cuperet, negauit id oportere fieri Lutatius, ne in honore triumphi minor potestas maiori æquaretur. Valerius sponsione Lutatium prouocauit; non se petiturum triumphum, nisi suo ductu Punica classis esset oppressa. Lutatius restipulatus est. iudex inter eos conuenit Atilius Calatinus. apud quem egit Valerius sic; consulem ea pugna claudum in lectica iacuisse; se omnibus imperatoriis partibus functum. Calatinus adhuc tacente Lutatio, secundum eum ipsum litem dedit; quoniam auspicio consulis esset bellum gestum. Apparet tamen contra Calatini sententiam Valerium etiam triumphasse. Primus certe hic pro prætore triumphauit. Hoc bello Siciliam *primam prouinciam* populi Ro. factā, regno Hieronis Syracusani excepto, opinor; quod Cicero in Verrem Siciliā omniū exterarum nationum principem se ad amicitiam fidemq; populi Ro. applicuisse, primam omnium prouinciam appellatam esse prodit. Vniuersa autem Marcelli (aut certe eius qui Marcello successit, Læuini) victoria captis Syracusis, in potestatem populi Rom. bello Punico II venit.

De

De triumphis A. Manlij Torquati cos. Qu. Lutatij Cerconis cos. de Faliscis.

FALISCOS hoc anno mouisse, tradit his verbis Eutropius; Q. Lutatius, A. Manlius consules creati, bellum Faliscis intulerunt: quod ambo consules intra sex dies quam venerant, transegerunt; quindecim millibus hostium cæsis, ceteris pace concessa, dimidio tamē agro sublato. Et Epitoma XIX sic; Falisci cum rebellassent, sexto die domiti, in deditionem venerunt. Itaque Valerius etiam lib. VI, in hunc modum loquitur; Faliscorum ciuitas aliquoties rebellando, semperque aduersis contusa prœliis tandem se Q. Lutatio consuli dedere coacta est. Plutarchus in Gracchis, Faliscis bellum motum ait, quia Genucius quidam tribunus pl. cōtumelia ab iis affectus fuit. Orosius tamen hoc bellum bellatum esse Ti. Sempronio Graccho, P. Valerio Faltone consulibus, scriptum reliquit. Me autem haud aliorum esse sentētiæ pœnitet; præsertim vero cum consules ambos Manlium Lutatiumque de Faliscis triumphasse, in Capitolinis tabulis scriptum inueniam, & Faliscos a Manlio Torquato consule hoc anno domitos etiam apud Zonaram reperiam.

De censoribus & Lustro XXXIX.

CENSORES hoc anno creatos ostēdunt Capitolinæ tabulæ; censum actum, Eusebius in temporibus. Censorem alterum, C. Aurelium Cottam virum consularem edunt Capitolini scriptores; alterum (nomen enim eius exesum est) N. Fabium Buteonem esse arbitratus sum. scribit enim Liuius lib. XXIII, dictatorem creatum esse anno DXXXVII N. Fabium Buteonem, qui censor fuisset, & ex iis qui viuerēt censoriis vetustissimus esset. & certe nisi in hunc annum hunc coniicias, profecto quo alio anno fuerit, non inuenies. Cum autem hoc tempore & N. & M. Fabij Buteones consulares essent, mihi probatum est magis N. Fabium, qui prior cepit consulatum, quam M. Fabium, censorem esse factum. nam apud Liuium M. Fabius dictator legitur; sed forte mendose. Nam Numerij prænominis nota, in vulgatis libris omnino ignorata euanuerat. Lustrum factum esse XXXIX, apparet ex sequenti XL.

DE COS. AN. DXIII.

HIC annus consules habuit C. Claudium Centhonem, M. Sempronium Tuditanum, Cassiodoro & Capitolinis tabulis auctoribus. Eorundem cognominum fasti Siculi meminerunt. Horum autem consulum sic meminit Cicero in Catone; Liuius poeta, senex fabulam docuit Centhone Tuditanoque consulibus, & in Bruto; Liuius primus fabulam C. Clodio Cæci filio, & M. Tuditano consulibus docuit, anno ipso antequam natus est Ennius, post Romam conditam anno quingentesimo quartodecimo. Idem scribit in Tusculana prima. Et Gellius lib. XVII; M. Liuius poeta fabulas docere Romæ cœpit consulibus Claudio Centhone Ap. Cæci filio, & M. Sempronio Tuditano. C. Claudium Ap. F. Centhonem interregem prodit anno DXXXVI Liuius.

DE COS. AN. DXIIII.

CONSVLES deinceps sequuti sunt teste Cassiodoro C. Mamilius, Q. Valerius: Turrinus & Falco Siculis tabulis: C. Mamilius Turrinus, Q. Valerius Falto, Capitolinis tabulis. Horum sic meminit Gellius lib. XVII; Claudium & Tuditanum consules sequuntur Q. Valerius & C. Mamilius: quibus natum esse Q. Ennium poetam, M. Varro in primo de poetis scripsit. Liuius etiam lib. XXVIII meminit prætoris Q. Mamilij Turrini anno DXLVII. His consulibus Valentia colonia deducta. auctor Velleius libro primo.

DE COS. AN. DXV.

CONSVLES in insequentē annum inuenio apud Cassiodorum Ti. Semproniū, & P. Cornelium: GRACCHVM & FALTONEM in fastis Cuspiniani & Siculis: Sempronium Gracchum, & P. Valerium apud Zonaram: Ti. Sempronium Gracchum, P. Valerium Faltonem apud scriptores Capitolinos. Horum sic meminit Orosius; Ti. Sempronio Graccho, P. Valerio Faltone cōsulibus, cum Faliscis bellauere Romani; eoque prœlio XV millia Faliscorum interfecta. Sed potiores apud me auctores sunt, qui Faliscorum bellum triennio ante gestum scripserunt.

De bello Gallico & Liguſtino & Sardoo.

Hoc anno Gallos Boios mouiſſe conſtat. teſtes ſunt omnes. Eodem anno, inquit Oroſius, Galli cisalpini noui extitere hoſtes. aduerſus quos varia ſorte bellatum eſt: nam primo conflictu Valerio conſule, III millia D Romanorum cecidere; ſecundo, XIIII millia Gallorum cæſa, duo millia capta; ſed ob priorem cladem triumphus conſuli negatus eſt. Item Zonaras; P. Valerius a Gallis primum ſuperatus, cum auxilia ſibi mitti Roma audiſſet, Gallos iterum eſt aggreſſus; vt aut per ſe victoria potiretur, aut glorioſe occumberet. ac forte quadam acie ſuperior exceſſit. Eodem etiam anno bellum Liguſtinum initum ſignificat Zonaras, cum ait Ligures a Sempronio Graccho Valerij collega prœlio ſuperatos. Quinetiam idem Sardiniam hoc anno in poteſtatem Romanorum veniſſe ſcribit his verbis; Tum etiam Sardinia Pœni citra pugnam Romanis ceſſerunt, ac pecunias alias tribuerunt; quod cum negotiatores Romanos populati eſſe mari inc[illegible]entur, Romanorum arma nondum ſatis firmatis opibus timuerunt. Bellum porro Liguſtinum latrocinia Ligurum excitarunt: de quibus ita Florus; Ligures imis Alpium iugis adhærentes inter Varum & Macram flumen, implicitos dumis ſiluestribus, maior labor erat inuenire quam vincere. tutũ locis & fuga, durum atque velox genus, ex occaſione latrocinia magis quam bella faciebat. Itaque cum diu multumque eluderent ſaltu, viis, latebris, Deceates, Oxybij Euburiates, Ingauni, tandem Fuluius latebras eorum igni ſepſit. Significat autem (v puto) victoriam M. Fuluij Nobilioris procos. anno DXCV partam. ſiquidem cum Liguribus annos LXXX bellatum ſcribit Strabo lib. IIII.

DE COS. AN. DXVI.

Deinceps L. Cornelium, Q. Fuluium conſules profitetur Caſſiodorus. L. Lẽtulum, Q. Flaccum Zonaras; L. Cornelium Lentulum, Q. Fuluium Flaccum Eutropius. Capitolini ſcriptores Lentulo Caudinum cognomen adiiciunt. itaque in faſtis Cuſpiniani eſt CAVDINVS & FLACCVS. Hi conſules in faſtis Siculis prætereũtur.

De re geſta cum Gallis & Liguribus, & triumpho L. Lentuli cos.

Hos cõſules ambos cum Gallis rem geſſiſſe inuenio apud Zonaram. pergit enim hoc modo; Sequenti anno L. Lentulus & Q. Flaccus, bello contra Gallos ſuſcepto, dum communi conſenſu rem geſſerunt, vinci non potuerunt. ſed vbi diſtractis copiis, prædæ cupiditate agros populari ceperunt, Flacci caſtra a Gallis vndiq; cincta, in diſcrimen adducta ſunt: vnde tum repulſi, maiore poſt conatu in Romanos redierunt. Ego autem exiſtimo Flaccum Gallis, Lẽtulum Liguribus eſſe oppoſitum. Scribit enim Eutropius his conſulibus contra Ligures intra Italiam bellum eſſe geſtum; [eosdemque conſules primos trans Padum Romanas duxiſſe legiones; pugnatumq; ibi eſſe cum Inſubribus & Liguribus, quorum interfecta ſint XXIII millia, V millia capta;] & de his triumphatum. Itaque in Capitolinis etiam triumphis ſcriptum eſt. L. Cornelium Lentulum conſulem de Liguribus triumphaſſe.

DE COS. AN. DXVII.

Cassiodorvs conſules ſubiicit C. Licinium, P. Cornelium; Zonaras P. Lentulum, Licinium Varum. Capitolini ſcriptores C. Licinium Varum, P. Cornelium Lẽtulum Caudinum: (itemq; Cenſorinus, qui hunc annum ab v. c. numerat DXVIII, Varronianam, Ciceronianam, & Plinianam ſequutus ſummam) Caudinum & Varum faſti Cuſpiniani cum Siculis.

De re geſta cum Gallis, Liguribus, Corſis, & motu Sardiniæ.

Galli P. Lentulo & Licinio Varo ſe multitudine ſua terrorem incuſſuros rati, per legatos Ariminenſem agrum, vt ſuum repetierunt; & Romanos Arimino oppido cedere iuſſerunt. Conſules, neq; copiarum exiguitate confligere, neq; poſtulata concedere auſi, inducias fecerunt, ac Gallorum legatos Romam ad ſenatum reiecerunt. qui irrita re in caſtra reuerſi, res ſuas perditas repererunt. quidam enim ex ſociis ſuis,

ſuis, Romanorum opes timentes, mutata ſententia, Boios ipſos aggreſſi ſunt. quo in prœlio multi vtrinque ceciderunt. Vnde reliqui ſe domum receperunt; Boij agri parte mulctati, pacem impetrarunt. Hæc Zonaras. Neſcio autem, an hoc ſit id quod ſcriptum eſt apud Polybium in hanc fere ſententiam libro II; Galli cum poſt priores clades annos XLV quieuiſſent, rurſus arma mouent, tranſalpinis Gallis clam, inconſulta plebe accitis. Itaque cum tranſalpini ad Ariminum veniſſent, multitudo Boiorum, harum rerum ignara, repentino aduentu illorum perculſa, regibus ſuis Are & Galaro, qui eos acciuerant interfectis, acie cum tranſalpinis ipſis cõflixit. Romani autẽ motu tranſalpinorum perterriti, cum exercitum eduxiſſent, audita Gallorum inter ſe pugna, domum reuerterunt. Gallico autem tumultu compoſito, inquit Zonaras, Lẽtulus contra Ligures exercitum duxit; atque iis qui occurrerunt, victis, caſtella etiam quædam in dicionem ſuam redegit. Varus Corſicam petiturus, cum propter nauigiorum penuriam traiicere non poſſet, Claudium Cliniam cum copiis præmiſit; qui terrore Corſis iniecto, in colloquium venit; & quaſi imperator eſſet, fœdus cum iis fecit. Varus autem eo neglecto, Corſos nihilominus oppugnare nõ deſtitit, donec eos ſubegit. Romani vero, vt a ſe violati fœderis crimen remouerent, Claudium eis dediderunt, atque ab iis non receptum expulerunt. Hunc M. Claudium vocat Valerius; atque eundem ob infamem pacem Corſis a ſenatu deditum, nec acceptum ab hoſtibus, iuſſu ſenatus in carcere necatum ſcribit. quod idem eſt etiam apud Marcellinum lib. XV, atque Arnobium. Sardiniæ etiam hoc anno arma illata ſatis conſtat. Huius enim rei teſtes ſunt Eutropius, & Zonaras. Eutropius quidem ita; Carthaginienſes bella reparare tentabant, Sardinienſes, qui ex conditione pacis Romanis parere debebant, ad rebellandum impellentes. venit tamen legatio Carthaginienſium Romam, & pacem impetrauit. at Zonaras ita; Bellum aduerſus Carthaginienſes ob mercatorum ſuorum iniurias ſuſceptum depoſuerunt; exactaque pecunia, fœdus renouarunt, ne ſic quidem diu duraturum.

De Cenſoribus.

CENSORES hoc anno fuerunt L. Cornelius Lentulus, Q. Lutatius Cerco; qui quidem in magiſtratu mortuus eſt. Auctores duntaxat Capitolini ſcriptores; quibus quanta fides habenda ſit, qui totum hunc commentarium leget, facile etiam me tacente intelliget. Abdicaſſe eos, nec luſtrum feciſſe, cum mors Lutatij, tum ſequentium cenſus oſtendit.

DE COS. AN. DXVIII.

CONSVLES hic annus habuit auctore Caſſiodoro T. Manlium Torquatum, C. Atilium: Torquatum & Bulbum faſtis Siculis: Eutropio vero, & Oroſio, & Capitolinis tabulis, T. Manlium Torquatum, C. Atilium Bulbum. Bulbo II adiiciunt Capitolinæ. Eorum meminit Plutarchus, Liuius, Velleius, alij, vt poſt dicam.

De re geſta cum Sardis, & triumpho T. Manlij Torquati cos.

SARDOS hoc anno defeciſſe, Torquati conſulis triumphus oſtendit. de quo ita Eutropius; T. Manlio Torquato, C. Atilio Bulbo cos. de Sardis triumphatum eſt; & pace omnibus locis facta, Romani nullum bellum habuerunt; quod his poſt Romã conditam ſemel tantum Numa Pompilio regnante contigerat. Itaque Oroſius etiam ita ſcripſit; T. Manlio Torquato, C. Atilio Bulbo cos. Sardinia rebellauit, auctoribus Pœnis; mox ſubacta eſt. ſed eis pacem ſupplicantibus, tandem conceſſa eſt. Et Velleius ita; Sardinia inter primum & ſecundum bellum Punicum, ductu T. Manlij cõſulis certum accepit imperium. Et Liuius lib. XXIII; T. Manlius in conſulatu ſubegit Sardos. & lib. XXI; Sardinia inter motum Africæ, fraude Romanorum, ſtipendio etiam ſuperimpoſito, intercepta. Et epitoma XX; Sardi cum rebellaſſent, ſubacti ſunt. Qua de re etiam Polybius libro primo extremo. T. etiam Manlium Torquatum cos. de Sardis triumphaſſe, ſcriptum eſt in Capitolinis triumphis. Hæc prima populi Romani prouincia hoc tempore facta eſt. nam Sicilia, nonniſi Syracuſis a Marcello captis, in prouinciæ formam tota redacta eſt. Quod ad templum Iani attinet, Varro lib. IIII De lingua Latina, eodem anno clauſum & patefactum ſcribit. Eius

clausi meminerunt Plutarchus in Numa, Liuius lib. I, Velleius lib. II, Orosius & Eutropius.

DE COS. AN. DXIX.

CONSVLES nominat in hunc annum Cassiodorus L. Postumium, Sp. Caruilium: Albinum & Rugam fasti Siculi: Postumium Albinum, Sp. Caruilium Zonaras: L. Postumium Albinum, Sp. Caruilium Maximum Capitolini scriptores. Rugã autem esse Caruilij cognomen, ex Gellio apparet, qui Sp. Caruilij Rugæ meminit; qui hoc tempore primus diuortium cum vxore fecit. Caruilio Sardi, Albino Ligures euenerunt.

De re gesta cum Corsis, Sardis, & Liguribus; & triumpho Sp. Caruilij cos.

SARDOS, & Corsos, & Ligures defecisse hoc anno, aperte docet Zonaras: qui Postumium Albinum consulem aduersus Ligures, Sp. Caruilium contra Corsos, P. Cornelium prætorem in Sardiniam missos cum exercitu scribit; ac Corsos quidem & Ligures, quamuis non sine labore, tamen summa celeritate esse deuictos: Cornelio autem, & plerisque aliis morbo mortuis, Caruilium Sardos, nihil moderatum animis agitantes, ingenti prœlio superasse. Itaque Sp. Caruilium de Sardis in consulatu triumphasse, scriptum est in triumphalibus tabulis Capitolinis. Quod nisi earum testimonio cognitum esset, id vetustas, vt alia etiam multa, obliuione obruisset.

De censoribus & Lustro XL.

CENSORES C. Atilium Bulbum, A. Postumium Albinum, lustrum hoc anno fecisse XL, nisi nos tabulæ Capitolinæ docuissent, in huius historiæ ignoratione versaremur.

DE COS. AN. DXX.

Q. FABIVM, M'. Pomponium consules suggerit Cassiodorus: Maximũ & Mathonem fasti Siculi: Q. Fabium Maximum, Verrucossum, M'. Pomponium Mathonem Capitolini. Q. Fabium Maximum, Manium Pomponium Zonaras. Maximi cognomen Fabius ab auo accepit, non ipse primus inuenit, contra quam scribit Polybius lib. III. *Verrucossus* a verruca in labris dictus. Plutarchus auctor, & qui scripsit de viris illustribus. Horum consulum alteri Ligures, alteri Sardi obtigerunt.

De re gesta cum Liguribus & Sardis, & triumphis Qu. Maximi & M'. Pomponij consulum.

ROMANIS digressis, Sardi & Ligures de integro defecerunt. Cõtra Ligures missus est Q. Fabius Maximus, contra Sardos M'. Pomponius. Carthaginienses, vt eorũ bellorum auctores, hostes iudicati, iussi sunt numerare pecuniam, & omnibus cedere insulis, vt quæ Romanorum essent: & vt sententiam suam Romani magis declararẽt, hastam illis & caduceum miserunt, optione data, vtrum mallent. Sed Carthaginienses nihil territi, tum ad alia responderunt asperius, tum se neutrum velle dixerunt; sed illud alacriter accepturos, quod legati reliquissent. Hinc mutuis odiis cõceptis, neutri bellum inire sunt ausi. Hæc Zonaras. Hanc autem rem his verbis prodidit Gellius lib. X. cap. XXVII; Q. Fabius imperator Romanus dedit ad Carthaginienses epistolam. ibi scriptum fuit, populum R. misisse ad eos hastam & caduceum, signa duo belli aut pacis: ex queis vtrum vellent, eligerent. quod elegissent, id vnum vt esse missum existimarent. Carthaginienses responderunt, neutrum sese eligere; sed posse qui attulissent, vtrum mallent relinquere: quod reliquissent, id sibi pro electo futurum. M. Varro autem, non hastam ipsam, neque ipsum caduceum missa dicit; sed duas tesserulas, in quarum altera caduceum, in altera simulachra hastæ fuerunt incisa. De victoria Q. Fabij ita Plutarchus; Q. Fabius primo consulatu aduersus Ligures profectus, summo eos prœlio superauit. qua clade accepta, ad Alpes recesserunt, ac finem populandi fecerunt. Notat idem Plutarchus, Q. Fabium in primo consulatu non solum de Liguribus triumphasse, sed ex nulla ipsum vnquam pugna, nisi ex ea ex qua triumphauit, victorem excessisse. Huc etiam pertinet quod scriptum reliquit Cicero

in lib. de natura deorum, Q. Maximum bello Ligustino remplum Honori dedicasse. Eundem cōsulem de Liguribus triumphasse, Capitolini scriprores cum eo qui de viris illustribus scripsit, prodiderunt. Sp. aurem Caruilij cos. de Sardis triumphum nemo nisi Capitolini auctores memoriæ mandarunt.

DE COS. AN. DXXI.

M. LEPIDVM, M. Poblicium consules in hunc annum suggerit Cassiodorus: Lepidum & Malleolum fasti Siculi: M. Malleolum, & M. Æmilium Zonaras: M. Æmilium Lepidum, M. Poblicium Malleolum Capitolinæ tabulæ.

De re gesta cum Sardis.

NE Sardi quidem priore bello fracti, quieuisse videntur. Contra eos arma capiētes, ambo consules M. Malleolus & M. Æmilius missi magnam prædam abegerunt: qua a Corsis, cum ad eos accessissent, spoliati sunt.

DE COS. AN. DXXII.

INSEQVENS annus consules habuit C. Papirium, M. Pomponium, auctore Cassiodoro, & Zonara, & Dionysio lib. II: Masonem & Mathonem fastis Siculis; C. Papirium Masonem, M. Pomponium Mathonem, Capitolinis. M. Pomponium Mathonem prætorem vrb. nominat Liuius anno DXXXVII. C. Papirium C. F. Masonē Pontificem; C. Papirium L. F. Masonem decemuirum sacrorum, mortuos scribit an. DXL. Cicero etiam ad Pætum, numerans Papirios claros viros; Inde, inquit, L. Maso ædilicius; inde multi Masones, qui patricij minorum gentium fuerunt. His consulibus Sp. Caruilius Ruga primus Romæ cum vxore diuortium fecit, quod sterilis esset, iurassetque apud censores, vxorem se liberorum quærendorū caussa habere. auctor Dionysius lib. II. Itaque Gell. lib. XVII, hos consules intelligens, id factum esse scribit anno vrbis cōdiræ DXIX. nam lib. IIII, ex Ser. Sulpicij sententia hoc factum tradit M. Arilio, P. Valerio cos. an. vrbis conditæ DXXIII. qua in re omnino sequitur Liuianam supputarionem.

De re gesta cum Sardis & Corsis, & triumpho C. Papirij Masonis cos.

CORSOS & Sardos, ob caussam de qua in priore anno diximus, hoc anno Romani inuaserunt. M. Pomponius, qui Sardis arma intulerat, cum eorum plerosque in saltuosis specubus abditos indagare non posset, sagaces canes ex Iralia ad se adduci iussit; per eosque tramitibus hominum & pecudum inuestigatis, multos inde exstinxit. C. vero Papirius Corsos cāpis pulsos cum in mōtes exegisset, per insidias milites multos amisit; & præ siti plures amisisset, ni postremo aqua inuenta, Corsis, vt deditionē facerent, persuasisset. Hæc Zonaras. Hinc in Epitoma XX scriptum est; Sardi & Corsi subacti sunt. Porro autem C. Papirium consulem de Corsis primum in monte Albano triumphasse, inuenio non solum in Capitolinis tabulis, sed etiam apud Pliniū, Valerium, & Festum. Plinius quidem lib. XV sic loquitur; L. Piso tradit Papirium Masonem, qui primus in monte Albano triumphauit de Corsis, myrto coronatum ludos Circenses spectare solitum. Valerius autem lib. III sic; Papirius Maso, cum bene gesta rep. triumphum a senatu non impetrasset, in Albano monte triumphandi & ipse initium fecit, & ceteris postea exemplum præbuit: proque aurea corona, cum alicui spectaculo interesset, myrtea vsus est. Festus vero ita; Papirius myrtea corona vsus est, quod Corsos in campis myrteis superasset. Exemplum Papirij sequutus Marcellus, victis Syracusanis & ipse postea in monte Albano triumphauit: qui mons non procul ab vrbe erat.

De C. Duilio dictatore.

DICTATOREM hoc anno comitiorum habendorum caussa creatum C. Duilium cum C. Aurelio Cotta magistro equitum, reperio tantum in tabulis Capitolinis. ex quo intelligi potest, ambos consules tum reip. caussa abfuisse, nec eos a bello auocari e republ. visum esse.

De censoribus abdicatis.

T. MANLIVS Torquatus, Q. Fuluius Flaccus, in hunc annum creati censores, vitio facti abdicarunt. auctores sunt Capitolini fasti. Quod confirmat etiam Liuius; qui lib. XXIII, & XXV, T. Manlium bis consulem, & censorem vocat: & lib. XXVII, T. Manlium ex censoriis, qui viuerent, vetustissimum. & lib. XXIII, Fuluium Flaccum consulem & censorem fuisse tradit.

DE COS. AN. DXXIII.

M. AEMILIVM, M. Iunium consules suggerit Cassiodorus & Zonaras: Barbulam & Peram fasti Siculi; M. Æmilium Barbulam, M. Iunium Peram Capitolini.

De regesta cum Gallis & Liguribus.

BOIIS ceterisque Gallis ex venditione tum aliarum rerum, tum plurimorum captiuorum, magnam pecuniam facientibus, veriti Romani ne iis opibus contra se vterentur, edixerunt, ne quis homini Gallo vel aurum vel argentum daret. Hinc Galli, M. Æmilij & M. Iunij in Ligures expeditione cognita, se, vt Romam contenderent, compararunt. Qua re consules audita, improuiso eos adorti, adeo terruerunt, vt per amicitiæ speciem obuiam eis egrederentur. illi vero simularunt, se non contra illos esse profectos, sed per eorum agrum in Ligures transituros. Zonaras.

De censoribus & Lustro XLI.

CENSORES Q. Fabium Maximum Verrucosum, M. Sempronium Tuditanũ hoc anno lustrum fecisse XLI, tradunt tantum Capitolinæ tabulæ. Q. Fabij Maximi censoris mentio est in quodam epigrammate, quod est in libro Epigrammatum antiquæ vrbis.

DE COS. AN. DXXIIII.

L. POSTVMIVM, Cn. Fuluium consules subiicit Cassiodorus: Albinum & Centumalum fasti Siculi: L. Postumium Albinum, Cn. Fuluium Centumalum cum Eutropio Capitolini. Polybius C. Fuluium, A. Postumium nominat.

DE COS. AN. DXXXV.

CASSIODORVS consules suggerit Q. Fabium Maximum II. & Sp. Caruilium: Maximum & Rugam fasti Siculi. Adiiciunt etiam iterati honoris notã Caruilio Maximo Capitolini scriptores. De his consulibus sic Cicero in Catone; Q. Fabius Maximus consul iterum, Sp. Caruilio collega quiescente, quoad potuit, C. Flaminio tribuno pl. restitit, agrum Picenum Gallicumque contra senatus auctoritatem diuidẽti; augurque cum esset, ausus est dicere, optimis auspiciis ea geri, quæ pro reip. salute gererentur; quæ contra remp. fierent, cõtra auspicia fieri. Item Valerius capite de pietate erga parentes; & Cicero de inuentione lib. II. Fuluio aduersus Illyrios imperium prorogatum.

De triumpho Cn. Fuluij Centumali pro cos. & bello Illyrico.

SVPERIORE anno primum cum Illyriis bellum initum est. Huius belli hanc tradit caussam Polybius lib. II; Illyrij & ante sæpe, & maxime nuper cum Phœnicẽ Epiri vrbem tenerent, mercatores Italicos nauigantes prædati erant. ea de re Romani C. & L. Coruncanios legatos ad Teutam Illyriorum reginam, Agronis regis nuper mortui vxorem, miserant. factum est autem vt dum reginæ superbe agenti superbius multo legatus alter Romanus respondisset, iussu reginæ occisus sit. Ea de re Romani comparata classe, ad vlciscendam legati necem, Fuluium & Postumium consules miserunt. cum Fuluius Corcyram, quæ ab Illyriis capta a Demetrio Phario tenebatur, venisset, atque insulam in fidem cum Demetrio ipso recepisset, Postumius autem pedestres copias ad XX millia peditum, & duo millia equitum Brundusium perduxisset, ambo coniunctis copiis Apolloniam in potestatem redegerunt. quo metu perculsi Dyrrhachini atque alij populi, se Romanis tradiderunt; Teuta cum paucis Rhizonem confugit. Fuluio inde cum magna copiarum parte Romam reuerso, Postumius

mius Dyrrhachij statiua fecit, secum omnes qui se fidei Romanorum commiserant, habens. vere autem apperente, Teuta legatos Romam de pace misit. quæ his conditionibus conuenit: vt Teuta quotannis tributum penderet, ac omni fere Illyrico excederet; neque ei extra Lissum nisi cum duobus iisque inermibus lembis nauigare liceret. Polybius & Zonaras ita. Itaque in epitoma x x sic est scriptum; Bellum Illyriis propter vnum ex legatis, qui ad eos missi erant, occisum, indictum est: subactique in deditionem venerunt. Et apud Eutropium ita; L. Postumius Albinus, Cn. Fuluius Centumalus, bellum contra Illyrios gesserunt; & multis ciuitatibus captis, etiam reges in deditionem acceperunt. ac tum primum de Illyriis triumphatum est. Item Orosius. Florus autem Cn. Fuluio Centumalo duce late domitos Illyrios scribit. Itaq; in Capitolinis etiam tabulis scriptum est Cn. Fuluium Centumalum hoc anno pro consule de Illyriis triumphasse. Quo fit vt malim Postumium in consulatu, quam Fuluium Romam reuocatum. Coruncaniis duobus legatis occisis a Teuta, statuas populum posuisse, auctor est Plinius lib. x x x i i i i, cap. v i. Atque hac quidem de caussa Romani primum in Illyricum arma transtulerũt. quo bello perfecto, Achæos etiam, atque Ætolos, & Atheniẽses, atque Corinthios, legatis missis, de victoria, quæ vniuersæ Græciæ grata futura erat, certiores fecerunt. atque a Corinthiis in societatẽ etiam ludorum Isthmiorum vocati sunt. Polybius.

DE COS. AN. DXXVI.

P. VALERIVM, M. Atilium consules in hunc annum inuenio apud Cassiodorũ: Flaccum & Regulum in fastis Siculis: P. Valerium Flaccum, M. Atilium Regulum in Capitolinis. Eorum meminit Gellius lib. i i i i, cum ait; Sp. Caruilius Ruga diuortium cum vxore fecit anno vrbis conditæ D X X I I I, M. Atilio, P. Valerio consulibus; iurare a cẽsoribus coactus, vxorem se liberorum caussa habiturum. P. Valerius Flaccus, is est qui postea consularis legatus ad Annibalem mittitur cum Q. Bæbio Tamphilo: M. Atilius Regulus, qui postea consul iterum & censor fuit, auctore Liuio. Hoc anno prætores duos additos opinor, vt essent quatuor. Id enim factum esse inter Illyricum & Gallicum bellum, testis est Epitoma x x. Factos autem, vt in Siciliam Sardiniamq; nouas prouincias mitterentur, tradit Pomponius de origine iuris. Hos vero fuisse C. Flaminium & M. Valerium, ostendit Solinus capite de Sicilia, cum inquit; Sardinia & Sicilia vtraque insula in Romanam potestatem redacta, iisdem tẽporibus prouincia facta est, cum eodem anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius prætores sortiti sunt. Sardiniæ porro & Corsicæ administrationem iũctam, atque eidem prætori traditam fuisse, auctor est Rufus. Ex his autem prætoribus M. Valetius insequenti anno consulatum cepit, C. Flaminius quadriennio post.

DE COS. AN. DXXVII.

L. APVSTIVM, M. Valerium consules subdit Cassiodorus: Maximum & Apustium Siculæ tabulæ; L. Apustium Fullonem, M. Valerium Messallam Capitolinæ. De *Fullone* Apustij cognomine, recte. L. enim Apustium Fullonem ædilem pl. quendam nominat etiam Liuius anno D L I I I.

DE COS. AN. DXXVIII.

DEINCEPS sequuti sunt consules C. Atilius, L. Æmilius, auctore Cassiodoro & Polybio. quos C. Atilium Regulum, L. Æmilium Papum vocant Capitolini scriptores; Regulum & Papum Siculi, Regulum & Aimilium Zonaras. Horum etiam consulum meminit Orosius, & Plinius lib. i i i cap. x x. vbi *Paulus* pro *Papo* mendose legitur. Regulo Sardinia, Papo Italia obuenit. Sardi enim, prætoris Romani assiduam præsentiã non ferentes, arma ceperant; Galli in Italiam irrumpere parabãt. Zonaras.

De censoribus & Lustro X L I I.

CREATOS in hunc annum censores C. Claudium Centhonem, M. Iunium Peram, lustrum X L I I condidisse, inuenio dũtaxat scriptum in fastis Capitolinis. quibus quem auctorem meliorem aut certiorem quærimus? Centho consul fuerat anno D X I I I, Pera D X I X.

De bello Gallico cisalpino, & triumpho L. Æmilij Papi cos. de Gallis.

EODEM anno bellum Gallicum cisalpinum initum est. Hoc lex C. Flaminij tribuni pl. excitauit, quam ille vel octauo, vt ait Polybius, ante anno, M. Lepido consule; vel quinto, vt Cicero, Maximo II cõsule, de agro Piceno & Gallico, vnde pulsi Senones fuerant, viritim diuidendo tulit. Nam cum reliqui Galli, ac maxime finitimi Boij, Senonum casu perculsi, rebus suis timerent, inita cum Insubribus societate, Gallos eos qui trans Alpes ad Rhodanum accolunt, atque a mercede, qua ducti militãt, Gessatæ dicuntur, aduocarunt. Itaque cum reges eorum Congolitanus & Aneroestus, magnis inducti pecuniis, cum ingentibus copiis Alpes in Italiam traiecissent, ac se cum Boiis & Insubribus coniunxissent (Veneti enim ac Cænomani, à Romanis per legatos sollicitati, quieuerũt) peditum ad quinquaginta millia, equitum ad viginti adducentes, in Etruriã irruperũt, octauo, vt scribit Polybius, post agri Piceni diuisionem anno, L. Æmilio, C. Atili[illegible] in quem [illegible] annum bellum Gallicum cisalpinum a Capitolinis auctoribus est collatum. Romani autem Gallorum tumultu nuntiato, maximas, si quando vnquam alias, copias compararunt. tota etiam tum Italia enixe pro imperio Ro. laborauit. summa peditum Romanorum ac sociorum, fuit supra quingenta millia; equitum, supra sexaginta; auctore Polybio. Itaque Plinius lib. III; L. Æmilio Paulo, C. Atilio Regulo consulibus, inquit, Italia, nuntiato Gallico tumultu, sola sine externis vllis auxiliis, atque etiam tunc sine transpadanis, equitum LXXX millia, peditum DCC millia armauit. Cænomanos autem transpadanos intelligit, qui ex Gallis soli pro Romanis contra Annibalem steterunt. Cum harum igitur copiarum parte L. Æmilius consul Ariminum, vt Gallorum transitum impediret, contendit. alteram prætor in Etruriam, quod C. Atilius consul alter iam in Sardiniam nauigaret, adduxit. Iam Clusium Galli peruenerant: prætor ad Fæsulas collatis signis fugatus, in collem editum se receperat. cuius cum obsidionem Galli pararent, Æmilius consul Apennino superato, improuiso aduenit. is igitur Gallos cum præda abeuntes, ab vna parte; ab altera, Atilius, iam ex Sardinia reuocatus, adorti, ita pugnarunt, vt Gallorum XL millia ceciderint, X millia ceperint. Atilius in prœlio, & rex Congolitanus occisus est; Aneroestus semet ipsum in fuga occidit. Æmilius vastato Boiorum agro, Romam triumphans rediit; ac Capitolium armis & torquibus Gallorum exornauit. Hæc Polybius & Zonaras. Hinc Eutropius; scripsit; *L. Æmilio consule, ingentes Gallorum copiæ Alpes transierunt: sed pro Romanis tota Italia consensit. traditum est a Fabio historico, qui ei bello interfuit,* DCCC *millia hominum parata ad id bellum fuisse. sed res per consules tum prospere gesta est.* XL *millia hostium interfecta sunt, & triumphus Æmilio decretus.* Et Florus; *Galli Britomaro duce se non prius soluturos balthea, quam Capitolium ascendissent, iurauerũt. factum est. victos enim Æmilius in Capitolio discinxit.* Et epitoma lib. XX; *Galli trãsalpini, qui in Italiam irruperant, cæsi sunt, eo bello populus R. sociorum Latini nominis trecenta millia armatorum habuisse dicitur.* Triumphus item L. Æmilij consulis de Gallis, est in Capitolinis tabulis. quamquam mors Atilij collegæ notata non est.

DE COS. AN. DXXIX.

CONSVLES insequens annus habuit T. Mãlium, Q. Fuluium II, auctore Cassiodoro & Polybio: T. Manlium Torquatum, Q. Fuluium Flaccum Orosio. Cuspinianæ tabulæ cum Capitolinis TORQVATVM II, & FLACCVM II, horum consulum cognomina edunt. Ambobus consulibus Gallia prouincia decreta.

De re gesta cum Gallis.

NEQVE vero hoc etiam anno Romani quieuerunt. etenim ex re bene priore anno gesta, in spem adducti Gallos finibus expellendi, Q. Fuluium & T. Manlium consules in Galliam cum legionibus miserunt; Ij in prouinciam ingressi, Boiorum gente in fidem accepta, cum ad reliquos Gallos bellum transferrent, imbrium ac pestilentiæ magnitudine deterriti sunt. quod scribit Polybius. quamquam Orosius aliquanto secus: *Manlius Torquatus, inquit, & Fuluius Flaccus, primi trans Padum legiones ducere Romanas. pugnatum est ibi cum Insubribus Gallis; quorum interfecta sunt*

XXIII

xxiii millia, capta v millia. in Epitoma etiam xx, exercitus Romanos tum primum trans Padum ductos, Gallos Insubres prœlio fusos, scriptum est. quinetiam Zonaras Pado superato in Insubres arma a Romanis illata scribit.

De L. Metello dictatore.

In hunc etiam annum L. Metellum dictatorem cum N. Fabio Buteone magistro equitum comitiorum habendorum caussa creatum, produnt Capitolini fasti. credo quod consules a bello Gallico auocari non placebat. L. Metelli dictatoris meminit quoque Plinius lib. vii; & epigramma vetus, quod est in libro antiquæ vrbis eiusmodi.

S. P. Q. R.

L. METEL. PONT. II. COS. DICT. MAG. EQ. XV VIR. AG. DAND. QVI PRIMVS ELEPHANTOS PRIMO P[illegible]O BELL[illegible]XIT IN TRIVMPHO, PRIMARIVS BELLATOR, OPTVMVS ORATOR, FORTISSIMVS IMP. AVSPICIO SVO MAXIMAS RES G. MAXIMO VSVS HONORE, SVMMA SAPIENTIA MAX. SEN. PARTAM EX AEQVO PECVNIAM MAG. SING. L. RELIQVIT, CLARISSIMVS IN CIVITATE FVIT, TRIBVIT EI, VT QVOTIES IN SENATVM IRET, CVRRV VEHERETVR AD CVRIAM: QVOD A CONDITO AEVO NVLLI ALII CONTIGIT.

DE COS. AN. DXXX.

Cassiodorvs cõsules suggerit C. Flaminium, P. Furium; itemque Polybius: Flaminium & Furium Zonaras, & Plutarchus in Marcello: Flaminium & Philum Siculæ tabulæ; C. Flaminium & P. Furium Philum Capitolinæ. De Flaminio sic Cicero in Lucullo; C. Flaminius aliquot annis ante secundum bellum Punicum tribunus plebis legem Agrariam tulit, ac bis consul factus est. Ambobus Gallia prouincia decreta.

De triumphis C. Flaminij cos. de Gallis; P. Furij cos. de Gallis & Liguribus.

Hoc anno consules C. Flaminius & P. Furius item in Galliam legiones duxerũt; cumque repulsi ab Insubribus, se in Cænomanorum sociorum fines recepissent, atq; inde rursus se in Insubres intulissent, maxima tribunorum militum in instruenda acie prudentia, egregiam victoriam retulerunt. auctor Polybius. Addit Plutarchus in Marcello ita; Cum Flaminius ac Furius, inquit, aduersus Insubres castra haberent, fluuius qui per Picenum agrum labitur, sanguine fluxisse visus est: tres Lunas Arimini apparuisse nuntiatum est. cum augures consulti, vitio creatos videri consules respõdissent, senatus eos subito ab exercitu litteris reuocauit. eas acceptas Flaminius non prius aperuit, quam collatis signis barbaros fuderit. itaque redeunti ei, ac multa spolia referenti, populus obuiam non processit; ac vix triumpho concesso, eum cum collega consulatu abire coegit. Quod cum ita sit, ergo merito Orosius etiam sic scripsit; Flaminius consul contemptis auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, aduersum Gallos conflixit, & vicit: in quo prœlio octo millia Gallorum cæsa, xvii millia capta sunt. & Liuius lib. xxi ita; Non cum senatu modo, sed cum diis immortalibus C. Flaminium bellum gerere: consulem ante inauspicato factum, reuocantibus ex ipsa acie diis atque hominibus non paruisse. Item; C. Flaminius memor certaminum cum patribus, quæ tribunus plebis, & quæ postea consul prius de consulatu, qui abrogabatur, deinde triumpho habuerat, posteriorem consulatum Romæ inire noluit. Et lib. xxii; M. Iunius dictator, sex millia hominum Gallicis spoliis, quæ triumpho C. Flaminij translata erant, armauit. Et Florus; De torquibus Gallorum Flaminius aureum trophæum Ioui erexit. Hæc satis probare mihi posse videntur triumphum Capitolinum C. Flaminij cos. de Gallis. Quem vero egit collega eius P. Furius de Gallis & Liguribus, nihil inuenio quod confirmet, nisi quod scriptum est apud Polybium, rem bene ab vtroque consule cum Gallis gestam. quamquam ille Ligurum nõ meminit. nisi forte Ἀγαμάρες Ligurum populos intellexit; quos non longe a Massilia

incolentes, ad amicitiam Romanorum a consulibus traductos ille scriptum reliquit. Zonaras triumphum consulibus a senatu negatum, a populo concessum scribit.

DE COS. AN. DXXXI.

DEINCEPS consules nominat Cassiodorus M. Marcellum, Cn. Cornelium: Polybius M. Claudium, Cn. Cornelium: fasti Siculi Scipionem & Marcellum: Claudium Marcellum & Cn. Scipionem Zonaras: Eutropius M. Claudium Marcellum, Cn. Cornelium Scipionem: Capitolinæ tabulæ M. Claudium Marcellum, Cn. Cornelium Scipionem Caluum. Hic est Marcellus qui post quinquies cõsul fuit: Scipio, qui postea in Hispania ab Asdrubale Pœno occisus est cum fratre P. Scipione. Ambobus decreta Gallia est. Eosdem consules primos inisse magistratum idibus Martiis arbitror: qui dies deinde solennis ineundo consulatui mansit vsque ad annum ab V.C. DC. cuius rei rationem cum a me paulo ante Horatius Malegutius Regiensis, iuuenis moribus & litteris ornatissimus, quæreret, hanc esse respondi: Video anno DXXXVI C. Flaminium II, & Cn. Seruilium consules, auctore Liuio idib. Martiis inisse; anno autem DXX, M. Pomponium, quia de Sardis idib. Mar. cõsul triumphauit, necessario multo ante illum diem inisse. ex quo intelligo, mediis inter Pomponiũ & Flaminium consules annis initium ineũdi idib. Mart. consulatus esse factũ. Quod cum ita sit, cum prioris anni consulem C. Flaminium statim post triumphum (triũphauit autem, quod exstat in Capitolinis tabulis, VI id. Mart.) coactum magistratu abisse, ac statim per interregem Marcellum consulem factum, magistratum occepisse, apud Plutarchum inueniam, non dubito affirmare, Marcellum primum cum collega Cornelio idibus Martiis inisse. sic anno CCCLII ab idib. Decembr. propter rem male ad Veios gestam, ad K. Octobris, abdicatis prioribus magistratibus, regressus factus est.

De triumpho M. Marcelli cos. de Gallis Insubribus & Germanis, & spoliis opimis ab eo relatis.

INSVBRES accisis opibus suis pacem petentes, M. Claudius, Cn. Cornelius consules, eductis repente aduersus eos copiis, ad arma capienda inuitos compulerunt. consules, Acerras Gallorum oppidum, Insubres, Clastidium sociorum Romanorum obsidebant. Marcellus inde ab Acerris ad Clastidium liberandum cum equitatu profectus, cum in Gessatarum occurrentem exercitum incidisset, eum rege illorum Virdumaro interfecto fudit fugauitque. cepit deinde etiam Acerras, cum ij qui in præsidio erant, Mediolanum, quod Insubrium caput erat, confugissent. quos Cornelius insequutus, cum post recedentem eum aggressi essent, supremo prœlio superauit, ac Mediolanum & Comum oppidum expugnauit. quo facto Insubres, desperatis rebus suis se Romanis dediderunt. atque ita bellum confectum est. Hæc Polybius & Zonaras. Adiicit Plutarchus, Marcellum in prœlio vouisse Ioui Feretrio spolia regis Virdumari; atque ipsi soli triumphum esse decretum. Quam rem Eutropius his verbis memoriæ mandauit; Marcellus cum parua manu equitum dimicauit, & regem Gallorum Virdumarum sua manu occidit. postea cum collega suo Cn. Cornelio ingentes Gallorum copias peremit, Mediolanũ expugnauit, grandem prædam Romam pertulit; ac triumphans, spolia Gallorum regis stipiti imposita, humeris suis vexit. His de spoliis cum nuper sermo incidisset domi Andreæ Lauredani patricij Veneti; qua ille summa tum humanitate, tum antiquitatis Romanæ cognitione præditus est, nummos veteres argenteos aliquot pulcherrimos mihi ostendit, in quibus Marcellus ipse spolia Virdumari stipiti imposita templo inferens incisus esset. de quibus etiam sic loquitur Florus; Galli Virdumaro rege Romana arma Vulcano promiserunt. aliorsum vota ceciderunt. occiso enim rege, Marcellus tertia post Romulum patrem Feretrio Ioui *arma suspendit. Et Epitoma XX; Insubres aliquot prœliis fusi, in deditionem venerunt: M. Claudius Marcellus consul, occiso Insubrium Gallorum duce Virdumaro, opima spolia rettulit. Et Virgilius lib. VI;

Aspice

Aſpice vt inſignis ſpolijs Marcellus opimis Ingreditur, victorq; viros ſupereminet omnes. Hic rem Romanam magno turbante tumultu Siſtet eques, ſternet Pœnos, Gallumq; rebellem; Tertiaq; arma patri ſuſpendet capta Quirino. Et Frontinus lib. IIII; M. Marcellus, cum in manus Gallorum imprudens incidiſſet, circumſpiciendæ regionis, qua euaderet, cauſſa, equum in orbem flexit; deinde cum omnia eſſe infeſta vidiſſet, precatus deos, in medios hoſtes irrupit. quibus inopinata audacia perculſis, ducem quoque eorum trucidauit. atque vbi ſpes ſalutis vix ſuperfuerat, inde opima rettulit ſpolia. De ratione autem opimorum ſpoliorum, diximus ante ſatis in primis & ſecundis ſpoliis a Romulo & Coſſo relatis. In tabulis Capitolinis etiam ſcriptum eſt, M. Marcellum de Gallis Inſubribus & Germanis triumphaſſe, atq; ſpolia opima rettuliſſe duce hoſtium Virdumaro ad Claſtidium interfecto. quo in loco Germani vocãtur qui a Polybio Geſſatæ; quorum rex fuit Virdumarus, non Inſubrium, vt eſt in Epitoma, quod etiam docet his verbis Oroſius; Claudius conſul Geſſatarum XXX millia deleuit. vbi etiam ipſe Virdumarum regem in primam aciem progreſſus occidit; & inter multa Inſubrium, quos ad deditionem coegit, oppida, Mediolanum quoque cepit. Boios ac Inſubres a Romanis paulo ante aduentum Annibalis, ſociis Venetis ac Cænomanis, oppreſſos ſcribit etiam Strabo libro V.

DE COS. AN. DXXXII.

CASSIODORVS in hunc annum prodit conſules P. Cornelium, M. Minucium; & Zonaras: Scipionem & Rufum faſti Siculi: Eutropius P. Cornelium, M. Minucium Rufum. P. Cornelium Scipionem Aſinam eſſe opinor Cn. Cornelij Aſinæ bis conſulis filium; quod Liuius inter ſententias de Capua a conſularibus ſenatoribus anno DXLII dictas, ſententiæ etiam P. Cornelij Aſinæ meminit. Hoc loco & faſtos & triumphos Capitolinos vna cum Liuianis annalibus deſideramus; quibus plurimum ſplendoris huic prope deplorato triennio afferri potuit. Iſtri ambobus conſulibus decreti.

De triumpho P. Scipionis Aſinæ cos. de Iſtris.

HOC anno Iſtros primum arma mouiſſe conſtat. ſic enim ſcribit Eutropius; M. Minucio Rufo, P. Cornelio cos. Iſtris bellum illatum eſt; quia latrocinati naues Romanorum fuerant, quæ frumentum exhibebant: perdomitiq; ſunt omnes. Et Oroſius; Iſtri noui hoſtes excitati ſunt; quos Cornelius Minuciusq; conſules, multo quidem Romanorum ſanguine, ſubegerunt. Et Epitoma XX; Iſtri ſubacti ſunt. Et Zonaras; P. Cornelius, M. Minucius cõſules, aduerſus Iſtros exercitum duxerunt; & multas earum gentes partim vi, partim deditione in poteſtatem redegerunt. Liuius etiam libro XXI, victorias & bella horum annorum commemorans, ait, Sardos, Corſos, Iſtros, atque Illyrios, laceſſiſſe magis quam exercuiſſe Romana arma; cum Gallis tumultuatum magis quam belligeratum. Hæc de re geſta. Triumphaſſe autem conſules nemo auctor eſt. Ego tamen aut ambos, aut certe alterum P. Scipionem triumphaſſe exiſtimo; vt de Sardis, Corſis, Illyriis, Gallis, his annis ſæpius triumphatum eſt; præſertim vero cum minime dubia hæc victoria narretur; immo ſubacti perdomitique Iſtri ab his conſulibus tradantur. Quot autem & quam magnos triumphos amiſerimus, quorum nemo præter Capitolinos ſcriptores meminerit, facile, qui hunc commentarium leget, intelliget. neque vero dubito quin, ſi lapis ille qui Marcelli triumpho Capitolino annectebatur, haberetur, meam ſuſpicionem facillime confirmaret. confirmat id certe, quod Liuius lib. XXXVIII negat exemplum proditum eſſe vt imperator, qui perduellibus deuictis, confecta prouincia exercitum reportaſſet, ſine curru & laurea, priuatus inhonoratusque vrbem iniret. Sed quoniam fieri poteſt vt conſul alter tantum triumphum obtinuerit, quod etiam priore anno euenit, vt Claudius ſolus triumpharit, quamquam Cornelius egregiam operam Gallico bello nauarit; propterea triumphum de Iſtris ſoli Scipioni attribui; ſuſpicatus, Liuium, ſi M. Minucius triumphaſſet, triumphum eius poſtea non fuiſſe prætermiſſurum, tum cum de eo magiſtro eq. Q. Fabio dictatori æquato, atque eius inani ferocia dixit. Sed hæc alij iudicarint.

De Q. Fabio Maximo dictatore.

Q. Fabivm Maximum dictatorem cum C. Flaminio magistro equitum creatum, auctor est Valerius libro primo, cum ait; Occentus soricis auditus, Fabio Maximo dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi caussam præbuit. Eadem de re tradit Plutarchus in Marcello; verum dictatorem Minucium vocat, non Fabium. Ego vero de Fabio Valerio assentior; quod & in epigrammate antiquo, & apud Liuium, bis eum dictatorem fuisse inuenio. Quibus autem consulibus fuerit, ex iis qui hoc triennio fuere, parum liquet. Ego vbi rem in omnes partes diu multumq; versaui, hoc potissimum anno Q. Fabium dictatorem comitiorum habendorũ caussa creatum, coniectura ductus sum ad suspicandum; cum consules ambo bello Istrico implicati abessent, neque eos a bello auocari e republ. videretur: Dictatore autem vitio creato, comitia deinde peri[illegible] sæpe, esse habita.

DE COS. AN. DXXXIII.

L. Vetvrivm, C. Lutatium consules edit in hunc annum Cassiodorus & Zonaras: Philonem & Catulum fasti Siculi. Hunc L. Veturium Philonem esse opinor post in censura mortuum apud Liuium, patrem L. Veturij L. F. L. N. Philonis, consulis anno DXLVII. C. Lutatio quidam Scæuolæ cognomen adijciũt. Id cum qua ducti ratione fecerint nesciam, neque affirmare neque arguere ausim. Polybius vbi de triumuiris coloniæ deducendæ captis agit lib. III, hunc C. Lutatium consularem nominat. Hunc C. Lutatij C. F. C. N. Catuli filium puto, eius qui consul fuit anno DXI. Hos consules in Istros profectos, atq; cum exercitu vsque ad Alpes progressos, citra pugnam multos sibi adiunxisse, auctor est Zonaras.

De censoribus, & lustro XLIII.

In hunc porro annum censores contuli, tum propter quinquennalem lustrorum rationem, tum quia Cassiodorus & Liuius id mihi subsignificare visi sunt. fuerunt autem L. Æmilius Papus, & C. Flaminius, viri consulares. eorum enim censorum meminit post sæpe Liuius, ab iisque lectum senatum tradit. in primis autem Paullo & Varrone cos. senatum legendum fuisse inquit; quia per quinquennium multi & bello & aliis casibus senatores perierãt: tumque post L. Æmilium & C. Flaminium censores, esse lectum. Cassiodorus etiam C. Lutatio, L. Veturio consulibus, viam Flaminiam, & circum Flaminium factum prodit. facta autem sunt a C. Flaminio censore. Itaque in Epitoma XX, hæc verba sunt; Lustrum a censoribus conditum est: quo censa sunt ciuium capita CCLXX millia * CCXIII. libertini in quatuor tribus redacti; cum antea dispersi fuissent; Esquilinam, Palatinam, Suburranam, Collinam. C. Flaminius censor viam Flaminiam muniuit, & circum Flaminium exstruxit. Et Festus; *Flaminius circus*, & *Flaminia via* dicta est a Flaminio consule, qui interfectus est ad lacum Trasimenum. Plinius quoque libro XXXV horum censorum meminit, cum ait; Legem Metiliam de fullonibus dictam, C. Flaminius & L. Æmilius censores dedere ad populum ferendam. Lustrum autem, quod intelligi ex Epitoma potest, postero anno conditum est.

DE COS. AN. DXXXIIII.

Consvles inde sequuti sunt M. Liuius, L. Æmilius auctor Cassiodorus. Horum cognomina sunt in Siculis fastis, Salinator & Paullus. Eorundem consulum sic meminit Plinius libro XXXIX; L. Æmilio, M. Liuio consulibus, anno vrbis conditæ DXXXV, primus e medicis Romam venit e Peloponneso Archagathus Lysaniæ filius. M. Liuius ex censura, & consulatu secundo Capitolino, M. F. M. N. Salinator vocatus est. L. Æmilius Paullus, quia (auctore Plutarcho pater fuit L. Æmilij L. F. L. N. Paulli, qui Persen debellauit, filius fuisse videtur M. Æmilij M. F. L. N. Paulli, consulis anno CDXCIIX. Eius meminit vna cum collega postea Liuius, ita; L. Æmilius Paullus, qui cum M. Liuio consul fuit, & damnatione collegæ, & sua prope ambustus euaserat. Ambobus consulibus Illyrij euenerunt.

De

De triumphis L. Aemilij Paulli, & M. Liuij cos. de Illyriis.

Hoc anno iterum cum Illyriis rebellantibus dimicatum eſt. Huius belli cauſſam attulit Demetrius Pharius rex Illyriorum; beneficiorum populi Ro. oblitus. qui cum Romanos ante Gallorum, poſt Pœnorum mouentium metu perculſos animaduerteret, ac Macedonum maxime rege confideret, Illyrica oppida Romanis ſubiecta vaſtabat, fineſque fœdere conſtitutos tranſcendebat. aduerſus hunc L. Æmilius conſul miſſus. Demetrius, conſulis aduentu cognito, Dimalum præſidio & commeatu muniit: ex reliquis Illyricis oppidis amicis Romanorũ exactis, ac ſuis impoſitis, cum ſex millibus veteranorum Pharum contendit. Æmilius, Dimalo oppido intra VII dies expugnato, atque Illyriis in fidem acceptis, aduerſus Pharum infeſtus pergit. eoquẽ oppido, rege aufugiente, capto, ac reliquis Illyrij ciuitatibus ſibi adiunctis, autumno ineunte, Romam triumphans rediit. Hæc Polybius: qui idem huius victoriæ gloriam vnius L. Æmilij facit; vt etiam Iuſtinus lib. XXIX. at vero ſi auctorem libri de viris illuſtribus audiamus, M. Liuius Salinator cos. & ipſe de Illyriis triũphauit. Bellum certe ab vtroq; conſule geſtum tradit Zonaras: & de Salinatore teſtis eſt quoq; Frontinus, cum ait lib. IIII; Salinator conſularis damnatus eſt, quod prædam non æqualiter diuiſerat militibus. Et Liuius eundem ex conſulatu priore populi iudicio damnatum ſcribit. Hoc bellum his verbis expreſſum eſt in Epitoma XX; Iterum Illyrij, cum rebellaſſent, domiti, in deditionem venerunt. Demetrius ad Philippum Macedonum regem confugit; Pineus rex ſtipendium dare coactus eſt. Liuius lib. XXII.

DE COS. AN. DXXXV,
& bello Punico II.

Consvles ſubijcit Caſſiodorus & Polybius P. Cornelium, Ti. Sempronium: Zonaras Sempronium Longum & P. Scipionem; Longum & Scipionem faſti Siculi: P. Cornelium Scipionem, Ti. Sempronium Longum Liuius, Eutropius, Probus, Oroſius, Pædianus. P. Scipio, pater fuit P. Scipionis Africani P. F. L. N. conſulis anno DLIX: Ti. Sempronius, pater Ti. Sempronij Ti. F. C. N. Longi, conſulis eodem anno. auctor Liuius. His conſulibus bellum Punicum ſecundum initum eſt. Hoc intulit Annibal Amilcaris filius, eius qui priore bello imperator ad Ægates inſulam victus a C. Lutatio cõſule fuit. Hic cum iam inde ab ineunte pueritia Romano odio eſſet imbutus, vbi primum per ætatem potuit, animum ad renouandum bellum adiecit. Extremum cum Aſdrubale Pœnorũ duce fœdus Romani icerant, ne Pœni armati Iberum flumen in Hiſpania traijcerent, neue Saguntinos populi R. ſocios vexarent. Hoc ille fœdere violando, ſatis magnam ad laceſſendos Romanos cauſſam ſe habiturum ratus eſt. Itaq; P. Cornelio, M. Minucio cos. imperator in demortui Aſdrubalis locũ in Hiſpania declaratus, in Olcadum fines irrupit, atq; Altheiam expugnauit. ſequẽti anno in Vaccæos ducens, Helmandicam & Arbocalam vrbes cepit; Carpetanos ad deditionem adduxit. quo terrore finitimi Saguntini compulſi, legatos, qui hæc ſenatui nuntiarent, Romam miſerunt. Bellum a Romanis Annibali, niſi Sagunto abſtineret, per legatos indictum. M. Liuio & L. Æmilio cos. Annibal Saguntum oppugnauit, atq; intra octo menſes cepit. legati tum a Romanis Carthaginem miſſi, qui Annibalem rupti fœderis auctorem depoſcerent; &, niſi traderetur, bellum indicerent. indictum eſt. Hoc autem anno Annibal traiecto Ibero, Ilergetes, Barguſios, Auſetanos, & ceteros Hiſpaniæ populos, vſq; ad Pirenæos montes ſubegit, ac per Galliam ad alpes venit; & in Italiam tranſgreſſus, P. Cornelium conſulem, qui ſe ei ex Alpibus deſcendenti oppoſuerat, ad Ticinum; Ti. Sempronium iam ex Sicilia, re ex ſententia geſta, reuerſum, ad Trebiam acie fudit. Hæc Polybius, ac paulo ſecus etiam Liuius, & alij. Solinus anno vrbis conditæ DXXXV hoc bellum initum ſcribit. Initum autem P. Cornelio, Ti. Sempronio cos. omnes conſentiunt: quorum alteri Hiſpania, alteri Africa cum Sicilia obtigerat. Eodem anno Cn. Scipio conſulis frater, in Hiſpaniam pro conſule miſſus, vt Aſdrubalem Annibalis fratrem inde expelleret, cum Annone bene pugnauit. Boij, ſollicitatis Inſubribus, defecerunt; atque in triumuiros, qui Cremonam & Placentiam colonias deduxerant, impetum fecerunt. Liuius, Polybius.

DE COS. AN. DXXXVI.

Consvles inde subsequuti Cn. Seruilius cum C. Flaminio, vt auctor est Polybius, Cassiodorus, & Liuius; qui duo cum fastis Siculis Seruilio cognomen *Geminum* adiecerunt. C. Flaminius II consul, eadem qua ante superbia vsus, magistratum idibus Mart. non Romæ, sed Arimini iniit. Idem neglectis auspiciis cum se Annibali, qui primo vere ex Gallia in Etruriam, Apennino superato, oculo etiam frigoribus amisso, transgressus erat, ad lacum Trasimenum obtulisset, collatis signis exercitu amisso occisus est. Paucis post diebus, quatuor millia equitum, cum C. Centenio pro prætore missa ad collegam a Seruilio cos. in Vmbria, quo post cladem ad Trasimenum auditam auerterant iter, ab Annibale circumuenta sunt. Liuius, Polybius, Valerius libro primo, Plutarchus in Fabio, Probus, alij.

De Q. Fabio Max. dictatore II.

Cvm ad cladem ad Trasimenum acceptam, Centenij clades accessisset, in magno terrore ciuitas ad dictatorem dicendum confugit, & quia consul aberat, a quo vno dici posse videbatur; nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut literas aut nuntium mitti, nec dictatorem populus creare poterat; quod nunquam ante eam diem factum erat: prodictatorem populus creauit Q. Fabium Maximũ, & mag. equitum M. Minucium Rufum. Igitur Q. Fabius Max. dictator II, procuratis prodigiis, ac ludis magnis votis, delectu habito, ac Seruiliano exercitu accepto, cum ad Annibalem hostem peruenisset, haud procul Arpis in Apulia castra fecit: eo enim iam Annibal ex Etruria per Vmbriam & Picenum, Marsis inde & Pelignis vastatis, concesserat. Ibi cum se castris tenens Fabius ab Annibale elici nulla ratione ad pugnam posset, a magistro equitum assidue tamquam segnis ac timidus appellatus est. Annibal inde in Samnium mouit; atque aliquot oppidis captis, spe Capuæ recipiendæ oblata, cum se Casinum inde duci cuperet, Casilinum per errorem ductus, castris ad Vulturnum flumen positis, agrum sociorum in conspectu Fabij, qui per iuga Massici montis eum persequutus fuerat, exussit. quo in loco iterum magister equitum dictatoris cunctationem palám concionibus inuidiosis exagitauit. Inclusus inde ad Casilinum Annibal, sarmentis ad cornua boum alligatis, iisque per noctem incensis, atque ex collibus castris Romanis imminentibus bobus ipsis immissis, dum nouo Romanos apparatu perturbauit, per Calliculæ iugum agmen traduxit, atque in Pelignos populabundus rediit; ex Pelignis inde retro Apuliam repetens, Gerunium peruenit. Dictator interea nec absistens, nec congrediens, castris in agro Larinate positis, sacrorum caussa Romam reuocatus est. Cum absente dictatore bene a magistro equitum cum Annibale dimicatum Romæ nuntiatum esset, M. Metilij tribuni pl. cõcionibus populus incitatus, qui cunctationem Fabij infamem ad populum fecerat, rogationem eius de iure dictatoris & magistri equitum adæquando accepit. Dictator inde consule in C. Flaminij locum M. Atilio Regulo suffecto, in castra rediit. Minucius solito etiam ferocior, exercitus parte a Fabio accepta, cum Annibale signa contulit: cumque iam Romana acies inclinaret, a Fabio cum exercitu suo accurrente seruatus, patrem eum appellauit, ac se imperio statim abdicauit. Fabius summis laudibus in cælum & in castris & Romæ sublatus. Omnium prope annales Fabium dictatorem aduersus Annibalem rem gessisse tradunt. Cœlius etiam eum primum a populo creatum dictatorem scribit. sed & * Gellium & ceteros fugit, vni cõsuli Cn. Seruilio, qui tunc procul in Gallia prouincia aberat, ius fuisse dicendi dictatoris; quam moram quia exspectare territa iam clade ciuitas non poterat, eo decursum esse vt a populo crearetur qui pro dictatore esset. res inde gestas, gloriamque insignem ducis & augendæ titulum imaginis posteris, vt dictator pro dictatore diceretur, facile obtinuisse. Hæc Liuius. Polybius tamen dictatorem eum creatum scribit. idemque in epigrammate antiquæ vrbis libri scriptum est, hoc modo;

Q. FABIVS MAXIMVS, DICTATOR BIS. COS. V. CENSOR. INTERREX II. AED. CVR. Q. II. TRIB. MILITVM. PONT. AVGVR. PRIMO CONSVLATV LIGVRES SVBEGIT. EX HIS TRIVMPHAVIT.

TERTIO

TERTIO ET QVARTO ANNIBALEM COMPLVRIBVS VICTORIIS FEROCEM SVBSEQVENDO COERCVIT. DICTATOR MAGISTRO EQVITVM MINVCIO, CVIVS POPVLVS IMPERIVM CVM DICTATORIS IMPERIO ADAEQVAVERAT, EXERCITVI PROFLIGATO SVBVENIT; ET EO NOMINE AB EXERCITV MINVCIANO PATER APPELLATVS EST. CONSVL QVINTVM TARENTVM CEPIT. TRIVMPHAVIT. DVX ÆTATIS SVÆ CAVTISSIMVS, ET REI MILITARIS PERITISSIMVS HABITVS EST. PRINCEPS IN SENATV DVOBVS LVSTRIS FACTVS EST.

Eodem anno Cn. Scipio in Hispania minus terra cum hoste propter ingentē famam nouorum auxiliorum concurrere ausus, delecto milite in naues imposito, XXXV nauium classe ire obuiam hosti pergit. ad ostiū Iberi fluminis Punica classis stabat. cum auide vtrimq; pugna commissa esset, meliore fortuna Romani pugnarunt. vna enim leui pugna toto eius oræ mari potiti sunt. ex Balearibus insulis, & ex cōtinenti Hispania, populi amplius centum viginti pacem petierunt. Interea P. Scipio prorogato post consulatum imperio, ab senatu missus, in prouinciam venit. obsides Hispanorum, qui Sagunti custodiebantur, Acedueis artificio Romanis traditi sunt. Cn. Seruilius & M. Atilius consules, cum exemplo Fabij in casum vniuersæ dimicationis, quam omnibus artibus petebat hostis, non venirent, adeo inopia Annibalem presserunt, vt nisi tum fugæ speciem abeundo timuisset, Galliam repetiturus fuerit. Legati ad Philippum Macedonum regem missi ad deposcendum Demetrium Pharium, qui bello victus ad eum fugisset. Liuius, Polybius.

De L. Veturio Philone dictatore.

EXTREMO anni a cōsulibus rescriptum est, sine detrimento reipubl. abscedi non posse ab hoste. itaque per interregem comitia habenda esse potius, quam consulum alter a bello auocaretur. Patribus rectius visum est dictatorem a consule dici comitiorum habendorum causa. dictus L. Veturius Philo, M'. Pomponium magistrum equitum dixit. His vitio creatis, iussisque die quartodecimo se magistratu abdicare, ad interregnum res rediit. Liuius. L. Veturium esse reor, qui consul fuit anno DXXXIII, M'. Pomponium, qui anno DXX.

DE COS. AN. DXXXVII.

DEINCEPS consules suggerit Polybius L. Æmilium, C. Terentium: Paullum & Varronem fasti Siculi: Plutarchus in Paullo, Terentium Varronem, Æmilium Paullum: Liuius, Cassiodorus, alij, C. Terentium Varronem, L. Æmilium Paullum. Varro non humili solum, sed sordido loco natus; pater lanius, ipse institor mercis: quæstura, & duabus ædilitatibus, patricia & plebeia, ac prætura perfunctus, ad consulatum venit. L. Paullus, is est qui ante cum M. Liuio consul fuit, auctore Liuio. Consules (ambobus cum Annibale bellum decretum erat) vt in castra venerunt, castris bifariam factis, vt noua minora essent propius Annibali; in veteribus maior pars, & omne robur virium esset; M. Atilium ætatem excusantem Romam miserunt, Cn. Seruilium minoribus castris præfecerunt. Annibal, cum haud vltra pati inopiam cibi, qua valde laborabat, posset, aduentu cōsulum audito, ex Varronis temerario ac præpropero ingenio in spem rei bene gerendæ erectus, locum insidiis quotidie quærere. quæ vbi nō processerunt, mouere inde statuit in calidiora, atq; eo maturiora messibus Apuliæ loca. profectus est nocte. ea re nuntiata Romanis, Varro, vel repugnante Paullo, Annibalem cum exercitu insecutus est. prope Cannas vicum, castra posuerat Annibal, auersa a Vulturno vento; qui campis torridis siccitate, nubes pulueris vehit. Consules sequuti Pœnum, vt ventum ad Cannas est, vbi in conspectu Pœnum habebant, bina castra communiunt. eodem ferme interuallo quo ad Gerunium, sicut ante, copiis diuisis. Annibal spem nactus loci ad equestrem pugnam, qua parte inuictus erat, facturus copiam pugnandi consulibus, dirigit aciem; lacessitq; Numidarum procursatione hostes; neque ad prœlium, quia eo die imperium penes Paullum fuit, elicere potuit. Varro autem postero die, cui sors eius diei imperij erat, nihil consulto collega signum

proposuit;instructisq; copiis,flumen Aufidum transiuit, sequente Paullo,quia magis non probare,quam non adiuuare consilium poterat. Acie vtrimque instructa, concursum est. Maxima, siquando vnquam alias, a Romanis clades accepta est.L.Paullus consul cum Romanorum quadraginta millibus, senatoribus LXXX, consularibus,prætoriis, & ædiliciis multis, occisi sunt. septem millia hominum in minora castra,decem in maiora;duo ferme in vicum ipsum Cannas; Varro cum quinquaginta equitibus Venusiam profugit.capta tria millia peditum, & equites trecenti dicuntur. Ex maioribus & minoribus castris multi cum euasissent, Canusiũ incolumes peruenerunt, reliqui post ab Annibale circumuenti,in eius deditionem venerunt.Cum ab iis qui Canusij erant, imperium P. Scipioni tribuno mil.adolescẽti mandatum esset, atq; is a nobilibus adolescentibus propter desperationem consilium derelinquendæ Italia iniri audisset,stricto super capita deliberantium ferro, iurauit se pro hoste habiturum eum qui in verba sua non iurasset; effecitq; vt omnes non relictum a se iri Italiam iureiurando astringerentur. Interea Venusiam etiam ad consulem ad quatuor millia peditum equitumq;, qui sparsi fuga per agros fuerãt,peruenere. Romæ ingens luctus fuit;sed tamen S.C. XXX diebus finitus. Liuius,Polybius,Florus,alij.

De M. Iunio Pera dictatore.

CVM ad Cannensem cladem nuntiatum esset, regnum Hieronis in Sicilia classe Punica vastari, dictator ex auctoritate patrũ dictus M.Iunius, & Ti.Sempronius magister equitum,delectu edicto,iuniores ab annis XVII,& quosdam prætextatos scribunt.ad socios Latinumq; nomen ad milites ex formula accipiendos mittunt; arma, tela alia parari iubent; & vetera hostium spolia detrahunt templis porticibusq;. octo millia seruitiorum empta publice armauerunt. Captiuis ab Annibale permissum, vt de se redimendis legatos Romam mitterent. quos redimi non placuit senatui. Cannensi clade defecerunt ad Pœnum hi populi; Attellani, Calatini, Hirpini, Apulorum pars & Samnitum, Bruttij omnes, Lucani, Surrentini, & Græcorum omnis fere ora; Tarentini,Metapontini, Crotonienses, Locriq;,& Cisalpini omnes Galli. Redeunti Romam Varroni gratiæ actæ, quod de rep. non desperasset. Hæc Liuius. Hinc Valerius lib.VII; Cannensis clades adeo ciuitatem nostram contudit, vt opera M.Iunij dictatoris spolia hostium affixa templis,deorum numini consecrata, instrumenta militiæ futura conuellerentur.Et lib.III; Dictaturam Varroni consuli post cladem Cannensem a senatu delatam; lib.autem IIII, ab eo non acceptam scribit. qua de re nihil Liuius.Hic est M.Iunius Pera,qui consul ante & censor fuit;& Ti.Sempronius Gracchus,sequenti anno consul futurus, quem Liuius in ædilitate magistrũ equitum factum tradit, filius(vt opinor) Ti.Sempronij Ti.F.C.N.Gracchi consulis anno DXV. Annibal inde ex Apulia in Samnium profectus, Cossam in deditionem accepit. post Neapoli, ad quam oppugnandam duxerat, infecta re profectus, Capuam flectit iter, seditione intestina senatorũ plebisq; laborantem. Legatis a Campanis Virio auctore ad Annibalem missis,fœdus cum eo initum;Annibal Capuæ receptus est. Dictator M.Iunius, rebus diuinis rite perfectis, præter duas vrbanas legiones,& seruorum delectum, dixit; qui capitalem fraudem ausi, quique pecuniæ iudicati in vinculis essent;qui eorum apud se milites fierent,eos se noxa pecuniaq; exsolui iussurum; & sex millia hominum armauit: atque cum XXV millibus armatorum vrbe proficiscitur. Annibal, Capua recepta, cum iterum Neapolitanorum animos tentasset, in agrum Nolanum exercitum traducit. Nolani nuntios ad M. Marcellum, qui Canusij cum exercitu erat,mittunt: quanto in discrimine sit Nolana res, plebem nouarum rerum auidam ad defectionem spectare ostendunt.Sub aduentum Marcelli,qui eo propere accurrerat,Pœnus agro Nolano excessit;ac Neapolim, quo concesserat, non admissus,petit Nuceriam;quam demum fame in deditionem recepit,eamque incendit.Inde Nolam,quam Marcellus tenebat,castris motis,cum Marcello cõgressus, tum primum a Romanis fugatus est. Itaq; spe potiundæ Nolæ adempta, Acerras contendit; easq; captas incendit atq; diripuit. Inde Casilinum oppugnatum ducit. ea oppugnatio cum diuturnior videretur, castris communitis, ac præsidio modico imposito, ne omissa res videretur, in hiberna Capuam cõcessit. Ibi maiorem hiemis partem exer-

citum

citum in tectis habuit. poſt aūt miteſcente hieme, ducto ex hibernis eneruato Campana luxuria milite, Caſilinum redit, quod continuata obſidione ad extremum iam inopiæ venerat; idque poſtremo, Graccho magiſtro equitum ſe, abſente dictatore, in aciem non committente, recepit. Liuius, Valerius, alij.

De N. Fabio Buteone dictatore.

CVM patres ſe, & ſolitudinem curiæ, paucitatemq; conuenientium ad publicum conſilium reſpexiſſent; (neque enim poſt L. Æmilium, C. Flaminium cenſores, ſenatus lectus fuerat) cum tantum ſenatorum aduerſæ pugnæ, ad hoc ſui quemque caſus per quinquennium abſumpſiſſent, ac ea de re relatum abſente dictatore a prætore eſſet; dictatorem, qui cenſor ante fuiſſet, vetuſtiſſimusque ex iis qui viuerent cenſoriis eſſet, creari placuit, qui ſenatum legeret: accirique C. Terentium conſulem ad dictatorem dicendum iuſſerunt. Is N. Fabium Buteonem ex S.C. ſine magiſtro equitum dictatorem in ſex menſes dixit. Is vbi cum lictoribus in roſtra aſcendit, neque duos dictatores tempore vno, quod nunquam antea factum eſſet; probare ſe dixit; neque dictatorem ſe ſine magiſtro equitum; nec cenſoriam vim permiſſam vni & eidem iterum; nec dictatori niſi gerendæ rei cauſſa creato in ſex menſes datum imperium. quæ immoderata fors, tempus, ac neceſſitas fecerint, iis ſe modum impoſiturum. nam neque ſenatu quemquam moturum ex iis quos C. Flaminius, L. Æmilius cenſores in ſenatum legiſſent; trāſcribi tantum recitarique eos iuſſurum, & ita in demortui locum ſublecturum, vt ordo ordini, non homo homini prælatus videretur. eoque facto, extemplo magiſtratu ſe abdicauit, & priuatus de roſtris deſcendit. Dictator Iunius Romam reuocatus, comitia creandis conſulibus habuit. Conſules deſignati Ti. Sempronius Gracchus, qui magiſter equitum erat, L. Poſtumius Albinus. qui antequam iniret, in Gallia inſidiis ipſe cum exercitu a Boijs deletus eſt. Eodem anno res bene a Scipionibus in Hiſpania geſtæ. Aſdrubal, vt in Italiam traijceret, ac ſe fratri Annibali coniungeret, ad Iberum deſcendit. cuius conſilio a Romanis cognito, ambo duces iunctis copiis obuiam ierunt; ac collatis cum eo ſignis, bene pugnarunt, caſtra hoſtium ceperunt atque diripuerunt. reliquæ Hiſpaniæ ciuitates Romanis iunctæ ſunt: Aſdrubali nō modo in Italiam traducendi exercitus, ſed ne in Hiſpania quidem tuto manendi ſpes relicta eſt. Liuius.

DE COS. AN. DXXXVIII.

CONSVLES in hunc annum deſignatos prodit Liuius L. Poſtumium Albinum III, qui tum prouinciam Galliam obtinebat; & Ti. Sempronium Gracchum, qui magiſter equitum erat. Item liber Cuſpinianus, in quo eſt, GRACCHVS & ALBINVS. Poſtumium autem, antequam magiſtratum iniret, in Gallia occiſum tradit Liuius. quod idem Polybius intelligit, cum prætorem a Gallis interfectum ſcribit. In eius mortui locum ſubrogatus eſt M. Marcellus; qui priore anno prætor ad Nolam rem bene geſſerat. Ei vero ineunti conſulatum cum tenuiſſet, vocati augures vitio creatum videri pronuntiarunt. vulgoque patres ita [fama] ferebant, quod tum primum duo plebeij conſules facti eſſent, id deis cordi non eſſe. In locum Marcelli, vbi is ſe magiſtratu abdicauit, ſuffectus Q. Fabius Maximus tertiū. Liuius, & Plutarchus auctores. Hac de cauſſa Caſſiodorus & Eutropius Ti. Sempronium & Q. Fabium Maximum; faſti Siculi, Maximum & Gracchum, in hunc annum conſules edunt. Quod autem inquit Liuius, conſules plebeios ambos fieri non licuiſſe, idem admonet etiam, ne patricios quidem ambos creari potuiſſe; vt anno DXLV, cum C. Neroni M. Læuinū & Q. Fabium addere collegam cogitabant. primi autem conſules ambo de plebe facti ſunt anno DXXCI. Hoc anno Philippus rex Macedonum, inclinato ad Pœnos animo, legatos ad Annibalem de fœdere & belli ſocietate iungenda miſit. qui a Romanis capti, atq;, quia Romam ſe ire præ ſe ferebant, dimiſſi, cum fœdus ſanxiſſent, iterum in reditu capti, atq; ex litteris Annibalis, quas ad Philippum deferebant, inuentis, re & fraude patefacta, Romam miſſi ſunt, & in vincula conditi. Ti. Sempronius conſul circa Liternum cum caſtra poſuiſſet, quia otioſa ſtatiua erant, crebro decurrere milites coegit; vt tyrones (ea maxima pars volonum erat)

aſſueſcerent ſigna ſequi. caſtra inde Campana ad Hamas poſita, vt in priuilegio neglecta, ſimul omnibus portis inuadit. alios ſtratos ſomno, alios perpetrato ſolenni ſacro inermes redeuntes obtruncat: ac Cumas ſe propere recipit, ab Annibale metuēs, qui ſuper Capuam ad Tifata habebat caſtra. Is fatigatus Campanorum precibus, ſequenti die cum omni apparatu oppugnandæ vrbis, Cumas tendit; ac populato agro Cumano, mille paſſus ab vrbe caſtra locat; atque vrbe oppugnata, eaque fortiter a Graccho defenſa, re infecta recedit. Alij legati a Philippo ad Annibalem miſſi, proſpere tulerunt retuleruntque mandata; ſed prius ſe æſtas circumegit quam mouere quidquam rex poſſet. Fabius conſul, poſt prodigia Romæ procurata, cum collega circa Capuam rem geſſit: aliquot oppida, quæ ad Pœnos defecerant, vi cepit: Nolam, ne ad Pœnum deficeret, M. Marcellum in præſidium miſit: qui crebris excurſionibus agro Hirpino & Samnitico vaſtatis, Annibalem coegit vt Nolam duceret. Ibi Annibal Nolam oppugnaturus, duobus prœliis pulſus, victus, ac fugatus a Marcello, ab Nola Apuliæ hiberna petit, circaq; Arpos conſedit. Q. Fabius vt profectum in Apuliam Annibalem audiuit, Capuam propius mouit caſtra: agrumque Campanum ferro ignique eſt depopulatus, donec coacti ſunt Campani egredi portis, & caſtra ante vrbem in aperto communire. Tum Taurea Campanus Aſellum Romanum equeſtri prœlio prouocauit. In Hiſpania Illiturgi & Incibili oppida, a Romanis obſidione Pœnorum liberata; vtrobiq; optime pugnatum eſt. omnes prope populi Hiſpaniæ ad Romanos defecerunt. In Sicilia mortuo Hierone Syracuſanorum rege, Hieronymus nepos eius, fœdus cum Annibale fecit; ac poſt a coniuratis interfectus eſt. Res Siculæ ad Pœnos inclinatæ. Liuius, Florus, Eutropius, alij.

DE COS. AN. DXXXIX.

In hunc annum conſules ſuggerunt M. Claudium Marcellum III, Q. Fabiū Maximum IIII, Liuius, Plutarchus, & cum faſtis Siculis Caſſiodorus. Marcellus abſens conſul creatus, cum ad exercitum eſſet: præſenti Fabio, atque ipſo comitia habente, conſulatus continuatus. cum M. Æmilius Regillus flamen Martialis, & T. Otacilius Craſſus a prærogatiua iuniorum declarati ante fuiſſent, auctoritate Q. Maximi, in ſuffragium reuocata, mutauit ſententiam. Hoc anno Ti. Gracchus pro cos. ad *Beneuentum* cum Annone Pœnorum duce bene pugnauit: ac ſeruis volonibus, *quorum* egregia opera vſus erat, libertatem dedit. Marcellus conſul, cum Annibale ad Nolam, cuius ſpe potiundæ venerat, hoc etiam anno proſpere decertauit. Annibal inde Tarentum ad certiorem ſpem proditionis profectus eſt. Caſilinum, quod duum millium Campanorum, & ſeptingentorum militum Annibalis præſidio tenebatur, a Q. Fabio cōſule, qui Marcellum collegam Nola acciuerat, oppugnatione receptum eſt. Marcellus inde Nolam redit. Fabius, in Samnium ad populandos agros, recipiendaſque armis quæ defecerant vrbes progreſſus, Compulteriam, Teleſiam, Coſſam, aliaque oppida multa vi cepit. Annibal in Tarentinum agrum profectus, cum proditorum neminem inueniſſet, vana promiſſa ſe temere ſecutum cernēs, Salapiam tendit; eoque frumentum ex agris Metapontino & Heracleinſi comportat. Marcellus conſul in Siciliam, Hieronymi morte turbatam, & ad Pœnos inclinatam miſſus, Syracuſas a Romana amicitia alienatas oppugnauit; ne eas caperet, vnius Archimedis induſtria prohibuit. M. Valerius Læuinus prætor, cum Philippo rege Macedonum bellum mouit, precibus Apolloniatum motus, qui ſe bello a Philippo, quod a Romanis deficere nollent, tentatos atque obſeſſos querebantur. Philippus neque terreſtri neque nauali certamine ſatis fore parem ſe fidens, ſubductis aut incenſis nauibus, terra Macedoniam petiit. In Hiſpania Caſtulo vrbs valida ad Romanos deficit: a Pœnis fruſtra Illiturgi obſeſſum eſt. ad Mundam, quo caſtra Punica mota fuerant, egregie a Romanis pugnatum; Cn. Scipionis femur tragula confixum, impedimento ſummæ victoriæ fuit. Eadem fortuna ad Auringen fuit. Saguntum a Romanis Punico præſidio pulſo, receptum ac reſtitutum eſt. Liuius.

De censoribus abdicatis.

EODEM anno M. Atilius Regulus, & P. Furius Philus, censores creati, L. Metilium, principem eorum qui post Cannensem pugnam Italiam deserendi consilium ceperant, qui tum forte quæstor erat, equo adempto tribu mouerunt, ærariumque fecerunt. Liuius & Valerius auctores. Addit Liuius, ne lustrum faceret, mortem prohibuisse P. Furij; M. Atilium magistratu se abdicasse. M. hic Atilius, M. Atilij Reguli, qui a Pœnis primo Punico bello captus fuerat, filius fuit; vt ait Valerius libro II, cap. IIII. Hunc in pugna Cannensi cecidisse tradit Polybius; sed falso, si Liuio credimus. Ambo consulares fuerunt.

DE COS. AN. DXL.

IN hunc annum creati consules ambo absentes Q. Fabius Maximus Verrucosi consulis F. & Ti. Sempronius Gracchus iterum. Liuius auctor, & cum fastis Siculis Cassiodorus. Fabius, priore anno prætor fuerat; Gracchus, biennio ante cōsul. Prorogata imperia prouinciæq;, M. Marcello Sicilia, finibus eis quibus regnum Hieronis fuisset; P. Lentulo proprætori, prouincia vetus; T. Otacilio classis; M. Valerio Græcia Macedoniaq;, Q. Mucio Sardinia. Bellum vndecumq; cum Annibale consulibus mandatum. Sempronius in Lucanos, in Apuliam Fabius profectus est. Fabius pater, filio in castra ad Suessulam legatus cum venisset, equo a filio descendere iussus est. Arpi oppidum, quod præsidio tenebatur Annibalis, a Fabio consule vi recepti. equites CXII Campani nobiles, in fidem a Cn. Fuluio, qui castra super Suessulam habebat, accepti. In Hispania nihil memorabile gestum; nisi quod Syphax rex Numidarum a Scipionibus ad amicitiam Romanorum traductus est. Romani mercenarium militem in castris habere Celtiberos cœperunt. Annibal in agro Tarentino æstatem consumpsit spe potiundæ per proditionem Tarentinorum vrbis. Sempronius consul multa prœlia parua, haud vllum memoratu dignum fecit. Liuius, Appianus.

De C. Claudio Centhone dictatore.

COMITIORVM consularium iam appetebat tempus. sed quia consules a bello intentos auocare non placebat, Ti. Sempronius consul comitiorum caussa dictatorem dixit C. Claudium Centhonem. ab eo magister eq. dictus est Q. Fuluius Flaccus. Dictator primo comitiali die creauit consules. Hæc Liuius. C. Claudius ex consulatu descriptus est, quem gessit anno DXIII. Q. Fuluius, ex consulatu, quem gessit anno DXVI, & DXXIX.

DE COS. AN. DXLI.

CONSVLES a dictatore creati in hunc annum Q. Fuluius Flaccus III, qui tum erat magister equitum; & Ap. Claudius Pulcher, cui in prætura Sicilia prouincia fuerat; teste Liuio, Plutarcho in Fabio, Cassiodoro, & Festo libro XVII. Itaq; in tabulis etiam Siculis est Pulcher & Flaccus. Ap. Claudius, filius est P. Claudij Pulchri, cōsulis anno DIII. Hoc anno de publicanis, qui naufragia ementiti fuerant, supplicium sumptum. Annibal Tarentum præter arcem, in quam præsidium Romanorum fugerat, per Tarentinos iuuenes, qui se noctu venatum ire simulauerant, cepit. ea tamen defectio vtrum priore anno, an hoc facta sit, in diuersum auctores trahunt; propioresq; ætate memoriæ rerum, hoc anno tradunt factam. Ludi Apollinares, victoriæ caussa, ex Martij vatis carminibus, quibus Cannensis clades prædicta fuerat, instituti sunt; eorum curatio prætori vrbano mandata est. Consules Annonem Pœnorum ducem prœlio fuderunt viceruntq;. Beneuento ad oppugnandum Capuam ducunt; Beneuentum ex Lucanis Gracchum accersunt; qui antequam veniret, hospitis Lucani fraude insidiis circumuentus, a Magone Pœno interfectus est. Crispinus Badium Campanū hospitem suum, a quo prœlio prouocatus fuerat, interfecit. Annibal cum castra ad Capuā mouisset, collatis cum consulibus signis, prope æquo marte pugnauit. Consules cū a Capua abiissent, item eo redierūt. M. Centhenius Penula, qui cēturio militauerat, cum petisset a senatu vt sibi exercitus daretur, pollicitusq; esset, si

hoc impetraſſet, de Annibale victoriam; octo millibus acceptis militum dux factus, conflixit acie cum Annibale, & cum exercitu cæſus eſt. Dum Capua a conſulibus ſumma vi obſideretur, Cn. Fuluius Flaccus Quinti frater prætor, circa Herdoniam male aduerſus Annibalem pugnauit, ac fugatus, & caſtris exutus eſt. Annibal inde Tarentum duxit ſpe potiundæ Tarentinæ arcis. Siracuſæ in Sicilia a M. Marcello pro cos. in poteſtatem redactæ ſunt, tertio anno quam obſideri fuerant cœptæ. In Hiſpania cum Scipiones adhuc Aſdrubalem, ne in Italiam tenderet, retinuiſſent, iam de finiendo bello agitantes, a mercenariis Celtiberis deſerti, prope cum totis exercitibus cæſi ſunt, anno octauo quam in Hiſpaniam iuerāt, Cn. Scipio poſt Publium fratrem die vndetrigeſimo: amiſſaq; Hiſpaniæ poſſeſſio fuiſſet, niſi L. Marcij equitis Ro. virtute & induſtria contractis exercituum reliquiis, eiuſdem hortatu bina caſtra hoſtium expugnata eſſent. ad triginta ſeptem millia cæſa; ad mille octingentos triginta capti; præda ingens parta. Liuius, Appianus, Florus.

DE COS. AN. DXLII.

LITTERIS acceptis, inter ſe conſules compararunt, vt Claudius comitia perficeret, Fuluius ad Capuam maneret. Conſules Claudius creauit Cn. Fuluium Centumalum, & P. Sulpicium Ser. F. Galbam, qui nullū antea curulem magiſtratum geſſiſſet. Hæc Liuius. Eoſdem conſules edit quoque Caſſiodorus, Oroſius, & Feſtus lib. XVII. Galbam & Centumalum Siculi profitentur. Ser. Sulpicius, Ser. F. P. N. Galba Maximus appellatur in ſecundo eius conſulatu Capitolino: Cn. Fuluius, filius fuit, vt opinor, Cn. Fuluij Cn. F. Cn. N. Centumali, conſulis anno DXXIIII; prætor anno DXL. Q. Fuluio, Ap. Claudio, prioris anni conſulibus, prorogatum imperium eſt; atque exercitus, quos habebant, decreti; adiectumq;, ne a Capua, quam obſidebant, abſcederent, priuſquam oppugnaſſent. Prorogatum & M. Marcello, vt pro conſule in Sicilia reliquias belli perficeret, eo exercitu, quem haberet T. Otacilio, & M. Valerio, Siciliæ Græciæque ora cum legionibus claſſibusque, quibus præerant, decretæ. Annibal a Tarento, cuius arcis potiundæ ſpes erat, a Campanis ad Capuæ obſidionem ſoluendam attractus, vbi ſe nec hoſtes elicere ad pugnam, nec per caſtra eorum perrumpere ad Capuam poſſe ſenſit, caput ipſum belli Romam petendi conſilium cepit: atque ad tertium ab vrbe lapidem ſuper Anienem caſtra poſuit: ipſe vero cum duobus millibus equitum, vt vrbis ſitum exploraret, obequitauit: & cum per triduum exercitus vtrimque in aciem deſcendiſſent, tempeſtas certamen diremit. nam cum in caſtra rediſſent, ſtatim ſerenitas erat. Annibal, deſerta Capua, in Lucanos, atque inde Rhegium contendit. Capua Romanis tradita eſt, cum principes Campani veneno ſibi antē mortem conſciuiſſent. cum ſenatus Campanorum deligatus eſſet ad palos, vt ſecuri feriretur, litteras a ſenatu miſſas Q. Fuluius, quibus iubebatur parcere, antequam legeret, in ſinu poſuit; & lege agi iuſſit, ac ſupplicium peregit. Capuam inſtitutum vt quotannis præfectus mitteretur. Aſdrubal in Hiſpania a Nerone in ſaltu concluſus, ſpecie pacis componendæ dum ducem Romanum detinet, e ſaltu exiuit. P. Scipio, P. Scipionis qui interierat filius, annos XXIIII natus, profeſſus ſe in Hiſpaniam imperium, quod reliqui omnes poſt duos occiſos Scipiones recuſabant, accepturum, eo extra ordinem pro conſule miſſus eſt. ei M. Iunius Silanus proprætor, adiutor ad res gerendas datus eſt; qui Neroni ſucceſſit. M. Læuinus cum Ætolis amicitiam & ſocietatem aduerſus Philippum firmauit, & cum Attalo Aſiæ rege. Liuius.

De triumpho & ouatione M. Marcelli pro cos. de Syracuſanis.

EIVSDEM æſtatis exitu M. Marcellus ex Sicilia prouincia cum ad vrbem veniſſet, de rebus ab ſe geſtis in ſenatu ſibi ad Bellonæ dato diſſeruit. queſtus leuiter non ſuam magis quam militū vicem, quod prouincia confecta exercitum deportare non licuiſſet, poſtulauit vt triumphanti vrbem inire liceret, id non impetrauit. cum multis verbis actum eſſet, vtrum minus conueniret, cuius nomine abſentis ob res proſpere ductu eius geſtas ſupplicatio decreta foret, & diis immortalibus habitus honos, ei præſenti negare triumphum; an quem tradere exercitum ſucceſſori iuſſiſſent, quod niſi

nisi manente in prouincia bello non decerneretur, eum quasi debellato triumphare: cum exercitus testis meriti atque immeriti triumphi abesset, medium visum, vt ouãs vrbem iniret. Tribuni pl. ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, vt M. Marcello, quo die vrbem ouans iniret, imperium esset. Pridie quam vrbem iniret, in monte Albano triumphauit: inde ouans, multam præ se prædam in vrbem intulit. Hæc Liuius, & Plutarchus. Valerius capite de iure triumphandi, quod sine magistratu ad hoc bellum missus esset, Marcello negatum triumphum scribit. Itaque in libro de viris illustribus hæc verba sunt; Marcellus Syracusas per tres annos expugnauit; & cum per calumniam triumphus ei a senatu negaretur, de sua sentẽtia in Albano monte triumphauit. Fecit autem initium (vt dixi) in Albano triumphandi, C. Papirius Maso, consul anno DXXII. Plutarchus item Marcellum quinquies consulem notat fuisse; ter triumphasse: quod est, semel de Gallis, bis de Syracusanis. Hac victoria Sicilia tota in potestatem populi R. venit, atque prouincia facta est. Velleius.

DE COS. AN. DXLIII.

CVM prærogatiua iuniorum consules T. Manlium Torquatum & T. Otacilium declarasset, Manlius valetudinem oculorum excusauit, & bellum Punicum in Italia, & hostium ducem Annibalem esse cogitare eos iussit. Quo factum est vt M. Marcellum fulgentem iam Sicilia domita, & M. Valerium Læuinum, qui egregie res aduersus Philippum terra mariq; gesserat, absentes consules dicerent. auctoritatem prærogatiuæ omnes cẽturiæ sequutæ sunt. Hæc Liuius. Cassiodorus autem Marcellum III consulem edit, omisso cõsulatu quem vitio creatus non gessit, qui vnus est ex quinq;, quos ipse gessisse fertur. Fasti Siculi Læuinum & Marcellũ suggerunt. Læuinus anno DXXXVIII præturam gessit. Tributum a populo Rom. in Læuini consulis sententiam belli caussa collatum. A. M. Læuino consule in Sicilia, Agrigento & aliis oppidis occupatis, Pœnis ex insula pulsis, debellatum est. Itaque Cicero in Verrem trium Siculorum bellorum confectores nominans, ait; Qui M. Læuino, aut P. Rupilio, aut M'. Aquillio prætoribus in eam prouinciam successerũt. nam seruilia duo bella, alterum a P. Rupilio, alterum a M'. Aquillio pro consulibus post sunt perfecta. P. Scipio in Hispania Carthagine noua, vrbe opulentissima, vno die expugnata, rem bene gessit; (alij in insequentem annum eam expugnationem contulerunt) virginem captiuam ad se adductam, ad parentes & sponsum intactam remisit. Marcellus consul in Italia Salapiam per proditionem recepit; aliaque in Samnitibus oppida occupauit. Cn. Fuluius Centumalus pro consule in Apulia, cum castra ad Herdoneam haberet, spe eius oppidi recipiendi, quod post Cannensem cladem ab Romanis defecerat, cum exercitu ab Annibale cæsus est. castris prædaque victor potitus. Post autem cum eodem ad Numistronem Marcellus bene pugnauit: eundemq; noctu digressum insequutus, atq; ad Venusiam adeptus, tumultuosa magis prœlia, quam magna, sed ferme omnia secunda fecit. Liuius, Plutarchus.

De Qu. Fuluio Flacco dictatore.

BELLICI apparatus ad repetendam Siciliam, & inuadendam Italiam ex Africa nuntiati, mouere senatum vt non exspectanda comitia Valerio consuli censerent, sed dictatorem comitiorum habendorum caussa dicendum. Illa disceptatio tenebat, quod consul in Sicilia se M. Valerium Messallam, qui tum classi præesset, dictatorem dicturum esse aiebat: patres extra Romanum agrum (eum autem in Italia terminari) negabant dictatorem dici posse. M. Lucretius tribunus pl. cum de ea re consuleret, ita decreuit senatus, vt consul prius quam ab vrbe discederet, populum rogaret quem dictatorem dici placeret; eumque quem populus iussisset, diceret dictatorem: si consul noluisset, prætor vrbanus populum rogaret: si ne is quidem vellet, tum tribuni ad plebem ferrent. cum consul se populum rogaturum esse negasset, quod suæ potestatis esset; prætoremque vetuisset rogare; tribuni pl. rogarunt, plebesque sciuit, vt Q. Fuluius, qui tum ad Capuam erat, dictator diceretur. sed quo die id plebis concilium futurum erat, consul clam noctu in Siciliam abiit. destitutique patres, litteras ad M. Claudium mittendas censuerunt, vt desertæ ab collega reipubl. subueniret, diceretq;,

quem populus iuſſiſſet, dictatorem. Ita a M. Claudio conſule Q. Fuluius Flaccus dictator dictus. & ex eodem plebiſcito ab Q. Fuluio dictatore P. Licinius Craſſus pont. max. magiſter equitum dictus. magiſtratibus in annum creatis, Q. Fuluius dictatura abdicauit. Hæc ex Liuio & Plutarcho in Marcello. P. Licinius ex conſulatu Capitolino anni DXLVIII deſcriptus eſt. idem etiam cognomine *Diuitis* afficitur a Liuio in prætura anno ſequẽti. apud Plutarchũ mendoſe eſt Q. Fabius dictator, pro Q. Fuluio.

De Cenſoribus abdicatis.

CENSORES hic annus habuit L. Veturium Philonem, P. Licinium Craſſum pont. maximum. Craſſus nec conſul nec prætor ante fuerat, quam cenſor factus eſt: ex ædilitate gradum ad cenſuram fecit. Hi cenſores neque ſenatum legerunt, neque quidquam reipubl. egerunt. mors diremit L. Veturij; & inde Licinius cenſura ſe abdicauit. Hæc Liuius. L. Veturium eſſe reor, qui conſul fuit anno DXXXIII. neque enim vt rem nouam in Craſſo notaſſet, cenſorem non conſularem fuiſſe, ſi ne collega quidem eius conſulatum cepiſſet. Liuius.

DE COS. AN. DXLIIII.

CONSVLES in hunc annum creati Q. Fabius V, Q. Fuluius Flaccus IIII, idem qui dictator comitia habebat: Liuio auctore, & Caſſiodoro. Fabium & Flaccum edunt quoque faſti Siculi. His conſulibus Cicero contra Rullum Capuam receptam ſcribit; quod biennio ante factum prodidit Liuius. Marcellus ex hibernis profectus, Annibali ad Canuſium occurrit: (ſollicitabat ad defectionem Canuſinos Pœnus) cedentemq; inde eum aſſequutus, bis cum eo congreſſus eſt. priore prœlio Annibal ſuperior fuit; Marcellus inſequenti. Annibal in Bruttios abiit. Q. Fabius conſul Tarentum per proditionem arte Punica recepit. P. Scipio in Hiſpania ad Betulam cum Aſdrubale bene pugnauit. Inter alia captum puerum regalem, nomine Maſſiuam, eximiæ formæ, ad auunculum Maſſaniſam cum donis remiſit. In epigrammate antiquo, quod ſupra attuli, ſcriptum eſt, Q. Fabium Maximum ob receptũ Tarentum triumphaſſe. quem cum prætermiſerit Liuius, & cum contra morem fuerit, quod non pro recuperatis rebus, ſed pro aucto imperio triumphus (auctore *Valerio*) decerneretur, & ipſe omiſi.

De cenſoribus, & luſtro XLIII.

HOC etiam anno M. Cornelius Cethegus, P. Sempronius Tuditanus, cenſores creati, ambo qui nōdum conſules fuerant, ſenatum & ſenatus principem Q. Fabium Maximum legerunt; quæq; locanda erant, locarunt. ceterum anno ſequenti luſtrum condiderunt. cenſa ſunt ciuium capita CXXVII millia CVII. Hæc Liuius. De his etiam ſic Ennius in Bruto Ciceronis; *Additur orator Cornelius ſuauiloquenti Ore Cethegus Marcus Tuditano collega Marci filius.* Vterq; ex conſulatu Capitolino, quem vna geſſerunt anno DXLIX, deſcriptus eſt.

DE COS. AN. DXLV.

VNDECIMO anno Punici belli, conſulatum inierunt M. Marcellus V, (vt numeretur conſulatus quem vitio creatus non geſſit) & T. Quinctius Criſpinus. Hæc Liuius. in faſtis item Siculis Marcellus & Criſpinus ſubſequuntur. Plutarchus itẽ Marcellum quintum, & Criſpinum; Caſſiodorus Marcellum IIII, prætermiſſo vitioſo conſulatu, prodit. T. Quinctius priore anno prætor fuerat. Hoc anno item P. Scipioni & M. Silano ſuæ Hiſpaniæ, ſuique exercitus in annum decreti. Scipio ex LXXX nauibus, quas aut ſecum ex Italia adductas, aut captas Carthagine habebat, quinquaginta in Sardiniam tranſmittere iuſſus; quia fama erat, magnum naualem apparatum eo anno Carthagine eſſe; CC nauibus omnem Italię, Siciliæ, Sardiniæq; oram impleturos. Ludi Apollinates, qui ante in annum voueri ſoliti fuerant, in perpetuum in ſtatũ diem voti ſunt; factiq; ante diem III Nonas Quinctiles: iſq; dies deinde ſolẽnis ſeruatus. Criſpinus conſul ex Bruttiis, Marcellus Roma profectus in Apuliam, inter Venuſiam Bantiamq; coniunxerunt copias. Eodem & Annibal rediit, auerſus ab

Locris.

Locris.cum conſules,ingenio feroces,pugnæ; Annibal, inſidiis locum quærerent,ijdem ſpeculandi cauſſa cum paucis equitibus e caſtris egreſſi,inſidiis eius circumuenti ſunt;ita vt Marcellus occiſus ſit, Quinctius ſaucius fugerit. P. Sulpicius Galba pro cos.aduerſus Philippum & Achæos rem gerit. Liuius, Plutarchus in Marcello.

De T.Manlio Torquato dictatore.

EXITV huius anni T.Quinctius conſul, dictatore comitiorũ ludorumq; faciendorum cauſſa dicto T.Manlio Torquato, ex vulnere moritur. alij Tarẽti, alij in Campania mortuum tradunt. Dictator Manlius magiſtrũ equitum C.Seruilium, qui tum ædilis curulis erat, dixit. Senatus quo die primum eſt habitus, ludos magnos facere dictatorem iuſſit; quos M.Æmilius prætor vrbis, C.Flaminio, Cn.Seruilio conſulibus fecerat, & in quinquennium vouerat. tum dictator fecit, & in inſequens luſtrum vouit, & comitia conſulibus creandis habuit. Hæc Liuius. De T.Manlio ſæpius ante dictum eſt: C.Seruilius ex conſulatu Capitolino anni DL deſcriptus eſt. *Ludi votiui* erant, quos A.Poſtumius dictator bello Latino ad lacum Regillũ primum vouerat, vt ſcribit Dionyſius. De his ludis ſic Liuius lib.XXII, poſt cladem ad Traſimenum acceptam; Ludi magni Ioui voti, ſi res populi R. ad quinquenniũ proximum ſalua fuiſſet.

DE COS. AN. DXLVI.

CVM circumſpicerent patres, quoſnam conſules facerent, longe ante alios eminebat C. Claudius Nero. ei collega datus eſt M. Liuius, multis ante annis ex cõſulatu populi iudicio damnatus, ac octauo ferme anno poſt damnationem a M.Marcello & M.Læuino conſulibus in vrbem reductus. Nero prætor fuerat anno DXLI. Hæc ex Liuio. Neronem item cum Salinatore faſti Siculi ſuggerunt: C. Claudium Neronem cum M.Liuio Salinatore II, Capitolini. Neroni aduerſus Annibalẽ Bruttij, Lucani; Liuio aduerſus Aſdrubalẽ, quem Alpibus appropinquare fama erat, Gallia decreta.

De triumphis M.Liuij Salinatoris & C.Claudij Neronis cos.de Pœnis.

ASDRVBALI Annibalis fratri, qui ex Hiſpania cum maximis copiis in Italiam irruperat, M.Liuius conſul in Gallia erat oppoſitus; in Apulia vero Annibali C. Claudius Aſdrubalis litteras, quibus ſe Annibali fratri in Vmbria occurſurum eſſe ſcribebat, cum Claudius intercepiſſet, non id tempus eſſe reipubl. ratus, quo conſiliis ordinariis, prouinciæ ſuæ quiſque finibus, per exercitus ſuos, cum hoſte deſtinato a ſenatu bellum gereret, cum timeret ne Aſdrubal inuito collega ad Annibalem perueniret, atque cum eo caſtra coniungeret, id quod non ſine ſummo totius imperij Rom. exitio futurum videbatur, atque ſenatui ante conſilium ſuum aperuiſſet, magnis itineribus ſex dierum ſpatio longitudinem Italiæ emenſus, & inſcio Annibale Aſdrubaleque caſtra Salinatoris ingreſſus, conſilio ac celeritate perfecit, vt Aſdrubal cum ad pugnam deſcendiſſet, ipſe cum toto exercitu ad Senam oppidum deleretur; atque ante ad ſtatiua ſua ex Gallia in Apuliam rediret, quam eum diſceſſiſſe Annibal ſentiret. Quo vbi peruenit, caput Aſdrubalis, quod ſeruatum cum cura attulerat, proijci ante hoſtium ſtationes, captiuoſque Afros vinctos, vt erant, oſtendi; duos etiam ex iis ſolutos ire ad Annibalem, & expromere quæ acta eſſent, iuſſit. quo dolore perculſus Annibal, in extremum Italiæ angulum Bruttios receſſit. Cum autem vtriq; conſuli a ſenatu ob rem bene geſtam triumphus decretus eſſet, inter ipſos, ne, cum bellum communi animo geſſiſſent, triumphum ſepararent, ita conuenit, vt, quoniam & in prouincia M.Liuij geſta res eſſet, & eo die quo pugnatũ foret, eius forte auſpicium fuiſſet, & exercitus Liuianus deductus Romam veniſſet, Neronis de prouincia deduci non potuiſſet, M.Liuium quadrigis vrbem ineuntem milites ſequerentur, C. Claudius equo ſine militibus inueheretur. Hæc Liuius, Frontinus, ſcriptor libri de viris illuſtrib. Eoſdem triumphos his etiam verbis prodidit Valerius lib. IIII; C. Claudius Nero, qui Liuij Salinatoris in opprimẽdo Aſdrubale particeps gloriæ fuerat, eum triumphantem equo ſequi, quam triumpho, quem ei ſenatus æque decreuerat, vti maluit; quia res in prouincia Salinatoris geſta fuerat. ſine curru ergo triumphauit. Hinc Liuius; Itaque iret alter conſul ſublimis curru multiiugis, ſi vellet, equis. vnius equo

per vrbem verum triumphum vehi; Neronisque, etiam si pedes incedat, vel parto eo bello, vel spreto triumpho, gloriam memorabilem fore. hi sermones spectantiũ Neronem vsque in Capitolium prosecuti sunt. Eodem anno in Hispania nouus imperator Anno, in locum Asdrubalis cum nouo exercitu ex Africa transgressus, Magonique iunctus, cum in Celtiberia breui magnum numerum hominum armasset, Scipio aduersus eum M. Silanum misit. qui collatis signis Magonem fugauit, Annonemque viuum cepit. Scipio per Lucium fratrem Oringin opulentissimam vrbem occupauit; ac dimissis in hiberna legionibus, ipse Tarraconem concessit. Eodem anno classis Romana, M. Valerio Læuino proconsule ex Sicilia in Africam transmissa, in Vticensi Carthaginiensiq; agro late populationes fecit. Repetentibus Siciliam, classis Punica occurrit: decemque & septem naues ex iis captæ sunt, quatuor in alto mersæ: cetera fusa ac fugata classis. terra marique victor Romanus fuit.

De M. Liuio Salinatore dictatore.

CVM comitiorum tempus appeteret, & per dictatorem comitia haberi placuisset, C. Claudius consul M. Liuium collegam dictatorem dixit; Liuius Q. Cæcilium magistrum eq. a M. Liuio creati consules L. Veturius, Q. Cæcilius, is ipse qui tum erat magister equitũ. Hæc Liuius. Idem M. Liuius Salinator cũ Q. Cæcilio Metello magistro equitum dictator comitiorum habendorum caussa est in tabulis Capitolinis.

DE COS. AN. DXLVII.

L. VETVRIVM Philonem, Q. Cæcilium Metellum consules suggerit in hunc annum Liuius, Cassiodorus, cum Capitolinis fastis: Metellum & Philonem fasti Siculi. Horum sic meminit Cicero in Bruto; Orator habitus est temporibus illis Q. Metellus, is qui bello Punico secundo cum L. Veturio Philone cõsul fuit. Philo prætor fuit anno DXLIIII: Metellus, tantum ædilis plebis fuerat anno DXLIII, ædilis curulis anno DXLV. Hoc anno Annibal nece fratris perculsus, quieuit: neq; a Romanis consulibus lacessitus est; quibus ambobus, vt cum eo bellum gererent, prouincia decreta fuerat. Liuius.

De triumpho Hispaniensi P. Scipioni negato.

EODEM anno P. Scipio Asdrubale & Magone acie ad Bætulã vrbem fugatis, atq; inde ex tota Hispania pulsis, vindicatisque armis Hispaniis, in Africam profectus, amicitiam cum Syphace Massylorũ rege icto fœdere firmauit. post e graui morbo recreatus, seditionem, quæ in parte exercitus mortis suæ falsa fama commota erat, discussit; ac rebellantes Hispaniæ populos ad deditionem cõpulit: & fœdere cum Massanisa Masæsulorum rege & Gaditanis facto, prouincia L. Lentulo & L. Manlio Acidino tradita, Romam reuersus est: ac senatu extra vrbem dato in æde Bellonæ, de rebus quas in Hispania gessisset, disseruit. Ob res gestas magis est tentata triũphi spes, quam petita pertinaciter; quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat. Senatu misso, vrbem est ingressus; argentique præ se in ærarium tulit quatuordecim millia pondo CCCXLII, & signati argenti magnum numerum. Liuius, Valerius de iure triumphandi, Marcellinus lib. XXV. Hispaniam primam continentis prouinciam factam esse scribit Liuius lib. XXVIII. factam autem victoria Scipionis, & Rufus & alij prodiderunt. ego tamen non hoc anno, sed anno DLVI ordinatam existimo, tum cum prætores duo, qui in eam quotannis mitterentur, primum creati, atque ipsæ terminatæ Hispaniæ sunt; auctore Liuio.

DE COS. AN. DXLVIII.

COMITIA creandis consulibus habuit L. Veturius Philo; centuriæq; omnes ingenti fauore P. Scipionem consulem dixerunt. collega additur ei P. Licinius Crassus pontifex maximus. Hæc Liuius. Scipionem cum Crasso Siculę tabulæ; P. Cornelium Scipionem, qui postea Africanus appellatus est, cum P. Licinio Crasso diuite, Capitolinę edunt. De quibus item Cassiodorus; & Cicero sic in Bruto; Orator fuit P. Crassus, qui cum Africano consul fuit. ipsum Scipionem accepimus non infantem fuisse.

P. Scipio

P. Scipio anno DXL ædilis curulis fuit ante legitimam ætatem creatus; inde anno DXLII accepit extraordinarium in Hispaniam imperium; ex qua reuersus, consulatum adeptus est. Crassus anno DXLV præturam gesserat. Scipioni cõsuli extra sortem Sicilia, & XXX rostratę naues decretæ; permissumq; vt in Africam, si id e republ. esse censeret, traijceret: Crasso Bruttij, & bellum cum Annibale. In Bruttiis nihil ferme memorabile gestum est: Scipio in Sicilia quæ ad bellum essent necessaria comparauit. C. Lælius ex agro Hipponensi in Africa cum prædam abegisset, maximum Carthagine tumultum exciuit. Bellum quod in Hispania Indibilis & Mandonius excitauerant, a L. Manlio & L. Lentulo pro consulibus oppressum est. Indibilis in acie occisus est: Mandonius exposcentibus Romanis a suis deditus est. Magoni, qui in Galliam & Liguriam iuerat, ex Africa & exercitus & pecuniæ missæ, quibus auxilia conduceret; præceptumq; vt se Annibali iungeret. Scipio a Syracusis in Bruttios traiecit; & Locros vrbem, quæ ad Pœnos & ipsa sub defectionem Italiæ desciuerat, pulso Punico præsidio, fugatoq; Annibale, recepit: ac Q. Pleminio legato, præsidioq;, quod arcem ceperat, ad tuendam vrbem relicto, cum quibus venerat copiis, Messanam traiecit. Pleminius cum in Locrenses impotenter se gereret, ab iisdem hostiliter laceratus est. quo dolore compulsus Pleminius, multo crudelius adhuc Locrensium principes tractauit. Carmine in libris Sibyllinis inuento, pelli Italia hostem alienigenam posse, si mater Idæa deportata Romam esset, legati qui eam deportarent, in Phrygiam missi sunt. Hæc ex Liuio, & Appiano, & aliis.

De Qu. Cæcilio Metello dictatore.

EXITV anni Q. Cæcilius Metellus ab consule dictator comitiorũ habendorum caussa in Bruttiis dictus, magistrum equitum sibi cooptauit L. Veturiũ Philonem. auctor cum Capitolinis fastis Liuius. Vterque ex prioribus magistratibus notus est.

DE COS. AN. DXLIX.

P. SEMPRONIVM Tuditanum, M. Cornelium Cethegum consules in hũc annum produnt Liuius, Cassiodorus, & fasti Capitolini: Cethegum & Tuditanum Siculi. Quorum sic meminit Cicero in Bruto; Atq; hic Cethegus consul cum P. Tuditano fuit bello Punico II. Et Cato apud eundem: Quadriennio post factus sum prætor; quem magistratum gessi Tuditano & Cethego consulibus. Et hi collegæ ante in censura fuerunt, cum neuter eorum esset consularis. Tuditanus item præturam gessit anno DXL, Cethegus anno DXLII. Cornelio Etruria, Sempronio Bruttij euenerũt. Scipioni in Sicilia in annum; Crasso in Bruttiis, quoad consuli e rep. videretur, prorogatum imperium est. De Hispaniæ imperio, quod in eam prouinciã duos proconsules mitti placeret, latum ad populum est, omnes tribus eosdem L. Cornelium Lentulum & L. Manlium Acidinum proconsules, sicut priore anno tenuissent, obtinere eas prouincias iusserunt. Legatis Romanis mater Idæa tradita est per Attalum regem Asiæ, ac Romam deportata. lapis erat, quem matrem deûm incolæ vocabant. excepit eam P. Scipio Nasica, vir optimus a senatu iudicatus, adolescens nondũ quæstorius; quoniam ita responsum fuerat, vt numen id ab optimo viro reciperetur consecrareturq;. *Ludi Megalenses* ei deæ primum instituti sunt, vt fierent pridie idus Aprilis. Locrenses legatos Romam miserunt, qui de impotentia Q. Pleminij quererentur; quod pecuniam Proserpinæ abstulerat, & liberos eorum ac coniuges stuprauerat. legati Locros missi, vt Scipionem, si ea quæ Locrenses facta quererentur iussu aut voluntate Scipionis facta comperissent, de prouincia decedere iuberet: si Scipio iam in Africam traiecisset, inde reducerent. Pleminius Romam translatus, in carcerem cõditus est; atq; ante mortuus quam de eo iudicium perfici potuerit. cumq; falsus rumor de P. Scipione proconsule percrebuisset, tamquam luxuriaretur, ab iisdem legatis, qui vt an ea vera essent, explorarent, missi erant, purgatus infamia, senatus iussu in Africam traiecit. Syphax accepta in matrimonium Asdrubalis filia, amicitiæ quam cum Scipione iunxerat, renuntiauit. Massanissa, ad Scipionem cum ducentis equitibus cum venisset, Annonem Pœnorum ducem interclusum occidit. Scipio aduentu Asdrubalis & Syphacis, qui prope cum centum millibus armatorum se obtulerant,

ab obſidione Vticæ depulſus, hiberna communiuit. P.Sempronius conſul in agro Crotonienſi cum Annibale in ipſo itinere tumultuario prœlio conflixit;Romani pulſi ſunt;poſtero die, cum iterum in aciem conſul deſcendiſſet, Pœnos fudit fugauitq;, ac ſupra quatuor millia armatorum cecîdit.Liuius, Appianus, alij.

De cenſoribus, & luſtro XLV.

CENSORES interim Romæ M.Liuius & C. Claudius, ſenatum recitarunt. princeps iterum delectus Q.Fabius Maximus. notati ſeptem; nemo tamen qui ſella curuli ſediſſet. Vectigal nouum ex ſalaria annona ſtatuerunt. id vectigal commentum alterum ex cenſoribus ſatis credebant, populo iratum, quod iniquo iudicio quondam damnatus eſſet;& in pretio ſalis maxime oneratas tribus, quarum opera damnatus erat, credebant. inde *Salinatori* Liuio inditum cognomen. Luſtrum conditum ſerius;quia per prouincias dimiſerunt cenſores, vt ciuium Romanorum in exercitibus quantus vbiq; eſſer, referretur numerus. cenſa cum iis CCXV millia hominum. condidit luſtrum C. Claudius Nero. Erant inter hos cenſores nobiles inimicitiæ; ex quibus mira in ipſa cenſura contentio exarſit, vt cenſor alter alteri equum ademerit. Hæc Liuius, & Valerius lib. II, cap.I, & IIII. Eoſdem cenſores luſtrũ quadrageſimumquintum feciſſe, adijciunt Capitolini ſcriptores.

DE COS. AN. DL.

LIVIUS & Caſſiodorus vna cum faſtis Siculis & Capitolinis conſules ſuggerunt Cn.Seruilium Cæpionẽ, C.Seruilium. quorũ Cæpio, prætor fuerat anno DXLVIII; Seruilius anno DXLVII. Cæpioni, Bruttij & Annibal; Seruilio, Etruria ac Liguria euenit. P. Scipioni non temporis, ſed rei gerendæ fine, donec debellatum in Africa foret, prorogatum imperium eſt: decretumque vt ſupplicatio fieret, quod is in Africam prouinciam traieciſſet, vt ea res ſalutaris populo Rom. ipſique duci atque exercitui eſſet. Hiſpaniæ veteribus imperatoribus L.Manlio & L.Lentulo decretæ. Scipio Syphacis regis caſtra incedit, eaq; vna cum caſtris Aſdrubalis vna die deleuit. cæſa aut hauſta flammis ad XL millia hominum ſunt: capti ſupra VI millia. Neque haud ita multo poſt in magnis campis cum iiſdem, qui exercitu reparato bellum redintegrabant, congreſſus, eos fugauit; atque ciuitates circã omnes partim vi, partim metu ſubegit. Quo terrore compulſi Carthaginienſes, legatos, qui Annibalem cum exercitu eius in Africam ex Italia ad patriæ defenſionẽ reuocarent, miſerunt. Lælius cum Maſſaniſa in Numidiam cum exercitu profectus, cum acie cum Syphace rege congreſſus eſſet, eum in prœlio viuum cepit; atque paternum regnum Maſſaniſæ recuperauit. Maſſaniſa Sophonisbam vxorem Syphacis, filiã Aſdrubalis, captam ſtatim adamauit;& nuptiis factis, vxorem habuit. caſtigatusq; a Scipione, venenum ad eam miſit. quo hauſto, illa deceſſit. Quibus cladibus perculſi Carthaginienſes, oratores ad pacem petendam mittunt XXX ſeniorum principes. Pacis conditionibus a Scipione latis, induciæ, dum ad ſenatum Romam legati mitterentur, factæ ſunt. Mago in Gallia a P.Quinctilio Varo prætore, & M. Cornelio procõſule acie ſuperatus ac vulneratus, dum reuocatus in Africam nauigaret, ex vulnere mortuus eſt. C.Seruilius cos. nulla re memorabili in Etruria & Gallia geſta, patrem C. Seruilium poſt XVI annum ex ſeruitute recepit. Cn.Seruilius cõſul alter, cum Annibale in agro Crotonienſi acie conflixit. obſcura eius pugnæ fama eſt. Annibal ex Italia mœſtus ac dolens in Africam legatorum iuſſu reuertit. Legati Carthaginienſes pace infecta, ac prope ſine reſponſo dimiſſi; quod ſpeculatores, non legati veniſſe arguerentur. Polybius, Liuius, Appianus, Florus, alij.

De P. Sulpicio Galba dictatore.

CN. Seruilius conſul, haud dubius quin pacatæ Italiæ penes ſe gloria eſſet, velut pulſum ab ſe Annibalem perſequens, in Siciliam, inde in Africam trãſiturus, traiecit. Quod vbi Romæ vulgatum eſt, primo cenſuerunt patres vt prætor ſcriberet conſuli, ſenatum æquum cenſere, in Italiam reuerti eum. deinde cum prætor ſpreturum eum litteras ſuas diceret, dictator ad id ipſum creatus P. Sulpicius, pro iure maioris imperij, con-

rij, consulem in Italiam reuocauit, reliquum anni cum M. Seruilio magistro equitum circumeundis Italiæ vrbibus, quæ bello abalienatæ fuerant, consumpsit. Comitia eius anni vtrum * C. Seruilius habuerit, an quia eum res in Etruria tenuerint, quæstiones ex S. C. de coniurationibus principum habentem, dictator ab eo dictus P. Sulpicius, incertum diuersi auctores faciũt. Ita Liuius. Cum iis qui comitiorum caussa scripserunt, consentiunt Capitolini scriptores, qui P. Sulpicium Galbam Maximum cum M. Seruilio Pulice Gemino magistro equitum, dictatorem prodiderunt comitiorum habendorum caussa creatos. Meminit quoque Liuius lib. XLV M. Seruilij, qui consul & magister equitum fuerat.

DE COS. AN. DLI.

M. SERVILIVM Geminum, Ti. Claudium Neronem cõsules in hunc annum produnt Liuius, Cassiodorus, & fasti Capitolini; (in quibus Seruilius *Pulex Geminus* nominatur) Neronem cum Seruilio Siculi. Nero prætor fuit anno DXLIX; Geminus, eodem anno ædilis curulis; post magister equitum, nunc consul. Est illud etiam in his notandum, ambos consules patricios esse: quod fieri non licuisse, scribit supra in consulatu C. Neronis Liuius. Etenim Seruilij Gemini, patricij erant item vt Cæpiones. Quamobrem initio huius belli Cn. Seruilius Geminus cum C. Flaminio plebeio consul comparatus est. Consules prouinciam Africam (ita enim senatus decreuerat) in sortem coniecerunt. Ti. Claudio Africa euenit, vt quinquaginta nauium classem, omnes quinqueremes, in Africam traijceret; parique imperio cum Scipione imperator esset. M. Seruilius Etruriam sortitus. In ea prouincia & C. Seruilio prorogatum imperium. Annibal, tentata per colloquium cum Scipione pace, nec impetrata, prœlio extremo ab eo victus est in Africa: post etiam Vermina, Syphacis filius, qui auxilio Carthaginiensibus venerat, superatus. Tum demum a Carthaginiensibus vere, qui pacem peterent, legati missi sunt. Scipio conditiones dixit, ac Romam eos ad senatum misit. Polybius, Liuius, Appianus.

De C. Seruilio dictatore.

M. SERVILIVS, ne comitiorum caussa ad vrbem reuocaretur, dictatore dicto C. Seruilio, in prouinciam est profectus. dictator magistrum equitum P. Ælium Pætum dixit. Liuius. Eadem dictatura est in fastis Capitolinis.

DE COS. AN. DLII.

IN hunc annum creati consules Cn. Cornelius Lentulus, P. Ælius Pætus. auctor Liuius, Cassiodorus, & Plinius lib. XVIII, cap. XVIII. In fragmento Capitolino est LENTVLVS & P. AILIVS: in fastis Siculis, Lentulus & Pætus. Hi ambo prætores fuerunt anno DL. Cn. Lentulus, pater fuit, vt opinor, L. Cornelij Cn. F. L. N. Lentuli Lupi, consulis anno DXCVII: P. Ælius, ex Capitolina censura descriptus est anni DLIIII. Hunc annum vocat Liuius XL post Q. Lutatium & A. Manlium consules. Cn. Lentulo classis, P. Ælio Italia obuenit. Cum in senatum introducti Carthaginiensium legati pacem petiissent, inclinatis omnibus ad pacem animis, Cn. Lentulus consul senatusconsulto intercessit. Tum M.' Acilius & Q. Minucius tribuni pl. ad populum tulerunt, vellent iuberéntne senatum decernere, vt cum Carthaginiensibus pax fieret; & quem eam pacem dare, quemque ex Africa exercitum deportare iuberent. De pace, * vti rogas, omnes tribus iusserunt, pacem dare P. Scipionem; eundem exercitum deportare. Ex hac rogatione senatus decreuit, vt P. Scipio ex x legatorum sententia pacem cum populo Carthaginiensi, quibus legibus ei videretur, faceret. Ita dimissi ab Roma Carthaginienses, cum in Africam venissent ad Scipionem, his cõditionibus pacem fecerunt: Vt liberi suis legibus viuerent; quas vrbes, quosque agros, quibusque finibus ante bellum tenuissent, tenerent: perfugas & fugitiuos & captiuos omnes, & naues rostratas præter x triremes traderent; elephantosque, quos haberent, domitos; neque domarent alios: bellum neque in Africa, neque extra Africam iniussu populi Rom. gererent: Massanissæ res redderent, fœdusq; cum eo facerent: decem millia talentûm argenti descripta pensionibus æquis in an-

nos quinquaginta soluerent: obsides centum arbitratu Scipionis darent. Liuius, Appianus, alij.

De triumpho P. Cornelij Scipionis Africani de Pœnis & Syphace rege.

SCIPIO concione aduocata, Massanissam ad regnum paternum, Cirta oppido, & ceteris vrbibus, agrisq;, quæ ex regno Syphacis in populi R. potestatē venissent, adiectis, donauit. legatos Carthaginiensium Romam proficisci, vt quæ ab se ex decē legatorum sententia acta essent, ea patrū auctoritate, populiq; iussu confirmarentur, iussit. pace terra mariq; parta, exercitu in naues imposito, in Siciliam Lilybæum traiecit. inde magna parte militū in nauibus missa, ipse per lætam pace non minus quam victoria Italiam, effusis non vrbibus modo ad habendos honores, sed agrestiū etiam turba obsidente vias, Romam peruenit; clarissimoq; omniū triumpho vrbem est inuectus. argenti tulit in ærarium pondo centū millia XXIII. morte subtractus spectaculo magis hominū, quam triumphantis gloria Syphax est, Tibure haud ita multo ante mortuus, quo ab Alba traductus fuerat. Hunc regem in triumpho ductū Polybius auctor est. *Africanū* cognomen militaris prius fauor, an popularis aura celebrauerit; an sicuti *Felicis* Sullæ, *Magniq;* Pompeij patrum memoria cœptū ab assentatione familiari sit, parum compertum habeo. Primus certe hic imperator nomine victæ ab se gentis est nobilitatus. Liuius, Polybius, Appianus, Florus, Eutropius, alij. Liuius iterum libro XXXVIII, P. Scipioni de Pœnis, & Annibale, ac Syphace rege triumphum decretū scribit. Zonaras, Libyæ partem illam in qua Carthago erat, iam tum Africam præcipue dici cœptam scribit; vnde Scipio Africani cognomen inuenerit.

De bello Philippico.

SEQVITVR deinceps bellum Philippicum, quod Macedonicū primum dictum est, gestum cum Philippo Macedonum rege. Ceterum cœptū bellum aduersus Philippum decem ferme ante annis, triennio prius depositum erat, cum Ætoli & belli & pacis fuissent caussæ. vacuos deinde pace Punica iam Romanos, & infensos Philippo cum ob infidam aduersus Ætolos aliosque regionis eiusdem socios pacem, tum ob auxilia cum pecunia nuper in Africam missa Annibali Pœnisq; preces Atheniensium, quos agro peruastato in vrbem compulerat, excitauerunt ad renouandum bellum. P. Sulpicio Galba, C. Aurelio consulibus, bellum initum est, paucis post pacem Carthaginiensibus datam mensibus. Vt ergo cum Pœnis pro Mamertinis sociis primum, deinde pro Saguntinis pugnatum est; sic cum Philippo pro Atheniēsibus. contra Athenienses autem Philippum Acarnanes incitauerant; quorum iuuenes duo, non initiati, in sacrarium Cereris cum intrassent, Athenis fuerant interfecti; vel, si verius dicendum est, quod Philippus bello Punico II, fœdere icto, Annibalem contra Romanos iuuerat. Hæc ex Liuio & Floro. Hoc idem bellū hoc tempore susceptum indicant Capitolini fasti.

DE COS. AN. DLIII.

P. SVLPICIVM Galbam, C. Aurelium Cottam, consules suggerunt Liuius & Cassiodorus. P. Sulpicius, anno DXLII primum consul fuit; C. Cotta, biennio ante prætor. Iidem consules sunt in Capitolinis tabulis; Galba & Cotta, in Siculis. Sulpicio Macedonia, Aurelio Italia prouincia obuenit. Sulpicius exercitu in Macedoniam ducto, equestribus prœliis cum Philippo rege bene pugnauit.

De L. Cornelio Lentulo pro cos. ouante ex Hispania; & triumpho L. Furij Purpureonis pr. de Gallis.

L. CORNELIVS Lentulus anno DXLVII pro consule Hispaniā citeriorem sortitus est. successit enim P. Scipioni. hoc autem anno ex Hispania rediit. qui cum in senatu res ab se per multos annos fortiter feliciterq; gestas exposuisset, postulassetq; vt triumphanti sibi vrbem inuehi liceret, res triumpho dignas esse censebat senatus; sed exemplum a maioribus non accepisse, vt qui neque dictator, neque consul, neq; prætor res gessisset, triumpharet: pro consule illum prouinciam Hispaniam, non consu-

lem

lem aut prætorem obtinuiſſe. decurrebatur tamen eo, vt ouans vrbem iniret: intercedente Ti. Sempronio Longo tribuno pl. qui nihilo magis id more maiorum, aut vllo exemplo futurum dicebat. poſtremo victus conſenſu patrum tribunus, ceſſit; & ex S. C. L. Lentulus ouans vrbem eſt ingreſſus. Atq; hic primus triumphus ſine magiſtratu actus eſt. Liuius. Hic autem ex ſequenti conſulatu Capitolino deſcriptus eſt. Inſubres autem Cænomaniq;, & Boij, excitis Sallyis Illuatibusq;, & ceteris Liguſtinis populis, Amilcare Pœno duce, qui in iis locis de Aſdrubalis exercitu ſubſtiterat, Placentiam inuaſerant; & direpta vrbe, ac per iram magna ex parte inceſa, vix duobus millibus hominum inter incendia ruinasque relictis, traiecto Pado ad Cremonam diripiendam pergebant. Id bellum L. Furio Purpureoni prætori decretum. Galli a prætore prœlio victi ac cæſi ſunt. Triumphauit de Gallis in magiſtratu L. Furius prætor; quamquam negantibus eum triumphũ maioribus natu, & quod alieno exercitu Aurelij conſulis rem geſſiſſet, & quod prouinciam reliquiſſet auiditate rapiendi per occaſionem triumphi. auctor Liuius, & Zonaras.

DE COS. AN. DLIIII.

HIC annus conſules habuit L. Cornelium, P. Villium, auctore Caſſiodoro: Liuio autem, & Capitolinis tabulis, L. Cornelium Lentulum, P. Villium Tappulum: Lentulum & Tappulum Siculis. P. Villij conſulis meminit etiam Plutarchus in Quinctio. hic prætor fuit anno DL; Lentulus, pro cos. priore anno triumphauit. Villio Macedonia obtigit, Lentulo Italia. Plerique Græci Latinique ſcriptores nihil memorabile a Villio actum in Macedonia tradunt. L. Manlius Acidinus ex Hiſpania decedẽs, a M. Porcio Læca trib. pl. ne ouans vrbem iniret, cum id ab ſenatu impetraſſet, prohibitus, priuatus ingreſſus eſt. Cn. Bæbius Tamphilus prætor, prope cum toto exercitu ab Inſubribus Gallis eſt circumuentus. Liuius.

De cenſoribus, & luſtro XLVI.

L. LENTVLVS conſul, comitia cẽſoribus creandis habuit. multis claris viris petentibus, creati cenſores P. Cornelius Scipio Africanus, P. Ælius Pætus. Hæc Liuius. qui tamen luſtri conditi non meminit; quod conditum ab his cenſoribus eſſe XLV, docent Capitolinæ tabulæ. P. Scipionem Africanum cenſorem principem ſenatus ab his cenſoribus lectum, tradit Liuius in cenſura ſequenti.

DE COS. AN. DLV.

T. QVINCTIVM Flamininum, Sex. Ælium Pætum conſules ſuggerunt Liuius, Caſſiodorus, & Capitolinæ tabulæ, vna cum Plutarcho in Quinctio: Flamininum & Pætum Siculæ. Turpiter erratum eſſe inuenio ab auctore libri de viris illuſtribus, qui hunc Flamininũ C. Flaminij, qui ad Traſimenum interfectus eſt, filium tradidit: cum tamen hic e gente Quinctia patricia fuerit, ille e Flaminia plebeia. *Flamininus* autem, cognomen eſt Quinctiorum. Eſt etiam in hoc notandum, Flamininũ annos nondum XXX natum, a quæſtura ad conſulatum aſcendiſſe, vt Sex. Ælius collega eius ab ædilitate. auctor Liuius, & Plutarchus. Hic eſt aũt Sex. Ælius Pætus Catus iuris peritus; de quo Cicero, *Egregie cordatus homo Catus Aelius Sextus*, ex Ennio. Itaq; in tabulis Capitolinis *Pætus Catus* vocatur. Ælio Italia, Quinctio Macedonia euenit. quorum ille memorabile nihil geſſit; Quinctius aduerſus Philippum in faucibus Epiri proſpere pugnauit, fugatumq; coegit in regnũ reuerti. ipſe Theſſaliam, quæ eſt vicina Macedoniæ, ſociis Ætolis & Athamanibus vexauit. L. Quinctius conſulis frater, nauali prœlio, Attalo rege & Rhodiis adiuuantibus, Eubœam & maritimã oram occupauit. Achæi in amicitiam accepti ſunt. Coniuratio Setiæ ſeruorum facta de ſoluendis Carthaginienſibus obſidibus, oppreſſa eſt. Liuius, Plutarchus in Quinctio.

DE COS. AN. DLVI.

HOC anno C. Cornelius Cethegus, Q. Minucius fuerunt cõſules. auctor Liuius, Caſſiodorus, Cap. tab. Eorum cognomina Cethegus & Rufus, ſunt in Siculis. de quibus ſic in Bruto Cicero; C. Cornelio, Q. Minucio conſulibus, ludis Iuuentatis, quos

Salinator Senenſi prœlio vouerat, Liuius docuit fabulam. Minucius prætor fuit anno DLIII; Cethegus, ædilis curulis anno DLV. Conſulibus bellum cum Gallis Ciſalpinis decretum: T. Quinctio prorogatum in Macedonia imperium, donec ſucceſſor mitteretur. Hiſpaniæ terminatæ; atque in eas primum duo noui prætores, qui ad quatuor additi fuerant, miſſi: Sempronius Tuditanus, in citeriorem; M. Heluius Blaſio, in vlteriorem. Nabis, Lacedæmoniorum tyrannus, Argos in poteſtatẽ redegit; cum eoque amicitia iuncta eſt. T. Quinctius pro conſule cum Philippo ad Cynoſcephalas in Theſſalia acie victo debellauit. L. Quinctius frater eius, Acarnanes, Leucade vrbe, quæ caput eſt Acarnaniæ, expugnata, in deditionem accepit. Attalus rex Thebis Pergamum æger aduectus, moritur. Hiſpania vlterior, quam M. Heluius prætor obtinebat, rebellauit. Legati a rege Philippo venerũt; qui, quæcumq; ſenatus cenſuiſſet, id regem facturum eſſe dixerunt. Decem legati more maiorum, quorum ex conſilio T. Quinctius imperator leges pacis Philippo daret, decreti. Polybius, Liuius, Plutarchus, alij.

De triumphis C. Cornelij cos. de Gallis, Qu. Minucij cos. de Liguribus.

GALLI Ciſalpini defecerant a populo Rom. Itaque conſulibus binæ legiones, vt bellum cum iis gererent, decretæ. Cornelius, recta ad Inſubres via, qui tum in armis erãt, Cænomanis aſſumptis; Minucius, in læua Italiæ ad inferum mare flexit iter; Genuamque exercitu abducto, ab Liguribus orſus eſt bellum. Liguribus in deditionem acceptis, in agrum Boiorum legiones duxit. Inſubres & Cænomani, a Cornelio prœlio ſuperati ſunt. Ei omnium conſenſu decretus triumphus. Q. Minucius, tentata tantum relatione, cum aduerſum omnem ſenatum videret, in monte Albano ſe triumphaturum, & iure imperij conſularis, & multorum clarorum virorum exemplo dixit. C. Cornelius de Inſubribus Cænomaniſque in magiſtratu triumphauit: Q. Minucius conſul, de Liguribus Boiiſque Gallis, in monte Albano. Is triumphus, loco & fama rerum geſtarum, & quod ſumptum non erogatum ex ærario omnes ſciebant, inhonoratior fuit. Hæc Liuius, & Zonaras.

DE COS. AN. DLVII.

HIC annus conſules habuit L. Furium Purpureonem, M. Claudium Marcellum: Liuius, Caſſiodorus, Capitolinæ tabulæ: Porphyreonem & Marcellum edunt Siculæ. L. Furius, prætor anno DLIII triumphauit; M. Claudius, Marcelli quinquies conſulis filius, prætor fuit anno DLV. Conſulibus ambobus Italia prouincia decreta. Quinctius Macedoniam cum eodem exercitu obtinere iuſſus. Pax Philippo ex X legatorum ſententia; Græciæ a Quinctio libertas data eſt. Sempronius Tuditanus pro cos. in citeriore Hiſpania victus, ex vulnere mortuus.

De ouatione Cn. Cornelij Lentuli pro cos. ex Hiſpania.

P. SCIPIONI in Hiſpaniam citeriorẽ ſucceſſit (vt diximus) L. Lentulus, L. Lentulo C. Cornelius Cethegus; Cethego anno DLIIII C. Cornelius Lentulus. De quo Lentulo, quod ad triumphi ſuſpicionem attinet, ita ait Liuius; Cn. Cornelius Lentulus, qui citeriorem Hiſpaniam obtinuerat, cum ex S.C. ouans vrbem eſſet ingreſſus, tulit præ ſe auri mille & quingenta pondo. L. Stertinius ex vlteriore Hiſpania, ne tentata quidem triumphi ſpe, quinquaginta millia pondo auri in ærarium tulit. de quo loco quid ſentirem, dixi in ſcholiis Liuianis.

De triumpho M. Marcelli cos. de Inſubribus & Comenſibus.

M. MARCELLVS cos. cui Italia prouincia obuenerat, Pado confeſtim traiecto, in agrum Comenſem, vbi Inſubres Comenſibus ad arma excitis caſtra habebant, ducit; Gallos fundit, caſtra diripit, Comum oppidum capit; caſtella duodetriginta in deditionem recipit. Triumphauit in magiſtratu de Inſubribus Comenſibuſque Boiorum triumphi ſpem collegæ reliquit. Liuius. Huius etiam triumphi veſtigia ſunt in Capitolinis tabulis. in quibus eſt ſcriptum, triumphaſſe eum IV NON. M= id eſt, vt ego interpretor, *Martias*, extremo iam conſulatu, quem idib. Mart. inierat.

DE

DE COS. AN. DLVIII.

M. PORCIVM Catonem, L. Valerium Flaccum consules suggerunt Liuius, Cassiodorus, Capitolinæ tabulæ, Plutarchus. Cato, anno DLV; Flaccus, anno DLIIII. præturam gesserat. Plutarchus M. Porcium M. F. *Priscum* ante dictum; post ab vsu rerum *Catonem* nominatum scribit. vnde Priscum & Flaccum in hunc annum edunt Siculæ tabulæ. Nouum hominem fuisse, & Cicero sæpe, & Plutarchus asserunt. Cicero in Verrem de eo sic loquitur; M. Cato se virtute, non genere, populo R. commendauit; & ipse sui generis initium, ac nominis ab se gigni ac propagari voluit. L. Valerius P. F. Flaccus dicitur etiam a Liuio anno DLXIII; vbi de eo triumuiro ad coloniam deducendam agit. Cato Hispaniam, Valerius Italiam sortitus est. Annibal frustra in Africa bellum moliens, & ob hoc Romanis per epistolas aduersæ factionis principum delatus, propter metum Romanorum, qui legatos ad Carthaginiensium senatum de eo miserant, profugus, ad Antiochum Syriæ regem se contulit, bellum contra Romanos parantem. Lex Oppia, quam C. Oppius tribunus pl. bello Punico de stringendis matronarum cultibus tulerat, cum maxima contentione abrogata est, dissuadente Catone. Idem Cato in Hispaniam profectus, bello, quod ab Emporiis orsus est, citeriorem Hispaniam pacauit. Valerius Flaccus consul alter, in Gallia cum Boiorum exercitu propter Litanam siluam signis collatis, secũdo prœlio conflixit. Cum senatus T. Quinctio permisisset, an bellum cum Nabide Lacedæmoniorum tyranno, qui Argos seruitute oppresserat, suscipere vellet, Quinctius Græcorum qui opem tulerunt, voluntate, Nabidi arma intulit, atq; Argis, qui in potestate eius erant, liberatis, pacem tyranno dedit. Polybius, Liuius, Plutarchus, Appianus.

De ouatione M. Heluij Blasionis præt. & triumpho Qu. Minucij Thermi propræt. ex Hispania.

ANNO DLVI prætores duo additi, vt essent sex, qui in Hispanias citeriorem & vlteriorem quotannis mitterentur. Hispaniæ eodem anno terminatæ sunt. Missus est C. Sempronius Tuditanus in citeriorem; M. Heluius Blasio in vlteriorem. Anno DLVII successit Tuditano Q. Minucius Thermus prætor; Heluio Q. Fabius Buteo. Anno DLVIII, Thermo successit P. Manlius prætor, adiutor consuli M. Catoni, qui & ipse eam prouinciã sortitus fuerat, datus; Buteoni, Ap. Claudius Nero. Hoc autem anno Heluio decedenti ex Hispania vlteriore cum præsidio sex millium dato ab Ap. Claudio prætore; Celtiberi agmine ingenti ad oppidum Illiturgi occurrerunt. viginti millia armatorum fuisse Valerius scribit; duodecim millia ex iis cæsa; oppidũ Illiturgi receptum, & puberes omnes interfectos. inde ad castra Catonis Heluius peruenit; & quia tuta iam ab hostibus regio erat, præsidio in vlteriorem Hispaniam remisso, Romam est profectus; & ob rem feliciter gestam ouans vrbem ingressus est. Caussa negati triumphi fuit, quod alieno auspicio, & in aliena prouincia pugnasset. ceterum biennio post redierat, cum prouincia quoq; successori Q. Minucio tradita, annum insequentem retentus ibi longo & graui fuisset morbo. Itaq; duobus modo mensibus ante Heluius ouans vrbem est ingressus, quam successor eius Q. Minucius triumpharet. Is autem ad Turbam oppidũ cum Budare & Besaside imperatoribus Hispanis signis collatis prospere pugnarat; duodecim millia hostium ceciderat; Budarem imperatorem ceperat. Hæc Liuius. Mirum autem est, quod Q. Minuciũ successorem M. Heluij nominet; cum Heluius vlteriorem, Minucius citeriorem Hispaniam sortitus sit. *Blasionem* cognomen esse Heluij, cum fragmenta Capitolina huius triumphi indicãt, tùm etiam Dio, qui libro XLVI Heluij cuiusdam Blasionis meminit.

DE COS. AN. DLIX.

P. CORNELIVM Scipionem Africanum II, Ti. Sempronium Longum cos. in hunc annum comparant Liuius & Cassiodorus, cum Siculis & cum Capitolinis tabulis. Horum meminit etiam Cicero pro Cornelio perduellionis reo apud Pædianũ his verbis: P. Africanus, cum consul esset cum Ti. Longo, passus est a populari consessu senatoria subsellia separari. quæ verba sic interpretatur Pædianus: Hoc factum est

ſecundo conſulatu Scipionis, poſt ſeptimum annum quam Carthaginienſibus bello ſecundo data pax eſt. Et de aruſpicum reſponſis; Ludis Megalenſibus primum ante populi conſeſſum ſenatui locum P. Africanus iterum conſul ille maior dedit. Et Valerius libro IIII; A condita vrbe vſque ad Africanum & Ti. Longum conſules, promiſcuus ſenatui & populo ſpectandorum ludorum locus erat. item capite De inſtitutis. Idem ſcribit etiam Liuius. Horum conſulum patres primo anno ſecundi belli Punici conſules fuiſſe idem tradit. Ti. Sempronius anno DLVII præturam geſſit. Conſulibus ambobus Gallia prouincia decreta. Sempronius vario euentu cum Boijs pugnauit: Scipio nulla re memorabili geſta, Romam comitiorum cauſſa rediit.

De cenſoribus, & luſtro XLVII.

IN hunc annum cenſores referunt Liuius, Pædianus in Cornelianam, vna cum Capitolinis tabulis, Sex. Ælium Pætum, C. Cornelium Cethegum. P. Scipio Africanus, quem priores cenſores principem ſenatus legerant, iterum lectus. Luſtrum ſequenti anno condidit C. Cornelius. cenſa ſunt ciuium capita CXLIII millia ſeptingenta quatuor. Liuius. Hoc luſtrum quadrageſimumſeptimum nominant Capitolinæ tabulæ.

De triumpho M. Catonis cos. ex Hiſpania.

PRIORE anno cum tantum gliſceret in Hiſpania bellum, vt iam conſulari & duce & exercitu opus eſſet, placuit patribus conſules Hiſpaniam citeriorem ſortiri. Cato ſortitus eſt. Bello, quod ab Emporiis orſus eſt, totam citeriorem Hiſpaniam, quæ rebellauerat, pacauit: atque pro cos. hoc anno ex ea triumphauit. Hæc Liuius, Plutarchus, Appianus in Iberica, Frontinus, is qui de viris illuſtribus ſcripſit; & Florus, & Zonaras.

De triumpho T. Quinctij Flaminini pro cos. de rege Philippo ex Macedonia.

T. QVINCTIVS Flamininus, prouinciam Macedoniam in conſulatu ſortitus, cum Philippo rege ad Cynoſcephalas in Theſſalia debellauit; filium eius Demetrium obſidem accepit; regi petenti pacem; Græciæ nec opinanti libertatem dedit. Idem bellum aduerſus Lacedæmonios, & tyrannum eorum Nabidem ſuſcepit; ac liberatis Argis, qui ſub ditione eius erant, pacem illis, qualem ipſe voluit, dedit; filiumque tyranni Armenem obſidem accepit. Pacis Philippo datæ hæ conditiones fuerũt; vt Macedoniæ regno contentus, Græcia tota excederet; talenta mille penderet; naues niſi x haberet. Nabidi victo Lacedæmon relicta. His de cauſſis per triduum hoc anno pro conſule triumphauit. ante currum obſides duo ducti, regis & tyranni filij. Liuius, Plutarchus, Florus, Eutropius. Ab eo Macedonicum bellum finitum eſſe, omnes conſentiunt.

DE COS. AN. DLX.

LIVIVS, Caſſiodorus, & Capitolini auctores, conſules in hunc annum ſubrogatos ſcribunt L. Cornelium Merulam, & Q. Minucium Thermum. Eadem cognomina in faſtis Siculis inuenio. Merula prætor fuit anno DLV, Thermus anno DLVII. Cornelius conſul Galliam, Minucius Ligures ſortitus eſt. ille, ad Mutinam cum Boijs; hic, ad Piſas cum Liguribus pugnauit. Cornelio triumphum petenti ſe interceſſuros eſſe tribuni pl. profeſſi ſunt. Liuius.

DE COS. AN. DLXI.

L. QVINCTIVS Flamininus, Cn. Domitius Ahenobarbus, hoc anno conſules fuerunt. auctor Liuius, Caſſiodorus, Capitolinæ tabulæ. quorum cognomina ſuggerunt quoque Siculæ. His comitiis P. Scipio Naſica, & C. Lælius, quos Africanus deducebat, repulſam tulerunt. L. Quinctius, T. Quinctij frater germanus fuit; vt Liuius, & Cicero, & Plutarchus tradiderunt. Idem anno DLIIII, Domitius anno DLIX præturam geſſit. Vtrique conſuli Italia decreta; Ligurum fines late peruaſtati a Quinctio ſunt. Boij, aduerſus quos Domitius ierat, quieuerunt. Liuius.

De

De bello Antiochino.

ANTIOCHVS Syriæ rex bellum Romanis intulit, Quinctio & Domitio cos. Regem mouere partim Thoas Ætoliæ princeps, qui Ætolos populi Rom. socios haud satis dignis præmiis bello Macedonico confecto a Romanis affectos, querebatur; partim Annibal Pœnus, qui in Africa victus, profugus, & pacis impatiens, hostem populo Rom. toto orbe quærebat. Intulit autem, nimia opum suarum fiducia adductus, specie Lysimachiæ repetendæ, quam a maioribus suis in Thracia conditam Romani possidebãt: statimq; Græciam ac insulas eius occupauit. Hinc Cicero pro Pompeio, Romanos cum Antiocho rege pro sociis dimicasse ait. Primus aduersus Antiochum missus est M'. Acilius Glabrio consul. Hoc bellum, *Antiochinum*, *Syriacum*, & *Asiaticum* dictũ est. Liuius, Florus, is qui scripsit de viris illustribus, Capitolinæ tabulę.

DE COS. AN. DLXII.

IN hunc annum consules creati P. Cornelius Scipio Nasica Cn. F. M'. Acilius Glabrio, auctore Liuio, Cassiodoro, Capitolinis fastis, Plutarcho in Quinctio, Appiano in Syriaca historia: Glabrio & Nasica Siculis. Ceterum P. Scipio præturam gessit anno DLIX; idem qui vir optimus a senatu iudicatus, Idæam matrem bello Punico secundo in vrbem vexit; filius Cn. Scipionis Calui. eius qui consul cum Marcello fuit; post autem in Hispania occisus est cum fratre P. Scipione, Africani patre. quapropter Liuius fratres patrueles hunc & Africanum vocat. Manij Acilij Glabrionis consulis meminit Plutarchus in Quinctio, in Catone, & in Sylla; item Appianus in Syriaca, Cicero in Catone; & Macrobius libro primo Saturnalium, his verbis; Flauius primum interkalasse Manium consulem dicit ab vrbe condita anno quingentesimo sexagesimo secundo, inito mox bello Ætolico. Itaque cum Capitolina etiam summa consentit. Hic prætor fuit anno DLVII. Acilio Græcia, Cornelio Italia obuenit. Bellum Antiocho regi, & Ætolis, ac qui sectam regis sequerentur, ex S. C. & populi iussu illatum. Antiochus in Eubœa luxuria elanguit; hospitis sui Chalcidensis filiam virginem duxit. Itaque cum aduentu Acilij consulis Thermopylas occupasset, inde virtute M. Catonis tribuni militum eiectus, in Asiam refugit. Ætoli Heraclea ab Acilio capta fracti, pacem petierunt. Liuius, Appianus.

De ouatione M. Fuluij Nobilioris præt. ex Hispania, & triumpho P. Scipionis Nasicæ cos. de Boijs.

M. FVLVIVS Nobilior, prætor anno DLX Hispaniam vlteriorem sortitus est. ibi re bene gesta cum domum redisset, hoc anno vrbem ouans ingressus est. Liuius. vnde in libro de viris illustribus legendum est; M. Fuluius Nobilior prætor Hispanos superauit: vnde ouans vrbem introiit. Hic ex consulatu eius Capitolino describtus est. Eodem anno P. Cornelius consul, cui Gallia prouincia euenerat, Boios Gallos mouentes acie vicit, castris exuit, in deditionem accepit. Idem a senatu contra intercessionem P. Sempronij Blæsi tribuni pl. vt sibi triumphanti vrbem ingredi liceret, impetrauit. auctor Liuius.

DE COS. AN. DLXIII.

L. CORNELIVM Scipionem, C. Lælium consules subijciunt in hunc annum Cassiodorus, Liuius, & Cap. tabulæ: Scipionem & Lælium Siculæ. Eosdem Gellius lib. XVI, cap. IIII, C. Lælium C. F. L. Scipionem P. F. vocat. Lælio cognomen *Africani* adijcit solus Cassiodorus. prætor fuit anno DLVII. L. Scipio, frater est Africani; qui post ab Asia deuicta, *Asiaticus* appellatus est. præturam gessit anno DLX. Lælio Italia, Scipioni Græcia decreta, si frater eius Africanus ei legatus iret.

De triumpho M'. Acilij Glabrionis pro cos. de Aetolis, & rege Antiocho.

SVB idem tempus duo fere cum triumphi spe prætores de prouinciis redierunt; Q. Minucius ex Liguribus, M'. Acilius ex Ætolia. auditis vtriusq; rebus gestis, Minucio negatus triumphus, Acilio magno consensu decretus: isque triumphans de rege

Antiocho & Ætolis, vrbem ingressus est. Ita Liuius. Ceterum Ætoli, cum ab amicitia populi R. defecissent, se Antiocho regi iunxerant: rex autem bello Græciæ illato, complures vrbes occupauerat. Itaq; M'. Acilius consul eum, rege Philippo adiuuāte, apud Thermopylas victum Græcia expulit; atque Ætolos deuicit. Horum autem alter est Q. Minucius Thermus, cui consuli anno DLX Ligures prouincia obuenit; alter, M'. Acilius Glabrio, qui consul anno priore, bellum in Græcia cum Antiocho & Ætolis gessit. quos Liuius prætores vocat pro proconsulibus.

DE COS. AN. DLXIIII.

CN. Manlius Vulso, M. Fuluius Nobilior, in hunc annum consules nominantur a Liuio, Cassiodoro, & Capitolinis Siculisq; tabulis. quorum Manlius prætor fuit anno DLVII, Fuluius anno DLX. Ætolorum legati, cum de pace acturi in senatum venissent, interrogati ab vno senatore, permitterent ne arbitriū de se populo Romano: deinde ab altero, habituri ne eosdem quos populus Romanus socios & hostes essent, nihil ad ea respondentes, egredi templo iussi sunt. conclamatum deinde prope ab vniuerso senatu est, totos adhuc Antiochi Ætolos esse, & ex vnica ea spe pendere animos eorum. itaq; bellum cum haud dubiis hostibus gerendum. Illa etiam res accendit, quod eo ipso tempore, quo pacem ab Romanis petebant, Dolopiæ atq; Athamaniæ bellum inferebant. Senatusconsultum in M'. Acilij sententiam factum est, vt Ætoli eo die iuberentur proficisci ab vrbe, & intra quintumdecimum diem Italia excedere. ita dimissi Ætoli. Consules sortiri Ætoliam & Asiā placuit. qui Asiam sortitus esset, exercitus ei quem L. Scipio haberet, est decretus: alteri consuli, exercitus qui erat in Ætolia. isq; iussus non solum cum Ætolis bellum gerere, sed etiam in Cephalleniam insulam traijcere. Ætolia M. Fuluio, Asia Cn. Manlio sorte euenit. Fuluius Apolloniam exercitu traiecto, Ambraciam Ætolorum vrbem nobilissimam obsessam cepit; atque Ambraciensibus pacem petentibus dedit. Ætoli diu iactati, tandem vt ad conditiones pacis conuenirent, effecerunt. fuerunt autem hæ: Imperium maiestatemque populi R. gens Ætolorum conseruato sine dolo malo: Ne quem exercitum, qui aduersus socios amicosq; eorum ducetur, per fines suos transire sinito; neue vlla ope iuuato: Hostes eosdem habeto quos populus Romanus; armaq; in eos ferto, bellumq; pariter gerito: Obsides XL arbitratu consulis Romani dato: Cephallenia extra pacis leges esto. De pecuniæ summa, quam penderent, pensionibusq; eius, nihil ex eo quod cum consule cōuenerat, mutatum. Cn. Manlius consul alter, cum Ephesum venisset, bellum Gallis Asiaticis, quod eos Antiochum auxiliis iuuisse diceret, mouit: atque ad singula eorum oppida, Attalo rege ducente, arma circumtulit. Fuluius interea in Cephalleniam transgressus, omnes ciuitates in deditionem sine prœlio vllo accepit. Samij soli obsidione in potestatem venerunt. Idem, quia in exitu annus erat, comitiorum caussa Romam regressus est. Hæc ex Liuio.

De censoribus, & lustro XLVIII.

CVM censuram multi & clari viri peterent, T. Quinctius Flamininus, P. Cornelius Cn. F. Scipio, L. Valerius Flaccus, M. Porcius Cato, M. Claudius Marcellus, M'. Acilius Glabrio; T. Quinctius, M. Marcellus creati. Marcellus sorte superato Quinctio, lustrum condidit. conditum est autem anno sequēti. senatum perlegerunt: princeps in senatu lectus tertium P. Scipio Africanus. Hæc Liuius. T. Quinctij censoris ante M. Catonem censorem meminit Cic. in lib. de senectute. eundem cum M. Marcello, M. Marcelli quinquies consulis filio, censorem fuisse scribit Plutarchus.

De triumphis L. Aemilij Regilli pr. & L. Scipionis procos. de rege Antiocho; Q. Fabij Labeonis pr. ex Creta.

HOC anno tres triumphos actos inuenio; duos de Antiocho rege, tertiū ex Creta insula; quorum nauales duo fuerunt, L. Æmilij Regilli pr. de Antiocho, & Q. Fabij Labeonis pr. ex Creta: tertius, a L. Scipione Asiatico actus est de Antiocho rege ex Asia. de quibus fere ita Liuius: L. Æmilius Regillus pr. anno priore classem sortitus, aduersus Antiochum profectus, inter Ephesū, Samum, Chiumq; cum præfectis regis

regis congressus, classem eius vicit, fudit, contudit, fugauitq;, ac naues longas cum omnibus sociis cepit sexaginta duas. Ei vero hoc anno extra vrbem in æde Apollinis cum senatus datus esset, auditis rebus gestis eius, quātis cum classibus hostium dimicasset, & quot inde naues demersisset aut cepisset, magno cōsensu patrum triumphus decretus est. triumphauit K. Februariis. Eadem de victoria sic scriptum est in libro de viris illustribus in Antiocho. atq; etiam Florus vt Antiochum Xerxi comparat, sic Æmilium Alcibiadi. Idem est apud Appianum in Syria. L. autem Cornelius Scipio, cum in consulatu Asiam, & bellum cōtra Antiochum regem obtinuisset, eo cū Africano fratre legato profectus, regem ipsum absente fratre, Eleæ ægrotante, Eumene Pergami rege adiuuante, cum arcus hostium pluuia hebetati essent, apud Sipylum montem ad Magnesiam acie vicit, ac bellum confecit. Itaq; de triumpho eius sic Liuius; L. Scipio ad vrbem venit; ne cognomine fratri cederet, *Asiaticum* se appellari voluit; & in senatu, & in concione de rebus a se gestis disseruit. imperatori triumphus decretus est. triumphauit mense intercalario prid. K. Mart. anno fere quam consulatu abiit. Pacis Antiocho datę hæ leges fuerunt; vt Europa abstineret; Asiaq; omni quæ cis Taurum est, decederet: pro impensis in bellum factis, XV millia talentorum Euboicorum daret: mille talentum per XII annos penderet; Eumeni CCCC talenta redderet. Cum Asianis autem ita pactum; vt cis Taurum montem, quæ intra regni Antiochi fines fuissent, Eumeni attribuerentur; præter Lyciam Cariamq; vsq; ad Mæandrum amnem; ea Rhodiorum essent. ceteræ omnes ciuitates, quæ Attali stipendiarię fuissent, eædem Eumeni vectigal penderent: quæ vectigales Antiochi fuissent, eæ liberæ atque immunes essent. Eumeni Phrygia vtraque, & Mysia restituta. De eadem victoria Appianus in Syriaca, Florus, Eutropius, & scriptor libri de viris illustribus. Q. autem Fabius Labeo, prætor hoc anno classem sortitus, ne otiosam prouinciā habuisse videri posset, optimum iudicauit in Cretam insulam traijcere. Cydoniatæ bellum aduersus Gortynios & Gnosios gerebant; & captiuorum Romanorum, atq; Italici generis magnus numerus in seruitute esse per totam insulam dicebatur. classe autem Epheso profectus, cum primum Cretæ littus attigit, nuntios circa ciuitates misit, vt armis abstinerent, captiuosq; reducerent. nihil magnopere ea Cretenses mouerūt. captiuos præter Gortynios nulli reddiderunt. Valerius Antias ad quatuor millia captiuorum, qui belli minas timuerunt, ex tota insula reddita scripsit; eamque caussam Fabio, cum rem nullam aliam gessisset, naualis triumphi impetrandi ab senatu fuisse. Hæc Liuius libro XXXVII extremo. at lib. XXXVIII, in oratione Cn. Manlij, hæc verba sunt; Vos tribunos plebei nuper, viros fortes ac strenuos, impedientes Q. Fabij Labeonis triumphum, auctoritate vestra deterruistis. triumphauit, quem nō bellum iniustum gessisse, sed hostem omnino non vidisse inimici iactabant. Hic idem Q. Fabius ex consulatu sequenti Capitolino descriptus est.

De triumpho L. Paulli pro cos. ex Hispania vlteriore.

L. AEMILIVS Paullus vlteriorem Hispaniam in prætura sortitus est Nasica & Glabrione cos. Postero aūt anno prorogato imperio, haud satis prospere rem gessit. siquidem sic scribit Liuius; Ætolici triumphi minuit lætitiam nuntius ex Hispania tristis, aduersa pugnā in Vascetanis ductu L. Æmilij Paulli * proconsulis apud oppidum Lyconem cum Lusitanis; sex millia de exercitu Romano cecidisse; ceteros pauentes intra vallum compulsos, ægre castra defendisse, & ad modum fugientium magnis itineribus in agrum pacatum reductos. Postero autem hoc anno rem melius ab eodem gestam ita tradit; In Hispania vlteriore, prius aliquanto quam L. Bæbius successor veniret, L. Æmilius Paullus, qui postea regem Persen magna gloria vicit, cum priore anno haud prospere rem gessisset, tumultuario exercitu collecto, signis collatis cum Lusitanis pugnauit. fusi fugatiq; sunt hostes; cæsa decem & octo millia armatorum; tria millia CCC capti; & castra expugnata. Plutarchus autem Paullum bis acie conflixisse cum hostibus ait, ac XXX millia cecidisse. Neuter tamen eorū eum triumphasse adscribit: cum tamen eius triumphi meminerit Velleius, cum inquit, L. Paullum iam tum cum aduersus Perseum cos. II, missus est, prætorem ac consulem triumphasse; & lapis antiquissimus, in quo L. Paullum ter triumphasse; & nummus argenteus perue-

tustus, in quo tria trophæa cum his litteris sunt impressa; L. PAVLL. TER. Quoniam autem hunc triumphum Capitolinorum triumphorum auctores omiserunt, quippe qui Persicum eius triumphum secundum, non tertium (vt fuit faciendum) notarunt, ne in fastis mihi quidem inscribendum putaui.

DE COS. AN. DLXV.

DEINCEPS consules insequuti M. Valerius Messalla, C. Liuius Salinator. auctor Liuius, Cassiodorus, & cum Siculis tabulis Capitolinæ. Messalla præturā gessit anno DLX, Salinator DLXII. C. Salinatorem Catonis æqualem vocat Cicero in Catone. Messallæ, Ligures; Salinatori, Gallia obtigit. nihil ab iis memorabile gestum. Fuluio in Ætolia, Manlio in Asia prorogatum imperium est. Manlius fœdus cum Antiocho scripsit, cuius ante meminimus; atque per Macedoniam in Thessaliam exercitum traduxit. inde per Epirum Apolloniam cum peruenisset, nondum adeo hiberno contempto mari, vt traijcere auderet, Apolloniæ hibernauit. Liuius.

DE COS. AN. DLXVI.

CONSVLES inde M. Æmilius Lepidus, C. Flaminius. Testes sunt Liuius Cassiodorus, Zonaras, Strabo lib. v; Siculę & Capitolinæ tabulæ. Horum meminit Valerius lib. VI, cum ait; M. Æmilio Lepido, C. Flaminio consulibus, L. Minucium & L. Manlium Carthaginiensium legatis, quia manus his intulerant, per fetiales dedēdos curauerunt. Idem scribit Liuius. Hic est M. Lepidus, qui bis cōsul, & censor, & sexies princeps senatus fuit; cuius meminit Cicero de prouinciis. prætor fuerat anno DLXII; Flaminius collega eius, anno DLX. Vtriq; Ligures prouincia decreti. Hoc anno P. Scipioni a Petilliis tribunis pl. de capta ab Antiocho rege ob pacem dandam pecunia, dies dicta est. quo cum in Capitolium diis gratulatum e rostris secessisset, concionem a tribunis pl. primum auertit; deinde die longiore producta, in Liternum concessit, ne ad caussam dicendā adesset. citatus, absens morbum excusauit; ac rure mortuus est. tum rogatio lata de pecunia capta, ablata, coacta ab Antiocho rege, quæ in publicū relata non esset: eaque de re L. Scipio Publij frater postulatus, damnatus est. Hæc Liuius; qui tamen de anno inter annales non conuenire ait. Consules quietam prouinciam nacti, vias Æmiliam & Flaminiam strauerunt. Liuius, Strabo.

De triumphis M. Fuluij Nobilioris pro cos. de Aetolis; Cn. Manlij Vulsonis pro cos. de Gallis Asiaticis.

M. FVLVIVS Nobilior consul, qui aduersus Ætolos (vt dixi) missus, prœliis frequentibus victos, & in Ambraciam oppidum coactos, in deditionem accepit, ac serpente latius bello Cephalleniam etiam subegit; Romam hoc anno reuersus, triumphum postulauit; atque eum contra M. Aburij tribuni pl. intercessionem impetrauit. Triumphauit pro cos. a. d. X. K. Ian. de Ætolis & de Cephallenia, Lepido Flaminioq; consulibus, auctore Liuio; vel (vt ait Eutropius) Albino & Philippo. Eiusdem victoriæ mentio fit apud eum qui scripsit de viris illustribus. De hoc consule sic Cicero in prima Tusculana; Cato obiecit vt probrum Marco Nobiliori, quod is in prouinciam poetas duxisset: duxerat autem consul ille in Ætoliam, vt scimus, Ennium. Et Plinius libro XXXV; Zeuxis fecit figulina opera; quæ sola in Ambracia relicta sunt, cum inde Musas Fuluius Nobilior transferret. At vero Cn. Manlius Vulso consul, ad ordinandam Scipionis Asiatici prouinciam, & fœdus cum Antiocho scribendum missus, Pisidas, Gallogræcos, Tolistobogios, Tectosagas, & Trocmos, qui Brenno duce in Asiam transierant, cum soli citra Taurum montem non parerent, quod auxilia Antiocho regi præstitisse dicerentur, vt dixi, adortus, bello sine S.C. aut iussu populi suscepto, in potestatem adduxit. Itaque Romam reuersus, ac clade a Thracibus, per quos exercitum traduxerat, accepta, extremo hoc anno a. d. III. Non. Matt. de Gallis, qui Asiam incolunt, triumphauit, contradicentibus X legatis, ex quorum consilio fœdus cum Antiocho scripserat, quod iniussu senatus bellum gessisset. Hæc Liuius, & Rufus. Florus autem ita; An fuisset cupidus triumphi Manlius, an Gallos Asiaticos inuisos simulauerit, dubiū. certe negatus est victori triumphus; quia caussam belli non approbauit senatus. De triumpho eiusdem sic Plinius lib. XXXIIII; Cn. Manlius Asia deuicta, triumphum duxit anno DLVII. Hic idem Manlius luxuriam

Aſiaticam Romam in triumpho duxiſſe, a Liuio & Plinio traditur. Hoc bello leges quædam regulis Gallorum, quibus pacem cum Eumene rege ſeruarent, dictæ: iisq;, vt agrorum ſuorum finibus ſe continerent, denuntiatum. Liuius.

DE COS. AN. DLXVII.

Sp. Poſtumium Albinum, Q. Marcium Philippum, conſules inuenio in hunc annum apud Liuium, Caſſiodorum, Eutropium, & tabulas Capitolinas: Albinum & Philippum apud Siculas. Horum meminit Valer. lib. VI, cap. III; & Plin. lib. XXXIII; cap. X: Populus (inquit) Romanus ſtipem ſpargere cœpit Sp. Poſtumio, Q. Marcio cos. Tanta abundantia pecuniæ erat, vt eam conferret L. Scipioni: ex qua is ludos fecit. Poſtumius, anno DLXIIII fuit prætor, Marcius anno DLXV. Conſulibus ambobus quæſtio de clandeſtinis coniurationibus, quæ in ſacris Bacchanalibus fiebant, decreta. deque earum ſociis ſupplicio ſumpto, in Ligures profecti ſunt. Liuius.

DE COS. AN. DLXVIII.

Hic annus conſules habuit Ap. Claudium Pulchrum, M. Sempronium Tuditanum. auctor Liuius, Caſſiodorus, & tabulæ Capitolinæ. Pulchrum & Tuditanum in Siculis inuenio. Tuditanus anno DLXIIII præturam geſſit; Pulcher, anno DLXVI. Vterque in Liguribus rem geſſit.

De ouatione L. Manlij Acidini pro pr. ex Hiſpania citeriore.

L. Manlivs Acidinus prætor an. DLXV Hiſpaniam citeriorem ſortitus, rem bene geſſit. Hic hoc anno ex Hiſpania reuerſus eſt. Cui poſtulāti ab ſenatu in ęde Bellonæ triumphum, rerum geſtarum magnitudo impetrabilem faciebat; exemplum obſtabat; quod ita comparatum more maiorum erat, ne quis, qui exercitum non deportaſſet, triumpharet: niſi perdomitam pacatamque prouinciam ttadidiſſet ſucceſſori. Medius tamen honos Manlio habitus, vt ouans vrbem iniret. Liuius. Hic ex ſequenti conſulatu Capitolino deſcriptus eſt.

DE COS. AN. DLXIX.

P. Clavdivs Pulcher, L. Porcius Licinus, conſules ſequuti ſunt in hunc annum. teſtes Liuius, Caſſiodorus, Capitolinæ tabulæ. Pulcher & Licinus eſt in tabulis Siculis. Pulcher prætor fuit anno DLXV; Licinus, anno DLX. P. Claudius, Ap. Claudij conſulis frater eſt, auctore Liuio. Conſulibus Ligures, quia nuſquam alibi bellum erat, decreti. Liuius.

De cenſoribus, & luſtro XLIX.

M. Porcivs Cato cum L. Valerio Flacco cenſor in hunc annum editur a Liuio, Plūtarcho, & Capitolinis tabulis. Horum meminit etiam Valerius libro II, cap. IIII; & lib. IIII, cap. V. & Cicero in Bruto, cum ait; Plautus P. Claudio L. Porcio cos. viginti annis poſt M. Cethegum, & P. Tuditanum conſules, mortuus eſt, Catone cenſore. Et in Catone; Scipio maior anno ante Catonem cenſorem mortuus eſt; cum nouem ante annis ipſe conſul Cato fuiſſet. Item; Cato cenſor L. Flamininum T. Flaminini fratrem, IX annis poſtquam conſul fuit, e ſenatu eiecit. Luſtrum conditum quamquam non exprimit Liuius, factum tamen eſſe XLIX, ex Capitolina cenſura intelligi poteſt. Princeps ſenatus lectus L. Valerius, qui cenſor erat; præſertim mortuo Africano, qui tribus ante luſtris lectus fuerat.

De triumphis C. Calpurnij Piſonis pr. & L. Quinctij Criſpini pr. ex duabus Hiſpanijs.

Anno DLXVII C. Calpurnius Piſo, & L. Quinctius Criſpinus, prætores Hiſpaniā ſortiti ſunt; ille vlteriorem, hic citeriorem. cum aūt copias in Hiſpania iunxiſſent, bellum communi animo geſſerunt, ac Luſitanos Celtiberosq; ſubegerunt. Romam aūt reuerſi hoc anno, prior Calpurnius, deinde Quinctius de Luſitanis Celtiberisque triumpharunt. auctor Liuius. Piſo ex ſequenti conſulatu Capitolino deſcriptus eſt.

DE COS. AN. DLXX.

In hunc annum creati consules M. Claudius Marcellus, Q. Fabius Labeo; ex Liuio, Cassiodoro, lapidibus Capitolinis cognomina quoq; eorum in Siculis tabulis reperiuntur. Horum sic meminit Probus in Annibale; M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone consulibus, mortuum Annibalem scribit Atticus. Labeo, prætor fuit anno DLXIIII; Marcellus, anno DLXV. Vterque Ligures sortitus est. Marcellus tamen in Galliam aduersus Gallos Transalpinos, qui in Italiam transgressi, oppidum in agro Aquileiensi ædificabant, Gallis ex prouincia exactis, Istricum bellum moliri cœpit, litteris ad senatum missis, vt sibi liceret in Istriam legiones traducere. Id senatui placuit. In Liguribus nihil memorabile a Q. Fabio gestum. Marcellus ex Istria reuocatus, exercitu dimisso, Romam comitiorum caussa rediit. Liuius, Zonaras.

DE COS. AN. DLXXI.

Cn. Bæbius Tamphilus, L. Æmilius Paullus, in hunc annum creati consules fuerunt. auctor Liuius, Cassiodorus, Capitolinæ tabulæ; &, si cognominum tantum rationem habeas, etiam Siculæ. L. Æmilius, L. Æmilij, qui periit ad Cannas, est filius, teste Plutarcho, & Velleio. Idem, prætor fuit anno DLXII; Bæbius anno DLIIII. Consulibus præter Ligures nulla prouincia, quæ decerneretur, erat. M. Marcello in Gallia prorogatum imperium, & Q. Fabio in Liguribus. Ligures sine prœlio in deditionem accepti. Liuius.

De A. Terentio Varrone pro pr. ouante ex Hispania citeriore.

A. Terentius Varro, prætor anno DLXIX Hispaniam citeriorem sortitus, in Suessetanis oppidum Corbionem vineis & operibus expugnauit; posteriore anno, prorogato imperio, secunda prœlia cum Celtiberis fecit; & oppida, quæ ibi communierant, aliquot expugnauit. hoc autem anno Romam reuersus, vrbem ouans iniit; auctore Liuio.

DE COS. AN. DLXXII.

P. Cornelius Cethegus, M. Bæbius Tamphilus, cōsules hoc anno subsequuntur apud Liuiū, Cassiodorū, & tabulas Capitolinas; Cethegus & Tamphilus apud Siculas, P. Cornelij, M. Bæbij consulum, meminit Plutarchus in Numa: P. Cornelij M. Bæbij Tamphili, Valerius lib. I, cap. I: P. Cornelij Lentuli, M. Bæbij Tamphili, lib. II, cap. I. Plinius autem lib. XIII, cap. XIII, P. Cornelium L. F. Cethegum, M. Bæbium Q. F. Tamphilum vocat. M. Bæbius, frater fuit Cn. Bæbij consulis, auctore Liuio. idem, prætor anno DLXI; P. Cornelius, anno DLXV. Iidem, Ligures prouinciā sortiti sunt.

De triumpho L. Aemilij Paulli pro cos. de Liguribus.

Consulibus ambobus anni prioris, Ligures, quæ vna tum consularis prouincia fuit, decreti fuerūt. Cn. autem Bæbio ad comitia Romam reuerso, L. Paullus prorogato in hunc annum imperio, cum Liguribus Ingaunis prospere dimicauit, atq; ex iis triumphum egit. Hęc Liuius. Apud Frontinum etiam lib. II, sic scriptum est; Æmilius Paullus, vniuersis Liguribus improuiso adortis castra eius, simulato timore militem continuit: deinde fatigato iam hoste, a quatuor portis eruptione facta, strauit cepitq; Ligures. Plutarchus item victos ab hoc consule Ligures prodit. In libro autem de viris illustribus, scriptum est, L. Paullum priore cōsulatu de Liguribus triumphasse. Velleius hunc, & prætorem & consulem triumphasse tradit. parum prudēter. neq; enim ex Hispania, quam in prætura obtinuit, triumphauit. nisi mēdose sit apud eum; *Qui prætor & consul triumphauerat*; pro, *Qui priore consulatu triumphauerat.*

DE COS. AN. DLXXIII.

A. Postumium Albinum, C. Calpurnium Pisonem, cōsules suggerūt in hunc annum Liuius, Cassiodorus, & Capitolinæ tabulæ; Albinum & Pisonem Siculæ. Piso prætor fuit anno DLXVII; Albinus, anno DLXVIII. Consulibus ambobus prouinciam Ligures esse senatus iussit. Cum autem pestilentia tertium iam annum vrbem

bem Romanam atque Italiam vastaret, Ti. Minucius prætor, atque haud ita multo post consul C. Calpurnius moritur. suspecta consulis erat mors maxime. necatus a Quarta Hostilia vxore dicebatur. vtquidem Q. Fuluius Flaccus in locū * victrici cōsulis est declaratus, aliquāto magis infamis mors Pisonis cœpit esse. Hic Flaccus prætor fuerat anno DLXVI. auctor Liuius, & Capitolinæ tabulæ.

De triumphis P. Cornelij Cethegi pro cos. M. Bæbij Tamphili pro cos. de Liguribus; Q. Fuluij Flacci pr. de Hispanis.

INTERIM P. Cornelius & M. Bæbius, qui in consulatu nihil memorabile gesserunt, in Apuanos Ligures exercitum induxerunt. Ligures qui ante aduentum in prouinciam consulum, non exspectassent bellum, improuiso oppressi sunt. ad duodecim millia hominum dediderunt se. Eos consules, consulto prius senatu, ex montibus in agros campestres procul ab domo deduxerunt: cumq; veterem exercitum Romam reduxissent, vt triumpharent impetrarunt, atq; omnium primi nullo bello gesto triumpharunt. tantum hostes ducti ante currum. Liuius. Hunc Bæbium credo intelligi a Floro, cum inquit; Ligures Bæbius in plana deduxit. Q. autem Fuluius Flaccus, prętor anno DLXXI Hispaniam citeriorem. in qua Celtiberi bellum renouabant, sortitus, hoc anno Romam rediit cum magna fama rerum gestarum. qui cum extra vrbem triumphi caussa esset, consul est creatus cum L. Manlio Acidino: & post paucos dies vrbem triumphans ingressus est. Liuius. De eodem Orosius; Q. Fuluius Flaccus prætor, in citeriore Hispania maximo prœlio vigintiquatuor millia hominum fudit, quatuor millia cepit. Item Appianus in Iberica.

DE COS. AN. DLXXIIII.

L. MANLIVM Acidinum, Q. Fuluium Flaccum, consules edunt in hūc annum Liuius, Cassiodorus, tabulæ Capitolinæ; Acidinum cum Flacco Siculæ. Acidini consulis meminit Cicero secundo de Orat. cum ait; Maluginensem illum M. Scipionem aiunt, cum ex centuria sua renuntiaret Acidinum consulem, præcoq; dixisset, Dic de L. Manlio; Virum bonum, & ciuem egregium esse arbitror. Hos fratres germanos esse notatum est in tabulis Capitolinis. Qua de re sic Velleius lib. II; Non minus clarū [exemplum] & adhuc vnicum Fuluij Flacci, eius qui Capuam ceperat, filiorū, sed alterius in adoptionem dati, in collegio consulum fuit. adoptiuus in Acidini Manlij familiam datus. Hæc ille. Hinc factum est vt L. Manlius Acidinus *Fuluianus* ex adoptiuorum ratione in Capitolinis tabulis nominetur. Acidinus, prætor fuit anno DLXV; Fuluius, DLXXI. Consulibus prouincia eadem quæ superioribus decreta.

De censoribus & lustro L.

COMITIIS censoriis creati M. Æmilius Lepidus pont. max. & M. Fuluius Nobilior, qui ex Ætolia triumphauerat; auctore Liuio. Eorundem censorū meminit Valerius lib. IIII, cap. II; Cicero de prouinciis; Gellius lib. XII, cap. VIII; & Festus. Gellius tamen Fuluium *Flaccum* nominat, non *Nobiliorem*. Lustrum conditum esse ab his cēsoribus quinquagesimum, tradunt Capitolini scriptores. excidit aūt apud Liuium. at de eo ita scriptum est in Epitoma lib. XLI; Lustrum a censoribus conditū. censa sunt ciuiū capita CCLXXIII millia, CCXLIIII. M. Lepidus cēsor, princeps senatus lectus.

De triumpho II. *Q. Fuluij Flacci cos. de Liguribus.*

Q. FVLVIVS cos. profectus in Ligures per inuios montes, vallisque saltus cum exercitu transgressus, signis collatis cum hoste pugnauit: neque tantum acie vicit, sed castra quoq; eodem die cepit. tria millia ducenti hostium, omnisque ea regio Ligurum, in deditionem venit. consul deditos in campestres agros deduxit, præsidiaque montibus imposuit. ab altero cōsule L. Manlio nihil memoria dignum in Liguribus gestum. Q. Fuluius ex Liguribus triumphauit. quem triumphum magis gratiæ, quam rerum gestarum magnitudini datum constabat. armorum hostilium magnam vim transtulit. nihil in eo triumpho magis insigne fuit, quam quod forte euenit vt eodem die triumpharet quo priore anno ex prætura triumphauerat. Liuius.

DE COS. AN. DLXXV.

Deinceps M.Iunius Brutus, A. Manlius Vulſo, conſules creati ſunt, auctore Liuio, Caſſiodoro, & Capitolinis tabulis; Brutus & Vulſo Siculis. Brutus, anno DLXII prætor fuit; Vulſo, DLXXI. M.Iunio Ligures, A. Manlio Gallia obtigit. qui tamen ſine S.C. bellum cum Iſtris parum proſpere geſſit.

De triumphis Ti. Sempronij Gracchi pro pr. L.Poſtumij Albini pro pr. ex Hiſpanijs.

L. Postvmivs Albinus, Ti.Sempronius Gracchus, prætores Hiſpanias anno DLXXIII obtinuerunt; ille vlteriorem, hic citeriorem. Rerum ab his geſtarum mentio intercidit apud Liuium. De iis autem in Epitoma XLI eſt ita; Ti. Sempronius Gracchus pro cos. Celtiberos victos in deditionem accepit; monumentumque operum ſuorum Gracchurim oppidum in Hiſpania conſtituit. A Poſtumio Albino pro conſule Vaccæi ac Luſitani ſubacti ſunt. vterque triumphauit. Rerum item in Celtiberia geſtarum a Graccho, & triumphi eius, meminit Appianus in Iberica, & Oroſius. De quibus triumphis hæc Liuius; Triumphi deinde duo ex Hiſpania continui acti. prior Sempronius Gracchus de Celtiberis, ſociisq; eorum; poſtero die L.Poſtumius de Luſitanis, aliisq; eiuſdem regionis Hiſpanis triumphauit. Polybius, quod apud Strabonem extat, CCC Celtiberum oppida a Ti. Graccho deleta tradit. Ti. hic Sempronius, pater duorum Gracchorum fuit; quem Plutarchus bis triumphaſſe ſcribit. Hi ambo ex ſequenti conſulatu Capitolino deſcripti ſunt.

DE COS. AN. DLXXVI.

C. Clavdivm Pulchrum, Ti. Sempronium Gracchum, conſules ſuggerunt Liuius, Caſſiodorus, & tabulæ Capitolinæ; Pulchrum & Gracchum Siculæ. Gracchus, prætor fuit anno DLXXIII; itemque Pulcher Ti. Minucio mortuo ſuffectus. Sardinia, propter belli magnitudinem, cõſularis facta. Gracchus eam ſortitur; Iſtriam Claudius. auctor Liuius.

De triumpho C. Claudij Pulchri cos. de Iſtris & Liguribus.

Hoc anno prouinciæ, quæ in bello erant, Sardinia atq; Iſtria decretæ. Claudio Iſtria, Sempronio Sardinia obuenit. Claudius Iſtris ſubactis, ex S.C. in Ligures legiones duxit; atq; duarum gentiũ vno anno victor, duabus, quod raro alius, in conſulatu pacatis prouinciis, Romam reuertit. cui, cum in ſenatu de rebus in Iſtria Liguribusq; proſpere geſtis diſſeruiſſet, poſtulãti triumphus decretus eſt. triumphauit in magiſtratu de duabus ſimul gentibus. Victoriæ Iſtricæ meminit etiam Florus de bello Iſtrico.

DE COS. AN. DLXXVII.

Cn. Cornelium Scipionem Hiſpalum, Q.Petillium Spurrinum, cõſules inuenio in hunc annum apud Liuium, Caſſiodorum, & tabulas Capitolinas; Scipionem & Petillium apud Siculas. Scipio prætor fuit anno DLXXIIII, Spurrinus DLXXII. Piſæ Cn.Cornelio, Ligures Petillio obuenerunt. Is autem cum ex monte Albano rediens concidiſſet, & parte membrorum captus, ad aquas Cumanas profectus, ingraueſcente morbo Cumis deceſſiſſet, Q. Petillius conſul collegam, qui extemplo magiſtratum occiperet, creauit C. Valerium Læuinum. Liuius. Itaq; Obſequens etiam ita; Cornelius ex monte Albano rediens, membris captus, ad aquas Cumanas mortuus. C. Valerius, pr. fuit anno DLXXVI. Porro autem ijdem auctores ſunt Q. etiam Petillium conſulem cum Liguribus dimicantem in acie cecidiſſe. quod tradunt etiam Valerius lib. I, cap. VI; & lib. II, cap. II; Frontinus libro IIII, cap. II. Item in Capitolinis tabulis.

DE COS. AN. DLXXVIII.

Consvles ſuggerunt Oroſius Lepidum & Mucium; Caſſiodorus & Obſequens M.Lepidum, P.Mucium; Siculæ tabulæ Lepidum & Scæuolam; Capitolinæ P.Mu-

P. Mucium Scæuulam, M. Æmilium Lepidum II. Consularia huius anni comitia apud Liuium interciderunt: meminit tamen P. Mucij consulis: qui alter est ex iis fratribus, qui anno DLXXIIII prætores ab eo fuisse traduntur, Q. & P. Mucij Q. F. Scæuulæ. M. Æmilium Lepidum hunc bis consulem fuisse, scribit etiam Cicero de prouinciis, & Valerius libro VI, cap. VI.

De triumpho Ti. Sempronij Gracchi pro cos. de Sardis.

DE triumpho Ti. Sempronij Gracchi pro cos. quem de Sardis egit, sic Liuius; Ti. Sempronio Graccho consuli Sardinia obuenit: isq; prospere rem gessit: exercitum in agrum Sardorum Iliensium duxit. Balarorum magna auxilia Iliensibus venerãt. cum vtraque gente signis collatis conflixit. fusi fugatiq; hostes, castrisq; exuti: XII millia armatorum cæsa. Sequenti anno Ti. Sempronius in Sardinia multis secundis prœliis Sardos perdomuit: XV millia hostium sunt cæsa: omnes Sardorum populi qui defecerant, in dicionem redacti. Pacata prouincia, legati Romam, qui ea nuntiarent, missi, quique ab senatu peterent, vt Sempronio de prouincia decedenti exercitum secum deportare liceret. Senatus Ti. Sempronium proconsulem, exercitumque eo anno in prouincia manere iussit. Hæc Liuius lib. XLI. Ex quo intelligi potest, tertio anno Gracchum Mucio & Æmilio cos. triumphasse. qui triumphus apud Liuium cum tota fere huius anni historia amissus est. at anno sequenti tabulam in æde Matris Matutæ positam ait, in qua scriptum erat, Ti. Sempronium Gracchum subacta Sardinia iterum triumphasse. In libro etiam de viris illustribus inuenio, Gracchum consulem Hispaniam; altero consulatu Sardiniam subegisse; atque inde tantum captiuorum abduxisse, vt longa venditione res in prouerbium venerit, *Sardi venales.* in quo eius scriptoris (vt sæpe alias) fœda rerum Romanarũ inscitia coarguitur; cum Hispaniam Gracchus in prætura, Sardiniam in primo cõsulatu, &, vt post dicam, in secundo obtinuerit. Plutarchus etiam hunc bis triumphasse scribit.

De triumpho C. Valerij Læuini pro cos. & P. Mucij Scæuulæ cos. de Liguribus.

C. AVTEM Valerius Læuinus consul, iam diu cupidus prouinciæ, Ligures & ipse sortitus est; quibus bellũ faciebat Q. Petillius collega eius. Diuisis autem copiis, cum ipsi bellum gerere communi animo in diuersas profecti regiones cœpissent, Petillius in acie occisus est; C. Valerius audita morte collegæ, accurrisse creditur, atq; rem præclare gessisse. Hæc quidem Liuius. quamquam quæ pars victoriam eius indicabat, magna historiæ iactura amissa desideratur. Puto autem ego eum rem bene gessisse, ac triumphasse. nam proxime ante triumphum P. Mucij cos. de Liguribus in Capitolinis tabulis, est fragmentum alterius de Liguribus triumphi: qui nemini alij tribui potest nisi C. Valerio, qui ante eum in Ligures pugnauit. P. etiam Mucium Scæuulam consulem cum Liguribus prospere dimicasse, apparet ex his Liuij verbis; Inter Audenam Amnem P. Mucius cum iis qui Lunam Pisasque depopulati erant, bellum gessit; omnibusq; in dicionem redactis arma ademit. ob eas res in Gallia Liguribusq; gestas duorum consulum ductu auspicioque, senatus in triduum supplicationes decreuit. Triumphasse eundem de Liguribus, docent Capitolina fragmenta, in quibus ante ouationem Ap. Claudij, quæ sequitur, ita est; Q. F. P. N. DE LIGVRIBVS. quibus notis P. Mucius Q. F. P. N. Scæuula cos. significatur. sic enim in consulatu Capitolino describitur. Triumphus autem apud Liuium excidit. Alterum consulem Lepidum, qui in Gallia res gessisse videtur, triumphum non impetrasse existimo.

DE COS. AN. DLXXIX.

CONSVLES subijcit Cassiodorus Sp. Postumium, Q. Mucium: Capitolinæ tabulæ Sp. Postumium Albinum Paullulum, Q. Mucium Scæuulam: PAVLLVM & SCAEVOLAM liber Cuspinianus. Horum meminit Plinius lib. II; cum ait; Trinos soles antiqui sæpius videre, sicut Sp. Postumio Q. Mucio cos. Comitia huius anni cõsularia apud Liuium exciderũt. Albinus, prætor fuit anno DLXX; Scæuula, DLXXIIII.

Quæ conſulibus prouinciæ decretæ ſint, intercidit apud Liuium. Hos conſules tranſcendunt faſti Siculi.

De cenſoribus, & luſtro LI.

CENSORES in hunc annum edit Liuius vna cum Capitolinis tabulis Q. Fuluium Flaccum, A. Poſtumium Albinum. Liuius item lib. XLV, meminit A. Poſtumij Luſci cenſorij. De his cenſoribus multi ſcripſere. Velleius libro I; Aſpera cenſura Fuluij Flacci & Poſtumij Albini fuit; quippe Fuluij cenſoris frater, & quidem cõſors, Cn. Fuluius, ſenatu motus eſt ab iis cenſoribus. Idem tradit Liuius, Valerius lib. II, cap. II; Cicero in Verrem, Frontin. lib. IIII. De Fuluio etiam cenſore ſic idem Valerius lib. I, Lactantius lib. II, & Liuius lib. XLII; Cenſor Fuluius ex Iunonis Laciniæ templo marmoreas tegulas cum abſtuliſſet, quibus ædem Fortunæ equeſtris, quam Romæ fecerat, tegeret, & mente captus eſt, & amiſſis duobus filiis in Illyrico militantibus, ſummo animi mœrore conſumptus eſt. Et Plin. lib. VII, amborum meminit, ſic; Qua in re & illud annotare ſuccurrit, vnum omnino quinquennium fuiſſe, quo ſenator nullus moreretur, cum Flaccus & Albinus cenſores luſtrum condidere anno vrbis quingenteſimo ſeptuageſimo nono. De luſtro anno ſequenti condito, ſic Liuius; Eo anno luſtrum conditum. cenſores erant Q. Fuluius Flaccus, A Poſtumius Albinus. Poſtumius cõdidit, cenſa ſunt ciuium Rom. capita CCLXIX millia & XV. M. Æmilius Lepidus pont. max. princeps ſenatus lectus, is qui etiam priore luſtro lectus fuerat. Hoc luſtrum LI vocant Capitolini faſti.

De ouatione Ap. Claudij Centhonis pro pr. ex Celtiberia.

AP. Claudius Centho, prætor (vt puto) anno DLXXVIII Hiſpaniam citeriorem ſortitus eſt. Liuij enim hiſtoria illa deſideratur. De rebus autem & triumpho eius hæc apud eum ſcripta exſtant; Celtiberi in Hiſpania, qui bello domiti ſe Ti Graccho dediderant, pacati manſerant M. Titinio prætore prouinciam obtinente; rebellarant ſub aduentum Ap. Claudij. Item; Exitu prope anni, diem vnum ſupplicatio fuit ob res proſpere geſtas in Hiſpania ductu auſpicioque Ap. Claudij pro cos. Item; Cum Ap. Claudius ex Hiſpania Romam rediſſet, decreuit ſenatus vt ouans vrbem iniret. Item; Comitiis perfectis, Ap. Claudius Centho ex Celtiberis ouãs vrbem iniit. Huius triumphi veſtigia apparent etiam in fragmento quodam Capitolino; quę qualia ſint, ex triumphis ipſis intelligi poteſt.

DE COS. AN. DLXXX.

IN hunc annum creati conſules L. Poſtumius Albinus, M. Popillius Lænas. auctor Liuius, Caſſiodorus, tabulæ Capitolinæ. Albinus & Lænas in Siculis ſuggeruntur. His cos. Floralia inſtituta eſſe, docet Ouidius Faſtorum V, his verſibus;

Annuimus votis; conſul cum conſule ludos Poſtumio Lænas perſoluere mihi.

Poſtumius anno DLXXIII, Popillius DLXXVII præturam geſſerunt. Vterque autem in conſulatu Ligures ſortitus eſt. Popillius Statellatibus deditis arma ademit; ipſos bonaq; eorum vendidit: Poſtumius ne prouinciam quidem ſuam vidit. Liuius.

DE COS. AN. DXXCI.

C. POPILLIVM Lænatem, P. Ælium Ligurem conſules hic annus habuit, Liuio, Caſſiodoro, & Capitolinis tabulis teſtibus; Lænatem & Ælium Siculis. Horum præturæ anno DLXXV apud Liuium, vt puto, deſiderantur. Hucuſque plebeij conſules in eundem annum nulli ſunt comparati. hoc enim anno primum ex plebe ambo conſules facti ſunt; quemadmodum notatum eſt in Capitolinis tabulis. Itaque poſthac patricij conſules ambo nunquam erunt; plebeij ambo ſæpe; plebeius & patricius ſæpiſſime. Lex quia iubebatur vti liceret ambos conſules plebeios creare, lata eſt (auctore Liuio) anno CDXI: neque vnquam niſi hoc primum anno ſeruata eſt. Ligures ambobus conſulibus decreti.

De triumpho C. Cicereij propr. ex Corsica.

C. CICEREIO prætori prioris anni, ad ædem Bellonæ senatus datus est. Is expositis quas in Corsica res gessisset, postulatoq; frustra triumpho, in more Albano, quod iam in morem venerat vt sine publica auctoritate fieret, triumphauit. Liuius. Idem triumphus ouationi Claudianæ in tabulis Capitolinis subijcitur.

De bello Persico.

BELLVM quod Perses Philippi Macedonis filius cum Romanis gessit, iam meditatum ac comparatum a patre accepit potius, quam vt ipse primus excitauerit. Philippus enim ægre ferens se iussu Romanorum fœdus ac pacem habere, Bastarnas sedibus suis exciuerat; quorum auxiliis fretus, in Italiam transiret. verum antequam rem aggrederetur, morte oppressus est. Perses regnum suscepit, ex concubina natus. qui hereditario quasi sibi a patre relicto aduersus Romanos bello, ingenti comparata per aliquot annos pecunia, ciuitates Græciæ populi R. socias sollicitauit; Abrupolim regno expulit, Artetarum interfecit; auxilium Byzantiis aduersus fœdus tulit; Dolopiæ bellum fecit; Thessaliam & Doridem cum exercitu peruasit; legatos Romanos, ad res reperendas, & renuntiandam regi amicitiam missos, inhumanius, cum eos triduo regni sui finibus excedere iussisset, tractauit. His de caussis bellū ei a senatu populoq; Romano indictū est; quod *Persicum*, ac *secundum Macedonicum* dictum est; quod aduersus fœdus cum Philippo patre ictum, & secum post mortem eius renouatū, sociis populi R. arma intulisset, quodq; belli parandi aduersus populum R. consilia iniisset; arma, milites, classem eius rei caussa comparasset. Liuius, Florus, Plutarchus.

DE COS. AN. DXXCII.

CONSVLES in hunc annum subsequuti P. Licinius Crassus, C. Cassius Lōginus; vt est apud Liuium, Cassiodorum, Orosium, & in tabulis Capitolinis. Nam in Siculis tantum est Crassus & Longus. Eorundem meminit Plinius lib. VII, cum ait; In annalibus inuenimus, P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino cōsulibus, Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus. Quæ verba Plinij transtulit Gellius in lib. IX, cap. IIII. Horum præturæ apud Liuium interciderunt anno DLXXVII, & DLXXVIII. P. Licinius, cui Macedonia & bellum cum rege Perse euenerat, in Macedoniā cum traiecisset, equestri prœlio a rege victus est; ac petenti tamen pacem regi, nisi se senatus & populi R. arbitrio permitteret, negauit. Lucretius prætor, Aliartum vi, Thebas sine certamine in Bœotia recepit. Iterum Licinius cum Perseo congressus, feliciore euentu equestri pugna conflixit. C. Cassius, cui Gallia obtigerat, nihil memorabile gessit; & cum per Illyricum in Macedoniam alienam prouinciam exercitum duxisset, a senatu reuocatus est. Liuius, & Eutropius.

DE COS. AN. DXXCIII.

CONSVLES subijcit Cassiodorus C. Hostilium Mancinum, C. Atilium: Siculæ tabulæ Mancinum & Serranum; Capitolinæ A. Hostilium Mancinum, A. Atilium Serranum. Horum comitia consularia & res gestæ exciderunt in Liuianis annalibus. Mancinus, prætor fuit anno DLXXIII; Serranus, DLXXX. Hostilio Macedonia, Atilio Italia obuenit. Hostilius vt nullam rem bellicam memorabilem gessit, ita ad cunctam militarem disciplinam ab effusa licentia formauit militem; & socios cum fide coluit, & ab omni iniuriæ genere defendit. Liuius.

DE COS. AN. DXXCIIII.

Q. MARCIVM Philippum iterum, Cn. Seruilium Cæpionem, consules in hunc annum computant Liuius, Cassiodorus, & tabulæ Capitolinæ; Philippum & Cæpionem Siculæ. Cicero in Bruto; Q. Marcio, Cn. Seruilio consulibus, obiit Ennius. Et in Catone; Cæpione & Philippo consulibus, mortuus est Ennius. Cæpio prætor anno DLXXIX. Consulum Q. Seruilius Italiam, Q. Marcius Macedoniam sortitus est. Marcius cum in Macedoniam per saltus inuios penetrasset, improuiso ac inopinato

aduentu suo ita regem perterrefecit, vt abiecto auro, ne in victoris manus veniret, fugam ceperit. quo belli impetu Marcius complures vrbes occupauit. Liuius.

De Censoribus, & lustro LII.

C. CLAVDIVM Pulchrum, Ti. Sempronium Gracchũ, censores edunt in hunc annum Liuius, & Capitolinæ tabulæ. Valerius lib. VI, cap. V, Ti. Gracchum, & C. Claudium censores, scribit ob nimis seuere gestam censuram maiorem partem ciuitatis exasperasse. Plinius item lib. XLV, C. Claudij censorij meminit; Gracchi censoris Plutarchus. Cicero etiam libro primo de Orat. Ti. Gracchus censor, inquit, libertinos in vrbanas tribus transtulit. Hos in vnam Esquilinam coniectos scribit Liuius. qui idem hoc anno censum actum a censoribus tradit. Lustri mentio intercidit. de eo tamen sic est in Epitoma: Lustrum conditum a censoribus. censa sunt ciuium capita CCXII millia DCCCV. M. Æmilius Lepidus, princeps senatus ab tertiis iam censoribus lectus. Hoc lustrum LII vocant Capitolini auctores. De his loquitur lib. VI de rep. Cicero, cum ait; Quod quidem eo fuit maius, quia cum in caussa pari collegæ essent, non modo inuidia pari non erant, sed etiam Claudij inuidiam Gracchi caritas deprecabatur. Gellius lib. VI.

DE COS. AN. DXXCV.

CONSVLES subsequuti L. Æmilius Paullus iterum, septimo decimo anno postquam primum consul fuerat; C. Licinius Crassus. auctor Liuius, Cassiodorus, tabulæ Capitolinæ. Paullus item & Crassus in Siculis est. De secundo cõsulatu L. Paulli Plutarchus, Velleius, Orosius, Eutropius, Florus, Iustinus lib. XXXIII; is qui scripsit de viris illustribus. Plutarchus adijcit, Paullum LX annos natum, consulem iterum esse factum. Eidem Macedonia, Crasso Italia euenit. Paullus cos. & Cn. Octauius prętor, cui classis mandata erat, in Macedoniam profecti sunt. Perseus, postquam intrasse saltum Romanos, & adesse discrimen vltimum belli animaduertit, Gentium, Illyriorum regem ad belli societatem magnæ pactione pecuniæ per legatos attraxit: Gallorum, qui se mercede pro eo militaturos offerebant, opportuna auxilia, auaritia dimisit: Gentium promissæ pecuniæ parte fraudatum, a se alienauit. aduersus quem L. Anicius Gallus prætor a Romanis missus, vt Ap. Claudio circa Lychnidum succederet; Illyricum intra triginta dies subegit, ac Gentium ipsum regem cepit. Paullus III Non. Sept. collatis apud Pydnam signis, Perseum, XX millibus peditum occisis, equitatu cum ipso rege integro fugiente, vicit, castris exuit; atque Macedoniæ vrbes in deditionem accepit. Rex ab amicis desertus, postea apud templum Samothracũ a Cn. Octauio classis præfecto captus est. quarum tamen rerum apud Liuium debilitata ob vetustatem memoria est. C. Popillius legatus, virga Antiochum regem circumscripsit; ac subito responsum, quod differebat, dare coegit. Liuius.

DE COS. AN. DXXCVI.

IDEM consules subdit Q. Ælium, M. Iunium: fasti Siculi Pætum & Pennum: Obsequens & Cassiodorus, Q. Ælium Pætum, M. Iunium Pennum. Cicero item in Bruto M. Iunij Penni, qui cum Q. Ælio consul fuit, meminit. Pennus prætor fuerat anno DLXXXI: alterius prætura apud Liuium desideratur. Iunio Pisæ obuenerunt, Ælio Gallia: Macedoniam & Illyricum L. Paullus & L. Anicius obtinere iussi, donec ex sententia X legatorum eas prouincias composuissent. Consules agrum Ligurum populati, nullam rem memorabilem gesserunt. Rhodiis legatis, cum ad purganda crimina, quod Perseum iuuissent, Romam venissent, ita responsum est, vt nec hostes fierent, nec socij permanerent. L. Anicius, Gabinio & Licinio Illyrico præpositis, cum reliquo exercitu in Epirum profectus, Phanoten ac totam Molossidem recepit; inde regressus in Illyricum, ex legatorum quinque sententia liberos esse Illyrios iussit. Paullus, dum Roma legati decem venirent, totam Græciam circumiuit. inde reuersus, ex eorum sententia & ipse Macedonas liberos esse, habentes vrbes easdem agrosque, vtentes legibus suis, annuos creantes magistratus, tributum dimidium eius quod pependissent regibus, pendere populo Ro. iussit; leges Macedoniæ dedit cum

tanta

tanta cura, vt non hostibus victis, sed sociis benemeritis dare videretur. Inde in Epirum cum traiecisset, oppidorum quæ Perseum iuuerant, circa LXX muros diruit; prædam vendidit, atque de ea summa militi numerauit. Liuius, Plutarchus, Eutropius, alij.

De triumphis { *L. Aemilij Paulli pro cos.* / *Cn. Octauij pro pr. de rege Perse ex Macedonia.* / *L. Anicij Galli pro pr. de Gentio rege ex Illyrio.* }

PAVLLVS post paucos dies quam Epiri vrbes diruerat, regia naue ingentis magnitudinis, quam XVI versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis aduerso Tiberi ad vrbem subuectus est. Paucos post dies Anicius & Octauius classe sua aduecti. Tribus iis omnibus decretus est ab senatu triumphus; mandatumque Q. Cassio prætori, cum tribunis pl. ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, vt iis quo die triumphantes vrbem inueherentur, imperium esset. Nec de Anicij nec de Octauij triumpho dubitatum est. Ser. Sulpicius Galba, qui tribunus militum secundæ legionis in Macedonia fuerat, priuatim imperatori inimicus, exercitum, cui Paullus de præda parcius quam sperauerant ex tantis regiis opibus dederat, incitauit vt rogationem de triumpho eius non acciperet. cum autem nobilium virorum, qui accurrerant, opera factum esset vt tribus in suffragium reuocarentur, rogatio lata est: atque ita triumphauit. ductus est ante currum rex Perseus, vna cum Philippo & Alexandro filiis. Triumphasse eum per triduum scribit Plutarchus: primo die signa tabulasque, secundo arma pecuniasque; tertio captiuos ipsumque regem esse transuectos. Eiusdem triumphi meminit Orosius, Florus, & Velleius; qui bis millies centies HS in ærarium ab eo illatum prodit. summam omnis captiui auri argentique translati, HS millies ducenties fuisse, Valerius Antias tradit, vt refert Liuius. Plutarchus tantam vim pecuniæ a Paullo illatam auctor est, vt ciues vsque ad Hirtium & Pansam consules tributum nullum contulerint. Triumphasse autem IIII. III. prid. K. Decemb. scriptum est in Capitolino eius triumpho. Cn. Octauius K. Decembr. de rege Perseo naualem triumphum egit. is triumphus sine captiuis fuit, sine spoliis. Patres censuerunt vt Perseus rex cum Alexandro filio Albam in custodiam duceretur. Ita Liuius. Eiusdem triumphi meminit Velleius, & Plinius libro XXXIIII, ita; Inuenio a Cn. Octauio, qui de Perseo rege naualem triumphum egit, factam porticum duplicem, quæ *Corinthia* sit appellata, a capitulis æreis columnarum. Et Festus lib. XIII; *Octauiæ porticus* duæ appellantur; quarum alteram, theatro Marcelli propiorem, Octauia soror Augusti fecit; alteram, theatro Pompeij proximam, Cn. Octauius Cn. F. qui fuit ædilis curulis, prætor, consul, xuir sacris faciundis, triumphauitque de rege Perse nauali triumpho. quam combustam, reficiendam curauit Cæsar Augustus. Idem trumphus est in Capitolinis tabulis. L. autem Anicius, Quirinalibus triumphauit de rege Gentio Illyriisque. ante currum ducti Gentius rex cum coniuge & liberis, & Carauantius frater regis, & aliquot nobiles Illyrij. Lætior hunc triumphum est secutus miles; multisque dux est carminibus celebratus. HS ducenties ex ea præda redactum esse, auctor est Antias, præter aurum argentumque, quod in ærarium sit latum. quod quia vnde redigi potuerit, non apparebat, auctorem pro re posui. Rex Gentius cum liberis & coniuge & fratre, Spoletium in custodiam ex S.C. ductus: ceteri captiui, Romæ in carcerem coniecti. Hæc Liuius. at Velleius ita; Quo anno L. Paullus Persem in triumpho duxit, eodem Cn. Octauius prætor naualem egit, & Anicius de Gentio Illyriorum rege triumphauit. Eiusdem triumphi meminit Eutropius, & Florus, & Athenæus lib. XIIII, Plutarchus in Paullo, Appianus in Illyrica, & Capitolini auctores. Sex. etiam Rufus Illyrios, qui auxilium Macedonibus tulerant, ex eadem occasione per L. Anicium prętorem victos, & cum rege Gentio in deditionem acceptos; Iornandes, eos in prouinciæ formam redactos scribit.

Hos tres triumphos, Paulli, Octauij, & Anicij, hoc anno actos significauit Plinius libro XVII, cum ait; Palma enata bis in Capitolio bello Persei, victoriam triumphosq; portendit.

Eadem fere Zonaras.

DE COS. AN. DXXCVII.

CONSVLES in hunc annum prodit Liuius cum Capitolinis tabulis M. Claudiũ Marcellum, C. Sulpicium Gallum: Obſequens, & titulus Andriæ Terentianæ, M. Marcellum, C. Sulpicium. Ambo prætores fuerunt anno DLXXXIIII, auctore Liuio. Hic eſt Marcellus qui poſtquam ter conſul fuit, in mari periit, nepos M. Marcelli quinquies conſulis, vt tradit Pædianus. His conſulibus Eumenes rex Romam venit; qui quia Perſico bello ſe medium egerat, ne aut hoſtis iudicatus videretur, ſi excluſus eſſet; aut liberatus crimine, ſi admitteretur; in * commune lex lata eſt, ne cui regi Romam venire liceret. Epitoma XLVI.

De triumphis M. Claudij Marcelli cos. C. Sulpicij Galli cos. de Gallis & Liguribus.

Ex hoc loco Liuiana hiſtoria tota deſideratur. quam ſi haberemus, facilius multo faſtos triumphosq; qui ſequuntur, digereremus. In magna aũt annalium penuria, dabimus operam ne quid, quod opem ferre huic hiſtoriæ poſſit, prætermittamus. Satis autem conſtat ex fragmentis triumphalibus Capitolinis, ambos hos conſules de Gallis & Liguribus triumphaſſe. Videtur enim Claudius Galliam, Sulpicius Ligures prouinciam obtinuiſſe. Hi enim ambo hoc tempore in armis erant. Itaq; in Epitoma XLVI ita eſt; Claudius Marcellus cos. Alpinos Gallos, C. Sulpicius Gallus Ligures ſubegit. Et apud Obſequentem ita; Marcello & Sulpicio cos. Galli Ligures deleti. In fragmentis Capitolinis truncata quædam nomina populorum ſunt & Gallorum & Ligurum; quæ propter obſcuritatem hucuſque non inueni. adeo vt merito Cicero in Bruto ſcribat; Plus attulit huic populo dignitatis qui genuit in hac vrbe dicendi copiam, quam illi qui Ligurum caſtella expugnauerunt. ex quibus multi ſunt triumphi. Item; Malim L. Craſſi vnam pro M. Curio dictionem, quam caſtellanos triumphos duos. Nos autem Liguſtinos triumphos amplius quindecim numeramus.

DE COS. AN. DXXCVIII.

CONSVLES ſubdit Caſſiodorus & Obſequens Cn. Octauium & T. Manlium: Siculæ tabulæ, Octauium & Torquatum; Capitolinæ Cn. Octauium, T. Manlium Torquatum. Eorundem conſulum mentio eſt in titulo Hecyræ Terentianæ. T. Torquati, qui cum Cn. Octauio conſul fuit, meminit etiã Cicero de finibus primo: Cn. Octauij, lib. primo de officiis; Cn. Octauio, inquit, qui primus ex illa familia cos. factus eſt, honori fuiſſe accepimus, quod præclaram ædificaſſet in Palatio & plenam dignitatis domum; quæ cum vulgo viſeretur, ſuffragata domino nouo homini putabatur. Et Philipp. IX; Cn. Octauij, clari & magni viri, qui primus in eam familiã, quæ poſtea viris fortiſſimis floruit, attulit conſulatum, ſtatuam videmus in roſtris. Suetonius item in Auguſto ſcribit, Octauios qui a Cnæo orti ſunt, ſummis honoribus functos eſſe. Octauius prætor fuit anno DLXXXII; Torquatus, DLXXXIII. Liuius. His cõſulibus peſtilentia fameque ita laboratum, vt ex Sibyllinis populus circa compita ſacellaque operaturus ſederit. auctor Obſequens.

DE COS. AN. DLXXXIX.

CASSIODORVS conſules in hunc annum comparat A. Manlium, Q. Caſſium: faſti Siculi Torquatum & Longinum; Capitolini, A. Manlium Torquatum, Q. Caſſium Longinum; qui in magiſtratu mortuus eſt. Hi collegæ in prætura fuerunt anno DLXXXVI, teſte Liuio.

De cenſoribus, & luſtro LIII.

CENSORES in eundem annum edunt Capitolini ſcriptores L. Æmiliũ Paullum, Q. Marcium Philippum; ab iisq; luſtrum LIII conditum notãt. de quo ita eſt in Epitoma XLVI: Luſtrum conditum a cenſoribus eſt. cenſa eo ſunt ciuium capita CCCXXVII millia XXII; princeps ſenatus lectus M. Æmilius Lepidus. Eorundem meminit Plutarchus in Paullo ſic; L. Æmilius Paullus cenſor, CCCXXXVII millia recenſuit: in ſenatu M. Æmilium Lepidum prætulit, qui quater ante princeps fuerat: e

ſenatu

ſenatu tres mouit: in recenſendis equitibus Rom. ipſe & collega eius Marcius Philippus, modum ſeruauit: cum cenſuram magna ex parte geſſiſſet, in morbum incidit. Plinius etiam lib. XXVI, L. Paullo, Q. Marcio cenſoribus, primum in Italia carbunculum veniſſe tradit. Et lib. VII; Paruerunt Meſſallæ horologio Romani annis vndecentum, donec Q. Marcius Philippus, qui cum L. Paullo fuit cenſor, diligentius ordinatum iuxta poſuit. idque munus inter cenſoria opera gratiſſime eſt acceptum. at Meſſalla, Catina capta, anno CDXC ſuum deportauerat. Et Cenſorinus; Horologiũ Valerij ex Sicilia aduectum, cum a climate Siciliæ deſcriptum, ad horas Romæ non conueniret, Q. Philippus cenſor aliud iuxta conſtituit. Et Cicero pro domo; Q. Marcius cenſor, ſignum Concordiæ fecerat, idque in publico collocarat. Valerius etiam lib. VII; L. Paullus, inquit, cum iam campum repulſis ſuis fatigaſſet, bis conſul, & cenſor factus eſt.

DE COS. AN. DXC.

Ti. Sempronium, M'. Iuuentium conſules inuenio in hunc annum apud Caſſiodorum: apud Obſequentem Ti. Gracchum, M'. Iuuẽtium: in Capitolinis tabulis Ti. Sempronium Gracchum II M'. Iuuentium Thalnam. vt valde mirer cur in faſtis Siculis Dolobella cum Thalna ſit comparatus. Plutarchus item patrem Gracchorum bis conſulem ſcribit fuiſſe; Valerius autem, Ti. Gracchum patrem, quia in cenſura nihil inſciente collega fecerat, a populo Romano iterum conſulem eſſe factum. M'. Iuuentium in magiſtratu mortuum prodit idem Valerius his verbis: M'. Iuuentius Thalna cos. collega Ti. Gracchi conſulis, cum in Corſica, quam nuper ſubegerat, ſacrificaret, receptis litteris, decretas ei a ſenatu ſupplicationes nuntiantibus, intento illas animo legens, caligine orta, ante foculum collapſus, mortuus humi iacuit. Et Plinius lib. VII; M'. Iuuentius Thalna conſul, cum ſacrificaret, mortuus. Hic prætor fuit anno DLXXXVI. His autem conſulibus decretas fuiſſe prouincias, Iuuentio Corſicam, Sempronio Sardiniam, apparet ex Valerij loco citato, & Cicerone ad Q. Fratrem. Habet, inquit, profecto quiddam Sardinia appoſitum ad recordationem præteritæ memoriæ. nam vt ille Gracchus augur, poſteaquam in iſtam prouinciam venit, recordatus eſt quid ſibi in campo Martio accidiſſet: ſic tu mihi videris in Sardinia recogitaſſe. In Epitoma etiam XLVI, fit mentio rei aduerſus Corſos per hæc tempora vario euentu geſtæ.

DE COS. AN. DXCI.

Cassiodorvs & Obſequens conſules ſuggerunt P. Scipionem Naſicam, C. Marcium: Faſti Siculi Scipionem Naſicam & Figulum. quos Cicero de Nat. deorũ libro I, vocat P. Scipionem, C. Figulum; & Valerius lib. I, Scipionem Naſicam, C. Figulum. Hinc Plutarchus in Marcello, Scipionem Naſicam, & C. Marcium conſules a Ti. Sempronio declaratos ſcribit. Hos autem conſules abdicaſſe, ſcriptum eſt in Capitolinis tabulis; atque apud Ciceronem libro II de Natu. deorum his verbis; Atqui & noſtrorum augurum, & Etruſcorum, & aruſpicum diſciplinam, P. Scipione, C. Figulo cos. res ipſa probauit. quos cum Ti. Gracchus conſul iterum crearet, primus rogatorum vt eos rettulit, ibidem eſt repente mortuus: Gracchus, cum comitia nihilominus peregiſſet, remque illam in religionem populo veniſſe ſentiret, ad ſenatum rettulit. ſenatus, quos ad ſoleret, referendum cenſuit. aruſpices introducti, reſponderunt, non fuiſſe iuſtum comitiorum rogatorem. tum Gracchus incẽſus ira, Itane vero? ego non iuſtus, qui & conſul rogaui, & augur, & auſpicato? an vos Tuſci ac barbari auſpiciorum populi R. ius tenetis, & interpretes eſſe comitiorum poteſtis? itaque tum illos exire iuſſit. Poſt autem ex prouincia litteras ad collegium miſit, ſe, cum legeret libros, recordatũ eſſe, vitio ſibi tabernaculũ captũ fuiſſe in hortos Scipionis; quod cum pomœriũ poſtea intraſſet ſenatus habendi cauſſa, in redeundo cum idem pomœrium tranſiret, auſpicari eſſet oblitus. itaque vitio creatos eſſe conſules. augures rem ad ſenatum: ſenatus vt abdicarent: conſules abdicauerunt. Eadẽ ſcribit fere Valerius de cultu deorum: A Ti. Graccho, inquit, ad collegium augurum litteris ex prouincia miſſis, quib⁹ ſignificabat, ſe, cum libros ad ſacra populi pertinẽtes

P

legeret, animaduertisse vitio tabernaculum captum comitiis consularibus, quæ ipse fecisset; eaq; re ab auguribus ad senatum delata; iussu eius C. Figulus e Gallia, Scipio Nasica e Corsica Romam redierunt, & se consulatu abdicauerũt. Idem Plutarchus in Marcello, & Cicero ad Q. Fratrem. Ex quibus verbis intelligi potest, consules Marcium Galliam, Scipionem Corsicam; Semproniũ pro cos. Sardiniam obtinuisse. Figulus prætor fuerat anno DLXXXIIII. Hic Scipio *Corculum* dictus. de quo sic Cicero in Bruto; P. Scipionem Nasicam, qui est Corculum appellatus, qui bis consul, & censor fuit, habitum eloquentem aiunt; illius qui sacra acceperit, filium. De eodem scriptum est in libro de viris illustribus. His consulibus abdicatis suffectos esse P. Cornelium Lentulum, Cn. Domitium Ahenobarbum, scriptũ est in Capitolinis tabulis, præterea nusquam. Marcio & Scipione cos. Cn. Octauius legatus consularis, Laodiceæ occisus est, auctore Obsequente. De quo sic Cicero; Cn. Octauius, cum esset missus a senatu ad animos regum perspiciendos, liberorumque populorum, maximeque vt nepotem Antiochi regis, eius qui cum maioribus nostris bellum gesserat, classes habere, elephãtos alere prohiberet, Laodiceæ in gymnasio a quodam Leptine est interfectus. Obsequens autem ita; Cn. Octauius legatus, in Syria per Lysiam tutorem Antiochi pueri, in gymnasio occisus. Appianus in Syriaca, Cn. Octauium legationis principem, a Leptine occisum, a Lysia sepultum tradit. De eadem re etiam Zonaras.

DE COS. AN. DXCII.

M. MESSALLAM, C. Fannium consules suggerit Cassiodorus: Messallam & Strabonem Siculæ tabulæ; M. Valerium Messallam, C. Fannium Strabonem, Capitolinæ, & titulus Phormionis Terentiani. Horum consulum sic meminit Suetonius de claris rhetoribus, & Gellius lib. XV; C. Fannio Strabone, M. Valerio Messalla cos. M. Pomponius prætor senatum consuluit, quod verba facta sunt de rhetoribus & philosophis, D. E. R. I. C. vt M. Pomponius prætor animaduerteret, curaretque, vt si e rep. fideque sua videretur, vti Romæ ne essent. Et Gellius libro II; C. Fannio, M Valerio Messalla cos. S.C. factum, quo iubentur principes ciuitatis, qui ludis Megalensibus antiquo ritu mutitarent (id est mutua inter se conuiuia agitarent) iurare apud consules verbis conceptis, non amplius in singulas cœnas sumptus esse facturos, quam centenos vicenosque æris, præter olus, & far, & vinum: neque vino alienigena, sed patrio vsuros; neque argenti in cõuiuio plus pondo quam libras centum illaturos. post hoc S.C. *lex Fannia* lata est, quæ ludis Ro. item ludis plebeiis, & Saturnalibus, & aliis quibusdam diebus, in singulos dies centenos æris insumi concessit; decemque aliis diebus in singulis mensibus tricenos; ceteris autem omnibus diebus denos. Eiusdem legis meminit Macrobius lib. III, Athenæus lib. VI. Plinius lib. X. cap. X; C. Fannium cõsulem XI annos fuisse notat ante tertium Punicum bellum. Per hos annos cum Liguribus, Corsis, & Lusitanis, vario euentu bellatum, scriptum est in Epitoma XLVI. verum quibus ducibus, parum constat.

DE COS. AN. DXCIII.

L. ANICIVM, M. Cornelium consules subiicit Cassiodorus, & titulus Adelphorum Terentianorum. Siculæ & Capitolinæ tabulæ, cognomina iis adiiciunt Gallum & Cethegum. Anicij consulis meminit Cicero in Bruto, Cethegi Epitoma XLVI. Pontinæ paludes a Cornelio Cethego consule, cui ea prouincia obuenerat, siccatæ; agerque ex iis factus. His consulibus L. Æmilium Paullum mortuum apparet ex titulo Adelphorum Terentij. de quo sic est in Epitoma lib. XLVI; L. Æmilius Paullus, qui Persen vicerat, mortuus; cuius tanta abstinentia fuit, vt cum ex Hispania & Macedonia maximas opes rettulisset, vix ex auctione bonorum eius redactum sit, vnde dos vxori eius redderetur.

DE COS. AN. DXCIIII.

INSEQVENS annus consules habuit, teste Cassiodoro, Cn. Cornelium Dolabellam, M. Fuluium: Siculis fastis, Dolabellam & Fuluium; Capitolinis, Cn. Cornelium Dolabellam, M. Fuluium Nobiliorem. item est in Vita Terentij; quibus consulibus

sulibus mortuum Terentium scriptum est. *Lex de ambitu*, his consulibus, quantum ex Epitoma XLVII colligi potest, lata.

De censoribus & Lustro LIIII.

In hunc annum censores produnt Capitolini auctores P. Scipionem Nasicam, M. Popillium Lænatem; ab iisque lustrum factum LIIII notant. De censoribus iisdẽ loquitur Plinius lib. XXXIIII: L. Piso, inquit, prodidit, M. Æmilio, C. Popillio II cos. a censoribus P. Cornelio Scipione, M. Popillio, statuas circa forum, eorum qui magistratum gesserunt, sublatas omnes; præter eas quæ populi aut senatus sententia statutæ essent. Item in libro de viris illustribus. at lib. VII; Scipio Nasica, inquit, collega Lænatis censor, proximo post L. Paullum & Q. Philippum censores lustro, primus aqua diuisit horas æque noctium ac dierum; idque horologium sub tecto dicauit anno ab vrbe condita DXCV. Et Censorinus; P. Cornelius Nasica censor, ex aqua fecit horarium. Et Gellius lib. IIII; Cẽsor P. Scipio Nasica, & M. Popillius, cum equitum censum agerent, equum nimis strigosum & male habitum, sed equitem eius vberrimum & habitissimum viderunt; &, Cur, inquiunt, ita est, vt tu sis quam equus curatior? Quoniam, inquit, ego me curo; equum Statius seruus meus. Velleius autem Nasicam censorem porticus in Capitolio ait fecisse. Hæc de censoribus. De lustro autem sic est in Epitoma XLVII; Lustrum a censoribus conditum est. censa sunt ciuiũ capita CCCXXVIII millia CCCXIIII; & princeps senatus lectus Æmilius Lepidus.

DE COS. AN. DXCV.

DEINCEPS consules M. Æmilius, C. Popillius, vt ait Cassiodorus. Lepidum & Lænatem edunt Siculæ tabulæ; M. Æmilium Lepidum, & C. Popillium Lænatem II, Capitolinæ. Eorundem meminit Censorinus capite De distinctionibus ætatum. Roma condita, inquit, anno DVII sæculum accipit his consulibus, qui proximi sunt consules M. Æmilius M. F. Lepidus, C. Popillius II, absens. quæ verba, menda (vt puto) non carent.

De triumpho M. Fuluij Nobilioris pro cos. de Liguribus.

SVLPICII Galli consulis triumpho subiicitur in Capitolinis fragmentis M. Fuluij M. F. M. N. NOBILIORIS PRO COS. de LIGVRIBVS ET VELEATIBVS XII K. SEPT. Is autem priore anno consul fuit. Itaque nisi ea nobis fragmenta hunc triumphũ restituissent, clarissimum triumphum, & nobilissimam victoriã ignoraremus. Etenim quantum ex verbis Flori, & Strabonis lib. IIII, intelligi potest, bellum Ligustinum, quod anno DXV cœptum ante dixi, hoc anno virtute Fuluij profligatum est. quod & ille indicat, cum ait; Tandem Ligurum latebras Fuluius igne sepsit: & hic, cum inquit, diuturnum a Romanis cum Liguribus gestum bellum, quod iter in Hispaniam impedirent, ac terra marique latrocinia latissime exercerent: octogesimum autem post annum, bello gerendo effectum, vt iis qui publice facerent iter, via ad stadia XII lata pateret: post autem alio bello eos in prouinciæ formam redactos.

DE COS. AN. DXCVI.

SEX. Iulium, L. Aurelium consules prodit deinceps Cassiodorus. His cognomina addunt Iulio *Cæsarem*, Aurelio *Orestem* Siculæ & Capitolinæ tabulæ. De his etiam loquitur Plinius, cum scribit lib. XXXIII; Auri in ærario populi Romani fuere Sex. Iulio, L. Aurelio cos. septem annis ante bellum Punicum tertium, pondo DCCXXVII; argenti nonaginta duo millia; & extra numerum CCC & LXXV millia.

DE COS. AN. DXCVII.

L. LENTVLVM, C. Marcium consules memorant in hunc annum Cassiodorus & Obsequens: Lentulum & Figulum Siculæ tabulæ; L. Cornelium Lentulum Lupum, C. Marcium Figulum II, tabulæ Capitolinæ. De his loquitur Cicero in Bruto, his verbis; Dicunt etiam L. Lentulum, qui cum C. Figulo cos. fuit, habitum eloquẽ-

tem. De Figulo II conſule ſic Valerius cap. de ira; C. Figulus, iuris ciuilis iudicio celeberrimus, conſulatus repulſę dolore accenſus, eo quidem magis, quod illum bis patri ſuo datum meminerat; cum ad eum poſtero comitiorũ die multi conſulendi cauſſa veniſſent, omnes dimiſit; præfatus, Omnes conſulere ſcitis, conſulem facere neſcitis.

De Dalmatis a C. Marcio cos. victis.

Hoc anno C. Marcius conſul Dalmatas vicit. ſic enim ſcriptum eſt in Epitoma XLVII; C. Marcius conſul, aduerſum Dalmatas parum proſpere primum, poſtea feliciter pugnauit. cum quibus bello confligendi cauſſa fuit, quod Illyrios populi R. ſocios vaſtauerant. Appianus item, Dalmatas, quod Illyrios inuaſiſſent populi Ro. ſocios, & eius legatos non accepiſſent, a Marcio Figulo conſule bello petitos ſcribit: cuius cum primum legiones fudiſſent, poſt ab eo vſque ad Delminium vrbem fugatos. quo expugnato, finem bello eſſe impoſitum. Obſequens etiam his cõſulibus Dalmatas Scordis ſuperatos eſſe notat. & Florus; Dalmatæ, inquit, plerunque ſub ſiluis agunt; inde ad latrocinia promptiſſimi. Hos iam quidem Marcius incenſa vrbe Delminio quaſi detruncauerat. Huic tamen negatum eſſe triumphum puto ob rem primo infeliciter geſtam. neque enim fragmenta Capitolina hunc triumphum admittunt; cum Nobilioris triumpho, Marcelli triumphus ſubiiciatur, non Figuli. Eadem huius belli cauſſa eſt apud Zonaram.

DE COS. AN. DXCVIII.

P. SCIPIONEM, M. Claudium conſules ſubdit Caſſiodorus: Naſicam & Marcellum faſti Siculi; P. Cornelium Scipionem Naſicam II, M. Claudium Marcellum II, Capitolini. De his ſic in Lucullo Cicero; Legi apud Clitomachum, cum Carneades & Stoicus Diogenes ad ſenatum in Capitolio ſtarẽt, A. Albinum, qui tum P. Scipione & M. Marcello cos. prætor eſſet, iocantem dixiſſe Carneadi; Ego tibi, Carneade, prætor eſſe non videor; quia ſapiens non ſum; nec hæc vrbs, nec in ea ciuitas. Tum ille; Huic Stoico non videris. Scipionem item hunc bis conſulem fuiſſe, Cicero in Bruto; Marcellum ter, Pædianus & Cicero ſunt auctores.

De triumpho M. Marcelli cos. II.

Ex fragmentis Capitolinis ſatis aperte intelligi poteſt M. Marcellũ conſulem II, alterum etiam triumphum egiſſe. verum de quibus populis gentibuſue triumpharit, parum ex iis ceteriſq; Romanorũ monumentis compertum eſt. niſi forte de Liguribus transalpinis triũphaſſe eum dicas; quibuſcum, Nicæam & Antipolim Maſſilienſium oppida vaſtantibus, ſequenti anno etiã Q. Opimius conſul dimicauit. Exſtat enim extrema fere ſyllaba eius nominis VS: & hæ voces; MARCELLVS II. COS. II.

De triumpho P. Scipionis Naſicæ cos. II, de Dalmatis.

VT Ligures Marcello, ſic Dalmatæ Scipioni conſuli obuenerunt. Vtrumque autem triumphaſſe, Capitolina monumenta indicant: de Marcello quidem aperte, de Scipione vero obſcurius. cum autem poſt Marcelli triumphum hæ litteræ ſubſequãtur =VS P. F. C.= eæ mihi pertinere ad P. Scipionem cõſulem P. F. Cn. N. viſæ ſunt. de quo ſic ſcriptum eſt in Epitoma XLVII; C. Marcius cõſul aduerſum Dalmatas parum proſpere primum, poſtea feliciter pugnauit: eandemque gentem Cornelius Naſica cõſul domuit. Et in lib. de viris illuſtr. P. Scipio Naſica Corculũ conſul, Delminiũ vrbem Dalmatarum expugnauit: imperatoris nomen a militibus, a ſenatu triumphũ oblatum recuſauit. Miror autem, cur Appianus huius imperatoris non meminerit in Illyrica; aut Delminio expugnato, bellum Dalmaticum a Figulo confectum ſcripſerit. Frontinus certe eam victoriam Scipioni tribuit, lib. III, cap. VI: idque conſiliũ Scipioni in eius vrbis expugnatione adſcribit, quod Appianus Figulo, cum ait; P. Cornelius Scipio, intellecta difficultate expugnandi Delminium, quia omnium concurſu defendebatur, aggredi alia oppida cœpit. Quinetiam Zonaras Illyrios a Scipione Naſica domitos vrbibus captis, ac captiuis venditis ait. & Strabo Delminium a Naſica afflictum ſcribit.

DE COS. AN. DXCIX.

Hic annus consules habuit Q. Opimium, L. Postumium, auctore Cassiodoro & Obsequente: Siculis tabulis Opimium & Albinum; Capitolinis autem, Q. Opimiū, L. Postumium Albinum. Q. Opimij cos. mentio fit a Cicerone in Bruto, & in Epitoma XLVII. L. Postumium in magistratu mortuum, præterquam quod scriptum est in Capitolinis consulatibus, inuenio etiam scriptum apud Obsequentem, his verbis; Postumius consul in prouinciam proficiscens, cum immolaret, in plurimis victimis caput in iocinore non inuenit, profectusque, post diem septimum æger Romam relatus, exspirauit. In eius locum suffectum esse M'. Acilium Glabrionem, docent Capitolini auctores, præterea nemo. Hoc anno scribit Obsequens Romanos a Lusitanis & Gallis grauiter per arma fuisse vexatos. De Lusitanico bello haud ita multo post dicam. Gallos autem inalpinos bellum hoc tempore fecisse, & priores & posteriores de iis triumphi facile esse documento possunt.

De censoribus & Lustro LV.

In hunc annum censores produnt Capitolini scriptores M. Valerium Messallam, C. Cassium Longinum, eosque lustrum LV tradunt fecisse. De quibus censoribus ita Valerius capite de institutis; Theatra a Messalla & Cassio censoribus excogitata sunt. Et Augustinus de ciuitate Dei lib. I; Censores Messalla & Cassius, theatrum faciendū locauerunt, in quo; populus Ro. sedens spectaret ludos. Et Orosius; Eodem tempore censores theatrum lapideum in vrbe construi censuerunt. Et Epitoma XLVIII; Cum locatum a censoribus theatrum exstrueretur; P. Nasica auctore, tamquam inutile, & nociturum publicis moribus, ex S. C. destructum est; populusque aliquamdiu stans ludos spectauit. Et Appianus lib. primo; Theatrum, quod L. Cassius cœperat, ac fere absoluerat, consul Scipio euertit. Et Velleius lib. priore: Cassius Censor, a Lupercali in Palatium versus theatrum facere instituit; cui in moliendo eximia ciuitatis seueritas, & consul Scipio restitere. Miror autem cur consulem Scipionem appellent; cum non in consulatu, sed post consulatum annis quinque restiterit; quemadmodū ex Epitoma intelligi potest. Lustrum sequenti anno conditum esse, intelligi potest ex Epitoma XLVIII. eo censa sunt ciuium capita CCCXXIIII millia. M. Lepidus sextis censoribus princeps senatus lectus. Plinius lib. XVII; Palma tempestatibus prostrata, eodem loco ficus enata est, M. Messallæ, C. Cassij censorum lustro. a quo tempore pudicitiam subuersam Piso tradidit.

De triumpho Qu. Opimij cos. de Liguribus.

Q. Opimium consulē de Liguribus triumphasse suspicor ex his Epitomæ XLVI verbis; Q. Opimius cos. transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida Antipolim & Nicæam vastabant, subegit. Probatur autem mihi eum triumphasse; vel quia multi de Liguribus acti sunt triumphi; vel quia in Epitomis hoc verbum, *Subigi*; fere non nisi de iis qui triumpharint, vsurpari obseruaui; vel denique, quia Ligures hac victoria domiti, in posterum videntur quieuisse.

DE COS. AN. DC.

Consvles subsequuti sunt Q. Fuluius, T. Annius, auctore Cassiodoro. In fragmentis Capitolinis est, NOBILIOR, & T. ANNIVS; in Siculis, Nobilior & Luscus. His de consulibus sic Cicero in Bruto; Q. Nobiliorem M. F. iam patrio instituto deditum studio litterarum; qui etiam Q. Ennium, qui cum patre eius in Ætolia militauerat, ciuitate donauit, cum triumuir coloniam deduxisset. etiam T. Annium Luscum, huius Q. Fuluij collegam, non indisertum fuisse. Liuius etiam T. Annium Luscum legatum commemorat anno DLXXXI.

De bello Celtiberico.

Celtiberia Ti. Graccho prætore victi anno DLXXV, in pace māserunt annos XXV. hoc autem tempore bellum renouarunt, cum Segida Areuaccorum (vt ait Strabo) oppidum, muros vrbis exstruxisset, ac tributa pendere Romanis recusasset; contra

quam legibus pacis a Graccho latis cautum fuisset. Itaque cum eadem caussa ad bellum alios populos accendisset, visum est consulari duce & exercitu rem gerendam esse. Q. Fuluius Nobilior consul missus, bis parum feliciter pugnauit: auctor Appianus in Iberica. Hoc anno consules K. Ian. inire cœperunt, cum a DXXXI ad hunc vsque annum Idib. Martiis inissent. Hoc scriptum est apud Cassiodorum, ita; Q. Fuluius, T. Annius consules, primi K. Ian. propter subitum Celtiberiæ motum inierunt. & in Epitoma XLVII; Cõsules anno quingentesimo nonagesimo *VII ab vrbe condita, magistratum peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis, inire cœperunt. mutandi comitia caussa fuit, quod Hispani rebellabant. Hic dies deinde solennis consulatui ineundo rep. stante in perpetuum mansit. Hoc autem bellum per annos XX gestum, Numantiæ excidio finitum esse, tradit Strabo lib. III. Eiusdem belli duces consules omnes fuerunt; Q. Fuluius Nobilior, M. Marcellus III, L. Licinius Lucullus; & post aliquot annos Q. Metellus, Q. Pompeius, M. Popillius Lænas, C. Hostilius Mancinus, M. Æmilius Lepidus, C. Calpurnius Piso, P. Africanus Æmilianus II. de quo bello loquitur Cicero in primo lib. de officiis: Cum Celtiberis, inquit, bellum, vt cum inimicis gerebatur, vter esset, non vter imperaret.

De triumpho L. Mummij prætoris, & bello Lusitanico.

QVO anno Celtiberi subacti sunt a Ti. Graccho prætore, eodem etiam Lusitani victi a L. Albino prætore. Neque vero post quieuisse Lusitani videntur: siquidem in Epitoma XLVI scriptum est, cum Lusitanis vario euentu bellatum: & in XLVII, in Hispania a compluribus ducibus parum prospere dimicatum: & apud Obsequentẽ, Q. Opimio, L. Postumio cos. Romanos a Lusitanis grauiter per arma vexatos esse. Appianus etiam in Iberica Lusitanos, qui suis legibus viuebãt, hoc tempore mouisse scribit; cumque Africano quodam duce, socios populi Romani inuasissent, Maniliũ & Calpurnium Pisonem Romanorum duces fudisse: Mummium præterea successorem re præclare gesta triumphasse; Mummio deinceps M'. Acilium, Acilio Ser. Galbam successisse. Quæ cum ita sint, cum Ser. Galba (vt post ostendam) L. Lucullo consule prætor fuerit, profecto Acilius Marcello, Mummius Nobiliore, Piso Opimio, Manilius Nasica consulibus, prætores cum Lusitanis bellum gesserunt. Vt autẽ Celtibericum bellum Numantia auxit, sic Lusitanicum Viriathus, vnde *Viriathinum* bellum post appellatum. quod bellum primum per prætores, post autem per consules administratum est. Prætores hi commemorantur:

M'. Manilius, qui post cos. fuit anno DCIIII.
L. Calpurnius Piso, qui post cos. fuit an. DCV.
L. Mummius, qui post cos. fuit DCVII.
M'. Acilius Balbus, qui post cos. fuit an. DCIII.
Ser. Sulpicius Galba, qui post cos. fuit an. DCIX.
C. Vetilius.
C. Plautius.
Claudius Vnimanus.
C. Nigidius.
C. Lælius.
Consules deinde missi.
Q. Fabius Æmilianus.
=Quinctius prætor.
Q. Fabius Seruilianus.
Q. Seruilius Cæpio, qui Viriatum interfecit.

L. Mummij meminit etiam Eutropius ita; L. Mummius in Lusitania bene pugnauit. *In Lusitania* vero legendum esse pro *In Hispania*, indicat etiam Pæanius, Græcus Eutropij interpres, dum vertit πρὸς Λυσιτανοὺς, id est, aduersus Lusitanos.

DE COS. AN. DCI.

Hic annus consules habuit M. Marcellum, L. Valerium Cassiodoro teste; Marcellum & Flaccum Siculis fastis; M. Claudium Marcellum, L. Valerium Flaccum, Obse-

Obſequente.Hic Marcellus ter(vt dixi)conſul fuit.auctor Pædianus in Or. pro Scauro;Cicero de diuin. & de fato L. Valerium Flaccum in magiſtratu mortuum inuenio ſcriptum dumtaxat in Capitolinis tabulis; in quibus Marcellus etiam III conſul notatur. His cos.turbinis vi in campo columna ante ædem Iouis decuſſa cum ſigno aurato: cumque aruſpices reſpondiſſent,magiſtratuum & ſacerdotum interitum fore,omnes magiſtratus ſe protinus abdicauerunt. Obſequens. Eodem anno proſpere in Gallia dimicatum,idem auctor eſt.

De re in Hiſpaniis geſta.

Hoc anno vlterior Hiſpania M'. Acilio prætori prouincia obtigit, citerior M. Marcello conſuli: ſiquidem ille Mummio, hic Fuluio ſucceſſiſſe ab Appiano traditur. Obſequens in Luſitania his conſulibus varie pugnatum ſcribit. recte. Appianus enim M'. Acilium rem aduerſus Luſitanos bene geſſiſſe ait; verum, vbi in hiberna exercitum reduxerit, omnes rebellaſſe, ac Romanorum ſocios inuaſiſſe. M. Claudius cos. vt proſpere pugnauerit in Celtiberia, in triumpho eius exponam.

DE COS. AN. DCII.

L. LVCVLLVM, A.Poſtumium cos. ſubdit Caſſiodorus: Lucullum & Albinum Siculæ tabulæ: Lucullum & A.Poſtumium A.F. Albinum Capitolina fragmenta: L. Licinium Lucullum, A.Poſtumium Albinum cum Epitoma XLVIII, Oroſius. Eorũdem ſic meminit in Bruto Cicero; A. Albinus, is qui Græce ſcripſit hiſtoriam, qui conſul cum L.Lucullo fuit,& litteratus & diſertus fuit. Et in Lucullo; A. Albinus,qui cum auo tuo Luculle conſul fuit. Auum autem appellat L. Luculli eius,qui cum Mithridate bellum geſſit.quod etiam tradit Plutarchus in Lucullo.

De re geſta in Celtiberia & Luſitania; & triumpho III M. Claudij Marcelli cos. III.

M. CLAVDIVS Marcellus cos. auctore (vt dixi) Appiano, bellum in Celtiberia poſt Q. Nobiliorem excepit. Eundem conſulem in Hiſpania rem proſpere geſſiſſe, auctor eſt Eutropius: omnes Celtiberiæ populos pacaſſe, Epitoma XLVIII: tributum ex Celtiberia DC talentum exegiſſe, Cordubam oppidum condidiſſe, Strabo lib. III. Appianus item multa oppida Celtiberum Marcellum in dicionem redegiſſe ſcribit: Nergobrigas pacem petentes, ad ſenatum reieciſſe; ſenatum Lucullum conſulem in Hiſpaniam miſiſſe: Marcellum circumſeſſa Numantia, rem ante Luculli aduentum compoſuiſſe, atque huic bello finem feciſſe. Quibus ex rebus intelligi poteſt, Marcellum etiam in conſulatu Luculli pro cos. rem geſſiſſe. an vero triumphauerit, parum exploratum eſt. mihi quidem res triumpho dignas geſſiſſe videtur, cum bellum confeciſſe ante ſucceſſoris aduentum tradatur. De rebus autẽ à L.Lucullo conſule geſtis, ſic ſcriptum inuenio in Epitoma XLVIII: L. Licinius Lucullus, A. Poſtumius Albinus conſules, cum delectum ſeuere agerent, nec quemquam gratia dimitterent, a tribunis pl. qui pro amicis ſuis vacationem impetrare non potuerunt, in carcerem coniecti ſunt. Hiſpanienſe bellum cum parum proſpere aliquoties geſtum, ita confudiſſet, ciuitatem Romanam, vt ne ij quidem inuenirẽtur qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Æmilianus proceſſit, & excepturum ſe militiæ genus, quodcumque imperatum eſſet, profeſſus eſt. quo exemplo ad militãdi ſtudium omnes incitauit. L. Lucullus conſul, cum M. Claudius Marcellus, cui ſucceſſerat, pacaſſe omnes Celtiberiæ populos videretur, Vacceos, Cantabros, & alias adhuc incognitas nationes [in Hiſpania] ſubegit. Ibi P. Cornelius Scipio Æmilianus, L. Paulli F. Africani nepos, ſed adoptiuus, prouocatorẽ barbarũ tribunus militũ occidit; & in expugnatione *Intercatiæ vrbis maius etiam periculũ adiit. nam murũ primus omnium tranſcẽdit. Appianus item hoc primum anno milites ſorte lectos ſcribit; P. Scipionẽ vltro ſe ad militare munus ſuſcipiẽdum, quodcumq; delatũ eſſet, obtuliſſe; Lucullum Vaccæos ſine S.C. inſontes adortum, Cauceam oppidum contra fidem datam expugnaſſe, Intercatiam in fidem recepiſſe; Pallantiæ obſidione dimiſſa, in Turditaniam hibernorum cauſſa ſe recepiſſe; fine autem Vaccæorum bello impoſito, Luſitanos, qui finitima loca populati erant, ad mille quingentos cecidiſſe, Luſitaniæ

partem ipſum, alteram Galbam prætorem diripuiſſe; eoſdem pacem petentes contra fidem interpoſitam, paucis, ex quibus Viriathus fuit, elapſis, interfectos; ipſum, quod ſine S. C. bellum Vaccæis intuliſſet, die dicta abſolutum. De Scipione ad Intercatiam a barbaro prouocato, ſcriptum eſt etiam apud Appianum, & eum qui de viris illuſtribus tradidit. Eundem a Lucullo in Numidiam ad elephantos a Maſaniſſa petendos miſſum, tradit Appianus in Libyca. Quo autem anno L. Lucullus cōſul Vaccæis ſubactis Luſitaniæ partem vaſtabat, eodem alteram partẽ (vt dixi) populatus eſt Ser. Sulpicius Galba prætor. ita vt ſcelus Luſitanorum contra fidem interfectorum, ab aliis non Lucullo, ſed Galbæ tribuatur. ſic enim Suetonius in Galba; Familiam illuſtrauit Ser. Galba conſularis, temporum ſuorum eloquentiſſimus; quem tradunt Hiſpaniam ex prætura obtinentem, XXX Luſitanorum millibus perfidia trucidatis, Viriathini belli cauſſam exſtitiſſe. Et Valerius cap. de perfidia; Ser. Galba, trium Luſitaniæ ciuitatum conuocato populo, tamquam de commodis eius acturus, nouem millia, in quibus flos iuuentutis conſiſtebat, electa & armis exuta partim trucidauit, partim vendidit. Itaque biennio poſt rogatio lata a L. Scribonio trib. pl. vt Luſitani, qui in fidem populi Rom. dediti, a Ser. Galba in Gallia vænißent, in libertatem reſtituerentur. cui Galba ipſe reſpondit, ſe Luſitanos prope ſe caſtra habentes cecidiſſe; quod compertum haberet, equo atque homine ſuo ritu immolatis, per ſpeciem pacis adoriri ſuum exercitum in animo habuiſſe. Eundem Galbam ante fuſum a Luſitanis fuiſſe tradit Appianus; & Oroſius ita; Ser. Galba prætor a Luſitanis magno prœlio victus eſt; vniuerſoque exercitu amiſſo, ipſe cum paucis vix elapſus effugit. & in Epit. XLVIII; Ser. Sulpicius Galba prætor, male aduerſus Luſitanos pugnauit.

DE COS. AN. DCIII.

CONSVLES hic annus habuit L. Quinctium, M'. Acilium, auctore Caſſiodoro: quos Plinius lib. VII. cap. XXXVI, C. Quinctium, M'. Acilium vocat: Cicero libro XIII epiſtolarum ad Atticum, Quinctium & Manium; in Catone, T. Flaminium, M'. Acilium: (eoſque vndeuigeſimo poſt Ennij mortem anno ait factos) Siculæ tabulæ Flaminiū & Balbum: Capitolina fragmenta = FLAMININVM. M'. ACILIVM BALBVM. Hunc T. Quinctij Flaminini, qui Philippum deuicit, filium eſſe opinor. Victoria L. Luculli conſulis, Celtiberi ac Vaccæi; perfidia Ser. Galbæ prætoris, Luſitani hoc anno, atque etiam ſequentibus, quieuiſſe videntur. quando autem rebellauerint, poſt indicabo.

DE COS. AN. DCIIII.

IN hunc annum conſules profitetur Caſſiodorus L. Marcium, M'. Maniliū: itemque Epitoma XLIX. Cenſorini & M'. Manilij Cic. in Lucullo meminit; Cenſorini & Manilij, lib. XII ad Atticum; M'. Manilij, in ſexto de rep. Eoſdem nominat Appianus in Libyca L. Marcium Cenſorinum, M'. Manilium; itemque Cenſorinus de die natali: Cenſorinum & Manilium Siculi faſti; Cenſorinum, M'. Manilium P. F. P. N. Capitolini; in quibus Cenſorinus etiam C. F. C. N. poſt in cenſura dicitur. Vtrique Africa prouincia decreta eſt. His cos. Pruſias rex Bithyniæ, a Nicomede filio, adiuuante Attalo rege Pergami, occiſus eſt. Cum legatos ad pacem faciendam inter Nicomedem & patrem Pruſiam Romani miſiſſent, & vnus ex iis caput multis cicatricibus fartum haberet, alter pedib. æger eſſet, tertius ingenio ſocors haberetur; Cato dixit, eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habere. Appianus, Epit. L.

De bello Punico tertio.

IISDEM conſulibus bellum tertium non ſolum Pœnis indictum, ſed etiam initū eſt: quod poſt intra quadriennium Carthaginis ipſius eſt excidio terminatum. de quo bello indicendo ſæpius ante etiam a Romanis agitatum fuerat. Nam cum Q. Fuluio, T. Annio (vt opinor) conſulibus, legati Carthaginem ad diſceptandum de agro inter Maſſaniſſam & Carthaginienſes controuerſo miſſi, inter quos fuit etiam M. Cato, Carthagine vim ingentem naualis materiæ ſe deprehendiſſe renuntiaſſent, vniuerſum ſenatum valde commouerunt. Itaq; ſequenti (vt puto) anno, Marcello & Flacco conſu-

consulibus, cum in finibus Carthaginiensium maximus Numidarum exercitus, Archobarzane duce Syphacis nepote, diceretur esse, M. Cato suasit, vt Carthaginiẽsibus, qui exercitum specie contra Massanissam regem, sed reuera contra Romanos accitum in finibus haberent, bellum indiceretur. cõtra dicente P. Cornelio Nasica, eo qui a senatu vir optimus iudicatus fuerat, placuit legatos mitti Carthaginem, qui specularentur quid agerent; castigato senatu Carthaginiensium, quod contra fœdus exercitum & nauales materias haberent, pacem inter eos & Massanissam facere voluerunt, Massanissa agro, de quo lis erat, cedente. sed Gisgo Amilcaris filius, homo seditiosus, qui tunc in magistratu erat, cum senatus pariturum se iudicio legatorum dixisset, ita, bellum aduersus Romanos suadendo, cõcitauit, vt legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit. id nuntiantes, infestum iam senatum Carthaginiensibus infestiorem fecerunt. Lucullo autem & Albino consulibus, Gulussa Massanissæ filius denũtiauit Carthagine delectus agi, classem comparari, & haud dubium bellum strui. cum Cato suaderet vt iis bellum indiceretur, Nasica dicente, nihil temere faciũdum; placuit decem mitti legatos exploratum. Acilio autem & Quinctio consulibus, cum legati ex Africa cum Carthaginiensium oratoribus & Gulussa rediissent, dicerentque se & exercitum & classem Carthagine deprehendisse, perrogari sententias placuit. Catone, & aliis principibus senatus suadentibus, vt in Africam cõfestim trãsportaretur exercitus, quod Nasica dicebat, nondum iustam sibi caussam bellandi videri, placuit vt bello abstinerent, si Carthaginienses classem exussissent, & exercitum dimisissent: si minus, proximi consules de bello Punico referrent. Quo factum est vt Cato sic loquatur apud Ciceronem illo anno; Ego senatui quæ sunt gerenda præscribo; & quo modo Carthagini male iamdiu cogitanti bellum inferatur, multo ante denuntio. Marcio autem & Manilio consulibus, inter Catonem & Nasicam variis certatum est sententiis. Catone suadente bellum, & vt tolleretur Carthago; Nasica dissuadente; placuit tamen, & quod contra fœdus naues haberẽt, & extra fines exercitum eduxissent, quodque socio Massanissæ arma intulissent, & quod filium eius Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepissent; bellum iis indici. Consulibus ambobus Africa prouincia decreta, & vt bellum cum Carthaginiẽsibus gererent, atque Carthaginem exscinderent; quorum Manilius, pedestribus copiis; Censorinus, classi præfectus est. Prius quam vllæ copiæ in naues imponerentur, Vticenses legati Romam venerunt, se suaque omnia dedentes. Ea legatio, velut maximum belli omen, grata patribus, acerba Carthaginiensibus fuit. legati triginta Romã venerunt, per quos Carthaginienses se dedebant. Catonis sententia peruicit, vt decreto perstaretur, & vt consules quam primum proficiscerentur ad bellum. qui vbi in Africam traiecerunt, Carthaginiensibus euocatis, primum arma tradere, classemque comburere; mox eos iussa diligentissime facientes, procul a mari passuum x millibus considere vrbe relicta iubent. Iis imperatis, quippe quæ crudelissima essent, Carthaginienses incensi, cum omnino aut vrbem defendere, aut vna cum ea pugnando cadere statuissent, apparantur ad bellum. Itaque protinus & Asdrubalem toti bello imperioque præficiunt, & nõ ferrea solum & ænea arma; sed etiam, ea deficiente materia, aurea atque argentea faciunt. Cum ergo Carthaginiensium hoc loco res essent, magnaque in ipsa vrbe trepidatio versaretur, tum consules vrbem ipsam, quod infirmis adhuc Pœnorum opibus, ea se facilius potituros esse sperarent, omni conatu extemplo oppugnare aggressi sunt. verum cum re sæpius tentata, nihil adhuc efficere potuissent, tandem commodissimum rati futurum, si per quandam murorum partem, quæ paulo ante deiecta, nondum probe fuerat restituta, inuaderent, ea omnino ex improuiso irrumpere constituerant. at vero P. Scipio Æmilianus, qui tribunus militum M'. Manilio ad quartam legionem venerat, cum Pœnos cognito consulum consilio suos ita disposuisse audisset, vt alij armati Romanorum impetum sustinerent, alij inermes ligna & lapides in eos ingredientes ex loco superiore coniicerent, maximum, quod Romanis militibus imminere periculum prouidebat, sibi esse propulsandum censuit. Itaq; cum cohortes suas in plures partes distribuisset, easq; non procul a muris ex interuallo constituisset, datis mandatis effecit, vt non eos solum, qui in vrbem irrumpere, sed illos etiam qui lacessentibus instare hostibus cuperent

a certamine cohiberent. In Epitoma Liuiana ſcriptùm inuenio, hanc conſilij temeritatem non conſulibus tribui, ſed duobus tribunis; qui cum neglectos ab vna parte muros cum cohortibus inuaſiſſent, & ab hoſtibus grauius cederentur, a Scipione eſſe potiſſimum cõſeruatos; ab eodemque caſtellum Romanorum, quod nocte oppugnabatur, paucis equitibus adiuuantibus liberatum. Ad hæc vero, cum Cenſorini diſceſſu, qui Romam comitiorum cauſſa deceſſerat, maioribus animis Pœni ſumptis ſumma vi ex vrbe ſilentio noctis egreſſi, caſtra Romanorum infeſta redderẽt, Scipio e portis caſtrorum egreſſus, iis quæ longius a prœlio aberant, cum impetum in Carthaginienſes feciſſet, eos tum repentina eruptione adeo exterruit, vt extemplo caſtra Romanorum reliquerint, & intra mœnia ſe receperint. Paucis etiam poſt diebus, cum Carthaginienſes Romanorum nauium præſidium inuaſiſſent, ſimulque ciues in vrbe ad arma conclamauiſſent, Scipio, Manilio ſe, quod clamoris cauſſam ignoraret, caſtris tenente, magno animo trepidantes cohortes ſuas educit; tum quoſdam eum accenſis præire facibus iubet, non vt per noctem acie dimicaret, ſed vt illis tumultuoſius omnia peruagantibus, maioris ſpeciem multitudinis offerret, atque terrorem hoſtibus incuteret. quo facto hoſtes perterriti, ſtatim nauium expugnatione omiſſa, in vrbem refugerunt. Interea Manilius caſtra contra Aſdrubalem mouere cum ſtatuiſſet, (is tum ad Nepherim vrbem cum exercitu erat) perægre id Scipio patiebatur. videbat enim imperatori per anguſta ac difficilia quædam loca exercitum eſſe ducendũ. cum autẽ promotis copiis ad ipſa Aſdrubalis caſtra per tria fere ſtadia perueniſſent, ac flumen quoddam traiiciendum eſſet, de receptu ſuorum cogitans, ſe anxio eſſe animo dixit. ea vero res ſollicitum Scipionem habebat; quod alio tempore, atque alio ordine in Aſdrubalem mouendum fuiſſe cenſebat. Tribunis autem reliquis repugnantibus, minimeque vicino iam hoſti cedendum arbitrantibus, ne, ſi pedem referrent, ab hoſtibus quaſi metu fugientes a tergo inuaderentur, monuit conſulem Scipio, vt ſe ſaltem ante fluuium valli præſidio communiret; quo ſe, ſi forte pelleretur, recipere ſtatim ac ſine periculo poſſet. quod conſilium ita ab illis irriſum eſt, vt quidam etiam ex iis gladium ſe abiecturum eſſe diceret, ſi Scipio, non Manilius imperaret. Eorum ergo auctoritatem ſequutus Manilius, fluuium traiicere ſtatuit. quo facto, repente cum occurrẽte ſibi Aſdrubale ad manus venit. Aſdrubal autem, poſtquam vario vtrinque prœlio dimicatum eſt, ſuas in caſtra copias, vbi a Romanis legionibus nihil accipere detrimenti poterat, ſibi reducendas, nullamque Romanis copiam dandam eſſe pugnæ putauit; ratus, id quod res monebat, Romanos inopia cõmeatus ex iis locis mouere ſe coactos, ſibi in ipſo flumine traiiciendo occaſionem ad eos adoriendos vel maximam daturos. itaque obſeruata diligenter eo tempore, quo ipſi pedem referentes in ipſo tranando flumine impediti eſſent, atque ordines propter anguſtias vadorum interrupiſſent, eductis copiis vndique in eos incautos inuadit: eoſdemque ſecum dimicare vel iniquiſſimo loco compellit. Scipio autem, cum rem Romanam ſummum in diſcrimen adductam videret, haud ſibi moram interponendam ad ſuos quoquo modo poſſet, ſubleuãdos ratus, ſatis (vt in re trepida potuit) ſalutare conſilium cepit. ad trecentos equites, quos ſecum habebat, aliis, quos maxime potuit, conuocatis, omnes in duas partes diſtribuit; mandauitq; vt alij iacula ſagittaſque in hoſtes coniicerent, alij interim iis qui defeſſi iaculando eſſent, recentes integrique ſuccederent; atque ita orbe quaſi quodam mutua pugnantium commutatione prœlio certaretur. ipſe ad omnes partes adequitans, omnẽ pugnã fortitudine atq; cõſilio ſuſtinebat. cum iuſſa diligẽtiſſime fortiſſimeque ab omnibus fierent, grauiuſq; premi iam Aſdrubal videretur, eos qui flumẽ tranſibant, relinquere coactus, ſe totũ in Scipionẽ cõuertit. Ita illis fluminis cõmode traiiciendi ſpatiũ datũ eſt: Scipio poſt ſe fortiſſime ab Aſdrubalis impetu liberauit. In ea pugna multi Romani deſiderati ſunt: inter quos, tres potiſſimum tribuni ex iis quibus prœliũ maxime cõmitti placuerat, ceciderunt. Interea Romanis, poſtquã in caſtra peruentũ eſt, cohortes octo, (alij alium numerum ediderunt) quæ ſe a flumine prœlij eius initio in editum collem quendam ſubduxerant, ab Aſdrubale obſideri, magnoque in periculo poſitas eſſe renuntiatum eſt. Omnibus eo nuntio grauiſſime perturbatis, cum quidnã opus facto eſſet conſultaretur, ceteri quidem deſerendos eos, nec paucorum conſeruandorum gratia

gratia plurimos tantis periculis obiiciēdos censebant. at Scipio, monens in suscipiendis rebus prudentia, in adeundis periculis animi magnitudine opus esse, se quidem numquam passurum esse dixit, viros fortes subsidij inopia in manus hostium peruenire; sed semetipsum ad eos eximendos obsidione, si posset, aduolaturum. quare paucis equitibus delectis, & commeatu paucorum dierum sumpto, pollicitus se aut victorem in castra reuersurum, aut pugnando vna cum ceteris periturum, ad hostes cōtendit. cum autem ad collem eum, in quo cohortes obsidebantur, peruenisset, cliui summa contento cursu superat, sic, vt tantummodo vallis inter se & hostes intercederet. inde omnia contemplatus, in Pœnos, qui iam acrius Romanos obsidione vrgebant, diuersis e partibus impetum facit. Ii cum se repente vndique circumuentos viderent, fuga salutem petere contenderunt. eos fugientes Scipio suos longius persequi vetuit, & quod se equitum numero inferiorem esse non ignorabat; & quod satis sibi hoc esse putabat, suos se e maximis obsidionis periculis contra spem omnium facile eripuisse. Angebat interim ea cura plerosque, quod occisorum tribunorū corpora sine sepultura iacerent; eiusque rei procuratio requiri a Scipione tacitis fere vocibus omnium videbatur. id quod sentiens Scipio, quendam dimitti ex captiuis Carthaginiensium iussit, eumque ad Asdrubalem proficisci; præcipiens, vt verbis ab eo suis sepulturam cadaueribus peteret. Asdrubal autem, siue quod hoc humanitatis esse censeret, siue quod iam tum Scipionem metuens, ei obsequi potissimum cuperet, corpora tribunorum ex annulis aureis, cum ceteri ferreo vterentur, scrutatus, diligētissime sepelienda curauit. His de caussis Manilius ac tribuni, & vniuersus denique exercitus, cum legati adessent ad res Africæ inuisendas a senatu missi, ea de Scipionis fortitudine rettulerunt, vt incredibile videretur, virtutem cuiusquam aut maioribus aut grauioribus posse laudibus celebrari. Quæ eadem cum legatorum oratione Romæ in senatu exponerentur, non illum ordinem solum magna spe ac voluptate cōplerunt, sed plebem etiam ei ita conciliarunt, vt is proximis comitiis consul a compluribus tribubus diceretur. Hæc ex Appiani Libyca historia, Epitomis, Orosio, Eutropio, Strabone, aliis.

DE COS. AN. DCV.

DEINCEPS consules creati sunt Sp. Postumius, & L. Piso, Cassiodoro & Obsequente auctoribus. In fragmentis Capitolinis est, ALBINVS MAGNVS. L. CALPVRNIVS C. F. C. N. PISO CAESONINVS: in Cuspiniani, MAGNVS & CAESONINVS: in Siculis, Albinus & Piso. sunt autem illa, Postumij; hoc, Calpurnij cognomina. Sp. Postumiū, Sp. Postumij filium esse arbitror, cōsulis an. DLXXXIX; quorum ille *Paullulus*, hic *Magnus* appellatus est. Hoc anno ex tribus legatis, qui ad Massanissam missi fuerant, M. Marcellus, qui ter cōsul fuerat, coorta tempestate, fluctibus obrutus est. Epitoma L, Pædianus.

De rebus in Africa gestis.

M'. MANILIO in Africam prorogatum in hunc annum imperium puto. L. certe Piso consul Africam obtinuit. Vtramque rem auctoritate veterum annalium confirmabo. primum de Manilio sic est scriptum apud Valerium lib. v; Massanissa in lectulo cum iam ætate deficiente laberetur, M'. Manilium, qui pro consule Africam obtinebat, litteris obsecrauit, vt ad se Scipionem Æmilianum sub eo tunc militātem mitteret; feliciorem mortem suam futuram ratus, si in complexu dextræ eius supremum spiritum ac mandata posuisset, vt regnum filiis suis diuideret. In Epitoma autem L, ita est; Massanissa Numidiæ rex decessit. inter tres filios eius P. Scipio, cum commune eis pater regnum reliquisset, & diuidere eos arbitro Scipione iussisset, administrationem regni diuisit. Item *Phameæ Imilconi præfecto equitum Carthaginiensium persuasit, vt cum equitatu suo ad Romanos transiret. Cum autem ædilitatem peteret, consul a populo dictus, quoniam per annos consulem fieri non licebat, legibus solutus consul creatus est. M'. Manilius nonnullas vrbes circumpositas Carthagini expugnauit. Et apud Orosium; Scipio, Massanissa mortuo, inter filios eius regnum diuisit. eo Carthaginem reuerso, Manilius Tezagam vrbem expugnauit. XII millia Afrorum

cæsa,

cæsa, sex millia capta sunt. Appianus. Manilius, audiens Pisonem sibi successorem venire, Scipionem cum Phamea Romam dimisit. Piso, cum in Africam peruenisset, atque L. Mancinum classis præfectum secum haberet, neque Carthaginem neq; Asdrubalem adortus est: verum, cum ad singulas vrbes arma circumtulisset, frustra cõsumpta æstate, Vticam in hiberna concessit. Pœni interea auxiliis vndique accersitis, animos ad bellum vehementius intenderunt; atque Andriscum, qui in Macedonia bellum aduersus populum Romanum gerebat, incitarunt.

De bello III *Macedonico cum Andrisco.*

CETERVM L. Lucullo, A. Postumio (vt opinor) consulibus, Andriscus, qui Philippi nomine sumpto, se Persei regis Macedoniæ filium ingenti asseueratione mentiretur, a Demetrio Syriæ rege ob generis mendacium Romam missus, cum L. Martio, M'. Manilio consulibus, ab vrbe Roma clam profugisset, multis ad falsam eius fabulam, velut ad veram coeuntibus, contracto exercitu, totam Macedoniam, aut voluntate incolentium, aut armis occupauit. Thessalia, cum & illam inuadere armis atque occupare vellet, per Romanos legatos auxiliis Achæorum defensa est. Pseudophilippus in Macedonia M. Iuuentium prætorem cum exercitu cecîdit. Hæc ex Epitomis. Addit ad hæc Zonaras: Romani Andriscum primo contempserunt; deinde Scipionem Nasicam ad eos motus placide componendos miserũt. Qui cum in Græciam peruenisset, quæque gesta erant, cognouisset, de omnibus certiore senatu facto, collecto ab sociis exercitu, in Macedoniam vsque penetrâuit. Quibus rebus cognitis, Romani P. Iuuentium prætorem miserunt, quocum Andriscus in Macedonia acie congressus, & eum cecîdit, & alios profligasset, nisi per noctẽ pedem retulissent. Itaque facto in Thessaliam impetu, maiorem partẽ eius vastauit, & Thraces sibi adiunxit. Hac de caussa Q. Metellus prætor maximo cum exercitu missus, in Macedoniam venit. classe autem Attali vsus, Andriscum de maritima ora sollicitum longius progredi vetuit. Qui paulo extra Pynam producto exercitu, ab equitatu victor, peditum R. timore recessit; atque exercitum in duas partes diuisit; quarum vnam ad populandam Thessaliam misit, alteram sibi reseruauit. Qua cõtempta, Metellus in aciem descendit; ac qui primi occurrerunt, pulsis, reliquos crimen suum aperte confitentes subegit. Ille cum in Thraciam refugisset, collecto exercitu cum Metello signa contulit; ac sociis suis fusis, ipse a Byze regulo Thrace proditus, pœnas dedit. Alexander etiam quidam Persei filium se professus, contracta manu, regionem *Mesto flumini vicinam occupauit. quem Metellus vsque in Dardaniam est persequutus. Itaque de eadem re sic scribit Eutropius; Interim in Macedonia quidam Pseudophilippus arma mouit; & Romanum prætorem Iuuentium contra se missum, ad internecionem vicit. Et Appianus in Libyca, duces contra Persei filium in Macedoniam missos scribit, Manilio & Marcio consulibus. L. autem Calpurnio, & Sp. Postumio, eum a Q. Metello prætore deletum notat Obsequens. id quod in Epitoma L, his verbis traditur; Pseudophilippus a Q. Cæcilio victus captusque est, recepta Macedonia. Et in libro de viris illustribus ita; Q. Cæcilius Metellus prætor Andriscum, qui Pseudophilippus dictus est, vicit; vnde *Macedonicus* dictus est. Et apud Velleium lib. I; Q. Metellus prætor, cui ex virtute *Macedonici* cognomen inditum, præclara victoria Pseudophilippum, qui Macedoniam occupauerat, gentemque superauit. Et apud Eutropiũ; Post Iuuentium Q. Metellus dux a Romanis contra Pseudophilippum missus est; & XXV millibus ex militibus eius occisis, Macedoniam recepit; ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit. Idem Florus. Hæc fere de tanto bello repperi. reliqua enim inimica vetustas obliuione (vt video) in perpetuum non dico obscurauit, sed penitus etiam obruit.

DE COS. AN. DCVI.

POPVLVS Romanus, cum superiorum imperatorum ignauia bellum Punicum longius trahi, iamque Pœnos ex aduersis eorum prœliis receptis animis se ad bellum acrius instruxisse animaduerteret, omnem in vnum Scipionem cogitationem suam conuerterat. Ita cum res reminisceretur eas quas ille legatus in Hispania primum, deinde

deinde tribunus in Africa adminiſtraſſet, eaſque cum præſentibus aliorum rebus cõpararet, in ſpem maximam veniebat, poſſe ſe bellum illud facile per Scipionem conficere. Quare cum Scipio nullum adhuc in vrbe magiſtratum cepiſſet, ædilitatem autem curulem petiturus in campum deſcendiſſet, populus eum non ædilem, ſed cõſulem creare voluit. cui cum patres aduerſarentur, legemque proferentes eam, qua certi cuique ad ſingulos magiſtratus capiendos anni ſunt cõſtituti, longius eum a cõſulari abeſſe ætate oſtenderent, tum populus rogare, inſtare, demum etiam clamare cœpit, & ex Romuli, & ex Tullij legibus penes ſe comitiorum eſſe ius dicere; ita vt cui vellet, mandare; cui nollet, abrogare magiſtratum ſuo iure poſſet. Quibus rationibus victus ſenatus, tribunis plebis permiſit vt rogationem ad populum ferrent, qua Scipioni petendi ante tempus conſulatus poteſtas fieret. qua lata, Scipio vniuerſi populi conſenſu conſul declaratus eſt. collega ei additus eſt C. Liuius Druſus. Hæc fere Appianus, Epitomæ, Velleius, Plutarchus, & Valerius lib. VIII. Apud Caſſiodorum etiã & Obſequentem, conſules ſubſequuntur P. Africanus, & C. Liuius: in faſtis Siculis Scipio & Druſus; in Capitolinis autem fragmentis, = = AFRICANVS AEMILIANVS. C. LIVIVS M. AIMILIANI F. M. N. DRVSVS. Hic Scipio Paulli Æmilij filius fuit, adoptatus a P. Cornelio Scipione Africani filio; vnde ipſe *Africanus minor*, & *Aemilianus* appellatus eſt. auctor Velleius, Epitomæ, alij.

De re geſta in Africa.

CONSVLES inito magiſtratu cum de prouinciis rettuliſſent, Druſus Scipionem poſt ſe debere ſortiri prouinciam contendebat; populus autem reclamans, & mandandarum etiam prouinciarum ius ſuum eſſe dicens, Scipioni Africam ac totum bellum ſine ſorte commiſit: atque exercitum ei tantum, quantus ante ſuperiores clades fuerat, habendi, itemque a ſociis, & a regibus, & a ciuitatibus, quot vellet, & quos ipſe probaret, educendi facultatem dedit. Ille autem omnibus rebus ex ſententia comparatis, quas ad bellum neceſſarias eſſe putauit, magna ſpe ciuium in Africam proficiſcẽs, Vticam primum aduehitur. Tum Piſo, educto iam ex hibernis exercitu Carthaginis partem eam quæ continentem ſpectat, oppugnabat: Mancinus autem, ex altera parte, murorum partem alteram, quæ neglecta videbatur, adortus, quod rupes aſperæ & inuiæ vndique eſſent, ſcalis clam appoſitis, militibus egregie laborantibus, vrbẽ ingredi conabatur; iamque perterritos Pœnos inſequẽs, portam vrbis intrauerat; cum imminente nocte, ad quam pugna perducta erat, rerum neceſſariarum inopiam, imminenſque periculum contemplatus, nuntios ſtatim ad principes Vticenſium mittit, qui eos, quanto ipſe in periculo ſit, quantaque cõmeatuum penuria conflictetur, edoceant, eoſque e veſtigio, vt ſibi ſubſidio ſint, rogent. Hæc Scipioni, cum forte veſpere Vticam acceſſiſſet, tertia fere vigilia nuntiata ſunt. quibus cognitis, milites tuba confeſtim vocari, ab adoleſcentibus Vticenſium, qui per ætatem poterant, commeatum ad naues comportari iubet. poſt captiuis quibuſdam dimiſſis, eos Carthanienſibus nuntiare iubet, mox affore Scipionem. inde equitibus aliis ſuper alios miſſis, qui Piſonem ad opem Mancino ferendam excirent; atque militibus interea poſtrema vigilia in naues impoſitis, Vtica ſoluit, iis admonitis, vt cum hoſtibus appropinquaſſent, erecti ſuper ſtramenta, in illos ora conuerterent. His rebus ita a Scipione pro tempore raptim inſtructis, Mancinus prima luce Carhaginienſibus ex omni parte vrgentibus, quingentos quos ſolos in armis habuit, duobus hoſtium millibus a frõte oppoſuit; iamque vulnere accepto, a muris pulſus, profligari videbatur, cum ſubito Scipionis naues armatorum manu refertæ, magnoque curſu in Pœnos contendentes in alto apparuere. quibus cõſpectis, Carthaginiẽſes, qui a captiuis Scipionem ſuis ſubſidio venire didicerant, ſtatim ſubſtitere. Illis cedentibus, Scipio Mãcini milites iam periculo proximos ſuis nauibus excipit; & Mancinum ipſum Romã (nam alter in eius locum claſſi præpoſitus fuerat) e veſtigio mittit. ipſe nõ procul Carthagine caſtra ponit. Interea Pœni ex muris per ſtadia quinque progreſſi, vallum iaciunt; in eoque ſpatio Aſdrubalem & Bythiam collocant; quorum vni ſex millia peditum aderant; alteri, equites mille, ſatis ad dimicandum, ſi ita res poſtulaſſet, inſtructi. Scipio autem cum exercitum a Piſone acceptum, luxui, auaritiæ, ac deſidiæ

deditum accepiſſet, ante eum ſibi emendandum conſtituit, quam cum hoſtibus ad pugnam aliqua ratione deſcenderet. Poſt autem inſidiis per noctem poſitis, Megara, qui locus eſt vrbis ampliſſimus; cumque mœnibus ipſis vrbis coniunctus, aggredi ſtatuit. ita præmiſſis aliquot e ſuis, qui ab vna parte hoſtes imparatos inuaderent, ipſe cū aliis ab altera cum ſecuribus, ſcalis ac vectibus, ad duo millia paſſuum ſilentio magno procedit. cum perceptis a Pænis inſidiis, vox e muris edita eſſet, hoſtes adeſſe monētis, tum Scipio in primis, ac cum eo ſui omnes clamorem ſuſtulerunt. qui autem a cōtraria parte conſtiterant, vehementius extulere vocem; ita vt Pœni tot hoſtibus vndique ac tam repente circumſiſtentibus, magnopere terrerentur. Sed res tamen Scipioni, licet tentaret omnia diligentius, prout ipſe ſtatuerat, non proceſſit. erat tum forte priuati cuiuſdam turris extra muros vrbis deſerta; cuius faſtigium altitudinis, prope mœnia ipſa vrbis æquabat, a quibus non longe aberat. hanc cum adoleſcens quidam audacter aſcendiſſet, accitis propere aliis, ab ea ad muros vrbis haſtis aſſeribuſq; traiectis, pontem facere inſtituerunt; per quem cum ad mœnia, inde ad Megara perueniſſent, ſtatim refractis portis, Scipionem cum quatuor hominum millib. receperunt. Hac re cognita adeo ingens intus luctus Carthaginienſes excepit, vt vrbs ab hoſtibus capta eodem veſtigio videretur. itaque tumultu facto, clamoreque edito, omnes ſe repente contulerunt in arcem, tam ij qui in vrbe erant, quam ij qui foris in vallo conſederant. Scipio autem, cum Megarorum campum anguſtum, atque arboribus obſitum, ac rubis & vepribus impeditum conſpicaretur, veritus ne inſequenti exercitui difficile iter eſſet, aut in aliquas inſidias ipſe incideret, quibus erat ille maxime locus idoneus, gradum ſibi referendum eſſe conſtituit. Poſtridie eius diei, Aſdrubal, Megara capta indigne ferens, captiuos omnes Romanorum in muris ſtatuit, eo maxime in loco quo a ſuis facile videri poſſent; eoſque ibi crudeliter per contumeliā Romanorum variis generibus tormentorum excruciatos interfecit. Dum hæc agebantur, Scipio ratus Carthaginem niſi obſidione expugnari poſſe, eam, quoad potuit, circumuallare inſtituit. Primum autem ſuccenſo vallo, quod hoſtes in arcem cōfugientes deſeruerant, iſthmum omnem complectens a mari vſque ad mare, per iactum teli foſſa muniuit: idque opus per tria millia paſſuum perduxit, cum continenter foderet atque pugnaret. ea foſſa perfecta, alteram e regione continentem verſus eduxit: hiſque duas alias ſimiles a lateribus addidit: ita vt quadratum opus effingeretur. has autem poſtremas ſudibus præacutis, ſtipitibuſque tranſuerſis muniuit; reliquas, ex quibus in vrbem deſpectus eſſet, vallo firmauit, ac per tria millia paſſuū muro ſepſit; cuius altitudo pedes duodenos ſupergreſſa eſt, profunditas dimidio amplior fuit. in medio turrim excitauit; & ſuper ipſam quadratum e ligno propugnaculum ſtatuit: ex quo procul quæ fierent in vrbe proſpiceret. Quibus comparatis, Scipio intra ſpatium illud copias deduxit, ita vt vno tempore & caſtra metaretur, & hoſtes obſidens re omni frumentaria intercluderet, quæ a terra deferretur. atque hinc malorū omnium fons in Carthaginienſes manauit. nam cum maxima ex agris in vrbē multitudo ſe conieciſſet, neque commeatus quidquam aut terra propter munitiones, aut mari propter claſſem Romanorum, ſupportaretur, res eos frumentaria deficere cœpit. quamquam Bythias præfectus equitum, nouam quandam rationem excogitauit importandi frumenti. nam cum iampridem ad commeatum deferēdum miſſus, nec clam accedere, nec Scipionis vallum vi ſuperare poſſet, illum lembis paruis imponi iubebat; qui ſecundi vim venti exſpectantes, haud ita multo poſt in portum ferebantur; cum Romanorum triremes propter ſcopulos & fluctus inter ſe minime poſſent hærere, aut lembos ob celeritatem eorum nimiam impedire. Sed hoc modicum erat; nec niſi magno ſpirante vento ſubuehi poterat. quantum autem quantum erat, id totum ab Aſdrubale triginta millibus militū ſolis diuidebatur; quos ſibi ex omnibus ipſe delegerat. ex quo efficiebatur vt reliqua ciuitas fame acrius premeretur. Scipio autem, cum omnino ne minimum quidem importari vellet, portum ipſum Cothonis, atque omnem illam nauigationem, quæ ad occidentem ſpectat, obſtruere, commodiſſimum ſtatuit eſſe. ita aggerem perlōgum a mole quæ Lingua dicebatur, in pelagus educit; eumque totum ſaxis ingentibus & denſis firmat, ne opus vndarum alluuie ſolueretur. Id autē opus primum Carthaginienſes irridere, ac vocibus e muris incre-

incre-

increpitare cœperunt, quod ea machinatio compararetur, quæ nunquam habitura finem videretur. vbi vero totum in eam rem incumbere exercitum, neque dies aut noctes intermittere, ſeque omnino mari interclusos & prohibitos ſenſerunt, ſuis maxime rebus diffidere inceperunt. Haud tamen his caſibus fracti animũ abiecerunt, ſed portum alterum ex contraria parte orientem verſus effodere ſtatuerunt. Ergo in vrbe ita occulte, vt ne captiui quidem Romani Scipioni quidquam nũtiare poſſent, naues primum ex vetere materia refecerunt. Strabo duobus menſibus cxx conſtratas naues ab iis eſſe conſtructas ſcribit, cum antiqua materia ſuppeteret, & fabrorum multitudo conducta numquam ceſſaret. Deinde portum pelago in medio, qua nullam molem ob profunditatem, vimque ventorum, educi poſſe confidebant, ſuffoderunt, magno etiam mulierum, ac puerorum vna perpetuo laborantium ſtudio. His rebus cõpletis, triremes, ac quinqueremes, myoparones, aliaque complura nauigia paratiſſima, atque omni genere armorum inſtructiſſima, e portu profecta, Romanis aduerſa conſtitere. Romanos autem & os portus improuiſo patefactum, & longus nauium ordo celeriter e portu erumpens, adeo exterruit, vt ſi Carthaginienſes eorum naues e veſtigio inuaſiſſent, quæ nautis atque remigibus vacuæ erant, eas nullo fere negotio ſuperare potuerint. at Carthaginienſes tantum vt ſe oſtẽtarent, claſſem mouere; inde ſe in portum ſubito recepere. Poſt triduum deinde prœlium maritimum committere parant. ad id Romani nullo interpoſito ſpatio, ſeſe omnibus rebus compoſitis inſtruunt. Itaque ſigno dato haud vlla mora pugnandi facta eſt: magno clamore ab vtraque parte concurſum eſt. eaq; pugna, cum remigũ vtrinque aeg ubernatorum, militumque virtus atque audacia eniteret, eſt vſq; ad ſolis occaſum magna contentione perducta: præſertim vero, cum illi omnino in eius diei caſu ſummæ victoriæ, hi ſummæ ſalutis euentum conſiſtere intelligerent. In eo prœlio Romani ab Afrorum lembis magnis detrimentis affecti ſunt: qui ſumma leuitate præditi, in maiores eorũ grauioreſque naues inuecti, remis earum ac gubernaculis amputatis, ex eorum conſpectu ſe repente proripiebant. Sole autem occidente, Pœnis ſeſe recipere viſum eſt; non quo prœlio cederent, ſed vt poſtridie alacrius ad dimicandũ redirent. Ea de cauſſa Carthaginienſium lembi regredientes, cum nauigandi ſe velocitate impedientes, aditum portus intercluſiſſent, a maioribus Romanorũ nauibus occupati, cum progredi non poſſent, aggerẽ petiere. is locus ante mœnia vrbis fuit ampliſſimus: in quo, pacatis rebus, negotiatores onera ſua exponere antea conſueuerãt. verum imminente bello, in anguſtiorem formam eo conſilio redactus fuerat, ne hoſtes patenti in loco ſub muris aliquando verſarentur. Huc ergo ob portus inopiam delati, conuerſo impetu prœlium inſtaurarunt, cum alij ab aggere, alij e nauibus, alij e muro pugnarent. ac Carthaginienſibus quidem conſiſtentibus, & leuis nauigatio, & facilis pugna Romanis erat. cum autem regrederentur, difficili grauiorum nauiũ ſuarum agitatione, magna ſæpe incommoda a circumcurſantibus Pœnis accipiebãt: quoad quinque Sidetum naues, quæ Scipionem eius adductæ amore ſequebantur, commiſſa pugna commodiorem quandam euadendi rationem edocuerũt. illi enim longis funibus cum ſuas naues inter ſe conſtrinxiſſent, magno tum in hoſtes impetu ferebantur. prœlio vero commiſſo, id pugnabant, vt firmiſſimis funibus in hoſtium puppes iniectis, eorum naues arctiſſime religarent, earumque celeritatem hoc modo retardarent. quos deinde ſequuti ceteri, magno periculo euaſerunt. Eo prœlio ad noctem, vt dixi, dirempto, Carthaginienſium naues, quotquot incolumes fuere, vrbem petierunt. Scipio poſtridie mane aggerẽ aggreſſus, cum infirmum admodum propugnaculum id eſſet, quod portis imminebat, arietibus machiniſq; admotis, partem muri deturbauit. Ea re compulſi Pœni, quamquam omnibus defeſſi malis, rei etiam frumentariæ ad ſummam inopiam adducti erant, nocte e muris ad ipſas munitiones Romanorum incendendas erumpunt. cum autem ad eas propius accedere nequirent, omni aditu terra marique præſepto, nudi, facibus exſtinctis, ne conſpecti præuenirentur, natantes exierunt; ad eaſque delati, ignem intulerunt. re a Romanis percepta, fit prœlium atrox, cum ab vtraque parte multi & vulnerarentur, & caderẽt. Pœnorum autem virtus incredibilis, atque animi magnitudo excellentiſſima fuit: quorum cum in ora pectoraque aduerſa gladij eſſent, telaq; multa coniecta, non ante

tamen pugnare destiterunt, quam aut opera succensa, aut pulsos loco Romanos cõspexerunt. Turbatis ex hoc tumultu rebus, cum trepidatio in castris Scipionis orta esset, qualis nunquã antea extitisset, ille equo accurrẽs, ac terrorẽ mortis illis iniiciẽs qui terga dedissent, plurimos conseruauit. totam autem noctem Romani armati traduxerunt, hostium maxime desperatione permoti. Pœni, incẽsis operibus Romanorum, in vrbem se recipiunt; postridie murum qui labefactus erat, instaurant, turresq; super ipsum multas ædificant. Romani etiam alias machinas comparant; aggeremq; validissimum contra turres hostium exstruunt. ex quo cum faces in eas emittere instituissent, hostes loco depellũt, eosque persequi fugientes incipiunt. verum cum ingressum cruore ac limo terra madefacta non sustineret, eos persequi desinunt. aggere Pœnorum potitus Scipio, eum fossa & muro lapideo sepsit; in eoque quatuor millia hominum statuit, qui hostium incursiones reprimerent; quorum multa cum iis e muris dimicantibus prœlia exstiterunt. atque hoc modo æstas ab vtrisque traducta est. Hæc omnia ex Appiano. Eadem fere in Epitoma LI sunt, his verbis; Carthago in circuitu *XXIIII millia passuum patens, magno labore obsessa, & per partes capta est: primum a Mancino legato; deinde a Scipione consule, cui extra sortem prouincia Africa data erat. Carthaginienses portu nouo, quia vetus a Scipione erat obstructus, facto, & contracta *clam exigua classe, nauali prœlio infeliciter pugnarunt. Et Florus; Mancino deinde consule, terra marique feruebat obsidio. vbi mendose est, *consule* pro *legato*. Hunc eundem L. Hostilium Mancinum primum cum exercitu Carthaginem irrupisse, scribit Plin. lib. XXXV, cap. IIII; & lib. VII, cap. IX.

De bello Achaico.

IISDEM etiam (vt opinor) consulibus, bellum in Achaia excitatum est. caussa huius belli in Epitoma LI traditur, quod legati populi Romani ab Achæis pulsati sint. Corinthum missi erant, vt eas ciuitates quæ sub dicione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent. qua de re plenius Iustinus scribit lib. XXXIIII: Quærentibus, inquit, Romanis caussas belli aduersus Achæos, tũc solos ex vniuersa Græcia nimis potentes, tempestiue fortuna querelas Spartanorũ obtulit, quorum agros Achæi propter mutuum odium populabantur. Spartanis a senatu responsum est, legatos se ad inspiciendas res sociorum, & ad iniuriam demendam, in Græciam missuros. sed legatis occulta mandata data sunt, vt corpus Achæorũ dissoluerent, singulasque vrbes proprij iuris facerent. Igitur legati omnium ciuitatum principibus euocatis Corinthum, decretum senatus recitant; quod consilij habeant, aperiunt; expedire omnibus dicunt, vt singulæ ciuitates leges suas & sua iura habeant. Quod vbi omnibus innotuit, velut in furorem versi, vniuersum peregrinum populum trucidant. legatos quoque ipsos Romanorum violassent, nisi audito tumultu trepidi fugissent. Florus Critolaum Achæorum ducem, dubium an manu, oratione certe legatos Romanos violasse ait. Itaque Cicero cum pro lege Manilia diceret, Corinthum euersam dixit, quod legati appellati fuerant superbius. Pausanias item in Achaicis hanc historiam latius narrat: missos esse in Achaiam legatos, quorum vnus erat Orestes; qui Achæorum & Lacedæmoniorum bellum dirimerent: eosdem conuocatis populis sententiam senatus aperuisse, placere Spartam ac Corinthum ab Achæorum concilio seiũgi. tum Achæos in Lacedæmonios, & reliquos qui tum Corinthi peregrinabãtur, sine vllo legatorum Romanorum respectu inuasisse; Lacedæmonios in carcerem cõdidisse, reliquos dimisisse: Critolaum ducem ab iis lectum, bellum contra Romanos suasisse: Pytheam itẽ, qui Thebis magistratum gerebat, Bœotos ad arma, quod a Metello prætore Macedoniæ magna pecunia multati fuerant, concitasse. quibus rebus Romam nuntiatis, Romanos Achæis bellum indixisse. Hæc de caussis belli. Hoc autem bellum primum commissum videtur Q. Metello, qui prætor Macedoniam priore anno subegerat; deinde L. Mummio consuli. Res ab vtroque imperatore gestas in sequentem annum contuli.

De censoribus & Lustro LVI.

Ex fragmentis Capitolinis satis intelligi potest, in hunc annum censores creatos L. Lentulum Lupum, L. Marcium C.F.C.N. Censorinum, lustrum fecisse LVI. Quibus de censoribus sic Valerius lib. VI; L. Lentulus cõsularis, lege Cæcilia repetundarũ crimine

crimine oppressus, censor cum L. Censorino creatus est. Fuit autem consul L. Lentulus anno DXCVII; Censorinus, anno DCIII. Censa esse ciuiũ Romanorũ CCCXXII millia, scribit Eusebius, anno antequam Carthago euersa sit. Hoc lustro P. Lentulũ principem senatus lectum fuisse puto, eum quem Cicero sæpissime memorat; præsertim M. Lepido quadriennio ante mortuo, qui iam sexies lectus fuerat. hic autem Lentulus consul fuit anno DXCI.

DE COS. AN. DCVII.

DEINCEPS sequuti sunt consules Cn. Cornelius, L. Mummius, teste Cassiodoro: Cn. Cornelius Lentulus, L. Mummius, Orosio, Velleio, Censorino, Cicerone lib. XIII epistolarum ad Atticum. In fastis Siculis est Lentulus & Mummius; in fragmẽtis Capitolinis, LENTVLVS. L. MVMMIVS. L. F. L. N. Cn. Cornelium Lentulũ, Cnæi filium voco, eius qui cõsul fuit anno DLII. L. Mummius in hoc magistratu, ex Achaica victoria *Achaici* cognomen inuenit. Plutarchus in Mario, & Velleius auctores.

De rebus in Achaia gestis, & triumpho Q. Metelli pro pr. ex Macedonia.

BELLO Achæis indicto, Q. Metellus, qui prætor Macedoniam pacauerat, prorogato in alterum annum imperio, in Achaiam aduersus hostes cum exercitu descendisse videtur. cuius de rebus gestis sic Orosius; Metellus prætor Achæos Bœotosque duobus prœliis, primo ad Thermopylas, altero in Phocæis deuicit. quorum priore occisa esse XX millia; posteriore, VII millia Claudius refert. Valerius Antias in Achaia pugnatum esse, XX millia Achæorum cum duce Diæo cecidisse ait. Polybius semel in Achaia pugnatum Critolao duce asserit; Diæum vero adducentem ex Arcadia milites, ab eodem Metello oppressum. Post exstincta autem totius Achiæ præsidia, destitutarum vrbium euersionem Metello meditante, consul Mummius repẽte cum paucis venit in castra. ac dimisso statim Metello, Corinthum sine mora expugnauit. Pausanias etiam eadem tradit; his fere verbis; Q. Metellus, qui Pseudophilippum in Macedonia deuicerat, cum L. Mummium consulem ad bellum Achaicum cum exercitu mitti audisset, omni ope bellum, antequam veniret, conficere conatus est. Itaque missis ad Achæos de cõditionibus pacis legatis, ipse in Macedoniam exercitum per Thessaliam & sinum Maliacũ duxit. Critolaus pace spreta, primum Heracleam obsidione cinxit. deinde, vt Metellum Sperchium traiecisse exercitum accepit, Scarphiã Locrorum confugit. quem cum toto exercitu non longe a Scarphia adorti Romani, fuderunt fugaruntque. post autem Critolao interfecto, Arcadas etiam retrocedentes ad Chęroneam ceciderunt. Hinc Metellus Thebas obsidere aggressus, quod Thebani Achæis ad Heracleam obsidendam, ac prœlio ad Scarphiam interfuerant, eas cum Pythea imperatore in potestatẽ redegit. Inde cum Megaras, vbi Achæorũ exercitus cum duce Alcamene erat, duceret, atque omnes inde egressos Corinthum se cõtulisse audisset, recepta in fidem vrbe, ad Isthmum venit, atq; iterum de cõditionibus pacis agere cœpit. Interea vero Mummius aduenit. qui remisso in Macedoniam Metello, maximo exercitu, quem ex Italia & Græcia comparauerat, cum Diæo Achæorum duce collatis signis, Achæos in fugam coniecit. Diæus fugiens, veneno sibi mortem consciuit. Mummius patentibus portis ingressus. Corinthum incẽdit: reliquorũ mœnia, qui contra Romanos steterant, diruit; atque iis arma, priusquam Roma legatix mitterentur, ademit. ex eorum sententia, vbi venerunt, tributum Græciæ constitum est; concilia sublata sunt. institutũ autem, vt eo quotannis prætor mitteretur; qui non Græciæ, sed *Achaiæ præfectus* appellatur; quod Græciam Romani per Achæos tum Græciæ principes subegerũt. Hoc etiam bello Epirotas cum Achiuis, & Thessalis, & Macedonibus, in prouinciæ formam redactos prodit Iornandes, & Rufus. Eadem fere scripta sunt in Epitoma LII, ita: Cum Achæis, qui in auxiliũ Bœotos & Chalcidenses habebant, Q. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit, quibus victis, dux eorum Critolaus veneno sibi mortem consciuit. in cuius locum Diæus, Achaici motus primus auctor; ab Achæis dux creatus, ad Isthmon a L. Mummio consule victus est; qui omni Achaia in deditionem accepta, Corinthum ex S. C. diruit;

quia ibi legati Romani violati erant. Thebæ quoque, & Chalcis, quæ auxilio fuerãt, dirutæ. ipse Mummius se abstinẽtissimum virum egit. Et in libro de viris illustribus; Q. Cæcilius Macedonicus, Achæos bis prœlio fudit, triumphandos Mummio tradidit. Item; L. Mummius, a deleta Achaia *Achaicus* dictus, aduersus Corinthios missus, victoriam alieno labore quæsitam intercepit. nam cum illos Metellus Macedonicus apud Heracleam fudisset, & duce Critolao priuasset, cum lictoribus & paucis equitibus in castra Metelli properauit, Corinthios apud Leucopetram vicit duce Diæo. Item Florus; item Velleius, qui Corinthum Lentulo & Mummio cos. euersam adiicit. Hæc de rebus a Metello & Mummio in Achaia gestis accepimus. Metellus autẽ, vbi prouinciam Macedoniam composuit (siquidem Macedoniam seruitute multatã ac in prouinciæ formam redactam a Metello, Iornandes & Rufus auctores sunt) cum hoc anno Romam venisset, triumphum tantum de rebus a se in Macedonia gestis aut petiit, aut certe impetrauit. cuius triumphi hæc adhuc veterum annalium testimonia extant. Valerius libro VII; Q. Cæcilium Metellum de Pseudophilippo triumphantem, vniuersus senatus lætum & alacrem in Capitolium prosequutus est. Et Florus; Populus R. de Andrisco imaginario rege & scenico, vt de vero triumphauit. Cicero etiam pro Murena, triumphi Metelli meminit de Pseudophilippo. Et in Epitoma LII scriptum est, Q. Metellus de Andrisco triumphauit; Scipio de Carthagine & Asdrubale. Appianus quoque Scipionem de Carthagine triumphasse ait, tum cum de Macedonibus tertius triumphus actus est. Ergo si Scipio hoc anno triumphauit, vt mox probabimus, Metellus etiam triumphauerit necesse est. Florus belli ducem ab eo ad quem confugerat, Thraciæ regulo, in vrbem vinctum reductum tradit.

De re gesta in Africa, & triumpho P. Scipionis Aemiliani de Pœnis.

INEVNTE hieme, cum plurimos esse in Africa Scipio comperisset, qui Pœnos commeatu ceterisque rebus iuuarent, eos sibi de medio tollendos statuit. itaque ad eorum motus comprimendos, militibus in diuersas partes in hiberna dimissis, ipse in Diogenem, quem Asdrubali fauere audiuerat, Nepherim versus per stagnum contendit: cumque castra procul ab eo stadia duo fecisset, iis Gulussam præfecit, qui cũ Diogene dimicaret. ipse interea modo Carthaginem, modo Nepherim petens, totũ bellum summa sapientia administrabat. duabus turribus ad Nepherim collapsis, locũ sibi insidiis datum esse Scipio arbitratus, mille delectos equites in insidiis post Diogenem locat, tria millia a fronte constituit: quibuscum ipse, qua turres prociderant, ascendit; non multitudine stipatus, sed per partes agmen ducens; ne priores vi deiecti, aliis subsequentibus fugarentur. cum clamore ac strepitu Romanotum omnia personarent, Afris ad pugnam concurrentibus, ij qui a tergo dispositi erant, vt mandatum eis fuerat, vallum, ne suspicante quidem quoquam, aggrediuntur. qua re Afri, qui intus erant, perculsi, cum multo plures hostes quam quos conspicabantur, adesse putarent, iamque Diogenis castra, quæ ipse cum leui præsidio reliquerat, in hostium potestatem venisse non ignorarent, in fugam coniiciuntur. ex altera parte Gulussa, magna manu, & præterea elephantis instructus, eos adortus, cædem ingentem facit. eo prœlio ad septuaginta millia hominum cum inutilibus cæsa dicuntur, decem millia capta; quatuor euaserunt. Capta inde Nepheris est, post duos & viginti dies quam obsideri a Scipione cœpta est; cum multa ibi incommoda, hibernorum difficultate temporum, pertulisset. Qua victoria cum complures præterea Libyæ vrbes ad eum defecissent, ipse potissimum ad Carthaginem expugnandam accensus est. Interea vero cum Pœnorum opes in dies magis minuerentur, quod neque ex Libya, quæ tota fere in Scipionis dicionem concesserat; neque mari, vel propter Romanorum præsidium, vel propter minus idoneum ad nauigandum anni tempus, commeatus quidquam subueheretur, Scipio in spem maximam Carthaginis potiundæ adductus, portum ipsum Cothonis aggredi statuit. putabat enim eo propugnaculo superato, præsidioque deiecto, reliquas se vrbis partes in suam potestatem esse nullo ferme negotio redacturum. Id autem præsentiens Asdrubal, Cothonis partem nocte succendit; ratus ea parte se ex improuiso in Scipionis exercitum inuasurum. atque eo quidem cõsilio ex vrbe cũ lectissima militũ manu egressus, prœlium fortissime cum Scipione committit.

committit. Interim C. Lælius a tergo per ambitum Cothonis nauibus circumuectus, ex altera parte, longe aliter quam Pœnus putauerat, magno clamore ſublato, in eos impetum facit. Romanorũ vim Pœni, etſi primum pro viribus propulſare conati, cũ diuturnitate inediæ langueſcentes, diu ſuſtinere non poſſent, in omnes partes paſſim fugam capeſſunt. eos fugientes inſequutus Scipio, partim cecidit, partim cepit: pauci in vrbẽ ſe cõiicientes, vix mortis periculũ euitarũt. Scipio Cothonẽ ingreſſus, commeatum omnẽ qui non procul aberat, intercepit. poſt hæc, quod & nox ſuberat, & ipſe militibus ex ſuperiore totius diei continenti labore fatigatis, parum ſe proficere poſſe intelligebat, ſub armis tota nocte quieuit. vbi illuxit, facta in muros vrbis, qua parte ceciderant, impreſſione, vrbem fruſtra renitẽtibus Pœnis ingreditur cũ grauioris armaturæ militum quatuor millibus. Irruptione eius in vrbẽ, magna Carthaginiẽſium pars in Byrſam arcẽ confugerat, & ex ea pugnabat. Igitur cum eam Scipio adoriri ſtatueret, tria ad illã e foro patere itinera reperiebat, quæ frequentibus illuſtrium ciuiũ ædificiis vndequaq; erant inſtructa. cùm autẽ, quantũ ſubire periculũ poſſet, ſi ea ingrederetur, animaduerteret, ſtatim hoc ille conſilij capit. prima ædificia ſibi occurrentia deiicit: hinc ad proximas tranſgreſſus ædes, lignis aſſeribuſque viarũ interualla coniungit; ac per ea, tamquam per pontes, ingreditur; cum iis interim acerrime dimicans, qui ex inferiore loco pugnabant. Hinc omnia clamore, gemitu, ac lamẽtationibus cõplebantur; cum alij ferro interea cæderentur, alij e tectis præcipites agerentur. neque enim ignis ante in ædes iniectus eſt, quam Scipio ad Byrſam peruenit, eorum cauſſa Romanorum qui tecta ſubierant. vbi vero eo acceſſit, tum iuſſu eius tribus partibus illato incendio, reliquus in vrbem exercitus acceſitus eſt. Vrbis autẽ interea deflagrantis cum per ſe ſatis miſer, tum vero miſerior ac terribilior aſpectus erat, quod igne omnia peruagante, ædes ſæpe finitimæ incendium præuertentes, ſua ſponte corruebant, ſuaque ruina ingentem fragorem edebant; cumq; ijs ſenes, pueri, mulieres, ceteraq; turba eorũ qui pauore ſe intra tecta coniecerant, aut ſemianimes, aut ſaucij, aut afflati incẽdio, procũbebant. quinetiam fabri, ceteriq; qui iuſſu Scipionis ad aperiendum militibus iter immiſſi erant, rem multo etiam acerbiorem efficiebant; cum interim foſſas, reliquaq; depreſſa vrbis loca, mortuis viuentibuſq; ſine diſcrimine crudelitate ſumma replerent. atq; hæc quidẽ ſex dierũ ſpatio geſta ſunt. Scipio autem, ne milites aut labore diuturno defatigarẽtur, aut rerum terribilium aſpectu animum aliqua ratione ſummitterent, munera partito exercitu permutauit; cum ipſe quotidie rebus omnibus, vix aut cibum, aut quietem capiẽs intereſſet. poſtremo vero, labore defeſſus, excelſo quodam in loco conſedit; ex quo omnia quæ geſſerat, facile circũſpicere poterat. Interea qui in arce erant, vrbis direptione ac deorum ira perculſi, cum ſe in extremum caſum adductos, nullamq; ſpem ſalutis ſibi reliquã eſſe viderent, legatos ad Scipionem de deditione miſerunt. qui ad eum profecti, velamẽta ſupplicum Æſculapij ritu, cuius e templo deſcenderant, porrigentes, ſeque ad eius pedes abiicientes, fidem ac miſericordiam eius implorare cœperunt, in primiſque eum orare, vt ſibi vel iniquiſſima etiam conditione exire ex arce permitteret. Scipio autem, precibus atque habitu ipſo ſupplicantium motus, omnibus, præterquam fugitiuis ac transfugis exeundi poteſtatem fecit. Ita patefactis Byrſæ portis, extemplo ex ea ſe hominum ad quinquaginta millia eiecerunt. primum agmen, mulierum, in primis miſerabile fuit, ad x x millia; alterum, virorum, ad x x x millia, vt tradit Oroſius. Transfugæ autem, qui ad nongentos fuerunt, cum propter impoſitum arci præſidiũ, locũ non eſſe eruptioni viderẽt, ſe in Æſculapij templum cum Aſdrubale, & vxore, & liberis eius contulerunt; atque ad pugnã ex eo loco ſe inſtruxerũt. Poſthac omnibus ad ſalutis deſperationẽ adductis, Aſdrubal paulatim ſe ſuotum e concilio ſubducens, cum ſibi ſaltem extremis vrbis temporibus, quoad poſſet, conſulendũ putaret, ſupplex ad Scipionem e templo cõfugit. eum humaniter acceptũ, atq; ad pedes ſuos ſedere iuſſum, Scipio transfugis conſpiciendũ propoſuit. transfugę primum habuere ſilentiũ, ſpectaculi nouitate perculſi: deinde hominis perfidiam maxima voce criminantes, deſperatione acti, in templum incendium intulerunt, ac ſeſe in illud continuo coniecerunt. Aſdrubalis etiam vxorem memoriæ proditum eſt, cum paulo ante integris rebus a marito, vt ſe ad victorem transferret, impetrare non potuiſſet, hoc

tempore ſe, quantum per ærumnas licuit, exornaſſe; liberiſque tribus paruis ante interfectis, ſe cum iis in ignem medium inieciſſe. Aſdrubalem autem paulo poſt ſibi necem conſciuiſſe a multis traditum eſt. Vrbem interea per decem ac ſeptem dies ipſos arſiſſe ſcribit Oroſius. His rebus geſtis, Scipio nauem ſpoliis ornatam Romam nunciatum victoriam miſit; itemque in Siciliam alias, quæ Siculis ſignificarent, vt iam tãdem quæcumque ſibi ſuperioribus bellis Carthaginienſes eripuiſſent, recuperatum venirent. Poſt hæc, ſacrificia ludoſque fecit; ac fugitiuos omnes, quos capere potuit, beſtiis dilaniandos obiecit. inde prædam omnem militibus præter aurum, argẽtumque, & inſignes ſtatuas, diſpartiuit. Interim Romæ gaudium ingens ortum hac Scipionis victoria cognita: ſupplicationes, ſacrificia diis immortalibus facta ſunt: ludi & certamina edita. Decem legati ex more in Africam miſſi, qui cum Scipione Africam prouinciam conſtituerent. His mandatum eſt, vt ſiquid ſupereſſet vrbis, diſturbarẽt: quæ ciuitates Pœnorum rebus ſtuduiſſent, earum oppida diruerent; quæ pro Romanis ſtetiſſent, præmiis agriſq; donarent. Quibus rebus perfectis, Scipio tranſportato Romam exercitu, cum de rebus a ſe geſtis diſſeruiſſet, permiſſu ſenatus de Carthagine & Aſdrubale triumphum egit, auro, ſtatuis, omnibuſque monumentorum generibus ornatiſſimum. argenti quater millia quadringenta, & ſeptuaginta millia põdo præ ſe eum tuliſſe ſcribit Plin. lib. XXXIII. cap. XI. Ita Carthagine Africaque in poteſtatem redacta, Africani cognomen ſibi, vt auus etiam eius fecerat, vindicauit. Triumphũ autem hunc hoc anno actũ ſignificat Plin. lib. XXXV, cum ſcribit; L. Mancinum, quo tempore Scipio de Carthagine triumphauit, pictam Carthaginem, & prœlia facta, in foro propoſuiſſe; eaque comitate proximis comitiis conſulem creatum eſſe. Haud ſecus Macrobius in Somnium lib. II, tradit Scipionem deleta Carthagine triumphaſſe anno ab vrbe condita DCVII. Eademque ratione in Epitoma L. poſt L. Mummij conſulis mentionem ſcriptum eſt, P. Scipionem de Carthagine & Aſdrubale triumphaſſe. Hac victoria Africæ tributũ impoſitum, & vt quotãnis eo prætor mitteretur decretum, tradit Appianus. Velleius etiam, & Strabo lib. vltimo, Carthaginienſium regionem tum in prouinciæ formam redactam tradunt. Rufus deletam a Scipione Carthaginem prouinciam factam ſcribit. Itaque Saluſtius bello Iugurthino ait; Pleraque ex Punicis oppida, & fines Carthaginienſium, quos nouiſſime habuerant, populus R. per magiſtratus adminiſtrabat. Hæc ex his; reliqua fere omnia ex Appiano, Oroſio, Floro, Eutropio, Epitomis, aliis.

De bello Viriathino.

IISDEM conſulibus Viriathum in Luſitania mouiſſe tradit Oroſius. quod idem ex Epitoma LII colligitur; in qua triumpho P. Africani, & victoriæ L. Mummij, hæc verba ſubiiciuntur; Viriathus primum in Hiſpania ex paſtore venator, & ex venatore latro; mox iuſti quoque exercitus dux factus, vniuerſam Luſitaniam occupauit; & Vetilium prætorem, fuſo eius exercitu, cepit. Poſt quem C. Plautius prætor nihilo ſecius rem geſſit; tantumque terrorem is hoſtis intulit, vt aduerſus eum conſulari opus eſſet & duce & exercitu. Hoc idem in Appiani hiſtoria eſt; in qua ille bella Romanorum in Hiſpania geſta eſt diligentiſſime perſequutus. Luſitani, inquit, qui e Galbæ & Luculli manibus euaſerant, cum haud ita multo poſt in vnum coacti, Turdetaniam incurſarent, a M. Vetilio prætore, qui aduerſus eos Roma profectus erat, amiſſis aliquot, caſtello quodam plerique incluſi ſunt. Eos, & loci & commeatus anguſtiis oppreſſos metus inceſſerat ne iterum in manus Romanorum peruenirẽt. Itaque legatis ad prætorem miſſis, agri partem, quam incolerent, petierant; ceteris in rebus affirmãtes ſe Romanis dicto audientes futuros, reſque ipſa ſine dubio conueniſſet, niſi Viriathus, qui vnus ex iis erat qui e Galbæ manibus effugerant, commemorata Romanorum perfidia, ad bellum eos a pacis conſiliis auocaſſet; profeſſus ſi ſe ſequerentur, inde ſe incolumes educturos. Tum ille, cum orationi ſuæ omnes aſſenſi, ſe & ducem & imperatorem appellaſſent, ne fugam quidem ſibi tutam arbitratus, milites diſperſos abire iuſſit, admonitos quem in locum vellet conuenire; atque ita copias Romanorũ, & loci iniquitatem, ſparſo exercitu, deinde recollecto, euaſit. quæ res tantam ei apud barbaros auctoritatem peperit, vt ad eum vndique copiæ conuenirent. Vetilius hoſtes palantes, ac tramitum peritos propere inſequutus, tantum abfuit vt aſſequeretur,

vt dum incautius se in eos inferret, in insidias se præcipitauerit. Etenim Viriathus cedere se Romanis equitibus simulans, vsque ad locum voraginosum & præaltum eos perduxit. & cum ipse per solitos ac notos sibi transitus euaderet, Romanos ignaros locorum, immersosque limo, a tergo iis qui in insidiis erant, adoriẽtibus, cecidit. quo in prœlio Vetilius ipse captus, occisus est. ex decem millibus vix sex millia Carpessum oppidum peruenerũt. quos cum quæstor eius, ac quinque præterea millia, quæ Belli Tithique socij miserant, assumpsisset, cum Viriatho congredi ausus, omnes amisit. Ea victoria Viriathus elatus, cum se quæstor oppidi mœnibus teneret, Carpetanorum agros opimos ac fertiles prædatus est. C. autem Plautium, Roma cum exercitu aduersus se missum, simulata fuga, ac conuerso inde agmine insequentem, cum magna eorum clade primum fudit: post autem traiecto Tago se in Aphrodisio monte castra habentem, quod priorem acceptam cladem meliore pugna emendare cuperet, assequutum, collatis signis victum, atque in oppidum compulsum, nunquam adducere potuit, vt in aciem descenderet. Quibus rebus Romæ nuntiatis, Q. Fabium Maximum Æmilianum, Paulli filium. in Hispaniam miserunt. Hæc Appianus. Orosius autem ita; Viriatho Iberum & Tagum maxima, & diuersorum locorum flumina late transgredienti & peruaganti, C. Vetilius prætor occurrit. continuo cæso vsque ad internecionem pene omni exercitu suo, vix ipse prætor cum paucis fuga lapsus euasit. Deinde C. Plautium prætorem idem Viriathus prœliis multis fractũ fugauit. Post etiam Claudius Vnimanus cum magno apparatu belli cõtra Viriathum missus, quasi pro abolenda superiore macula, turpiorem auxit infamiam. nam cõgressus cum Viriatho, vniuersas quas secum deduxerat copias, maximasque vires Romani exercitus amisit. Viriathus trabeas, fasces, ceteraq; insignia Romana, in montibus suis trophea præfixit. Eodem tempore CCC Lusitani cum mille Romanis in quodam saltu cõtraxere pugnam: in qua LXX Lusitanos, Romanos autem CCCXX cecidisse Claudius refert. & cum victores Lusitani sparsi ac securi abirent, vnus ex iis longe a ceteris segregatus, cum circumfusis equitibus pedes ipse deprehensus, vnius eorum equo lancea perfosso, ipsius equitis ad vnum gladij ictum caput desecuisset, ita omnes metu perculit, vt prospectantibus cunctis ipse contemptim atque otiosus abiret. Et Florus; Viriathus non contentus suorum libertatem defendere, per XIIII annos omnia citra vltraque Iberum & Tagum igni ferroque populatus, castra etiam prætorum & præsidium aggressus, cum Claudium Vnimanum pene ad internecionem exercitus cecidisset, insignia trabeis & fascibus nostris, quæ ceperat, in montibus suis trophæa fixisset, tandem eum Fabius Maximus consul oppresserat. In libro autem de viris illustribus scriptum est, Claudium Vnimanum, deinde C. Nigidium a Viriatho esse oppressos. Quinetiam Cicero in Lælio, C. ipsum Lælium in prætura, Fabio & Hostilio consulibus, egregie cum Viriatho ait pugnasse. Quæ si vere omnia scripta sunt, profecto apparet ante Lælium a quatuor prætoribus rem gestam esse, Vetilio, Plautio, Claudio, & Nigidio. quibus singulis si annos singulos tribuamus, relinquitur Viriathinum bellum non hoc anno, sed triennio ante initum. neq; enim eodem anno omnes prætores pugnarunt, cum eorum quisq; ad prioris cladem quasi corrigendã accurrerit.

DE COS. AN. DCVIII.

CONSVLES deinceps edit Cassiodorus Q. Fabium Maximum cum L. Hostilio: Q. Maximum Scipionis fratrem, L. Mancinum, Cicero in Lælio: Maximum & Mãcinum fasti Siculi; AEMILIANVM, & L. HOSTILIVM A. F. L. N. MANCINVM fragmẽta Capitolina. Q. hic Fabius, Paulli Æmilij filius fuit, adoptatus a Q. Fabio Maximo Verrucosi filio. auctor Appianus in Hispaniensi. neque enim Plinium laudare possum, qui libro XXXI, cap. XI, fratrem Scipionis Q. Fabium Allobrogicum vocat; qui fuit huius Fabij filius. Vt L. Mancinus consulatum adeptus sit, supra exposui. Idem autem videtur filius esse A. Hostilij L. F. consulis anno DLXXXIII. Consuli Fabio Viriathus euenit.

De triumpho L. Mummij pro cos. de Achæis.

TRIVMPHASSE L. Mummium de Achæis victis ac domitis, multos habeo auctores. eius enim triũphi meminit Cic. pro Murena, cũ ait; Derideatur de rege Pyrrho

triumphus M. Curij, de Philippo T. Flaminini, de Ætolis M. Fuluij, de rege Perse L. Paulli, de Pseudophilippo Q. Metelli, de Corinthiis L. Mummij. Item Virgilius; *Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho, Victor aget currum cæsis insignis Achiuis.* & Epitoma LIII; L. Mummius de Achæis triumphauit; signa ærea marmoreaque, & tabulas pictas in triũpho tulit. Et Eutropius; Tres igitur Romæ simul celeberrimi triumphi fuerunt; Africani ex Africa, Metelli ex Macedonia, Mummij ex Corintho. Et Appianus; qui in Libyca scribit, primum de Græcis triumphum a Mummio actum, tum cum tertius ex Macedonia actus est. Quoniam autem rei magnitudo non patitur Mummium eundem in consulatu hostes deuicisse, prouinciam ex decem legatorum sententia constituisse, exercitum deportasse, ac triumphasse; propterea eum hoc post consulatum anno triumphum egisse scripsi.

De re gesta cum Viriatho.

Hoc anno C. Lælium prætorem cum Viriatho rem gessisse constat. id enim scribit non contemnendus Romanæ auctor historiæ Cic. lib. II de Officiis. Viriathum, inquit, Lusitanum, cui exercitus nostri imperatoresque cesserunt, C. Lælius, is qui *Sapiens* vsurpatur, prætor fregit & comminuit; ferocitatemque eius ita repressit, vt facile bellum reliquis traderet. Et in Bruto; C. Lælium in bellica laude egregium Viriathino bello scimus fuisse. Et iterum in Lælio, ipse Lælius ita loquitur; Q. Maximo fratre Scipionis, & L. Mancino cos. quam popularis lex de sacerdotiis C. Licinij Crassi videbatur? atque id actum est prætore me, quinquennio ante quam cõsul sim factus. Eodem etiam anno Q. Fabium Æmilianum cõsulem, cuius meminit post Plautium prætorem Appianus, venisse iu Hispaniam censeo. quem intellexit scriptor Epitomę LII, cum dixit, opus fuisse consulari & duce & exercitu. Hic exercitum ex tyronibus collectum in Hispaniam adduxit. at leuibus tantum prœliis priore anno hostem lacessiuit; summum pugnæ discrimen, antequam milites exercuisset, detrectauit, atque ita summa prudẽtia æstatem exercendis militibus patris Paulli exemplo traduxit. Ita Appianus. vt vere scripsisse Velleius videatur, Fabium Æmilianum Paulli exemplo seueritate disciplinæ in Hispania floruisse.

DE COS. AN. DCIX.

Consvles hic annus habuit Ser. Galbam, L. Aurelium, auctore Cassiodoro: quos Ser. Sulpicium Galbam, & L. Aurelium Cottam vocat Valerius lib. VI: Galbam & Cottam fasti Siculi: GALBAM & L. VALERIVM COTTAM, fragmenta Capitolina. Hic est Sulpicius Galba, qui prætor (auctore Suetonio) Viriathinum ante bellum excitauit; orator vehemens, cuius sæpe meminit Cicero. L. autem Cotta ille est, quem postea ab Africano accusatum Q. Metellus Macedonicus defendit. Cicero in Bruto, pro Muræna, in Verrem; Pædianus, alij. Ser. Sulpicio Galba, & L. Aurelio Cotta consulibus, inquit Frontinus, cum Appiæ aquæ Aniensisque ductus vetustate quassari, priuatorum etiam fraudibus interciperentur, datum est a senatu negotium M. Titio, qui tum prætor inter ciues & peregrinos ius dicebat, eorum ductuum reficiendorum & vindicandorum.

De re gesta cum Viriatho.

Consvlvm neuter hoc anno in Hispaniam missus est. Hoc docet Valerius lib. VI, his verbis P. Scipio Æmilianus, cum Ser. Sulpicius Galba, L. Aurelius consules in senatu contenderent, vter aduersus Viriathum in Hispaniam mitteretur, ac magna inter patres conscriptos dissensio esset, omnibus, quonam eius sentẽtia inclinaretur, exspectantibus; Neutrum, inquit, mihi mitti placet. alter nihil habet; alteri nihil est satis. quo dicto, vt neuter in prouinciam mitteretur, obtinuit. Q. autem Fabius, quod apud Appianum exstat, prorogato vltra consulatum imperio, doctum exercitum ex hibernis eduxit, ac Viriathum ipse secundus fregit; duobusque ei oppidis ademptis, cum magna exercitus eius clade, munitum quẽdam illũ in locum persequutus, Cordubam inde in hiberna recessit. Placet autem hoc loco, vt gratiam ineam ab iis qui Romanæ antiquitati student, testamentum cuiusdam militis apponere, in quo & belli

belli Viriathini, atque horum consulum mentio fit. quod in agro Lusitano dicitur esse effossum.

EGO GALLVS FAVONIVS IOCVNDVS L. F. QVI BELLO CONT. VIRIATHVM OCCVB. IOCVNDVM ET PVDENTEM FILIOS EX TEST. HER. RELINQVO. ET BONORVM IOCVNDI PATR. MEI, ET EOR. QVAE MIHI ADQVISIVI: HAC TAMEN CONDITIONE, VT AB VRBE ROMA HVC VENIANT, ET OSSA MEA INTRA QVINQVENNIVM EXPORTENT E LVSITANIA, ET VIA LATINA CONDANT SEPVLCHRO MARM. COND. MEA VOLVNTATE. SI SECVS FEC. NISI LEGITIMAE ORIANTVR CAVSSAE, VELIM EA OMNIA QVAE FILIIS RELINQVO, PRO TEMPLO DEI SILVANI REPARANDO, QVOD SVB VIMINALI IN VRBE MONTE EST, ADTRIBVI; MANESQVE MEI OPEM PONT. MAX. ET FLAMINVM DIAL. QVI IN CAPITOLIO SVNT, IMPLORENT AD IMPIET. CONTRA FILIOS MEOS VLCISCENDAM; TENEANTVRQVE SACERDOTES DEI SILVANI ME IN VRBEM REFERRE, ET SEPVLCHRO ME CONDERE. VOLO QVOQVE QVOTQVOT DOMI MEAE VERNAE SVNT, LIBEROS A PRAETORE CVM MATRIBVS DIMITTI, SINGVL. QVE LIBRAM ARG. ET VESTEM DARI. ACTVM VI K. QVINCTILES. = R. GALBA. L. AVRELIO COS.

DECVRR. TRASCVNDANDI HOC TESTAM. ORE EIVSDEM GALLI EMISSVM LAPIDE IVSSERE ADSCVLPI.

DE COS. AN. DCX.

AP. CLAVDIVM, Q. Metellum, nominat in hunc annum consules Cassiodorus: Ap. Claudium, Q. Cæcilium Metellum Orosius: Claudium & Metellum fasti Siculi: PVLCHRVM, & Q. CAECILIVM MACEDONICVM fragmenta Capitolina. Eorundem consulum his verbis meminit Frontinus; Eodem tempore decemuiri, dum aliis ex caussis libros Sibyllinos inspiciunt, inuenisse dicuntur, non esse aquam Marciam, sed Anienem in Capitolium perducendam; deque ea re in senatu a Lepido pro collegio verba faciente actum, Ap. Claudio, Q. Cæcilio cos. Q. porro Metellum non sine repulsa consulem factum indicat Valerius, cum ait lib. VII; Q. Metellum pauci & mœsti consulatus repulsa afflictum domum reduxerunt. Et scriptor libri de viris illustribus; Q. Metellus, inuisus plebi ob nimiam seueritatem; & ideo tertio post duas repulsas consul ægre factus. Hic est qui in prætura Macedonas atque Achæos fregit, vnde Macedonicus dictus fuit; quem L. F. Q. N. esse docet Plinius lib. VII. Claudio Gallia, Metello Hispania obtigit. His consulibus (vt opinor) P. Scipio Africanus a senatu legatus in Ægyptum, Syriam, Asiam, Græciamque, ad regum, ciuitatum, & gentium animos perspiciendos, cum L. Metello & Sp. Mummio missus est. quam legationē ante censuram Panætio præceptore comite Africanum obiisse, scribit Cicero in Lucullo, & libro de rep. VI. neque enim Valerium audiendum existimo, qui post duos triumphos hoc ei obtigisse tradidit libro IIII. cuius legationis, vt alios mittam, Plutarchus, Iustinus, Athenæus, & Strabo meminerunt.

De triumpho Ap. Claudij cos. de Salassis.

SALASSOS Gallos his consulibus mouisse, satis constat. cur autem mouerint, parum comperta caussa est. Strabo scribit lib. IIII, prætoribus R. qui in Galliam mitterentur, caussas belli cum Salassis gerendi ob aurifodinarum possessionem nunquam defuisse. Illud autē inuenio hoc anno scriptum apud Obsequentem; cum a Salassis illata clades esset Romanis, decemuiros pronuntiasse, se inuenisse in libris Sibyllinis, quoties bellum Gallis illaturi essent, sacrificari in eorum finibus oportere. Itaque eosdem etiam Salassos gentem Alpinam ab Ap. Claudio consule domitos, traditum est in Epitoma LIII. quam rem his verbis prodidit Orosius; Ap. Claudius aduersus Salassos Gallos conuersus, & victus, decem millia peditum amisit: reparata pugna quinque millia hostium cecidit. triumphum propter damna superiora, cum non

impetraſſet,infami impudentia atque ambitione vſus,priuatis ſumptibus triumphauit. Recte.triumphãti enim pecunia ex ærario erogabatur; vt Liuius in triumpho Minuciano tradit.Hunc eundem Claudium intelligi a Valerio arbitror lib. VI, cum ait; Claudia virgo Veſtalis, cum patrem ſuum triumphantem e curru violenta tribuni pl. manu detrahi animaduertiſſet,mira celeritate vtrique ſe interponendo, ampliſſimam poteſtatem inimicitiis accenſam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium,alterum filia in ædem Veſtæ duxit.Et a Suetonio in Tiberio;Etiam virgo Veſtalis Claudia fratrem iniuſſu populi triumphantem aſcenſo ſimul curru vſq; in Capitolium proſequuta eſt,ne vetare aut interdicere fas cuiquam tribunorum eſſet.Et a Cicerone in Cœliana;Non virgo illa Veſtalis Claudia,quæ patrem complexa triumphantem,ab inimico tribuno pl.de curru detrahi paſſa non eſt. Et a Macrobio lib. IIII; Ap.Claudius vir triumphalis,vſque ad ſenectutem ſalius fuit. Hic autẽ eſt ſextus triumphus ex iis quos a Claudiis patriciis actos ſcripſit Suetonius.

De re geſta cum Viriatho, & cum Celtiberis.

EODEM anno in Luſitania(quantum ex mendoſa Appiani hiſtoria coniici in tãta rerum vetuſtate poteſt)Quinctio quodam prætore,res cum Viriatho geſta eſt. Viriathus primum ab eo pulſus,in Aphrodiſium ſe recepit:deinde eruptione in Quinctium facta,multis ex eius militibus occiſis,ſigna ei etiam aliquot ademit: eoque intra vallum compulſo,ac præſidio Romanorum Vtica depulſo, agros Baſtetanorum effuſe populatus eſt,Quinctio ipſo metu atq; inſcitia Cordubæ ſe ſtatiuis medio autumno tenente. Idem Viriathus,cum priore anno a Q.Fabio victus,rebus ſuis diffidere cœpiſſet,bellum in Celtiberia,in qua poſt res a Lucullo geſtas ſummum otium fuerat, Areuaccis,Tithis,ac Bellis ad arma ſollicitatis,excitauit. Ea cauſſa fecit,vt Celtiberia prouincia Q.Metello conſuli ſit decreta: cuius res geſtæ apud Appianum interciderunt. illud tantum exſtat, Vaccæos ſumma celeritate ab eo ſubactos eſſe. Scriptor etiam libri de viris illuſtribus, Arbachos ab eo conſule domitos prodidit. Sed quoniam ille rem etiam pro conſule geſſit, quæ ab eo in Celtiberia geſta inuenerimus,in ſequentem annum reiicimus.

DE COS. AN. DCXI.

CONSVLES Caſſiodorus ſuggerit L. Metellum, Q. Maximum;faſti Siculi Metellum & Maximum: Oroſius L. Cæcilium Metellum, Q. Fabium Maximum Seruilianum: fragmenta item Capitolina CALVVM & SERVILIANVM. Hic Seruilianus frater eſt germanus Q. Seruilij Cæpionis biennio poſt cõſulis,auctore Appiano; adoptiuus Q. Fabij Æmiliani.ambo enim a Q. Fabio Maximo Verrucoſi filio adoptati fuerunt; alter ex gente Æmilia,alter ex Seruilia.L.Metellus,frater eſt Q. Metelli Macedonici, vt tradit Valerius de teſtibus. Fabio Viriathus euenit.

De cenſoribus & Luſtro LVII.

EODEM anno P. Africanus Æmilianus,deiecto Ap.Claudio Pulchro competitore,cenſor cum L. Mummio Achaico factus eſt. Inſignis hæc maxime cenſura eſt; quippe Græcorum Latinorumque annalium monumentis plurimis ad poſteritatis memoriam commendata. Scipionem tradit Gellius orationem pro roſtris cenſorem dixiſſe,qua populum hortatus eſt ad mores maiorum ſuorum imitandos. Eundem etiam multos ignominia notaſſe conſtat. nam iuueni cuidam equum (auctore Plutarcho) ademit; quia cum opipare hilarem in modum epularetur eo tempore quo Carthago oppugnabatur,libũ,vrbis Carthaginis inſtar,ſodalib⁹ diripiendũ dediſſet. cuius notæ cauſſam cum quæreret adoleſcens,Quia me,inquit Scipio,in expugnanda Carthagine anteuertiſti. An hic autem Claudius Aſellus fuerit,parum compertũ habeo.Illud certe tradit Cicero lib. II de oratore; Claudio Aſello equum a Scipione fuiſſe ademptũ: eundemque in ærarios a Scipione fuiſſe relatum; ſed a L.Mummio ſtatim ex ærariis eſſe exemptum. Idem tribu aliũ mouit, qui cum eſſet patris Paulli in Macedonia centurio,in prœlio non affuerat.cum autem ille ſe cuſtodiæ cauſſa in caſtris remanſiſſe diceret,quæreretq; a Scipione,cur notaretur,Quia nõ amo,inquit, nimium

nimium diligentes. Iam vero, cum in equitum censu recognoscendo C. Licinius Sacerdos citatus prodiisset, clara voce, ita vt omnis concio audiret, dixit, se scire illum verbis conceptis peierasse. itaque si quis contra dicere vellet, vsurum esse eum testimonio suo. nemine contra dicente, Traduc equum, inquir, Sacerdos; ne ego in te videar accusatoris simul, ac testis, & censoris, ac iudicis partes egisse. Cum autem M. Fuluius censor pilas pontis ante in Tiberim locasset, Scipio & Mummius censores iis pilis fornices imponendos curarunt. Lustrum ab vtro cōditum sit, incertum diuersi auctores faciunt. Valerius lib. IIII, a Scipione conditum significat, his verbis; Africanus posterior, cum censor lustrum conderet, & in solito sacrificio scriba ex publicis tabulis solenni eius precationis carmine præiret, quo dij immortales, vt populi R. res meliores amplioresq; facerent, rogabantur, Satis, inquit, bonæ ac magnæ sunt. itaque precor, vt eas perpetuo incolumes seruent. ac protinus in publicis tabulis in hunc modum emendari iussit. qua votorum verecundia deinceps censores in condendis lustris vsi sunt. At Cicero a L. Mummio conditum notat his verbis, in secūdo de oratore; Asello Africanus obiicienti lustrum illud infelix, Noli, inquit, mirari. is enim qui te ex ærariis exemit, lustrum condidit, & taurum immolauit. Qua de re sic etiam Lucilius apud Gellium lib. IIII; *Scipiadæ magno improbus obiiciebat Asellus, Lustrum illo censore malum infelixque fuisse.* Hoc lustrum LVII a Mummio conditum; censa ciuium capita CCCCXXVIII millia CCCXLII, facile ex fragmento Capitolinæ huius censuræ, & Epitoma LIIII cognosci potest. Fuisse autem summam inter hos censores discordiam, id esse potest argumento, & quod Scipio in dedicatione ædis Herculis cum epulum splendide ac magnifice apparauisset, amicos inuitauit omnes præter Mummium; & quod Mummij segnitiem notans, pro rostris dixit, se ex maiestate reip. omnia fuisse gesturum, si Quirites sibi collegam vel dedissent, vel nō dedissent. Hæc ex Plutarcho fere collecta sunt in Politicis, in Apophthegmatis, & in Paullo; Valerij lib. VI, & IIII; Gellij lib. II, IV, V & VII; Cicerone in Bruto, in II de oratore, & pro Cluentio. Gellius etiam lib. XVI omnes Africani honores paucis cōplexus est, ita; P. Scipio Paulli F. & bis consul fuit, & triumphauit, & censura functus est, & collega in censura L. Mummij fuit. qui tituli vetere etiam epigrammate, quod Romæ esse dicitur, continentur, ita:

P. CORNELIVS PAVLLI F. SCIPIO
AEMILIANVS COS. II. CENSOR
AVGVR TRIVMPHAVIT.

De re gesta cum Pseudoperse, Viriatho & Celtiberis.

Hoc anno in Macedonia, quæ a Metello prætore ante pacata fuerat, nouum bellum coortum est, Pseudoperseo quodam, siue Pseudophilippo altero auctore. quo de bello sic scriptum inuenio apud Eutropium; Iterum in Macedonia Pseudoperseus, qui se Persei filium esse ferebat, collectis seruis rebellauit; &, cum XVII millia armatorum haberet, a Trebellio quæstore superatus est. His diebus androgynus Romæ visus, iussu aruspicum in mare mersus est. Hæc ille. Androgynum autem his cōsulibus visum, tradit Obsequens. In Epitoma etiam LIII, sub Ap. Claudij consulis mentionē ita est; Alter Pseudophilippus in Macedonia a L. Trebellio quæstore cum exercitu cæsus est. Quam victoriam nescio an quisquā aut plenius aut elegantius litteris mandare potuerit, quam M. Varro lib. II de re rustica prodidit; apud quem Cn. Trebellius Scrofa ita loquitur: Ignorare mihi videris, cur appeller *Scrofa*. itaque vt etiam hi propter te sciant, cognosce meam gentem suillum cognomen non habere, neque me esse ab atauis eius cognominis ortum. auus meus primum appellatus est Scrofa; qui quæstor cum esset, Licinio Nerua prætore, in Macedonia prouincia relictus, qui præesset exercitui, dum prætor rediret, hostes arbitrati occasionem se habere victoriæ, impressionem facere cœperunt in castra. auus cum hortaretur milites vt caperent arma, ac exirent contra, dixit, celeriter se illos, vt scrofa porcos, disiecturum; idque fecit. nam eo prœlio hostes ita fudit ac fugauit, vt eò Nerua prætor *Imperator* appellatus sit, & auus cognomen inuenerit vt diceretur *Scrofa*. Hæc inueni hoc anno in Macedonia gesta. In Hispania autem Q. Fabius Seruilianus; quod apud Appianū exstat, Fabij

Æmiliani frater, consul in locum Quinctij aduersus Viriathum missus, cum iter Vticam intendisset, Viriathum in itinere, a quo prœlio lacessebatur, fortissime repulit. post elephantis decem a Micipsa rege Numidarum acceptis, ac castris loco idoneo communitis, eundem sæpe fugauit, fugatumque insequutus est; semel ab eo cum exercitu intra castra compulsus. Inde cum per Viriathum quiescere non posset, castris Vticam versus motis, cum eundem inopia commeatus adactū, in Lusitaniam se per noctem referre comperisset, haud cunctādum ratus quin eum persequeretur, vastatis amicorum illius agris, quamquam amissa in itinere præda, a latronibus, in quos forte inciderat, erepta, in Lusitaniam duxit: atque oppidis eius multis in potestatem adductis, aliis pepercit, alia incendit; atque in hiberna, cum iam annus imperij eius alter appeteret, exercitum reduxit. Hæc Appianus. Itaque hac (vt opinor) de caussa Obsequens his consulibus dubie cum Lusitanis dimicatum scribit. At vero Q. Metellus in Celtiberia prorogato in alterum annum imperio, res maximas gessit, atq; eorum populorum opes valde attriuit. Id quod ex Epitoma LIII colligi potest; in qua ita scriptū est; Q. Metellus pro cos. Celtiberos cæcidit. Et apud Valeriū capite de stratagematis; Q. Metellus, cum proconsul bellum in Hispania aduersus Celtiberos gereret, vrbemque Trebiam, caput eius gentis, viribus expugnare non posset, intra pectus suum multum ac diu consiliis agitatis, viam reperit qua propositum ad exitum perduceret. itinera magno impetu ingrediebatur; deinde alias atque alias regiones petebat: hos obsidebat montes; paulo post ad illos transgrediebatur; cum interim tam suis omnibus, quam ipsis hostibus ignota erat caussa inopinatæ eius ac subitæ fluctuationis. Interrogatus quoque a quodam amicissimo sibi, quid ita sparsum & incertum militiæ genus sequeretur, Absiste, inquit, istud quærere. nam si huius consilij mei interiorem tunicam consciam esse sensero, continuo eam cremari iubebo. quorsum igitur ea dissimulatio erupit? aut quem finem habuit? postquam vero & exercitum suum ignorantia, & totam Celtiberiam errore implicauit, cum alio cursum direxisset, subito ad Trebiam reflexit; eamque inopinatam & attonitam oppressit. Et de disciplina militari; Q. Metellus cum apud Trebiam res gereretur, collocatas a se in statione quinque cohortes, atque ex ea viribus hostium depulsas, repetere eandem stationem e vestigio iussit; non quod speraret ab iis amissum locum recuperari posse, sed vt præteritæ culpam pugnæ insequentis certaminis manifesto periculo puniret. Edixit etiam, vt si quis ex iis fugiens castra petisset, pro hoste interficeretur, qua seueritate compressi milites, corporibus fatigatis, & animis desperatione vitæ implicatis, loci tamen iniquitatem, multitudinemque hostium superarunt. Et Velleius; Metellus cum vrbem Contrebiam in Hispania oppugnaret, pulsas præcipiti loco quinque cohortes legionarias eodem protinus subire iussit; facientibusque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, nō deterritus proposito, perseuerantia ducis, quem moriturum miserat militem, victorem recepit. Vnde etiam Florus; Contrebiam Metellus memorabili cum cepisset exemplo, Versobrigis maiore gloria pepercit. Hoc idem scriptum est apud Frontinum, & in libro de viris illustribus. Triumphasse tamen Metellum, quamquam tantis rebus gestis, negat Valerius capite de ira, cum scribit; Metellus, cum vtramq; Hispaniam consul prius, dein de pro cos. pene iam subegisset, postquam cognouit Q. Pompeium consulem inimicum suum successorem sibi mitti, omnes, qui modo militiam voluerant finire, dimisit; commeatus petentibus, nec caussis excussis, nec constituto tempore, dedit; horrea custodibus remotis opportuna rapinæ præbuit; arcus sagittasque Cretensium frangi, atque in amnem abiici iussit; elephantis cibaria dari vetuit. quibus factis, vt cupiditati suæ indulsit, ita magnifice gestarum rerum gloriam corrupit; meritumque honorem triumphi, hostium quam iræ fortior victor, amisit. Velleius tamen excellēteis huius triumphos cum dicit, eum sæpius triumphasse significat.

DE COS. AN. DCXII.

Cn. Cæpionem, Q. Pompeiū deinceps consules profitetur Cassiodorus, eorumq; sic meminit Velleius lib. II; Seu duæ seu tres Pompeiorum familiæ fuerunt, primus e Pompeijs cum Cn. Seruilio consul fuit. Itemque Cicero lib. XII ad Atticum, Q. Pōpeium humili atque obscuro loco natum, testatur idem in Verrem; & in Bruto, cum

ait;

ait; Q. Pompeius non contemptus orator, qui summos honores homo per se cognitus sine vlla commendatione maiorum adeptus est. Et pro Murena; Nec mihi vnquã minus in Q. Pompeio, nouo homine, & fortissimo viro, virtutis esse visum est, quam in homine nobilissimo M. Æmilio. Eundem Valerius capite de testibus, Q. Pompeiũ Aufidium vocat; librariorum (vt opinor) vitio. pro, *Auli filium.* eademque ratione Appianus in Hispaniensi Κόϊντον Πομπήιον Αὖλον, pro, Αὔλου υἱόν. Idem Pompeius Scipione familiariter vtebatur. cumq; pollicitus ei esset, se pro C. Lælio, quem Scipio dilexit vnice, tumque consulatus candidatum deducebat, prensaturum, pro se prensauit. Plutarchus auctor in Dictis. Cn. & Q. Seruilios Cæpiones, fratres fuisse docet Cicero in Verrinis, & in Fonteiana; & Valerius capite de testibus. natos autẽ eos opinor ex Cn. Seruilio Cæpione consule an. DLXXXIIII. His (vt opinor) consulibus cum Macedonum legati conquestum venissent de D. Iunio Silano prætore, quod acceptis pecuniis prouinciam spoliasset, & senatus de querelis eorum vellet cognoscere, T. Mãlius Torquatus. Silani pater, petiit impetrauitque, vt sibi eiusmodi cognitio mandaretur; & domi caussa cognita, filium condemnauit, abdicauitque; ac ne funeri quidem eius, cum suspendio vitam finisset, interfuit; sedensque domi, potestatem consulentibus ex instituto fecit. Epitoma LIIII, Cicero de finibus, Valerius de seueritate parentum. Iisdem etiam consulibus in L. Tubulum quæsitũ ostendit idẽ Cicero de finibus, cum scribit; L. Tubulus, cum prætor quæstionem inter sicarios exercuisset, ita aperte cepit pecunias ob rem iudicandam, vt anno proximo P. Scæuola tribunus plebis ferret ad plebem, vellentne de ea re quæri. quo plebiscito quæstio decreta a senatu est consuli Cn. Cæpioni.

De re gesta cum Viriatho, & cum Numantinis.

ET hoc anno Q. Fabium Seruilianum pro consule cum Viriatho rem gessisse reperio. sic enim pergit Appianus, quem vnum in hoc bello digerendo (quantum ex mendosis eius libris intelligere potuimus) maxime sequuti sumus: Q. Fabius cum latronum principem quendam cepisset, ipsum dimisit; socios eius manus præcidit. Viriathum insequutus, oppido inclusum circumuallare cœpit. ex quo Viriathus eruptione facta, exercitum Seruiliani fugauit, atque in locum asperum ac præruptum, vnde nulla exeundi facultas erat, compulit. neque idcirco secunda fortuna elatus, cum honestam sibi finiendi belli occasionem datam intelligeret, pacem his cõditionibus petiit, vt ipse socius populi R. esset; quiq; sectam suam sequuti essent, quæ quisq; haberet, teneret, quæ a populo confirmata est. Hinc etiam in Epitoma LIII legimus ita; A Q. Fabio Maximo pro consule pars maxima Lusitaniæ, expugnatis aliquot vrbibus, recepta est. Item; Q. Fabius pro consule rebus in Hispania prospere gestis, labẽ imposuit, pace cum Viriatho æquis conditionibus facta. Orosius autem res eius gestas his verbis prodidit: Fabius consul, contra Lusitanos & Viriathum dimicans, Bacciam oppidum, quod Viriathus obsidebat, depulsis hostibus liberauit, & in deditionẽ cum plurimis aliis castellis recepit. quingentis etiam principibus eorum, quos societate inuitatos deditionis iure susceperat, manus præcîdit. Hinc factum est vt Valerius de disciplina militari ita scripserit; Q. Fabius Maximus in Hispania omnium qui ex præsidiis Romanis ad hostes transfugerant, captique erant, manus abscidit; vt trunca præ se brachia gestantes, metum defectionis reliquis iniicerent. Et Frontinus lib. IIII; Fabius Maximus transfugarum dextras præcîdit. Atque hoc quidem modo cum Viriatho in Lusitania dimicatum est. In Celtiberia vero, quamquam omnibus fere Celtiberis a Metello deletis, acrius quam vmquam ante pugnari cœpt[illegible]. Vni erant, quod est apud Appianum) Termestini ac Numantini, qui prope intacti arm[illegible] retinebant. Cum his ergo bellum illud susceptum, quod postea *Numantinũ* est appellatum. cuius belli caussam sic expressit Florus: Numantini, inquit, Segidenses socios ac consanguineos suos, manibus Romanorum elapsos, exceperant. habita pro eis deprecatio nihil valuit. cum se ab omni bellorum contagione remouerent, in legitimi fœderis pretium iussi arma deponere. hoc sic a barbaris acceptum, quasi manus abscinderentur. itaq; statim Megara viro fortissimo duce ad arma conuersi, Pompeiũ prœlio aggressi, fœdus tamen maluerunt, cum debellare potuissent. Hoc tamẽ sequẽti anno

factum est. non enim nisi extrema hieme hoc anno Metellus Pompeio successori exercitum in Hispania tradidit, vt scribit Appianus.

DE COS. AN. DCXIII.

DEINCEPS consules factos inuenio Q. Cæpionem cum C. Lælio. auctor cum fastis Siculis Cassiodorus, & Obsequens. His consulibus L. Crassum oratorem natū scribit Cicero in Bruto. Frontinus etiam de aquæductibus, C. Lælio, Q. Seruilio cos. a L. Lentulo tractatum ait, vt pro aqua Marcia Anio in Capitolium deduceretur. C. Lælium non sine repulsa consulatum adeptum, auctor est Cicero in Tusculanis, & Plutarchus de rep. Idem Lælius (quod apud Ciceronem exstat in Philippica XI, & apud Velleium lib. II) C. Lælio natus est, eo qui consulatum gessit an. DLXIII. *Sapientis* cognomen tulit teste Cicerone lib. II de Officiis, atque in Lælio; cuius rationem affert Plutarchus in Gracchis. De Q. Cæpione supra dictum est. cuius nominis parua exstant in fragmentis Capitolinis vestigia.

De re gesta cum Viriatho, & cum Numantinis.

PVGNATVM est hoc anno in vtraq; Hispania a Romanis; sed turpiter. Viriathus enim dolo, non armis, sublatus est a Q. Cæpione consule, cui ea prouincia euenerat. Cum Numantinis pax a Q. Pompeio proconsule iniussu senatus ac populi propter infirmitatem facta. Dicamus primum de Viriatho. Q. Cæpio cum ad exercitum venisset, otij impatiens, pacem a Seruiliano fratre factam assidue improbare, ea de re quotidie litteras ad senatum mittere. senatus primum tacite Cæpioni quod e rep. fideque sua duceret, permittere; post eidem aperte, vt neglectis pacis cōditionibus bellum susciperet, mandare. Quo senatus consulto accepto, Cæpio repente Viriathum adortus, Arsam oppidum eius occupauit; ipsum cum magna, quacumque iter faciebat, agrorum direptione fugientem insequens, tandem in Carpetaniam, est adeptus. Cum autem ille inde simulata pugna, repente se abstulisset, Cæpio assequendi spe abiecta, Vectonum & Gallæcorum fines populabundus iniuit. Quare animaduersa, Viriathus legatos ad Cæpionem de pace misit. quos Cæpio pecunia corruptos, atque promissis ingentibus oneratos, ad occidēdum Viriathum impulit. quo haud ita multo post a proditoribus interfecto, exercitus etiam eius, qui duce Tantalo Saguntum profectus, atque inde repulsus Bætim traiecerat, in Cæpionis, qui a tergo instabat, potestatem peruenit; atque ab eo venia impetrata, agros etiam fertiles, quos coleret, ne inopia coactus ad latrocinia verteretur, obtinuit. Hæc Appianus. quid alij? Florus quidem ita; Viriathum Fabius Maximus consul oppresserat; sed a successore Seruilio violata victoria est: quippe qui conficiendæ rei cupidus, fractum ducem, & extrema deditionis agitantem, per fraudem & insidias & domesticos percussores aggressus, hanc hosti gloriam dedit, vt videretur aliter vinci non potuisse. Valerius vero sic; Viriathi cædes duplicem perfidiæ accusationem recepit; in amicis, quod eorum manibus interemptus est; in Q. Seruilio Cæpione consule, quod is sceleris huius auctor impunitate promissa fuit, victoriamque non meruit, sed emit. Itaque in Epitoma etiā LIIII sic scriptum est; Viriathus a proditoribus consilio Seruilij Cępionis interemptus est. Et in libro de viris illustribus; Cæpio Viriathū cum aliter vincere non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui eum humi depositum perimerent. quæ victoria, quia empta erat, a senatu non probata. Hæc in vlteriore Hispania gesta, & hoc anno a Cæpione consule, & sequenti ab eodem proconsule, arbitror. Viriathum tamen his consulibus [illegible]ictum scribit Obsequens. In citeriore vero, Q. Pompeius consul, cum extrema hieme exercitum a Q. Metello accepisset, castra ad Numantiam posuerat. Tum Numantini, cum eum forte abesse castris animaduertissent, e colle subito degressi, in equites Pompeianos impetum facere; Pompeius, re nuntiata ad exercitum reuersus, hostibus acriter instare; illi leniter ad montes recedere, dum Romanos ad locum impeditum, quem constituerant, attraxerunt. Quamobrem cum ad Numantiā nihil se proficere Pompeius sentiret, Termantiam, cuius potiundæ spes certior affulserat, exercitū adduxit. ibi etiam cum sæpe male pugnasset, Malia oppido per proditionem recepto, in Sedetaniā, quā latrociniis infestam esse cognouerat, castra mouit.

Post

Post cum se ad Numantiam retulisset, ne tum quidem, cum flumen alio deriuare, vt hostes fame opprimeret, esset aggressus, rem ex sententia gessit. Tot igitur aduersis prœliis fractus, cum Roma & senatores aliquot, qui consilio; & nouus exercitus, qui manu eum iuuaret, accessissent, etiam per hiemem exercitum, rei gerendæ, & cladiũ corrigendarum caussa, si qua pugnæ daretur occasio, sub dio habebat. Postremo autem cum morbus, quem & aquæ & aeris grauitas vulgauerat, grauissime totum exercitum afflictaret, & milites aliquot, ad ea paranda quæ victui sunt necessaria, egressi, in insidias Numantinorum præcipitati, omnes fere deleti essent, exercitum in hiberna re infecta reducere coactus est. Tum vero, vel quod successorem exspectaret, vel quod Romæ iudicium formidaret, clam de pacis conditionibus cum Numãtinis agere cœpit: quas ne illi quidem diuturno bello fessi, sunt aspernati. Itaque legatis eorum, cum ad se de pace venissent, palam pro dignitate imperij Romani respondit, pacem iis nulla alia ratione, nisi Romanorum se potestati permitterent, dare posse. clam vero certas, in quas conuenerant, pacis conditiones tulit. quibus acceptis, illi se statim Pompeij arbitrio in speciem dediderunt. Pompeius, obsidibus & transfugis, & XV auri talentis, hæc enim imperauerat, excitis, successorem, dum accederet, exspectauit. Hæc pluribus verbis Appianus. In eandem sentẽtiam loquitur etiam Orosius: Pompeius cõsul, inquit, fines Numantinorum ingressus, accepta maxima clade discessit, non solum exercitu pene omni profligato, verum etiam cum plurimis nobiliũ, qui eius militiæ aderant, interemptis. Et in Epitoma: Q. Pompeius consul in Hispania Termestinos subegit, cum eisdem, & Numantinis, pacem ob infirmitatem fecit. Et apud Eutropium; Q. Pompeius, qui Metello successit, a Numantinis victus, pacem ignobilem fecit. Sunt qui Pompeium morbum excusasse ferunt, ne, cum interesset deditioni, animos Numantinorum irritaret. Liuius libro LVI: ex Prisciani lib. XVIII.

DE COS. AN. DCXIIII.

CASSIODORVS in hunc annum prodit consules Cn. Pisonem cum M. Popillio: M. POPILLIVM, Capitolinum fragmentum: M. Popillium Lænatem Appianus & Epitoma: M. Popillium Lænatem, L. Calpurnium, Valerius libro primo, cum ait; C. Cornelius Hispalus, prætor peregrinus, M. Popillio Lænate, L. Calpurnio cos. edicto Chaldæos citra decimum diem abire ex vrbe atque Italia iussit.

De re gesta cum Numantinis.

VIRIATHO interfecto, atque vlteriore pacata Hispania, bellum tamen in Celtiberia non omnino sublatum erat. Etenim cum M. Popillius Lænas consul ad exercitum in Hispaniam contendisset, vt Q. Pompeio succederet, Pompeius omni iam belli metu vacuus, cum se indigne sine iussu senatus pacem cum Numantinis fecisse animaduerteret, negare se cum iis pactum quidquam esse; illi, testibus iis qui fœderi feriendo affuerant, cõfirmare. Popillius eos Romam ad senatum, vt cum Pompeio de fœdere disceptarent, reiecit. re in senatu agitata, placuit cum Numantinis bellum renouari. Interea vero Popillius Lusonum, qui Numantinis finitimi sunt, fines ingressus, inde re infecta discessit. Hæc Appianus. Q. Cæpio hoc forte anno Viriathini belli reliquias persequutus, prouinciam ordinauit. neque enim tot res ab eo in consulatu gestas esse videtur verisimile; præsertim vero cum ad exercitum consules, non nisi sero venire possent.

DE COS. AN. DCXV.

P. SCIPIONEM, D. Brutum consules in hunc annum inuenio apud Cassiodorum. Nasicam & Brutum edunt fasti Siculi. quorum, vt ex iis quæ dicam, patebit, plerique rerum Romanarum scriptores meminerunt. sic enim scriptum est in Epitoma: P. Cornelio Nasica (cui cognomen *Serapionis* fuit ab irridente C. Curatio tribuno pl. impositum) & D. Iunio Bruto cos. delectum habentibus in conspectu tyronum, res saluberrimi exempli facta est. Nam C. Matienus accusatus est apud tribunos pl. quod exercitum in Hispania deseruisset; damnatusque, sub furca diu virgis cæsus est, & sestertio nummo veniit. Tribuni pl. quia non impetrarent vt sibi denos quos vellent

milites eximere liceret, cõsules in carcerem duci iusserunt. Hinc Cicero etiam libro III de legibus scripsit; D. Brutum, & P. Scipionem consules, quos & quantos viros, homo omniũ infimus & sordidissimus, tribunus pl. C. Curatius in vincula coniecit; quod ante factum non erat. Valerius præterea, capite de fiducia sui, ita scriptum reliquit; C. Curatius tribunus pl. productos in concionem consules compellebat, vt de frumento emendo, atque ad id negotium explicandum mittendis legatis, in curia referrent. cuius instituti minime vtilis interpellandi gratia, Nasica contrariam actionẽ ordiri cœpit. obstrepente deinde plebe, Tacete, quæso Quirites, inquit. plus enim ego, quam vos quid reip. expediat, intelligo. Qua voce audita, omnes pleno venerationis silentio, maiorem auctoritatis eius, quam suorum alimentorum respectum habuerunt. Et Frontinus capite de disciplina; P. Cornelio Nasica, D. Iunio cos. qui exercitum deseruerant, damnati, virgis cæsi, publice venierunt. Hic Scipio, P. Scipionis Nasicæ filius fuit, eius qui Corculum est appellatus; P. Scipionis eius qui optimus vir a senatu iudicatus, matrem Idæam excepit, nepos; P. Scipionis eius qui Iugurthæ bellum intulit, pater; vt tradit Velleius: ante in ædilitate repulsam passus: post Ti. Gracchum occidit. Vnde miror Valerium in tantorum virorum ignoratione versatum esse, atque ita scripsisse capite de repulsis: P. Scipio Nasica, togatæ potentiæ clarum lumen, is qui consul Iugurthæ bellum indixit; qui matrem Idæam, e Phygiis sedibus ad nostras aras focosque migrantem, sanctissimis manibus excepit; qui multas & pestiferas seditiones auctoritatis suæ robore oppressit; quo principe senatus aliquot annos gloriatus est; cum ædilitatem curulem adolescens peteret, manumque cuiusdam rustico opere duratam, more candidatorum tenacius apprehendisset, ioci gratia interrogauit eum, num manibus solitus esset ambulare. quod dictum a circumstantibus exceptum, ad populum manauit, caussamque repulsæ Scipioni attulit. Vnde Cicero pro Plancio: Auus tuus P. Nasica tibi ædiliciam prædicaret repulsam; quo ciue neminem ego statuo in hac rep. fortiorem. De eodem Plinius lib. XXI; Florum honorẽ populus Ro. Scipioni tantum habuit. Serapio cognominabatur propter similitudinem suarij cuiusdam negotiatoris. ob id erat in tribunatu plebei admodum gratus, dignusq; Africanorum familia. D. Brutum M.F. vocat Cicero in Bruto. hunc postea *Callaicum* appellatum ostendemus. Eidem Hispania vlterior obtigit: Scipionis incomperta prouincia est.

De re gesta cum Lusitanis & Numantinis.

VIRIATHO interfecto, ne diuturnum quidẽ in Lusitania otium fuit. Nam cum multi Viriathum imitati, latrociniis Lusitaniam vexarent, placuit senatui eorum libidinem armis coercere. id bellum, atque ea prouincia D. Bruto consuli mãdata est. Venisse autem eum hoc anno ad exercitum, verba hæc Epitomæ LV indicant; Iunius Brutus consul in Hispania iis qui sub Viriatho militauerant, agros & oppidum dedit; quod Valentia vocatum est. M. Popillius a Numantinis, cum quibus pacem factam senatus irritam censuerat, cum exercitu fusus fugatusque est. Popillium porro pro cõsule hoc anno parum secunda fortuna Numantiam obsedisse, testatur Frontinus lib. III, cum ait; Numantini obsessi, ne pro vallo quidem instruxerunt aciem; adeoque se continuerunt, vt Popillio Lænati fiducia fieret scalis oppidum aggrediendi. quo deinde suspicante insidias, quia ne tunc quidem obsistebatur, ac suos reuocante, eruptione facta, auersos & descendentes adorti sunt. Qua de re miror nihil esse in Appiani historia proditum.

DE COS. AN. DCXVI.

CONSVLES comparant in hunc annum Cassiodorus & Obsequens M. Æmiliũ, C. Hostilium Mancinum: Lepidum & Mancinum fasti Siculi: Orosius & Appianus M. Æmilium Lepidum, & C. Hostilium Mancinum. Mancini consulis etiam in fragmentis Capitolinis vestigia exstant. De Lepido sic loquitur Cicero in Bruto: M. Lepidus qui est *Porcina* dictus, iisdem temporibus fere quibus Galba, sed paulo minor natu, & summus orator est habitus, & scriptor sane bonus. Item; L. Cassij legi tabellariæ M. Ancius Briso tribunus pl. diu restitit, M. Lepido cõsule adiuuante: eaque res

P. Afri-

P. Africano vituperationi fuit, quod eius auctoritate de sententia deductus Briso putabatur. Is (vt opinor) natus est e M. Lepido, principe senatus, consule anno DLXXVIII. His consulibus M. Claudius prætor in naue fulmine conflagrauit. Obsequens.

De re gesta cum Numantinis & Lusitanis.

CETERVM Popillio proconsuli C. Mancinus consul ad Numantiam successit: D. Bruto in Lusitania prorogatum imperium est. Dicamus autem primum de Mãcino. Hostilius Mancinus consul, inquit Obsequens, in portu Herculis eum conscẽderet nauem, vox improuiso audita; Mane Mancine. cumque egressus postea nauem Genuæ conscendisset, anguis in naui inuentus, e manibus effugit; ipse consul deuictus. Et Valerius libro primo; Mancino consuli in Hispaniam ituro hæc prodigia acciderunt. cum Lauinij sacrificium facere vellet, pulli cauea emissi, in proximam siluam fugerunt; summaque diligentia quæsiti, reperiri nequiuerunt. cumque ab Herculis portu, quo pedibus peruenerat, nauem conscenderet, talis vox sine vllo auctore ad aures eius peruenit; Mancine mane. qua territus, cum itinere conuerso Genuam petisset, & ibi scapham esset ingressus, anguis eximiæ magnitudinis visus e conspectu abiit. ergo numerum prodigiorum numero calamitatũ æquauit, infelici pugna, turpi fœdere, deditione funesta. Idem est in Epitoma LV; C. Hostilio Mancino consule sacrificante, pulli ex cauea auolauerunt. conscendenti deinde nauim vt in Hispaniam proficisceretur, accidit audiri, Mane [mane] Mancine. quæ auspicia tristia fuisse, euẽtu probatum est. victus enim a Numantinis, & castris exutus, cum spes nulla seruandi exercitus esset, pacem cum eis fecit ignominiosam: quam ratam esse senatus vetuit. triginta millia Romanorum a Numantinorum millibus quatuor victa erant. Idem Orosius. Appianus Mancinum rumore, qui Cantabros & Vaccæos Numantinorum auxilio venisse percrebuerat, perculsum, exercitum trepidum in castra, quæ quondã Fuluius Nobilior fecerat, reduxisse; atque ibi obsessum, ad turpes pacis conditiones a Numantinis latas descendisse auctor est. quare Romæ cognita, ipsum a bello auocatum, collegam eius M. Lepidum ad exercitum esse missum. Hæc ad Numantiam. In Lusitania vero D. Brutus pro consule, si latrones Lusitanos palantes atque dispersos, per calles tramitesque insequi vellet, eos se adipisci posse diffisus, ad singula eorũ oppida arma circumferre cœpit; quod se facilius singulos ad suorum oppidorum defensionem attractos, esse oppressurum speraret. Ita cum Duriam flumen transisset, atque populabundus ad Lethen peruenisset; primus Romanorũ Lethen, deinde Bænim victor traiecit. qui, vt ait Strabo, Bruti expeditionis terminus fuit. Hęc ex Appiano. Hinc etiam in Epitoma LV ita scriptum inuenimus; D. Iunius Lusitaniam vrbiũ expugnationibus vsque ad Oceanum perdomuit; & cum milites flumen Obliuionẽ transire nollent, raptum signifero signum ipse transtulit, & sic vt transgrederẽtur persuasit. Et apud Stratonẽ lib. III; Brutus cognomine *Callæcus*, Morone vrbe ad faciẽdas excursiones vsus, bellum gessit cum Lusitanis; eosque deleuit. Et apud Valerium lib. VI; Cum se D. Bruto tota pene Lusitania dedidisset, ac sola gẽtis huius vrbs Cinania pertinaciter arma retineret, tentata redemptione, propemodum vno ore legatis Bruti respondit, ferrum sibi a maioribus, quo vrbem tuerentur; non aurum, quo libertatem ab imperatore auaro emerent, relictum.

DE COS. AN. DCXVII.

CONSVLES suggerit Cassiodorus P. Furium, Sex. Atilium Serranum: Cicero lib. III de officiis L. Furium, Sex. Atilium; Obsequens L. Furium, Atilium Serranũ: fasti Siculi Philum & Serranum. De Furio Cicero sic in Bruto; L. Furius Philus, per bene loqui putabatur, literatiusque quam ceteri. In fragmẽtis Capitolinis vestigium etiam appatet SERRANI consulis. Furio Hispania citerior obtigit: Bruto in vlteriore prorogatum imperium est.

De censoribus & Lustro LVIII.

IN fragmentis Capitol. hæ litteræ Serrano cos. suggeruntur, =OR. L. F. LVIII. quibus litteris censores hoc anno lustrum fecisse LVIII significatur. Qui autẽ hi fuerint,

incertà memoria est. quoniam autem non nisi ex consularibus ad censuræ honorem per hæc tempora efferebantur, suspicari quis poterit, alterum ex his Q. Fuluium Nobiliorem fuisse, qui anno D C consulatum gessit. id enim extrema illa cognominis eius syllaba O R indicat; atque etiam fragmentum quoddam Festi confirmat; in quo trunca nomina sunt censorum a quinquagesimo lustro deinceps vsque ad L X, ita:

======Or cum M.====
=====mius. Q.F====
====Ti. Sempron.===
====L. Æmilij Paulli====
L. Cornelij Sc======
====Opillius=======
=====M. Vale=====
====ginus censores====
====L. Cornelij Lentuli===
====Mummi======
Q. Fului No======
cili Metelli.

id est; M. Fuluius Nobilior cum M. Lepido.
A. Postumius Albinus, Q. Fuluius Flaccus.
Ti. Sempronius Gracchus.
L. Æmilij Paulli
P. Cornelij Scipionis Nasicæ; cuius collega M. Popillius Lænas.
M. Valerius Messalla; C. Cassius Longinus.
L. Cornelij Lentuli Lupi.
L. Mummij.
Q. Fuluij Nobilioris.
Q. Cœcilij Metelli Macedonici.

Nobiliore ergo censore constituto, quærendus est ei collega, & is quidem patricius. nam Fuluius e plebe fuit. ambo autem e plebe censores nondum creabantur. ego vero Ap. Claudium Pulchrum collegam Nobilioris scripsi; primum, quia censorius fuit; deinde, quia superiore lustro, censuræ honore ab Africano deiectus est; tum, quia patricij locum tenet; postremo, quia nisi eum hoc anno censorem statuas, quo anno fuerit, non reperies. est enim mortuus (auctore Appian. lib. I) ante C. Tuditanum cõsulem. Plutarchus in Gracchis hunc vocat virum consularem, censorium, & principem senatus. De lustro ita in Epitoma L V I, post deditionem Mancini; Lustrum a censoribus conditum est. censa sunt ciuium capita CCCXXIII millia.

De re gesta cum Lusitanis & Numantinis.

IN hunc annum res contuli a D. Bruto pro consule cũ Gallæcis gestas; quod in Epitoma L V I ante earũ mentio fiat, quam Lepidi proconsulis, quẽ hoc anno a Vaccæis victũ ex Obsequente constat. Verba autẽ Epitomæ sunt hæc; D. Brutus in vlteriore Hispania [feliciter] aduersus Gallæcos pugnauit. Quam rẽ apertius Florus tradidit, his verbis; D. Brutus aliquãto latius Gallæcos, atq; omnes Gallæciæ populos, formidatumq; militibus flumẽ Obliuionis; peragratoq; victor Oceani littore, non prius signa cõuertit, quam cadentẽ in maria solem, obrutumq; aquis ignẽ, non sine quodã sacrilegij metu & horrore deprehẽdit. Itaq; apud Orosiũ quoq; ita scriptũ est; Brutus in interiore Hispania L X millia Gallæcorũ, qui Lusitanis auxilio venerãt, aspero bello & difficili quamuis incautos circumuenisset, oppressit. Et apud Velleium; Ante tẽpus excisæ Numantiæ, præclara in Hispania militia A. Bruti fuit; qui penetratis omnibus Hispaniæ gentibus, ingenti vi hominum, vrbiumq; potitus numero, aditis quæ vix adita erant, *Gallæci* cognomen meruit. Et apud Rufum: Hispanias per D. Brutum obtinuimus, & vsque ad Gades ad Oceanum peruenimus. Et apud Strabonem lib. III; Gallæci vltimi sunt, montes incolentes, ac propterea qui subigantur difficillimi; qui Bruto, qui Lusitanos debellauit, cognomen dederunt. Hæc de bello Lusitanico, a Bruto hoc (vt opinor) anno confecto. qui tamen non nisi quadriennio

post

poſt triumphauit;diu in ordinanda,credo,prouincia occupatus. In citeriorem autem prouinciam venit L. Furius conſul;ac ſoluendi fœderis cauſſa,iuſſu ſenatus Mãcinum ad Numantinos vinctum perduxit. M. Lepidus pro conſule male cum Vaccæis pugnauit. quæ ita eſſe,poſtquam eo Romanorum bellorum dignitas recidit, vt annalium verbis hinc inde collectis illuſtranda atque exponenda ſint, verbis ipſis annalium,quales quales habemus,vt ſolemus,allatis demonſtrabimus, De prouincia Furij ſic Valerius lib. III; P. Furius Philus conſul Q. Metellum,& Q. Pompeium, inimicos ſuos,cupitam ſibi profectionem in Hiſpaniam prouinciam, quam ſortitus erat,identidem exprobrantes,legatos ſecum illuc ire coegit. De Mancino ita Cicero lib. III de officiis;C. Mancinus,qui vt Numantinis, quibuſcum ſine ſenatus auctoritate fœdus fecerat,dederetur,rogationem ſuaſit eam quam L. Furius & Sex. Atilius ex S. C. ferebant. qua accepta,eſt hoſtibus deditus. In Epitoma LVI; Ad exſoluẽdum Numantini fœderis religione populum,Mancinus, cum huius rei auctor fuiſſet, deditus Numantinis non eſt receptus. Appianus etiam Mancinum a Furio in Hiſpaniã ductum,ac nudum hoſtibus traditum,nec ab ijs receptum ait. De Lepido autem ſic ſcriptum reliquit; Lepidus, cum legatos Numantinos Romam de fœdere cum Mancino icto profectos exſpectare graue duceret,otij impatiens, ac gloriæ cupidus, Vaccæis ſine ſenatuſconſulto bellum intulit; frumentum Numantinis eos ſuppeditaſſe criminatus. Itaque a Pallantinis Vaccæorum populis,quos ope D. Bruti generi adortus erat,fuſus fugatuſque,domum reuocatus,imperio abdicatus eſt. Et Oroſius ita;In citeriore Hiſpania M. Lepidus pro cõſule Vaccæos innoxios & ſupplices inuito ſenatu pertinaciter expugnare tentauit. ſed mox accepta clade grauiſſima,improbæ pertinaciæ pœnas luit. ſex millia Romanorum cæſa:reliqui exuti caſtris, & armis amiſſis euaſerunt. Et in Epitoma ſic ſcriptum eſt; M. Lepidus proconſul aduerſus Vaccæos rem geſſit,clademque ſimilem Numantinæ accepit.

DE COS. AN. DCXVIII.

DEINCEPS conſules ſubiicit Caſſiodorus & Obſequens Ser. Fuluium, Q. Calpurnium:faſti Siculi Flaccum & Piſonẽ:Oroſius Ser. Fuluium Flaccum, Q. Calpurnium Piſonem:Fragmenta Capitolina PISONEM. Fuluij Flacci cos. mentio eſt in Epitoma LVI,& apud Appianum in Illyrica;Calpurnij Piſonis,in Hiſpanienſi. Horum conſulum mentio eſt in antiqua quæ vulgata eſt tabula, hoc modo: SER. FVLVIO. FLACCO. Q. CALPVRNIO PISONE COS. A. P. V. C. DCXX. REMP. BELLO SERVILI TVRBANTE. Fuluio Illyricum, Piſoni Hiſpania euenit.

De re geſta cum Numantinis, Illyriis, & Scordiſcis.

HOC anno Romani, vt ait Appianus, deditione Mancini ſe fœdere ſolutos eſſe rati,Calpurnium Piſonem conſulem aduerſus eos miſerunt. qui cum Numantinorum Pallantinorumq; agros populabundus iniſſet,eoſque vaſtaſſet, reliquum imperij ſui tempus in hibernis apud Carpetanos traduxit. Vnde Obſequens his etiã conſulibus rem apud Numantiam male geſtam,exercitum Romanum oppreſſum ſcripſit. Dũ hæc autem in Hiſpania gerebantur, ne quietæ quidem in Illyrico & in Macedonia res erant. Illyrij bello Perſico a Romanis victi,ad hæc vſq; tẽpora pacati fuerant:quibus Vardæi(quod exſtat apud Appianum) Illyricum,quod erat ſub Romanorum dicione,armis inuaſiſſe dicuntur. aduerſus quos cum legati ad eos miſſi nihil profeciſſent,profectus cum exercitu Fuluius Flaccus cõſul, bellum vna dumtaxat excurſione confecit. Itaque in Epitoma etiam LVI ita ſcriptũ eſt; Fuluius Flaccus conſul Vardæos in Illyrico ſubegit. De triumpho Fuluij nihil aperte traditum comperi: verum ex obſeruatione Epitomarum & verbi *Subigendi* vi, triumphaſſe Fuluium conſulem puto. Eodem etiã tempore bellatum eſt in Macedonia, quam Thraces incurſionibus ac populationibus diuexabant: ex Thracibus autem maxime Scordiſci. Hoc itẽ ex eadem Epitoma intelligi poteſt;in qua victoriæ Fuluij Flacci conſulis hæc verba ſubiiciuntur;M. Coſconius prætor in Thracia cũ Scordiſcis proſpere pugnauit. neq; enim de eo quidquam aliud accepi. Hunc tamen prætorem triumphaſſe non puto.

Hoc ita cecidisse, coniectura ducor ad suspicandum, quod Cicero in Pisonem Macedonicos horum annorum triumphos enumerans, T. Flamininum, L. Paullū, Q. Metellum, T. Didium nominet, non omissurus etiam M. Cosconium, qui inter Metellū & Didium prætores & ipse prætor in Macedonia rem gessit, si triumphasset; cum id maxime ad caussam pertineret. Quemadmodum autem hoc bellum postea exarserit, ita vt consulares exercitus imperiumque desiderarit, post demonstrabimus.

De priore Seruili bello Siculo, & M. Perpenna propr. ouante.

IISDEM consulibus bellum in Sicilia a seruis commotum, exstat in Orosij commentariis. Huius autem belli hæc caussa a Floro traditur: Syrus quidam nomine Eunus, fanatico furore simulato, dum Syriæ deæ cæremonias iactat, ad libertatem & arma seruos, quasi numinum imperio concitauit. Id vt diuinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure & igne stipauerat, leuiter inspirans, flammam inter verba fundebat. hoc miraculo primo duo millia ex obuiis; mox iure belli refractis ergastulis, quadraginta amplius militum fecit exercitum; regiisque decoratus insignibus, castella, oppida, vicos miserabili direptione vastauit. Idem scriptum est etiam in Epitoma LVI: Bellum [seruile] in Sicilia ortum. eius initium fuit Eunus seruus, natione Syrus; qui contracta agrestium seruorū manu, & solutis ergastulis, iusti exercitus numerum impleuit. Cleo quoque alter seruus, ad LXX millia seruorum contraxit; & copiis iunctis, contra populum R. exercitumque eius bellum sæpe gesserūt. Et apud Orosium; Ser. Fuluio Flacco, Q. Calpurnio Pisone cos. bellum in Sicilia seruile ortum: quod adeo graue multitudine seruorum tunc ad arma instructorum, copiaq; & magnitudine virium fuit, vt nō dicam prætores Romanos, quos penitus profligauit; sed consules quoque terruerit. nam LXX millia seruorum tunc in arma conspirantium fuisse referuntur; excepta vrbe Messana, quæ seruos liberaliter habitos in pace continuit. Hæc ex annalibus. Mihi vero eorum verba intentius intuenti, ne hoc quidē anno hoc initum bellum videtur, sed potius renouatum. siquidem video scriptum in Epitoma; bellum seruile cum a prætoribus opprimi non potuisset, C. Fuluio consuli esse mandatum. prætores autem nominat Florus, cum ait; Capta sunt castra prætorū Manilij, Lentuli, Pisonis, Hypsæi. Itaque qui per *fugitiuos distrahi debuissent, prætorios duces profugos prœlio ipsi sequebantur. Tandem Perpenna imperatore, supplicium de eis sumptum est. Hic enim victos, & apud Ennam nouissime obsessos, cum fame quasi pestilentia consumpsisset, reliquias latronum compedibus catenisque religauit, crucibusque puniuit. fuitque de seruis ouatione contentus, ne dignitatē triūphi seruili inscriptione violaret. Eundem etiam M. Perpennam triumphasse scribit Valerius lib. III. quamquam eundem in consulatu, atque ex Asia, non in prætura, neque ex Sicilia triumphum egisse falso (vt post ostendam) ille videtur significare. Quādo igitur Fuluio consuli Pisonem, Pisoni Rupiliū consules subsequentibus deinceps annis successisse, atque Rupilium ipsum bello demum confecto leges Siciliæ dedisse inuenio, propterea fit vt credam, ante C. Fuluium consulem prætores quatuor, quos Florus commemorauit, cum seruis rem male gessisse; quintum autem Perpennam supplicio de eis sumpto, bellum sustulisse, ita vt ouans vrbem inierit. cumq; ille e prouincia decessisset, hoc anno, nouo Cleonis alterius serui motu commoto, bellū quod a Perpenna exstinctum videbatur, grauius exarsisse; atque propterea consulares inde ad id exercitus missos esse.

DE COS. AN. DCXIX.

INSEQVENS annus P. Africanum, C. Fuluium Flaccum consules habuit; vt scriptum est apud Cassiodorum & Obsequentem: vt autem in fastis Siculis, Scipionem & Flaccum. quem eundem Flaccum suggerunt Capitolina fragmenta. C. Fuluij mētio est etiam in Epitoma LVI; Africani II consulis, apud Appianum in Hispaniensi, Orosium, Florum, Valerium lib. VIII, cum inquit; Æmilianum, cum quæstoriis comitiis suffragator Q. Fabij Max. fratris filij in campum descendisset, populus consulem iterum reduxit. Quod autem Cicero in sexto de rep. scribit; Cum autem Carthaginem deleueris, triumphum egeris, censor fueris, & obieris legatus Ægyptum, Syriam,

Syriam, Aſiam, Græciam, delegere iterum abſens conſul: non eſt quod id quiſquam Valerij ſententiæ repugnare arbitretur. Eſt enim *abſens* accipiendus pro eo qui non petendi cauſſa in campum deſcendiſſet, & omnino qui non peteret. quo modo ſæpe loquutum eſſe Dionyſium & Liuium, docui in ſcholiis Liuianis. Nunquam autem petiiſſe Africanum, oſtendit Cicero in Lælio, cum ait; Qui conſulatum petiit numquam factus eſt conſul bis; primum ante tempus, iterum ſibi ſuo tempore, reip. pene ſero. Eſt autem ſolutus lege, non ætatis, vt ait Appianus (quod quiſque intelliget, qui annos eum hoc tempore quinquaginta natum cognouerit: ſiquidem erat capiendo conſulatui legitimus annus XLIII) ſed ea lege quam Cato ſuaſerat; Ne quis iterum conſul fieret. quod in ſcholiis Liuianis demonſtraui. Africano Hiſpania, Fuluio Sicilia euenit.

De re geſta cum Numantinis, & ſeruis in Sicilia.

FACTVS ergo magna populi voluntate, maiore reip. ab eo bene gerẽdæ ſpe Scipio conſul, cum bellum Numantinum extra ſortem, vt etiam ante Punicum gerere iuſſus eſſet, animum ad belli apparatus neceſſarios applicauit. Igitur diffidens veteri exercitui, a quo res ſæpe male geſta eſſet, alias ſibi copias ſcribendas, auxilia vndique aduocanda; arma, tela, equos, & cetera inſtrumenta militiæ præparanda putat, in delectu autem habendo, nullius ex veteribus legionibus nomen accipit, quod alio bello detinerentur; verum nouos milites omnes conſcribit. Cum autem Itali frequentes, ſtudio atque amore Scipionis ad id bellum nomina darent; ſenatus veritus ne Italia proprio præſidio nudaretur, non ſolum id eos vetuit facere; ſed ne pecunias quidem ex præparatis eum ſumere paſſus eſt; verum annuas penſiones, quarum nondũ tempus venerat, attribuit. quorũ alterum Scipio, quod ad pecunias in bellum ſuppeditãdas pertinebat, minime ſe indigne dixit ferre, quod ſuas & amicorum copias diceret ad id bellum gerendum ſatis multas futuras: de altero vero, quo milites Italiæ fortiſſimos ſecum ad bellum difficillimum vetabatur educere: ſenatum leuiter reprehendit. nam ſi propter hoſtium fortitudinem Romani toties victi eſſent, ſtrenuis omnino ſibi militibus opus eſſe, quoniam cum iiſdem hoſtibus dimicandum eſſet: ſin autem propter ſuorum ignauiam minus bene ſæpe pugnatum eſſet, viris item ſe fortibus indigere; ne copiis iiſdem parem ipſe calamitatem acciperet. Quare cõſenſu ſenatus multos, qui ſe vltro militiæ offerebãt, cõſcripſit; quos reges ciuitateſq; miſerũt. magnam præterea ſeruorum manum armauit; amicis quoq; quingentis, quos ſecum educeret, ex omni nobilitate delectis. His autem ac reliquis neceſſariis rebus apparatis, partem exercitus ad quatuor millia hominum fratri Fabio tradidit: ipſe ante eum, quam maximis itineribus potuit, cum reliquis copiis in Hiſpaniam ire contendit. Eo vero cum veniſſet, non protinus in hoſtes ſe intulit, vt eos tamquam imparatos circũueniret; quod exploratum haberet, numquam id genus hominum adeo otio luxuriaque diffluere, quin ipſa naturæ ſuæ ferocitate apparatus aliorum facile ſuperaret: verum accepto a Piſone exercitu, cum eum ita inertem imbellemque factum intelligeret, vt nihil eiuſmodi moribus ſtrenue ſe gerere poſſe confideret; ita porro libidini & auaritiæ deditum, vt voluptati ille tantum & quæſtui, nihil gloriæ & laudi ſtuderet: ita denique ſeditionibus plenum, vt omnino ſine vllo imperio habitus videretur; propterea non ante ſibi bellum attingendum eſſe arbitratus eſt, quam præſentem intemperantiam ad priſtinam maiorum continentiam reuocaſſet, ac milites ipſos more maiorum laborare coëgiſſet. Poſt autem cum militarem diſciplinam reſtituiſſet, militeſque obedientes ac laborum patientes reddidiſſet, ineunte æſtate motis caſtris Numantiam verſus contendit. Erat autem eius in hoc bello adminiſtrando conſilium, vt nec nimis firma ad ſtationes loca deligeret, nec copias vllo modo diduceret; ne, ſi quid a principio detrimenti cepiſſet, ab hoſtibus, a quibus adhuc irridebatur, omnino contemneretur; ac ne prœlio quidem hoſtes vllo modo laceſſeret, quod genus belli, ac Numantinorum vires, quantæ eſſent, non ignotas haberet; verum interea frumenta eorum incenderet, & agros ipſos perpetuis populationibus infeſtos faceret. Dum autem vaſtatis agris caſtra ſibi propius vrbem putaret eſſe admouenda, duo eſſe itinera, quibus eo peruenire poſſet, inueniebat:

vnum angustum atque difficile; alterum, quamquam multo superiore longius, tamẽ & facilius, & expeditius. Multis autem suadentibus vt breuiorem viam iniret, iis haud esse parendum putauit. cuius rei consilium hac ratione explicabat, quod timendum sibi esse diceret, ne si angustiore via exercitum duceret, repentinam in se hostes eruptionem facerent, iumentis, plaustris, & impedimẽtis reliquis implicatum, neque ea de caussa satis vel ad pugnandum, vel ad pedem referendum paratum. Quod si illi fecissent, se, nec si vicisset, magnum quæstum facturum; nec si victus esset, nisi cladẽ incredibilem accepturum. duci autem prudenti in primis eius rei habendam rationẽ esse, vt nullo vmquam tempore, nisi aut monente occasione, aut necessitate vrgente, certaret. neque enim turpius quidquam in re militari posse contingere, quam si quid imperator eiusmodi commisisset, vt sibi dicendum esset, Non putaram. Hisque rebus dictis, simul tribunis imperat, vt longiore itinere agmen ducant, atque ita exercitum in fines Vaccæorum perducit. Ibi frumẽto quantum plurimum potuit coacto, omne præterquam quod sibi necessarium esse arbitrabatur, incendit. Cum autem in Vaccæis morans, quosdam Pallantinorum equites, sub Coplanij collibus in insidiis latẽtes, animaduertisset in suos sæpe, quoties frumentatum exirent, impetum facere, Rutilium Rufum cum delecta equitum manu, qui eorum incursiones cõtineret, immittit. Is cum ad manus cum Pallantinis venisset, illud fecit imprudentius, vt eos terga dantes vsque ad collem insequeretur. quo postquam peruenit, patefactis insidiis, statim ille suis, ne hostem insequi aut adoriri contenderent, imperat; sed pilis tantum eũ a se quoad possent, propulsarent. Scipio autem interea cum Rutilium longius quam mandatum ei fuerat, esse progressum videret, quod euenerat, ne accideret, veritus, eum cum reliquo exercitu sequi cœpit. cumq; ad locum venisset, equitatum in duas partes distribuit: eumque ab vtraque parte signa inferre in hostes iubet; iactisque iaculis, gradum sensim, quoad se cum reliquis copiis coniungerent, referre; atque hac ratione equites incolumes in campum reduxit. Moturo interim ex Vaccæis castra Scipioni nuntiatur, flumen ad traiiciendum difficile in medio situm esse, ad idque hostium esse insidias collocatas. Ea res fecit vt priore itinere relicto, longiorem alteram viam, eamque ab insidiis tutiorem, ingressus sit. Ibi aquarum inopia multos effodere puteos est coactus: in quibus plerumque cum aqua amarior inueniretur, pars iumentorum siti confecta est, homines vix incolumes iter fecerunt. Inde traiiciens per fines Cauceorum, quibus superioribus annis Lucullus contra fœdera bellum intulerat, edixit, vt suam quisque domum ad negotia sua reuerteretur. post ad hiberna in fines Numantinorum progressus est. Eo tempore cum rex Numidarũ Micipsa populo R. peditum atque equitum auxilia mitteret, Iugurtham Manastabilis fratris filium, eum quocum postea populus R. bellauit, cum XII elephantis ac sagittariis & funditoribus multis misit. quem virum & in amicis Scipio habuit, & ad res grauissimas periculosissimasque sæpe adhibuit. Hæc Appianus, Orosius, Epitoma LVII ab Africano cõsule hoc anno gesta in Hispania prodiderunt. In Sicilia vero C. Fuluius cõsul rem gessit, vt in Epitoma LVI, & apud Orosium scriptum est: verum quo euentu, parum cognitum est; quod annalium veterum memoria interierit.

DE COS. AN. DCXX.

HIC annus consules habuit P. Mucium, L. Calpurnium, auctore Cassiodoro, Scæuolam & Calpurnium fastis Siculis: Velleio autem, P. Mucium Scæuolam, & L. Calpurniũ [illegible] ũ sic meminit Pædianus in Verrinas; Scæuola iuris peritissimus, cum L. Pisone consul fuit, quo anno Ti. Gracchus occisus est. P. Scæuola, filius est P. Scæuolæ consulis anno DLXXVII; Cicero auctor in Bruto: frater P. Crassi biennio post consulis, vt idem significat in Lucullo. In fragmentis Capitolinis est. L. CALPVRNIVS PISO FRVGI. recte. scribit enim Cicero in Verrem, & pro Fonteio, primũ hunc e Pisonibus esse FRVGI vocatum. Idem tribunus pl. legem tulit de repetundis, Marcio & Manilio consulibus; & annales Romanos scripsit. Cicero in Bruto. Hic idem consularis legem C. Gracchi frumentariam post dissuasit. auctor idem in III Tusculana.

De seditione Ti. Gracchi tribuni pl.

His consulibus resp. Romana, seditione a Ti. Graccho tribuno pl. excitata, vehementissime perturbata est: quod ipsum aliorum, quę plurima sequuta sunt, malorum initium fuisse existimatur. Res autem acta sic est. Ti. Sempronius Gracchus, clarissima familia, atque optimis maiorum exemplis tribunus pl. ad popularem aucupandam auram, legem tulit inuitis senatoribus atque equitibus, ne quis ex agro publico plus quam D iugera possideret. cui cum M. Octauius collega caussam diuersæ partis defendens intercederet, in eum furorem exarsit, vt ei potestatem lege lata abrogaret, seque & Caium fratrem, & Ap. Claudium socerum, triumuiros ad diuidundum agrum crearet. Promulgauit & alteram legem, qua si quis latius agrum patefaceret, vt iidem triumuiri iudicarent, quà publicus ager, quà priuatus esset. Deinde cum minus agri esset quam quod diuidi posset sine offensa etiam plebis, quoniã eos in summam spem opum erexerat, legem se promulgaturum ostendit, vt iis qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia quæ regis Attali fuisset, diuideretur. hæredẽ autem populum R reliquerat Attalus rex Pergami, Eumenis filius, paulo ante mortuus. Tot igitur indignitatibus commotus grauiter est senatus; ante omnia P. Mucius consul. qui cum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum, rursus in eum pro rostris concionatus est. Cum autem iterum tribunus pl. creari Gracchus vellet, quod cum summo reip. exitio futurum optimates arbitrabatur, auctore P. Cornelio Nasica, in Capitolio ab optimatibus occisus est, ictus fragmentis subselliorum; & inter alios qui in eadem seditione occisi erant, insepultus est in flumen proiectus. Hæc fere ex Epitoma LVIII. in libro autem de viris illustribus, in eandem sententiam ita scriptum est; Ti Gracchus tribunus pl. legem tulit, ne quis plus D agri iugera haberet. Octauio collegæ intercedenti nouo exemplo magistratum abrogauit. Deinde tulit, vt ea familia, quæ de Attali hæreditate erat, ageretur, & populo diuideretur. Post cum prorogare sibi potestatem vellet, aduersis auspiciis in publicum processit; statimque Capitolium petiit, manum ad caput referẽs, qua salutem suam populo cõmendabat. Hoc nobilitas ita cepit, quasi diadema posceretur. segniterq; agente Mucio consule, Scipio Nasica, sequi se iussis qui saluam remp. vellent, Gracchum in Capitolium persequutus, oppressit. cuius corpus Lucretij ædilis manu in Tiberim missum; vnde ille *Vispillo* dictus. Eadem vberius Appianus, Plutarchus, & Velleius. Hinc Cicero de aruspicum respons. dixit; Ti. Graccho inuidia Numantini fœderis, cui feriendo, quæstor C. Mancini consulis cum esset, interfuerat, & in eo fœdere improbãdo senatus seueritas, dolori & timori fuit: istaque res illum a grauitate patrum desciscere coegit. Et pro Sextio; Ti. Gracchus legem ferebat agrariam. grata res erat populo. nitebantur contra optimates, quod ea discordiam excitari videbant. & cum locupletes possessionibus diuturnis mouerentur, spoliari remp. propugnatoribus arbitrabantur. Et in Catilinam; Ti. Gracchus, quod iterum tribunus pl. fieri vellet, occisus. Et de legibus; Ti. Gracchum nihil aliud perculit, nisi quod potestatem intercedendi collegæ abrogauit. Et pro domo; P. Scipionis factum statim P. Mucius consul, qui in gerenda rep. putabatur fuisse segnior, multis senatusconsultis non modo defendit, sed etiam ornauit. Et pro Plancio; P. Mucius arma, quæ priuatus P. Scipio sumpserat, ea Ti. Graccho interempto, iure optimo sumpta esse defendit.

De re gesta cum seruis in Sicilia & Italia; & cum Numantinis in Hispania.

Hoc anno bellum in Sicilia L. Piso consul ita gessit, vt eius virtutis populum Romanum haud pœnituerit, quemadmodum veterum in commentariis scriptum est; quorum verba proferam, vt quid de eo nobis scriptum relictum sit, omnes intelligat. Sic loquitur Orosius; Post Fuluium Piso consul, in Sicilia Mamercium oppidum expugnauit; octo millia fugitiuorum interfecit; quos capere potuit, patibulo affixit. Et Valerius ita lib. II; L. Calpurnius Piso in Sicilia bellum cum fugitiuis gessit; & acerrime in Titium equitum præfectum, qui fugitiuis arma tradiderat, animaduertit. Idem scribit Frontinus lib. IIII, cap. I; ac Valerius lib. IIII, hoc modo; Calpurnius Piso consul, graui fugitiuorum bello a se liberata Sicilia, eos quorum præcipua opera vsus fuerat, imperatorio nomine donis cum prosequeretur, inter eos filium suum, ali-

quot locis prœliatum fortiſſime, titulo trium librarum aureæ coronæ decorauit. Atque hæc quidem minime dubiam victoriam Piſonis oſtendunt. At in Epitoma LVIII, rem aduerſus fugitiuos vario euentu geſtam ſcriptum eſt; & apud Obſequentem, in Sicilia a fugitiuis Romanos exercitus eſſe necatos. Neque vero Sicilia ſolum hoc tempore ſeruili peſte vexata eſt, ſed etiam Italia; quod & apud Obſequentem, & apud Oroſium exſtat. Oroſius quidem poſt Gracchanam ſeditionem ita ſcribit; Orta in Sicilia belli ſeruilis contagio, multas late infecit prouincias. Nam & Minturnis CCCCL ſerui in crucem acti; & Sinueſſæ ad IIII millia ſeruorum a Q. Metello & Cn. Seruilio Cæpione oppreſſa ſunt. Et Obſequens; In Italia multa millia ſeruorum, quæ coniurauerant, ægre comprehenſa, & ſupplicio conſumpta. Hæc autem dum in Sicilia Italiaque cum ſeruis geruntur, P. Scipio in Hiſpania prorogato imperio debellauit, atque Numantiam ipſam eius belli caput excidit. ſignificat hoc ipſum cum Obſequēs, tum etiam Cicero in primo de officiis, cum ſcribit; Africanus in excidenda Numantia non plus reip. profuit, quam eodem tempore P. Naſica cum Tiberium Gracchũ interemit. Res autem ex ſententia Appiani geſta ſic eſt. Cum omne ſtudium Scipio in populando agro, vbi hibernauerat, collocaret, accidit vt quodam die ad pagũ neſcio quem, valle rupeque altiſſima cinctum, exercitus eius maximum in diſcrimē adduceretur. Etenim cum magna pars militum intra pagum populationibus eſſet intēta, equites autem pauci agros incurſionibus prædarentur, ab inſidiis hoſtium, qui nō procul a pago in rupe conſederant, circumuenti, vix ſatis firmi ad ſe tutandum eſſe videbantur, niſi propere Scipio accurriſſet. qui cum ad ſigna extra pagum conſtitiſſet, ſuis repente per tubicinem euocatis, facta in hoſtes impreſſione, eos in fugam coniecit. neque tamen illos perſequutus, ſe intra munitiones ſuas recepit, paucis vtrimque occiſis; atque ita quidem Appianus. Oroſius autem, Cum partem æſtatis, inquit, totamque hiemem ne tentata quidem pugna Scipio tranſegiſſet, hoc eum demũ profeciſſe, quod vbi pugnandi copia facta eſt, Romani impetu Numantinorum oppreſſi cum terga vertiſſent, increpatione minisque imperatoris erecti, conuerſis ſignis hoſtem fugarunt. cuius etiam ſententiam Frontinus comprobat, qui Scipionem tradit, cum exercitum ſuum in fugam compulſum videret, ſe palam eum pro hoſte habiturum pronuntiaſſe, qui in caſtra rediſſet. Eodem tempore Antiochus Syriæ rex cum ad Scipionem munera miſiſſet ampliſſima, magnitudinem animi ſui Scipio declarauit: qui, cum alij imperatores munera regum occultare ſoliti eſſent, ea ipſe pro tribunali accepit; atque omnia quæſtorē referre in tabulas publicas iuſſit; cum ex iis ſe fortiſſimum quemque virum palam donaturum eſſe profiteretur. Poſt hæc bina ad Numantiam caſtra poſuit: quorum vnis ipſemet præfuit, alteris Q. Maximum fratrē præfecit. Eo tempore accidit vt a Numantinis, ſeſe ex vrbe proripientibus, ſæpe pugna laceſſeretur. at ille haud cum iis eſſe pugnandum ratus, qui deſperatione acti ad dimicandum deſcenderent, ſui poteſtatem non faciebat. cumque idcirco a nonnullis nimiæ quaſi tarditatis argueretur, id potiſſimum reſpondebat, ſe a matre ſua imperatorem genitum eſſe, non bellatorem. Ergo a prœlio abhorrens, animum ad hoſtes obſidione premendos, ac fame conficiēdos intendit. Ea cauſſa fecit vt litteras per omnes prouincias & ſocias ciuitates dimitteret, a quibus auxilia peteret. quæ cum ad diem conueniſſent, vrbem ipſam hoc modo circumuallare inſtituit. primum copias ſuas atque auxilia ciuitatum, in plures partes diſtribuit; ſimulque iis, vt totam vndiq; vrbem foſſa valloque cingerent, imperauit. Quod ſi ab erumpentibus hoſtibus opere forte prohiberentur, ſe interdiu purpureo velo, noctu ignibus fieri certiorem iuſſit. His vero perfectis, alteram foſſam poſt hanc ducere cœpit, & murum erigere, qui in altitudinem pedes decem, in latitudinem octo pateret; in eoque turres iugeri inter ſe interuallo diſtantes excitare. cum autem ſtagnum quoddam cum mœnibus coniunctum muro ſepire non poſſet, aggere valido circumdedit. Hoc apparatu ita clauſa omni ex parte a Scipione Numantia erat, vt nemo egredi neque ingredi terra inuito illo poſſet. Verum cum flumen Durius vrbem præterlaberetur, erat id quidē Numantinis commodiſſimũ tum ad commeatus importādos, quos ſecũdum nacti ventum, paruis in vrbem nauiculis inuehebant; tum ad homines emittendos, qui ſe vndis obruentes foras enatabant. Igitur eius fluminis vſum cum eripere Numantinis

Scipio

Scipio statuisset, vbi illud propter eius altitudinem, latitudinem, rapiditatemque iungi ponte non posse animaduertit, castellum in vtraque ripa cōstituit: ab iisque castellis proceras trabes firmissimis funibus vtrimque sustentatas in aquam demisit. trabes autem erant mucronibus ensium circumfixæ: quæ magno impetu in orbem ductæ, prohibebant ne quis nauigando aut natando exire aut ingredi posset. ex quo Numātini inopia rei frumentariæ simul & consilij laborare cœperunt; cum nec quidquam necessarium posset inuehi, nec quid foris ageretur, vlla ratione cognosci. Quodsi qui forte aliquo modo frumentatū exissent, eos tamen Scipio interfici prohibebat; quod diceret, hoc celerius eos absumpturos frumentum quod haberent, quo plures fuissent. His rebus ita constitutis, super turres machinas ceteraque ad iacienda tela tormenta collocauit; omnibusque non cohortibus solum, sed etiam centuriis, funditores & sagittarios interiecit. parique ratione viros in muris ex interuallo disposuit, qui omnium quæcumque gererentur, clamore edito, eoque inde ab aliis deinceps excepto, & proximis tradito, certiorem se repente facerent. Iis vero qui in turribus erant, edixit, vt si quid sciri opus esset, id signo dato denuntiarent; quæ vero certius ab se cognosci oporteret, ea vt per nuntios indicarent. Ad hæc totum exercitum, qui ad sexaginta millia hominum continebat, quadripartito diuisit: quorum alios pro muris voluit excubare, alios in vsus necessarios, si quò forte contendendum esset, reseruauit. viginti porro millia, quæ vsu postulante pugnarēt; totidemque, quæ si quid iis durius accidisset, subsidio essent, constituit. iisque locus erat suus cuique attributus; ex quo decedere cuiquam iniussu imperatoris permissum non erat. ex qua diligentia efficiebatur, vt quoties hostes impetum fecissent, statim omnes qui ad id parati erāt, ex qua parte signum datum fuisset, se proriperent. Numantini vero quoties muri custodias inuadebant (sæpe autem id faciebant) partim multitudine signorum, quæ ad ceteros excitandos e turribus edebantur; partim aspectu eorum qui propere aduolabāt; tum nuntiorum huc & illuc cursitantium copia; tum fortitudine eorum qui vallum murumque acerrime defendebant; tum denique tubarum, quæ bellicum e turribus canebant, altissimo perterriti sono, nihil proficiebāt. Hac ergo ratione Scipio cum septos illos teneret, putabat haud diutius obsidionē esse passuros; præsertim cum neque virorum, neque armorum, neque cibariorum subsidij quidquam iis posset vlla ex parte suppeditari. Cum autem illi ita iam fame afflictarentur, vt diutius obsidionē sustinere non posse viderentur, Rhetogenes quidam exstitit inter Numantinos longe & audacia & fortitudine princeps, qui periclitanti patriæ vltimis eius temporibus auxilium ferret. Is comitibus quinque, quos in suam sententiam pertraxerat, totidemque famulis atque equis assumptis, noctis silentio, spatium illud quod inter vrbem & munitiones erat, cum traiecisset, scalis secum allatis munitiones superat. Ibi custodes imparatos adortus, remissis famulis equos conscendit; ac protinus singulas Arreuacorū vrbes adit; simulque eos docet quanto res Numantinorum in periculo sint; videndū eis diligentius esse, ne similis ad eos casus recidat: optimam autem ad id rationem futuram, si cognatæ ciuitati maxime necessario tempore subueniant. Hæc oratio nullius populi animos permouit, nisi Lucensis: quæ ciuitas a Numantia quinque millia passuum distat. cuius cum iuuentus omnis subsidio Numantinorum esset intēta, maiores natu veriti, ne quid prauis adolescentum consiliis detrimenti acciperent, confestim Scipionem certiorem faciunt. Ea de caussa Scipio hora noctis octaua, magna manu sine impedimentis accurrit; & ante lucem vrbem exercitu circumsedit, simulque petiit vt iuuentutis principes in potestatem sibi dederentur. ciuibus eos euasisse dicentibus, sese bello ciuitatē persequuturum esse demonstrat. qua de caussa traditi sunt ei iuuenes ad quadringentos. quibus cum manus pręcidisset, subito motis castris Numantiam se recepit. Vltimis temporibus Numantini, vbi diligentia Romanorū nihil his rebus profici posse intellexerunt, cum omnino nondum animo defecissent, sex legatos ad Scipionem de pacis conditionibus mittunt. Eorum princeps Auarus, laudata Numantinorum animi magnitudine, magnifice apud Scipionem loquutus, Numantinos se dedere ei paratos dixit esse, si tolerabilia imperarentur; sin minus, omnino se in acie interfici malle, quam nō veterem belli gloriam libertatemq; , quam a maioribus acceperant, retinere. Scipio cum ex captiuis, quo statu res in vrbe essent,

comperiſſet, veram ſine vlla exceptione deditionem fieri velle reſpōdit; ſimul vrbẽ eos, arma, & ſe, atque omnia ſua, fidei & poteſtati ſuæ committere. Hæc cum legati populo Numantinorum exponerent, quamquam non aliud Scipionem daturum eſſe reſponſum ſuſpicati antea fuerant; tamen ira incenſi, libertatis amore, quia numquam alias ante ſeruitutem ſeruiſſent, iamque præſenti calamitate acerbius efferati, & de ſua poteſtate deiecti eſſent, Auarum ceteroſque legatos, tantorum malorũ nuntios interficiunt; ſuſpicati ne illi publica ſalute neglecta, aliquid cum Scipione priuatim de incolumitate propria pepigiſſent. Poſtremo ad id inopiæ vẽtum eſt, vt omnibus genetibus ciborum deficientibus; ac fructibus, iumentis, herbiſque omnibus cõſumptis, lora, detractaſque ſcutis pelles, vbi feruida molliſſent aqua, comeſſe incœperint. quibus confectis, ſe ad morientium hominum cadauera tranſtulerunt: cum interim ægrotorum nullam rationem haberent, ac pro ſe quiſque quo plus poſſet, imbecilliori vim facere conaretur. ad hæc vero grauis etiam peſtilentia inuaſerat; quam diutina concluſio, & mutatio victus, præterea teterrimus cadauerũ odor tota paſſim iacentium vrbe, vulgauerat. Quibus illi fracti ac ſuperati malis, conſilium tandem ſe Scipioni dedendi ceperunt; ſeque horrido & incompto capillo ſupplices ad eum cõtulerunt. Scipio, poſtulatis eorum auditis, iuſſit vt eodem illo die arma certum quendam in locum omnia comportarent, ipſi poſtridie in alium omnes conuenirent. Numantini diem ſibi ad id faciendum vt produceret, petierunt; quod adhuc in vrbe nõ pauci eſſent qui libertatis amore ſibi mortem afferre vel ferro vel fame cuperent. ex iis autem vbi alij ſeſe alio modo interemiſſent, reliqui tertio die, vti imperatum fuerat, in conſtitutum locum ſe contulerunt, deformes, truculento aſpectu, atque multo ſordidiore habitu; ita vt ea fortuna facile miſericordiam commouere in animis etiã hoſtium poſſent. quorum Scipio cum paucos ad triumphũ ſepoſuiſſet, reliquos ſub haſta vendidit, vrbemque ipſam funditus euertit. Hæc Appianus. Florus autem atque Oroſius, Numantinos, cum omnino erumpere in hoſtes ac viriliter occumbere ſtatuiſſent, carne prius ſemicruda & largiore potione ſumpta, ſe ingurgitaſſe ſcribũt, non vini, cuius is locus minime ferax eſt, ſed ſucci tritici artificioſe confecti; quam *Celiam* incolæ vocant. Scipio vero, cum hoſtium cõſilium præſenſiſſet, haud pugnãdi copiam fecit. Id ægre primum Numantini tulerunt, quod ſibi vel ad patriam defẽdendam, vel ad glorioſam mortem oppetendam intercludi aditũ intelligerent. deinde vero, cum omnino repentina eruptione prœlio Romanos laceſſere decreuiſſent, & ſi quid ipſi extremis temporibus proficere poſſent, tentare, ex improuiſo in aciem deſcendentes, Romanos inuadunt. Ibi magno ſpatio vtrimque dimicatum eſt: iterũque Romani ſe pugnare cum Numantinis fugiendo ſenſiſſent, niſi duce Scipione pugnaſſent. Numantinorũ tamen res deterior fuit; qui fortiſſimo quoque ex ſuis amiſſo, prœlio exceſſerunt; ita tamen, vt compoſitis ordinibus, nec veluti fugientes ſe reciperent, nec oblata ad ſepulturam cadauera ſuorũ acciperent. Poſtremo omnia experti, quod res nulla proceſſerat, decernunt ex oppido profugere, atque ex hoſtium manibus occulte, ſi poſſent, euadere. at eorum incœptum vxores nimio virorum amore flagrantes, ruptis cingulis equotum impediunt. Quare vltima deſperatione ad moriendum impulſi, portas vrbis clauſerunt; ac ſe, duces, patriamque ferro, veneno, & ſubiecto vndique igni perdiderunt. Frontinus Numantinos ait, ne ſe dederent, mori præcluſis domorum ſuarum foribus maluiſſe. Eodem tempore Theogenem quẽdam tradit Valerius, virum genere, pecunia, honoribuſque præſtãtem, vicum ſuum, qui erat in vrbe pulcherrimus, incendiſſe, nutrimentis ignis raptim ex omni parte cõtractis; protinuſque diſtrictis gladiis duobus in medium conſtitutis, binos viros ea cõditione inter ſe dimicare iuſſiſſe, vt qui victus eſſet, abſciſſis a capite ceruicibus, in ardentia tecta coniiceretur. qua ratione cum omnes prorſus eos neci tradidiſſet, tum demum etiam ſe ipſum in ignem medium inieciſſe. Scipio autem vrbem ingreſſus, nihil prædæ inuenit; quod aurum, argentum, arma, veſtes, ceteraq; eiuſmodi, omnia igni abſumpta eſſent. ac ne vnum quidem Numãtinorum in vincula coniecit, quod omnes periiſſent. Ita de Numantiæ interitu fama duplex eſt: alij a Numantinis eam incenſam ſcribunt; alij a Scipione deletam; idque etiam ſine auctoritate ſenatus; vel quod Scipio id e repub. eſſe cenſeret, vel quod natura crudelis in eos eſſet quos vi ca-

peret; vel certe, quod maximis vrbium euersionibus clarius se nomen suum esse redditurum putaret. Numantia deleta, reliquam regionem in fidem accepit; ceteras quæ defecerant Hispaniæ ciuitates, partim vi, partim deditione in potestatem suam redegit; agros Numantinorum vrbibus vicinis distribuit; labantes in fide confirmauit; reliquis tributa imposuit.

DE COS. AN. DCXXI.

IN hunc annum creati consules fuerunt auctore Cassiodoro P. Popillius, P. Rupilius: Lænas & Rupilius fastis Siculis. Eorum meminit Cicero lib. XIII ad Att. C. Tuditanum, inquit, video in Libonis prætorem, P. Popillio, P. Rupilio cos. Et in Verrē; Ennam tenuerunt P. Popillio, P. Rupilio cos. serui fugitiui. In fragmentis etiam Capitolinis est P. POPILLIVS C. F. P. RVPILIVS P. F. P. N. Rupilium & Popillium cos. nominat Velleius lib. II; Rupilium & Lænatem Cicero in Lælio. Eundemq; intelligit cum ait; Scipio Rupilium consulem fecit, Lælium non potuit. P. Rupilij mentio est etiam in Epitoma LIX. C. Popillium C. Popillij filium esse arbitror, consulis an. DXCV. His cos. S. C. factum in eos qui Ti. Gracchum sequuti essent, quæstione habita, multi damnati sunt. Plutarchus in Gracchis. id quod auctore maxime P. Popillio cos. factum est.

De triumphis D. Bruti, & P. Scipionis Africani ex Hispaniis.

RES a D. Bruto consule & pro cos. prospere in Lusitania & Gallæcia (vnde *Callæcus* postea appellatus est) per triennium gestas, supra commemorauimus. Ob eas triumphum ei decretum esse nemo dubitat. eum enim Plutarchus in Gracchis de Lusitanis; Eutropius de Lusitanis & Gallæcis triumphasse scribit. Quinetiam idem Eutropius indicat eundem hoc anno triumphasse; cum ita scribat; Attalus rex Asiæ hæredem populum R. reliquit. mox etiam D. Brutus de Gallæcis & Lusitanis triumphauit, & P. Scipio Africanus de Numantinis secundum triumphum egit, XIIII anno postquam priorem de Africa egerat. Ergo in eundem annum reiecti duo nobilissimi triumphi sunt; alter ex vlteriore, alter ex citeriore Hispania; in quibus prouinciis per multos iam annos bellum a Romanis sine effectu gerebatur. Credo autem serius Brutum triumphasse; quod vlterior Hispania numquam ordinata prouincia sit, nisi excisa Numantia, ac missis in vtrasque Hispanias X legatis. Appianus. P. etiam Scipionis præclaræ res ad Numantiam per biennium gestæ, ante expositæ sunt. Triumphasse autem eum hoc anno, docet aperte Cicero in Philippicis, vbi ait triumphatum ab eo esse anno ante Valerium & Licinium consules. item Eutropius, Orosius, & Epitoma LIX; apud quos est Scipionem posteriorem triūphum egisse XIIII anno quam priorē de Carthagine egerat. In hoc triumpho XII millia pondo argenti translata auctor est Plinius lib. XXXIII, cap. XI. Appianus *Numantini* cognomen ex hac victoria inuenisse Scipionem scribit.

De seruis in Sicilia debellatis; & ouatione P. Rupilij pro cos.

EODEM etiam anno ad bellum seruile in Siciliam profectus P. Rupilius consul, seruos subegit; ac bello confecto, prouinciam ordinauit. Id enim ex Romanorū monumentis elicitur: quorum verba, vt res apertius demonstretur ac certius, subiungētur. Sic Orosius; Pisoni cum Rupilius cos. successisset, Taurominium & Ennam firmissima fugitiuorum refugia, bello recepit; vbi amplius quam XX millia seruorū trucidata referuntur. Valerius lib. II; P. Rupilius cos. eo bello quod in Sicilia cum fugitiuis gessit, Q. Fabium generum suum, quia negligentia Tauromini tanam arcem amiserat, prouincia iussit decedere. Cicero in Verrem; Ennam tenuerunt P. Popillio, P. Rupilio cos. serui fugitiui. at Valerius lib. IX; P. Rupilius cos. Ennam, quam prædones tenuerunt, in potestatem populi Ro. redegit. In Epitoma autem LIX; P. Rupilius cos. in Sicilia cum fugitiuis debellauit. Et rursus Val. lib. VI; P. Rupilius in Sicilia operam publicanis dedit, & vltimam inopiam suam auctorato sociis officio sustentauit. ab hoc postmodum cōsule leges vniuersi Siculi acceperunt; acerbissimoque prædonum ac fugitiuorum bello liberati sunt. Pædianus quoque in IIII Verrinam; P. Rupilius quondam ex publicano factus consul, postea X legatorum sententia leges Si-

culis conſcripſit. Ex hac victoria P. Rupilium ouantem iniſſe opinor. quod idem poſt fecit etiam M'. Aquillius, qui ſecundum ſeruile bellum confecit. Ego tamen P. Rupilium non in conſulatu triumphaſſe, ſed pro cos. puto: ſiquidem ſcribit in Verrē Cicero, leges a P. Rupilio prætore Siculis eſſe conſcriptas. prætorem autem, vt alias proconſulem intelligit.

DE COS. AN. DCXXII.

CONSVLES ſuggerit in hūc annum Caſſiodorus P. Craſſum, L. Valerium: Craſſum & Flaccum faſti Siculi: Cicero Philippica XI L. Valerium Flaccum, P. Liciniū Craſſum. P. Licinij Craſſi conſulis meminerunt omnes qui de bello Ariſtonici ſcripſerunt. Hic P. Craſſus Diues Scæuolæ frater dicitur a Cicerone in libris de oratore, & in Bruto. vnde eum *Mucianum* vocat Velleius lib. II: vt adoptatum eum ex gente Mucia in Craſſorum familiam notet. Idem ditiſſimus, nobiliſſimus, eloquentiſſimus, iuriſconſultiſſimus, pontifex maximus fuiſſe traditur a Gellio lib. I. cap. XIII. L. Valerium, quem eundem flaminem Martialem fuiſſe ſcribit Cicero in Philippicis, L. Valerij filium eſſe reor, conſulis anno DCI. Hoc loco fragmenta duo Capitolina inter ſe diuulſa, nec ſuo loco ab iis qui ea in Capitolio digeſſerunt, poſita, compoſui: ex quo hic & inſequens annus maxime illuſtratur. Eorum fragmentum vnum eſt hoc:

=ANCI=
SERRA=
=O R. L. F. LVIII.
PISO.
FLACCVS.

DCXX. =MV= FRV=
P. POPI= L. CALPVRNIVS
P. LICI= P. RVPILIVS P. F. P N.
CE= =VALER=
I

alterum autem, quod non huic annexum atque affictum eſt, verum longo poſt interuallo poſt annum DCXXC collocatum, eſt hoc:

IVS C. F.
VS P. F. P. N CR=
CAECIL=

quod fragmentum ita cum parte ſuperioris coniungendum eſt:

DCXX.	P. MVCIUS	Scæuula.	L. CALPVRNIVS	Piſo FRVgi.
	P. POPIllivs C. F.	Lænas	P. RVPILIVS P. F. P. N.	
	P. LICINIVS P. F. P. N.	CRaſſus.	L. VALERius	Flaccus.
	CENS. Q. CAECILius	Metellus		
	M. Perperna.			

De cenſoribus & Luſtro LIX.

Ex fragmentis Capitolinis intelligitur, his conſulibus cenſorem Q. Cæcilium fuiſſe. is fuit Q. Cæcilius Metellus Macedonicus; cui collega additus Q. Pompeius. ſic eſt enim in Epitoma LIX; Q. Pompeius, & Q. Metellus, tunc primum vterque ex plebe cenſores facti. Luſtrum a cenſoribus eſt conditū. cenſa ſunt capita * CCCLXVIII millia DCCCXXXIII, præter pupillos, & viduas. Q. Metellus cenſor cenſuit, vt ducere vxores omnes [omnino] cogerentur liberorum procreandorum cauſſa. Extat oratio eius, quam Auguſtus Cæſar, cum de maritandis ordinibus ageret, *velut in hæc tempora ſcriptam in ſenatu recitauit. C. Atinius Labeo tribunus pl. Q. Metellum cenſorē, a quo in ſenatu legendo præteritus erat, de ſaxo deiici iuſſit. quod ne fieret, ceteri tribuni pl. auxilio [quam maxime] fuerunt. Hunc autem fuiſſe Q. Metellum Macedonicum, docet Plinius libro VII, cap. XLIIII. Q. Pompeij cēſoris meminit etiam Cicero in Bruto. Luſtrum factum eſſe anno ſequenti puto M. Perperna cos. Eius certe mentio fit in Epitoma poſt M. Perpernæ cos. mentionem.

De

De bello Aristonici Asiatico.

Hoc tempore nouum in Asia bellum coortum est, quæ ab Attalo Eumenis filio Pergami rege moriente, populo Ro. relicta Mucio & Calpurnio consulibus fuerat. Quo de bello sic Iustinus lib. XXXVII; Aristonicus Eumenis filius, non iusto matrimonio, sed ex pellice natus, post mortem Attali, velut paternum regnum inuasit Asiam. cum multa secunda prœlia aduersus ciuitates quæ metu Romanorum se tradere ei nolebant, fecisset, iustusque rex iam videretur, Asia Licinio Crasso cōsuli decernitur, qui intentior Attalicæ prædæ quam bello, cum extremo anni tempore inordinata acie prœlium conseruisset, victus, pœnas inconsultæ auaritiæ sanguine dedit. Florus autem ita; Attalus rex Pergamenorum, Eumenis filius, regnum populo R. testamento reliquit. Aristonicus, regij sanguinis ferox iuuenis, vrbes regibus parere consuetas partim facile sollicitat; paucas resistentes, Mindon, Samon, Colophonem vi recepit. Crassi quoque prætoris cecīdit exercitum; ipsum quoq; cepit. Sed ille, memor & familiæ & Romani nominis, custodē sui barbarum virgula excæcat in exitium sui. quod volebat, ita concidit. Crasso consuli affuisse Nicomedē Bithyniæ, Mithridatem Ponti, Ariarathen Cappadociæ, & Pylæmenem Paphlagoniæ reges; Crassum ipsum interfectum, caput eius Aristonico oblatum, corpus Smyrnæ sepultū tradit Eutropius. In Epitoma autem LIX hoc pacto scriptum est; Aristonicus, regis Eumenis filius, Asiam occupauit; cum testamēto Attali regis legata populo R. libera esse deberet. aduersus eum P. Licinius Crassus consul, cum idem pont. max. esset, quod numquam antea factum erat, extra Italiam profectus, prœlio victus, & interemptus est. & Strabo lib. XIIII; Aristonicus Attalo Philometore mortuo, cum de regno occupando, tamquam ex eius stirpe vnus, cogitaret, nauali prœlio ad Cumæam ab Ephesiis superatus, in mediterraneam regionem recedens, vocatis ad libertatem seruis, maximum exercitum comparauit, atque Thyatira primum deinde Apolloniadē occupauit. cum autem ciuitates, atque Nicomedes Bithyniæ, & Ariarathes Cappadociæ reges, exercitus summisissent, atque Romani legati quinque aduenissent, & cum maximis copiis P. Crassus consul; ipse Crassus ad Leucas, cum quidam eum adorirentur, prœlio dimicauit. De eodem sic Cicero Philip. XI; Cum Aristonico bellum gerendū fuit L. Valerio, P. Licinio cos. Rogatus populus quem id bellū gerere placeret, Crassus cōsul pont. max. Flacco collegæ flamini Martiali multam dixit, si a sacris discessisset. sed ne tum quidem populus Ro. ad priuatum detulit bellum; sed consuli potius Crasso, quam priuato Africano gerendum dedit. Hunc autem interfectum esse sequentibus cos. scribit Obsequens. recte. scribit enim etiam Velleius Crassum ex Asia decedentem pro consule interemptum. De eodem in Asia imperatore tradit Gellius lib. I, cap. XIII; & Valerius lib. VIII, cap. VI; de nece eius, capite de fortitudine.

DE COS. AN. DCXXIII.

AP. CLAVDIVM, M. Perpernam cos. in hunc annū subdit Cassiodorus & Obsequens. Ceterum hunc C. Claudium vocat Cicero lib. III de legib. cum ait; Crassi sapientissimi hominis sententiam senatus sequutus est, cum decreuisset C. Claudio cōsule de Carbonis seditione referente, eo inuito qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri. Hunc autem C. Claudium cum Cicerone voco; siquidem idem pro Plancio scribit, Ap. Claudium, qui consul fuit anno DCLXXIIII, repulsam in ædilitate passum C. Claudio patre viuo. Hoc etiam confirmat vulgata vetus lapidea tabula, in qua est; C. CLAVDIO. M. PERPERNA COS. cum autem in fastis Siculis sit Lentulus & Perperna, intelligendum est, aliquam in Claudio Lētulo subesse adoptionem. M. Perpernæ consulis meminerunt omnes qui de Aristonici bello scripserunt. Hunc ante consulem quam ciuem fuisse tradit Valerius lib. III, cap. V. His cos. cum Carbo tribunus pl. rogationem tulisset, vt eundem tribunū pl. quoties vellet, creari liceret, rogationem eius P. Africanus grauissima oratione dissuasit; in qua dixit, Ti. Gracchum iure cæsum videri. Gracchus contra suasit rogationem; sed Scipio tenuit. Epitoma LIX. Et Obsequens; M. Fuluij Flacci triumuiri dissensione in legibus ferendis; angues duo nigri in cella Mineruæ allapsi, ciuilem cædem

S iiij

portenderunt. Antiocho regi Syriæ, ingenti exercitu dimicanti, hirundines in tabernaculo nidum fecerunt. quo prodigio neglecto, prœlium commisit; & a Parthis occisus est. qua de re scriptum est etiam in Epitoma, quam citaui.

De re gesta in Asia cum Aristonico.

M. PERPERNA consul successit Crasso in Asiam; atque Aristonico acie victo captoque bellum confecit. ante tamen mortuus quam Romam rediret, triumphare nō potuit. Vt autem tota res gesta sit, latius in sequentis anni historia explicanda demonstrabo.

DE COS. AN. DCXXIIII.

Hic annus consules habuit M'. Aquillium, C. Sempronium, auctore Cassiodoro: Aquillium & Tuditanum fastis Siculis: Orosio autem, C. Sempronium Tuditanum, M'. Aquillium. Horum meminit Cicero de natura deorum: Sol geminatus est, inquit, Tuditano & Aquillio cos. quo quidem anno P. Africanus sol alter exstinctus est. Et ad Q. Fratrem; Nouendiales feriæ fuerunt Aquillio & Tuditano cos. paulo ante mortem Africani. Appianus lib. primo, Strabo lib. XIIII, alij, M'. Aquillij cos. meminerūt. Horum vterque ex triumphis eorum Capitolinis descriptus est. His consulibus seditiones a triumuiris Fuluio Flacco, C. Graccho, & C. Carbone agro diuidundo creatis, excitatæ. quibus cum P. Scipio Africanus aduersaretur, fortisque ac validus pridie domum se recepisset, mortuus in cubiculo inuentus est. suspecta fuit, tamquam venenum dedisset, Sempronia vxor; hinc maxime, quod soror esset Gracchorum, cum quibus simultas Africano fuerat. de morte tamen eius nulla quæstio lata. Defūcto eo, seditiones triumuirales acrius exarserunt. Epitoma LIX. Appian. lib. I.

De re cum Aristonico in Asia gesta, & bello confecto; & triumpho M'. Aquillij pro cos.

CRASSO (vt dixi) in Asiam Perperna consul, Perpernæ M'. Aquillius successit. Perpernam triumphasse, indicare forte quibusdam videatur Valerius, cum scribit ita, capite de iis qui humili loco nati clari euaserunt; Non paruus consulatus rubor M. Perperna; vtpote qui consul ante quam ciuis: sed in bello gerendo vtilior aliquanto reip. Varrone. regem enim Aristonicum cepit, Crassianæque stragis punitor exstitit: cum interim cuius vita triumphauit, mors Papia lege damnata est. At triumphasse eū negant alij omnes. siquidem M'. Aquillius successor eius triumphauit. Id autem vt ceciderit, æquum est collectis veterū annalium verbis intelligere. Sic scribit Velleius; Asiam L. Scipio Africani frater eripuit Antiocho: sed beneficio senatus populiq; Ro. mox ab Attalis possessam regibus, M. Perperna capto Aristonico, fecit tributariam. Et alibi; Aristonicus, victus a M. Perperna, ductusque in triumpho, sed a M'. Aquillio; capite pœnas dedit. Orosius autē; Perperna consul, qui Crasso successerat, audita morte Crassi, & clade exercitus Romani raptim in Asiā peruolauit. Aristonicū recēti victoria furentē, improuiso bello adortus, nudatū omnibus copiis in fugā vertit: cumq; Stratonicen vrbē, ad quā ille cōfugerat, obsidione cinxisset, trucidatū fame, ad deditionē coegit. Perperna cos. correptus morbo, apud Pergamū obiit. Aristonicus vero ductus ad vrbē Romam, iussu senatus in carcere strangulatus est. Addit Eutropius; Triumphari de eo non potuit; quia Perperna apud Pergamū, Romam rediens, diem obiit. Iustinus autē; In Crassi locū missus Perperna consul, prima congressione Aristonicū superatū in potestatē suam redegit; Attalicasq; gazas hæreditarias populi Romani nauibus impositas Romā deportauit. quod ægre ferens successor eius M'. Aquillius consul, ad eripiendū Aristonicū Perpernæ, perinde veluti sui potius triumphi munus esse deberet, festinata velocitate contendit. sed contentionem consulū mors Perpernæ diremit. Strabo etiam lib. XIIII; M. Perperna, inquit, capto Aristonico, & Romam misso, bellum confecit: Aristonicus ipse in carcere mortuus est; Perperna morbo absumptus. postea M'. Aquillius consul cum decem legatis missus, prouinciam cōposuit. Florus; Aristonicus a Perperna domitus & captus, & per deditionem in vinculis habitus. Aquillius Asiatici belli reliquias confecit, mixtis veneno fontibus ad deditionem quarundam vrbium. quæ res vt maturam, ita infamem confecit

victoriam

victoriam. De eiusdem triumpho scriptum est in Epistola Mithridatis apud Salustium; Romani simulato impio testamento, filium Eumenis Aristonicum, quia patrium regnum petiuerat, hostium more per triumphum duxere. Triumphauit autem sero, vel in prouincia cõstituenda occupatus; vel inimicorum, a quibus post etiã accusatus est, inuidia impeditus: siquidem in annum DCXVII triumphus M'. Aquillij M'. F. M'. N. pro cos. ex Asia reiicitur ab iis qui Capitolinos triumphos conscripserũt. Eadem belli occasione etiam Lydiam, sedem antiquam regnorum; Cariam, Hellespontum, ac Phrygias ambas, in potestatem populi Rom. deditione venisse, Rufus & Iornandes produnt. Phrygiam vero ab Aquillio Mithridati regi Pontico pecunia acceptam concessam, ipsum eo nomine Romæ postulatum, senatum Phrygiam liberam esse iussisse, tradit Appianus lib. primo Bellorum ciuilium, & in Mithridatica. Iustinus adiicit lib. XXXVII, Phrygiam Mithridati, patri Ariarathis Cappadociæ regis, qui in hoc bello ceciderat; filiis Lycaoniam & Ciliciam datas.

De triumpho C. Sempronij Tuditani cos. de Iapudibus.

HOC anno Illyrios mouisse, ac domitos esse, indicat triumphus C. Tuditani cos. qua de re sic scriptum inuenio libro primo apud Appianum. Cum Tuditanus consul vereretur ne iudex constitueretur litis quæ plebi cum patribus de agrorum diuisione erat, in Illyricum prouinciam profectus est. In Illyrica vero ita; Iapudes intra Alpes incolentes, Sempronius Tuditanus pugna superauit. In Epitoma autem LIX; C. Sempronius cos. contra Iapudas primo rem male gessit; mox victoria cladem acceptam emendauit virtute D. Iunij Bruti, eius qui Lusitaniam subegerat. Eundem intelligi a Plinio puto lib. III, cum ait; Tuditanus, qui domuit Istros, in statua sibi inscripsit, ab Aquileia ad Titium flumen stadia CC. Hunc demum consulem de Iapudibus triũphasse, scriptum est etiam in tabulis Capitolinis.

DE COS. AN. DCXXV.

DEINCEPS Cn. Octauius, T. Annius cõsules sequuti. auctor Cassiodorus; præter eum nemo. Octauium & Rufum in fastis Siculis inuenio. Plutarchus etiam T. Annium quendam narrat cum Ti. Graccho in seditione contendisse. Cn. Octauius Cn. F. est, eius qui cos. fuit anno DCLXXXVIII.

DE COS. AN. DCXXVI.

L. CASSIVM, L. Cinnam cõsules in hunc annum edit Cassiodorus: Longinum & Cinnam fasti Siculi. Hic est L. Cassius Longinus, qui postea censor fuit anno DCXXIIX: tribunus pl. fuerat Lepido & Mancino cos. Cicero in Bruto, pro Roscio, pro Sextio. L. Cinnam L. Cornelij Cinnæ patrem esse arbitror, eius qui postea consul quater fuit.

DE COS. AN. DCXXVII.

M. AEMILIVM, L. Aurelium consules in hunc annum memorat Cassiodorus & Obsequens: Lepidum & Orestem fasti Siculi: M. Æmilium Lepidum, L. Aurelium Orestem Censorinus: M. Lepidum, L. Orestem Cicero in Bruto. L. Orestem filium esse puto L. Orestis consulis anno DXCVI.

De re in Sardinia ab Oreste cos. gesta.

L. AVRELIO Oresti consuli Sardinia obtigit. C. Gracchus ei quæstor fuit per triennium; atque Orestem ipsum, decedens Romam, in prouincia reliquit; vt ait in Graccho Plutarchus. nam Gracchus ipse se tantum biennium ait fuisse in prouincia apud Gellium lib. XV, cap. XII. Sub eodem M. Æmilius Scaurus stipendia fecit; vt est scriptum in libro de viris illustribus. Sardiniam autem hoc tempore mouisse, atq; ab Oreste subactam esse, scriptum est in Epitoma LX. Qui si ex ea triumphauit (neque enim quidquam certum habeo) certe id post M. Fuluium fecit; qui de Liguribus post triennium triumphauit. nam hic vltra triennium in prouincia fuit; & Capitolini triũphi eum ante M. Fuluium non triumphasse indicant.

De Cenſoribus.

QVINQVENNIVM admonet vt in hunc annum cenſores coniiciamus, quos tamen aliqua de cauſſa abdicaſſe arbitror, nec luſtrum feciſſe. ſiquidem poſtero anno alij cenſores fuiſſe commemorantur. Qui autem fuerint, parum liquet. Ego tamē Q. Fabium Seruilianum, & L. Cæcilium Metellum Caluum ſcripſi; & quod ex iis qui conſulares eſſent, vetuſtiſſimi eſſent; & quod in cōſulatu collegæ fuiſſent. De Q. Fabio cenſore ſic Valerius capite de pudicitia; Q. Fabius Maximus Seruilianus, honoribus quos ſplendidiſſime geſſerat, cenſuræ grauitate conſummatis, exegit pœnas a filio dubiæ caſtitatis. De L. Metello ſic capite de teſtibus; Fratribus Metellis Quinto & Lucio, conſularibus & cenſoriis, altero etiam triumphali, in Q. Pompeiū A. F. repetūdarum reum, acerrime teſtimonium dicentibus, non abrogata fides. Hic eſt L. Metellus Q. Metelli Macedonici frater. Quam tamen infirmæ ſæpe in antiquitate concipienda coniecturæ ſint, omnes facile intelligere poſſunt. qui in hac re firmiores habuerit, eas ſequetur.

DE COS. AN. DCXXVIII.

M. PLAVTIVM, M. Fuluium conſules in hunc annum profitentur Caſſiodorus & Obſequens: Hypſæum & Flaccum faſti Siculi: M. Plautium Hypſæum, M. Fuluiū Flaccum Oroſius, & Frontinus de aquæ ductibus. De quibus ſic Valerius capite de ſuperbia; M. Fuluius Flaccus conſul, M. Plautij Hypſæi collega, cum pernicioſiſſimas reip. leges introduceret de ciuitate danda, de prouocatione ad populum eorum qui ciuitatem mutare voluiſſent, ægre compulſus eſt vt in curiam veniret. deinde partim monenti partim oranti ſenatui, vt incœpto deſiſteret, reſponſum non dedit. Appianus libro primo, M. Fuluium cos. tradit, primum Italos palam excitaſſe vt ciuitatem peterent; cumque in ea ſententia perſiſteret, a ſenatu in expeditionem miſſum. His cos. locuſtarum ingenti agmine in Africa pluit: quæ a vento in mare deiectæ, fluctibuſque eiectæ, odore intolerabili Cyrenis mortifero vapore, grauem peſtilentiam fecerunt pecori; hominumque DCCC millia conſumpta tabe, proditum eſt. Obſequēs, Epitoma LX, & Oroſius.

De cenſoribus & Luſtro LX.

HIS conſulibus cenſores fuiſſe L. Caſſium Longinum, & Cn. Seruilium Cæpionem, inuenio apud Frontinum his verbis ſcriptum; Cn. Seruilius Cæpio, & L. Caſſius Longinus, qui *Rauilia* appellatus eſt, cenſores anno ab vrbe condita DCXXVII, M. Plautio Hypſæo, M. Fuluio Flacco cos. aquam, quæ vocatur *Tepula*, ex agro Lucullano, quem quidam Tuſculanum credunt, Romam & in Capitolium adducēdam curauerunt. Eorum etiam ita meminit Velleius lib. II; Perſequamur notam ſeueritatē cenſorum Caſſij Longini, Cæpioniſque. qui Lepidum Æmilium augurem, quod ſex millibus ædes conduxiſſet, adeſſe iuſſerunt. L. Caſſij & Cn. Seruilij cenſorum meminit quoque Cicero in Verr. III. Luſtrum anno (vt puto) ſequenti conditum eſt. cenſa ſunt ciuium capita CCCXC millia, DCCXXXVI; vt ſcriptum eſt in Epitoma LX. quod luſtrum, ſi ſuperiora ſpectabis, LX numerabis.

De coniuratione Fregellana a L. Opimio præt. compreſſa.

EODEM anno ad Fregellas res geſta eſt a L. Opimio prætore. Id autē ſignificat Obſequens, qui Fregellas, quæ aduerſus Romanos coniurauerant, his cos. dirutas ſcribit. Coniurandi fortaſſe cauſſam attulit M. Fuluius cōſul; qui Italicos populos primus in ſpem Romanæ ciuitatis (auctore Appiano) erexit. ſiquidem in Milonianam ſcribit Pædianus; L. Opimius in prætura Fregellas cepit: quo pacto viſus eſt ceteros quoque Latini nominis ſocios male animatos repreſſiſſe. Plutarchus C. Gracchum ſuſpectum fuiſſe tradit, ne ſocios ſollicitaſſet, & coniurationis Fregellanæ ſocius fuiſſet. In libro de viris illuſtribus ſcriptum eſt, eum Aſculanæ & Fregellanæ defectionis inuidiam ſuſtinuiſſe. Itaque Cicero in II agraria, bellum Fregellanum cum ſociis geſtum exponit. Ceterum Marcellinus lib. XV ſcribit, Opimio poſt diuerſos exitus prœliorum, Fregellanis tunc internecinis hoſtibus ad deditionem compulſis, triumphum dene-

denegatum. In Epitoma autem LX ita est; L. Opimius prætor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit. Et apud Velleium; L. Opimius prætor Fregellas excidit. Et apud Valerium de iure triumphandi; L. Opimius Fregellanis ad deditionem compulsis, triumphandi potestatem a senatu non impetrauit: non inuidia patrum cōscriptorum, sed summa diligentia obseruandi iuris, quo cautum erat, vt pro aucto imperio, non recuperatis quæ populi R. fuissent, triumphus decerneretur. Pullus autem Numitor videtur Opimio Fregellas prodidisse. etenim inquit Cicero lib. de finib. v. Quis Pullum Numitorem Fregellanum proditorem, quamquam reip. nostræ profuit, non odit?

De bello Allobrogico.

Hoc tempore primum cum Gallis trans Alpes dimicatum est. Salyes populi, huius auctores belli fuerunt, cum Massiliensium fines sociorum populi Ro. inuasissent. Salybus accesserunt Arueni, Ruteni, & Allobroges: quibus subactis, bellum finitum est, quod ab iis *Allobrogicum* appellatum est. Imperatores Romani gesserunt M. Fuluius Flaccus, C. Sextius Caluinus, Cn. Domitius Ahenobarbus, Q. Fabius Max. Æmiliani F. qui postea *Allobrogicus* dictus est. De hoc bello ita Florus: Prima trans Alpes arma nostra sensere Saluij, cum de incursionibus eorum fidissima atque amicissima ciuitas quereretur: Allobroges deinde & Arueni, cum aduersus eos similes Æduorū querelæ opem & auxilium nostrum flagitarent. Et in Epitoma LX; Fuluius Flaccus primus omnium transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus aduersus Saluios Gallos, qui populabantur fines Massiliensium. Et Marcellinus lib. XV; Gallorum regiones præcipue, quæ Italicis confines, primo tentatæ per Fuluiū, quassatæ per Sextium; ad vltimum per Fabium Maximum domitæ. Et Obsequens his cos. Ligures Salyas trucidatos scribit.

DE COS. AN. DCXXIX.

CONSVLES subsequutos tradit Cassiodorus & Obsequens C. Cassium Longinum, & C. Sextium: Longinum & Caluinum fasti Siculi. Velleius Cassio & Caluino Fabrateriam coloniam deductam scribit. C. Sextij Caluini meminit his verbis in Bruto Cicero; Atque etiam ingenio & sermone eleganti, valetudine incommoda C. Sextius Caluinus fuit. Eutropius consules edit C. Cassium Longinum, & Sex. Domitium Caluinum; vt puto, per mendum.

De re gesta cum Gallis.

M. FVLVIO consuli successit in Gallia C. Sextius consul; a quo Saluij funditus deleti sunt; quemadmodum Romanorum qui exstant annales omnes loquuntur. sic enim scriptum est in Epitoma LXI; C. Sextius pro cos. victa Saluiorum gente, coloniam *Aquas Sextias* condidit, ob aquarum copiam & calidis & frigidis fōtibus, atque a nomine suo ita appellatas. Velleius Sextium Caluinum Salyes apud Aquas Sextias, quæ ab eo Sextiæ appellantur, deuicisse scribit. Strabo lib. IIII, Sextium ait redactis in potestatem Salybus, non longe a Massilia sui nominis ædificasse oppidū, suæque appellationis aquas calidas dixisse. Vnde dixit Solinus cap. VIII; *Aquæ Sextiæ* quondā hiberna consulis, postea excultæ mœnibus. Marcellinus Gallos tentatos per Fuluiū, per Sextium quassatos fuisse. Hunc eundem Sextium prorogato imperio sequenti anno rem gessisse arbitror: primum, quod pro cos. Saluios vicisse traditur; deinde, quod non nisi biennio post successor ei missus est Cn. Domitius Ahenobarbus consul.

DE COS. AN. DCXXX.

Q. CAECILIVM, T. Quinctium in hunc annum prodit consules Cassiodorus: Metellum & Flamininū fasti Siculi; Q. Cæcilium Metellum, T. Quinctium Flamininum Eutropius & Orosius: T. Flamininum, Q. Metellū, vocat Cicero pro domo. Q. Metellus, maximus natu est e filiis quatuor Macedonici; quem a deuictis in hoc honore Balearibus, Q. Metellum *Balearicum* vocat Plutarchus de fortuna Romanorum, itemque alij.

De triumpho M. Fuluij Flacci pro cos. de Ligurib. & Gallis.

In hunc demum annum coniiciunt Capitolini scriptores triumphum quem ob res in Gallia gestas egit M. Fuluius Flaccus. Triumphasse autem de Liguribus, Vocõtiis, scriptum est in triumpho Capitolino. puto autem desiderari, ET SALVIIS; primũ, quod aduersus eos missus erat; deinde, quod in consulatu eius Ligures Salyes victos scribit Obsequens. Post Salyas (inquit Strabo) tenent montana Vocontij: quorum regio ad Allobrogas vsque pertenditur. Plutarchus in seditione Gracchi, quæ biennio post excitata est, Fuluium armasse suos ait spoliis iis quæ Gallis consul ademerat. Idẽ cum Velleio hunc consularem & triumphalem nominat.

De Balearibus victis, & triumpho Q. Metelli pro cos.

Hoc anno *Balearicum bellum* gestum est. cuius hanc caussam exponit Florus. Baleares (inquit) insulæ, piratica rabie corruperant maria. ascendêre etiam inconditas rates; & preternauigantes subinde inopinato impetu terruere. sed cum venientem ab alto Romanam classem prospexissent, prædam putantes, ausi etiam occurrere; & primo impetu ingenti lapidum saxorumque nimbo classem opperuere; sed non diu. nam postquam comminus ventum est, expertique rostra & pila venientia, pecudum in morem clamore sublato petierunt fuga litora; dilapsiq; in proximos tumulos, quęrendi fuerunt, vt vincerentur. Metelli Macedonici filij auspicio res gesta, Balearici ei cognomen imposuit. Strabo autem lib. XIII ita; Cum ex Balearibus pauci quidã improbi cum maris prædonibus conspirassent, vniuersos criminatus Metellus cognomento Balearicus inuasit; idemque colonias condidit. In Epitoma autem LX ita est; Aduersus Baleares a Q. Metello consule res geritur. Triumphasse porro ex hac victoria Metellum, cum partum cognomen indicat; tum quod Plinius lib. VII scribit, Macedonicum a duobus filiis triumphalibus esse elatum; Balearicum & Dalmaticũ intelligens. Triumphasse autem biennio post, docet Orosius, cum post C. Gracchi cædem, L. Opimio cos. factam, ita ait; Metellus Baleares insulas bello peruagatus edomuit; & piraticam infestationem, quæ ab iisdem tunc exercebatur, plurima incolarum cæde compressit.

DE COS. AN. DCXXXI.

Cn. Domitium, C. Fannium consules comparant in hunc annum Cassiodorus & Obsequens: Ahenobarbum & Fannium fasti Siculi. Eorum sic meminit in Bruto Cicero; C. Fannius C. F. qui cos. cum Domitio fuit, vnam orationem de sociis & nomine Latino contra Gracchum reliquit. Et Plinius lib. II, Lunæ, inquit, trinæ Cn. Domitio, C. Fannio consulibus, apparuere; quos plerique appellauerunt soles nocturnos. C. Fannium a C. Graccho consulem factum, L. Opimium repulsam tulisse, tradit Plutarchus. Cn. Domitius, pater est Cn. Domitij qui censor fuit anno DCLXI, filius Cn. Domitij eius qui consul fuit anno DXCI. auctor Suetonius in Nerone.

De re gesta cum Gallis, & triumphis C. Sextij Caluini pro cos. & Cn. Domitij Ahenobarbi pro cos.

QVAS res gesserit C. Sextius consul, atque pro cõsule, supra commemorauimus. Cn. autem Domitium Ahenobarbum consulem inuenio trans Alpes post C. Sextiũ missum, rem cum Aruernis & Allobrogibus felicissime gessisse. Auctores huius historiæ habeo Suetonium in Nerone, qui ait; Cn. Domitius Ahenobarbus in consulatu Allobrogibus Aruernisque victis, elephanto per prouinciam inuectus est, turba militum quasi inter solennia triumphi prosequente. Et Epitomã LXI, in qua post victoriam C. Sextij ita est; Cn. Domitius pro cos. contra Allobroges ad oppidum Vindaliũ feliciter pugnauit. quibus belli inferendi caussa fuit, quod Teutomalium Saluiorum regem fugientem recepissent, & omni ope iuuissent; quodque Æduorum agros sociorum populi Ro. vastauissent. Et Orosium, qui scribit; Cn. Domitius pro cos. Allobroges Gallos iuxta oppidum Vindalium grauissimo bello vicit; maxime cum elephantorum noua forma equi hostium, hostesque conterriti diffugissent. XX millia ibi Allobrogum cæsa referuntur: III millia capta sunt. Velleius etiam, Domitij

Ahenobarbi ex Aruernis victoriam nobilem scribit fuisse. Obsequens item his cos. Salyes & Allobroges deuictos scribit. Adijcit Florus; Huius victoriæ quantum gaudium fuerit, vel hinc existimari potest, quod & Domitius Ahenobarbus, & Fabius Maximus, ipsis quibus dimicauerant locis saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostilibus trophæa. Hinc Cicero pro Fonteio dixit; Cn. Domitius, & Q. Maximus, nationem Allobrogum & reliquias armis confecerunt & oppresserunt. Domitium cum Allobrogibus dimicasse scribit Strabo, vbi Sulga Rhodanusque commiscentur. Vtrumque triumphasse, & Sextium & Domitium, hæc Eutropij verba, quamquam mendosa, significant; C. Cassius Longinus, & Sex. Domitius Caluinus consules, Gallis Transalpinis bellum intulerunt, & Aruernorum ciuitati, & eorum regi Bituito; infinitamque multitudinem iuxta Rhodanum fluuium interfecerunt. Denique Bituitus superatus, Domitio se dedidit; atque ab eo Romam deductus est; magnaque gloria consules ambo triumpharunt. Hæc autem verba mendosa dico; quia Sextium Caluinum cum Domitio miscent. neque enim C. Cassius Longinus ad hoc bellum quidquam pertinet. Vt Bituitus rex a Domitio & a Fabio captus sit, in triumpho Fabij ostendam: quem Florus bis in triumpho visum scribit, Domitij credo, & Fabij. Accedit quod Suetonius Domitios Ahenobarbos triumpho functos ait, censuraq; duplici. quo tamen in loco errauit vir ille; quod hunc Domitiū cum filio huius tribuno plebis eundem fecit. Triumphauit autem certe Domitius in consulatu Fabij; quod Valerius auctor sit, capite de perfidia, Domitium in prouincia fuisse tum cum ei Fabius successit.

DE COS. AN. DCXXXII.

L. OPIMIVM, Q. Maximum consules hic annus habuit, auctore Cassiodoro: Opimium & Maximum fastis Siculis: Obsequente vero, L. Opimium, Q. Fabium Maximum. Horum meminit Plinius libro II, cum ait; Circa solem arcus apparuit L. Opimio, Q. Fabio cos. Ceterum Fabium Maximum Paulli nepotem, Fabij Æmiliani filium esse, docet Pædianus in Verr. Velleius libro II, Cicero in Bruto, Epitoma LXI. vt turpissimi erroris coarguantur Strabo & Appianus, qui hunc Fabium Æmilianum vocarunt; & Plinius libro XXXIII, cap. XI, qui hunc Fabium Allobrogicum, (hoc enim ille cognomen ex victoria sibi peperit) Africani fratrem appellat; quasi idem sit Allobrogicus & Æmilianus. L. Opimij consulis, vnde *Opimianum vinum* dictum est, meminit Plinius libro XIIII, capite IIII; & Plutarchus in C. Graccho, & Velleius libro II.

De bello Allobrogico confecto, & triumpho Qu. Fabij Max. pro cos.

Q. FABIVM consulem contra Allobroges exercitum duxisse, ac bellum confecisse, inuenio scriptum in annalibus Romanis. quæ autem inueni, ea exponam; nequis in hoc diligentiam meam fortasse desideret. In Epitoma LXI ita est; Q. Fabius Maximus cōsul, Paulli nepos, aduersus Allobrogas & Bituitum Aruernorum regem feliciter pugnauit. ex Bituiti exercitu cæsa millia hominum centum viginti. & cum ipse ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset, Albæ custodiendus datus est; quia contra pacem videbatur vt in Galliam remitteretur. decretum quoque est vt Congentiatus, filius eius, comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti. Eadem de Bituito rege victo, & clade hostium edita, sunt etiam apud Strabonem libro IIII, atque apud Orosium. Addit Cæsar lib. primo de bello Gallico, Aruernos & Rutenos a Fabio Max. superatos, iisque populum R. ignouisse, neq; in prouinciam redegisse, neque stipendium imposuisse. Et Plin. lib. VII; Q. Fabium Maximum consulem, apud flumen Isaram prœlio commisso aduersus Allobrogum Aruernorumque gentes, ante diem VI id. August. CXX millia perduellium cæsis, febri quartana liberatum esse in acie. Appianus, CXX millia Gallorum a Fabio, quamquam ex recenti vulnere imbecillo, cæsa esse: Velleius, Fabium ex hac victoria Allobrogicum, Pædianus Allobrogem appellatum tradit. Marcellinus Galliam Italiæ finitimam a Q. Fabio domitam ait; eiq; rei pleniorem effectum deuicta asperiore Allobrogum gente cognomentum indidisse. Illud in hac victoria me mouet, quod Va-

Valerius Bituirum captum a Domitio scribit, ac Romæ custodiendum datum, libro IX, his verbis; Iratus Bituito regi Aruernorum Cn. Domitius, quod tum suam, tum etiam Allobrogum gentem, se etiam tum in prouincia morante, ad Q. Fabij successoris sui dextram confugere hortatus esset; per colloquij simulationem accersitum, hospitioque exceptum, vinxit, ac Romam naui deportandum curauit. Senatus eius factum neque probare potuit, neque rescindere voluit; ne remissus in patriam Bituitus bellum renouaret. igitur eum Albam custodiæ caussa relegauit. Eum tamen Bituitum cum Domitio & cum Fabio pugnasse, Strabo tradit; atque bis in triumpho ductum videtur significare Florus, cum scribit; Nihil tam conspicuum in triumpho, quam rex ipse bis visus discoloribus in armis, argenteoque carpento, qualis pugnauerat. Hoc bello *Narbonensis Gallia in prouinciam redacta*; atque vt quotannis in eam Roma prætores mitterentur, institutum. Quod cum ex sequentium annorum historia patet, tum maxime ex Critognati Aruerni apud Cæsarem oratione lib. VII, cum ait; Quod si ea quæ in longinquis nationibus geruntur, ignoratis, respicite finitimam Galliam; quæ in prouinciam redacta, iure & legibus commutatis; securibus subiecta, perpetua premitur seruitute.

De seditione C. Gracchi trib. pl.

HIS consulibus C. Sempronius Gracchus, Tiberij frater, occisus est, cum per biennium tribunus pl. legibus seditiosis latis remp. perturbasset. quæ fuerunt; Vt cui abrogatus magistratus fuisset, ei iterum capere magistratum non liceret; Vt qui indicta caussa in ciuem Ro. animaduertisset, de eo populus iudicaret; (quæ lex præcipue in P. Popillium lata est) Vt agri publici tenuioribus diuiderentur: Vt vestes militibus gratuito darentur: Ne quis minor XVII annis ad militiam cogeretur: Vt sociis Latinis suffragium, æque ac ciuibus Ro. daretur: Vt semisse & triente frumentum plebi tribueretur: Vt a senatoribus ad equites iudicia transferrentur: Vt viæ dirigerentur, sternerentur; lapidibus stadia significantibus distinguerentur; pontibus ornarentur: Vt coloniæ Capua & Tarentum in Italia deducerentur. His legibus offensus senatus, M. Liuium Drusum Gracchi collegã impulit, vt colligendæ popularis beneuolentiæ caussa, leges alias & ipse ad populum ferret; vnam, de XII coloniis deducendis; alterã; Ne quis Latinorum in castris virgis cæderetur. Cum autem Rubrius Gracchi collega legem de Carthagine colonia in Africam deducenda, annitẽte maxime Graccho, pertulisset, Gracchus ipse triumuir eo profectus est. Atq; hæc quidem biennio priore acta sunt. Hoc aũt anno, cum L. Opimius consul, vel (vt aliis placet) Minucius Rufus tribunus plebis, leges Gracchi, qui iam tribunatu abierat, abrogaturus, & Carthaginem coloniam alio translaturus esset, occupatur ab vtraq; parte Capitolium. Ibi Atilio ministro Opimij consulis, a Gracchanis in turba occiso, eo die tempestatis caussa perfectum nihil est. postero die senatus ab Opimio consule vocatus, ac cõmemorata Atilij nece grauiter offensus, mandat consuli vt videat nequid detrimẽti resp. capiat. Ita Opimius postridie armato senatu atq; equitibus, in forum descendit. Gracchus ac Fuluius Flaccus, is qui ante de Gallis triumphauerat, cum suis Auentinum obtinuerunt. Cum de cõditionibus pacis frustra per Fuluij filium legatum actum esset, Gracchus ab Opimianis Auentino armis pulsus, vna cum Fuluio interfectus est. caput eius ad Opimium delatum, auro redemptum. lustrata ciuitate, *Concordiæ templum* cõstructum est. Hæc Appianus, & Plutarchus latissime: breuius autem Velleius, Florus, Orosius, atque Epitomæ. De legibus Gracchi sic Pædianus in Verrem; C. Gracchus legem tulit, vt equites R. iudicarent. Cicero pro Rabirio, C. Gracchus legem tulit, ne de capite ciuium Ro. iniussu populi iudicaretur. & pro domo: de legib. III; C. Gracchus de P. Popillio tulit, vt ei aqua & igni interdiceretur. & pro Sextio; C. Gracchus frumentariam legem ferebat. res iucunda erat plebi; repugnabant boni, quod ab industria plebem ad desidiam auocari putabant, & ærarium exhauriri videbant. Vnde inquit in III Tuscul. C. Gracchus cum largitiones maximas fecisset, & effudisset ærarium, verbis tamen defendebat ærarium. Item pro domo; C. Gracchus prouincias consulares non modo non abstulit a senatu, sed vt necesse esset quotannis constitui per senatum. Item pro Cluentio; C. Gracchi lex, ne quis coeat vt publico iudicio conde-

condemnet quenquam. De nece autem ſic Cicero in Antonium, & in Catilinam; Senatus, quod L. Opimius cos. verba fecit de rep. de ea re ita cenſuit; vt L. Opimius conſul remp. defenderet. igitur Q. Metellus, cuius quatuor filij conſulares; P. Lentulus princeps ſenatus, cum L. Opimio conſule, aliique complures, armati, Gracchum in Auentinum perſequuti ſunt. quo in prœlio Lentulus graue vulnus accepit; interfectus eſt Gracchus, & M. Fuluius cõſularis, eiusq; duo adoleſcentuli filij. Item; C. Gracchus, quod agrarios concitaret, occiſus. Et Saluſtius; C. Gracchum triumuirum coloniis deducendis, occidit Opimius. Et Pædianus; C. Gracchus tribunicius eſt interfectus. Quod dixi, vt oſtenderem Valerium errare, qui C. Gracchum in tribunatu necatum ſcripſit. De M. autem Fuluio, ſic Cicero pro domo; M. Fuluius, quia cum Graccho contra ſalutem reip. fecerat, & ſenatus ſententia interfectus eſt, & eius domus euerſa & publicata eſt; in qua porticũ poſt aliquanto Q. Catulus de manubiis Cimbricis fecit. Et Valerius lib. VI; M. Flacci corpore trucidato, penates ab imis fundamentis eruti ſunt. Flacciana area, cum diu penatibus vacua manſiſſet, a Q. Catulo Cimbricis ſpoliis adornata eſt.

DE COS. AN. DCXXXIII.

P. MANLIVM, C. Papirium conſules ſubdit in hunc annum Caſſiodorus: Manilium & Carbonem faſti Siculi. Vereor igitur vt P. MANILIVS ſit legendum. Maniliorum enim fere cognomen nullum auditum eſt: eorumque Publium prænomen fuiſſe accepimus. at collega eius C. Papirius Carbo eſt; qui tribunus pl. Claudio & Perperna cos. poſt triumuir agris diuidundis a C. Graccho deſignatus eſt; quique primum plebis partes ſequutus, poſt ad optimates ſe contulit. De quo ſic Cicero in II de oratore, L. Opimij cauſſam defendebat ad populum C. Carbo conſul, nihil de C. Gracchi nece negabat; ſed id iure pro ſalute patriæ factum eſſe dicebat. Id autem ſignificat quod eſt in Epitoma LXI; L. Opimius accuſatus ad populum a Q. Decio tribuno plebis, quod indemnatos ciues in carcerem conieciſſet, abſolutus eſt.

De cenſoribus & luſtro LXI.

QVINQVENNII ratio poſcit, vt in hunc annum cenſores & luſtrum conijciamus. Qui autem cenſores fuerint, vix in tanto annalium R. ſilentio, diuinare poſſum. vtar autem, vt ſupra, coniecturis ex hiſtoriarum libris quos nobis vetuſtas reliquit, ſumptis. Placet igitur alterum ex his fuiſſe Q. Metellum Balearicum, Macedonici filium; quia tradit Velleius Macedonicum elatum eſſe a filio vno conſulari & cẽſorio, altero conſulari; tertio, cõſule; quarto, cãdidato conſulatus, quem magiſtratum adeptus eſt. Et Cicero de finibus V, Q. Metellus, inquit, tres filios conſules vidit; e quibus vnum etiam cenſorem & triumphantem, quartum autem prætorem. Et Plin. lib. VII, Macedonicum a quatuor filiis illatum rogo, vno prætore, tribus cõſularibus, duobus triumphalibus, vno cenſorio ſcribit. Nunc ſi quæratur qui ſit e duobus triumphalibus qui cenſuram geſſerit, an Balearicus, an Dalmaticus; profecto Balearicũ reſpondebo; quia Cicero poſt reditum ad Quirites ait, de Metellis his loquens; Non L. Dalmaticus conſularis, non C. Metellus cenſorius; non prætermiſſurus certe etiam in L. Dalmatico cenſuram, ſi eam geſſiſſet. Ergo ſi Q. Metellus cenſor fuit, & ante patris mortem fuit, qui M. Cæcilio Metello filio cõſule mortuus eſt, nec niſi poſtquam conſul fuit, cenſuram cepit; profecto hoc anno eam geſſerit neceſſe eſt. Huic autem L. Calpurnium Piſonem Frugi adiunxi, eum qui XIII ante annis conſul fuit; quem & ipſum cenſorium eſſe inuenio. De eo enim ſic Cicero in Bruto; L. Piſo trib. pl. legem primus tulit de pecuniis repetundis, & annales reliquit. Huius teſtimonium ex annalibus profert Dionyſius lib. IIII, & vocat Λεύκιον Πίσωνα Φρύγι ἐν ταῖς ἐνιαυσίαις ἱστορίαις. & in II, ὡς Πίσων Λεύκιος ὁ τιμητικὸς ἱστορεῖ. id eſt, *L. Piſo Frugi in Annalibus.* &, *Vt L. Piſo Cenſorius ſcribit.* Plinius etiam libro XIII, cap. XIII, eundem Piſonem cenſorium citat. Nemo eſt præterea ex conſularibus, quem cenſorium fuiſſe acceperimus, præter hunc. Nam Cn. Domitij Ahenobarbi certum habemus cenſuræ annum. plebeij autem, quod fieri cœptum erat, duo comparati ſunt. Factum etiam eſſe ab his luſtrum LXI, & ptiora & poſteriora luſtra demonſtrant.

DE COS. AN. DCXXXIIII.

L. CÆCILIVM, L. Aurelium conſules ſuggerit Caſſiodorus & Obſequens: Metellum & Cottam faſti Siculi. Cæcilij Metelli & Cottæ conſulũ meminit Plutarchus in Mario: quem Marium his cos. tribunatũ plebis geſſiſſe, Metellumq; conſulem in carcerem cōieciſſe ſcribit. Cotta eſt ille in cuius conſularis locum C. Cæſarem flaminem dialem eſſe factũ tradit Velleius. L. Metellus, eſt filius L. Metelli Calui eius, qui cos. fuit anno DCXI. Idem poſt cenſor & pontifex maximus factus eſt.

DE COS. AN. DCXXXV.

HIC annus conſules habuit M. Catonem, Q. Marcium, teſte Caſſiodoro & Obſequente. Catonem & Marcium edunt faſti Siculi; Eutropius M. Porcium Catonem, & Q. Marcium. Eorum meminit Valerius libro V; Q. Marcius Rex, inquit, ſuperioris Catonis in conſulatu collega, a rogo filij vnici protinus curiam petiit, ſenatumq;, quem eo die lege haberi oportebat, conuocauit. Et Plinius libro II; Tres ſoles, inquit, antiqui viderunt Q. Marcio, M. Porcio cos. Gellius porro ſcribit libro XIII, M. Catonem M. F. M. N. conſulẽ cum Q. Marcio fuiſſe; atque in eo cōſulatu in Africam profectum, in prouincia obiiſſe. Et Velleius libro I, atque Eutropius, M. Porcio, Q. Marcio cos. *Narbonem Marcium* in Gallia coloniam eſſe deductam. Catone autem conſule immolante Obſequens inquit exta contabuiſſe, caput iocinoris inuentum non eſſe. Africa hoc anno propter aliquot forte motus, prouincia conſularis facta eſt, cum Catoni conſuli fuerit decreta.

DE COS. AN. DCXXXVI.

CONSVLES deinceps tradit Caſſiodorus L. Cæcilium, & Q. Mucium Metellum & Scæuolam faſti Siculi; L. Cæcilium Metellum, Q. Mucium Scæuolam Eutropius. In tabula etiam vetuſta de Genuenſium finibus, hi conſules nominantur, L. CAECILIVS Q. F. & Q. MVCIVS Q. F. Eſt autem hic L. Cæcilius Metellus, qui poſtea a Dalmatis victis *Dalmaticus* appellatus eſt: quem Plutarchus in Coriolano, & in libro de fortuna Romanorum, *Diadematum* vocat, quod vlceris cauſſa diademate diu frontem obligauerit. Q. Mucius Scæuola, augur eſt, de quo Cicero in Lælio, & libro primo de oratore; filius Q. Scæuolæ conſulis anno DLXXIX. L. Metello Dalmatæ euenerunt.

De triumpho Q. Marcij Regis pro cos.

HOC anno in Gallia bellum excitatum, indicat victoria Q. Marcij conſulis; de qua ſcriptum eſt apud Oroſium ita; Q. Marcius conſul, Gallorum gentem ſub radice Alpium ſitam bello aggreſſus eſt. qui cum ſe Romanis copiis circumſeptos viderent, belloq; impares fore intelligerent, occiſis coniugibus ac liberis, in flammas ſe proiecerunt. Et in Epitoma LXII; Q. Marcius conſul, Sarnos gentem Alpinam expugnauit. Qui autem ſint *Sarni* populi, nondum comperi. Rem vero geſtam eſſe a Marcio in Narbonenſi prouincia, oſtendit colonia ipſa, *Narbo Marcius* ab conditore appellata. de qua ſic Cicero in Bruto, L. Craſſus voluit adoleſcens in colonia Narbonenſi cauſſæ popularis aliquid attingere, eamq; coloniam, vt fecit, ipſe deducere. Triumphaſſe eum ſuſpicor ex minime dubia victoria eius. Triumphos enim aliquot ex Tranſalpinis bellis actos, indicat Cicero lib. II de off. cum ait de Cæſare ita; Portari in triumpho Maſſiliam vidimus, & ex ea vrbe triumphari, ſine qua numquam noſtri imperatores ex Tranſalpinis bellis triumpharunt.

DE COS. AN. DCXXXVII.

CASSIODORVS prodit in hunc annum cōſules C. Licinium Getam, & Q. Maximum: Getam & Maximum faſti Siculi; Getam & Eburnum Cuſpiniani: quorum C. Geta poſt in cenſura etiam commemoratur. De Q. Maximo loquitur Cicero pro Murena, ſic; Quis L. Philippũ ſummo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio ſuperari poſſe arbitratus eſt? quis Q. Catulum humanitate, ſapientia, integritate ante-

antecellentem, a Cn. Manlio? quis M. Scaurum, hominem grauissimũ, ciuem egregium, fortissimum senatorem; a Q. Maximo? Et Festus, *Pullus Iouis* dicebatur Q. Fabius; cui cognomen *Eburno* erat, propter cãdorem, quod eius natis fulmine icta erat. Fabium Eburnum filium impudicum, cognita domi caussa, necasse tradit Quintilianus declam. III. quin Q. Fabium Seruilianum vocat Valerius.

De triumpho L. Metelli pro cos. de Dalmatis.

DALMATAE pacati quieuisse videntur postquam P. Scipio Nasica de iis triumphauit anno DXCVIII. Hoc autem tempore (vt scribit Appianus) L. Metellus consul, nulla eorum culpa, triumphandi libidine, bellum illis intulit; atque ab iis amice exceptus, Salonæ eorum vrbe hibernauit. post autem deportato Romam exercitu, sine caussa triumphauit. Prœlio autem opes eorum accisas esse, ostendit Epitoma LXII, in qua est; L. Cæcilius Metellus Dalmatas subegit. Et Pædianus in Verr. Ædem Castoris L. Metellus exstruxit de manubiis; qui subactis Dalmatis, *Dalmaticus* appellatus est. De triumpho autem eius in hunc modum loquitur Eutropius; M. Porcio Catone, Q. Marcio Rege, Narbo colonia in Gallia deducta est: annoq; eodem a L. Metello & Q. Mucio Scæuola cos. de Dalmatis triumphatũ est. Neminem autem esse tam cæcum arbitror, quin horum verborum mendum videat. neque enim Scæuola triumphauit, sed solus Metellus. vt verè Plinius dixerit, Macedonicum morientem reliquisse filios duos triumphales; id est, Balearicum, & Dalmaticum.

DE COS. AN. DCXXXVIII.

DEINCEPS sequuti cõsules M. Metellus, M. Scaurus, auctore Cassiodoro: Scaurus & Metellus fastis Siculis. M. Metellus, est tertius e filiis Macedonici, de quibus ante diximus. De M. Scauro ita Pædianus; M. Scaurus ita fuit patricius, vt tribus supra eum ætatibus iacuerit domus eius fortuna. nam neque pater, neque auus, neq; proauus, vt puto, propter tenues opes, & nullam vitæ industriam, honores adepti sunt. Et Cicero pro Murena; M. Æmilius Scaurus memoriam prope intermortuam generis sui virtute renouauit. Et Plutarchus de fortuna Rom. Æmilius Scaurus, ex humili vita & humiliore genere nouus homo, a fortuna sublatus, princeps senatus factus est. Hic anno priore superatus fuit in petitione consulatus a Q. Maximo; auctore Cicerone pro Murena. hoc autem anno, P. Rutiliũ superauit; eodem teste in Bruto M. Scaurus, inquit, & P. Rutilius, cum vna consulatum petiissent, non ille solum qui repulsam tulerat, accusauit ambitus designatum competitorem; sed Scaurus etiam absolutus, Rutilium in iudicium vocauit. Et Plin. lib. II; Tacta Iunonis ædes Scauro consule, qui mox princeps fuit. Et lib. VIII; Sorices & ipsos condi hieme, auctor est Nigidius, sicut glires; quas censoriæ leges, princepsq; M. Scaurus in consulatu non alio modo cœnis ademere, quam conchylia. Et in lib. de viris illustribus; M. Æmilius Scaurus, nobilis pauper. nam pater eius, quamuis patricius, ob paupertatem carbonariam fecit. idem primo dubitauit, honores peteret, an argentariam faceret, sed eloquentiæ consultus, ex ea gloriam peperit. consul legem de sumptibus & libertinorum suffragiis tulit. Scaurus Ligures, Metellus Sardiniam obtinuit.

De censoribus & lustro LXII.

CASSIODORVS his cos. censores fuisse L. Metellum & Cn. Domitium notat; eosdemq; artem ludicram ex vrbe remouisse, præter Latinum tibicinem cum cantore, & ludum talorum. Eorundem mentio est in Epitoma LXII, post L. Dalmatici victoriam, his verbis; L. Cæcilius Metellus, Cn. Domitius Ahenobarbus censores, duos & triginta senatu mouerũt. Et apud Valerium lib. II; Geta cum a L. Metello, Cn. Domitio senatu motus esset, postea censor factus est. L. Metelli & Cn. Domitij censorum meminit quoq; Cicero in Verr. Lustrum ab his conditum puto anno (vt assolebat) sequenti. Nam in Epitoma LXIII, post C. Porcium consulem sic de lustro agitur; Lustrum a censoribus conditum est. censa sunt ciuium capita CCCXCIIII millia * CCCXXVI. Ab his censoribus lectum principem senatus M. Æmilium Scaurum, indicat Salustius in Iugurtha; qui anno DCXLI vocat hunc cõsularem, & tum prin-

cipem senatus. & Plin. lib.II; Tacta, ait, Iunonis ædes Scauro consule; qui mox princeps fuit. Hunc autem L. Metellum, non Dalmaticum esse arbitror, sed Calui filium, eum qui quatuor ante annis consul fuit.

De triumpho M. Aemilij Scauri cos. de Liguribus.

M. SCAVRVM prouinciam habuisse tradit Cicero in V Verrina; rem in Liguribus gessisse, Strabo lib. V, his verbis; Magna intra Padum pars paludibus occupabatur; per quas Annibal magnis difficultatibus iter fecit in Tusciam. Ceterum Scaurus, deductis ex Pado vsq; in Parmensium agrum fossis nauigationibus commodis, paludes ipsas exsiccauit e campis. per Placentina enim arua Trebia Padum influens, alijq; complures ante fluuij, præter modum stagnant. Hic est ille Scaurus, qui per Pisas & Lunam vsque Sabatios *viam* strauit *Aemiliam*, & hinc per Derthonem. Eundem exercitum & imperium habuisse docet Frontinus libro IIII, cum ait; Pomifera arbor, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die abeunte exercitu, qui sub M. Scauro meruit, intactis fructibus relicta. Postremo in consulatu Ligures ab eo domitos; deque iis triumphatum esse, scriptum est in libro de viris illustribus; quo loco viam Æmiliam ab eo etiam censore stratam proditum est.

DE COS. AN. DCXXXIX.

M? ACILIVM Balbum, C. Catonem consules suggerit Cassiodorus: Balbum & Catonem fasti Siculi; M? Acilium, C. Porcium Obsequens. Eorundem meminit Plinius lib. II: Circa solem, inquit, arcus apparuit C. Porcio, M? Acilio cos. Item; Relatum lacte & sanguine pluuisse M? Acilio, C. Porcio cos. Acilium prænomine Manij afficit Plutarchus in Mario. est autem, vt opinor, filius M? Acilij L. F. Balbi, consulis anno DCIII. C. Cato frater est M. Catonis, eius qui quadriennio ante consul fuit, nepos M. Catonis Censorij, atque Africani sororis filius, vt ait Velleius, Cicero in Verrem, & in Bruto. Atque hic quidem Macedoniam sortitus est. M? Acilium, M? Acilij filium esse arbitror, eius qui consulatum gessit anno DCIII.

De bello Thracico, & triumpho T. Didij pro pr.

QVI de bello Thracico scribunt, ij fere a C. Catone consule illud exordiuntur. quamquam bellum in Thracia multo ante gestum esse, declarat res bene cum Scordiscis a M. Cosconio prętore viginti ante annis gesta. Puto autē eos iccirco a Catone initium belli narrandi ducere, quod ante res a prætoribus gesta sit, hic autem primus consul eo missus sit. vt antè excitatum, nunc demum grauius factum fuisse videatur. Missum tamen cum eo prætorem T. Didium reor; vt quondam etiam Q. Fabius cos. & C. Lælius prætor in Hispaniam aduersus Viriathum missi sunt; ex his autem consulem Catonem male pugnasse, prætorem prospere. De Catone sic scriptum est apud Eutropium; C. Cato consul bellum Scordiscis intulit; ignominioseque pugnauit. Et in Epitoma LXIII; C. Porcius cos. in Thracia male aduersus Scordiscos pugnauit. Et apud Velleium libro II; Cato consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum, ex Macedonia damnatus est, cum lis eius IIII M. æstimaretur. Idem Cicero in Verrem. De Didio sic Florus; Non fusus modo a Scordiscis aut fugatus, sed (simile prodigio) omnino totus interceptus exercitus quem duxerat Cato. Didius vagos & libera populatione diffusos, intra suam repulit Thraciam. Et Rufus Didius vagantes Thracas repressit. Eundem ex Macedonia triumphasse, auctor est Cicero in Pisonem: Quin tu me vides, inquit, qui, ex qua prouincia T. Flamininus, L. Paullus, Q. Metellus, T. Didius, innumerabiles alij, leui cupiditate commoti triumpharunt, ex ea sic redij, vt ad portam Esquilinam, Macedonicam lauream conculcarim. Præterea cum idem T. Didius iterum triumphauerit (auctoribus lapidibus Capitolinis) an. DCLX, facile intelligi potest, eum hoc tempore primum triumphasse. Quamquam si Didius hoc anno prætor in Macedoniam profectus est, eum potius sequenti anno triumphasse pro pr. puto. Sed fortasse, vt sæpe alias, vaticinamur. Qui certiora habet, ea sequatur, per me licet.

DE

DE COS. AN. DCXL.

C. CAECILIVM, Cn. Papirium consules subdit Cassiodorus & Obsequens: Metellum & Carbonem fasti Siculi: C. Cæcilium Metellum & Cn. Carbonem Eutropius. De his cos. loquitur Plinius libro II, cum ait; Lumen de cœlo noctu visum est C. Cæcilio, Cn. Papirio cos. Eosdem anno DCXL ab V. C. consulatum gessisse, tradit Tacitus in lib. de moribus Germanorum. C. Metellus, est quartus C. Metelli Macedonici filius, quem moriens prætorium & candidatum consulatus reliquit; vt supra diximus. eum cognomen ex contumelia traxisse, auctor est Cicero de orat. lib. II. cognomen autem fuit *Caprarius:* vt ait Plutarchus de Fortuna Romanorum. Carbonem, C. Carbonis filium esse reor eius qui VII ante annis cõsul fuit; patrẽ Cn. Carbonis consulis anno DCLXIX. Metello Macedonia, Carboni Illyricum euenerũt.

De triumpho M. Metelli pro cos. de Sardis, C. Metelli Caprarij cos. ex Macedonia.

TRIVMPHASSE autem M. Metellũ pro cos. hoc anno de Sardis, C. Metellum cos. fratrem eius ex Macedonia, scriptum est apud Eutropium, ita; C. Cæcilio Metello, & Cn. Carbone cos. duo Metelli fratres triumpharunt; alter ex Sardinia, alter ex Thracia. & apud Rufum, Sardiniam & Corsicam Metellus vicit, triumphauitque de Sardis, qui rebellauere sæpe. Iuncta administratio harum insularum fuerat; post suos prætores habuit. Vnde etiam scripsit Velleius; Circa eadem tempora II Metelli fratres vno die triumpharunt. Ex quo apparet, Catoni Metellum in Thraciam successisse. cuius tamen Metelli non meminerunt ij qui de bello Thracico tradiderunt.

De bello Cimbrico.

IISDEM consulibus Cimbros arma mouisse, scriptũ reliquit Tacitus de moribus Germanorum. Cimbrorum (inquit) arma, primum audita sunt anno DCXL, Cæcilio Metello, & Papirio Carbone cos. Et Obsequens; C. Cæcilio, Cn. Papirio cos. Cimbri Teutoniq;, Alpes transgressi, fœdam stragem Romanorum sociorumq; fecerũt. Eutropius item Romæ nuntiatum his cos. tradit, Cimbros e Gallia in Italiam venisse. Cur autem mouerint, caussam affert Florus; quod ab extremis Galliæ profugi, cum terras eorum inundasset Oceanus; nouas sedes toto terrarum orbe quærerent. Hi vero, quod finibus suis nunquam exissent, & quod longinquis e regionibus proficiscerentur, vnde venirent, aut quinam essent, ignorabatur. Romani autem eos Germanos esse ex iis qui ad Septemtrionalem Oceanum incolunt, arbitrabantur, quod Germanorum lingua prædones *Cimbri* appellarentur. Hæc Plutarchus in Mario. Cum autem in Illyricum venissent, Cn. Carbo cos. cui ea prouincia obtigerat, ab iis fusus acie ac victus est. siquidem in Epitoma LXIII, ita scriptum est; Cimbri gens * vaga, populabundi in Illyricum venerũt. ab iis Papirius Carbo cos. cum exercitu fusus est. Et apud Strabonem; Cn. Carbo ad Noreiam oppidum collatis cum Cimbris signis, nihil profecit. Velleius etiam scribit effusam immanem vim Germanarum gentium, quibus Cimbris ac Teutonis nomen erat, Carbonem cos. fudisse fugasseque, & exercitu exuisse. De eodem Carbone victo auctor est etiam Tacitus, & Vegetius. Carbone autem superato, quieuisse vsque ad Silanum cos. Cimbri videntur.

DE COS. AN. DCXLI.

M. LIVIVM Drusum, L. Pisonem consules in hunc annum commemorat Cassiodorus: Drusum & Pisonem fasti Siculi. L. Piso consularis occisus postea est a Tigurinis L. Cassio consule, auctore Orosio; auus L. Pisonis soceri C. Cæsaris, vt ipse Cæsar scribit lib. primo de bello Gallico; filius L. Pisonis Cæsonini, cos. an. DCV. M. Drusus, C. Drusi filius dicitur a Cicerone in Bruto, eius qui consul fuit anno DCVI.

De triumpho M. Drusi cos. ex Macedonia.

M. DRVSVM in Thracia prospere pugnasse post Didium, inuenio apud Florum; qui ita scribit; Didius Scordiscos vagantes intra suam repulit Thraciam. Drusus vlte-

rius egit, & vetuit transire Danubium. Et apud Rufum; Thraces M.Drusus intra fines proprios continuit. Et in Epitoma LXIII; Liuius Drusus cos. aduersus Scordiscos gentem a Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnauit, magnumque honorem tulit. Puto autem hunc etiam sequenti anno rem in Thracia gessisse; quod consulum eius anni alter Numidiam, alter Italiam sortitus sit. Drusum autem triumphasse, inde apparet, quòd Suetonius tres Liuiæ gentis triumphos edit: quorum priores a Salinatore acti sunt, tertius hic a Druso.

DE COS. AN. DCXLII.

CONSVLES edit in hũc annum Cassiodorus P.Scipionem, L. Calpurnium Bestiam: fasti Siculi Nasicam & Bestiam: Obsequens P.Scipionem, L.Calpurnium: Salustius, Eutropius, & Orosius, P.Scipionem Nasicam, & L.Calpurnium Bestiam. P. Nasicæ Scipionis, & L.Bestiæ consulum, meminit etiam Valerius lib.I, cap.VI. Cicero autem P.Scipionem, P.Scipionis Serapionis filium, L. Bestiæ collegam, in consulatu mortuum esse tradit in Bruto. Idem pro Plancio P. Nasicam, repulsam in ædilitate passum, consulem esse factum scribit. Bestiæ etiã mentio est in fragmento Capitolino. P.Nasicæ Italia, L.Bestiæ Numidia prouinciæ obtigerunt. Salustius auctor.

De bello Iugurthino.

SALVSTIVS, ac ceteri qui belli Iugurthini initia litteris prodiderunt, his consulibus bellum contra Iugurtham susceptum tradunt. Iugurtha auum Masanissam, patrem Micipsam Numidiæ reges per adoptionem adeptus, agitatus regni cupiditate, primum Hiempsalem fratrem per insidias necarat; deinde in Adherbalem alterum se conuerterat. Cum Adherbal Romam de Iugurtha questum profugisset, Iugurtha eo missa ingenti pecunia, facile senatum in suam sententiam traxit. missos deinde a senatu legatos, qui regnum inter illum Adherbalemq; diuiderẽt, similiter aggressus, corrupit pecunia. Cum autem Adherbal, bello ab eo petitus, & in oppido Cirta obsessus, contra denuntiationem senatus occisus esset, Iugurthæ bellum indictum est. Primus in Numidiam cum exercitu missus est L. Calpurnius Bestia; qui captus regis pecunia, pacem cum eo flagitiosam fecit: quæ a senatu improbata est. Hæc Salustius latissime: Florus, Orosius, Eutropius, alij, breuiores.

De citeriore Hispania rebellante.

POST aliquot tempora quam Hispania a Scipione pacata fuit, nouæ ibi defectionum caussæ extiterunt. ad eosq; motus reprimendos missus est Calpurnius Piso, atq; in Pisonis locum Ser.Galba. Cimbris autem in Galliam irrumpentibus, ac seruis Siciliam iterum bello vexantibus, legati Roma eo missi sunt; qui honestioribus, quibus potuerunt, conditionibus, Hispanienses tumultus composuerunt. Hæc Appianus in Hispaniensi scribit historia. Quæ hanc mihi videtur habere sententiam, vt quoniam biennio post Cimbri redierunt, ac tertio post anno Ser.Galba cõsulatum iniuit. idem Galba anno antequam Cimbri recederent, Hispaniam prætor obtinuerit; ante Galbam autem Calpurnius Piso hoc anno. de quo Pisone nescio an forte intelligat Cicero in Verrem, cum scribit; Sunt vestrum iudices quam multi, qui L. Pisonem cognouerunt, huius L. Pisonis, qui prætor fuit, patrem. is cum esset in Hispania prætor, qua in prouincia occisus est, nescio quo pacto, dum armis exercetur, annulus aureus, quẽ habebat, fractus est & diminutus. &c. Eundem autem filium scribit fuisse L. Pisonis Frugi, qui trib.pleb. primus de repetundis legem tulit.

DE COS. AN. DCXLIII.

SP. POSTVMIVM, M.Minucium cos. Cassiodorus suggerit: Albinum & Rufum fasti Siculi: Sp. Albinum, Q.Minucium Rufum Salustius. M.Minucij meminit etiam Velleius, & Epitoma LXV. Alter autem est ex duobus fratribus, de quibus mentio fit in tabula quadam vetere de Genuensium finibus, ita; Q. M. MINVCIEI Q. F. RVFEI, DE CONTROVERSIIS INTER GENVATEIS ET VEITVRIOS IN RE PRAESENTE COGNOVERVNT, L. CAECILIO Q. F. Q. MVCIO

MVCIO Q. F. COS. In fragmento Capitolino est etiam mentio Albini. Minucio Macedonia, Postumio Numidia obtigit.

De re gesta cum Iugurtha, & triumpho M. Minucij pro cos. de Thracibus.

HOC anno Sp. Postumius cos. cui Numidia obuenerat, post Bestiam aduersus Iugurtham missus, pecunia (vt creditur) a rege corruptus, bellum traxit, quoad Romam comitiorum caussa rediit. A. Postumius frater eius legatus, quem pro pr. castris cōsul præfecerat, prœlio aduersus Iugurtham infeliciter gesto, pacem quoque turpem fecit; quam seruandam non esse senatus censuit. auctor Salustius, & alij. At vero M. Minucius, qui Macedoniam sortitus erat, rem cum Thracibus non modo in consulatu, sed etiam pro consule bene gessit. Hoc annalium qui exstant, verba docent. Frontinus lib. II; Minucius Rufus imp. cum a Scordiscis Dacisque premeretur, quibus impar erat numero, præmisit fratrem & paucos equites vna cum æneatoribus; præcepitque, vt cum vidisset contractum prœlium, subitus ex diuerso se ostenderet, iuberetq; æneatores concinere. Sonantibus montium iugis, species ingentis multitudinis offusa est hostibus; qua perterriti, dedere terga. Et Eutropius; A Minucio Rufo in Macedonia Scordisci & Triballi victi. Florus autem post Drusi victoriam; Minucius Scordiscos toto vastauit Hebro, multis quidem amissis, dum per perfidum glacie flumen equitatur. Et Sextus; Minucius Thracas in Hebri fluminis glacie vastauit. In Epitoma autem post Silani cos. mentionem; M. Minucius pro cos. cōtra Thracas feliciter pugnauit. Porro autem triumphasse eum, his tradit verbis Velleius; Per eadem tempora clarus eius Minucij, qui porticus, quæ hodieque celebres sunt, molitus est, ex Scordiscis triumphus fuit. Quieuisse autem Thracas his victoriis fractos, per multos post annos opinor.

DE COS. AN. DCXLIIII.

CONSVLES subsequutos tradit Cassiodorus Q. Metellum, & M. Silanum: fasti Siculi Metellum & Silanum: Q. Cæcilium Metellum Numidicum, M. Iuniū Silanum, Pædianus & Eutropius. Eorum etiam meminit Cicero in Bruto. Q. Metellus Numidicus, inquit, & eius collega M. Silanus, dicebant de rep. quod esset illis viris & consulari dignitati satis. Metellus a Numidia victa *Numidicus* dictus auctore Velleio. Hunc Q. Metellum L. F. vocat Cicero in epistola ad Lentulum, in Sextiana, & Corneliana. fuit autem L. Metelli Calui filius. In fragmento Capitolino est etiam SILANI mentio.

De censoribus.

QVINQVENNALE annorum interuallum postulabat, vt in annum priorem censores conijcerentur. verum quia fragmenta consulum Capitolinorum nullos eo anno interponi censores patiuntur, credendum est, eo anno censores nullos in ciuitate fuisse. hoc autem anno quin fuerint, nemo dubitare potest, qui iisdem fragmentis fidem habeat. neque enim litteræ illæ, IN MAG. M. E. ad quem, præterquam ad censorem mortuum, referantur, inuenio. Fuisse autem hos M. Æmilium Scaurum, & M. Liuium Drusum opinor; primum, quod vterque consularis est; deinde, quod Plutarchus in Quæstionibus scribit; hos in censura collegas fuisse; cumq; Drusus in magistratu mortuus esset, Scaurum abdicaturum non fuisse, nisi tribunorum iussu in carcerem ductus esset. M. certe Scaurum censorem *Aemiliam viam* strauisse, *pontem Aemilium* fecisse, scriptum inuenio in libro de viris illustribus.

De re gesta cum Cimbris.

CONSVLEM nullum inuenio post Cn. Carbonem ad hunc vsq; annum Galliam prouinciam sortitum. nam Drusus & Rufus Macedoniam, Nasica Italiam, Bestia atque Albinus Numidiam obtinuerunt. omnes autem annales post Carbonem consulem Silanum cum Cimbris decertasse produnt. Si autem quærimus, quid Cimbri victo Carbone gesserint, profecto eos arma aduersus Gallos, eos qui imperio populi Ro. subiecti non erant, atq; inde aduersus Hispanos transtulisse reperiemus. De Gal-

lis auctorem habemus Cæſarem;apud quem Critognatus Aruernus lib. VII ita loquitur; Mei conſilij eſt facere, quod noſtri maiores nequaquam pari bello Cimbrorum Teutonumq; fecerunt;qui in oppida cōpulſi,ac ſimili inopia ſubacti,eorum corporibus qui ætate inutiles ad bellum videbantur,vitam tolerauerunt,neq; ſe hoſtibus tradiderunt.cuius rei exemplum ſi nō haberemus,tamen libertatis cauſſa inſtitui,& poſteris prodi,pulcherrimū iudicarem.nam quid illi ſimile bello fuit? depopulata Gallia,magnaq; illata calamitate, Cimbri aliquando finibus noſtris exceſſerunt,atq; alias terras petierunt; iura, leges,agros, libertatem nobis reliquerunt. De Gallis & Hiſpanis, a quibus expulſi Cimbri, hoc anno in Italiam remigrarunt, teſtis eſt Florus,cum ait;Cimbri,excluſi ex Gallia & Hiſpania,cum in Italiam remigrarent, miſerunt legatos in caſtra Silani,inde ad ſenatū,petentes vt populus R. aliquid ſibi terræ daret quaſi ſtipendium;ceterū vt vellet,manibus atq; armis ſuis vteretur. repulſi, quod precibus nequiuerant,armis petere conſtituunt. ſed primum impetum barbarorū Silanus ferre nō potuit. Et epitoma; M. Iunius Silanus cos. aduerſum Cimbros infeliciter pugnauit.legatis Cimbrorum,ſedem & agros in quibus conſiderent,poſtulantibus,ſenatus negauit. De Silano item victo, ſic Pædianus in Cornelianam; Q. Cæcilius Metellus Numidicus,& M. Iunius Silanus,conſules fuerunt bello Cimbrico;quod diu praue ſimul & infeliciter geſtum eſt; atq; ipſe quoq; hic Iunius male aduerſus Cimbros rem geſſit;ac plures leges,quæ per eos annos quibus hæc gerebātur,populo latæ erāt, abrogauit.Item;M. Iunius Silanus quinquennio ante conſul fuit,quam Domitius tribunus pl. atque ipſe quoq; aduerſus Cimbros male rem geſſit.quam ob cauſſam Domitius eum apud populum accuſauit, criminatusq; eſt, bellum cum Cimbris iniuſſu populi geſſiſſe; idq; principium fuiſſe calamitatum quas eo bello populus accepiſſet; ſed pleniſſime Silanus abſolutus eſt. Cum autem hæc ita habeant, miror Eutropium ita ſcribere; A M. Iunio Silano collega Q. Metelli Cimbri in Gallia victi.

De re geſta cum Iugurtha,& triumpho Q. Metelli Numidici pro cos.

Q. CAECILIVM Metellum conſulem, cui prouincia Numidia obuenerat, exercitu ad priſtinam diſciplinam redacto,duobus prœliis Iugurtham fudiſſe, Thalam oppidum diripuiſſe, vniuerſam Numidiam vaſtaſſe, ac regem ipſum per Mauros ac Gætuliam fugientem inſequutum, prorogato in alterum annum imperio, tertio anno Romam in conſulatu Marij rediiſſe, tradit latiſſime Saluſtius, & alij breuius. Triumphi eius ſic meminit Velleius libro II; Marius legatus Metelli,criminando Metelli lentitudinem,effecit vt cum commeatu petito Romam veniſſet, conſul crearetur; belliq; pene patrati a Metello,qui bis Iugurtham acie fuderat,ſumma ſibi committeretur.Metelli tamen & triumphus fuit clariſſimus,& meritum virtuti cognomen *Numidicum* inditum.In lib. etiam de viris illuſtrib. eſt,Q. Metellum de rege Iugurtha triumphaſſe. Eutropius item duos triumphos de Iugurtha actos ſcribit; vnum a Metello,alterum a Mario. Gellius denique orationis meminit Q. Metelli Numidici,quam habuit de triumpho ſuo,lib. XII,cap. IX.

DE COS. AN. DCXLV.

SER. Galbam,M. Scaurum prodit in hunc annum conſules Caſſiodorus & Obſequens: Sulpicium & Scaurum faſti Siculi. Ser. Galbam conſularem fuiſſe Mario VI conſule,ſcribit pro Rabirio Cicero. filium eſſe Ser. Galbæ arbitror,conſulis an. DCIX. M. Scauri conſulis meminit Velleius & Tacitus. Hic eſt M. Aurelius Scaurus, qui poſt legatus a Cimbris eſt interfectus, vt eſt in Epitoma LXVII. Cicero in Bruto, poſtquam locutus eſt de Numidico & Silano collegis, M. Aurelius Scaurus, inquit, non ſæpe dicebat, ſed polite. Scaurum autem ſuffectum fuiſſe in locum alterius, qui antequam iniret, damnatus ſit,indicant, ſi recte ea interpretamur, Capitolina fragmenta. Eidem Gallia obtigit.

De cenſoribus, & luſtro LXIII.

Ex Capitolinis fragmentis ſatis perſpicue intelligi poteſt, luſtrum LXIII factum eſſe his conſulibus. a quibus autem cenſoribus,parum cōpertum eſt.nos autem,quinam

nam esse potuerint, coniecturam sequuti, aperiamus. Hos ergo Q. Fabium Maximum Allobrogicum, C. Licinium Geram esse ducimus. consulares enim quærimus. Q. autem Fabius in censura Fabianum fornicem construxisse a Pædiano traditur, his verbis: *Fornix Fabianus*, arcus est iuxta Regiam in Sacra via a Fabio censore constructus, qui a deuictis Allobrogibus *Allobrox* cognominatus est: ibique statua eius propterea posita est. De C. Gera sic Cicero pro Cluent. Ponam illud vnum, C. Getam, cum a L. Metello & Cn. Domitio censoribus ex senatu eiectus esset, censorem ipsum postea esse factum. Idem scribit Valerius. neque vero nisi hoc lustro censor esse potuit; quod aliorum lustrorum certa censorum nomina habeamus. Vtriusque meminit Frontinus de aquæ ductibus: quamquam non sine labe vulgarorum librorum, in quibus est; C. Licinius Cæsula, & M. Fabius. Vide etiam ne hoc lustro M. Scaurus iterum princeps senatus lectus sit. nam in seditione Norbani anno DCLVIII, M. Æmilium Scaurum, principem senatus & ciuitatis, lapide percussum tradit Cicero II libro de oratore.

De re gesta cum Cimbris.

M. SCAVRVS cos. in locum Silani missus in Galliam videtur, atque tertiam cladem a Cimbris accepisse, ex eo quod scribit Tacitus in lib. de morib. German. Cimbri Carbone, & Cassio, & Scauro Aurelio, & Seruilio Cæpione, M. quoque Manilio fusis, quinque simul consulares exercitus populo Ro. abstulerunt. Et Velleius; Cimbri Cæpionem Maniliumque consules, & ante Carbonem Silanumque fuderunt fugaruntque in Galliis, & exuerunt exercitu; Scaurumque Aurelium consulem, & alios celeberrimi nominis viros trucidarunt. Quinctilianus item declamatione tertia Scaurum exercitum amisisse scribit.

De triumpho Q. Cæpionis pro pr. & bello Lusitanico.

BELLVM hoc tempore in vlteriore Hispania redintegratum est, quæ D. Bruti imperio pacata fuerat. Excitatum autem a latronibus puto; qui eam passim diripientes vexabant. Hoc indicat Plutarchus, qui scribit C. Marium ex prætura vlteriorem Hispaniam sortitum, eam latrociniis, quibus infesta erat, liberasse. fuit autem Marius prætor septem annis ante quam consul. quem eundem cum Lusitanis pugnasse scribit Appianus. Inter ceteros prætores, qui hoc tempore eo missi sunt, Q. Cæpionis fama excellit. Is priore anno in prætura Lusitanos sortitus, hoc anno (vt puto) de Lusitanis triumphauit; ac triennio post pro consule cum Cimbris male rem gessit. Hoc docet Eutropius, qui post Minucianam de Scordiscis victoriam, Lusitanos a Seruilio Cæpione deuictos tradit. quod ab eo in prætura factum, elici ex Valerio potest, qui lib. VI scribit; Q. Cæpio, præturæ splendore, triumphi claritate, consulatus decore, max. pontificis sacerdotio, vt senatus patronus diceretur, assecutus, in publicis vinculis spiritum deposuit.

DE COS. AN. DCXLVI.

L. CASSIVM, C. Marium consules in hunc annum comparat Cassiodorus: Longinum & Marium fasti Siculi. Eorum meminit etiam Plinius lib. X. L. Cassio, C. Mario cos. inquit, bubone viso, vrbs lustrata est. C. Marium duabus repulsis ædilitatis acceptis consulem factum, scribit Cicero pro Plancio, & Plutarchus in Mario. De eodem etiam idem sic libro III de officiis; C. Marius, cum a spe consulatus longe abesset, & septimum annum post præturam iaceret, neque petiturus vnquam consulatum videretur, Q. Metellum, cuius legatus erat, cum ab eo imperatore suo Romam missus esset, criminatus est; bellum illum producere; se si consulem fecissent, breui tempore aut viuum aut mortuum Iugurtham in potestatem populi Ro. redacturum. itaq; factus est consul. Idem tradit Salustius, Valerius, Plutarchus, Velleius. L. Cassius prætor fuit anno DCXLII, vt est apud Salustium; filius (vt arbitror) L. Cassij consulis anno DCXXVI; idem ille qui quærere solebat, *Cui bono*; & cuius tribunal, propter nimiam seueritatem, *scopulus reorum* dicebatur. auctor Cicero, & Valerius. Eidem Gallia, Mario Numidia prouincia decreta est.

De re gesta in Gallia, & L. Cassio Longino cos. occiso.

SCAVRO in Galliam successit L. Cassius consul: qui quidem non solum male pugnauit, sed etiam in prœlio cecidit. Hoc docet Epitoma LXV, in qua ita est; L. Cassius cos. a Tigurinis Gallis, pago Heluetiorum, qui a ciuitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. milites, qui ex ea clade superauerant, obsidibus datis, & dimidia rerum omnium parte, vt incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt. Et Orosius; L. Cassius consul in Gallia Tigurinos vsque ad Oceanum persecutus, rursumq; ab eisdem insidiis circumuentus, occisus est. L. quoque Piso, vir consularis legatus Cassij consulis, interfectus est. Q. Publilius, alter legatus, ne residua exercitus portio deleretur, obsides, & dimidiam partem rerum omnium, Tigurinis turpissimo fœdere dedit. Et Cæsar lib. I; Cæsar, quod memoria tenebat L. Cassium consulem occisum, exercitumque eius ab Heluetiis pulsum, & sub iugum missum, concedendum non putabat. Et paulo infra; Hic pagus vnus, cum domo exisset patrum nostrorum memoria, L. Cassium consulem interfecerat, & eius exercitum sub iugum miserat. Item; Qua in re Cæsar non solum publicas, sed etiam priuatas iniurias vltus est; quod eius soceri L. Pisonis auum, L. Pisonem legatū, Tugurini eodem prœlio quo Cassium, interfecerant. Ex his locis apparet, Cimbros hoc anno ex Gallia recessisse, atque cum Gallis tantum Tigurinis a Romanis pugnatum esse. neq; enim Tacito assentior, qui Cassium a Cimbris profligatum scribit post Carbonem ante Scaurum. malim enim ibi Silanum intelligi, quam Cassium.

De re gesta a C. Mario cos. cum Iugurtha.

AT vero C. Marius consul, transportatis in Africam copiis, primum oppida quædam aggressus, leuia aliquot prœlia fecit: post Gætulos & Iugurtham, ex sociis Rom. prædas agentes, sæpe adortus in itinere fudit; ipsumque regem haud procul oppido Cirta armis exuit. cumque idem, vt Iugurtham ad prœlium traheret, bello ad singula eius oppida transferendo, & alia multa, & maxime Capsam ac Mulucham cepisset, Iugurtha Bocchum Mauritaniæ regem cum exercitu aduocauit. cumque reges ambo coniunctis copiis Marium in hiberna proficiscentem inuasissent, vtrimque acriter pugnatum est. cum autem Marius suos in collem oportunum subduxisset, reges vero prœlio deterriti, læti pro victoribus agerent; Marius fessos eos, ac somno captos, ac nihil tale suspicantes adortus, plures eo prœlio quam omnibus superioribus interemit. atq; inde cum in hiberna contenderet, hostibus, a quibus lacessebatur, late fusis fugatisq;, Cirtam oppidum, quo iter intenderat, occupauit. Eo legati a Boccho venerunt, qui regis verbis a Mario petiuere, duos quam fidissimos ad se mitteret; velle de suo & populi Rom. commodo cum his disserere. ille L. Sullam & A. Manlium misit. neque tamen cum Boccho tum quidquam perfectum est, Boccho ipso de sententia ab amicis suis, quos Iugurtha pecunia corruperat, deturbato. Atque hæc quidem hoc anno a Mario, dum in hiberna profectus est, gesta existimo. Salustius.

DE COS. AN. DCXLVII.

DEINCEPS consules profitetur Cassiodorus & Obsequens Q. Seruilium Cæpionem, & C. Atilium Serranum: Cæpionem & Serranum fasti Siculi. Q. Cæpione & C. Serrano cos. natum esse M. Ciceronem oratorem, Gellius lib. XV. scriptum reliquit. C. Serrani consularis meminit Mario VI consule ipse Cicero pro Rabirio. Idem Q. Catulo antelatum esse C. Serranum in consulatu, scribit pro Plancio. Q. Cæpionem Q. Cæpionis filium esse arbitror, consulis anno DCXIII; cuius meminerunt omnes qui de bello Cimbrico scripserunt. Cassiodorus præterea & Obsequens, iudicia his consulibus per Seruilium Cæpionem cōsulem equitibus & senatoribus communicata notant. Vnde Cicero dixit in Bruto; L. Crassus Seruiliā legem suasit iis consulibus quibus nati sumus. Et paulo infra; Mihi quidem a pueritia quasi magistra fuit illa Crassi in legem Cæpionis oratio, in qua auctoritas ornatur senatus, quo pro ordine illa dicuntur; & inuidia concitatur in iudicum & accusatorum factionem, contra quorum potentiam populariter fuit dicendum. Et lib. primo de oratore; Et animos equitum

equitum Romanorum, apud quos tum iudices caussa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, a quo erant ipsi propter iudicia abalienati, reuocabam. Quibus ex locis intelligi potest, C. Gracchum iudicia ante a senatoribus remouisse, atque ad solos equites transtulisse; cum Q. Cæpio cos. inter vtrumque ordinem ea cõmunicauerit. Hæc tamen lex aut sublata, aut certe non obseruata est.

De re gesta in Gallia, & in Numidia.

Q. AVTEM Cæpio consul Galliam prouinciam sortitus, bellum cum Gallis Tectosagis, vt L. Cassius ante cum Tigurinis fecit. neque enim Cimbri adhuc reuerterant. Hac de re sic scriptum est apud Iustinum; Cæpio consul, auri pondo CX millia, argenti põdo quinquiesdecies centum millia Tectosagis abstulit. quod sacrilegium, caussa excidij Cæpioni, & exercitui eius postea fuit. Romanos quoque Cimbrici belli tumultus, velut vltor sacræ pecuniæ, insecutus est. Et Gellius lib. III; Cum oppidũ Tolosanum in Gallia Q. Cepio cos. diripuisset, multumque auri in eius oppidi templis fuisset, quisquis ex ea direptione aurum attigit, misero cruciabilique exitu periit. Et Strabo lib. IIII; Tectosagas in belli societatem contra Delphos venisse memorant; thesauros etiam penes illos ab imperatore Rom. Cæpione repertos in vrbe Tolosa, deprehensamque ex eis esse pecuniis partem, memoriæ proditum. eas autem quia Cæpio attigisse ausus fuerat, misere eiectum e patria fuisse, & turpem mortem oppetiisse, perinde ac fœdo sacrilegio contaminatum, creditum est; & in bonorum possessionem relictos filios inter scorta eas obligurisse, ac fœde mortuos esse; vt scribit Timagenes. Item Orosius; Cæpio pro cos. capta Tolosa, centum millia pondo auri, & argenti CX millia, e templo Apollinis sustulit. Marius autem interea prorogato (vt par est) imperio, exercitu in hibernaculis composito, cum expeditis cohortibus, & parte equitatus, proficiscitur in loca sola, obsessam turrim regiam, quo Iugurtha omnes perfugas præsidium imposuerat. tum rursus Bocchus legatos ad Marium mittit; ac quocumque modo belli componendi licentiam illis permisit. Ii a Gætulis latronibus in itinere circumuẽti & spoliati, ad Sullam perfugiunt, quem Marius in castris pro prætore reliquerat: eique consilia Bocchi patefaciunt. eos Marius Cirtam cum ad se venire iussisset, Romam ad senatum ire permisit. senatus Boccho gratiam delicti fecit; amicitiam, vbi eam promeruisset, pollicitus est. Quibus rebus cognitis, Bocchus a Mario, vt ad se Sullam mitteret, petiuit. Sulla profectus, Boccho, vt sibi Iugurtham viuum traderet, pace & amicitia Romanorum promissa, persuasit. quod cum ille fecisset, (nam Iugurtha amice se a Boccho accersitum putabat) eum vinctũ Sulla ad Marium deduxit. Ex his verbis Salustij, Iugurtham hoc anno captum opinor. Ceterum, cum Marius non nisi biennio post K. Ian. triumpharit, sequentem annum ab eo in ordinanda prouincia Numidia puto esse consumptum. neque enim quidquam ea de re scribit Salustius. Rufus, Iugurtha per Metellum attrito, per Marium capto, Numidiam in potestatem populi Rom. peruenisse scribit.

DE COS. AN. DCXLVIII.

CONSVLES prodit in hunc annum Cassiodorus & Obsequens P. Rutilium Rufum, & C. Manilium. P. Rutilij consularis meminit Mario VI cos. Cicero pro Rabirio perduell. Pro Plancio autem, eundem repulsa in tribunatu accepta, consulatum ait esse adeptum. Et in Bruto, M. Scaurus, inquit, & P. Rutilius, cum vna cõsulatum petiissent, non ille solum qui repulsam tulerat, accusauit ambitus designatum competitorem; sed Scaurus etiam absolutus, Rutilium in iudicium vocauit: multaq; opera, multaq; industria Rutilius fuit. Eundem M. F. eodem in libro vocat. In altero consule variant annales. alij enim Caium, alij Cnæum, alij Marcum, alij Manlium, alij Manilium habent. Facile autem explicatur hæc quæstio veteris Puteolani lapidis testimonio, in quo est; P. RVTILIO, CN. MALLIO COS. & fastorum Siculorum, in quibus est Rufus & Mallius. ex quibus apparet MALLIOS gentẽ esse a Manliis diuersam. non enim de Cn. Manlio patricio, eoque nobilissimo, ita loqueretur Cicero pro Plancio: Populus Romanus Q. Catulo, in summa familia nato, sapientissimo & sanctissimo viro, præposuit Cn. Manlium non solum ignobilem, verum sine

virtute,ſine ingenio,vita etiam contempta. qui locus in manuſcripto libro *Manilium* habet, non *Manlium.* nec pro Muræna ita; Quis Q.Catulum humanitate, ſapientia, integritate antecellentem, ſuperari poſſe a Cn. Manlio arbitratus eſt? vbi legendum videtur Mallio. atque ita loci alij annalium corrigendi. nam in vetere etiam nummo argenteo inuenitur C. MALLI. L. METELL.

De re geſta cum Cimbris.

CN. MALLIO conſuli Gallia prouincia euenit. prorogatum item Q.Cæpioni in ea imperium credo ob Cimbrorum motum; quorum aduentus vehementius in dies celebrabatur. ſiquidem ſcribit Iuſtinus, Romanos belli Cimbrici tumultum, quaſi ſacræ pecuniæ a Cæpione conſule direptæ vltorem, inſecutum eſſe. Hoc certe anno ab ambobus his imperatoribus cum Cimbris in Gallia dimicatum, atq; clades Allienſi fere par accepta eſt. Quod ipſum auctorum prolatis verbis, vt ceciderit, exponam. Oroſius latiſſime omnium ita; Cn. Mallius, & Q. Cæpio pro cos. aduerſus Cimbros, Teutones, Tigurinos, & Ambrones, Gallorum gentes, quæ ad Romanum imperium exſtinguendum conſpirauerant, miſſi, prouincias ſibi Rhodano flumine medio diuiſerunt. ibi dum inter ſe grauiſſima inuidia & contentione diſceptant, cũ magna ignominia, & periculo Romani nominis, victi ſunt. ſiquidem in ea pugna M. Aurelius cõſularis captus atque interfectus eſt: duo filij conſulis cæſi: LXXX millia Romanorum ſociorumque trucidata; LX millia calonum atque lixarum interfecta Antias ſcribit. decem ex omni penitus exercitu homines ſuperfuerunt. hoſtes binis caſtris atque ingenti præda potiti, omnia peſſumdederunt. maximus Romæ non ſolum luctus, ſed metus etiam fuit, ne confeſtim Cimbri Alpes tranſgrederentur, Italiamque delerent. Et in Epitoma LXVII hoc modo; M. Aurelius Scaurus legatus conſulis, a Cimbris fuſo exercitu captus eſt: & cum in conſilium ab iis euocatus, deterreret eos ne Alpes tranſirent Italiam petituri, quod diceret Romanos vinci non poſſe; a Bolo rege feroci iuuene occiſus eſt. Ab iiſdẽ hoſtibus C. Mallius cos. & Q. Seruilius Cæpio pro coſ. victi prœlio, caſtriſq; binis exuti ſunt. LXXX millia militum occiſa; calonũ ac lixarum XL millia. Plutarchus in Lucullo ſcribit prid. Non. Octobr. Cæpionem infeliciter cũ Cimbris pugnaſſe. Idem eſt in Camillo, & in Apophthegmatis. De Cæpione & Mallio victis idem Eutropius, Saluſtius in Iugurthino, Tacitus, alij.

De Q. Cæpione pro cos. damnato.

VISVM eſt etiam, quemadmodũ Q.Cæpio, cuius temeritate clades accepta eſt, nouo exemplo pœnas populi R. iudicio dederit, demonſtrare. In Epitoma LXVII hac de re ita ſcriptum eſt; Secundum populi R. iuſſionem, Cæpionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata ſunt, primi poſt regem Tarquinium; imperiumq; ei abrogatum. Et Pædianus ita in Cornelianã; L. Caſſius L.F. Longinus trib. pl. C. Mario, C. Flauio cos. legem tulit, vt quem populus damnaſſet, cuiue imperium abrogaſſet, in ſenatu ne eſſet. Tulerat autem eam maxime propter ſimultates cum Q. Seruilio, qui ante bienniũ cos. fuerat, & cui populus, quia male aduerſus Cimbros rem geſſerat, imperium abrogauit. Cicero etiam lib. II de Oratore, ſeditionem excitatam hoc anno ob rogationem C. Norbani tribuni pl. ſignificat, qua imperium Cæpioni abrogabat; in eaq; ſeditione vim, fugam, lapidationem, crudelitatem tribuniciam in Cæpionis graui miſerabiliq; caſu fuiſſe; in qua principem & ſenatus & ciuitatis M. Æmilium lapide percuſſum eſſe; vi pulſum ex templo L. Cottam & T. Didium, cum intercedere vellent rogationi. Itaque idem in Bruto ait; Q. Cæpio, vir acer & fortis, cui fortuna belli, crimini; inuidia populi, calamitati fuit. Pædianus oſtendit, vt dixi, Cæpionem etiam poſt damnationem in ſenatum veniſſe. Caſſia aũt lege prohibitum fuiſſe ne iret. At Valerius lib. IIII, illum e carcere aufugiſſe, cum ait; L. Rheginus trib. pl. Cæpionem in carcerem coniectum, quod illius culpa exercitus noſter a Cimbris & Teutonibus videbatur deletus, veteris amicitiæ memor, publica cuſtodia liberauit, & fugæ eius comes acceſſit. At vero lib. VI oſtendit, eum miſere necatum fuiſſe. ſic enim ſcribit; Q. Cæpio, præturę ſplendore, triumphi claritate, conſulatus decore, max. pont. ſacerdotio, vt ſenatus patronus diceretur, aſſecutus; in publicis vinculis

culis ſpiritum depoſuit; corpusq; eius, funeſti carnificij manibus laceratum, in ſcalis Gemoniis iacens, magno cum horrore totius fori Rom. conſpectum eſt. Idem autem ſentire videtur Strabo loco ante prolato.

De re geſta cum Luſitanis.

HIS conſulibus exercitum Romanum a Luſitanis cæſum notat Obſequens. quo autem duce, mihi compertum non eſt. P. quidem Rutilius cos. prouinciam cum exercitu obtinuit; at quam prouinciam, ne adhuc quidem reperire potui. De eo certe ſic ſcribit Valerius lib. II; Armorum iudicandorum meditatio, a P. Rutilio cos. collega C. Mallij, militibus eſt tradita. nullius enim ante ſe imperatoris exemplum ſecutus, ex ludo C. Aurelij Scauri doctoribus gladiatorum accerſitis, vitandi atque inferendi ictus ſubtiliorem rationem legionibus ingenerauit. & Frontinus libro IIII; C. Marius, cum facultatem eligendi exercitus haberet, ex duobus, qui ſub Rutilio, & qui ſub Metello, ac poſtea ſub ſeipſo meruerāt, Rutilianum minorem, qui certioris diſciplinæ arbitrabatur, præoptauit. Et lib. II; P. Rutilius, cum ſecundum leges in contubernio ſuo filium poſſet habere, in legione militem fecit.

DE COS. AN. DCXLIX.

DEINCEPS C. Marium II, C. Flauium Fimbriam cōſules ſuggerit Caſſiodorus: C. Marium, C. Flauium Obſequens: Marium & Fimbriam faſti Siculi; C. Marium II, C. Fimbriam; item, C. Marium, C. Flauium, Pædianus in Cornel. C. Fimbriæ cōſularis Mario VI conſule meminit Cicero pro Rabirio. eundemq; ſcribit pro Plancio, cum tribunus pl. eſſe non potuiſſet, conſulem factum. C. Marium duabus legibus ſolutum; vna, quod abſens erat; altera, quod ante tempus quo ei per legem iterum capere conſulatum licebat, metu Cimbrorum, conſulem II populus Romanus fecit. Plutarchus, Saluſtius, Eutropius, alij.

De triumpho C. Marij cos. II de Iugurtha.

C. MARIVS Iugurtha capto, tota Numidia in dicionem populi R. redacta, nō ante Romam reuertit quam hoc anno; quo ipſe K. Ian. cōſul iterum, triumphans vrbem iniit, ac regem & filios eius duos in triumpho duxit. auctor Saluſtius, Plutarchus, Florus, alij. Hinc etiam in libro Epigrammatum antiquæ vrbis legitur epigramma tale: C. MARIVS PR. TR. PL. Q. AVGVR. TR. MIL. EX. SORTEM BELLVM CVM IVGVRTHA REGE NVMID. VEL PROCOS. GESSIT: EVM CEPIT, ET TRIVMPHANS IN IOVIS ÆDEM SECVNDO CONSVLATV ANTE CVRRVM SVVM DVCI IVSSIT. III CONSVL, ABSENS CREATVS EST. IIII, TEVTONORVM EXERCITVM DELEVIT. V CONSVL, CIMBROS FVGAVIT: EX IEIS ET TEVTONIS ITERVM TRIVMPHAVIT. REMP. TVRBATAM SEDITIONIBVS ET TR. PL. ET PRAETOR. QVI ARMATI CAPITOLIVM OCCVPAVERANT, VI COS. VINDICAVIT. POST LXX ANNVM PATRIA PER ARMA CIVILIA PVLSVS, ARMIS RESTITVTVS, VII COS. FACTVS EST. DE MANVBIIS CIMBRICIS ET TEVTONICIS ÆDEM HONORI ET VIRTVTI VICTOR VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PVNICEIS.

De re geſta in Gallia, & in Macedonia.

CIMBRI priore anno fuſis victiſque ſummo prœlio imperatoribus Romanis, quieuerunt, neq; tum de tranſitu in Italiam cogitarunt. hoc aūt anno in Hiſpaniam etiam receſſerunt. Hoc ex Epitoma LXVII elicitur; in qua hæc poſt Marij triumphum verba ſunt; Cimbri, vaſtatis omnibus quæ * inter Rhodanum & Pyrenæum ſunt, per ſaltum in Hiſpaniam tranſgreſſi, ibiq; multa loca populati, a Celtiberis fugati ſunt; reuerſiq; in Galliam, bellicoſis ſe Teutonis coniunxerunt. Et ex Obſequente; qui ſcriptum reliquit, Cimbros his cōſulibus Alpes tranſgreſſos per Hiſpaniam vaſtatā, iunxiſſe ſe Teutonis. Eſt autem intelligendū, his quidem cos. in Hiſpaniam Cimbros ſe recepiſſe; verum non niſi poſt annum in Galliam rediiſſe; quo tempore ſe iterum

Teutonibus coniunxerunt. Mario autem consuli decreta prouincia Gallia est; ac bellum cum Cimbris, quorũ ex Hispania in Galliam hoc anno reditus timebatur, mandatum. auctor Plutarchus. Eodem anno Marium cum Tectosagibus rem gessisse suspicor; quod Sylla legatus Marij II cõsulis, Copilum regem Tectosagum cepisse tradatur a Plutarcho. Quod autem ad res Macedonicas attinet, intelligẽdum est, post M. Minucij cos. in Macedoniam imperium, nullius mentionẽ fieri qui consul in Macedoniam ad cõprimendas Thracum impressiones venerit. Neq; vero fere mitti cõsules eo potuerũt. nam Silanus, Scaurus, Cassius, Cæpio, Manilius, Marius, sex consules deinceps Galliam sortiti sunt: Metellus autem, & Marius, Numidiam. relinquuntur aliquot consules, quorum obscura prouincia est. Ergo prætores in Macedoniam profecti sint necesse est. in qua bellum hoc anno fuisse indicat Obsequens; qui Mario & Flauio cos. Thraces in Macedonia subactos notat. A quo autem subacti sint, pro certo affirmare non possum. Florus quidem post Minucianam victoriam, Pisonis cuiusdam meminit his verbis: Piso Rhodopen Caucasumque penetrauit. Verum qui Piso fuerit, aut quo in magistratu hoc fecerit, non tradit. L. certe Piso, qui cõsul cum Druso fuit, Macedoniam sortitus non est: quippe cum Drusus, collega eius in consulatu, eam obtinuerit; post quinquennium autem L. Cassio cos. a Tigurinis ipse Piso interfectus sit. neque vero, si ille rem bene in Macedonia gessisset, prætermissurum eum fuisse Ciceronem puto, cum contra L. Pisonem nepotem huius diceret, atque Macedonicum eius imperium exagitaret; cum omnium fere qui in Macedonia rem bene gesserint, meminerit. Ergo hæc victoria in dubio relinquatur.

DE COS. AN. DCL.

C. MARIVM III, L. Aurelium Orestem tradit in hunc annum consules Cassiodorus: Marium & Orestem fasti Siculi. Marius, absens etiam, III consul factus est, metu Cimbrici belli, quod differebatur. auctor Velleius, Eutropius, Epitomæ. Hinc Cicero de prouinciis; Inimici Marij non modo illum inimicum ex Gallia sententiis suis non detrahebãt; sed & propter rationem Gallici belli, prouinciam extra ordinem decernebant. L. Aureliũ Orestem, L. Orestis filium esse arbitror, consulis an. DCXXVII. Ceterum Mario III cõsuli, bellum imminens Cimbrorum iterum decretum. Metus enim erat ne ineunte vere irrumperent. verum ne hoc quidem anno mouerũt. Collega autem Marij mortuo, ille Romam e Gallia præfecto castris M'. Aquillio reuersus, comitiis iis quæ ipse habuit, cõsul IIII creatus est, L. Saturnino tribuno pl. maxime ad id populum incitante. auctor Plutarchus, & Epitoma LXVII.

DE COS. AN. DCLI.

INDE C. Marium IIII. Q. Lutatium cos. Cassiodorus & Obsequens suggerit: Marium & Catulum fasti Siculi; C Marium IIII, & Q Lutatium Catulum Plutarchus & Eutropius. Q. Catulus superatus est ante in petitione consulatus a C. Atilio Serrano, & C. Manilio. auctor Cicero pro Muræna, & pro Plãcio. Idem Q. F. scribitur in monumentis antiquis, vt in filio eius ostendam. Ambobus consulibus Gallia cum imminenti Cimbrorum & Teutonum bello mandata. Cicero Q. Catulum patrem prouinciam habuisse, & frumentum cellæ nomine imperasse tradit in V Verrina.

De censoribus, & lustro LXIIII.

CENSORES in hunc annum coniecimus, propter quinquennale spatium, quod est ab his ad proximos sequentes Flaccum & Antonium; quorum certum nobis annum Capitolini auctores tradiderunt. Horum autem censorum alterum certum habemus, Q Metellum Numidicum. de quo sic Cicero pro Sextio; Q Metellus censor florentem hominem in populari ratione L. Saturninum censor notauit, & insititium Gracchum contra vim multitudinis incitatæ censu prohibuit. Et Valerius lib. IX; Populus R. Q. Metellum cẽsorem, quod a L. Quinctio tamquam Gracchi filio, censum recipere nolebat, lapidibus prosternere conatus est. Et in lib. de vir. illustr. Metellus Numidicus Quinctium, qui se Ti. Gracchi filium mentiebatur, in censu non recepit. Gellius item lib. I, Numidicum censorem scribit ad populum orationem de ducendis

vxori-

vxoribus habuisse. Idem in Græca Appiani historia de Saturnino scriptum est; quem a Metello cēsore notatum fuisse ait iam tribunicium. fuit autem tribunus Mario III consule. Adijcit Valerius, Metellum Mario V consule Quinctium in censu recipere noluisse. Ex quo intelligi potest, Metellum hoc anno censorem creatum; sequenti anno censum egisse, ac lustrum condidisse. Collegam porro Numidico adiecimus C. Metellum Caprarium, fratrem eius patruelem. scribit enim Velleius, singulari exemplo fratres duos Metellos vno die triumphasse, Fuluios duos germanos collegas in consulatu, duos Metellos patrueles in censura fuisse. Hos igitur ego opinor fuisse. nam de C. Metello censorio scribit Cicero in oratione post reditum ad Quirites, cum ait; pro reditu Q. Metelli Numidici triennio post supplicasse L. Metellum Dalmaticum consularem, & C. Metellum censorium; & in senatu, L. & C. Metellum cōsulares. quamquam in priore oratione legitur vulgo Q. Metellus censorius (vt puto) mendose: quod ex sequenti cognoscitur. Nam si Q. Metellum legamus, Balearicum, & ipsum censorium intelligemus. quem tamen eo tempore mortuum puto. neque enim eum maximum natu Cicero bis post posuisset L. Dalmatico fratri natu minori.

De M. Antonio pr. ouante de piratis.

PIRATAS hoc tempore maria latrociniis vexasse, indicat egregia M. Antonij pr. victoria ex prædonibus relata. de qua quid a veteribus acceperimus, exponendum est. Obsequens his cos. piratas in Cilicia a Romanis deletos tradit. In Epitoma LXVIII scriptum est, M. Antonium prætorem in Cilicia maritimos prædones persecutum. Eundem bello piratico a Byzantiis adiutum tradit Tacitus libro XII. Quin ipse etiā Antonius lib. de oratore primo apud Ciceronem, se pro cos. in Ciliciam profectum ait. Triumphasse autem eum significat Plutarchus in Pompeio, cum inquit, filiam Antonij viri triumphalis a prædonibus captam. quam rem innuens Cicero pro lege Manilia dixit; Miseno ipsius liberi, qui cum prædonibus antea ibi bellum gesserat, a prædonibus sunt sublati. Ouantem autem, non triumphantem vrbem ingressum esse, genus ipsum belli humile probat. Idem Antonius hoc anno prætor, triennio post ex lege consulatum cepit.

De re gesta cum Cimbris in Gallia.

HOC anno Cimbri a Celtiberis ex Hispania pulsi, in Galliam, adiunctis sibi Teutonibus, Ambronibus, & Tigurinis, iterum irruperunt; eo animo, vt superatis Alpibus, in Italiam traijcerent. Quo nuntio accepto, Marius, cum protinus in prouinciam contendisset, ipse Ambronibus & Teutonibus in Gallia se opposuit; Catulum collegam Cimbris, qui per Noricum impetum facturi videbantur, occurrere iubet. Barbari, vbi Marium (is se castris ad Rhodanum munitis continebat) exciri ad pugnam non posse senserunt, castra Alpes versus præter vallum eius mouerunt. Eos Marius ad Aquas Sextias insecutus, Ambrones primo, atque haud ita multo post etiam Teutones secundo prœlio cecidit. Hæc Plutarchus latissime in Mario. Orosius autem breuius ita; Marius IIII cos. cum iuxta Isaram Rhodanumque castra posuisset, Teutones, Tigurini, & Ambrones, postquam continuo triduo circa Romanorum castra pugnarunt, si quo pacto eos excuterent vallo, atque in equum extraherent, tribus agminibus Italiam petere destinarunt. Marius post digressum hostium, castra mouit, & collem occupauit, qui campo & fluuio, vbi hostes sese diffuderunt, imminebat. primis calonibus cum clamore in pugnam ruentibus, subsequutus exercitus; mox iusto certamine compositis ordinibus bellatum est; & vicere Romani. quarto die rursus productæ, in campum acies, vsque ad meridiem pene pari pugnauere discrimine. post vbi incalescente sole fluxa Gallorum corpora in modum niuium distabuerunt, vsque in noctem cædes potius quam pugna protracta est. ducenta millia armatorum in eo bello cæsa sunt, LXXX millia capta: vix tria millia effugisse referuntur. Dux eorum Teutobocchus occisus est. Velleius item Marium scribit quarto consulatu cum Teutonis circa Aquas Sextias, amplius CL millibus hostium priore ac postero die ab eo trucidatis, conflixisse, ac Teutonum gentem deleuisse. Item in Epitoma LXVIII; C. Marius consul summa vi oppugnata a Teutonis & Ambronibus castra defendit.

duobus deinde prœliis circa Aquas Sextias eos hostes deleuit; in quibus cæsa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintum consul creatus est. triumphum oblatum, donec & Cimbros vinceret, distulit. Plutarchus item Romam reuocatum Marium, triumphum, quem sibi senatus decreuerat, agere noluisse ait; verum aduersus Cimbros, a quibus Catulus premebatur, exisse. Qui Catulus an hoc anno, an insequenti ab Alpibus pulsus sit, in obscuro est. sed de eo in anni sequentis rebus exponendis dicemus.

DE COS. AN. DCLII.

CONSVLES in hunc annum inuenio C. Marium V, & M' Aquillium, apud Cassiodorum: Marium & Aquillium in fastis Siculis. Marium absentem quinctúm cos. factum, scriptum est (vt dixi) apud Plutarchum, & in Epitoma LXVIII. Cicero etiam libro de orat. II, M' Aquillium collegam C. Marij vocat. Hunc Μάνιον Ἀκύλλιον vocat Plutarchus in Mario, & Appianus in Mithridatica. est autem M' Aquillius exconsularis ille, qui post legatus a Mithridate rege captus, atque per contumeliam excruciatus est. cuius mentionem in nummo argenteo fieri animaduerti, qui est apud clarissimum virum, patricium Venetum, Andream Lauredanum, hoc modo: M' AQVIL. M' F. M' N. SICIL.

De bello Cimbrico confecto, & triumphis C. Marij cos. V. & Q. Lutatij Catuli pro cos.

Q. CATVLVS cos. qui Cimbris per Noricum irrumpentibus se obtulerat, cum se eorum multitudini in Alpium iugis resistere posse diffideret, in æquum in Italiam se receperat; atque Athesim fluuium hostibus, præsidiis in vtraque ripa impositis, ne illis transitus esset, opposuerat, ponte in flumen facto, vt eos qui vlteriorem ripam custodirent, siquam per angustias a barbaris vim paterētur, protinus iuuare auxilio posset. Barbari, cum ad flumen accessissent, iniectis in flumen arboribus, pontem disturbarunt. quo terrore compulsus Catulus, castellū, quod ibi construxerat, reliquit. Romani aliquot a barbaris capti, dimissi sunt. Valerius libro V, Romanos equites apud Athesim flumen impetu Cimbrorum pulsos, deserto consule Catulo, pauidos vrbem repetiisse scribit. Ob hæc Romam accersitus Marius, triumpho, qui offerebatur, repudiato, protinus ad Catulum collegam se contulit; ac reuocatis suis ex Gallia copiis, Pado traiecto, hostes omnino ex Italia pellere decreuit; Cimbros, fratres suos Teutonas exspectantes, de clade illata certiores fecit. Cum de die pugnæ inter Romanos imperatores, & barbaros hostes conuenisset, in agro Vercellensi collatis signis, a Mario cos. & Q. Catulo pro cos. Cimbris funditus deletis, bene pugnatum est. Hæc pluribus verbis Plutarchus. In Epitoma autem exilius ita; Cimbri repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo pro cos. qui fauces Alpium obsederat, & ad flumen Athesim castellum editum insederat, reliqueratq;; cum virtute sua explicita, fugientem proconsulem exercitumq; persecuti, in Italiam traiecissent, iunctis eiusdem Catuli & C. Marij exercitibus, prœlio victi sunt ab eis; in quo cæsa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta. Et apud Orosium sic; Cimbri, integris copiis Alpium niues emensi, Italiæ plana peruaserunt. Marius V cos. & Catulus aduersus eos missi, die ad pugnam & campo dato, in nebula disposuere pugnam, in sole pugnauerunt. prima perturbatio Gallorum fuit, quod Romanam aciem prius inuenere dispositam, quam adesse senserunt. cumq; ilico vulnerāti equites retro in suos cogerentur, & sol cum vento ortus ex aduerso emicuisset, visus eorum puluis oppleuit, & splendor hebetauit. ita factū est vt barbari minima Romanorum clade cæderentur: CXL mill. cæsa, LX mill. capta traduntur. reguli eorum duo cæsi, duo capti sunt. Adijcit Florus, tertiam Tigurinorum manum, quæ quasi in subsidio Noricos insederat Alpium tumulos, in diuersa lapsos, fuga ignobili & latrociniis euanuisse. Non conuenit autem de loco huius pugnæ inter Florum & Plutarchum. Florus enim in Venetia pugnatum ad Athesim Veronæ fluuium in campo Caudio; Plutarchus ad Atisonem in campo ad Vercellas scribit. Ego autem apud Plutarchum mendum esse ex similitudine litterarum ortum puto, Veronæ, & Vercellarum. Exstat enim Valerij & Frontini au-

ctoritas;

ctoritas; quorum ille, M. Scauri filium Cimbris cessisse ad Athesim; hic, in saltu Tridentino scribit. Hæc de victoria. De triumpho autem hæc accepimus. Plutarchus auctor est populum Rom. voluisse Marium duos triumphos solum agere; ipsum autem recusasse, ne, si Catulus exclusus fuisset honore, ipse quoque suo spoliaretur; verum vna cum Catulo triumphum communicasse. Eutropius, vtrique triumphum decretum; Valerius libro IX, Q. Catulum Cimbrici triumphi Mario participem a senatu datum; Cicero Tuscul. I, Marium Cimbricæ victoriæ gloriam cum collega Catulo communicasse prodit. De quo triumpho sic Iuuenal. satyra VIII; *Hic tamen & Cimbros, & summa pericula rerum Excipit, & solus trepidantem protegit vrbem: Atque ideo, postquam ad Cimbros stragemque volabant Qui numquam attigerant maiora cadauera corui, Nobilis ornatur lauro collega secunda.* In Epitoma LXVIII; Marius totius consensu ciuitatis exceptus, pro duobus triumphis, qui offerebantur, vno contentus fuit. Primores ciuitatis, qui aliquamdiu vt nouo homini ad tantos honores euecto inuiderant, conseruatam ab eo remp. fatebantur.

De triumpho ex Lusitania.

OBSEQVENS consulibus iisdem quibus Cimbri victi sunt, Lusitanos deuictos, Hispaniam vlteriorem pacatam scribit. a quo autem victi, obscurum est. crederem ab Aquillio cos. nisi viderem eum ad bellum seruile in Siciliam profectum, ac per hæc tempora ad bella in Lusitaniam prætores missos esse. Hic autem idem si pacauit prouinciam, certe etiam triumphauit; vt haud ita multo post ex eadem L. Dolabella pro cos. triumphauit. Si autem hoc anno victoria parta est, certe sequenti anno triumphus actus est; vt etiam de Dolabella dicemus. Cicero pro Cornelio, Scipiones, Brutos, Horatios, Crassos, Metellos, Cn. Pompeium, in vlteriore Hispania rem gessisse ait. intelligit autem P. & Cn. Scipiones fratres, D. Brutum Callaicum, P. Crassum, Q. Metellum, Cn. Pompeium Magnum. De Horatio incertũ est. Videndum est etiam, ne hæc Silani illius victoria sit, de qua sic scribit Rufus; Hispaniã per D. Brutum obtinuimus, & vsque Gades ad Oceanum mare peruenimus. Post ad Hispanos tumultuantes D. Iunius Silanus cum exercitu missus, eos vicit.

DE COS. AN. DCLIII.

CASSIODORVS & Obsequens hoc anno edunt consules C. Marium VI, L. Valerium Flaccum: Marium & Flaccum fasti Siculi. In fragmento Capitolino vestigia sunt etiam L. Valerij; qui ex magisterio equitum Capitolino, quod post geret anno DCLXXI, descriptus est. Eorum meminit Cicero in Bruto, pro Rabirio, in Catilinam, in Antonium, pro Plancio; & Plinius lib. II, cum ait; Clypeus ardens, ab occasu ad ortum scintillans transcurrit solis occasu, L. Valerio, C. Mario cos. Pædianus item in Pisonianam, a C. Mario, L. Valerio cos. ad Ciceronem consulem XXXVI annos numerari ait. Plutarchus Marium sextum consulatum emisse, collegamque sibi Valerium Flaccum, vt ministrum subrogasse: Velleius, velut præmium meritorum obtinuisse, prodit. Item Plutarchus notat, nemini ante Marium, præterquam Valerio Coruo, tot consulatus esse delatos; eoque Marium præstitisse, quod inter primum & vltimum Corui consulatum XL anni interfuerunt; Marius autem, duobus interpositis post primum annis, quinque deinceps consulatus vno fortunæ tenore gessit. His cos. Eporediam coloniam deductam in Bagiennis tradit Velleius.

De seditione L. Appuleij Saturnini.

HOC anno Romæ magna coorta seditio est; quam L. Appuleius Saturninus tribunus pl. concitauit. Hic, vt Q. Metellum Numidicum, a quo censore notatus fuerat, vlcisceretur, tribunatũ pl. Mario V cos. petiit iterum; iamque nouem creatis tribunis, vnoq; loco candidatis duobus, sibi & A. Nonio competitori, restante, vt cæde eius facultatem adipiscendæ potestatis adipisceretur, domo eum extractum adiuuante C. Mario consule necauit. Valerio enim potius, qui capite de seditione ita scribit, & Orosio assentior; quam Appiano, qui Glauciam prætorem comitia tribunicia habuisse, atq; in locum occisi Nonij tribuni pl. Saturninum subrogasse tradit; quod Glaucia

prætor non nisi Mario VI consule fuerit. In hoc magistratu legem Saturninus ex Marij VI cos. sententia promulgauit, vt quem agrum Marius in Gallia, pulsis Cimbris, armis peperisset, is populo Rom. diuideretur; in eamq;, vbi a populo accepta esset, a singulis senatoribus iurari voluit; qui nõ iurasset, ei multam irrogauit. Metello in legem popularem non iuranti diem dixit. qui cum a bonis ciuibus defenderetur, ne cædes eorum fieret, vltro in exsilium abiit. profecto ei Marius consul aqua & igni interdixit. idem Appuleius cum tertium trib. pl. designatus, C. Memmium cõsulatus petitorem, quem actionibus suis aduersaturum iudicabat, interfecisset, senatum commouit vt Mario mandaret, videret nequid detrimenti resp. caperet. Itaq; Marius Glauciã prætorem, Saturninum trib. pl. & Saufeium quæstorem in Capitolium armis persecutus, obsedit; ac incisis aquarum fistulis, ad deditionem compulit, ac contra fidem omnes interfecit; Saturnini ædes ab imis fundamentis diruit. Hæc Appianus, Plutarchus, Epitomæ, Valerius, alij. Huius seditionis meminit Cicero pro Rabirio perduell. in Catilinam. atque etiam in Bruto, C. Seruilium Glauciam prætorem, eodem die quo Saturninum trib. pl. interfectum ait. Idem in oratione de responsis, Saturninum, quod in annonæ caritate quæstorem se a frumentaria procuratione senatus amouit, eique M. Scaurum præfecit, dolore factum esse popularem scribit.

De II seruili bello Siculo, & triumpho M'. Aquillij pro cos.

SECVNDVM seruile bellum in Sicilia per hæc tempora motum est. Mouit id Athenio pastor; de quo sic Florus; Athenio pastor, interfecto domino, familiam ergastulo liberatam sub signis ordinat; ipse veste purpurea, argenteoq; baculo, & regiũ in morem fronte redimita, non minorem quam Ennus prior, conflat exercitũ; acriusq; multo etiam, quasi illum vindicaret, vicos, castella, oppida diripiens, in dominos, in seruos infestius, * quam in transfugas sæuiebat. ab hoc quoq; prætorij exercitus cæsi: capta Seruilij castra, capta Luculli. Athenionis fugitiuorum in Sicilia ducis, meminit etiam Appianus in Mithridatica. Hæc de belli auctore. Quo autem anno hoc bellum primum initum sit, aut qui prætores bellum gesserint, parum certum est. Apud Obsequentem scriptum est, in secundo consulatu Marij, a fugitiuis & desertoribus in Thurinis regiones esse vastatas; hoc autem anno fugitiuos in Sicilia prœliis trucidatos. Itaq; cum M'. Aquillius cum seruis rem gesserit in Sicilia, puto eum hoc bellum in consulatu anno superiore sortitum, hoc anno seruos ipsos debellasse. Eusebius certe, bellum seruile excitatum in Sicilia anno postquã Marius V consul fuit, notauit. De M'. autem Aquillio hæc inuenio. Florus; Aquillius, P. Rupilij vsus exemplo, interclusum hostem cõmeatibus ad extrema compulit; comminutasq; copias armis, fame facile deleuit; dedissentq; se, nisi suppliciorũ metu, voluntariam mortem prætulissent. ac ne de duce quidem suppliciũ exigi potuit; quamuis in manus venerit. quippe dum circa ad deprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus præda lacerata est. Cicero etiam in Verrem, Post bellum, inquit, quod M'. Aquillius confecit, nullum fugitiuorum in Sicilia bellum fuit. Et contra Rullum; Siciliæ ciuitatibus bello fugitiuorum M'. Aquillius etiam mutuum frumentum dedit. Et pro Flacco M'. Aquillium patres nostri, multis auaritiæ criminibus testimoniisque conuictum, quia cum fugitiuis bellum gesserat, iudicio liberauerunt. Et in Epitoma LXIX, hæc verba post Q. Metellum de exsilio reuocatum leguntur; M'. Aquillius procos. in Sicilia bellum seruile concitatum confecit. reuocatus autem est Metellus insequenti anno. Ouantem porro in vrbem iniisse docet Cicero in II de Oratore; qui Antonium ita loquentem facit; Quare nolite existimare, cum mihi M'. Aquillius in ciuitate retinendus esset, quæ in illa caussa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. quem enim ego consulem fuisse imperatorem ornatum a senatu, ouantem in Capitolium ascendisse meminissem, hunc &c. Athenæus etiam libro V, M'. Aquillium consularem ex Sicilia triumphum egisse scribit.

De re gesta in Thracia.

THRACES hoc anno victos a Romanis notat Eusebius. Quod eo admonui, vt quo imperatore hæc victoria parta sit, (neque enim id traditum est) quæreremus.

DE

DE COS. AN. DCLIIII.

M. ANTONIVM, A. Poſtumium cos. in hunc annum produnt Caſſiodorus & Obſequens: Antonium & Albinum faſti Siculi. In fragmēto Capitolino etiam mentio eſt A. POST= Horum conſulum meminit Plin. lib. VIII, cum ait; Romæ pugnaſſe elephantos Feneſtella tradit primum omnium in circo Claudij Pulchri ædilitate curuli, M. Antonio, A. Poſtumio cos. anno ab V.C. DCLV. Et Gellius lib. IIII; S.C. factum eſt M. Antonio, A. Poſtumio cos. Quod C. Iulius Pont. nuntiauit in ſacrario in regia haſtas Martias mouiſſe, D.E.R.I.C. vt M. Antonius conſul hoſtiis maioribus Ioui & Marti procuraret; quod & ceteris diis, quibus videretur, placandis, vti procuraſſet, ſatis habendum cenſuerunt. Et poſt reditum ad Quirites ſic Cicero; De Q. Metello non modo C. Marius, qui erat inimicus; ſed ne is quidem qui ſecutus eſt, M. Antonius, homo eloquētiſſimus, cum A. Albino collega ſenatum aut populum eſt cohortatus. Comitiis conſularibus M. Antonium haud dubiis ſuffragiis conſulem lectum ſcribit App. in primo; in alterum locum C. Memmium, & C. Seruilium Glauciā tum prætorem petiiſſe; Memmium autem, vt dixi, a Saturnino interfectum, Glauciam a Mario. Itaque in Bruto ſic ſcriptum reliquit Cicero; C. Seruilius Glaucia, ex ſummis & fortunæ & vitæ ſordibus, in prætura conſul factus eſſet, ſi rationem eius haberi licere iudicatum eſſet. nam & plebem tenebat, & equeſtrem ordinem beneficio legis deuinxerat. Is prætor, eodem die quo Saturninus tribunus plebis, Mario & Flacco conſulibus, publice eſt interfectus. Hic eſt M. Antonius, qui prætor biennio ante triumphauit. A. Poſtumius Albinus, eſt frater (vt puto) Sp. Albini conſulis bello Iugurthino, is qui pacem ignominioſam cum rege fecit. His cos. Q. Metellus Numidicus ab exſilio ingenti fauore ciuitatis reſtitutus eſt.

De re geſta cum Luſitanis, & triumpho L. Cornelij Dolabellæ pro cos.

BIENNIO ante vlterior pacata Hiſpania fuit, ſubactis Luſitanis. his autem conſulibus, iidem rebellantes, rurſus victi ſunt. Quod ipſum docet Obſequens his verbis; M. Antonio, A. Poſtumio cos. Luſitani rebellantes ſubacti. Item in Luſitania proſpere a Romanis pugnatum. Fato autem neſcio quō factum eſt, vt in ſummo annalium ſilentio, exſtet lapis ille, in quo triumphus huius imperatoris, cuius auſpiciis res bene in Luſitania geſta eſt, inciſus eſt. is autem eſt L. Cornelius Dolabella; qui ſequenti anno pro cos. triumphat. Eſt autem pro cos. accipiendum pro eo qui pro pr. rem geſſerit; vt etiam prætor pro proconſule vſurpatur. neque enim L. Dolabella in conſulatu, quem numquam cepit, ſed in prætura Luſitaniam obtinuit.

DE COS. AN. DCLV.

Q. METELLVS, T. Didius, conſules ſubſequuntur in hunc annū. auctor Caſſiodorus, & Obſequens. Hos etiam memorat Pædianus in Cornelianam. Q. Metellum Nepotem, inquit, Balearici F. Macedonici nepotem, qui conſul fuit cum T. Didio, Curio accuſauit. Cicero item in orationibus poſt reditum, Q. Metellum nepotem petiiſſe conſulatum dicit, tum cum Metellus Numidicus reſtitutus eſt. In fragmento Capitolino eſt etiam METELLVS NEPOS, & T. DIDIVS. Ab his cos. lata eſt *lex Cæcilia Didia*; de qua loquitur Cicero pro domo, & in V. Philipp.

De bello in citeriore Hiſpania renouato, & triumpho T. Didij pro cos.

POST Ser. Galbam, qui prætor anno DCXLIII contra Celtiberos exercitum duxit, cum Cimbrico & ſeruili bello populus Rom. implicatus eſſet, exercitum (vt ſupra etiam diximus) in Hiſpaniam mitti non placuit. miſſi aūt legati ſunt; qui res eas quam commodiſſime potuerunt, compoſuerunt. Cimbris autem deletis, viſum eſt bellum denuo ſuſcipiendum eſſe. Itaq; T. Didius conſul miſſus eſt. Hic XX millia Areuaccorum occidit; & Termeſtinorum vrbem captā mœnibus nudauit; & Colendam poſt nonum menſem obſeſſam cepit; alios etiam populos in deditionem redactos, ex decem legatorum ſententia militibus necandos tradidit. Hæc Appianus. Obſequens

etiam scribit, T. Didio consule Hispanos pluribus prœliis deuictos: Lentulo autem Crassoque cos. Celtiberos esse subactos. Et in Epitoma LXX, scriptum est, T. Didium pro cos. aduersum Celtiberos feliciter pugnasse. T. Didij meminit item Frontinus libro II; T. Didius, inquit, in Hispania cum acerrimo prœlio conflixisset, quod nox diremerat, magno numero vtrimque cæso, complura suorum corpora atra nocte sepelienda curauit, Hispani, postridie ad simile officium progressi, quia plures ex ipsorum numero quam ex Romanis cæsos repererunt, victos se esse secundum eam dinumerationem argumentati, ad conditiones imperatoris descenderunt. Plutarchus etiã Didium post bellum Cimbricum contra Celtiberos pugnasse ait, eiq; tribunum militum Q. Sertorium fuisse. item Gell. lib. II, cap. XXVII. Triumphasse autem ex hac victoria T. Didium, auctor est Appianus; itemq; Capitolini scriptores; qui T. Didium pro cos. II triumphasse de Celtiberis ex Hispania citeriore anno DCLX scripserunt, quinque post consulatum annis.

DE COS. AN. DCLVI.

CN. Lentulum, P. Crassum, cum fastis Siculis Cassiodorus: Cn. Cornelium: P. Licinium, Obsequens in hunc annum commemorãt cõsules. In fragmento etiam Capitolino est LENTVLVS, & P. LICINIVS. Eorum meminit Plin. lib. XXX: Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso cos. S.C. factum est, inquit, ne homo immolaretur; palamq; in tempus illud sacra prodigiosa celebrata. Meminit etiã lib. X. cap. II. P. Crassus, pater est M. Crassi, æqualis Cn. Magni. de quo sic Salust. P. Crassi cõsularis viri domum emit Cicero in Palatio. qui ex Capitolino triumpho M. F. P. N. appellatus est. His cos. Mædos & Dardanos subactos tradit Obsequens; at quo imperatore, non exstat.

De Censoribus, & lustro LV.

CENSORES etiam in hunc annum referunt Capitolinæ tabulæ Flaccum, & M. Antonium. Quorum meminit Valerius libro II, ita; M. Antonius, & L. Flaccus censores, Duronium senatu mouerunt, quod legem de coercendis conuiuiorum sumptibus latam tribunus pl. abrogauerat. De M. Antonio oratore censorio loquitur Quintilianus libro III: & Cicero de Orat. lib. II, censorem eum rostra imperatoriis manubiis ait ornasse. L. Flaccus est, qui collega Marij VI cos. fuit. Lustrum, si superiora spectes, conditum est LXV.

De re gesta in Lusitania, & triumpho P. Licinij Crassi pro cos.

L. DOLABELLAE P. Crassum consulem in Lusitaniam successisse puto. Eius meminit contra Lusitanos Strabo lib. III. Pædianus etiam hunc ante bellum Italicum de Hispanis ait triumphasse. Sexennio autem post consulatum triumphasse de Lusitanis, scriptum est in tabulis Capitolinis. Hunc etiam intelligi a Cicerone puto, cum scribit pro Cornelio Balbo ita; Testantur Gaditani & mortuos nostros imperatores, quorum viuit immortalis memoria & gloria; Scipiones, Brutos, Crassos, Metellos, & hunc præsentem Cn. Pompeium. Intelligit autem P. & Cn. Scipiones fratres D. Brutum Callaicum P. Crassum, Q. Metellum Pium, & Cn. Pompeium Magnum; qui omnes in vlteriore Hispania rem gesserunt. quamquam vulgo apud Ciceronem mendose legitur *Cassios*.

DE COS. AN. DCLVII.

CN. Domitium, C. Cassium hic annus habuit, auctore Cassiodoro & Obsequente: Ahenobarbum & Longinum fastis Siculis. In fragmẽto Capitolino est AHENOBARBVS, & C. CASSIVS L.F. C. Cassij L.F. Lõgini tribuni pl. anno DCXLIX; meminit Pedianus in Cornelianam. Eundem autem L. Cassij Longini Rauillæ, consularis & censorij, filium esse opinor. De hoc Cn. Domitio, ceterisque, Suetonius in Nerone. His cos. Ptolemæus rex Cyrenarum, cui cognomen *Apioni* fuit, mortuus, testamento hæredem populum Rom. reliquit. Senatus, eius regni ciuitates liberas esse iussit. Obsequens, Epitoma LXX. Iustinus tamen eam partem Libyæ prouinciam factam scribit libro XL.

DE COS. AN. DCLVIII.

CONSVLES ſubſequuti L. Craſſus, & Q. Scæuola; auctores Caſſiodorus & Obſequens. In fragmento Capitolino conſulari eſt, CRASSVS. Q. MVCIVS: in cenſorio eſt, L. Licinius L. F. L. Craſſum oratorem omnes magiſtratus geſſiſſe cum Q. Scæuola pont. max. præter tribunatum pl. & cenſuram, ſcribit Cicero in Bruto; iiſdemque cos. Q. Hortenſium in foro primum dixiſſe. L. Licinij Craſſi oratoris, & Q. Mucij Scæuolæ pont. max. & oratoris ac iuriſconſulti conſulum meminit Pædianus in Cornelianam. Ab his lata eſt lex *Mucia Licinia* de regendis in ſua ciuitate ſociis. cum enim ſumma cupiditate ciuitatis Rom. Italici populi tenerentur, & ob id magna pars eorum pro ciuibus Rom. ſe gereret, neceſſaria lex viſa eſt, vt in ſuæ quiſque ciuitatis ius redigeretur. verum ea lege ita alienati ſunt animi principum Italicorum populorum, vt ea vel maxima cauſſa belli Italici fuerit; quod poſt triennium exortũ eſt. Pæd. in Cornelianam. & Cicero de Officiis; Eſſe pro ciue, qui non ſit ciuis, rectũ eſt non licere. quam tulerunt legem ſapientiſſimi conſules Craſſus & Scæuola. Licinio Gallia, Mucio Aſia obuenit.

De re geſta a L. Craſſo pro cos. in Gallia, Q. Mucio pro cos. in Aſia.

L. CRASSVM proconſulem in Gallia rem geſſiſſe inuenio; atq; ob res ibi geſtas triumphum, cum poſtulaſſet, nõ impetraſſe. ſic enim eſt apud Ciceronem lib. I. de Inuent. L. Licinius Craſſus cos. quoſdam in citeriore Gallia, nullo illuſtri neq; certo duce, neque eo nomine, neque eo numero prẹditos, vt digni eſſent qui hoſtes populi R. eſſe dicerentur; quod tamen excurſionibus & latrociniis infeſtam prouinciam redderent, conſectatus eſt, & cõfecit. Romam redit; triumphum ab ſenatu poſtulat. Et apud Pædianum ita in Piſonianam; Craſſo collega fuit Q. Scæuola pont. max. qui, cum animaduerteret Craſſo, propter ſummam eius in rep. potentiam ac dignitatem, ſenatum in decernendo triumpho gratificari, nõ dubitauit reip. magis quam collegæ habere rationem; ac ne fieret S. C. interceſſit. Et apud Valerium lib. III; L. Craſſus, cum ex conſulatu prouinciam Galliam obtineret, atque in eam Cn. Carbo, cuius patrem damnauerat, ad ſpeculanda acta ſua veniſſet, non ſolum eum inde non ſummouit, ſed inſuper locum ei in tribunali aſſignauit; nec vlla de re, niſi eo in conſilium adhibito, cognouit. Aſiam porro conſul Scæuola rexit. Eius adminiſtrationis illuſtria exſtãt ad immortalitatem annalium litteris prodita monimenta. Sic ſcribit Valerius libro VIII: Q. Scæuola, quem L. Craſſus collegam in conſulatu habuit, Aſiam tam ſancte & tam fortiter obtinuit, vt ſenatus deinceps in eam prouinciam ituris magiſtratibus, exemplum atque formam officij Scæuolæ decreto ſuo proponeret. Pædianus autem in Piſonianam ait, Scæuolam Aſiam prouinciam depoſuiſſe, ne ſumptui eſſet ærario. Et in Verrinas; Q. Mucij Scæuolæ quæſtor Rutilius Rufus damnatus; quod cum prætore conſenſerit ſuo, ne publicani aliquid agerent in prouincia ſua. quo cognito, equites Rom. (nam tum ante Syllana tempora iudicabant) damnauerunt eum. Hic eſt Mucius, in honorem cuius Aſiani diem feſtum *Mucia* nominabant. Et in Epitoma LXX; P. Rutilius, vir ſummæ innocentiæ, qui legatus Q. Mucij procos. a publicanorum iniuriis Aſiam defenderat, inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus, in exſilium abiit.

DE COS. AN. DCLIX.

C. COELIVM, L. Domitiũ, conſules edunt in hunc annum Caſſiodorus & Obſequẽs: Caldum & Ahenobarbũ faſti Siculi. De his ſic Pædianus in Cornelianã; L. Domitio, C. Cœlio cos. S. C. factũ, ne quis Cretẽſibus mutuã pecuniã daret. In fragmento Capit. eſt, CALDVS, L. DOMITIVS CN. F. *Caldus* aũt cognomen eſt Cœlij. meminit enim etiã Velleius Cœlij cuiuſdã Caldi ſub Auguſto. Cic. ſcribit, eum, cũ quæſtor factus nõ eſſet, conſulẽ tamen factũ, in Planciana. Scriptũ eſt etiam in lib. de petitione cõſulatus, C. Cœliũ, nouum hominem, cum duobus hominibus nobiliſſimis petiiſſe conſulatũ; atq; eorum alterũ ſuperaſſe. Cicero item pro Murena, cum Marios, Didios, Cœlios, nouos homines, cõſulatum adeptos ſcribit, hunc Cœlium intelligit.

Eiuſdem C. Cœlij idem meminit vt oratoris, in Bruto, proxime ante M Herennium. L. Domitius poſt M' Aquillium prætorio imperio Siciliam adminiſtrauit. Cicero in Verrem, & Valerius auctores. Hic paulo poſt in cenſura Capitolina Cn.F. Cn.N. appellatur.

De Ariobarzane Cappadociæ rege a L. Sulla prætore conſtituto.

BERNARDINVS Lauredanus, patricius Venetus, iuuenis cum humanitate ſingulari præditus, tum omni ingenij, induſtriæ, atque doctrinæ laude cumulatus, atque huic antiquitatis ſtudio mirifice deditus, me admonuit, vt viderem quid eſſet quod plerique annalium ſcriptores, bellum cum Mithridate Ponti rege per annos XL, aut etiam XLII, geſtum proderent: cum tamen a L. Sulla conſule, qui primus regi bellum intuliſſet, vſq; ad M. Ciceronem, quo conſule Cn. Pompeius bellum Mithridaticum confeciſſe traditur, non niſi ſex & viginti anni enumerentur. reſpondi me putare legendum eſſe, aut annos XXXII, ſi diligentem; aut XXX, ſi rotundum numerum quæreremus. initum autem eſſe bellum a L. Sulla non conſule, ſed prætore; C. Cœlio, & L. Domitio cos. Quod ipſum qua occaſione factum ſit, vt vna & nobiliſſimi atq; ingenioſiſſimi adoleſcentis, quæſtioni ſatisfaciam, & omnium vtilitati conſulam, hoc loco adſcribere viſum eſt. In Epitoma LXX, poſt Ptolemęi Apionis mortē hæc verba ſubſequuntur; Ariobarzanes in regnum Cappadocię a L. Cornelio Sulla reductus eſt. Tradit etiam Plutarchus L. Sullam non ſine repulſa præturam vrbanam adeptū: ex prætura vero in Cappadociam aduerſus Mithridatem miſſum, non admodū magnis copiis, ſociorum auxiliis vſum, Gordio pulſo, Ariobarzanem regem cōſtituiſſe. In libro etiam de viris illuſtribus ſcriptum eſt, Sullam prætorem inter ciues ius dixiſſe: ex prætura Ciliciam prouinciam habuiſſe. Itaque Appianus item in Mithridatica, L. Sullam Ciliciæ præfectum, Ariobarzanem in Cappadociæ regnum ex S.C. reduxiſſe ſcribit. Ariarathen enim Cappadociæ regem cum Mithridates per Gordium cum paruulo eius filio interfeciſſet, rege ei filio ſuo impoſito, prouinciam occuparat. cum autem Nicomedes Bithyniæ rex, producto filio ſuo, quem ementita ſtirpe Ariarathis filium eſſe dicebat, eandem ad ſe traheret; placuit ſenatui, ad quem reiecta res erat, Mithridatem Cappadocia, Nicomedem Paphlagonia, quam & ipſe Pylæmeni ademerat, cedere: Ariobarzanem, ex regio genere iuuenem, cum Cappadoces regem quam libertatem mallent, Cappadociæ regem appellari. Ita tum Ariobarzanes per L. Sullam prætorem in Cappadociam, pulſo armis Gordio Mithridatis duce, reductus eſt. tumque primum bellum initum; quod poſtea XXXII anno a Cn. Pompeio terminatum eſt. Hæc ex Appiani Mithridatica, Iuſtini lib. XXXVII, & Strabonis libro XII. Eodem tempore ad Sullam ad Euphratem morantem, Orobazum Arſacis Parthorum regis legatum ſocietatem petitum primum veniſſe; atque Sullā medium inter Ariobarzanem & Orobazum aſſediſſe, ſcriptum eſt apud Plutarchum, & in Epitoma LXX. Itaque Rufus etiam ita ſcripſit; Primum a L. Sulla proconſule Arſaces rex Parthorum miſſa legatione amicitiam populi Rom. rogauit, ac tenuit.

De re cum Celtiberis geſta.

CELTIBERIS poſt Didij victoriam rebellātibus, Fuluius Flaccus in Hiſpaniam miſſus eſt; qui eorum conatus, XX fere millibus cæſis, atque oppidis eorum in poteſtatem redactis, repreſſit; atque in defectionis principes animaduertit. Hæc tradit Appianus. Quam eandem victoriam ſignificari apud Obſequentem, ſuſpicari quis facile poterit, cum ait; C. Cœlio, L. Domitio cos. Per Naſicam Hiſpaniæ principes, qui rebellabant, ſupplicio conſumpti, vrbibus dirutis. Pro Naſica autem Flaccum intelligendum eſſe, eundemque hanc prouinciam ex prætura obtinuiſſe; atque Romam reuerſum, conſulem in inſequentem annum factum eſſe. Ab hoc bello vſque ad Sertorianum, quieta (vt inquit Appianus) citerior Hiſpania fuit.

DE COS. AN. DCLX.

CONSVLES in hunc annum comparant C. Valerium Flaccum, M. Herennium, Caſſiodorus & Obſequens; Flaccum & Herennium faſti Siculi; = FLACCVM. M.

HEREN-

HERENNIVM, Capitolinum fragmentum. Quorum meminit quoque Plinius libro XXIX: C. Valerio, M. Herennio cos. (inquit) Cyrenis aduecta Romam publice laſerpicij pondo CXI. De M. autem Herennio ſic Cicero in Bruto; M. Herennius, ſumma nobilitate hominem, cognatione, ſodalitate, collegio, ſumma etiam eloquentia, L. Philippum, in conſulatus petitione ſuperauit. Et pro Murena; Quis L. Philippum ſummo ingenio, opera, gratia, nobilitate, a M. Herennio ſuperari poſſe arbitratus eſt. Herennio conſuli bis immolanti caput iocinoris defuit. Luſtrationibus proſpere expiatum. nam totus annus domi foriſq; tranquillus fuit. His cos. triumphi duo acti; alter, ex citeriore; alter, ex vlteriore Hiſpania, a T. Didio, & P. Craſſo pro cos. de quibus ante in eorum conſulatu diximus.

DE COS. AN. DCLXI.

CONSVLES hoc anno fuerunt C. Claudius Pulcher, M. Perperna. Caſſiodorus auctor, & Obſequens. In fragmento item Capitolino eſt = PVLCHER. M. PERPERNA. itemque in faſtis Siculis. Horum conſulum patres, vt opinor, vna conſules fuerunt anno DCXXIII. Huius C. Claudij prætoris Siciliæ, meminit Cicero in Verr. IIII; ædilis curulis, lib. II de off. & Plin. lib. VIII; vt oratoris Cicero in Bruto proxime poſt M. Herennium. His cos. notat Obſequens Mædorum in Macedonia gentem prouinciam cruente vaſtaſſe. quam rem his verbis exprimi puto, quæ ſunt in Epitoma LXX: C. Geminius prætor, infeliciter contra Thracas pugnauit.

De cenſoribus abdicatis.

ET in hunc annum cenſores conijciunt Capitolini faſti, Domitium Cn. F. Cn. N. Ahenobarbum, & L. Licinium L. F. Quos ego contentioſam peregiſſe cenſuram inuenio. ſic enim ſcribit de his Plinius libro XVII; Nobiliſſimarum gentium ambo Craſſus atq; Domitius, cenſuram poſt conſulatũ ſimul geſſere, anno ab V. C. DCLXII, frequentem iurgiis propter diſſimilitudinem morum; cum Domitius Craſſo pro domo eius millia nummûm identidem promiſiſſet, Craſſus concedere eam ſe exceptis ſex arboribus reſpondiſſet. Idem ſcribit libro XXXVI, cap. III: & Valerius libro IX, cap. I. De eadem contentione Macrobius etiam libro III loquitur. Craſſus (inquit) cenſor, ſupra ceteros diſertus, murenam in piſcina domus ſuæ mortuam atratus tamquam filiam luxit. neque id obſcurum fuit. quippe collega Domitius in ſenatu hoc ei quaſi deforme crimen obiecit. Et Suetonius in Nerone, in Domitium ait L. Craſſum dixiſſe, non eſſe mirandum quod æneam barbam haberet, cui eſſet os ferreum, cor plumbeum. Meminit quoque Cicero lib. II de Orat. orationis quam Craſſus cenſor in collegam Domitium dixit; qua anno ætatis duodequinquageſimo vſum eum eſſe ſcribit in Bruto. Hunc Cn. Domitium conſulem, cenſorem & pont. max. fuiſſe reperio apud Valer. libro VI, cap. V. Itaque de eodem merito Cicero dixit pro domo; Cn. Domitium nos pueri conſulem, cenſorem, pont. max. vidimus. Suetonius quoque in lib. de claris Rhetoribus, & Gell. lib. XV, edictum horum cenſorum eiuſmodi referunt; Renuntiatum eſt nobis, eſſe quoſdam homines qui nouum genus diſciplinæ inſtituerunt, ad quos iuuentus in ludos conueniat: eos ſibi nomen impoſuiſſe Latinos rhetores: ibi homines adoleſcentulos totos dies deſidere. maiores noſtri, quæ liberos noſtros diſcere, & quos in ludos itare vellent, inſtituerunt. Hæc noua, quæ præter conſuetudinem, ac morem maiorum fiunt, neque placent, neq; recta videntur. Quapropter & iis qui eos ludos habent, & iis, qui eo venire conſueuerunt, videtur faciendum vt oſtendamus noſtram ſententiam, nobis non placere. Ob eam rem Cicero ſic loquentem fecit Craſſum anno ſequenti in III de orat. Rerum eſt ſilua magna; quam cum Græci iam non tenerent, ob eamque cauſſam iuuentus noſtra dediſceret pene diſcendo, etiam Latini (ſi diis placet) hoc biennio magiſtri dicendi exſtiterunt. quos ego cenſor edicto meo ſuſtuleram; non quo (vt neſcio quos dicere aiebant) acui ingenia adoleſcentum nollem; ſed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. & Tacitus in dialogo de oratoribus ait; Rhetoras paulo ante Ciceronis tempora exſtitiſſe, nec placuiſſe maioribus noſtris, ex eo manifeſtum eſt, quod L. Craſſo, Cn. Domitio cenſoribus, cludere (vt ait Cicero) ludum impuden-

tiæ iussi sunt. Sequentem annum, quo Philippus cos. fuit, Cicero in III de orat. ait primum fuisse Crasso ab honorum perfunctione; eumque alio loco illo anno censorium nominat. Ex quo intelligo, Crassum hoc anno ob contentionem cum collega ortam abdicasse; neque eos lustrum fecisse. id quod etiam probant insequentes censores, qui ante quinquennium facti sunt.

DE COS. AN. DCLXII.

L. MARCIVM, Sex. Iulium cõsules in hunc annum Cassiodorus & Obsequens; Philippum & Cæsarem fasti Siculi: Eutropius & Orosius Sex. Iulium Cæsarem, L. Marcium Philippum: fragmentum Capitolinum, PHILIPPVM, SEX. IVLIVM C F. edunt. Hos intelligit Plinius, cum scribit libro XXIII; Sex. Iulio, L. Marcio cos. hoc est belli Socialis initio, DCCCXLVI auri pondo in ærario populi Rom. fuerunt. Et libro II; L. Marcio, Sex. Iulio cos. in agro Mutinensi duo montes inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes recedentesque; inter eos flamma fumoque in cœlum exeunte interdiu, spectante e via Æmilia magna equitum Rom. familiarumque & viatorum multitudine. Eundem L. Philippum tribunum militum non factum, consulem factum ait Cicero pro Plancio. de eodemque sic loquitur in lib. de off. L. Philippus Q. F. magno vir ingenio, in primisque clarus, gloriari solebat, se sine vllo munere adeptum esse omnia quæ haberentur amplissima. Eundem cos. (vt ait Valerius) M. Drusus tribun. pleb. quia se interpellare concionantem ausus fuerat, obtorta gula per clientem suum adeo violenter in carcerem præcipitem egit, vt multus e naribus cruor eius profunderetur. Idem ex censura Capitolina, quam gerret anno DCLXVII, descriptus est.

De seditione M. Liuij Drusi trib. pl.

HOC anno M. Liuius Drusus tribunus pl. seditionem Romæ commouit. senatus enim, cum impotentiam equestris ordinis, penes quem Sempronia lege iudicia erant, ferre non posset, omni ope conatus est vt per M. Drusum tribunum pl. ad se iudicia transferret. is, vt plebem ac socios sibi adiungeret, leges Sempronias de agris diuidendis, de frumento dando, de coloniis deducendis; & Flacci consulis legem de ciuitate sociis danda, & Cæpionis de senatu equitibus, iudiciis senatoribus communicandis rettulit. contra Drusum pro equitibus stabat Q. Seruilius Cæpio alter, atque is qui consul senatus partes lege defenderat. Reliquis omnibus legibus Drusi acceptis, vna, de sociis in ciuitatem accipiendis, ferenda erat. quam cum eis promissam præstare non posset, sociis propterea, ac senatui, & equitibus oblatas leges inuisus, domi, incerto auctore, interficitur. nulla de eius nece quæstio lata. Leges eius omnes, tamquam contra auspicia latæ, Philippo consule referente vno S. C. sublatæ. Hæc Appianus, Florus, Epitomæ, Cicero III de legibus, Pædianus, alij. Adijcit Plinius libro XXXIII, cap. I; inter Cæpionem & Drusum ex annulo in auctione venali, inimicitias cœpisse; vnde origo Socialis belli, & exitia rerum. & lib. XXVIII, cap. IX, Drusum vulneratum, caprinum sanguinem bibisse; quum pallore & inuidia veneni sibi dati insimulari Q. Cæpionem inimicum vellet.

De bello Marsico.

LATINOS porro populos in cupiditatem ciuitatis Ro. primus M. Fuluius Flaccus cos. erexit; deinde M. Liuius Drusus tribunus pl. Illum ab eo consilio, decreta ei prouincia Gallia, senatus auocauit; hic ne, quod animo agitabat, exsequeretur, ciuiũ, in quod incurrerat, odium effecit. ergo Italici bis tanta spe deiecti, facta inter populos coitione, aduersus populum Rom. conspirarunt. primum eorum consilium fuit, vt feriis Latinis Cæsarem ac Philippum consules trucidarent; deinde, eo detecto, Q. Seruiliũ, pro cos. ad motus eorum sedandos profectũ, vna cum Fonteio legato, & omnes qui Asculi erant, Romanos interfecerunt. Quo facto, ceteri etiã Italici defecerunt. populus Ro. saga sumpsit, ac bellũ aduersus Italicos iussit; quod *Bellum Italicũ Sociale* ac *Marsicũ* appellatum est; Marsicum autem, quod a Marsis primum cõmotum sit, & eorum imperatore Popedio, vt Strabo lib. V tradit. Hoc autem bellum Iulio & Ru-

& Rutilio cos. cœptum scribit Velleius & Pædianus; a quibus stant etiam Capitolini fasti. Hæc maxime Appianus, Florus, & Epitomæ. Cicero lib. II de Officiis, Italicum bellum propter metum iudiciorum excitatum scribit.

DE COS. AN. DCLXIII.

CONSVLES in hunc annum sunt apud Cassiodorum & Obsequentem L. Cæsar, P. Rutilius Lupus: itemque apud Pædianum, Velleium, & in Epitoma LXXIII; & apud ceteros qui de bello Marsico scripserunt: in fragmento Capitolino = CAESAR. P. RVTILIVS L. F. L. = in Siculis tabulis Cæsar & Lupus. Meminit etiam eorum Cicero de diuinatione: Quin etiam memoria nostra, inquit, templum Iunonis Sospitæ L. Iulius, qui cum P. Rutilio cos. fuit, de senatus sententia refecit ex Cæciliæ Balearici filiæ somnio. L. Cæsarem autem in ædilitate præteritum, consulem factum scribit in Planciana.

De re cum socijs gesta, & P. Rutilio cos. occiso.

CONSVLIBVS ambobus grauissimum bellum Italicum decretum est. Rutilius legatos habuit Cn. Pompeium Strabonem, Q. Cæpionem, C. Perpernam, C. Mariũ, Valerium Messallam; Cæsar, P. Lentulum, T. Didium, P. Licinium Crassum, L. Cornelium Sullam, M. Marcellum. Italis duces fuerunt T. Afranius, C. Pontidius, Marius Egnatius, Q. Popedius Silo, C. Papius Mutilus, M. Lamponius, C. Iudacilius, Hirnus Asinius, T. Vettius Cato, Pontius Telesinus, T. Herennius, A. Cluentius, Iuuentius, P. Presenteius, P. Ventidius. Res autem gesta sic est. Vettius Cato L. Cæsarem consulem fudit; ac duobus millibus interfectis, Aeserniam insecutus est. Egnatius Venafrum per proditionem occupauit. Presenteius Perpernam fugatum exercitu etiam exuit: quamobrem ei abrogato imperio, a Rutilio cos. Marius suffectus est. Lamponius ex Crassi exercitu cecidit ad octingentos; reliquos ad Grumentum persecutus, in fugam vertit. Papius Nolam coloniam per proditionem cum L. Postumio prætore; Stabias, Minturnas, & Salernum in potestatem redegit, atque Acerras obsedit. Cum P. Rutilius cos. parum prospere contra Marsos dimicasset, & in prœlio cecidisset C. Marius legatus eius, Vettio Catone pulso, melius pugnauit. Rutilij exercitum Marius & Cæpio ex senatus consulto acceperunt: Cæpio, Popedij insidiis circumuentus, cecidit. L. Cæsar, cum ad Aeserniam victus fugisset, contractis vndique copiis, contra Samnites feliciter pugnauit. ob eam victoriam saga Romæ posita sunt. Aesernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. C. Marius prœlio Marsos fudit, Asinio prætore Marrucinorum occiso. Cn. Pompeius a Iudacilio, Afranio, & Ventidio Firmum compulsus, atq; obsessus, adiuuante Sulpicio, eruptione facta, hostes repulit, atque Asculum fugauit; idque oppidum obsedit. qua victoria Romæ prætextæ aliaque magistratuum insignia sumpta sunt. C. Marius cum Marsis dubio euentu pugnauit. Libertini tum primum militare cœperunt. A. Plotius legatus Vmbros, L. Porcius prætor Marsos, cum vterque populus defecisset, prœlio vicerunt. Hæc Appianus, Orosius, Epitomæ, Florus. Adijcit de nece Rutiliana Obsequẽs hæc; Rutilius Lupus spretis religionibus, cum in extis caput non inuenisset iocinoris, amisso exercitu, in prœlio occisus. Ouidius IIII idus Iun. die festo Matutæ interfectum eum scribit in Fastis.

De re gesta in Gallia; Nicomede & Ariobarzane regibus reductis.

ET hoc anno trans Alpes in Gallia bellatũ esse docet Epitoma LXXIII; in qua ita scriptũ est; C. Cæcilius in Gallia Transalpina Saluios rebellantes vicit. Hunc inter ceteros imperatores a Cicerone intelligi puto, cum ait pro Fonteio; Prouinciæ Galliæ M. Fonteius præfuit; quæ constat ex iis generibus hominum, qui modo ab nostris imperatoribus subacti, modo bello domiti sunt, &c. Eodem anno *Mithridatico bello* occasio data est. Nicomedem ex Bithynia frater eius Socrates; Ariobarzanem ex Cappadocia Bagoas, vel (vt alij) Tigranes Armeniæ rex a Mithridate inductus, expulerat. Senatui visum est, reges, cum ipsius opem implorarent, in regnum reducere. Itaq; legatos in Phrygiam misit, quorũ princeps erat M'. Aquillius vir consularis; mandauitq;

vt ope L. Cassij Asiæ prætoris, & regis Ponti Mithridatis, eos in regnum restituerent. quare a Manio & a Cassio restituti sunt. Mithridates enim, quod a Romanis ante Cappadocia cedere & Phrygia iussus erat, opem ferre noluit. Hęc Appianus. De quibus sic est scriptum in Epitoma LXXIIII; Nicomedes in Bithyniæ, Ariobarzanes in Cappadociæ regna reducti sunt.

DE COS. AN. DCLXIIII.

L. PORCIVM, Cn. Pompeium cos. edit in hunc annum Cassiodorus: Cn. Pompeium Strabonem, L. Porcium Catonem Pædianus in Cornelianam: STRABONEM & L. PORCIVM fragmenta Capitolina: Strabonem & Catonem fasti Siculi. Horum consulum meminerunt Appianus, Orosius, & alij qui bellum Marsicum litteris prodiderũt. vnde Plin. lib. III, Stabiæ, inquit, oppidum in agro Campano fuere vsque ad Cn. Pompeium & L. Catonem cos. prid. K. Maij; quo die L. Sylla legatus bello sociali id deleuit. Cn. Pompeius hic, pater Cn. Pompeij Magni fuit; auctore Appiano, & Pædiano in Pisonianam. idem ex triumpho Capitolino descriptus est. L. Cato, M. Catonis Saloniani filius fuit, M. Catonis censorij nepos. auctor Gellius.

De re gesta cum sociis, & L. Catone cos. occiso.

ET hoc anno ambo consules ad bellum missi sunt; a quibus ita gesta res est. Cn. Pompeius Marsos acie vicit. A. Postumius Albinus legatus consularis cum castris præesset, infamis crimine proditionis, ab exercitu suo interfectus est. L. Sulla legatus, Samnites prœlio fregit, & bina castra eorum expugnauit. Cn. Pompeius Vestinos in deditionem accepit. L. Porcius consul, rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. Cosconius & Luceius Samnites acie fuderunt, Marium Egnatium eorum ducem occiderunt, compluraque eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sulla ad Nolam Cluentium cecidit, Irpinos domuit, Samnites multis prœliis fudit, aliquot populos recepit; quantisque raro quisquam alius ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus. A Gabinius legatus, rebus aduersum Lucanos prosperegestis, multis oppidis expugnatis, dum castra obsideret, interiit. Sulpicius legatus, Marrucinis cæsis, vniuersam eam regionem recepit. Cn. Pompeius consul Vestinos & Pelignos ad deditionem redegit. Marsi quoque a L. Murena & Cæcilio Pio legatis aliquot prœliis fracti, pacem petierunt. Asculum a Cn. Pompeio captum est, cæsis & a Mamerco Æmilio legato Italicis. Silo Popedius dux Marsorum, auctor huius belli, in prœlio cecidit. Hæc prodita sunt apud Appianum, & in Epitomis, & apud Orosium; a quo apertius etiam interitus consulis hoc modo describitur: Porcius Cato cos. Marianas copias habens, cum aliquanta strenue gessisset, gloriatus est, C. Marium non maiora fecisse; & ob hoc, cum ad lacum Fucinum contra Marsos bellum gereret, a filio C. Marij in tumultu belli, quasi ab incerto auctore, prostratus est.

De triumpho Cn. Pompeij Strabonis cos. de Asculanis.

CVM a quatuor cos. res gesta sit in hoc bello, nemo tamen nisi Cn. Pompeius triumphauit: quippe qui solus Picentes & Asculanos, qui hoc bellum concitauerant, deuicerat. sic enim præter ceteros Orosius; Pompeius cos. diu obsedit Asculum; neque tamen expugnauisset, nisi populum in campum prorumpentem vicisset. decem & octo millia Marsorum in ea pugna cæsa sunt, capta III millia. Asculum ingressus, præfectos, & centuriones, cunctosque principes eorum, virgis cecidit, securique percussit; seruos, prædamque omnem sub hasta vendidit: reliquos, liberos quidem, sed nudos & egentes, abire præcepit; ac nihil tamen in ærarium ille contulit. Hunc triumphasse in cõsulatu de Asculanis & Picentibus, scriptum est in Capitolinis tabulis. quas tabulas comprobat etiam Pædianus, qui eum de Picentibus triumphasse prodidit; & Plinius, qui P. Ventidium, eum qui post de Parthis triumphauit, in triumpho Asculano a Cn. Pompeio ductum, vna cum Valerio lib. VI, cap. X, & Dione lib. XLIII, scribit. Adijcit Appianus, hoc vno crimine de Marsis triumphatum; cum ante neque de Marsis, neque sine Marsis triumphus vllus actus fuerit.

De Censoribus.

In hunc annum conferunt censores CRASSVM & L. IVLIVM Capitolini scriptores. Fuisse autem P. Licinium Crassum & L. Iulium Cæsarem consulares, auctoritate Plinij confirmatur. cuius hæc verba sunt lib. XIII; Certum est, Antiocho rege Asiaq; deuicta, vrbis anno DCLXV, P. Licinium Crassum, L. Iulium Cæsarem censores edixisse, ne quis venderet vnguenta exotica. & lib. XIIII; P. Licinius Crassus, & L. Iulius Cæsar censores, anno vrbis DCLXV, edixerunt ne quis vinũ Græcum Aminæumque octonis æris singula quadrantalia venderet. Idem scribit Solinus cap XLVIII. Plutarchus etiam in Crasso scribit patrem M. Crassi censorium fuisse. Ab his censoribus conditum lustrũ nullum puto; vel quia biennio post censores alios creatos ante tempus inuenio; vel quia Cicero pro Archia scripsit, Iulio & Crasso censoribus nullã populi partem esse censam. neque enim nisi censu facto, lustrum fiebat; qui erat censendi finis. Lustrum tamen hoc infelix fuisse, tradit Festus, ita; Referri diem prodictam, id est anteferri, religiosum est; vt ait Verannius in eo qui est auspiciorum de comitiis; idque exemplo comprobat L. Iulij & P. Licinij censorum, qui id fecerint sine vllo decreto augurum, & ob id lustrum parum felix fuerit. Ante quinquẽnium autem creati sunt, vt socios, quibus priore anno data ciuitas fuerat, in tribus conijcerent.

De re gesta in Macedonia, & in Phrygia.

Ex Epitomis satis intelligi potest, priore atq; hoc anno Thraces in Macedoniam incurrisse, eamque populatos esse. quibus verbis exprimi C. Sentij prætoris victoriam puto; de qua hoc tempore parta loquitur Orosius, sic; Iisdem temporibus rex Sothimus, cum magnis Thracũ auxiliis Græciam ingressus, cunctos Macedoniæ fines depopulatus est: tandemq; a C. Sentio prætore superatus, redire in suum regnum coactus est. C. Sentium Macedoniæ prætorem scribit fuisse Plutarchus in consulatu Sullæ. de quo sic Cicero in Verrem; Modo C. Sentium vidimus, propter caritatem frumenti, quæ fuerat in Macedonia, permagnam ex cibariis pecuniam reportare. Legati autem Romani, quorum princeps erat M. Aquillius, Nicomedem & Ariobarzanem, quos in regnum reduxerant, impulerũt vt Mithridatis fines incursantes, regem bello lacesserent. Ipsi cõtractis L. Cassij & Q. Oppij copiis, ac classe vsi ea cui Minucius Rufus ac C. Popillius præerant, prœlio cum Mithridate congressi, minus prospere pugnarunt. Ariobarzanes Cappadocia, Nicomedes, Bithynia rursus a Mithridate pulsi sunt. Appianus. Itaque in Epitoma sic scriptum est; Ariobarzanes Cappadociæ, Nicomedes Bithyniæ regno a Mithridate Ponti rege pulsi sunt.

DE COS. AN. DCLXV.

Consvles edit in hunc annum Cassiodorus L. Sullam & Q. Pompeium. idem est scriptum apud Obsequentem, Velleium, Eutropium, Orosium, Appianum, Plutarchum, alios. neq; enim his cos. quidquam potest esse illustrius. Syllam & Rufum edũt fasti Siculi. De Sulla sic Velleius; L. Cornelius Sulla, natus familia nobili, sextus a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos duces fuerat, cum familiæ eius claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, vt nullam petendi consulatus rationem habere videretur: deinde post præturam illustratus bello Italico, & ante in Gallia legatione sub Mario, qua eminentissimos duces hostium fuderat, ex successu animum sumpsit; petensq; consulatum, pene omnium ciuium suffragiis factus est; sed eum honorem vndequinquagesimo ætatis anno assecutus est. Salustius etiam Sullam patriciæ gentis fuisse scribit, sed familia iam exstincta maiorum ignauia. repulsam in prætura passum, notat Valerius lib. VII; itemq; Plutarchus. Idem post victoriam ciuilem se *Felicem* appellari voluit. Itaq; Pædianus, & Capitolini auctores, in hoc cõsulatu referendo ita scribunt; L. Sulla, qui postea Felix appellatus est. Idem in secundo consulatu Capitolino L. F. P. N. dicitur. Q. Pompeij cõsulis mentio est etiam in fragmento Capitolino. Legi quoq; nummum argenteum apud clarissimũ & humanissimum virum Andream Lauredanum patricium Venetum; in quo ab vna parte ita est; Q. POMPEIVS Q. F. RVFVS: ab altera; SVLLA COS. Q. POMPEIVS Q. F. De

Q. autem Pompeio Rufo loquitur etiam Cicero in Bruto. Sulla Asiam sortitus est; Pompeius Italiam; Appianus. L. Syllam consulem in agro Nolano fortissime Samnitium castra cepisse scribit Valerius.

De bello Mithridatico, & ciuili Mariano.

HOC anno duo grauissima bella, alterum foris exarsit, alterum domi coortum est. Mithridates rex Ponti, illud; hoc, C. Marius, qui sexies cõsul fuerat, excitauit. Mithridati, quod Nicomedem & Ariobarzanem amicos populi Rom. regno exegisset, nec legatis Rom. paruisset, bellum indictum, idque L. Sullæ consuli mandatum. C. autem Marius, incredibili ardens eius gerendi belli cupiditate, P. Sulpicium tribunum pleb. impulit, vt lege lata Sullæ, qui adhuc in Campania reliquias Italici belli persequebatur, imperium abrogaret, atque ab eo bellum ad se transferret. quam legem cum Sulpicius Q. Pompeio consule aduersante ita tulisset, vt filium etiam consulis, Sullæ generum occidisset, Sulla iratus Romam exercitum adduxit; factoque cum inimicis leui prœlio vrbem ingressus, arcem Capitolinam tamquam victor insedit; atque ex S. C. XII, inimicos suos hostes iudicatos vrbe exegit. ex quibus P. Sulpicius legislator, indicio serui e villa extractus, occisus est: Marius pater, cum e paludibus Minturnensium emersisset, in Africam, quo & filius venerat, delatus est. Idem Sulla statum ciuitatis ex sua sententia ordinauit, colonias deduxit. Q. Pompeius consul, ad accipiendum a Cn. Pompeio proconsule exercitũ profectus, a militibus consilio eius occisus est. Hæc Appianus fere, & Epitoma LXXVII, & Plutarchus. De eodem autem Sulpicio seditionem mouente ita Pædianus; P. Sulpicius tribunus pleb. L. Sulla, Q. Pompeio cos. legem tulit de libertinorum suffragiis; cum per vim rempubl. possedisset, ab initiis bonarum actionum ad perditas progressus est. Et Cicero de aruspicum responsis; Sulpicium ab optima caussa profectum, Caioque Iulio consulatum contra leges petenti resistentem, longius quam voluit, popularis aura prouexit. Et iterum Pædianus; C. Cæsar ædilicius, caussa belli ciuilis, cum Sulpicio tribuno pleb. contendit. agebat enim id, vt omissa prætura consul fieret. cui cum primis temporibus Sulpicius resisteret, postea nimia contentione ad ferrum & arma processit. Et Cicero in Bruto; P. Antistius, collega in tribunatu P. Sulpicij, contra C. Iulij petitionem consulatus extraordinariam egit. Fuit autem hic C. Cæsar cognomine *Strabo*; cuius testimonium profert Priscianus ex oratione contra P. Sulpicium tribunum plebis. De Q. autem Pompeio consule interfecto, ita Valerius libro IX; Q. Pompeium Sullæ collegam, senatus iussu ad exercitum Cn. Pompeij, quem aliquamdiu inuita ciuitate obtinebat, contendere ausum, ambitiosi ducis illecebris corrupti milites, sacrificare incipientem adorti, in modum hostiæ mactauerũt. Et Velleius libro II; Hoc primo anno, sanguine consulis Rom. militum imbutę manus sunt. quippe Pompeius collega Sullæ, ab exercitu Cn. Pompeij procos. seditione, quam ipse dux excitauerat, interfectus est. Dum autem Sulla ciuili bello, & ordinãda respubl. Romę occupatus fuit, Mithridates Phrygiam populi Rom. prouinciam cum exercitu intrauit; Asia in potestatem redacta, omnes ciues Rom. in omnibus Asiæ ciuitatibus, vno die atq; vno nuntio interficiendos curauit; Q. Oppium proconsulem, & M'. Aquillium legatum, captos atque fœde excruciatos necauit; vrbem Rhodum, quæ sola in fide permanserat, oppugnauit; atque aliquot prœliis naualibus victus, recessit; per Ariarathen filium, Thraciam & Macedoniam; per Archelaum præfectum, Græciam cum exercitu inuasit; ac Bruttio C. Sentij Macedoniæ prætoris legato aduersante, Piræum atque Athenas occupauit. auctor Plutarchus, Appianus, atq; Epitoma LXXVIII. quamquam si Appianum, atq; adeo etiam Velleium audias, Oppium & Aquillium captos, Phrygiam & Asiam occupatas a Mithridate, antequam L. Sulla Asiam sortiretur; reliqua quæ ab eo in Asia gesta sunt, in consulatu Syllæ, dum ille bello ciuili detineretur, gesta dices.

De triumpho Seruilij Vatiæ pro pr.

TRIVMPHO Cn. Pompeij Strabonis cõsulis hæc in fragmentis Capitolinis verba adnectuntur, =IVS. C. F. M. N. VATIA PRO. PR. == AN. DCLXV. XII.

K. NO-

K. NOVEM. quibus verbis triumphum Seruilij Vatiæ proprætoris significari arbitror. quamquam qua ex victoria ille triumpharit, adhuc reperire non potui. P. autem Seruilius Vatia, qui postea *Isauricus* appellatus est, C. F. M. N. in consulatu Capitolino scribitur. an autem ille sit, an frater eius, parum compertum est.

DE COS. AN. DCLXVI.

CONSVLES in hunc annum commemorat cum fastis Siculis Cassiodorus L. Cinnam, & Cn. Octauium: L. Cornelium Cinnam, Cn. Octauium Appianus, Velleius, & ceteri qui huius temporis historiam litteris prodiderunt. L. Cinnam scribit Plutarchus, consulem a L. Sulla ex inimica factione ea conditione creatum, vt Sullæ actionibus non aduersaretur, vbi primum magistratum iniuit, præsentem reipub. statum perturbare adortum, Sullæ etiam accusationem per Virginium tribunum pleb. comparasse; Sullam autem, Virginio contempto, aduersus Mithridatem mouisse. Octauium Galliam citeriorem sortitum puto; quia P. Cœlium Placentiæ præpositum ab eo fuisse scribit Valerius lib. IIII, cap. VII.

De bello ciuili Octauiano atque Cinnano, & re gesta a Sulla in Græcia.

HOC anno nouæ belli ciuilis caussæ inter consules L. Cinnam & Cn. Octauium ortæ, remp. vehementissime perturbarunt. Nam cum prioribus annis ciuitas aliquot Italicis populis ita data esset, vt non in XXXV veteres tribus noui ciues conijcerentur, sed in nouas alias octo transferrentur, ne nouorum ciuium multitudo ac potentia, veterum in comitiis auctoritatem atq; opes superaret ac labefactaret: Cinna tamen, vt ab Italicis gratiam iniret, eos se omnes in XXXV distributurũ esse professus est; quo nomine ingentem ex tota Italia multitudinem Romam acciuit. cum autem hanc rogationem per vim ferre vellet, a Cn. Octauio collega, qui veterum ciuium caussam susceperat, per seditionem vrbe pulsus; & cum ad Italicas sollicitandas ciuitates iret, ex S. C. magistratus ei abrogatus est. in eius locum L. Cornelius Merula flamen dialis factus. Idem cum in Campaniam venisset, corruptum Ap. Claudij exercitum in potestatem suam redegit; ac consularia adhuc retinens insignia, haud ita multo post arma patriæ intulit, accersito cum aliis exsulibus ex Africa C. Mario. Vrbem Octauius & Merula consules, ad tanti metum mali munierunt; Cn. Pompeium procos. ad eam tuendam aduocarunt. vrbs quatuor exercitibus obsessa; quibus Marius, Cinna, Carbo, & Sertorius præfuerunt. qui Cn. Pompeij fraude, qui vtramq; partem fouendo, vires Cinnæ dedit, nec nisi profligatis optimatium partibus auxilium tulit, & Cn. Octauij segnitie confirmati, tandem in vrbem recepti, eam velut captam, cædibus & rapinis vastarunt. Cn. Pompeius fulmine ictus interiit: lectum eius populus diripuit, corpus vnco traxit. Cn. Octauius consul occisus est: L. Merula, cum se consulatu abdicasset, incisis venis sponte vitam finiuit. interfecti sunt M. Antonius orator, L. & C. Cæsares fratres, P. Crassus pater & filius, Q. Catulus, P. Lentulus, M. Bæbius, Atilius Serranus. Hæc ex Appiano, Plutarcho, Velleio, Floro, Epitomis. Tacitus lib. IIII tradit, duobus & septuaginta annis post Cornelij Merulæ flaminis dialis cædem, neminem flaminem esse suffectum. id quod actum esse Iulo Antonio & Q. Fabio cos. in annales Dio rettulit. Principio etiam huius anni, quantum ex Plutarchi verbis (de quibus supra dixi) colligi potest, L. Sulla in Græciam traiecit; atque (vt ait Appianus) pecuniis sociisque ex Ætolia Thessaliaque contractis, in Atticam aduersus Archelaum contendit; ac parte exercitus ad Aristionem Athenis obsidendum missa, ipse Piræum, qui ab Archelao tenebatur, sibi oppugnandum suscepit. qua in re totam æstatem, quod elici ex eiusdem Appiani historia potest, consumpsit.

DE COS. AN. DCLXVII.

INDE C. Marius VII, C. Cinna II consules, Siculis fastis, Cassiodoro, & iis qui de bello ciuili scripserunt, auctoribus, Plutarchus Marium primum fuisse tradit, qui septimum Romæ consulatum ceperit. Ceterum, quod apud Appianum & in Epitomis exstat, L. Cinna & C. Marius, nullis habitis comitiis, consules se in hunc annũ renuntiarunt; eodemq; die, quo magistratum inierunt, Marius Sex. Licinium senatorem

de saxo deijci iussit; editisq; multis sceleribus, idibus Ianuariis decessit. In eius locum suffectus est L. Valerius Flaccus, is (vt opinor) qui ante cum C. Mario VI cõsule consul fuit. de quo Cicero, pro Flacco eius filio cum diceret, ita dixit; Vnum atque idem erat tempus, cum L. Flacco consuli portas tota Asia claudebat, Mithridatem autem non modo recipiebat suis vrbibus, verum etiam vltro vocabat. Hoc triennium sine armis ciuilibus fuisse, autor est Cicero in Bruto.

De re gesta a Sulla in Græcia.

HOC anno Sulla, quantum ex Appiani historia intelligi licet, cum classe egeret, nec a Rhodiis, Mithridate maria omnia occupante, iuuari posset, L. Lucullum in Syriam atq; in Ægyptum clam, vt classem ab amicis populi Rom. regibus acciperet, misit. Piræo, quem diu frustra oppugnauerat, omisso, vrbem Athenarum, circumuallatam atque obsessam K. Martiis cepit; Aristionem in arcem confugientem, fame ad deditionem compulsum, occidit; ciuitati libertatem ac bona sua restituit; ac Piræum demum, translato eo ab Athenis bello, in potestatem redegit. Interea cum Taxiles Mithridatis præfectus, ex Thracia & Macedonia cum centum millibus peditum, equitum decem, & falcatis curribus nonaginta descendens, Archelaum circa Munychiam adhuc in anchoris stantem accersisset, Sulla in Bœotiam mouit, ac se cũ Horhtensio, qui ex Thessalia copias adducebat, coniunxit. Romanarum copiarum paucitas fecit, vt Archelaus ad Chæroneam oppidum acie cõfligere ausus sit. Haud dubio euentu pugnatum est. ex hostibus vix decem millia Chalcidem effugerunt; ex suis se duodecim tantum amisisse Sulla scriptum reliquit. Interim cum L. Flaccum cõsulem ex aduersa factione creatum, Ionium mare traijcere, verbo quidem aduersus Mithridatem, re autem aduersus semetipsum Sulla audisset, vt ei obuiam fieret, in Thessaliam castra mouit. verum cum Dorylaum regis præfectum, militum octoginta millibus Chalcide expositis, in Bœotiam inuasisse, atque inuito Archelao, qui trahi bellum cupiebat, ad summum pugnæ discrimen descensurum esse accepisset, retro castra sibi referenda ratus, signis cum iis ad Orchomenum oppidum collatis, primo prœlio hostium XV millia vna cum Diogene Archelai filio cecidit; secundo, omnes eorum copias deleuit. Archelaus cum triduo nudus in paludibus latuisset, post in Chalcidem se recepit. Sulla, Bœotia direpta, in Thessaliam ad hiberna se contulit. Hæc Plutarchus, atq; Appianus: quæ breuius in Epitomis expressa sunt his verbis; Sulla Athenas, quas Archelaus præfectus Mithridatis occuparat, circumsedit, & cum maximo labore expugnauit; vrbi libertatem, & ciuibus quæ habuerant, reddidit. Magnesia, quæ sola in Asia ciuitas in fide mãserat, summa virtute aduersus Mithridatem defensa est. præterea * transitus Thracum in Macedoniam continet. Sulla copias regis, quæ Macedonia occupata in Thessaliam venerant, prœlio vicit, cæsis hostium centũ millibus, castris quoque expugnatis: renouato deinde bello iterum exercitum eius fudit, ac deleuit.

De censoribus, & lustro LXVI.

CENSORES in hunc annum edunt Capitolini fasti L. Marciũ Philippum, & M. Perpernam. quos censores comparat etiam Cicero in Verrem. De Philippo præterea idem scribit pro domo ita; L. Philippus censor, auunculum suum præteriit in recitando senatu. De Perperna Plin. lib. VII; Perperna septem reliquit ex iis quos censor legerat; vixit annos XCVIII. Et Valerius lib. VIII; M. Perperna omnibus quos in senatu rogauerat, superstes fuit: septemq; tantummodo, quos cẽsor collega L. Philippi legerat, e patribus conscriptis reliquos vidit, toto ordine amplissimo diuturnior. Dio quoque auctor est, M. Perpernam, Lentulo & Marcello cos. mortuum esse, eum qui cum Philippo censor fuerat, vltimum omnium qui in censura sua senatores fuerant. Eusebius censum actum ait; censa esse capita CCCCLXIII millia. Principem senatus lectum L. Valerium Flaccum, ex Epitoma LXXXIII apparet; alium ab eo qui sequenti anno a Fimbria consularis occisus est.

DE COS. AN. DCLXVIII.

L. CINNAM III, Cn. Papirium consules subsequutos in hunc annum testatur Cassiodorus: Cinnam & Carbonem fasti Siculi. In Epitoma LXXXIII scriptum est, L. Cin-

L.Cinnam,& Cn.Papirium Carbonem, consules semet per biennium creasse: & in libro de viris illustribus, Cinnam iterum & tertium consulem se fecisse. Horum meminit etiã Plutarchus in Sulla, Appianus in Mithridatica, atq; in primo libro bellorũ ciuilium. Carbonem Cn.F. C.N. fuisse inuenio in secundo eius Capitolino cõsulatu.

De rebus gestis in Græcia, & in Asia.

CVM L.Flaccus consul in Marij locum suffectus, a Cinna, vt Sullæ ad bellum Mithridaticũ succederet, missus, in Asiam traiecisset, hoc anno a C.Fimbria legato suo corrupto exercitu, interfectus est. Hoc, vt cetera, egregie ostendit Velleius, cum scribit; In Marij locum cõsul suffectus Valerius Flaccus, turpissimæ legis auctor, qua creditoribus quadrantem solui iusserat. cuius facti merita eum pœna intra bienniũ consequuta est. Item; C.Flauius Fimbria, præfectus equitum, Valerium Flaccum consularem virum interfecit; exercituq; occupato, imperator appellatus, Mithridatem pepulit prœlio. Neque enim Appiano assentior, qui Flaccum consulem a Fimbria interfectum scribit. sic enim ille hanc vniuersam historiam tradit; Flaccus consul cum duabus legionibus in Asiam, vt bellum cum Mithridate gereret, a Cinna missus, ipse rei bellicæ rudis, secum Fimbriam strenuum virum duxit. idem, cum propter auaritiam ac propter crudelitatem in odium exercitus sui incurrisset, atque Fimbriam iniuria affecisset, Fimbria, Thermo, quem ille sibi successorẽ dederat, honoris insignibus spoliato, Flaccum ipsum consulem priuatus in Nicomediam fugientem assequutus, in puteo quodam latentem occidit; atque arreptis imperij insignibus prouinciam ingressus, Mithridatem Pergamum, atq; inde Pitanen confugientem adeptus, vallo cinxit, quoad rex nauibus Mitylenen confugit; Iliũ, a quo non recipiebatur, obsessum incendit. Mithridates interea, cum cladem ad Orchomenum acceptam audisset, Archelao, vt quibus posset, honestis conditionibus pacem cum Sulla componeret, scripsit. Archelaus cum Sulla collocutus, quas ille ferebat, pacis conditiones ad regem remisit. Sulla interea, ne in otio esset, Dardanos, Enetos, aliosq; Thraciæ populos Macedoniam incursantes adortus, multis prœliis fregit. Hæc Appianus. Plutarchus autem scribit, Cinna & Carbone dominantibus, maiorem partem nobilitatis Roma in castra Sullæ, tamquam in portum quendam perfugisse: Sullam Archelaũ de pace secum collocutum summo in honore habuisse, atq; eo comite per Thessaliam & Macedoniam in Hellespontum venisse; cumq;, ibi occurrentibus regis legatis, pax conuenire non potuisset, quod cõmodiores conditiones sibi a Fimbria ferri rex diceret, vastato Mædico agro, in Macedoniam reuertisse: Mithridate autem cum eo cõgredi cupiente, ipsum in Asiam traiecisse. Quæ omnia his Epitomarum verbis explicari puto; L. Valerius Flaccus consul, collega Cinnę, missus vt Sullæ succederet, propter auaritiam inuisus exercitui suo, a C. Fimbria legato ipsius occisus est, & imperium ad Fimbriam translatum. præterea expugnatæ in Asia vrbes a Mithridate, & crudeliter direpta prouincia; incursionesq; Thracum in Macedoniam referuntur. C. Fimbria in Asia fusis aliquot copiis Mithridatis, vrbem Pergamum cepit; obsessumque regem parum abfuit quin caperet; vrbem Ilium, quæ se potestati Sullæ reseruabat, expugnauit ac deleuit, & magnam partem Asiæ recepit. Sulla multis prœliis Thracas cecîdit.

DE COS. AN. DCLXIX.

DEINCEPS L. Cinna IIII, Cn.Papirius II consules; auctor Cassiodorus, & Epitomæ. Cinnæ IIII cos. meminit Cicero in Tusculanis, Suetonius in Cæsare. Cn.Papirij Carbonis II, Capitolinæ tabulæ. Itaque miror in tabulis Siculis consules suggeri Carbonem & Scribonium. Cn. Carbo prouinciam Galliam obtinuit cum Verre quæstore; (auctor Cicero in prætura vrbana) L.Cinna, vt opinor, Italiam.

De re gesta in Asia, & ciuilibus motibus.

QVÆ sint hoc anno gesta, apertius ex Epitomis & Velleio intelligi potest, quam aut ex Appiano aut Plutarcho. In Epitomis enim ita scriptũ est; L.Cinna & Cn.Carbo, a seipsis consules per biennium creati, cum bellum contra Sullam pararent, effectum est per L. Valerium Flaccum principem senatus, qui orationem in senatu

habuit,& per eos qui concordiæ studebant, vt legati ad Sullam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu suo, quem inuitum cogebat naues conscendere & aduersum Sullam proficisci, interemptus est. Consulatum Carbo solus gessit. Sulla, cum in Asiam traiecisset,pacem cũ Mithridate fecit,ita vt is cederet prouincia Asia, Bithynia, Cappadocia. Fimbria,desertus ab exercitu,qui ad Sullam transierat, ipse se percussit;impetrauitq; de seruo suo,præbens ceruicem, vt se interficeret. Sulla legatis,qui a senatu missi erant, futurum se in senatus potestate respondit, si ciues qui a Cinna pulsi ad se confugerant, restituerentur. quæ conditio cum iusta senatui videretur, per Carbonem, factionemque eius, cui bellum videbatur vtilius, ne conueniret, effectum est. Idem Carbo cum ab omnibus Italiæ oppidis coloniisq; obsides exigere vellet, vt fidem illorum contra Sullam obligaret, consensu senatus prohibitus. Nouis ciuibus S. C. suffragium datum est. Q. Merellus Pius, qui partes optimatium secutus erat, cum in Africa bellum moliretur, a C. Fabio prætore pulsus est: senatusq; consultum per factionem Carbonis & Marianarum partium factum est, vt omnes vbique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque & triginta tribus distributi sunt. Apud Velleium autem ita; Transgressus in Asiam Sulla, parentem ante omnia supplicemq; Mithridatem inuenit; quem multatum pecunia ac parte nauium, Asia omnibusq; aliis prouinciis quas armis occupauerat, decedere coegit; captiuos recepit, in perfugas noxiosq; animaduertit; paternis, id est Ponticis finibus, contentum esse iussit. C. Flauius Fimbria, qui præfectus equitum, ante aduentum Sullæ, Valerium Flaccum consularem virum interfecerat,exercituq; occupato imperator appellatus, Mithridatem pepulerat prœlio, sub aduentu Sullæ se ipse interemit. ante aduentum Sullæ Cinna, seditione orta, ab exercitu interemptus est. Carbo, nullo suffecto collega, solus toto anno cõsul fuit. De eodem Cinna occiso, sic scriptum inuenio in libro de viris illustribus; Quarto consulatu Cinna, cum bellum contra Sullam pararet, Ancone ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidibus occisus est. Et apud Plutarchum ita; Cn. Pompeius, qui postea *Magnus* appellatus est, iuuenis in castra Cinnæ venit. a quo cum esset falso crimine notatus, clam fugit. eo nusquam comparente, creditum est eum fuisse a Cinna interfectum. itaq; qui vetere odio Cinnæ imbuti erant, eum impetu facto occiderunt. Appianus autem, itemque Plutarchus, quamquam vtro anno Sulla in Asiam transierit, non aperiunt, ipsum tamen Cypselis, Mithridatem Pergamo, colloquendi gratia in agrum, Troadis conuenisse; atque inspectante vtroque exercitu, Mithridatem pacis conditiones, quas iampridem Sulla tulerat, accepisse referunt; & nauibus ei traditis, in Pontum recessisse: Sullam sollicitato exercitu, Fimbriam Pergami obsessum, ad necem compulisse; Curioni, vt Nicomedem & Ariobarzanem reduceret, negotio dato, Asiam constituisse; ciuitates imperium recusantes, muris nudasse; omnes pecunia multasse: Cinnam ab exercitu, quem in Liburniam, vt inde Sullæ occurreret, traijcere inuitum volebat, interfectum; Carbonem, ne comitia collegæ subrogando haberet, auspiciis sæpius impeditum, solum per totum annum consulatum gessisse. atque hoc etiam in fastis Capitolinis adscriptum est.

DE COS. AN. DCLXX.

CONSVLES inde L. Scipio, & C. Norbanus. testis cum Siculis tabulis Cassiodorus, Obsequens, Appianus, Eutropius, Florus; & Tacitus, cum ait libro XIX; Pulsis regibus, Horatius Puluillus II consul, templum Iouis Capitolini dedicauit. Iisdem rursus vestigiis situm est, postquam interiecto CDXV annorũ spatio, L. Scipione, C. Norbano cos. flagrauerat. In Capitolinis fragmentis est L. CORNELIVS L. F. L. N. SCIPIO ASIATICVS. L. Scipioni consuli Gallia citerior, & M. Piso quæstor obtigit, anno postquam Verres fuerat Cn. Carbonis: Cicero in prætura vrbana. C. Flaccus his consulibus prætor in Gallia vlteriore rem bene gessit; siquidem imperator a Cicerone nominatur pro Quinctio.

De bello ciuili Sullano.

SYLLA compositis transmatinis rebus reuectus in Italiam, XXX armatorum millia aduersus CC amplius hostium Brundusij exposuit. quod in eo fuit mirabile; quod

cum

cum per triennium Cinnanæ Marianæque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se iis bellum dissimulauit, nec quod erat in manibus omisit; existimauitque ante frangendum hostem, quam vlciscendum ciuem. Q. Metellus Pius, & Cn. Pompeius Strabonis filius, cum parte exercitus se ad Sullam contulerunt. Missis legatis qui de pace agerent, iisque a consule C. Norbano violatis, Sulla Norbanum ad Canusium prœlio vicit; & cum L. Scipionis alterius consulis, cum quo omnino id egerat vt pacem faceret, nec potuerat, castra oppugnaturus esset, vniuersus exercitus cõsulis per emissos a Sulla milites sollicitatus, signa ad eum transtulit Scipio, cum interimi posset, dimissus est. Carbo Romæ Sullæ amicos hostes iudicandos curauit. Capitolium eius tum opera cõflagrasse creditum est. Q. Sertorius, Suessa capta, rebus Marianis deploratis, in Hispaniam vlteriorem, quam ante sortitus fuerat, profectus est. Velleius, Epitomæ, Appianus, Plutarchus, alij.

DE COS. AN. DCLXXI.

DEINCEPS C. Marium, Cn. Carbonem III consules inuenio apud Cassiodorum, Appianum, Velleium, & alios. C. Marium fratris filium C. Marij septies consulis Appianus; at Velleius, Plutarchus, Eutropius, & alij, C. Marij filium prodiderunt: fortasse autem a C. Mario adoptatus fuit. in Capitol. certe tabulis C. MARIVS C. F. C. N. appellatur. Eundem ante annos viginti consulem factum, scriptum est in Epitoma LXXXVI. at in libro de viris illustribus, XXV; apud Velleium, XXVI; apud Appianum, XXVII annos natum, consulatum cepisse proditum est. Horum etiam consulum meminit Cicero contra Rullum: & Plin. lib. VII; cum ait; Galeria producta est in scenam a M. Pomponio ædili pl. C. Mario. Cn. Carbone cos. Et XLIX; M. Cœlius Rufus, & C. Licinius Caluus oratores, Romæ nati sunt C. Mario, Cn. Carbone III cos. Et Valerius lib. VII; C. Mario, Cn. Carbone cos. bello ciuili cum L. Sulla dissidentibus, senatus consulto aurea atque argentea templorum ornamenta, ne militibus stipendia deessent, conflata sunt.

De bello ciuili Sullano confecto.

MARIO & Carbone III cos. Q. Metellus Pius ad Aesim Carrinatem Carbonis ducem fudit: Metellum Carbo obsedit, donec accepta Mariana ad Præneste clade, Ariminum versus contendit. Marius enim cos. cum ad Sacriportum non procul a Præneste cum Sulla cõflixisset, fugatus ab eo, Præneste se recepit. Sulla Præneste circumuallauit, atq; obsidioni Lucretiũ Offellam præfecit. Interea Romæ Marij iussu L. Damasippus, vel (vt ait Appianus) Brutus prætor vrb. cum senatum vocasset, omnem quæ in vrbe erat nobilitatem trucidauit; inter ceteros P. Antistium, C. Papirium Carbonem consulis fratrem, L. Domitium, & Q. Mucium Scæuolam pont. maximum. Sulla admoto propius exercitu, ac castris in campo Martio factis, inde vrbem ingressus, inimicorum bona, qui metu vrbe cesserant, publicauit; ac populo, cõcione aduocata, spem fecit se breui remp. esse constituturum. Post autem præfectis quibusdam vrbi impositis, ea egressus, primum ad Clusium, deinde ad Saturniam bene cum Carbone pugnauit. Carrinas, Carboniano exercitu cæso, a Pompeio & Crasso in agro Spoletino obsessus: Marcius, cum ad Marium obsidione eximendum iret, a Pompeio: C. Lamponius Lucanus, Pontius Telesinus Samnis, & Gutta Campanus a Sulla interclusi. Carbo & Norbanus, non procul a Fauentia fusi a Metello, copiis spoliantur: Lucani ad Metellum defecerunt. Norbanus Rhodum, Carbo in Siciliam rebus desperatis refugerunt. Qui Clusij relicti erant, cum Pompeio congressi, plus dimidio cecidere. Carrinas, Marcius, Damasippus, cum Samnitum copiis, velut Romam occupaturi, in Albano consederunt. Accurrente repente Sulla, ad portam Collinam K. Nouembr. acerrime dimicatum est. Qua victoria nuntiata, Prænestini se Lucretio dediderunt. Sulla recuperata rep. pulcherrimam victoriam crudelitate, quãta in nullo homine vmquam fuit, inquinauit; octo millia deditorum in villa publica trucidauit, tabulam proscriptionis fixit; vrbem & vniuersam Italiam cædibus repleuit; inter quos omnes Prænestinos inermes concidi iussit; M. Mariũ, senatorij ordinis virum, cruribus brachiisq; fractis, auribus præsectis, & effossis oculis, necauit. Marius filius

Præneste dedita, cum per cuniculum captaret euadere, ſeptus ab exercitu, mortẽ ſibi conſciuit. in ipſo cuniculo, cum ſentiret ſe euadere non poſſe, cum Pontio Teleſino fugæ comite, ſtricto vtrimq; gladio, cõcurrit; quem cum occidiſſet, ipſe ſaucius, a ſeruo impetrauit vt ſe occideret. M. Brutus a Cn. Carbone, qui Coſſuram appulerat, miſſus naue piſcatoria Lilybæũ, vt exploraret, an ibi Pompeius eſſet, quem aduerſus eum Sulla cum imperio miſerat, atq; a Pompeianis nauibus circumuentus, ſemet occidit. Carbo in Sicilia a Pompeio captus, cum muliebriter fleret, eſt interfectus. Hæc Appianus, Plutarchus, Velleius, Epitomæ, alij. Cn. Carbonem in tertio conſulatu a Cn. Pompeio equite R. necatum tradit Valerius lib. VI, cap. II. Obſequens fœdam Sullæ proſcriptionem fuiſſe tradit; centena millia hominũ Italico ciuiliq; bello cõſumpta.

De L. Sulla dictatore.

CVM Carbo conſul in Sicilia, Marius Præneste interiiſſet, ſenatus interregem comitiorum cauſſa creari iuſſit. creatus eſt L. Valerius Flaccus. Hic, cum comitia creandis conſulibus habiturus eſſe putaretur, ex L. Sullæ victoris ſententia legem ad populum tulit, Sullæ e rep. eſſe videri, dictatorem dici, qui perturbatam remp. constitueret; eumq; non ad quoddam tempus, vt ante, creari, verum quouſque ciuitas, ac vniuerſa Italia, & tota reſp. ordinata ac conſtituta eſſet. Igitur L. ipſe Sulla dictator creatus eſt; qui XXIIII prælatis faſcibus, ac cuſtodibus corporis ſui aduocatis, primus dictatoria poteſtate abuſus eſt. Hæc Appianus, & Epitomæ. Ceterum Velleius & Plutarchus dictaturam per annos CXX intermiſſam, hoc anno relatam ſcribũt. ſiquidem proximo anno quam Annibal ex Italia ceſſit, vltimus dictator creatus eſt. apud Dionyſium autem lib. V inuenio, L. Sullam dictatura abuſum poſt annos quadringentos quam primus dictator T. Lartius dictus fuerat. atque idem etiam ſentire videtur Appianus; quamquam ipſe ſcribit Sullam dictaturam cepiſſe per annos quadringentos intermiſſam. Idem dictator eſt in Capitolinis tabulis, cum magiſtro eq. L. Valerio Flacco; eodem qui (vt puto) interregnum inierat. De quo magiſtro equitum nihil apud rerum Rom. ſcriptores comperi. L. Flacci interregis ſic meminit Cicero contra Rull. Omnium legum iniquiſſimam, diſſimillimamq; legis eſſe arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sulla tulit, vt omnia quæcumque ille feciſſet, eſſent rata. quam eandem legem intellexit in primo de leg. cum dixit; Quid iniuſtius ea lege quam interrex noſter tulit, vt dictator quem vellet ciuium impune poſſet occidere? & libro IX ad Atticum; Si Sulla potuit efficere, ab interrege dictator vt diceretur, cur hic non poſſit? Hoc etiam anno L. Sulla victo Mario ſe *Felicem* vocari voluit, auctore Appiano & Velleio. Plutarchus enim in triumpho poſtulando etiam Felicis cognomen ſibi depopoſciſſe tradit. Idem etiam ad Græcos ſcribens, ſe *Venuſtum* iiſdem auctoribus appellauit.

De bello a L. Murena cum Mithridate renouato.

C. MARIO, Cn. Carbone III cos. bellum a L. Murena aduerſum Mithridatem renouatum colligitur ex Epitoma LXXXVI. L. autem Licinius Murena a Sulla imperatore in Aſia cum duabus Fimbrianis legionibus relictus, vt res Aſiaticas ordinaret, triumphi cupidus, bellum hac occaſione redintegrauit. Cum Boſporani ac Colchi, a rege Mithridate alienati, filium eius ſibi regem depoſcerẽt; Mithridates autem, occiſo filio, exercitum claſſemque aduerſus Boſporanos compararet, Murena ſuſpicatus, ne rex in Boſporanos verbo, re autem aduerſus Romanos ſe inſtrueret, exercitu ſtatim per Cappadociam ad oppidum maximum nomine Comana ducto, in quoſdam eius equites impetum fecit; atque legatis regiis fœdus Syllæ oſtendentibus, reiectis, regione vaſtata, ſacriſque pecuniis direptis, in Cappadociam in hiberna ſe recepit. Hæc Appianus.

DE COS. AN. DCLXXII.

INDE M. Tullium, Cn. Dolabellam cos. ſubijcit Caſſiodorus: Deculam & Dolabellam faſti Siculi. Tradit etiam Appianus Sullam dictatorem, vt ſpeciem quandam antiquæ dignitatis reſp. retineret, conſules creari permiſiſſe, M. Tullium, & Cornelium

lium Dolabellam; atque ipsum more regio supra eos sedisse. M. Tullij, & Cn. Cornelij cos. meminit. Cicero contra Rullum; & Gellius lib. XV. Dinumeratis annis, inquit, a Q. Cæpione, C. Serrano, quibus cos. ante diem III. Non. Ian. M. Cicero natus est, ad M. Tullium & Cn. Dolabellam, quibus cos. caussam priuatam pro Quinctio apud Aquillium iudicem dixit, sex & viginti anni reperiuntur. In Capitolino fragmento M. TVLLIVS M. F. A. N. DECVLA appellatur. M. Tullium, cum ædilitatis repulsam tulisset, consulem factum esse docet Cicero pro Plancio. His comitiis Q. Lucretius Offella, cum ante præturam consulatum peteret, iussu Sullæ occisus est. auctor Appianus, Plutarchus, alij. Cn. Dolabellæ consuli prouincia Macedonia obtigit: ex qua deinde triumphauit; vt post dicemus.

De bello a Murena cum Mithridate confecto.

INTEREA dum Mithridates legatos ad Sullam de bello sibi cõtra fœdus a L. Murena illato misit, Murena Haly fluuio traiecto, quadringentos Mithridatis vicos diripuit. Legati retulerunt, senatui placere, vt regi, quocum fœdus esset, parceretur. Murena autem maiore conatu acie cum rege congressus, ac castris & exercitu exutus, in Phrygiam se recepit. Mithridates Cappadociam, pulso Ariobarzane, occupauit. Sulla autem, indignum ratus Mithridatem contra fœdus vexari, Murenam a bello reuocauit. Mithridates, restituta Ariobatzani Cappadocia, bello liberatus est. Appianus, Cicero pro lege Manilia.

De triumpho L. Sullæ dict. de Mithridate.

TRIVMPHVM L. Sullæ dict. in hunc annum conijciunt Capitolina fragmenta. is autem actus est de Mithridate Ponti rege ex Græcia & Asia: cuius res per quatuor annos ibi gestas ante exposuimus. Triumphasse eum de Mithridate, Cicero pro Pompeio, Eutropius, & Plutarchus referunt. Plinius per biduum triumphasse significat, cum ait lib. XXXIII; Sylla in triumpho, quod ex Capitolinæ ædis incendio, ceterisque omnibus delubris C. Marius filius Præneste detulerat, tredecim millia auri pondo sub eo titulo in triumpho transtulit, & argenti septem millia. Idem ex reliqua omni victoria pridie transtulerat auri pondo CXV millia. Adijcit Florus; Debellatum a Sulla foret, nisi de Mithridate triumphare cito quam vere maluisset. Hoc autem mirifice laudatur in Sulla, quod nullum de ciuibus victis triumphum egerit. id quod Valerius notauit lib. III, his verbis; L. Sulla, qui plurima bella ciuilia confecit, cum consummata ac constructa potentia sua triumphum duceret, vt Græciæ & Asiæ multas vrbes, ita ciuium Romanorum nullum oppidum vexit.

De triumpho Cn. Pompeij Magni equitis Rom. ex Africa.

SVLLANO triumpho subijcitur triumphus alter in Capitolinis fragmentis, eodemmet anno quo Sullanus actus. hunc autem esse Cn. Pompeij ex Africa triumphum existimo. de quo sic scriptum est in Epitoma LXXXIX; Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum, & Hiarbam regem Numidarũ bellum molientem, victos interemit; quatuor & viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod nulli contigerat, ex Africa triumphauit. Ceterum res gesta sic est. Priore anno cum nuntiatum esset, Cn. Carbonem & M. Perpernam Sullæ inimicos in Sicilia bellum reparare, Cn. Pompeius eo a Sulla cum imperio missus, Perperna ex insula eiecto, Carbonem cos. captum interfecit. Deinde cum iussu Syllæ in Africam traiecisset, vbi Cn. Domitius & rex Numidiæ Hiarbas, ad quos Carbonis mortui copiæ ex Sicilia confugerant, bellum gerebant, vtroque eorũ ingenti prœlio superato, illum occidit, hunc cepit: ipse Imperator appellatus est. res autem omnis intra XL dies confecta est. Eidem Romam reuerso Sulla dictator obuiam prodiit; ac summo honore habito, *Magnum* etiam eum appellauit. Postulanti autem triumphum, vix tum propter ætatem, tum propter ordinem concessit. Hæc Velleius, & Plutarchus. De hoc extraordinario triumpho sic Cicero pro lege Manil. Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cuius a senatorio gradu ætas longe abesset, imperium atq; exercitum dari? Siciliam permitti atq; Africam, bellumq; in ea administrandum? Bellum in

Africa maximum confecit, victorem exercitum deportauit. Quid vero tam inauditum, quam equitem R. triumphare? at eam rem populus R. nō modo vidit, ſed etiam omni ſtudio viſendam putauit. Huius triumphi meminit Euſebius; meminit item Plinius lib. VII: Pompeius, inquit, Sicilia recuperata, Africa tota ſubacta, Magniq; nomine ſpolio inde capto, eques R. (id quod ante nemo) curru triumphali reuectus eſt. Et Eutropius; Sylla de Mithridate ingenti gloria triumphauit. Cn. Pompeius, quod nulli Romanorum tributum erat, IIII & XX annum agens, de Africa triumphauit. Plutarchus adijcit, potuiſſe ea ætate in ſenatum Pompeium legi: verum maiori ſibi honori futurum credidiſſe, ſi primus eques Rom. triumphaſſet. Ita Pompeius ſine magiſtratu, nondum ſenator, atque adoleſcens adhuc, triumphauit.

DE COS. AN. DCLXXIII.

CASSIODORVS cum faſtis Siculis conſules ſuggerit L. Sullam II, Q. Metellum. Appianus adijcit, Sullam, quamquam dictator erat, tamen, vt aliquam ſpeciem reſp. habere videretur, ſe cum Q. Metello Pio conſulem renuntiari voluiſſe. Horum conſulum ſic meminit Cicero in Verrem: Ædem Caſtoris P. Iunius habuit tuendam L. Sulla, Q. Metello cos. Et Gellius lib. XV; Neque dubium eſt quin Cicero poſt annum quam pro Quinctio dixerat, Sex. Roſcium reum parricidij defenderit, annos iam ſeptem & viginti natus, L. Sulla Felice, & Q. Metello Pio cos. Fragmentū etiam Capitolinum habet conſules L. CORNELIVM L. F. P. N. SVLLAM FELICEM II. Q. CÆCILIVM. Hic eſt Q. Metellus Q. Numidici filius, qui Hiſpanias & Sertorianum bellum ſortitus eſt. Hoc (vt opinor) anno Sylla Nolā in Samnio recepit: XLVII legiones in agros captos deduxit; & eos iis diuiſit: Volaterras, quod oppidū adhuc in armis erat, obſeſſum in deditionem accepit. Mytilenæ quoq; in Aſia, quæ ſola vrbs poſt victum Mithridatem arma retinebat, expugnatæ dirutæq; ſunt Epitoma LXXXIX.

De triumpho L. Murenæ pro pr. ex Aſiā de Mithridate.

POST Sullæ diſceſſum L. Murena cum Mithridate bellum (vt dixi) ſponte ſua inſtaurauit; idq; ipſum deinde iuſſu Sullæ omiſit. quantum autem ego ex Appiani verbis colligere potui, res ab eo per biennium geſta eſt; primum Mario & Carbone; deinde Tullio & Cornelio cos. Quod idem ſignificat etiam Cicero, cum ait, L. Lucullum quæſturæ diuturnum tempus, L. Murena bellum in Ponto gerente, conſumpſiſſe. Ex eo bello Murenam triumphaſſe ſatis conſtat. at quo anno, non conſtat. Mihi quidem viſum eſt triumphum eius in hunc annum conijci poſſe; quod probabile videretur, eum Romam reuertiſſe, tum cum Sulla a bello eum reuocaret. Hac enim de re ſic Cicero pro Murena, qui filius huius fuit: Mithridatem L. Sulla maximo & fortiſſimo exercitu pugna excitatum, cum bello inuectum in totam Aſiam, cum pace dimiſit; L. Murena pater vehementiſſime diligentiſſimeque vexatum, repreſſum magna ex parte, non oppreſſum reliquit. Et pro lege Manilia; Triumphauit L. Sulla, triumphauit L. Murena de Mithridate, duo fortiſſimi & ſummi imperatores: ſed ita tamen triumpharunt, vt ille pulſus ſuperatusq; regnaret. Verumtamen illis imperatoribus laus eſt tribuenda, quod egerunt; venia danda, quod reliquerunt: propterea quod ab eo bello Sullam in Italiam reſpublica, Murenam Sulla reuocauit. Iterum pro Murena; An cum ſedere in equis triumphantium prętextati potiſſimum filij ſoleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, vt rebus communiter geſtis cum patre ſimul triūpharet? Et infra; Meruiſſe vero ſtipendia in eo bello, quod tum populus Ro. non modo maximum, ſed etiam ſolum gerebat, virtutis; patre imperatore meruiſſe, pietatis; finem ſtipendiorum, patris victoriam ac triumphum feciſſe, felicitatis fuit. Et infra; Proauus L. Murenæ & auus, prætores fuerunt; & pater, cum ampliſſime atque honeſtiſſime ex prætura triumphaſſet, hoc faciliorem huic gradum conſulatus adipiſcendi reliquit.

De bello Sertoriano Hiſpanienſi.

BELLVM Sertorianum, vt inquit Florus, tamquam Sullanæ proſcriptionis fuit hæreditas. Hoc Q. Sertorius in Hiſpaniis ſuſcitauit. qui cum Scipionis & Norbani

conſu-

conſulum partes, quibus ipſe ſtudebat, acciſas ac profligatas in Italia a Sulla ſentiret, in Hiſpaniam, quam iam ante prouinciam prætor obtinuerat, conceſſit, ſumma vi prætoribus, qui eum, vt Sullæ gratificarentur, arcebant, repulſis. poſtero autem anno Mario & Carbone cos. cum ipſe magnum exercitum comparaſſet, ac claſſem etiam confeciſſet, veritus ne L. Sulla, quem fugato Carbone, Mario occiſo, victorem remp. inuaſiſſe audierat, aduerſus ſe exercitum mitteret, Pyrenæos montes per Liuium Salinatorem occupauit. tertio autem anno, M. Tullio & Cn. Cornelio cos. C. Annius a Sulla dictatore in Hiſpaniam miſſus, Liuio per dolum ſublato, montes Pyrenæos tranſgreſſus eſt; atque Sertorium primum Carthaginem nouam, deinde in Mauritaniam compulit; poſt cum eo recedente ad Pityuſam inſulam nauali prœlio decertauit. Sertorius tempeſtate ad Gades delatus, Luſitaniam, cum eam tenuiſſet, ad bellum impulit, atque armauit. Hoc autem demum anno, cum maiore apparatu bellum illud egere Sulla ſentiret, Q. Metellum Pium conſulem eo mittendum cenſuit. Adijcit Eutropius, L. quoque Domitium prætorem miſſum. Metellus autem an in conſulatu exierit, non liquet. Plutarchus certe eum non ſtatim profectum eſſe indicat, cum Sertorium hoc (vt opinor) anno Cottam nauali prœlio ſuperaſſe, Didium Bæticæ prætorem fudiſſe, Thoranium a Metello miſſum fregiſſe ſcribit. De Sertorij in Mauritaniam tranſitu, ſic Saluſtius libro primo Hiſtoriarum, vt eſt apud Gellium libro x, cap. XXVI; Itaque Sertorius leui præſidio relicto in Mauritania, nactus obſcuram noctem, æſtu ſecundo, furtim aut celeritate vitare prœlium in tranſgreſſu conatus eſt.

DE COS. AN. DCLXXIIII.

INDE conſules P. Seruilius, Ap. Claudius; auctor Caſſiodorus. Eorum cognomina Vatia & Pulcher exſtant in tabulis Siculis. De quibus ita Appianus; Populus Rom. vt Sullæ dictatori obſequeretur, ab eo, vt conſulatum continuaret, petiit. cui aduerſatus Sulla, Seruilium Iſauricum, & Claudium Pulchrum conſules renuntiandos curauit. P. Seruilij & Ap. Claudij conſulum meminit etiam Oroſius. In fragmento Capitolino eſt; P. SERVILIVS VATIA, QVI POSTEA ISAVRICVS APPELLATVS EST. quo de cognomine dicam in triumpho eius. Ap. Claudium hunc in ædilitate præteritum, & quidem patre viuo, ſine repulſa conſulem factum ait Cicero pro Plancio. Idem Macedoniam, P. Seruilius Ciliciam ſortitus eſt & bellum piraticum, vt poſt ſuo loco dicemus.

De L. Sulla dictatura abdicante:

HIS conſulibus L. Sulla, qui dictaturam in perpetuum ceperat, ſe ea abdicauit. cumq; multa hominum millia morte, multa, atque omni contumeliæ & iniuriæ genere affeciſſet, Italiam & totam remp. rerum nouarum ſtudio perturbaſſet, dimiſſo a ſe publico præſidio, palam in foro dixit, ſe omnium a ſe geſtarum rerum paratum eſſe rationem reddere. Hæc Appianus & Plutarchus. Notat item Oroſius P. Seruilio, Ap. Claudio cos. Sullam abdicaſſe. Itaq; in libro de viris illuſtribus ſcriptum eſt, Sullam ordinata rep. dictaturam depoſuiſſe. & Suetonius Cæſarem dixiſſe tradit, Sullam neſciſſe litteras, qui dictaturam depoſuiſſet. Saluſtius tamen Sullam dictaturam in inſequentem etiam annum retinuiſſe ſignificat, cum Lepidum ipſum cōſulem in quadam oratione acerbius in eius tyrannidem inuehentem facit.

DE COS. AN. DCLXXV.

M. LEPIDVS, Q. Catulus conſules in hunc annum a Caſſiodoro referuntur. Plutarchus auctor eſt, cum L. Sulla dictatura ſe abdicaſſet, & comitiorum conſularium poteſtatem populo R. reddidiſſet, M. Lepidum Sullæ inimicū, hominem audacem, ante Catulum, Cn. Pompeio annitente eſſe renuntiatum. Horum conſulum meminit Appianus; & Cicero pro Cornelio. Gaditani, inquit, M. Lepido, Q. Catulo cos. a ſenatu de fœdere poſtulauerunt. Et Plin. lib. XXXVI; M. Lepidus, Catuli in conſulatu collega, primus omniū limina ex Numidico marmore in domo poſuit; magna reprehenſione. is conſul fuit anno vrbis DCLXXVI. Scriptum eſt etiam de iis apud Vale-

rium lib. II, cap. III; in Epitoma LXXXIX; apud Eutropium & Florum. In fragmentis Capitolinis est; M. ÆMILIVS LEPIDVS, Q. LVTATIVS, Q. F. CATVLVS. Hic autem Catulus, filius fuit Q. Catuli qui de Cimbris triumphauit. de hoc epigramma antiquum legi tale: Q. LVTATIVS Q. F. Q. N. CATVLVS COS. SVBSTRVCTIONEM ET TABVLARIVM EX S. C. FACIVNDVM CVRAVIT. Lepido Gallia vlterior, Catulo forte Italia obtigit. de qua sic Cicero in Verr. P. Seruilius, Q. Catulus, tantis rebus gestis sunt, vt in clarissimorum hominum numero reponantur. Q. Catulus frumento est vsus; pecuniam non coegit. Salustius Historiarum libro primo; S.C. fit, vti Lepidus & Catulus decretis exercitibus maturrime proficiscerentur. ex Carisio.

De seditione M. Lepidi cos.

HIS consulibus L. Sulla annos LX natus moritur. magnus ei honos habitus a senatu est, vt cadauer eius per Italiam efferretur, atque in campo Martio, vel repugnante Lepido consule, sepeliretur. M. Lepidus legem de actis Sullę rescindendis promulgauit, vt qui a Sulla proscripti fuerant, & ciuitatem & bona sua recuperarent. cui cum Catulus collega, & boni omnes aduersarentur, re in concionibus iactata, Lepidus a senatu iureiurando adactus, bellum se patriæ non facturum, in Galliam vlteriorem, quam sortitus erat, profectus, ad comitia, tamquam exacto consulatu suo bellum illaturus, non venit. Appianus, Florus.

De re gesta a Q. Metello pro cos. cum Sertorio.

Q. METELLVS hoc anno rem cum Sertorio, sed sine vllo emolumento, vel ætatis, vel morum vitio, gessit; a Sertorio, qui latronum more pugnabat, sæpe elusus. De eo enim sic Orosius; Aduersus Sertorium duo duces missi, Metellus & Domitius: quorum Domitius, ab Herculeio Sertorij duce cum exercitu oppressus est: Manilius pro cos e Gallia in Hispaniam cum tribus legionibus, & mille ac quingentis equitibus transgressus, iniquam cum Herculeio pugnam conseruit; a quo castris copiisque nudatus, in oppidum Ilerdam pene solus refugit. Metellus multis prœliis fatigatus, per deuia oberrans, hostem mora fatigauit, donec cum Pompeio iungeretur. Et Eutropius; A Sertorij duce Herculeio Domitius occisus est. Metellus vario euentu contra Sertorium dimicauit. Et in Epitoma XC; Q. Sertorius proscriptus, in vlteriore Hispania ingens bellum excitauit. L. Manilius pro cos. &* L. Domitius legatus ab Herculeio quæstore prœlio victi sunt. De Domitio sic Salustius in primo Historiarum, vt est apud Priscianum; Metellus Domitium procos. ex citeriore Hispania cum omnibus copiis quas parauerat, arcessiuit.

DE COS. AN. DCLXXVI.

M. ÆMILIVM D. Brutum cōsules hic annus habuit, auctore Cassiodoro & Obsequente. Horum consulum sic meminit Macer tribunus pl. apud Salustium, cum plebē a patribus oppressam queritur; Nam spem frustra fuisse intellexistis Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat seruitium. finem mali credebatis; ortus est longe sæuior Catulus. tumultus intercessit Bruto & Æmilio Mamerco consulibus; dein C. Curio ad exitium vsq; insontis tribuni dominatus est; Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quinctiū, vidistis. Meminit item Cicero in Bruto, cum ait; Iisdem temporibus D. Brutus, is qui consul cum Mamerco fuit, homo & Græcis doctus litteris, & Latinis. Et cum idem Cicero in II de off. ait; Mamerco homini ditissimo, ædilitatis prætermissio, consulatus repulsam attulit; hunc ab eo intelligi puto. In fastis etiam Siculis est Brutus & Mamercus. Hoc loco fragmenta tria Capitolina composui, quæ ab iis qui ea in Capitolio digesserunt, longe diuulsa sunt. ea vero sunt hæc:

	M. AIMILIVS Q. F. M. N.	LEPIDVS.	Q. LVT=
	D. IVNIVS D. F. D. N.	BRVTVS.	M. A ==
	CN. OCTAVIVS M. F. CN. N.		C. SCR=
	L. ==== IVS. CN. F. CN. N.		C. AVR=
	L. ====== L. F. L. N.	LVCVLLVS.	M. AV==
DCXXC.	M. ==== IVS. M. F. == R.	LVCVLL.	C. C=

Alterum

Alterum est hoc quod superiori præpositum est, atque ante Punicum bellum secundum remere situm.

= ====S. Q. F. ==
= ==MILIV= == ==
= ===ONIVS. == ==
= =====VS M. = ==
= === LIVS. == ==
=== SIVS. L. F.

Tertium, quod ipsi, quo in loco reponeretur, se ignorare profitentur, est hoc:

CATVL ==
=D. LIVI==
CVR ==
COT. ==

Hæc autem si vna componantur, exstabunt prope integra consulum horum annorum nomina; hoc modo:

M. AIMILIVS Q. F. M. N. LEPIDVS. Q. LVTatius. Q. F. Q. N. CATVLus.
D. IVNIVS D. F. D. N. BRVTVS. MAM. AIMILIVS Mam. F. Lepid. LIVIan.
CN. OCTAVIVS M. F. CN. N. C. SCRIBONIVS C. F. CVRio.
L. Octauivs CN. F. CN. N. C. AVRelivs M. F. Cotta.
L. Licinius L. F. L. N. LVCVLLVS M. AVreLIVS M. F. Cotta.
DCXXC. M. Terentivs M. F. Varr. LVCVLL. C. Casſivs. Longinus.

Ac de ceteris quidem suo loco. nunc de Mamerco cõsule dicamus; quem, vestigia Capitolina sequuti, Mamercũ Æmilium Lepidum Liuianum scripsimus. fuit enim *Mamercus* prænomen Æmiliorum. Hunc aũt etiam intelligi a Valerio puto lib. VII, vbi meminit Mamerci Æmilij Lepidi consulis, & Cn. Orestis prætoris vrbani, eius (opinor) qui paucis post annis consul erit. Vtraq; enim hæc cognomina Æmiliorũ fuisse, satis constat. quin etiam Pædianus in Cornelianam, hos consules D. Brutum, & M. Lepidum nominat. *Liuianus* aũt, adoptionis cognomen est. Itaq; vereor ne, qui collegam huius *Brutum Iulianum* appellant, temere id faciant; quod is in Capitolinis tabulis nullo quarto nomine afficiatur, atq; illud ad Mamercum potius transferendũ sit, & pro Iuliano Liuianus scribendus sit. Cum Mamerco petiisse Curionem, qui postero anno consul fuit, intelligi ex his Salustij verbis potest, ex primo libro Historiarum, apud Priscianum lib. X; Curionem quæsiuit, vti adolescentior, & populi suffragiis integer, ætati concederet Mamerci.

De bello ciuili Lepidi pro cos.

M. LEPIDVS, qui in consulatu vrbe eo animo exierat, vt exacto consulatu arma patriæ inferret, hoc anno bellum mouit. nam cum alterum consulatum peteret, atq; Etruriam ad arma concitasset, Galliam autem citeriorem per M. Brutum obtineret, infesta signa patriæ intulit. Ita factum est vt, cum nullis creatis consulibus interreges remp. administrarent, L. Philippus eam sententiam dixerit, quæ ex reliquiis Salustianæ historiæ superest; Quare ita censeo, quoniam Lepidus exercitum priuato consilio paratum, cum pessimis & hostibus reip. contra huius ordinis auctoritatem ad vrbem ducit, vti Ap. Claudius interrex cum Q. Catulo pro cos. & ceteris, quibus imperium est, vrbi præsidio sint, operam dent nequid resp. detrimenti capiat. Post autem, cum Cn. Pompeius de M. Bruto Mutinæ a se occiso certiorem senatum fecisset, magnam metus partem, quo Ro. ciuitas tenebatur, ademit. Lepidus autem, a Catulo & Pompeio, qui iam Miluium pontem collemque Ianiculum cum exercitu insederant, Italia pulsus, in Sardiniam refugit. vbi frustra bellum molitus, haud ita multo post morbo interiit. Hęc fere Appianus, & Plutarchus. Orosius bis acie decertatum scribit; Albam obsidione cum Scipione Lepidi filio captam; Brutum in Cisalpinam Galliam fugientem, a persequente Pompeio apud Rhegium esse occisum. De hac autem victoria sic Valerius; Q. Catulus, M. Lepido collega suo cum omnibus copiis seditiosis exstincto, moderatum præ se gerens gaudium, in vrbem reuertit. Et Florus; Victores, quod non temere in aliis ciuilibus bellis, pace contenti fuerunt. Hunc motum intra vnam æstatem oppressum tradit Eutropius.

De triumpho Cn. Dolabellæ pro cos. ex Macedonia.

QVEMADMODVM bellum in Macedonia per hæc tempora, populantibus eam Thracibus, gereretur, satis supra demonstratum esse opinor. Vltimus rem cum illis

gessit L. Sulla; qui cum in Græcia esset, Dardanos, aliosq; Thracum populos, Macedoniam incursantes, prœlio profligauit. Hos autem ne quieuisse quidem Sullana victoria arbitror. itaque aduersus eos missum esse Cn. Cornelium Dolabellam, vel in consulatu, vel certe post consulatum. triumphasse enim per hæc tempora Cn. Dolabellam ex Macedonia, Cicero scribit in Pisonem, ita; Ex qua prouincia vir omni dignitate ornatissimus L. Torquatus, me referente, absens imperator appellatus sit; vnde his paucis annis Cn. Dolabellæ, C. Curionis, M. Luculli iustissimos triumphos vidimus; ex ea te imperatore nuntius ad senatum allatus est nullus. Suetonius etiã meminit huius Dolabellæ in Cæsare, cum ait; Cæsar, composita Lepidi & Catuli seditione, Cn. Dolabellam, virum consularem ac triumphalem, accusauir, nec damnauir. Hoc autem demum anno eum triũphasse puto; quod nisi hoc anno successor ei missus sit Ap. Claudius; qui ineunte hoc anno, interregnum Romæ iniit; teste Salustio.

De re gesta ab Ap. Claudio Pulchro pro cos. in Thracia.

HOC tempore bellum in Thracia commotum traditur: ad eum autem primum missum esse Ap. Claudium. sed, vt dixi, multo post consulatum missus sit necesse est. quod etiam subindicat Eutropius, cum ita scribit; Ad Macedoniam missus Ap. Claudius post consulatum, leuia prœlia habuit contra varias gentes quæ Rhodopæã prouinciam incolebant. atq; ibi morbo mortuus est. De eo autem sic Orosius; Macedonicum bellum Claudius sortitus, varias gentes quæ Rodopæis montibus circumfusæ sunt, ac tunc Macedoniam crudelissime populabantur, bello finibus pellere tentauit; magnisq; se malorum molibus obiecit. vnde cum hæc animo gereret, curis circumseptus, morbo insuper correptus, interiit. Et Epitoma XCI; Ap. Claudius pro cos. Thracas pluribus prœliis vicit. Et Rufus; Per Ap. Claudium procos. ij qui Rhodopam incolebanr, victi sunt. Er Florus; Appius in Sarmatas vsque peruenit. Tenuisse autem Macedoniam eum per biennium puto; atque ad ipsum referri id quod est apud Obsequentem; Octauio & Scribonio cos. aduersus Mædos varie dimicatum.

De Cn. Pompeio pro cos. aduersus Sertorium misso.

CVM Q. Metellus impar aduersus Sertoriũ videretur, visum est senatui Cn. Pompeio priuato imperium extra ordinem in Hispaniam dare; itaq; senatus consultum factum est in sententiam L. Philippi, vt Cn. Pompeius, qui ad vrbem erar, aduersus Sertorium cum eodem atq; Metellus imperio pro cos. iret: cum quidem Philippus, ignauiam præsentium consulum insectans, dixit, se eum non modo pro consule, sed pro consulibus mittere. Venit autem eodem etiam anno ad Sertorium cum magno exercitu M. Perperna, iam Lepidi partibus, præsertim eo in Sardinia mortuo, fractis. De itinere suo in Hispaniã, sic loquitur in epistola quadam ad senatum, apud Salustium, Pompeius: Equidem fateor, me ad hoc bellũ maiore studio quam cõsilio profectum; quippe qui nomine modo imperij a vobis accepto, diebus XL exercirum paraui; hostesq; in ceruicibus iam Italiæ agentes, ab Alpibus in Hispaniam summoui; per eas iter aliud atq; Annibal nobis opportunius patefeci; recepi Galliã, Pyrenæũ, Iacetaniam, Indigetis; & primum impetũ Sertorij victoris, nouis quidem militibus, & multo paucioribus sustinui; hiememq; in castris inter sæuissimos hostes, non per oppida, neq; ex ambitione mea egi. Atque hoc est id quod Cicero pro lege Manilia dixit; Cn. Pompeius, Gallis iter in Hispaniam legionibus R. prohibentibus, eorum internecione patefecit. Quod idem bellum eadem in oratione Transalpinum appellauit. Appianus iter ab eo patefactum in Alpibus inter Padi & Rhodani fontes ait. vnde Lucanus lib. VIII; *Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella, Armaque Sertorij reuocato consule victa.* De re a Pompeio hoc anno gesta, sic in Epitoma XCI; Cn. Pompeius, cum adhuc * equester esset, cum imperio cõsulari aduersus Sertoriũ missus est. Sertorius aliquot vrbes expugnauit; plurimasq; ciuitates in potestatem suam redegit. Inter ceteras autem expugnatas ciuitates, Lauronem intelligit; quam a Sertorio inspectãte Cn. Pompeio incensam scribit Plutarchus. Quo facto, Pompeium ac Sertorium in hiberna se rettulisse, Pompeium ad Pyrenæos montes, Sertoriũ in Lusitaniam, adijcit Appianus. His cos. D. Lælium, legatum Pompeij, in Hispania aduersus Sertorium inter pabulatores occi-

occiſum, tradit Obſequens. quod ad Lauronem oppidum eueniſſe, vbi primũ Pompeius cum Sertorio congreſſus eſt, ſcriptum eſt apud Frontinum lib. II, cap. V.

DE COS. AN. DCLXXVII.

CONSVLES fuerunt in hunc annum Cn. Octauius, C. Curio; vt ait cum faſtis Siculis Caſſiodorus: vt Obſequens, Cn. Octauius, C. Scribonius. Horum meminit Cicero in Bruto, hoc modo; Cn. Sicinius cum tribunus pl. Curionem & Octauium conſules produxiſſet; Curioq; multa dixiſſet ſedente Cn. Octauio collega, qui deuinctus erat faſciis, & multis medicamentis propter dolorem artuum delibutus; Numquam, inquit, Octaui, collegæ tuo gratiam referes; quod, niſi ſe ſuo more iactauiſſet, hodie te iſtic muſcæ comediſſent. Et Lactantius lib. I; Curio conſul rettulit ad ſenatum, vt legati Erythras mitterentur ad carmina Sibyllæ colligenda, & Romam deportanda. Miſſi ſunt P. Gabinius, M. Otacilius, L. Valerius. Et in lib. de ira Dei, hoc factum eſſe ſcribit Octauio & Curione cos. Fragmenta Capitolina conſules edunt CN. OCTAVIVM CN. F. M. N. C. SCRIBONIVM CVRIONEM. Cicero in Bruto tres C. Curiones oratores prodit, patrem, filium, & nepotem. Hic eſt filius, qui pater fuit C. Curionis tribuni pl. Cæſariano ciuili bello. Cn. Octauium M. F. idem vocat; M. autem Octauium Cn. F. Curio Macedoniam ſortitus eſt.

De re geſta cum Sertorio.

INEVNTE vere, Metellus & Pompeius e Pyrenæis montibus, Sertorius & Perperna, ex Luſitania mouentes, ad Sucronem acie conflixerunt. qua in pugna Metellus Perpernam, Sertorius Pompeium in fugam vertit. Pōpeius etiam in femore vulnus accepit. Poſt autem iterum congreſſi ad Seguntiam, Sertorius etiam Pompeium, Metellus Perpernam fudit. tertio, cum ſe in Metellum Sertorius intuliſſet, interueniente Pompeio, receſſit; ac rurſus in hiberna ſe contulerunt. Hoc pacto Appianus. At Oroſius ita; Poſt Lauronis excidium, Herculeius cum Metello congreſſus apud Italicam Bæticę vrbem, XX millia militum perdidit; victusq; in Luſitaniam cum paucis refugit. Pompeius Segidam nobilem Celtiberiæ vrbem cepit. Sertorius cũ Pompeio deinde congreſſus, X millia militum eius cecidit; ex alio cornu vincente Pompeio, tantundem pene ipſe amiſit. Et in Epitoma XCI ſic; Q. Metellus pro cos. L. Herculeium quæſtorem Sertorij omni cum exercitu cecidit. Cn. Pompeius adhuc dubio euentu cum Sertorio pugnauit; ita vt ſingula ex vtraq; parte cornua vicerint. Q. Metellus Sertorium & Perpernam cum duobus exercitibus prœlio fudit. cuius victoriæ partem cupiens ferre Pompeius, parum proſpere pugnauit. obſeſſus deinde Calagurij Sertorius, aſſiduis eruptionibus non leuiora damna obſidentibus intulit. At Plutarchus hoc anno ita dimicatum ſcribit, Pompeium Sertorianos duces Herennium & Perpernam ad Valentiam viciſſe; eaque victoria elatum, antequam Metellus adueniret, ad Sucronem cōſeruiſſe. cum Pompeius Sertorianum cornu funderet, Sertoriũ, qui Afranio Pompeiano duci oppoſitus erat, ad ſuos, qui ab Afranio pellebantur, accurriſſe; ac reſtituto prœlio, Pompeium ipſum ſaucium fugaſſe: Afranio autem cornu quod Sertorius deſeruerat, in fugam conijciente, Sertoriũ victorem reuertiſſe, atq; Afranianum quoque cornu fudiſſe: cum autem Metellum cum alio exercitu aduentare ſentiret, prœlium diremiſſe. in agro etiam Seguntino pugnatum vtrimque eſſe acerrime; qua in pugna Memmium quæſtorem Pompeij eſſe occiſum; Metellum prope pulſum, Sertorianum exercitum reppuliſſe; Sertorium in montana vrbe (Calagurium ei nomen fuit) ſe aſtute obſideri ab hoſtibus paſſum, delectum per amicas Hiſpaniæ vrbes habuiſſe. Hæc aũt omnia ita perſequitur in epiſtola ad ſenatum Pompeius; Quid deinde prœlia aut expeditiones hibernas, oppida exciſa aut recepta enumerem? caſtra hoſtiũ apud Sucronem capta, & prœliũ apud flumen Duriam; & dux hoſtiũ C. Herennius cum vrbe Valentia, & exercitus deleti, ſatis clara vobis ſunt. Et Cicero pro Cornelio; Ceterum accuſator fatetur, L. Cornelium in Hiſpania duriſſimo bello cũ Q. Metello, cũ M. Memmio, & in claſſe & in exercitu fuiſſe; & vt Pompeius in Hiſpaniam venerit, Memmiumq; habere quæſtorem cœperit, numquam a Memmio diſceſſiſſe; Carthaginem eſſe profectum; acerrimis illis prœliis & maximis,

Sucronensi & Duriensi, interfuisse. De Herculeio a Metello victo sic Frontinus lib. II; Metellus Pius in Hispania aduersus Herculeiũ, cum ille oriẽte protinus die instructam aciem vallo eius admouisset, feruidissimo tunc tempore anni, intra castra suos continuit in horam diei sextam; atque ita fatigatos æstu, facile integris & recentibus vicit suorum viribus. Et cap. III; Metellus in Hispania eo prœlio quo Herculeium deuicit, cum cõperisset cohortes eius quæ validissimæ vocabantur, in media acie locatas, ipse mediã suorum aciem reduxit; ne ea parte ante cum hoste cõfligeret, quam cornibus profligatis medios vndique circumuenisset. Et cap. VII; Q. Sertorius, cum acie decertaret, barbarum qui ei nuntiauerat Herculeium periisse, pugione traiecit.

DE COS. AN. DCLXXVIII.

L. OCTAVIUM, C. Cottam consules Cassiodorus in hunc annum suggetit C. Aurelium, L. Octauium Obsequens. L. Octauij, C. Aurelij consulum meminit Plin. lib. II, cap. XXXV; Cicero III & V in Verr. L. Octauij & C. Cottæ: C. Cottæ, contra Rullum. In fragmentis Capitolinis L. OCTAVIUS CN. F. CN. N. & C. AURELIUS eduntur. Hunc annum transcendunt fasti Siculi. Pædianus tres Cottas fratres cõsulares hoc tempore fuisse scribit, Caium, Marcum, & Lucium: C. Cotta ante tribunatu, post ciuitate pulsus, Sulla victore in vrbem redierat. Cic. in Bruto. Ex his consulibus L. Octauius in Cicilia, quæ ei prouincia obtigerat, anno sequenti moritur. Plutarchus in Lucullo. C. Cotta Galliam prouinciam sortitus est. Cic. in Bruto. Tumultum hoc anno in vrbe fuisse, declarat concio C. Cottæ cos. ad Quirites, quæ exstat ex historiis Salustij: in qua hæc verba sunt; Consules nos fecistis Quirites, domi belliq; impeditissima rep. Namque imperatores Hispaniæ stipendium, milites, arma, frumentum poscunt. & id res cogit; quoniam defectione sociorũ, & Sertorij per montes fuga, neque manu certare possunt, neque vtilia parare. Exercitus in Asia Ciliciaque, ob nimias opes Mithridatis, aluntur. Macedonia plena hostibus est; nec minus Italiæ maritima & prouinciarum. cum interim vectigalia parua, & bellis incerta, vix partem sumptuum sustinent. ita classe, qua commeatus vehebatur, minore quam antea nauigamus. Hæc si dolo aut socordia nostra contracta sunt, agite vti libet, & ita supplicium sumite; sin fortuna communis asperior est, quare indigna vobis nobisq; incipitis? De legibus a C. Cotta cos. latis sic Pædianus; C. Cotta cos. paulum tribunis nõ potestatis, sed dignitatis addidit; id est, legem tulit, vt tribunis pl. licetet postea alios magistratus capere; quod lege Sullæ iis erat ademptum. Item; C. Cotta de legibus suis abrogandis rettulit ad senatum. Videntur autem in paruis rebus leges illæ fuisse; quoniam neque apud Salustium, neque apud Liuium, neque apud Fenestellam, mentio fit legis, præter eam quam in concione populi magno studio tulit, vt iis qui tribuni pl. fuissent, alios quoque magistratus capere liceret: quod lege dictator Sylla sustulerat. neque hæc abrogata est. Item; C. Cotta legem tulit de priuatis iudiciis, quę est anno posteriore a fratre eius M. Cotta abrogata. Et Cic. in Verr. L. Octauius C. Aurelius cos. cum ædes sacras locauissent, neq; potuissent omnia sarta tecta exigere; neq; ij prætores quibus erat negotium datum, C. Sacerdos, M. Cæsius: senatus consultum factum est, quibus de sartis tectis cognitum & iudicatum non esset, vti C. Verres P. Cœlius prætores cognoscerent & iudicarent.

De re gesta cum Sertorio.

APPIANUS sequenti anno (quo Nicomedes Bithyniam populo R. reliquit) Sertorium in suos proditionis suspectos sæuisse ait: Metellum multas Sertorianas vrbes populatum esse; Sertorium Palantiam a Pompeio obsessam liberasse: atque impetu in eos qui ad Calagutium castra habebant, facto, tria millia interfecisse. Plutarchus autem, cum exercitus ad diem conuenisset, Sertorium e Calagurio erupisse ait; atque Romanos imperatores, Metellum in Galliam, Pompeium in Vaccæos distractis copiis hibernandi caussa fugasse. Itaque Pompeius in epistola quam ad senatum L. Lucullo cos. misit, ait; Gallia superiore anno Metelli exercitum stipendio frumentoq; aluit. At in Epitoma XCIII scriptum est, Sertoriũ ab obsidione Calagurij oppidi depulsos coegisse diuersas regiones petere, Metellum vlteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam.

Galliam. vbi forte præpostera nomina sunt. M. autem Fonteium hoc tempore per triennium Galliæ vlteriori præfuisse, atque ibi rem bene gessisse deuictis & multatis hostibus, tradit Cicero in Fonteiana.

DE COS. AN. DCLXXIX.

L. LVCVLLVM, M. Cottam consules in hunc annum inuenio apud Cassiodorum: Lucullum & Cottam in fastis Siculis; L. Licinium Lucullum, M. Aureliū Cottam apud Eutropium, Appianum in Mithridatica, Plutarchum in Lucullo. Horum mentio est apud Ciceronem in Verrem, & in Epitoma XCIII, & XCIIII. L. Lucullus auum habuit L. Lucullum, qui cos. fuit cum A. Albino: Cicero & Plutarchus auctores. De hoc sic Cicero in Lucullo; L. Lucullus quæsturæ diuturnum tempus, Murena bellum in Ponto gerente, in Asiæ pace consumpsit; deinde ædilis, continuo prætor, (licebat enim celerius legis præmio) post in Africam, inde ad consulatum; quem ita gessit, vt diligentiam admirarentur omnes, ingenium cognoscerent. His cos. Nicomedem regem Bithyniæ mortuum, populum Rom. hæredem reliquisse; Bithyniam in prouinciæ formam redactam esse, scriptum est apud Eutropium. Hinc Cottæ Bithynia, Lucullo Cilicia prouincia obtigit.

De triumpho P. Seruilij Isaurici ex Cilicia, & bello Piratico.

BELLVM in Cilicia & Pamphylia his temporibus non cōtemnendum exortum inuenio apud Orosium & Eutropium; quod bellum *Piratici* nomine comprehendit Florus. ceterum tria bella Piratica gesta sunt; vnum a M. Antonio prætore, de quo ante dictum est; alterum, a P. Seruilio; tertium, post a Cn. Pompeio. Horum aūt originem bellorum his verbis exponit Florus; Interim dum populus R. per diuersa terrarum distractus est, Cilices inuaserant maria, sublatisq; cōmerciis, sic maria bello quasi tempestate præcluserant. audaciam iis dabat inquieta Mithridatis prœliis Asia, dum sub alieni belli tumultu, externiq; regis inuidia, impune grassantur, ac primum duce Isidoro contenti, proxima mari, Cretam inter atq; Cyrenas [Piræum,] & Achaiam, sinum Maliacum, quem a spoliis aureum ipsi vocauere, latrocinabantur. missus in eos P. Seruilius, quamuis leues & fugaces myoparones graui & martia classe turbaret, nō incruenta victoria superat. sed nec mari submouisse contentus, validissimas vrbes eorum, & diutina præda abundantes, Phaselim & Olympum, euertit, Isauronque ipsam arcem Ciliciæ; vnde conscius sibi magni laboris, *Isaurici* cognomen adamauit. Hæc de caussis huius belli. Venisse autem Seruilium in prouinciam vel extremo consulatu, vel certe sequenti post consulatum anno puto. id quod ex Suetonij verbis elici potest, qui Cæsarem cum Seruilio Isaurico mereret in Cilicia, Sullæ morte comperta, simul spe nouæ dissensionis quæ per M. Lepidum mouebatur, Romam propere rediisse scribit. Quinquennio aūt eum exercitui, id est prouinciæ præfuisse, docet Cic. in Frumētaria. Quid quoq; horū annorum ab eo gestum sit, nemo tradit; neq; ex historicorum verbis elici potest. Quæ aūt gesserit, summatim omnes, hoc modo: Orosius; P. Seruilius ex consulatu Ciliciam & Pamphyliā crudelissime adortus, dum subdere studet, pene deleuit Lyciam; & vrbes eius obsessas oppressasq; cepit. præterea Olympum montem peruagatus, Phaselim euertit, Corycū diruit; Tauri montis latera in Ciliciam vergentia perscrutatus, Isauros bello fractos in deditionem redegit; primusq; Romanorū per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit. triennio emenso, quo bellum gestum est, Isaurici nomen assumpsit. Eadem fere etiā Eutropius. Epitomæ; Res a P. Seruilio pro cos. aduersus Cilicas gestas continet. Item P. Seruilius pro cos. in Cilicia Isauros domuit, & aliquot vrbes piratarum expugnauit. Idem Strabo lib. XIIII, & Cicero in Verrem; Phaselis illa, quam cepit P. Seruilius, non fuerat vrbs ante Cilicum atq; prædonum; Lycij illam Græci homines incolebant: sed quod erat eiusmodi loco, atq; ita proiecta in altum, vt & exeuntes e Cilicia prædones sæpe ad eam necessario deuenirent; & cum ex hisce se locis reciperent, eodem deferrētur; asciuerunt sibi illud oppidum piratæ primó commercio, deinde etiam societate. Hac victoria Ciliciæ pars adiuncta est populi Ro. imperio. nam post Mithridatico bello tota fere a Pompeio in potestatē redacta est, vt scribit Appianus in principio Mithri-

daticæ. Itaque Marcellinus lib. XIIII sic loquitur; Cilicia & Isauria prouinciæ, bello quondam piratico cateruis mixtæ prædonũ, a Seruilio proconsule missæ sub iugum, factæ sunt vectigales. Et Iustinus lib. XL; Creta Ciliciaq; piratico bello perdomitæ, in formam prouinciæ rediguntur. Et Iornandes; Seruilius proconsul bello piratico obtinuit Pamphyliam, Ciliciã Pisidiamq; deuicit, fecitq; prouincias. Et Rufus; Pamphyliam, Phrygiam P. Seruilius, ad bellum piratarum missus, obtinuit. Hæc de re gesta. Triumphi autem eius hæc adhuc testimonia exstant. Rufus; Cilices & Isauros, qui se piratis & prædonibus iunxerant, Seruilius pro cos. ad prædonum bellum missus, subegit, & viam per Taurũ montem primus instituit; & de Cilicibus & Isauris triumphauit, atque Isauricus cognominatus est. Pædianus in Verrinas; P. Seruilius bellũ in Cilicia gessit; deq; ea triumphauit, captis Coryco, Olympo, Phaselide, tribus magnis eius terræ vrbibus. Et Cicero ipse; P. Seruilius quæ signa atq; ornamenta ex vrbe hostium, & virtute capta, belli lege atq; imperatorio iure sustulit, ea populo Rom. apportauit, per triumphum vexit. Item; Vnus plures prædonum duces viuos cepit P. Seruilius, quam omnes antea. quacumq; iter fecit, hoc iucundissimum spectaculum omnibus vinctorum captorumq; hostium præbebat. itaq; ipse triumphus omnium triumphorum gratissimus populo Rom. fuit, atq; iucundissimus. Et Valerius lib. VIII; P. Seruilius cõsularis, censorius, triumphalis, maiorum suorum titulis Isaurici cognomen adiecit. Et Claudianus in primo in Eutropium; *Indomitos curru Seruilius egit Isauros.* In hunc autem annum triumphum eius conieci; primum, quod Cicero in frumentaria inquit, P. Seruilium quinquennium exercitui præfuisse; deinde, quod L. Octauius prioris anni consul Ciliciam sortitus est, vt hoc anno Seruilio decedenti succederet. mortuo autem in prouincia Octauio, L. Lucullus cos. eam obtinuit.

De re gesta cum Sertorio.

PLVTARCHVS Pompeium, cum incommode hibernaret, inopia adactum refert vt ad senatum scriberet, ac stipendium, vestes, & frumenta posceret: alioquin futurum vt omisso periculosissimo bello in Italiam exercitum traijceret: (exstat adhuc Pompeij, qua hæc petit, epistola; tanquam ex naufragio quodam Historiarum Salustij erepta) L. autem Lucullum consulem, timentem ne, si Pompeius exercitum in Italiam transportaret, bellum Mithridaticum, quod ipse sibi mandari cupiebat, a populo obtineret, summa cũ cura omnia quæ postulabat, ei mittenda censuisse. Appianus Metellum & Pompeium magno conatu vrbes Sertorio amicas inuasisse, ac multas expugnasse tradit. In Epitoma, post L. Luculli cos. res gestas ita est; Res a Pompeio in Hispania contra Sertorium gestas continet. Strabo lib. III; Ilerdæ & Ileoscæ, Ilergetum oppidis, extremas pugnas Sertorium fecisse; & in Vasconum vrbe Calaguri, & Tarracone, & Hemeroscopio, cum e Celtiberis expulsus esset; auctor est.

De bello Mithridatico L. Luculli, & re gesta a consulibus.

HOC anno cœptum est nouum cum Mithridate Ponti rege bellum. Eius, quantum ex Appiani Mithridatica historia colligi potest, hæc caussa fuit. Priore anno L. Magius, & L. Fannius, qui transfugæ facti a Mariano exercitu, apud Mithridatem agebant, ab eodẽ rege ad Sertorium missi sunt de paciscenda cum eo aduersus Romanos belli societate. Sertorius pactus, M. Marium ad regem, vt eo belli duce vteretur, misit. Mithridates tota æstate, atq; insequente hieme in copiis contrahendis & classe ædificanda consumptis, ineunte vere in Paphlagoniam, deinde in Bithyniam impetum fecit; quæ prouincia erat populi Rom. a Nicomede populo Ro. relicta. Hæc Appianus. Nicomedes autem Bithyniam Octauio & Cotta, non (vt ait Eutropius) Lucullo & Cotta reliquerat. Id quod Epitoma XCIII cõfirmare videtur; cuius hæc verba sunt; Nicomedes Bithyniæ rex moriens, populum Ro. fecit hæredem: regnumq; eius in prouinciæ formam redactum est. Mithridates fœdere cum Sertorio icto, bellũ populo Rom. intulit. apparatus deinde regiarum copiarum pedestrium, naualiumq;, & occupata Bithynia. Neque vero eodem anno Nicomedes mortuus, Bithynia prouincia facta, & a Mithridate occupata est. Eadem sic Cicero pro lege Manilia; Mithridates omne reliquum tempus non ad obliuionem veteris belli, sed ad comparationem

noui

noui contulit; qui posteaquam maximas ædificasset ornassetque classes, Bosporanis finitimis suis bellum inferre simulasset, vsque in Hispaniam legatos, & litteras misit ad eos duces quibuscum bellum gerebamus. Et pro Murena; Mithridates rex aliquot annis sumptis ad confirmandas rationes & copias belli, tantum ipse opibus conatuque inualuit, vt se Oceanum cum Ponto, Sertorij copias cum suis coniuncturum putaret. ad quod bellum duo consules ita missi, vt alter Mithridatem persequeretur, alter Bithyniam tueretur. De legatis L. Magio & L. Fannio, loquitur etiam Pædianus in Verrinas. L. Lucullo cos. citerior Gallia obtigerat, cum autem L. Octauium in Cilicia mortuum esse nuntiatum esset, Lucullus Ciliciam ac bellum Mithridaticum sibi decernendũ curauit. M. Cottæ classis commissa, vt ea Propontidem ac Bithyniam tueretur. Irruptione a Mithridate in Bithyniam facta, Cotta Chalcedonem refugit. quem rex persequutus, terra fudit, ac mari classe pulcherrima exuit. cum autem rex se ad Cyzicum obsidendam conuertisset, eo consilio, vt ea capta totam Asiam inuaderet, L. Lucullus cum maximo exercitu aduenit, atq; factis ad Cyzicum castris, commeatus Mithridati interclusit: equorum sex millia, captiuorum xv, quos Mithridates rerum inopia coactus, in hiberna in Bithyniam remittebat, assequutus, Mamerco duce partim cepit, partim cecîdit. Eumachum Mithridatis præfectum, Phrygiam incursantem, Deiotarus Gallogræciæ tetrarches persecutus cohibuit. Mithridates propter hiemem omni commeatu ad Cyzicum mari prohibebatur. Hæc Appianus & Plutarchus. quæ in Epitoma XCIIII his verbis tradũtur; L. Lucullus cos. aduersus Mithridatem equestribus prœliis feliciter pugnauit, & expeditiones aliquot prosperas fecit. poscentesq; pugnam milites a seditione inhibuit. Deiotarus Gallogræcię tetrarches, præfectos Mithridatis bellum in Phrygia mouentes cecîdit. Et Mithridates in epistola apud Salustiũ, M. Cottam apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe pulcherrima. apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidione morãti frumentum defuit, nullo circum annitente; simul hiems mari prohibebat.

DE COS. AN. DCLXXX.

M. LVCVLLVM, C. Cassium, consules auctore Cassiodoro hic annus habuit: Marcellum & Cassium Siculis: quos Cicero in Verrem M. Terentiũ, & C. Cassium, legemq; ab his latam, Terentiam & Cassiam vocat. Fuit enim, quantum ex fragmentis Capitolinis augurari possum, M. Licinius Lucullus a M. Terentio Varrone adoptatus, ac propterea M. Terentius *Varro Lucullus* appellatus. L. Lucullum, & M. Lucullum Cicero in Lucullo & Plutarchus fratres vocant; quos Eutropius consobrinos nominat. C. Cassium L. F. M. Terentium M. F. Varronem Lucullum fuisse constat ex Capitolino fragmento. Cassij cognomen fuisse *Varum*, docet plumbeus tubulus Romæ inuentus, cum his litteris; C. CASSIO VARO. M. LICINIO LVCVLLO COS. & quod Appianus etiam lib. IIII, C. Cassium Varum consularem a triumuiris proscriptum fuisse scribit. C. Cassium, cum tribunus pl. esse non potuisset, consulem factum scribit Cicero pro Plancio. Idem in Verrem, C. Cassium, clarissimum atque fortissimum virum, cõsulem fuisse anno primo præturæ Siculæ Verris ait. Lucullo Macedonia euenit; Eutropius: Cassio Gallia citerior; Plutarchus in Crasso. Cassium *Longini* cognomine afficiendum opinor, quod & maiores & posteri eius tulerunt.

De C. Cotta pro cos. mortuo.

C. COTTAM pro cos. ex Gallia hoc anno triumphaturũ fuisse arbitror, nisi ante mortuus esset. Hunc enim scribit Cicero in Bruto ex consulatu in Galliam esse profectum. Et in Pisonem; Eadem cupiditate vir summo ingenio præditus C. Cotta, nullo certo hoste flagrauit, nec triumphauit, quod ei mors triumphum ademit. Quæ verba exponens Pædianus ait; Fuit hic C. Cotta orator ille compar P. Sulpicij, qui est in dialogis Ciceronis de oratore scriptis; qui, cum decretus illi esset triumphus, mortuus est ante diem triumphi, cum cicatrix vulneris eius quod ante plures annos in prœlio acceperat, rescissa esset repente. Triumphaturum autem fuisse eum hoc anno inde apparet, quod ei L. Lucullus in prouinciam hoc anno successurus erat, nisi eam deposuisset, & Ciliciam sibi depoposcisset.

De bello Seruili Spartaci.

His cos. (vt ait Eutropius) bellum seruile in Italia suscitatū est. LXXIIII enim gladiatores, ducibus Spartaco & Oenomao & Crixo, effracto Capuæ Lentuli, a quo alebantur, ludo, effugerunt; & per Italiam vagantes, vocitatis ad vexillum seruis, Vesuuium montem sedem belli fecerunt. Aduersus hos missos scribit Appianus Varinium Glabrum, & P. Valerium. Vereor autem, ne legendum sit Clodiū Glabrum, & P. Varinium. siquidem Clodium Glabrū nominat etiam Florus; & Plutarchus Clodium, ac P. Varinium: atq; iidem sunt etiam in Epitoma XCV, his verbis; Quatuor & septuaginta gladiatores Capuę ex ludo Lentuli profugerunt; & congregata seruorum & ergastulorum multitudine, * Crixo & Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum, & P. Varinium prætorem prœlio vicerunt. Eosdem item prœlio fractos Appianus & Plutarchus tradiderunt. Hoc *bellum seruile* vocat Cicero pro lege Manilia; itemque Plutarchus: *seruilem tumultum* Cæsar libro primo de bello Gallico. Adijcit Plutarchus, a nonnullis *Spartacium bellum* appellari.

De re gesta cum Mithridate a L. Lucullo pro cos.

Quæ gesserit hoc anno Lucullus, breuiter his verbis docet Eutropius: Lucullus Mithridatem, dum in obsidione Cyzici moratur, a tergo obsedit, fameq; consumpsit, & multis prœliis vicit; postremo Byzantium fugauit: nauali quoque prœlio duces eius oppressit. ita vna hieme & æstate a Lucullo centum fere millia hominum ex parte regis exstincta sunt. Hæc ille. ex quibus intelligi potest, quæ in consulatu ab eo gesta sunt, per hiemem esse gesta; quod etiam Plutarchus & Appianus significant: cetera hoc anno eum pro cos. gessisse. de quibus sic est scriptum in Epitoma XCV; L. Lucullus pro cos. ad Cyzicum vrbem exercitum Mithridatis fame ferroq; deleuit; pulsumq; Bithynia regem, variis belli ac naufragiorum casibus fractum, coegit in Pontum profugere. Appianus Mithridatem ab obsidione Cyzici recessisse, atque præmisso Lampsacum exercitu, ipsum classe in Parum aufugisse: exercitum autem ad Asopum (ad Granicum Plutarchus) a Lucullo cæsum: ad Lemnum, classem, cui Marius a Sertorio dux ad Mithridatem missus, & Alexander & Dionysius præerant, ab eo depressam esse: Triarium Luculli legatū Apameam, Barbam Prusiadem, & Nicæam cepisse: Lucullum regem in Bithyniam persecutum: regem inde in Pontū refugientem, amissa tempestate classe, piratico myoparone Sinopen, atque inde Amisum peruenisse, atque Tigranis Armenij regis generi, & Macharis Bosporani filij sui auxilia implorasse. Quo factum est vt Mithridates apud Salustium sic loquatur; Simul hiems frumentum mari prohibebat. ita sine vi hostium regredi coactus in patriū regnum, naufragiis apud Parum & Heracleam militum optimos cum classe amisi. Eadem Orosius. Hanc autem victoriam his verbis expressit Cicero pro Archia; Cyzicus amicissima, Luculli consilio ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus erepta est, & conseruata. L. Lucullo dimicante prædicabitur cum interfectis hostibus depressa hostium classis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa naualis. Et pro lege Manilia; Cyzicus vrbs Asiæ clarissima nobisque amicissima, obsessa a Mithridate maxima multitudine, & oppugnata vehementissime, L. Luculli virtute, assiduitate, consilio, summis obsidionis periculis liberata est. ab eodem imperatore classis magna & ornata, quæ ducibus Sertorianis ad Italiam studio inflammato rapiebatur, superata est atque depressa. Item pro Murena.

De Sertorio interfecto.

Hoc anno interfectum esse Sertorium existimo. Me, vt ita existimem, verba hæc Epitomæ XCVI adducunt; Sertorius a M. Antonio, & M. Perperna, & aliis coniuratis, in conuiuio interfectus est, octauo ducatus sui anno. imperium partium ad * Marcum translatum est. quem Cn. Pompeius victum captumq; interemit; ac recepit Hispanias decimo fere anno quam cœptum erat bellum. Hæc autem verba sub cōsulatum L. Gellij, & Cn. Lentuli subiecta sunt. quorum hūc esse puto sensum: Sertorium Cassio & Terētio cos. esse occisum; (qui erat octauus Sertoriani imperij annus; si quis a con-

a consulatu Q. Metelli enumeret) Gellio & Lentulo, Perpernam necatum; Aufidio & Lentulo, receptas esse Hispanias, decimo anno quam bellum cœperat. Nam & Eutropius octauo Sertorium, & Orosius decimo bellum esse confectum scribunt. Accedit, quod Appianus in Mithridatica meminit Sertorij interfecti, paulo postquã L. Lucullus prioris anni cos. in Asiam venit. Quinetiam idem, insequenti post res priore anno gestas anno, sublatum Sertoriũ narrat, libro primo Ciuilis historiæ. qui idem cum Plutarcho eadem de nece Sertorio a suis in cõuiuio per dolum illata scribit.

DE COS. AN. DCLXXXI.

L. GELLIVS, Cn. Lentulus cos. subsequuti; vt ait Cassiodorus. Eorum meminit Cicero in Verrem; & pro Cornelio, cum ait; Nascitur caussa Cornelij ex ea lege, quã L. Gellius, Cn. Cornelius ex senatus sententia tulerunt; qua lege videmus esse sancitum, vti ciues Ro. sint ij, quos Cn. Pompeius de consilij sentẽtia sigillatim ciuitate donarit. Eorundem meminit Plutarchus in Crasso, & ceteri qui de bello Spartacio scripserunt. Hunc Lentulum (vt puto) intelligit etiam Salustius lib. IIII Historiarum apud Gelliũ lib. XVIII, cum ait; At Cn. Lẽtulus patriciæ gentis, collega eius cui cognomentum *Clodiano* fuit, perincertum stolidior an vanior, legem de pecunia quam Sulla emptoribus bonorum remiserat, exigenda, promulgauit. Collegam autem eius, L. Gellium, de quo loquutus erat, intelligit. Itaque hic ex Clodia gente in Lentulorum familiam adoptatus, *Clodianus* vocatus. Quamobrem apud Ciceronem libro secundo ad Atticum, vbi ait; Lentulus Clodiæ filius, legendum puto, *Clodiani*. alij Cn. Lentulum, collegam P. Crassi consulis anno DCLVI, *Clodianum* appellant. in quo a fastis Capitolinis etiam me tacente redarguuntur. L. Gellium L. Gellij L. F. L. N. patrem fuisse opinor, eius qui consulatum geret anno DCCVII.

De triumpho C. Curionis pro cos. ex Macedonia.

EVTROPIVS scribit Ap. Claudio, qui ex consulatu in Macedoniam missus erat, atque ibi mortuus erat, C. Curionem successisse post consulatum, eumq; Dardanos vicisse, & vsque ad Danubium penetrasse, & intra triennium confecto bello triumphasse. De eodem sic Salustius Histor. lib. II, vt est apud Nonium; Eodẽ anno in Macedonia C. Curio, principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit, pecunias coegit. Et Orosius; Claudij successor Scribonius, attentatarum superiore bello gentium vim declinans, in Dardaniam arma conuertit, eamque superauit. Et Florus; Curio Daciam tenus venit; sed tenebras saltuum expauit. Et Rufus; Dardanos & Mæsios Curio pro cos. subegit; & primus Romanorum ducum ad Danubium vsque peruenit. Et in Epitoma XCII; Res in Thracia aduersus Dardanos a Curione pro cõsule gestæ. & XCV; C. Curio pro cos. Dardanos in Thracia domuit. Qua pœna C. Curio pro cos. bello Dardanico circa Dyrrhachiũ legionem vnam ex quinque seditiosam affecerit, exstat apud Frontinum lib. IIII. Scribit porro Cicero in Pisonem, C. Curionem ex Macedonia ante M. Lucullum, post Cn. Dolabellam triumphasse. Hoc autem anno eum triumphasse existimo; primum, quod per triennium rem (Eutropio auctore) gessit: deinde, quod hoc demum anno ei M. Lucullus successit, cum Macedoniam in consulatu priore anno obtinuerit.

De re gesta cum Spartaco, & cum Mithridate.

Hoc anno rem gestam cum gladiatoribus a Q. Arrio prætore, & a consulibus inuenio in Epitoma XCVI, ita; Q. Arrius prætor Crixum fugitiuorum ducem cum XX millibus hominum cecidit. Cn. Lentulus cos. male aduersus Spartacum pugnauit. ab eodẽ L. Gellius cos. & Q. Arrius prætor acie victi sunt. Appianus Crixum refert circa Garganum montem a consulibus cum exercitu deletum; Spartacum ex Apennino ad Alpes, ab Alpibus in Galliam properantem, ab vno consule cohibitum, ab altero fugatum; eosdem illos conuerso impetu separatim vicisse; ac Romam infesta signa ferentem, cum magna Romanorum clade a consulibus retentum, Thurios vrbẽ cepisse; ac rursus cum Romanis congressum, victoriam & prædam ingentem rettulisse. Plutarchus Gellium consulem feliciter pugnasse scribit: Spartacum autem, Len-

tulo cos. victo ad Alpes festinātem, a Cassio Galliæ citerioris procos. cohibitum esse; atque ipsum Cassium amisso exercitu vix incolumem effugisse. Itaque in Epitoma eadem hæc verba sunt; C. Cassius pro cos. Cn. Manlius prætor, male aduersus Spartacum pugnauerunt. Florus in Apennino Lentuli exercitum cæsum, apud Mutinam C. Cassij castra deleta tradit. Eodem anno Lucullus Mithridatem in Pontum persequutus, Amisum & Eupatoriam vrbes Ponticas obsidione cinxit; atque altero exercitu Themiscyram ad Thermodontem fluuium sitam oppugnauit, Mithridate Cabiris, quo se receperat, hiemante, atque inde commeatum suppeditante. Hæc Appianus. Plutarchus item eum Amisum diu obsedisse, ac lentam obsidionem de industria protraxisse refert. Hinc illa Ciceronis pro Archia; Populus Romanus aperuit Lucullo imperante Pontum, & regiis quondam opibus, & natura regionis vallatum.

DE COS. AN. DCLXXXII.

CN. Aufidium, P. Lentulum cos. prodit in hunc annum Cassiodorus: Lentulum & Orestem fasti Siculi: Cornelium Lentulum, Cn. Aufidium Orestē Eutropius. Cn. Aufidium Orestem, cum tribunus pl. esse non potuisset, consulem factum scribit Cicero pro Plancio. De eodem sic pro domo; Cn. Aufidius Orestem adoptauit. Est autem hic P. Lentulus *Sura* is qui post consularis, & prætor II, strangulatus est consule Cicerone, quod cum Catilina coniurauerat. cuius auus fuit P. Lentulus princeps senatus; vt ait Cicero pro domo, & in Catilinam; & Pædianus.

De triumpho M. Terentij Luculli pro cos. ex Macedonia.

CVRIONI in Macedoniam successisse M. Lucullum opinatur Pædianus. eum certe post C. Curionem ibi rem bene gessisse, ac reuersum domū triumphasse, plures auctores sunt: ex quibus Florus, postquā Curionis meminit, ita; Lucullus ad terminū gentium Tanaim lacumque Mæotim peruenit. neque aliter cruentissimi hostium quam suis moribus domiti; quippe in captiuos igne ferroque sæuitum est. Rursus autem sic; M. Lucullus per Thraciam cum Bessis primus pugnauit; ipsum caput gentiū vicit. Thraces enim montanos subegit; & Eumolpidā, quæ nunc Philippopolis dicitur; Olympiadam, quæ modo Adrianopolis nominatur, in dicionem nostram redegit; Cabylen cepit; supra Pontum positas ciuitates occupauit; Apolloniam, Galatiam, Parthenopolim, Tomos, ad Danubium vsque perueniens Romanus, Scythis arma monstrauit. Eutropius vero hoc modo; M. Lucullus, qui Macedoniam administrabat, Bessis primus Romanorum intulit bellum, atque eos ingenti prœlio in Æmo mōte superauit. oppidum Vscadamam, quod Bessi habitabant, eodem die quo aggressus est, vicit: Cabulen cepit; Istrum vsque ad Danubium penetrauit. expugnauit etiā gentes quæ Rhodopæis montibus circumfusæ sunt. inde multas supra Pontum positas ciuitates aggressus est: illic Apolloniam euertit, Calatim, Parthenopolim, Tomos, Istrū, Buciam omnem cepit. belloque confecto, Romam rediens triumphauit. Et Orosius; M. Lucullus, qui Curioni in Macedonia successerat, totam Bessorum gentem bello appetitam in deditionem accepit. Appianus etiam in Illyrica eiusdem victoriæ meminit. Eusebius porro de Bessis, capta Cabyle & Tomis, & ceteris vicinis vrbibus triumphasse eum scribit: Cicero in Pisonem, inter eos enumerat qui paucis ante annis ex Macedonia triumpharint. Pædianus in II Verr. hunc item triumphalē appellat. Puto autem eum hoc anno triumphasse, quod post M. Crassi prætoris rem cū Spartaco gestam, ita scriptum est; M. Lucullus pro cos. Thracas subegit. & quod Appianus libro I ait, Spartacum cum Crasso manum conseruisse, vbi audiuit Lucullum Brundusium accessisse, a victoria Macedonica reuertentem. quamquam is locus mendose legitur ita; ἀπὸ τῆς ἐπὶ Μιθριδάτῃ νίκης ἐπανιόντα, id est *a victoria Mithridatica.* mendose autem; quia ne multis quidem post annis, nedum hoc anno, L. Lucullus a bello Mithridatico reuertit.

De ouatione M. Crassi pro pr. & bello Spartacio confecto.

RE male a cōsularibus & prætoribus priore anno cum Spartaco gesta, bellum M. Crasso prætori mandatum est. Is primus cum parte fugitiuorum, quæ ex Gallis Germanisque

manisque constabat, feliciter pugnauit, cæsis inimicorum XXXV millibus, & duce eorum Granico. cum Spartaco deinde pugnauit, cæsis cum ipso XL millibus. Adiicit Plutarchus, quinque millia, quæ ex pugna Crassi euaserant, a Cn. Pompeio ab Hispaniensi bello reuertenti oppressa. Itaque huius belli confecti gloriam Cicero tribuit Crasso & Pompeio in Verrem; & pro lege Manilia, cum ait; Gladiatorum bello tetro & periculoso cum premeretur Italia, a Pompeio absente auxilium expetiuit. Id bellũ extenuatione Pompeij attenuatum atque imminutum est, aduentu sublatum & sepultum. Athenæus Spartacum in acie contra Crassum cecidisse scribit lib. VI. Appianus rem omnem a Crasso sex mensibus cõfectam tradit. Hac de caussa Crasso permissum Plutarchus ait, vt vrbem ouans iniret; quod de seruis subactis indignum esse putarent triumphare. De Crasso autem ouante sic Gellius lib. V; Myrteam coronam M. Crassus, cum bello fugitiuorum confecto ouans iniret, insolenter aspernatus est: senatusque consultum faciendum per gratiam curauit, vt lauro, non myrto coronaretur. Et Plin. lib. XV: Myrtea ouantium fuit corona; excepto M. Crasso, qui de fugitiuis & Spartaco laurea coronatus incessit. Et Claudianus in Eutropium; *illustrat seruilis laurea Crassum*. Et Cicero in P. sonem; Crasse pudet me tui. quid est quod confecto formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris a senatu? Crassum item hoc anno triumphasse scribit Eusebius.

De triumphis Q. Metelli pro cos. & Cn. Pompeij pro cos. & bello Sertoriano confecto.

BIENNIO ante (vt dixi) Sertorio interfecto, imperium sibi interfector eius Perperna vindicauit. quo priore anno a Pompeio acie victo, capto, & occiso, bellum hoc demum anno, qui est fere huiusce belli decimus [confectum, &] receptæ Hispaniæ sunt. Qua de re sic Orosius; Ciuitatibus cunctis vltro ac sine mora in deditionem receptis, duæ tantum restiterũt, Auxima & Calagurum. quarum Auximam Pompeius euertit; Calagurum Afranius iugi obsidione confectam, cæde incendioque deleuit. Et Florus; In fidem Romanam venere vrbes, Osca, Terme, Tutia, Valentia, Auxima; & in fame nonnihil experta Calaguris. De Calaguritanis autem obsessis sic Valerius; Calaguritani, quo perseuerantius interempti Sertorij cineribus, obsidionem Cn. Põpeij frustrantes, fidem præstarent; quia nullum iam aliud in vrbe eorũ supererat animal, vxores suas natosque ad vsum nefariæ dapis verterunt, & cadauerum reliquias salierunt. Hoc bellum, etsi cum Romanis imperatoribus gestum est; tamen, quia cũ Hispanis militibus pugnatum est, externum potius, vt ait Florus, quam ciuile est habitum. & de eo triumphi acti duo sunt. quorum auctores sunt Plutarchus, Appianus, Velleius, Eutropius, Florus. ex quibus Velleius in hæc verba loquitur; Metellus & Põpeius ex Hispaniis triumpharunt; sed Pompeius hoc quoque triumpho adhuc eques Romanus, ante diem quam consulatum iniret, curru vrbem inuectus est. Eutropius autem ita; Vno tempore multi simul triumphi fuerunt; Metelli ex Hispania, Pompeij secundus ex Hispania. Vnde etiam Lucanus lib. VII; *Qualis erat populi facies clamorque fauentis, Olim cum iuuenis, primique ætate triumphi, Post domitas gentes quas torrens ambit Iberus, Et quæcumque fugax Sertorius impulit arma, Vespere pacato, pura venerabilis æque Quam currus ornante toga plaudente senatu, Sedit adhuc Romanus eques.* Et Plin. lib. VII; Põpeius ad Solis occasum transgressus, excitatis in Pyrenæo trophæis, oppida DCCCLXVI ab Alpibus ad fines Hispaniæ vlterioris in dicionem redacta, victoriæ suæ adscripsit, & maiore animo Sertorium tacuit; belloque *seruili, quod omnia externa cõciebat, exstincto, iterum triumphales currus eques Ro. induxit; toties imperator ante quam miles. Idem alij.

De re a L. Lucullo gesta cum Mithridate.

HIS cos. (quantum ex Epitoma XCVII duci possum ad suspicandum) L. Lucullus in Ponto aduersus Mithridatem feliciter pugnauit, cæsis hostium amplius LX millibus. qua de re sic ipse Mithridates agit in epistola ad Arsacem apud Salustium: Restituto deinde apud Cabira exercitu, & variis inter me atque Lucullum prœliis, inopia rursus ambos incessit. Ineunte enim vere (vt ait Plutarchus, atque Appianus) Lucullus, Murena ad Amisum obsidendam relicto, Cabira aduersus Mithridatem con-

tendit; qui xc millibus peditum, equitum IIII millibus contractis, bellum reparauerat. ibi equestri prœlio in montibus parum prospere gesto, cum vitatis hostibus castra in plaua detulisset, a Mithridate iterum ad montes compulsus est. Mithridates autem, cum eum non acie, sed fame superare statuisset, quem a re frumentaria valde laborare compererat, magnam equitatus sui partem in insidiis, vt commeatum, qui Lucullo duris subuectionibus ex Cappadocia deferebatur, interciperet, collocauit. qui iniquo loco Romanos adortus, totus pene deletus est. quo nuntio rex perculsus, quod Lucullum, victoria suorum cognita, protinus in se irruptionem facturum timeret, subita ex Ponto fuga in Armeniam ad Tigranem regem contendit. qui idem in potestatem venisset; nisi equites, quos ad insequendum eum Lucullus immiserat, contemptis imperatoris sui edictis, præda regia in itinere colligenda occupati, regem ipsum e manibus emisissent. Hoc autem eleganter his verbis expressit Cicero pro lege Manilia; Mithridates e regno fugiens, maximam vim auri atque argenti, pulcherrimamque rerum omnium in Ponto reliquit. hæc dum nostri colligunt omnia diligẽtius, rex ipse e manibus effugit. hunc in illo timore & fuga Tigranes rex Armenius excepit. Eutropius XXX millibus lectissimis regis a quinque millibus Romanorum ad Cabira cæsis regem inde fugisse scribit.

DE COS. AN. DCLXXXIII.

INDE M. Crassum, Cn. Pompeium consules edunt Cassiodorus, Plutarchus, Appianus, Siculi fasti. Magnum & Diuitem eorum cognomina fuisse satis constat. Cicero lib. II ad Atticum; Quanto in odio noster amicus Magnus? cuius cognomen vna cũ Crassi Diuitis cognomine consenescit. Et in lib. de off. Crassus non tam cognomine Diues, quam copiis. Cn. Pompeij Magni, & M. Licinij Crassi primum consulum, meminit Pædianus in Diuinationem, & Salustius in Catilinam. Crassum opera Pompeij cõsulatum adeptum Plutarchus; eundem prætorium, Pompeium ne quæstorium quidem annos XXXIIII natum, cõsulatum cepisse, Appianus auctor est. Qua de re sic scriptum est in Epitoma XCVII; M. Crassus & Cn. Pompeius consules facti; vt Crassus ex prætura, sic Pompeius antequam quæsturam gereret, ex equite Romano; tribuniciam potestatem restituerunt. Est autem natus Cæpione & Serrano cos. mortuus Iulio & Seruilio; auctor Velleius. Itaque de eo Cicero merito sic loquitur pro lege Manilia; Quid tam singulare, quam vt ex S. C. legibus solutus, consul ante fieret, quam vllum alium magistratum per leges capere licuisset? Idem iurauit se ex consulatu in nullam prouinciam iturum; idque seruauit. Velleius. Prouinciam ab eo repudiatam tradit Zonaras.

De censoribus & Lustro LXVII.

HOC anno censura, quæ per multos annos fuerat intermissa, relata est. Hoc exstat apud Pædianum in diuinationem his verbis; Censorium nomen triste seuerumque populus Ro. sic oderat, vt intermissum esset per plurimos annos; quos nunc orator, propter infamiam corruptorum iudicum, dicit plebem ipsam, quæ ante recusabat, exposcere. Videntur autem intermissi fuisse censores post annum DCLXVII; quo Philippus & Perperna censuram gesserunt. Censores autem his cos. edit Plutarchus Gellium & Lentulum. de quibus sic scriptum video in Epitoma XCVIII; Cn. Lentulus & L. Gellius censores, asperam censuram egerũt, quatuor & sexaginta senatu motis; a quibus lustrum conditum est. censa sunt ciuium capita CCCCL millia. Cn. item Lentulum censorem nominat Cicero in Verrem, in ea oratione quam his cos. dixit. Quin etiam Pædianus adiicit, multitudinem conuenisse hoc anno Romæ, vt censeretur apud censores Gellium & Lentulum, qui tum erant. Plutarchus item, hos censores equitum centurias recognouisse, tum in Pompeio, tum in Apophthegmatis refert: L. Gellium omnibus honoribus ad censuram vsque perfunctum, Valerius lib. V, cap. IX. Horum etiam censorum meminerunt Cicero in Cluentiana, & Pædianus in orationem in toga. a quibus lectum senatus principẽ Q. Catulum Dio ostendit; qui lib. XXXVI, Acilio & Pisone cos. in lege Gabinia dissuadenda Catulum ait fuisse, τὰ πρῶτα τῆς βουλῆς.

De

De regesta a L. Lucullo pro cos. cum Mithridate, & a L. Metello prætore cum piratis.

MITHRIDATE ex Ponto pulso, præfecti eius sese Luculli arbitrio permiserunt. Ponticas vrbes, Amastrim, Heracleam, Sinopen, Amisum, Lucullus in potestatem redegit; Macharem Mithridatis filium, Bospori regem, in amicitiam recepit. Hæc Appianus & Plutarchus. Quæ nisi in hunc annum gesta coniiciamus, profecto quid hoc anno gesserit Lucullus, non inueniemus. neque enim ille nisi sequenti anno in Armenia cum Tigrane congressus est. Est autem verisimile, fugiente ex Ponto rege, diu in regno eius Romanum imperatorem moratum, ad ciuitates in fidem accipiendas, restituendas, & ordinandas; quarum nonnullæ etiam diuturna post fugatum regem obsidione in potestatem venisse feruntur. accedit, quod his rebus in Ponto gestis, in Asiam transgressus, tributa Sullana exegit; ac, quasi bello recte confecto, ludos atque sacrificia fecit. quæ omnia in vnum conferri annum nescio vt facile possint. sed hæc alij iudicarint. Eodem anno L. Metellus prætor (vt est in Epitoma XCVIII) in Sicilia aduersum piratas prospere rem gessit. qua de re sic etiam Orosius; Metellus prætor Siciliæ, cum fœdissima illa C. Verris prætura Siciliam afflictam inuenisset, maxime Pergamenone archipirata nefariis prædis & cædibus dilacerante, qui, pulsa classe Romanorum, Syracusanorum portum obtinuerat, mox eum nauali terrestrique prœlio cõminutum, Sicilia decedere compulit.

DE COS. AN. DCXXCIIII.

INDE consules Q. Metellus, Q. Hortensius: testis cum fastis Siculis Cassiodorus. Pædianus Q. Metellum Creticum cum Q. Hortensio oratore consulem comparat; itemque Iosephus Antiquitatũ libro XIIII. Q. Hortensium L. F. Cicero vocat in Bruto: Q. Metellum L. Metelli Dalmatici filium esse reor. Cum consules prouincias sortirentur, Q. Hortensio Creta, ac bellum cum Cretensibus gerendum obtigit, qui vrbe, ac foro, in quo dominabatur, delectatus, Metello exercitum ac prouinciam cõcessit. auctor Xiphilinus. Hinc Cicero in Verrem; Quid agis Hortensi? consul es designatus, prouinciam sortitus es.

De triumpho M. Pisonis pro cos. ex Hispania.

M. PVPIVM Pisonem, eum qui biennio post Ciceronem consulem consul fuit, Q. Metello Cretico, & Q. Hortensio cos. ex Hispania triumphasse scripsi; Cicerone ipso, & Pædiano diligentissimo eius interprete, auctoribus, ex oratione Pisoniana. Idem Cicero in Flacciana, L. Flaccum M. Pisoni in Hispania quæstorem fuisse scribit. Quod cum ita sit, non est dubium quin hic Piso eam prouinciam in consulatu Crassi & Pompeij ex prætura obtinuerit, ex qua priore anno Metellus & Pompeius victores decessissent.

De regesta a L. Lucullo cum Mithridate.

HIS consulibus, quod ex Epitoma XCVIII colligitur, L. Lucullus in Armenia Mithridatem & Tigranem, & immẽsas vtriusque regis copias, pluribus prœliis fudit. Lucullum refert cum Appiano Plutarchus, in Tigranem regem, a quo Mithridates exceptus fuerat, castra mouisse; ac primum Mithrobarzanem Tigranis præfectum in fugam coniecisse; deinde cum ingentibus Tigranis copiis prid. non. Octobris acie cõflixisse, atque regem prœlio victum fudisse. Adiicit ad hæc in hunc annum Dio lib. XXXV; (neque enim pugnæ ipsius memoria apud eum exstat) Reges, quamquã prœlio victi, bellum repararunt, missis cum ad alios finitimos, tum præsertim ad Arsacem Parthorum regem legatis, quibus eos ad belli societatem aduersus Romanos inuitabant. Lucullus, quia Tigranem fugientem non est insequutus, suspectus fuit ne consulto bellum duceret. Itaque, vt ei finirent imperium, Romæ Asiam prætoribus, Ciliciam consuli decreuerunt. Idem Tigranocertam, vrbem Armeniæ nobilissimam & maximam, cepit; atque magnã partem Armeniæ in dicionem redegit. cum Arsaces ad amicitiam a regibus & a Lucullo vocatus esset, pacta cum Lucullo societate, neutrum tamen auxilio iuuit. Hæc his consulibus gesta Dio tradit.

DE COS. AN. DCXXCV.

INDE conſules L. Metellus, Q. Marcius. auctor Caſſiodorus, & Dio. Horum etiã ita meminit Pædianus in Piſonianam; L. Cæcilio, Q. Marcio cos. S. C. collegia ſublata ſunt quæ aduerſus remp. videbantur eſſe. L. Metellus frater Q. Metelli Cretici, prętor fuit Siciliæ conſule Pompeio; auctore Pædiano. Hunc ſcribit Dio mortuum magiſtratus initio. qui autem in eius locum ſuffectus fuit, eum, antequam iniret, obiiſſe; ac propterea neminem ſubrogari placuiſſe; Q. Marcium ſolum magiſtratum geſſiſſe. quem *Regis* cognomine afficit Saluſtius. Itaque in faſtis Siculis eſt, Rex & Metellus. Regi Cilicia prouincia decreta eſt.

De re geſta a L. Lucullo cum Mithridate.

HOC anno Lucullus iam media æſtate (neque enim ante propter frigoris magnitudinem potuit) motis caſtris, agros hoſtium populatus eſt: vt ea re, ſi poſſet, reges ad pugnam eliceret. quod vbi ſe fruſtra facere ſenſit, hoſtes ipſos adortus, cum iis ſæpe, ſed dubio euentu, conflixit. Inde ad Niſibim vrbem maximam atque opulentiſſimã oppugnandam conuerſus, eam vi atque operibus tandem expugnauit. Interea reges in Armenias ambo ſuas cum exercitu inuaſerunt; ita vt Tigranes L. Fannium, antequam Luculli auxilium veniret, obſederit; Mithridates M. Fabio victo magnam partem eius regionis nec opinato aduentu ſuo receperit. Fabium autem Cabiris, quo cõfugerat, incluſum atque obſeſſum, Triarius Luculli item legatus cõſeruauit: qui cum ex Aſia ad Lucullum pergeret, his rebus cognitis, copiis raptim, quot potuit, comparatis, Mithridatem, vbi in conſpectum eius venit, exterruit; atque vſque ad Commagenos inſequutus, acie deuicit. Hæc in hunc annum geſta refert Dio, Plutarchus, & Appianus.

De bello Cretico.

CRETA Inſula bellum R. hoc tempore paſſa eſt. cauſſam huius belli prætulit populus R. quod Mithridati regi priore bello affuiſſet; vt ait Florus. Primus per hæc tempora contra Cretenſes rem geſſit M. Antonius, M. Antonij triumuiri pater; cum ei C. Cotta conſule maritima ora cuſtodienda decreta eſſet. ſic enim ſcribit in Verrem Pædianus; M. Antonius gratia Cottæ conſulis, & Cethegi factione, in ſenatu curationem infinitam nactus oræ maritimæ, Siciliam & prouincias omnes depopulatus eſt; & ad extremum inferens Cretenſibus bellum, morbo periit. Et in Diuinationem; Quidam Antonius curator tuendæ totius oræ maritimæ, qua Romanum erat imperium, non ſolum ipſe nequam, verum etiam comitibus peſſimis, rem inauditam inuaſit; & indicto Cretenſibus bello, male re geſta, ibidem periit, antequam Pompeius contra piratas miſſus eſſet. Velleius item M. Antonio ante Pompeium pene totius orbis imperium eſſe delatum ſcribit. Quantum autem ex Epitoma XCVII intelligi poteſt, M. Antonius anno ante Pompeium & Craſſum mortuus eſt. in ea enim ſic ſcriptum eſt; M. Antonius prætor bellum aduerſus Cretenſes parum proſpere geſtum morte ſua finiuit. Eundem Florus turpiſſime victum; Plutarchus *Cretici* cognomine (hac, vt opinor, de cauſſa) affectum tradit. Eutropius Creticũ bellum coortum bello Mithridatico reuiuiſcẽte, quod rex recedente Lucullo inſtaurauit, refert; & ad id miſſum Metellum, ingentibus prœliis intra triennium omnem prouinciam ſubegiſſe, & *Creticum* inde appellatum eſſe, & ex inſula triumphaſſe. Rerum ab eo geſtarum hoc anno memoria periit. Hoc tantum eſt in Epitoma XCIX; Q. Metellus pro cos. bello ſibi aduerſus Cretenſes mãdato, Cydoniam vrbem obſedit. Hinc Mithridates in epiſtola quam ad Arſacem priore anno miſit, ait; Cretenſes impugnati ſemel iam, neque finem niſi excidio habituri.

DE COS. AN. DCXXCVI.

INDE C. Piſo, M'. Glabrio conſules apud Caſſiodorum & faſtos Siculos; Manius Acilius, C. Piſo apud Dionem ſubſequuntur. C. Piſonis & M'. Acilij Glabrionis conſulatium meminit Cicero lib. XII ad Att. C. Piſonis conſulis, & *legis Calpurniæ* de ambitu ab eo latæ, Pædianus in Cornelianam, & in toga. Glabrionis pater M'. Acilius legem

gem tulit de pecuniis repetundis ſeueriſſimam, auctore Pædiano. Ipſe prætor fuit Põpeio cõſule; eoque iudicium exercente, Cicero C. Verrem prætorium accuſauit. C. Piſo Galliam Narbonenſem obtinuit, auctore Dione; (vnde a Cicerone in primo epiſtolarum ad Atticum, Pacificator Allobrogum dicitur) M? Glabrio Bithyniam vna cum bello Mithridatico. Dio lib. xxxv, Plutarchus in Pompeio, Cicero pro lege Manilia. vnde Saluſtius libro v Hiſtoriarum dixit, (quod exſtat apud Priſcianum lib. viii) Legiones Valerianæ, cõperto, lege Gabinia Bithyniam & Pontum conſuli datam.

De bello piratico Cn. Pompeij Magni.

Cvm piratarum opes nec M. Antonius pater, nec P. Seruilius, qui ambo de iis triumpharunt; nec deinde M. Antonius filius, qui curator oræ maritimæ periit; nec L. Metellus, qui prætor Siciliæ aduerſus eos proſpere in conſulatu Pompeij pugnauit, frãgere potuiſſent; verum iam omnia maria, oræ maritimæ, inſulæ, portus, latrociniis eorum infeſta eſſent; cum claſſis Ro. niſi hieme tranſmittere tuto poſſet; commeatus intercluſi, prætores ipſi Romani a prædonibus capti fuiſſent; eſſetque id bellum populo Romano nõ ſolum calamitoſum, ſed etiam turpe: tum A. Gabinius trib. pl. his cos. legem ad populum tulit, Roſcio ac Trebellio collegis, ac Q. Catulo ſummo ſenatore aduerſantibus, qua imperium Cn. Pompeio extra ordinem aduerſus piratas cum legatis xv tradidit. ita vt maria, inſulas, oras maritimas, exercitus, claſſes populi Romani quotquot eſſent, in poteſtate haberet. auctor Dio, Plutarchus, Appianus, Epitomæ. Vnde poſt reditum in ſenatu dixit Cicero. A. Gabinius in tribunatu pl. niſi rogationẽ de piratico bello tuliſſet, profecto & egeſtate & improbitate coactus, piraticam ipſe feciſſet. Igitur ad tantum bellum profectus Pompeius, rem per legatos quindecim proſpere geſſit. Cicero pro lege Manilia, hoc bellum extrema hieme apparatum, ineunte vere ſuſceptum, media æſtate confectum ſcribit: Pompeium autem, vt a Brundiſio profectus ſit, vndequinquageſimo die totam ad imperium populi R. Ciliciam adiunxiſſe; omnes qui vbique prædones fuerũt, partim cepiſſe & interfeciſſe, partim in deditionem accepiſſe. In Epitoma xcix ſcriptum eſt, Cn. Pompeium, lege ad populum lata perſequi piratas iuſſum, qui commercium annonæ interclſerant, intra xl diem toto mari eos expuliſſe; belloque cum iis in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis agros, vrbes, dediſſe. Idem eſt apud Plutarchum & Appianum. Dio pleroſque eodemmet anno ſublatos ſcribit; & Pompeium in maritima Ciliciæ ora vrbem Solos a Tigrane rege deletam reſtituiſſe, ac Pompeiopolim appellaſſe. Hoc *bellum maritimum & piraticum* Saluſtius & Cicero nominant.

De re geſta a L. Lucullo pro cos. cum Mithridate, & a Q. Metello cum Cretenſibus.

Hic eſt ſeptimus Lucullani imperij annus. tot enim eũ bellaſſe teſtatur Velleius. De quo anno ſic Dio; Inſequenti anno Mithridates, cum ad Gaziurſa aduerſus Triarium caſtra haberet, neque eum, id quod ante Luculli aduentum cupiebat, ad certamen attrahere poſſet, ſtatuit quoſdam ad Dadaſa oppidum, quò prædam omnem Romani contulerant, oppugnandum mittere; vt ea ratione Triarium ad ſuorum defenſionem properantem prœlio prouocaret. id quod euenit. nam vt ille Dadaſa obſideri audiuit, militum ſuorum pugnam poſcẽtium vocibus victus, cum eo vel inuitus pergeret, in itinere a Mithridate cum omnibus pene copiis eſt deletus. maiorq; accepta clades fuiſſet, ni rex a proditore quodam amico, ſimulato colloquio, vulneratus fuiſſet. Interea vero cum Lucullus aduenifſet, iſq; Mithridatẽ facile opprimere poſſe, ſi in eum perrexiſſet, videretur, ab exercitu ſuo relictus, nihil profecit. fuerunt autẽ legiones, quæ primũ ſub Valerio Flacco, poſt ſub Flauio Fimbria meruerunt; quæ a P. Clodio ſollicitatæ, cum ſtipendia ſua ſe confeciſſe dicerent, imperatorẽ ſequi noluerunt; præſertim vero vbi Acilium Glabrionem conſulem ſucceſſorẽ Lucullo Roma miſſum adeſſe acceperunt. Lucullus, cum militũ ſuorũ ſeditione, tum quod ne a Marcio quidem, qui Ciliciæ præerat, auxilium impetraret, valde anxius, Mithridate relicto, retro ſe in Tigranem conuertit; ratus, ſi eum imparatum ac feſſum ex via adortus

viciſſet, milites aliquanto quieturos. quod ne ei quidē proceſſit: nam exercitus eum quouſque in Cappadociam iter erat, ſequutus, nulla voce miſſa conuerſus reliquit. interea vero Mithridates regnum ſuum recuperauit, ac Cappadociam incurſionibus vexauit, cum neque Lucullus præſente Acilio, neque Acilius opem ferret: qui cum antea Lucullo victoriæ gloriam eripere maturaſſet, tum vero, vt cladem acceptam audiuit, in Bithynia moratus, ad exercitum nō venit. Eadem Appianus & Plutarchus. de quibus ſic Cicero pro lege Manilia; Mithridates cum ſe in regnū recepiſſet ſuum, non fuit eo contentus quod ei præter ſpem acciderat, vt illam, poſteaquam pulſus erat, terram vmquam attingeret; ſed in exercitum Romanum, clarum atque victorē, impetum fecit; & tantam ei cladem attulit, vt eam ad aures L. Luculli non ex prœlio nuntius, ſed ex ſermone rumor afferret. Hic in ipſo illo malo grauiſſimaque belli offenſione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte iis incommodis mederi fortaſſe potuiſſet, populi R. iuſſu coactus, quod imperij diuturnitati modum ſtatuendum veteri exemplo putauerunt, partem militum, qui iam confectis ſtipendiis erant, dimiſit, partem Glabrioni tradidit. Eodem anno bellum Creticum a Q. Metello profligatū ſcribit Dio. Res autem tota vt geſta ſit, apud eum intercidit. apud Florum autem ita ſcriptum eſt; Metellus totam inſulam igni ferroque vaſtauit; Cnoſſum, Eleutheram, & Cydoniam cepit. adeoque ſæue in captiuos conſulebatur, vt veneno ſe pleriq; conficerent, alij deditionem ſuam ad Pompeium abſentem mitterent. & cum ille res in Aſia gerens, eo quoque præfectum miſiſſet Octauium, in illa prouincia irriſus fuit: eoque infeſtius Metellus in hoſtes ius victoris exercuit; victiſque Laſthene & Panare Cydoniæ ducibus; victor rediit; nec quidquam amplius tamen de tam famoſa victoria, quam *Cretici* cognomen reportauit. Plutarchus Cretam, poſt Ciliciam, alterā ſcribit fuiſſe prædonum arcem; eaque de re Pompeium piratas multos in Cretam eſſe perſequutum; & L. Octauium, legatum eo miſſum, a Metello ita irriſum, vt eo etiam præſente, vrbes quarum deditionem poſcebat, per vim ceperit. Xiphilinus, Creticum bellum ſibi Pompeium depopoſciſſe, quod lege Gabinia omnes inſulæ ſub ſuo imperio eſſent, ſcribit. Apud Dionem autem hæc ſunt; Metellus Cretam excindere ante aduētum Pompeij feſtinauit. Octauius enim ſine exercitu miſſus, nihil agebat; quippe qui non ad bellum gerendum, ſed ad ciuitates in deditionem accipiēdas eſſet miſſus. Cornelius etiam Siſenna legatus Græciæ præfectus, in Cretam venit, ac fruſtra Metellum, vt ab oppidis abſtineret, admonuit. Nam Metellus Eleutheram per proditionem; Lappam, quæ ab Octauio tenebatur, per vim cepit; ac Cilicas, qui cum Octauio erant, cecidit. quibus vt opem ferret Octauius, Siſennæ, qui iam mortuus erat, exercitu vſus eſt. deinde Hierapydna cepit; atque totam inſulam ſub imperium ſuū ſubiunxit; quæ antea libera fuerat. Panarem autem & Laſthenem captos in triumpho ducere nequiuit, quod Pompeius eos Metello per tribunum pl. quendam abſtulerit; quippe qui ſe ſuo, non Metelli arbitrio tradidiſſent. In Epitoma etiam XCIX ita eſt; Q. Metellus pro coſ. Gnoſon, & Lyctum, & Cydoniam, & alias plurimas ciuitates expugnauit. Præterea res geſtas a Q. Metello aduerſus Cretenſes, & epiſtolas Metelli & Cn. Pompeij inuicem miſſas continet. queritur Metellus gloriam rerum a ſe geſtarum, a Pompeio ſublatam præteriri, qui in Cretam miſerit legatum ſuum ad accipiendas vrbium deditiones: Pompeius rationem reddit hoc ſe facere debuiſſe. Et ſub conſulatum Lepidi ac Tulli hæc; Q. Metellus perdomitis Cretenſibus, liberæ in id tempus inſulæ leges dedit. Significat autem ſequenti anno legatos X ad conſtituendam prouinciam eſſe miſſos. Vnde Velleius ait; Creta Metelli ductu lōgiſſimæ libertatis fine multata eſt. Et Rufus; Creta per Metellum conſulem prouincia facta eſt. Et Iuſtin. lib. XL; Creta & Cilicia bello piratico perdomitæ, in prouinciæ formā redactæ.

DE COS. AN. DCXXCVII.

CONSVLES ſuggerit in hunc annum Caſſiodorus Man. Lepidum: (collega autē deſideratur, qui vnus eſt in faſtis Siculis Volcatius Tullus) Dio L. Tullum, Æmilium Lepidum: Saluſtius in Catilina, L. Tullum, M'. Lepidum: Pædianus in Cornelianam, M'. Lepidum, L. Volcatium: liber Cuſpinianus LEPIDVM & TVLLVM. item Cicero in Catilina: at pro Sylla, L. Volcatium, & Tullum. Idem Lepidum & Volcatium

tium consulares nominat lib.XII ad Atticum, pro Plancio autem, L. Volcatium offensiuncula accepta in ædilitate, consulem factum scribit. His comitiis C. Piso cos. M. Palicanum suffragiis populi consulem creatum renuntiare noluit: quum diceret, non existimare se tantis tenebris offusam esse remp. vt huc indignitatis veniretur. auctor Valerius lib.III, cap.VIII.

De coniuratione Cn. Pisonis.

L. TVLLO, M. Lepido cos. P. Autronius Pætus, & P. Cornelius Sulla designati cos. legibus ambitus interrogati, pœnas dederãt. paulo post, L. Sergius Catilina, pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere cõsulatum, quod intra legitimos dies profiteri nequiuisset. Erat eodem tempore Cn. Piso adolescens nobilis, summæ audaciæ, egens, factiosus. cum hoc Catilina & Autronius circiter nonas Decemb. consilio cõmunicato, parabant in Capitolio K. Ian. L. Torquatum & L. Cottam consules interficere; ipsi fascibus correptis, Pisonem cum exercitu ad obtinẽdas duas Hispanias mittere. ea re patefacta, rursus in nonas Februar. consilium cædis transtulerunt. Iam tum non consulibus modo, sed plerisque senatoribus perniciem machinabãtur. quod ni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die res confecta fuisset. quia nondum frequentes armati conuenerant, ea res consilium diremit. postea Piso in citeriorem Hispaniam quæstor pro prætore missus est, adnitẽte Crasso, qui in prouinciam ab equitibus Hispanis quos in exercitu ductabat, iter faciẽs, occisus est. Hæc Salustius in Catilinam, Epitoma CI, Suetonius in Cæsare, Dio lib. XXXVI, Cicero pro Sylla. Pisonem autem Figulo & Cæsare cos. in Hispania fuisse ait Salustius: eodem anno mortuum, Pædianus in orat. in toga. De hoc Pisone exstat tale monumentum Romæ in hortis (vt audio) Cardinalis Carpensis in alta semita:

CN. CALPVRNIVS
CN. F. PISO
QVAESTOR PRO PR. EX S. C.
PROVINCIAM HISPANIAM
CITERIOREM OBTINVIT.

De bello Mithridatico Cn. Pompeij.

IISDEM consulibus C. Manilius trib. pl. iratus optimatibus, quod legem quam de libertinorum suffragiis pridie K. Ian. tulerat, ipsi K. Ian. Tullo & Lepido consulibus ineuntibus abrogassent, Pompeio absenti se adiunxit; ac colligẽdæ eius gratiæ caussa legem promulgauit, vt Cn. Pompeio (is in Cilicia adhuc erat ad belli maritimi reliquias persequendas) Bithynia, Phrygia, Lycaonia, Galatia, Cappadocia, Cilicia, Colchis, Armenia minor, præterea omnis ad bellum piraticũ apparatus, omnes quæ sub Lucullo meruerant copiæ, & bellum contra Mithridatem & Tigranem reges committerentur. Hanc item legem ab optimatibus oppugnatam, vel quod Pompeium ad Luculli triumphum proficisci, vel quod vni nimium imperium periculose mandari, vel quod Q. Marcium e Cilicia, M. Acilium e Bithynia ante tempus iniuste reuocari censerent; populus tamen (etsi iam legatos ad prouinciam cõstituendam ex Luculli litteris, quasi debellatum esset, paulo ante miserat) magno consensu accepit, annitẽte maxime Cæsare, & Cicerone prætore. Cæsare, vt populum ad extraordinaria sibi quoque mandanda imperia post promptiorem haberet; Cicerone, vt intelligerent omnes, maximum se momentum ei parti cui se adiunxisset, afferre. Nam qui antea optimates tueri solitus erat, is nunc ad plebem se contulerat. exstat eius qua hanc legẽ suasit, oratio. Hæc Plutarchus in Pompeio, Dio lib. XXXVI: Cicero pro lege Manilia, Pædianus in Cornelianam, Appianus in Mithridatica. Cn. igitur Pompeius, accepto ad bellum imperio, societate cum Phraate Parthorum rege iuncta, vbi per legatos ad pacem petendam Mithridatem adducere se non posse sensit, magno apparatu in eum mouit. Huic in Galatia Lucullus occurrens, vt recederet, quod bellum confectum esse, atque legatos constituendæ prouinciæ caussa iamdiu exspectari diceret, nõ persuasit. Itaque Pompeius, cum, ne quis Lucullo pareret, edixisset, Mithridatem primum in Armeniam minorem, in quam ille impetum fecerat; atque inde prœlio

equestri victum, in Armeniam Tigranis persequutus, eum nocturna pugna fractum coegit iterum ad Tigranem confugere. a Tigrane autem nõ receptus, quod eum auctorem belli fuisse obiiceret, quod ipse cum filio suo gereret, in Bosporum reuersus, filium Macharem Bospori regem populi R. socium, dolo interfecit. Tigranis filius, ad regem Parthorum trãsfugiens, primum vna cum Phraate bello patri illato, vsque ad Arraxata venit. deinde recedente Phraate a Tigrane patre victus, ad Pompeium se cõtulit. Quo tetrore compulsus Tigranes, vbi pacem, quam cupiebat, a Pompeio impetrare non potuit, atque ipsum aduentantem cum exercitu audiuit, eius potestati & vrbem Artaxata, & semet tradidit. Pompeius Tigrani summum honorem habuit, atque Armeniam & thesauros restituit: Cappadociæ & Syriæ partem, Phœnicen & Sophenen ademit, & pecuniam ingentem imperauit; filium eius, qui iis quæ ipse statuerat, non stabat, in vinculis habitum Romam misit. Cum autem tripartito exercitu, cui ipse, Metellus Celer, & L. Valerius Flaccus præerant, hibernaret, Orœses Albanorũ rex, vt a Tigrane filio gratiam iniret, hiberna eius aggressus, a Celere & Flacco repulsus, a Pompeio fugatus, cum magna suorum clade victus est. quibuscum Pompeius tamen, quod hiems ingrauescebat, petentibus fœdus fecit. Hæc Dio, Appianus, Plutarchus. Itaque in Epitoma c, sic est; Cn. Pompeius ad gerendum bellum aduersus Mithridatem profectus, cum rege Parthorum Phraate amicitiam renouauit, equestri prœlio Mithridatem vicit. præterea bellum inter Phraatem regem Parthorum, & Tigranem Armeniorum; ac deinde inter filium Tigranem patremque gestum cõtinet. Cn. Pompeius Mithridatem nocturno prœlio victum coegit Bosporon profugere: Tigranem in deditionem accepit, eique, ademptis Syria, Phœnice, & Cilicia, regnum Armeniæ restituit. Vnde in Sextiana inquit Cicero; Tigranem Cn. Pompeius cum in suis castris supplicem abiectumque vidisset, erexit; atque insigne regium, quod ille de suo capite abiecerat, reposuit; & imperatis certis rebus regnare iussit.

DE COS. AN. DCXXCVIII.

IN hunc annum cum designati consules P. Autronius Pætus, P. Cornelius Sulla, legibus ambitus interrogati, pœnas dedissent, in eorum locum facti sunt L. Aurelius Cotta, & L. Manlius Torquatus; auctore Salustio, Dione, & Pædiano; qui ita in Cornelianam ait; P. Sylla & P. Autronius cos. designati cum essent, eorum alterum L. Cotta, alterum L. Torquatus ambitus damnarunt, & in eorum locũ consules creati sunt. Vnde etiam Cicero II de finib. L. Torquatus, adolescentulus eripuit P. Syllæ consulatum, eumque ad patrem suum rettulit. Damnatos lege Calpurnia, de ambitu a C. Pisone cos. paulo ante lata, scribit idem cum Pædiano in or. in toga. Idẽ est apud Suetonium in Cæsare. Priores cos. vocat Dio P. Pætum, & Corneliũ Syllam: Salustius & Suetonius P. Syllam & P. Autronium: (sic enim scribendum, non *Antronium*, ex lapid. Capit. apud quos an. DCCXXIIII est, L. AVTRONIVS P.F.) liber Cuspinianus SVLLAM & PAETVM. P. autem Sylla, Ser. F. dicitur a Salustio; a Dione vero, filius fratris L. Syllæ dictatoris. Posteriores cos. L. Cottam, & L. Torquatum vocat Nepos in vita Attici, Cicero contra Rullum: Torquatum & Cottam, in Catilinam, & de diuin. itemque fasti Siculi: Index lib. XXXVII Dionis, L. Aurelium M. F. Cottam, L. Manlium L. F. Hic L. Manlius Torquatus Macedoniam prouinciam sortitus est. quod indicat Cicero, cum inquit in Pisonem, L. Torquatum, magnis rebus gestis, se cos. referente, imperatorem appellatum esse. L. Cotta, Pompeio & Crasso cos. prætor iudicia ad equites transtulit. Pædianus, Epitomæ. C. Papius tribunus pl. lege lata peregrinos vrbe expulit. Dio lib. XXXVIII. *Legis Papiæ* meminit quoque Cic. in III de off.

De censoribus abdicatis.

CVM quinquennalis lustri ratio, tum Dionis historia docet, in hunc annum censores creatos fuisse. sic enim loquitur; Censores cum de danda iis qui trans Padum sunt ciuitate inter se contenderent, non solum nihil aliud egerunt, sed magistratu etiam abdicarunt. Hos autem fuisse M. Crassum, & Q. Catulum, consulares viros tradit Plutarchus in Crasso, cum ait; Crassus censuram otiosam gessit. neq; enim senarũ

legit,

legit, neque equites inſpexit, nec cenſum ciuium egit; verum cum a collega Lutatio Catulo de Ægypto Romanis tributaria facienda diſſentiret, ambo ſponte magiſtratu abierunt. Idem in Politicis, & in Catone minore, & in libro De vitioſa verecundia, Catuli cenſoris meminit; eumque cenſorem Catone quæſtore, Pompeio in Aſia bellum gerente fuiſſe ſcribit.

De re geſta cum Mithridate a Cn. Pompeio pro cos.

HIS cos. Cn. Pompeius Artocem Iberiæ regem, cum eum ſenſiſſet in ſe moliri bellum, adortus, magno prœlio victum, obſidibus acceptis, cum pace dimiſit: Albanos iterum occurrentes repulit: Phraatem, cuius fines Gabinius vltra Euphratem vſq; ad Tigridem populatus erat, amicitiam renouare cupientem aſpernatus, agros Gordueues, de quibus ipſe cum Tigrane diſceptabat, per Afranium occupatos, Tigrani regi attribuit. Hæc in hunc annum geſta refert Dio. de quibus ita eſt in Epitoma CI; Cn. Pompeius cum Mithridatē perſequeretur, in vltimas ignotaſq; gētes penetrauit; Iberos, Albanoſque, qui tranſitum non dabant, prœlio vicit. Appianus, & Plutarchus itē.

DE COS. AN. DCXXCIX.

CONSVLES inſequens annus habuit auctore Caſſiodoro, & Pædiano, & Siculis faſtis, L. Cæſarem, & C. Figulum. quos Dio vocat L. Cæſarem, C. Marcium C. F. Figulum. Cicero pro Sulla, L. Iulium, C. Figulum; itemque Saluſtius in Catilina. L. Cæſar, L. Cæſaris filius fuit, eius qui conſulatum geſſit bello Marſico. Itaque Cicero in Catilinam auum huius M. Fuluium Flaccum appellat. pater enim huius Fuluiā Flacci filiam in matrimonio habuit. Hæc hoc de conſulatu cum ſcriberem, forte interuenit GEMINIANVS PATINVS Mutinenſis, præſtans ingenio atq; doctrina iuuenis, qui data occaſione ſæpe ſe miratum eſſe dixit, quod alterum horum cōſulum Marcium quidam *Thermi* cognomine afficerent; cum tamen Thermus nō Marciorum eſſet cognomen, ſed Minuciorum; *Figulus* autem etiam in hoc conſule cognomen celebraretur. nam in prima epiſtola ad Atticum, ſic Ciceronem ſcriptum reliquiſſe; L. Iulio Cæſare, C. Marcio Figulo cos. filiolo me auctum eſſe ſcito. atque a me quid hac de re ſentirem, requiſiuit. quid autem ei tum reſponderim, putaui mihi hoc eodem in loco aſcribendum eſſe; vt qua re illi, eadem ceteris etiam antiquitatis Romanæ ſtudioſis gratum faciam. Reſpondi ergo me putare, nō imperite eos feciſſe qui Thermum alterum cognomen huic Marcio adieciſſent. eundem enim eſſe Thermū cum Figulo. Itaque Ciceronem eadem epiſtola, cum competitores Cæſaris nominaret, Thermum, non Figulum nominaſſe. ſic enim ille ait; De iis qui nunc petunt, Cæſar certus putatur; Thermus cum Silano contendere exiſtimatur. noſtris rationibus maxime conducere videtur, Thermum fieri cum Cæſare. nemo eſt enim ex iis qui nunc petunt, qui ſi in noſtrū annum reciderit, firmior candidatus fore videatur; propterea quod curator eſt viæ Flaminiæ. In extrema autem epiſtola ſignificat, ſe L. Iulio Cæſare, C. Marcio Figulo cos. auctum filiolo, cum tamen Figuli petentis ante ne meminerit quidem. hoc autem me tanto vehementius credere, quod in libro vetere, quem identidem citat auctorem Cuſpinianus, extrema vtriuſque horum conſulum cognomina ſunt, CAESAR & THERMVS. quod alias etiam facit, vt, cum duo aut plura cognomina vnius fuerint, ille extremum tantum adhibeat. fortaſſe autem hunc e Thermorum familia in Figulorū per adoptionem tranſiſſe; atq; ita vtrumq; cognomen tuliſſe.

De cenſoribus.

Et in hunc annum cenſores creatos Dio oſtendit, cum ait, ne cenſores quidē qui ſubſequuti ſunt, quidquam inſequenti anno egiſſe; quod tribuni pl. interceſſerint ne ſenatum legerent, ne ipſi forte præterirentur. eſt autem conſentaneum, ſi priores cenſores abdicarunt, hoc anno alteros, qui luſtrum facerent, fuiſſe creatos. Hos autem fuiſſe arbitror L. Aurelium Cottam, priore anno conſulem; & P. Seruilium Iſauricū. De Cotta teſtis eſt Plutarchus, qui Cottam petente conſulatum Cicerone cenſuram geſſiſſe ſcribit. Cicero autem petiit hoc anno. Eundem etiam L. Cottam cenſorium vocat Cicero in orat. pro domo. De Seruilio auctor eſt Valerius; qui libro VIII

scribit; P. Valerium consularem, censorium, triumphalem, maiorum suorum titulis *Isaurici* cognomen adiecisse. Quoniam autem illum ante hunc annum censuram nō gessisse constat, propterea collegam L. Cottæ fuisse arbitratus sum. Neque vero ab his lustrum conditum puto, cum triennio post alij censores id condiderint, vt tum ostendam; neque censum actum, quod Cicero, cum pro Archia post consulatum diceret, proximos censores, qui censum egerint, Gellium & Lentulum intelligit, tum cum Archias cum imperatore L. Lucullo apud exercitum erat.

De re gesta a Cn. Pompeio cum Mithridate.

PHRAATES rex Parthorum, iratus Pompeio, quod cum ad se scriberet, non regem regum, vt mos erat, appellasset, transitu Euphratis impedito, ineunte vere in Tigranem regem vna cum Tigranis filio genero suo motis castris, primo prœlio victus, altero melius pugnauit. Itaque cum Tigranes Pompeium ex Syria aduocaret, neque ille venire maturaret, eum ac Romanos per legatos insolentius accusauit. Pompeius, maledictis eius contemptis, nec Tigranem auxilio iuuit, nec Phraatem bello persequutus est; quod bellum illud sibi mandatum esse negaret, ac Mithridates adhuc in armis esset. Hac de caussa Tigranes elusus, operam dedit vt cum Phraate in gratiam rediret. Dio, Appianus, Plutarchus.

DE COS. AN. DCXC.

CONSVLES in hunc annum inierunt M. Cicero, C. Antonius. auctor cum Siculis Cassiodorus, Plinius lib. VIII, Salustius in Catilina, Suetonius in Augusto, Plutarchus in Cicerone, Velleius lib. II, Iosephus antiquitatum lib. XIIII. Dio M. Tullium M. F. Ciceronem, C. Antonium M. F. edit. Ciceronis patrem auumque prænomine Marci vsos fuisse, apparet ex lib. V. epistolarum, lib. II de Oratore, lib. III de legibus. C. Antonium M. Antonij oratoris filium tradit Pædianus in orationem in toga; quo in loco enumerat Ciceronis competitores; duos patricios, P. Sulpicium Galbam. L. Sergium Catilinam; quatuor plebeios; ex quibus duos nobiles, C. Antonium, L. Cassium Longinum; duos qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium, & C. Licinium Sacerdotem; solum Ciceronem equestri loco natum. Omnes magistratus se suo anno adeptum Cicero gloriatus est. Eidem Macedonia obtigit, Antonio Gallia. Macedoniā deinde Antonio collegæ concessit Cicero, neq; in prouinciam profectus est ex consulatu. Gallia Q. Metello Celeri prætori mandata est; auctor ipse Cicero, Dio, & Plutarchus. Ambo Tullo & Lepido prætores fuerant: Pædianus. Hoc anno tribuni pl. C. Antonio consule non repugnante, leges aliquot perniciosas ad perturbandum reip. statum, promulgarunt; Vt agri victoria Pompeij parti, a Xuiris, quos pars populi creasset, venderentur, atque ea pecunia agri emerentur quo plebs Romana deduceretur; Vt Campanus ager populo diuideretur; Vt proscriptorum filij, quos Sulla dictator honorum petitione priuarat, ad magistratus vocarentur; Vt P. Autronius & P. Sulla, damnati ambitus; in senatū legi, ac magistratus capere possent. C. etiam Rabirius a T. Labieno trib. pl. ad populum postulatus est, quod XXXVI ante annum in seditione L. Saturninum interfecisset. Quæ leges ne ferrentur, consilio atque eloquentia Ciceronis consulis (auctore Dione) perfectum est, vt merito Cicero ipse ita in Pisonem glorietur; Ego K. Ian. senatum & bonos omnes, legis agrariæ maximarumque largitionum metu liberaui. ego agrum Campanum, si diuidi non oportuit, conseruaui; si oportuit, melioribus auctoribus reseruaui. ego in C. Rabirio, perduellionis reo, XL annis ante me consulem interpositam senatus auctoritatem sustinui contra inuidiam, atque defendi. ego adolescentes bonos & fortes, sed vsos ea conditione fortunæ, vt si essent magistratus adepti, reip. statum conuulsuri viderentur, meis inimicitiis, nulla senatus mala gratia, comitiorum ratione priuaui.

De re gesta a Cn. Pompeio cum Mithridate.

HIS cos. Mithridates transitum in Italiam moliens, filios aliquot ac propinquos suspectæ fidei, in Bosporo interfecit. Quo terrore compulsus Pharnaces filius eius, cum

cnm se a Romanis regnum consequuturum speraret, patri insidias fecit. quibus patefactis damnatus, ope eorum quos pater ad se comprehendendum miserat, signa in eum intulit; ac regia occupata, vt sibi veneno mortem conscisceret, coegit; ac se Pompeij potestati permisit. Pompeius Aretam Arabum regem, qui Syriam populatus erat, prœlio victum in deditionem accepit, post in Palæstinam profectus, Hyrcanum & Aristobulum Iudæos fratres inter se de regno contendentes adortus, illum primo congressu, hunc acie maiore mole superauit; vrbem eorum Hierosolyma cepit atque Hyrcano rege constituto in Pontum reuersus, vrbibus in fidem acceptis, in Asiam traiecit. Ita Dio, Plutarchus, Appianus, Iosephus, alij. In Epitoma autem c i, ita; Præterea fugam Mithridatis per Colchos Heniochosque, & res ab eo in Bosporo gestas continet. Cn. Pompeius in prouinciæ formam Pontum redegit. Pharnaces filius Mithridatis, bellũ patri intulit. ab eo Mithridates obsessus in regia, cum veneno sumpto parum profecisset ad mortem, a milite Gallo nomine *Bitoeto, a quo vt se adiuuaret, petierat, interfectus est. Cn. Pompeius Iudæos subegit; fanum eorum [in] Hierosolyma inuiolatum ante id tempus cepit. Hoc bello Bithyniam, Cappadociam, & Ciliciæ partem eam quæ nondum imperio Romano subiecta erat; & Syriæ Phœnicen, ac Cœlen, & Palæstinam vsque ad Euphratem; & Paphlagoniam, Galatiam, Phrygiã, & finitimam Mysiam; item Lydiam, Cariam, Ioniam, & Asiam quæ ad Pergamũ est, atque ipsam Græciam, partim recuperatas esse, partim nunc primum in potestatem venisse Romanorum, tradit Appianus; Tigrani porro Armeniam maiorem esse permissam, Pharnaci Mithridatis filio Bosporum, Ariobarzani Cappadociam, Antiocho Commageno Seleuciam, Deiotaro atque aliis tetrarchis cum Armenia minore Galatiam, Attalo & Pylæmeni Paphlagoniam, Aristarcho Colchidem, Palæstinam Hyrcano. Præterea vero, cum Cicero in oratione de prouinciis dicat, Asiam, quæ antea Romanum imperium terminabat, tribus nouis prouinciis Pompeij victoria cinctam; Pontum intelligere videtur; quem ille cum Bithynia iunctum, vnam prouinciam auctore Strabone fecit, quæ etiam Bithyniæ nomine appellata est; & Syriam, quam cũ Palæstina in prouinciam redactam, rectori delata iurisdictione, refert Marcellinus lib. x i i i. cui tamen de Palæstina non assentior; quam Hyrcano permissam omnes historiæ loquuntur. Cicero eadem in oratione, se consule referente ait, primum x i i dierum supplicationem Cn. Pompeio decretam confectis bellis omnibus maritimis terrestribusque. qua de caussa hoc etiam anno *salutis augurium* factum tradit Dio; quod nisi pacato toto imperio fieri soleret.

De coniuratione Catilinæ.

Extremo fere hoc anno coniuratio Catilinæ patefacta, atque consilio Ciceronis consulis oppressa est. L. Sergius Catilina, vir patricius, qui triennio ante etiam cũ Cn. Pisone coniurauerat, cum priore & hoc anno repulsam consulatus tulisset, cum P. Lentulo & C. Cethego prætoribus, atque aliis multis, de cæde consulũ & senatus, incendiis vrbis, & opprimenda rep. coniurauit, exercitu quoque ad id per C. Manliũ in Etruria ad Fæsulas comparato. Re per indices patefacta, S. C. fit, vt consules videat ne quid detrimenti resp. capiat. Præsidiis in vrbe dispositis, Q. Marcius rex Fæsulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca mittuntur; prætores Q. Pompeius Rufus, Capuam, Q. Metellus Celer in agrum Picenum: iisq; permissum vt pro periculo exercitum compararent. Cum Catilina sui purgandi caussa, sicuti iurgio lacessitus foret, in senatum venisset, Ciceronis consulis oratione, & senatorum maledictis exagitatus, domum se ex curia proripuit; inde nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. Lentulus, Cethegus, ac ceteri qui ex præcepto Catilinæ in vrbe remanserant, capti, atq; indiciis plurimis conuicti, S. C. supremo supplicio afficiuntur. Ciceroni, cuius præcipue industria salus reip. parta est, magna a bonis ciuibus laus ac gloria tributa est. Hæc Salustius, Dio, Appianus, Plutarchus latissime.

De triumpho L. Luculli pro cos. de Mithridate.

L. Lvcvllvs, magnis rebus in Ponto & in Armenia aduersus reges Mithridatem & Tigranem gestis, exercitum M. Acilio Glabrioni consuli successori, aut certe

ſequenti anno(vt diximus)Pompeio ſibi in Galatia occurrenti tradidit: conſtitutaque per decem legatos prouincia(inter quos M.Lucullum fratrem,& L.Murenam fuiſſe, Cicero lib.x I I I epiſtolarum ad Atticum ſcriptum reliquit)Romam deceſſit, neque niſi hoc demum anno triumphauit. Hoc ſignificat Cicero in Lucullo, cum ſcribit de eo; Quinetiam, cum victor a Mithridatico bello reuertiſſet, inimicorum calumnia, triennio tardius quam debuerat, triumphauit. nos enim conſules introduximus pene in vrbem currum clariſſimi viri. Hic autem fuit C. Memmius; quem refert Plutarchus populum R. contra Lucullum incitaſſe, ita vt vix ei triumphũ permiſerit. Triumphaſſe etiam eundem Cicerone conſule, patet ex oratione pro Muræna; in qua Cicero ait, L. Luculli exercitum, qui ad triumphum conuenerat, L. Murenæ conſulatum petenti præſto affuiſſe. Eiuſdẽ triumphi meminerũt Eutropius, Athenæus lib.v I, & latiſſime omnium Plutarchus, qui ei milites a Pompeio dumtaxat mille & ſexcentos ad triumphum relictos ſcribit. Plinius etiam lib.x x v I I I, cap. v, hunc ſenem triumphalem appellat. & cum libro x x x I I I I, Apollinem a M.Lucullo ex Apollonia Ponti vrbe x x x cubitorum, C L talentis factum, eſſe translatum ait; L. Lucullum qui in Ponto, non Marcum, qui in Macedonia rem geſſit, reponendum opinor.

DE COS. AN. DCXCI.

CONSVLES ſubſequuti ſunt D.Silanus, L.Murena, auctore cum Siculis Caſſiodoro & Saluſtio. Dio D.Iunium M.F.Silanum, L.Licinium L.F.Murenam edit: Eutropius D.Iunium Silanum, & L.Licinium, D.Iunium M.Silani filium eſſe reor, eius qui conſul fuit bello Cimbrico. L.Murena L.Murenæ filius eſt, eius qui de Mithridate pro pr. triumphauit; vt ait Cicero pro ipſo Murena ambitus reo. His comitiis repulſam iterum tulit L.Sergius Catilina, cuius dolore ad cõiurationem exarſit; & Ser. Sulpicius Rufus iuriſconſultus, qui poſt Murenam ambitus accuſauit. L. Murena & Ser. Sulpicius, anno ſuo prætores vna fuerunt, id eſt, Cotta & Torquato cos. Murena, ius dixit; Sulpicius, de peculatu cognouit: Murena, ex prætura in Galliam profectus eſt; Sulpicius, vrbe delectatus eſt: Cicero pro Murena. Hoc anno C. Pontinius, qui, cos. Cicerone(Saluſtio auctore)prætor fuit, ex prætura Galliam Narbonenſem ſortitus eſt; vt poſt in eius triumpho dicemus. P.Clodius domi Cæſaris pont.max. cum veſte muliebri deprehenſus, cum ſacra Bonæ deæ a mulieribus fierent, ad quæ marẽ penetrare nefas erat. Dio, & Cicero lib.I ad Att.

De L.Catilina victo a C.Antonio pro conſule; & rebus ab eodem geſtis in Macedonia.

L.CATILINA, auditis quæ Romæ geſta erant, exercitum parauit. Contra quem cum C. Antonius Roma miſſus eſſet, Catilina per montes aſperos magnis itineribus in agrum Piſtorienſem cõtendit, eo conſilio, vti per tramites profugeret in Galliam transalpinam. Quo cognito, Q.Metellus Celer, qui cum tribus legionibus in agro Piceno præſidebat, caſtris motis, ſub ipſis radicibus mõtium conſedit. neque Antonius longius aberat. Catilina, vbi vidit ſe montibus & copiis hoſtium clauſum, neque preſidij ſpem vllam eſſe, cum Antonio quamprimum cõflixit. Antonius, quod pedibus æger erat, M. Petreio legato exercitum permiſit. Catilina in ipſa pugna fortiſſime dimicans cecidit: C. Antonius abſterſos gladios in caſtra rettulit, & Imperator appellatus eſt. Romæ ſupplicatio decreta. Dio, Saluſtius, Plutarchus, Valerius capite de iure triumphandi, Cicero pro Sextio. Ceterum cum L.Torquato in Macedonia ex cõſulatu C. Antonius ſucceſſiſſet, victo Catilina in prouinciam profectus, male rem geſſit. Hoc indicat Obſequens cum ait; C. Antonius cum in agro Piſtorienſi Catilinam deuiciſſet, laureatos faſces in prouinciam tulit. ibi a Dardanis oppreſſus, amiſſo exercitu profugit. apparuit eum hoſtibus portendiſſe victoriam; cum ad eos laurum victricem tulerit, quam in Capitolio, debuerat deponere. Eundem ſcribit Dio in conſulatu Cæſaris, cum Dardanos ac finitimos eorum populatus eſſet, eorum in ſe impetu non exſpectato, fugam cepiſſe. ab aliis etiam cum equitatu fugatum, peditatum ipſum hoſtibus concidendum reliquiſſe. Hunc autem per triennium prouinciam

obtinuisse arbitror. Nam quamquam Cicero ad Att. lib. primo scribit, K. Ian. Pisone & Messalla cos. prodromos Pompeianos nuntiare, Pompeium aperte acturum vt Antonio succedatur: idem tamen Antonium se defendisse, scribit ad P. Sextium, Antonij tum quæstorem. Antonium (inquit) in senatu grauissime ac diligentissime defendi; senatumque vehemēter oratione mea atque auctoritate commoui. Accedit, quod Cæsare & Bibulo cos. C. Octauium Augusti patrem Macedoniæ prætorem inuenio apud Ciceronem in epistolis ad Q. fratrem (quem etiam ex prætura Macedoniam sortitum esse, atque Bessis ac Thracibus magno prœlio fusis optime socios tractasse, narrat in Augusto Suetonius) Gabinio autem & Pisone, L. Appuleium inuenio, cuius quæstor Cn. Plancius Ciceronem exsulantem complexus est. Cicero pro Plancio. Lētulo & Metello, L. Pisonem ex consulatu eam obtinuisse satis constat. Postremo, quia Dio Ciceronem scribit Antonium ex prouincia reuersum, Cęsare & Bibulo defendisse, a M. Cœlio accusatum quod socius coniurationis Catilinæ fuisset, damnatumque quod praue rem in Macedonia administrasset. Itaque Cicero pro Cœlio ait; M. Cœlius accusauit C. Antonium collegam meum; cui misero præclari in remp. beneficij memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficij cogitati. Atque hac etiam de caussa in Epitoma CIII, sub consulatum Cæsaris hæc verba sunt; C. Antonius pro cos. in Thracia parum prospere rem gessit: cum tamen Cæsare cos. non ipse in Macedonia, sed C. Octauius fuerit.

De Q. Marcio pro cos. Ciliciæ & rebus eius.

Q. MARCIVM ex consule in Ciliciam missum, refert Dio Menemachum quendam Mithridatis transfugam recepisse; & P. Clodium, qui L. Lucullum reliquerat, classi præfecisse; Lucullo, ab exercitu suo deserto, opem imploranti denegasse. reliquas res eius gestas vetustatisne iniuria, an hominum incuria apud Dionem aboleuit? Hic per annum prouinciæ præfuit, quia Tullo & Lepido cos Cilicia mandata Pompeio est. Ibi vero res eum magnas gessisse credibile est, quod scribit Salustius in Catilina; Q. Marcium regem ad vrbem fuisse cum exercitu Cicerone consule, inimicorū inuidia impeditum ne triumpharet. An vero triūpharit, parum certum est. mortuus est enim hoc tempore. vnde Cicero in epistola ad Att. M. Pisone, M. Messalla scripta, ait P. Clodium hereditatem Regis deuorasse. Habebat autem sororem Clodij Rex in matrimonio; L. Lucullus alteram, Q. Metellus Celer tertiam; auctor Plutarchus. Eiusdem Regis meminit Salustius Historiarum lib. v, ex Prisciani lib. XVIII; his verbis; At Lucilius, audito, Marcium Regem pro consule per Lycaoniam cum tribus legionibus in Ciliciam tendere.

De triumpho Q. Metelli Cretici pro cos. ex Creta.

DE rebus a Q. Metello pro cos in Creta gestis, satis ante dictum est. Ne hic quidē anno suo triumphauit. Nam & hic consule Cicerone ad vrbem cum exercitu fuisse traditur, impeditus paucorum inuidia ne triumpharet. Triumphasse autem eum D. Silano & L. Murena cos. ab Eutropio proditum est. De quo triumpho sic Velleius; Metelli & Luculli triumphum Pompeius imminuit. Et alibi; Cn. Pompeius captiuos duces, ornamentum triumphi Metelli, subduxit. (hi fuerunt Panares & Lasthenes, auctore Dione) Huius etiam triumphi vestigia sunt in Capit. triumphis. nam voces illæ, K. IVN. quæ sunt proxime ante Pompeij triumphum, ad hunc, vt puto, pertinent.

DE COS. AN. DCXCII.

CASSIODORVS hoc anno cos. subiicit M. Pupium, M. Valerium: Pisonem & Messallam fasti Siculi: Dio M. Pupium M. F. Pisonem, M. Valerium M. F. Messallam Nigrum. Messallæ Nigri mentio est etiam apud Pædianum in oratione pro Scauro: M. Messallæ, & M. Pisonis, apud Ciceronem lib. I ad Att. Plinium lib. VII, cap. XXVI; lib. XXXVII, cap. II; lib. VIII, cap. XXVI; Cæsarem lib. primo de Gallico bello. M. Pisonem Cn. Pompeij bello Mithridatico legatum ex Asia a Pompeio ad comitia præmissum, eiusdem opera consulatum adeptum, refert Dio. De eodem sic Pædianus

in Pisonianam; M. Pupius Piso, fuit eisdem temporibus quibus Cicero; sed tanto ætate maior, vt adolescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in eo & antiquæ vitæ similitudo, & multæ erant litteræ. orator quoque melior quam frequentior habitus est. biennio tamen serius quam Cicero consul fuit. triumphauit pro cos. de Hispaniis Q. Hortensio, Q. Metello Cretico cos. ante Ciceronis consulatum. Et Cicero in Bruto; M. Piso quidquid habuit, habuit ex disciplina; maximeque ex omnibus qui ante fuerunt, Græcis doctrinis eruditus fuit, &c. Eundem M. Pisonem scribit pro Plancio in ædilitate præteritum, consulem esse factum. Et Velleius; M. Piso consularis Anniam, quæ Cinnæ vxor fuerat, in Syllæ gratiam dimisit. Eundem a M. Pupio adoptatum tradit Cicero pro domo. De Pisonis prouincia sic Cicero primo ad At. Pisonem consulem nulla in re consistere vmquam sum passus. desponsam homini iam Syriam ademi. Cæsar lib. I scribit senatum censuisse, vti quicumque Galliam prouinciam obtineret, quod commodo reip. facere posset, Æduos ceterosque amicos populi R. defenderet. Hoc anno C. Cæsar, qui Murena & Silano cos. præturā gessit, ex prætura in Hispaniam vlteriorem profectus est.

De censoribus & Lustro LXVIII.

CENSORES in hunc annum Dio profitetur. scribit enim, Pisone & Messalla cos. omnes eos qui magistratus gesserant, a censoribus etiam supra legitimum numerum in senatum lectos. Idem ostendit Cicero in epistola lib. primi ad Atticum, quæ scripta est his cos. non. Decembr. Metello Celere cos. designato; cum ait; Asiani, qui de censoribus conduxerunt, questi sunt in senatu, se cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse; vt induceretur ea locatio, postulauerunt. Neque vero Asiana vectigalia conduci, nisi post pacatam a Pompeio Asiam, potuerunt; id est, ab huius anni censoribus. Idem Cicero significat lustrum ab his censoribus esse factum; sed sequentibus cos. Nam in epistola quæ proxime sequitur, data XI K. Febr. Q. Metello, L. Afranio cos. sic ait; Reuise nos aliquando. nam ne absens censeare, curabo edicendum & proponendum locis omnibus. Sub lustrum autem censeri, germani negotiatoris est. Cum igitur dubitandum non sit quin hoc anno censores creati fuerint, est vero illud accurate quærendum, qui fuerint. neque enim in censorem aut censorium vllum, ex iis qui ante consulatum gesserint, adhuc incidi. Hi autem creati sunt ante quinquennium; quod priores censores lustrum nullum fecerint.

De triumpho III *Cn. Pompeij Magni pro cos. de Mithridate, &c.*

QVAE gesserint maritimo ac Mithridatico bello Cn. Pompeius pro cos. ante demonstratum est. Hic est autem annus quo ipse bellis omnibus cōfectis triumphauit. cuius triumphi hæc adhuc in annalibus veteribus testimonia leguntur. Dio & Plutarchus auctores sunt, eum petiisse vt priore anno comitia consularia differrentur. quo præsens ipse Pisonem candidatum deducere posset. Cicero etiam lib. primo ad Att. significat, Pisone & Messalla cos. Pompeiū K. Ian. in exspectatione fuisse. Triūphasse autem eundem hoc anno per biduum III, & prid. Octob. proditum est in Capitolinis fragmentis, atque in iis quos paulo infra cōmemorabo, annalibus. Laudant igitur primum illud in Pompeio rerum Ro. scriptores, quod victor cum exercitu maximo rediens, vt Brundusium traiecerit, copias omnes dimiserit; atque ex tot bellis vno triumpho contentus fuerit; neque vllo se, nisi vetere Magni cognomine, ornari noluerit. In senatu de suis rebus differentem eum dixisse Plinius lib. VII tradit, se Asiā, quam vltimam prouinciam acceperat, patrię mediam reddidisse. Titulum triumphi, totius mundi prætulit. Quot autem, & quibus ex regionibus nominatim triūpharit, Plinij verbis allatis exponam. Pompeius, inquit, honores vrbi tribuit in delubro Mineruæ, quod ex manubiis dicauit, Cn. Pompeius Magnus Imp. bello XXX annorum confecto; fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum vicies semel cētenis LXXXIII; depressis aut captis nauibus DCCCLXVI; oppidis, castellis MDXXXVIII in fidem acceptis; terris a Mæoti lacu ad Rubrum mare subactis, votum merito Mineruæ hoc breuiarium eius ab oriente. Triumphi vero, quem duxit a. d. tertium K. Octob. M. Messalla, M. Pisone cos. præfatio hæc fuit; Cum oram maritimam a prædonibus

donibus liberasset, & imperium maris populo R. restituisset, ex Asia, Pōto, Armenia, Paphlagonia, Cappadocia, Cilicia, Syria, Scythis, Iudæis, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis; & super hæc de regibus Mithridate atque Tigrane triumphauit. Meminit idem huius quoque triumphi lib. XXXVII, his verbis; Id vt planius noscatur, verba ex ipsius Pompeij triumphorum actis subiiciam. Ergo tertio triumpho, quem de Piratis, Asia, Ponto, gentibusque & regibus in septimo huius operis volumine indicatis, M. Pisone, M. Messalla cos. prid. K. Octobr. die natalis sui egit, transtulit alueum cum tesseris lusorium e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor. Persequitur inde multa alia; quæ eadem etiam apud Plutarchum & Appianum fere memorantur. In Epitoma autem CIII ita est; Cn. Pompeius de liberis Mithridatis, Tigrane, & Tigranis filio triumphauit; Magnusque a tota concione consalutatus est. Et Valerius lib. V; Pompeius de Mithridate & Tigrane, præterea regibus & gentibus, plurimisque ciuitatibus & prædonibus, vnum duxit triumphum. Hinc Cicero pro Cornelio; Pompeius tot habet triumphos, quot sunt oræ partesque terrarum. Item; Pompeij tres triumphi, testes sunt, totum orbem terrarum nostro imperio teneri. Hoc tempore Pompeium annos natum XXXIII, multis placuisse; se vero XL probare, ait Plutarchus. Apppianus XXX edit. Esse autem XLV, facile quisque intelliget, qui a C. Atilio, Q. Seruilio cos. quo anno ipse prid. K. Octobr. natus est, enumerabit. Itaq; merito Velleius se mirari ait, tanti viri eos fefellisse quinquennium; cum ab ortu eius facillima & certissima sit annorum digestio.

DE COS. AN. DCXCIII.

CONSVLES edit in huncannum Cassiodorus cum Siculis Q. Metellum, L. Afranium: item Obsequens; item Cicero lib. primo epist. ad Atticum: Dio L. Afranium L. F. Q. Cæcilium Q. F. Metellum Celerem. Cicero tamen in primo ad Atticum, Afranium vocat Auli filium; præsertim cum ait; Magna est exspectatio comitiorum; in quæ omnibus inuitis trudit noster Magnus Auli filium. Q. Metellus Celer Q. F. scribitur etiam a Cicerone in V Epistolarum. Vterque horum, Pompeij opera consulatū, teste Dione, consequutus est. eius enim legati ambo fuerunt in Asia. Q. Metellus Celer, Cicerone cos. prætor fuerat. ex prætura autē profectus est in Galliam, in qua bellum se gerere pro cos. scribit lib. V, ad Ciceronem. Itaque Plinius lib. II, cap. LXVII inquit; Nepos tradit, Q. Metello Celeri, L. Afranij in consulatu collegæ, sed tum Galliæ proconsuli, Indos a rege Sueuorum dono datos. De prouinciis cos. ita Cicero in primo ad Att. Heluetij sunt in armis; excursiones in prouinciam faciunt. senatus decreuit vt consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum auctoritate mitterentur, qui adirent Galliæ ciuitates, darentque operam ne eæ secum Heluetiis iungerent. legati sunt Q. Metellus Creticus, L. Flaccus, Lentulus Clodiani F.

De triumpho abiecto a C. Cæsare pro cos. ex Lusitania.

C. CAESAR, Silano & Murena cos. prætura vrbana perfunctus, in Lusitaniam profectus est. atque vt belli gerendi occasionem haberet, incolis ex monte Herminio in campos descendere iussis, quod diceret eos ea arce vsos regionem latrocinando vexare, eos mandata facere recusantes acie fregit: inde subactis finitimis, qui eundem exitum metuentes, se ad bellum cōparauerant, iterum in incolas Herminij mōtis, quos sibi in reditu tetendisse insidias senserat, conuersus, eos ad Oceanum vsque persequutus; in insula in quam traiecerant, prope ad internecionem redegit. postremo Brigantium Calæciæ oppidum euertit. Quibus rebus gestis Romam ad comitia, successore non exspectato, decessit; cumque triumphare posset, maluit consulatū deposito triumpho petere. neque enim nisi præsens in vrbe petere consulatum lege poterat; nec si vrbem priuatus iniisset, ei postea triumphare permissum erat. Hæc Dio. Suetonius autem de eadem re his verbis; Cæsar ex prætura vlteriorem sortitus Hispaniam, retinentes creditores interuētu sponsorum remouit; ac neque more, neque iure, antequam prouinciæ ordinarentur, profectus est: incertum metune iudicij, quod priuato parabatur; an quo maturius sociis implorantibus subuenitet. pacataq;

prouincia, pari feſtinatione, non exſpectato ſucceſſore, ad triumphum ſimul conſulatumque deceſſit. ſed cum editis iam comitiis ratio eius haberi non poſſet, niſi priuatus introiiſſet vrbem, & ambienti vt legibus ſolueretur, multi contradicerent, coactus eſt triumphum, ne conſulatu excluderetur, dimittere. Idē tradit Appianus lib. II, Plutarchus in Cæſare. Obſequens etiam his coſ. Luſitanos Gallæcos deuictos notat.

De conſpiratione M. Craßi, Cn. Pompeij, & C. Cæſaris.

CVM Cn. Pompeius acta ſua a ſenatu confirmari vellet, vt quæ in Aſia ſingulis regibus ac gentibus dediſſet, rata eſſent, atque in ea re L. Lucullum & M. Catonem aduerſarios haberet; Cæſarem ac Craſſum ſibi adiunxit, Cæſarem ad conſulatum prouehendo, Craſſum aliis promiſſis onerando. Ita inter tres ciuitatis principes coitio facta. eaque iureiurando firmata eſt, fore vt nemo nemini in rep. aduerſaretur, atque alius alium gratia, auctoritate, atq; omni ope, in iis quæ petiiſſet, adiuuaret. ſic Dio, Appianus, Plutarchus. Hinc etiam Suetonius ita; Cæſar omnibus officiis Pompeium aſſectatus eſt, offenſum patribus, quod Mithridate rege victo, cunctantius confirmarētur acta ſua; Pompeioque M. Craſſum reconciliauit, veterem inimicum ex conſulatu, quem ſumma diſcordia ſimul geſſerant; ac ſocietatem cum vtroque iniit, ne quid ageretur in rep. quod diſplicuiſſet vlli e tribus. Iuliam in conſulatu Pompeio dedit; Calpurniam Piſonis conſulis futuri ipſe duxit. Itaque in Epitoma CIII ſcriptum eſt; P. Clodius ad plebem tranſiit. C. Cæſar Luſitanos ſubegit. eoque cōſulatus candidato, & captante remp. inuadere, conſpiratio inter tres principes ciuitatis facta eſt, Cn. Pōpeium, M. Craſſum, & C. Cæſarem. P. autem Clodium narrat Dio, vt tribunos pl. ad legem de tribunatu pl. patriciis mandando ferendā adducere non potuit, patriciatu ſe abdicaſſe, atque iura plebis iniſſe; tribunatū autē pl. petentē, aduerſante Metello conſule, repulſam tuliſſe; quod diceret, legitimā eius adoptionem non fuiſſe: quæ lege tantum curiata lata recte fieri poſſet. Vnde etiam Cicero ad Att. primo ait; C. Herēnius tr. pl. ad plebem traducit P. Clodium. Metellus eſt conſul egregius, & nos amat.

DE COS. AN. DCXCIIII.

C. CAESAREM, M. Bibulum in hunc annum conſules comparant cum Siculis Caſſiodorus, Suetonius, & Epitomæ: C. Iulium C. F. Cæſarem, M. Calpurnium Dio: C. Iulium Cæſarem, Calpurnium Bibulum Plutarchus, & Appianus. quamquam Appianus, vt Oroſius & Eutropius, L. Bibulum vocat. Cæſaris & Bibuli coſ. meminit Cicero ad Lentulum lib. I. In fragmentis Capitolinis eſt, C. IVLIVS C. F. C. N. De comitiis, quibus Cæſar petiit, ſic Suetonius; E duobus conſulatus competitoribus, L. Luceio & M. Bibulo, Luceium ſibi adiunxit, pactus, vt is, quoniam inferior gratia eſſet, pecuniaque polleret, nummos de ſuo communi nomine per centurias pronuntiaret. Qua re cognita, optimates auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi. Igitur cum Bibulo coſ. creatus. Et Cicero primo ad Atticum; Luceium ſcito conſulatū habere in animo petere. duo enim ſoli dicuntur petituri. Cæſar cum eo coire per Arrium cogitat; & Bibulus cum hoc ſe putat per C. Piſonem poſſe coniungi. Hoc anno Cæſar conſul *legem agrariam* promulgauit, qua agros publicos omnes pauperibus diuidebat. Stellatem & Campanum iis, qui tres pluresue liberos haberent; eamque, inuito etiam collega atque optimatibus, ad populum tulit. Bibulus obnuntians, ab eo armis foro pulſus, inde domi abditus, nihil aliud quam per edicta obnuntiauit. Cæſar vnus omnia, & ad arbitrium adminiſtrauit: publicanos remiſſionem petentes, tertia mercedum parte releuauit: M. Catonem, dicendo diem eximentem, in carcerem duci iuſſit. acta Pompeij in Aſia confirmauit: Illyrium ac Galliam citeriorem cum tribus legionibus, a populo; vlteriorem cum legione vna, in quinquennium a ſenatu obtinuit. præterea, Cicerone in iudicio Antonij temporum ſtatum deplorante, ea re offenſus, P. Clodium inimicum eius, fruſtra iampridem a patribus ad plebē tranſire nitentem, eodem die, horaque nona, lege de adoptione eius lata, traduxit. Suetonius, Appianus, Dio, Cicero pro domo, Plutarchus, Velleius.

DE

DE COS. AN. DCXCV.

L. PISONEM, A.Gabinium, in hunc annum cos. inuenio apud Caſſiodorum, & in faſtis Siculis: L.Calpurnium L.F.Piſonem, A.Gabinium A.F. apud Dionem. Horum meminit Cæſar libro primo de bello Gallico, Plutarchus in Catone minore, Cicero in Piſonem, pro Sextio, vbique. Patrē A. Gabinij, A.Gabinium fuiſſe reor eum, qui bello Italico legatus cecidit. *Cæſoninum* Piſoni adiicit cognomen Cicero, & Pædianus; quod etiam auus eius tulit: vt apparet ex Capitolinis tabulis, in quibus hoc anno eſt, L. CALPVRNIVS L. F. L. N. Gabinij competitorem fuiſſe L. Lentulum flaminem Martialem ſcribit Cicero in Vatinium. Piſoni lege Clodia Macedonia data eſt, Gabinio Syria; vt ait Dio, Appianus in Syriaca, Cicero vbique. Ceterum Syria, recenti Cn.Pompeij victoria, imperio populi R. acceſſerat. cui ipſe decedens M.Æmilium Scaurum præfecerat, quem in bello pro quæſtore habuerat. is Metello & Afranio cos. præfuit: Cæſare autem & Bibulo, L.Marcius Philippus; Gabinio & Piſone, Cn.Lentulus Marcellinus, ambo ex prætura. Lentulo & Metello cos. Gabinius ex conſulatu in eam profectus eſt. Appianus in Syriaca, Ioſephus libro XIIII Antiquitatum.

De legibus P.Clodij tr.pl. & M.Cicerone vrbe pulſo.

P. CLODIVS, patricia familia natus, cum ſe adoptandum M.Fonteio homini plebeio, adnitente Cæſare conſule, dediſſet, in hunc annum tribunatum plebis cepit. leges aliquot, quibus ſe plebem ſibi maxime conciliaturum arbitratus eſt, tulit: vnam, vt frumentum populo, quod antea ſemis æris & trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur: alteram, ne quis per eos dies quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſeruaret; qua rogatione *lex Ælia Fuſia* tollebatur: tertiam; qua non ſolum collegia quæ ſenatus ſuſtulerat, reſtituta ſunt, ſed alia quædam innumerabilia, ex omni fece vrbis atque ſeruitio, conſtituta ſunt: quartam, ne quem cenſores in legēdo præterirent; neue qua ignominia afficerent; niſi qui apud eos accuſatus, & vtriuſque cenſoris ſententia damnatus eſſet: item, vt Cyprus inſula in prouinciæ formam redigeretur, ac bona regis Ptolemæi publicarentur; idque negotium M.Catoni viro integerrimo mandaretur. His legibus latis, rogationes alias promulgauit; vnam, de prouinciis conſulum nominatim, qua cōſules ſibi deuinxit; vt Gabinio Syria, Babylon, Perſæ; Piſoni Achaia, Theſſalia, Græcia, Macedonia, omniſque Bœotia committeretur: alteram in eos qui ſine iudicio populi Ro. ciuem Romanum necaſſent: qua lege vnū Ciceronem, ſibi iampridem inimicum, petebat; qui in conſulatu ex ſenatus conſulto in cōiurationis ſocios animaduerti iuſſerat. Qua lege promulgata, Cicero veſtem, ac cum eo boni omnes mutarunt. conſules, a Clodio tribuno in concionem producti, factum Ciceronis improbarunt. Quæ cum Cicero videret, ſeque a M.Craſſo, Cn. Pompeio, C.Cæſare deſertum ſentiret, quamquā a multis defendebatur, ne ſua cauſſa ciuium cædes vlla fieret, circiter K.Apr. vrbe ceſſit. Eodemque die rogatio de prouinciis conſulum lata; domus Ciceronis in Palatio a Clodio incenſa, area libertati conſecrata, bona publicata, prædia direpta ſunt. lex de Ciceronis exſilio lata, & vt ei aqua & igni interdiceretur: ne quiſquam tectum intra quingenta millia paſſuum ab Italia præberet: ne quis de eo ad ſenatum referret, ne decerneret, ne diſputaret, ne loqueretur, ne pedibus iret, ne ſcribendo adeſſet. Cicero in Macedoniam ſe contulit. Poſt Clodius, cum a L Flauio prætore petiiſſet, vt Tigranis filium, quem Pompeius apud eum poſuerat, adduci iuberet, atque adductum dimiſiſſet, nec repetenti Pompeio reddidiſſet, Pompeium a ſe valde abalienatum, vt de Cicerone reuocando cogitaret, impulit. itaque cum hoc anno ab octo tribunis plebis de reditu eius promulgatum eſſet, vnius tamen Ælij Liguris interceſſione nihil perfici potuit. Dio, Appianus, Plutarchus, Cicero pro domo, pro Sextio, vbique.

De re geſta a C.Cæſare pro cos. in Gallia.

BELLVM Gallicum transalpinum in Gallia, quod Cæſar per IX annos geſſit, hoc anno ſuſceptum eſt; non Gallorum magis culpa quam Cæſaris; qui gloriæ cupidus omnem belli occaſionem arripuit. Heluetij enim, tectis ſuis incenſis atque relictis,

eum nouas quærerent sedes, iter facere per prouinciam populi Rom. quæ Fabij Allobrogici victoria primum parta, post Marij virtute ab impetu Cimbrorum defensa fuerat, (ea *Narbonensis Gallia* dicebatur (statuerunt, L. Pisone, A. Gabinio consulibus. Cæsar, cum id nuntiatum esset, maximis itineribus in Galliam vlteriorem contendit; legatis eorum, transitum id. Apr. petentibus, negat se more populi Rom. posse iter vlli per prouinciam dare; & si vim facere conentur, prohibiturum ostendit. Heluetij ea spe deiecti, ab Sequanis impetrant vt per agrum Sequanorum & Æduorum iter in Santonum fines faciant, qui non longe a Tolosatium finibus aberant; quæ ciuitas erat in prouincia. Id cum Cæsar non sine prouinciæ periculo futurũ intelligeret, præterea Æduorum, Ambarrorum, Allobrogum precibus, qui se ab Heluetiis vexari querebantur, adductus, castris motis, eos ad Ararim flumen assequutus, pagum Tigurinũ omnem concîdit. Equitatus deinde Cæsaris, quem, vt videret quas in partes hostes iter facerent, præmiserat, cupidius nouissimum eorum agmen assequutus, commisso prœlio cæsis aliquot fusus est. Postremo Cæsar ab Heluetiis prœlio lacessitus, summo certamine eos vicit; atque in deditionem acceptos, domos suas, quas incenderant, repetere iussit. His rebus gestis Cæsar, precibus Æduorum & Sequanorum permotus, qui se ab Ariouisto Germanorum rege crudelissime opprimi quererentur, quod M. Pisone, M. Messalla cos. senatus consultum factum erat, vt qui prouinciam Galliã obtineret, Æduos, ceterosque amicos populi Ro. defenderet, in Ariouistum exercitũ duxit; milites metu tanti hostis perterritos, verbis cõfirmauit. vbi per colloquium nihil cum Ariouisto, qui in Galliam descenderat, transigi potuit, prœlio eum maximo fusum, vsque ad Rhenum insequitur. Ita vna æstate duobus bellis confectis, in hiberna in Sequanos exercitum deduxit; hibernis Labienum præposuit; ipse in citeriorem Galliam ad conuentus agendos profectus est. Hæc Cæsar lib. I, Dio, Plutarchus.

DE COS. AN. DCXCVI.

CONSVLES subsequuntur in hunc annum apud Cassiodorum & in fastis Siculis P. Lentulus, Q. Metellus; apud Dionem P. Cornelius P F. Lentulus Spinther, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Nepos. Quorum meminit his verbis Valerius lib. IX; Lentulus & Metellus, in consulatu collegæ, ambo in scena propter similitudinem histrionum spectati sunt: sed alter, ex quodam assectarum, cognomen *Spintheris* traxit; alter, nisi *Nepotis* a moribus accepisset, *Pamphili* retiarij, cui simillimus esse ferebatur, habuisset. Item Plinius lib VII, cap. II. P. Lentuli Spintheris cos. meminit Cicero in primo epistolarum, & in orationibus sæpissime; Plutarchus in Cicerone, Pædianus in Milonianam: Q. Metelli Nepotis cos. Cicero in V epistolarum. P. Lẽtulus, ædilis curulis fuit Cicerone consule, auctore Salustio; prætor ex ratione annali, Afranio & Metello: ex prætura citeriorem Hispaniam obtinuit, Bibulo & Cæsare. quamquam Gabinio etiam & Pisone cos. in ea fuisse videtur; quod Cicero ita scribit ad eum lib. I; Memineram, nobis priuatis, vsque ad Cæsarem & Bibulum consules, cum sententiæ nostræ magnum in senatu pondus haberent, vnum fere sensum fuisse bonorum omnium, postea, cum tu Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres, neque respubl. consules haberet, sed mercatores prouinciarum &c. Significat enim Gabinium & Pisonẽ cos. Cæsar autem libro primo ciuil. belli ait, eum suo beneficio prouinciam Hispaniã ex prætura obtinuisse. Q. Metellus Nepos, Murena & Silano cos. tribunatum plebis; Afranio autem & Metello, præturam gessit, teste Dione. ex prætura autẽ in prouinciam profectus est Cæsare cos. quam rem intelligit Cicero lib. II ad Att. inquiens; Exspecto tuas litteras; quoniã Nepos proficiscitur; cuinam auguratus deferatur. Ex consulatu autem ille in Ciliciam; hic in Hispaniam citeriorem profectus est: Lentulus illam per triennium; Nepos hanc per bienniũ obtinuit: illi Ap. Claudius, huic Cn. Pompeius post consulatum ambo successerunt: ille de prouincia post triumphauit; hic in prouincia obiit.

De Cicerone restituto, & aliis vrbanis actis.

HOC anno M. Cicero, qui a P. Clodio tribuno pl. lege tributis comitiis lata priore anno vrbe pulsus fuerat, Cn. Pompeio inter alios nitente, & T. Annio Milone tribuno

tribuno pl. agente, P. Lentulo consule referente, patiente autem collega eius Q. Metello, lege centuriata, sextili mense, maximo senatus gaudio & vniuersæ Italiæ, reuocatus est. Area domus eius, pontificum sententiis religione liberata; quod Clodij adoptionem contra leges fuisse, atque omnia eius tribunatus acta irrita esse censerent. Domus ac villæ, publica pecunia restitutæ sunt. Cum in reditu eius summa annonæ caritas esset, S.C. in illius sententiam factum est, vt Cn. Pompeius rei frumentariæ per quinquennium præficeretur, cum eodem imperio quod is ad piraticum bellum habuerat. Cum autem Pompeius legatos quindecim legeret, Ciceronem principē nominauit. Eodem anno T. Milo P. Clodium ædilitatis candidatum, de vi postulauit; ac sæpe manu & ferro cum eo in vrbe dimicauit. Ptolemæus Ægypti rex, consumpta ingenti pecunia, quam per vim ab Ægyptiis extorserat vt socius Populi R. appellaretur, a suis, qui se ad Cyprum a Romanis repetendam, aut amicitiam eis renunciandam hortabantur; quod eos non audiret, regno pulsus, Romam venit. Ægyptij, Berenice sorore eius ad regnum euecta, legatos & ipsi Romam miserunt, qui crimina regis purgarent: quorum alios ferro rex sustulit: alios pecunia, ne quid aduersus se agerent, corrupit. atque hoc eodem anno extremo Roma discessit. id quod ex annali XXII Fenestellæ, vt ait Nonius, intelligi potest. Vt magistratum, inquit, inierunt tribuni, C. Cato, turbulentus adolescens & audax, nec imparatus ad dicendum, concionibus assiduis inuidiam, & Ptolemæo simul, qui iam ex vrbe profectus erat; & P. Lentulo consuli, paranti iam iter, cogitare secundo quidem populi rumore cœpit. Hæc ex Dione, Plutarcho, Appiano, orationibus Ciceronis, & epistolis.

De re gesta in Gallia a C. Cæsare pro cos.

Hoc anno Cæsar, contra Belgas, quos per hiemem inter se coniurasse contra Romanos acceperat, duxit exercitum, ac primum quidem Belgas cecīdit; deinde Suessonibus, Bellouacis, & Ambianis, qui se dedebant, in fidem receptis, in Neruios profectus, eorum gentem prope ad internicionem redegit. Qua clade audita, Aduatici, qui auxilio veniebant, ex itinere domum reuersi, sese potestati Cæsaris permiserunt. Eodem tempore a P. Crasso, quem cum vna legione miserat ad Venetos, Vnellos, Osismos, Curiosolitas, Sesuuios, Aulercos, Rhodones, quæ sunt maritimæ ciuitates, certior factus est Cæsar, omnes eas ciuitates in deditionem populi Ro. esse redactas. Quibus rebus gestis, exercitu in eas ciuitates quæ propinquæ iis erant locis vbi bellum gesserat, in hiberna deducto, in Italiam profectus est. ob easque res XV dierum supplicatio decreta est: quod ante id tempus acciderat nulli. Cæsar, Dio, Plutarchus, Orosius, alij.

DE COS. AN. DCXCVII.

Consvles suggerit Cassiodorus Cn. Lentulum, L. Philippum: fasti Siculi Marcellum & Philippum: Dio Cn. Cornelium P.F. Lentulum Marcellinum, L. Marciū L.F. Philippum. Lentuli & Marcellini cos. meminit Cicero in epistolis ad Lētulum; Marcij Philippi consulis, Plutarchus in Catone. P. Lentulus, P. Lentuli filius est, eius qui fuit M. Marcelli filius; vt ait Cicero in Bruto. Est autem *Marcellinus* appellatus, non *Clodianus*; vel, vt intelligerent omnes ex qua Claudiorum familia ortus esset; vel, vt ipse ab altero Lentulo Clodiano tum viuente internosceretur. L. Philippus, L. Philippi F. est, eius qui cos. & censor fuit anno DCLXII, & DCLXVII. Idem socer M. Catonis fuit, vt scribit Plutarchus in Catone.

De Ptolemæo Cypri, & Ptolemæo Aegypti regibus.

M. Cato, lege P. Clodij tribuni pl. priore anno cum potestate prætoria in Cyprū profectus, vt rege Ptolemæo pulso, insulam in prouinciæ formam redigeret, ac bona eius publicaret, per Canidium, quem præmiserat, regi, qui sibi vim fieri non est passus, persuasit vt sponte Cypro cederet. eius autem morte percepta, quam rex veneno hausto ipse sibi Rhodi consciuerat, Byzantium exsules, quod ei quoque lege mandatum erat, reduxit; ac deinde in Cyprum profectus, insula constituta, regiam supellectilem omnem, quæ pretiosissima erat, Romam his consulibus, cum magna

ſenatus ac magiſtratuum omnium occurrentium voluptate ac plauſu, per Tiberim deuexit. qua de cauſſa ſenatus ei pręturam citra comitia decreuit. quem ille honorem repudiauit. ſic enim apud Plutarchum ἐξαίρετον στρατηγίαν interpretor; ſequutus Valerium, qui libro VIII inquit de Catone ita; Campeſtrem experiri temeritatem, quam curiæ beneficio vti, ſatius eſſe duxit. Dio quidem ei, vt petere ante legitimum tempus præturam poſſet, eſſe permiſſum ſcribit. Itaque Marcellinus hoc factum improbans, ait lib. XIIII; Non piget dicere, auide magis Cyprum inſulam populū R. inuaſiſſe, quam iuſte. Ptolemæo enim rege, fœderato nobis & ſocio, ob ærarij noſtri anguſtias iuſſo ſine vlla culpa proſcribi; ideo hauſto veneno volūtaria morte deleto; & tributaria facta eſt, & velut hoſtiles eius exuuiæ claſſi impoſitæ, in vrbem adductæ ſunt per Catonē. Et Velleius; Cyprus ſenatus conſulto, miniſterio Catonis, regis morte, facta prouincia eſt. Ptolemæum autem Ægypti regem, ne ſtatim aut a Pompeio, aut a P. Lentulo Ciliciæ pro cos. qui ambo regis reductionem affectabāt, reſtitueretur, verſus quidam Sibyllini impediebant; quibus Romani admonebantur, ne regem Alexandrinum profugum cum exercitu reducerent. Qua re cognita, Ptolemæus reditu deſperato, Epheſum ſe contulit. Eodem anno Clodius ædilis curulis, diem Miloni de vi dixit: quem Pompeius defendit. Cicero, cum in Capitolium comite Milone aſcendiſſet, tabulas quibus acta P. Clodij tr. pl. continebantur, ſuſtulit. Plutarchus in Catone, Dio, Appianus.

De rege ſta a Cæſare pro cos. in Gallia.

CVM CAESAR in Illyrico eſſet, Veneti populi præfectos P. Craſſi, qui in Andibus hiemabant, pro datis Cæſari obſidibus retinent. Ea de re Cæſar certior factus, cum in Galliam reuertiſſet, Venetos naualí prœlio victos in deditionem accepit. Eodem tempore in alia parte, Titurius Sabinus legatus eius, Vnellos; Craſſus Sontiates in Aquitania, atque inde omnes fere Aquitaniæ populos, partim vi, partim metu, vt ſe dederent, coegerunt. Cæſar lib. III, & Dio. Plutarchus adiicit, hoc anno Cæſarem Lucæ hiemaſſe, atque eo colloquēdi cauſſa Pompeium & Craſſum, Ap. Claudium Sardiniæ prætorem, Metellum Nepotem Hiſpaniæ proconſulem, alioſq; ſenatores multos conueniſſe.

DE COS. AN. DCXCVIII.

CVM C. CATONIS tribuni pl. interceſſionibus comitia tollerentur, ſenatus veſtem mutauit. Conſules ex interregno facti ſunt Cn. Pompeius, M. Craſſus iterum; (vt Plutarchus, Dio, & Appianus auctores ſunt) L. Domitius Ahenobarbus, quem Cato ac boni omnes deducebant, foro per vim pulſus; Cato ipſe vulneratus eſt. Hos conſules Dio vocat Cn. Pompeium Cn. F. Magnum II, M. Liciniū P. F. Craſſum II. quorum Pædianus, Eutropius, faſti Siculi, & alij etiam meminerunt. M. Cato in petitione præturæ, prælato Vatinio, repulſam tulit. Idem cum legem impediret, qua prouinciæ conſulibus in quinquennium, Pompeio Hiſpaniæ, Craſſo Syria & Parthicum bellum, Cæſari Gallia & Germania in alterum quinquennium dabatur, a C. Trebonio tribuno pl. legis auctore in vincula ductus eſt. Theatrum Pompeius conſul dicauit; ludos magnificentiſſimos edidit. L. Piſo reuerſus eſt ex Macedonia; Q. Ancharius ex prætura ei ſucceſſit. Cicero in Piſoniana, Pædianus in argumento eius.

De rebus à Metello Nepote, A. Gabinio pro cos. M. Craſſo, & C. Cæſare geſtis.

Q. METELLVS Nepos, qui ex conſulatu in Hiſpaniam citeriorem miſſus erat, hoc anno (vt ait Dio) vario euentu pugnauit. Nam cum quidā populi ſollicitatis Vaccæis defeciſſent, primo quidem a Nepote imparati prœlio victi, poſt eum Cluniam obſidentem in fugam coniecerunt. in altera autem parte fuſi ſunt illi quidem, verum non adeo vt in eius poteſtatem venirent; Nepos autem & ipſe libenter quieſceret. Quæ cauſſa effecit vt Pompeio Hiſpaniæ decernerentur: qui tamen Iuliæ vxoris amore captus, in prouinciam non eſt profectus; ſed eam per legatos Petreium & Afranium adminiſtrauit. A. autem Gabinius, qui Syriæ poſt conſulatum præerat, Ptolemæum

Ptolemæum cum exercitu in regnum, nulla neque Sibyllinorum carminum, neque ſenatus habita ratione, vnius iuſſu Pompeij, reduxit. nam cum primum ægrotaſſet, vbi recreatus eſt, bellum in Parthos parauit, vt Mithridatem Phraate patre mortuo a fratre Orode pulſum reſtitueret. poſt autem litteris a Pompeio acceptis, omiſſo Partho, ac filio Siſenna in Syria relicto, traiecit in Palæſtinam; ac Ariſtobulum nouas res molientem comprehendit; tributoque Iudæis impoſito, in Ægyptum mouit. Archelaum, quem Berenice regina, interfecto Seleuco, maritum & regem aſciuerat, captũ ſtudioſe dimiſit. Victis deinde pedeſtri naualique prœlio Ægyptiis, atque Archelao ipſo occiſo, Ægyptum Ptolemæo cõceſſit. Interea Syri, a latronibus abſente Gabinio vaſtati, legatis Romam miſſis Gabinium ſequenti anno accuſarunt. M. autem Craſſus, prouinciæ cupidus, in conſulatu ipſo paludatus exiit; neque Ateij Capitonis tribuni pl. obnuntiationibus dirisque commotus, delectu habito in Syriam propere contendit. Dio, Plutarchus, Appianus. Itaque iure Cicero ad Atticum ita ſcribit; Craſſum noſtrum minore dignitate aiunt profectum, quam olim æqualem eius L. Paullũ, item Tiberium iterum conſules. Ea vero quæ ſequuta eſt hieme, qui fuit annus Cn. Pompeio, M. Craſſo cos. Vſipetes, Germani, Tenchtheri magna cum multitudine Rhenum tranſierunt, non longe a mari quo Rhenus influit; quod ab Sueuis compluresannos exagitati, bello premebantur. Sueuorum gens, longe maxima & bellicoſiſſima Germanorum omnium eſt. His de rebus certior Cæſar factus, infirmitatem Gallorum veritus, mature ad exercitum proficiſcitur; atque labantibus iam multorũ Gallorum animis confirmatis, in eos qui in Gallia erant, caſtra mouet: atque improuiſo adortus, funditus delet. Germanico in Gallia bello confecto, Rhenum ſibi tranſeundum eſſe ſtatuit, atque Germanos ipſos, a quibus tam ſæpe Gallia vexata eſſet, in ſua ſibi regione petendos. Ita ponte in flumen facto, in Sicambrorum fines contendit. atque eorum vicis ædificiiſque incenſis, ab Vbiis, ad quorum auxiliũ venerat, cognouit Sueuos audito ſuo in Germaniam tranſitu, in ſyluas coniuges liberoſq; depoſuiſſe; omnes qui arma ferre poſſent, in vnum locum cõueniſſe, medium earum regionum quas Sueui obtinerent; hic Romanum exercitum exſpectare. Quod vbi Cæſar accepit, in Galliam ſe rettulit, & pontem reſcidit. Poſt autem cum ſciret, omnibus fere Gallicis bellis a Britanis eſſe hoſtibus populi Ro. ſubminiſtrata auxilia, in Britaniam proficiſci contendit. In eam cum traieciſſet, facto prœlio, Britanos vt ſe Cæſari commẽdarent, impulit. Claſſis eius quæ equitatum trãſportabat, ſæuiſſima tempeſtate iactata eſt. Qua re Britani elati, rurſus arma capiunt; atque cum Cæſare congreſſi, fuſi fugatique ſunt. Cæſar pacem petentibus dedit; atque obſidibus acceptis, in Galliã rediit. Morini præterea rebellantes victi, Menapij in deditionem accepti ſunt. His rebus geſtis, ex litteris Cæſaris dierum XX ſupplicatio a ſenatu decreta eſt. Cæſar, Dio, Plutarchus.

De cenſoribus.

ANNVS quo Marcellinus & Philippus conſules fuerunt, legitimus erat creandis cenſoribus, præſertim quinquennio abſoluto: conſules tamen non eſſe paſſos creari, primum ſubindicant hæc verba Ciceronis ex epiſtola ad Att. lib. IIII, Metello & Lẽtulo cos. ſcripta: Ego me a Pompeio legari ita ſum paſſus, vt nulla re impedirer quin, ſi vellem, mihi eſſet integrum, ſi comitia cenſorum proximi conſules haberent, petere poſſe. deinde, quod idem in hunc annum cenſores creatos eſſe oſtendit in altera eius libri epiſtola, quæ Craſſo & Pompeio cos. ſcripta eſt ante diem IIII K. Maias; cum ait; Sane ſcire velim, num cenſum impediant tribuni diebus iniiciendis, totaque de cenſura quid agant. Item in ſequenti; Perſcribe ad me quid primus dies, quid ſecũdus; quid cenſores, quid Appius. Luſtrũ autẽ hoc certe anno conditũ non eſt: ſiquidem idem in epiſtola ſcripta Claudio & Domitio cos. ita ait; Non enim puto te de luſtro, quod iam deſperatum eſt, quærere. Quod autem portẽti ſimile videtur, ne hoc quidem anno, in tanta harum hiſtoriarum celebritate, qui cenſores fuerint, traditur. Ego tamen opinor alterum horum fuiſſe M. Valerium Meſſallam, qui cõſul cum M. Piſone fuit: quem Plinius lib. VII, cap. XII. & Valerius lib. IX, cap. XV, conſularem & cenſorium vocant. Et quamquam ſcio M. Meſſallam alterum cenſorem fuiſſe cum Caſſio Longino anno DXCIX; puto tamen non eum, ſed hunc intelligi a Plinio

& Valerio. vterque enim cum exempla multa proferat eorum qui oris forma similes exstiterunt, hunc inter eos nominat qui eius prope æquales fueruut, Pompeium, Strabonem, Pompeium Magnum Strabonis filium; Lentulos, Spintherem & Nepotem; M. Messallam consularem & censorium, C. Curionem patrem. Opinor autem eos propterea consularem & censorium adiecisse, vt eum distinguerēt a M. Messalla, qui biennio post cum Domitio cos. fuit; nec censor hoc anno esse potuit, quia nondū consularis erat. Eiusdem censoris meminit capite de censoria nota post Getam censorem, ita; Item M. Valerius Messalla censoria nota perstrictus, censoria postmodum potestate imperauit. Hoc tempore lege (vt dixi) Clodij debilitata censura erat; quam legem post Q. Scipio cos. abrogauit.

DE COS. AN. DCXCIX.

CONSVLES suggerit in hunc annū Cæsar, Cassiodorus, & Obsequens, Ap. Claudium, L. Domitium: quos Siculi fasti nominant Pulchrum & Ahenobarbum. Pædianus in orat. pro Scauro, L. Domitium Ahenobarbum, Ap. Claudium Pulchrum: Dio L. Domitium Cn. F. Ahenobarbum, Ap. Claudium Ap. F. Pulchrum. L. Domitij Cn. F. Ahenobatbi meminit quoque Cœlius in VIII epistolarum. Hunc annū ab vrbe cond. numerat Dio DCC; sequutus Plinianam (vt puto) supputationem. Ap. Claudius, prætor fuit Lentulo & Metello cos. quo anno Cicero restitutus est: ex prætura autem Sardiniam obtinuit. Pædianus auctor, & Cicero, & Plutarchus. L. Domitius præturam gessit Gabinio & Pisone cos, vt ex Suetonio in Cæsare, & Ciceronis epistolis ad Q. fratrem colligi potest: priore autem anno consulatus repulsam tulit. Appio Ciliciam obtigisse, atque P. Lentulo successisse, epistolæ Ciceronis satis indicant. Hac etiam de re sic his cos. scribit ad Lentulum; Appius in sermonibus antea dictitabat, postea dixit etiam in senatu palam, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega prouinciam; si curiata lex non esset, se paraturū cum collega, tibique successurum. legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse. se, quoniam ex S. C. prouinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in vrbem introiisset. Et ad Att. lib. IIII; Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat. A. Gabinius hoc anno a. d. XII K. Octob. ad vrbem accessit; IIII K. noctu in vrbem intrauit; vt Cicero scribit ad Q. Fratrem: damnatus est autem, quod contra senatus & populi iudicium Ptolemæum in regnum reduxisset, vel repugnante Pompeio, qui pro cos. cum imperio rei frumentariæ caussa ad vrbem manebat. Iulia Cæsaris filia Pompeij vxor mortua, in campo Martio sepulta est. Dio, Plutarchus.

De triumpho C. Pontinij pro cos. de Allobrogibus.

C. PONTINIVS cum Q. Metello Celere præturam gessit Cicerone cos. Salustio auctore. ex prætura autem in vlteriorem Galliam missus est, vt Q. Metellus in citeriorem. atque ibi fuisse per biennium videtur; quia Dio in rebus exponendis iis quę Pisone & Messalla cos. gestæ sunt, rerum a Pontinio in Gallia gestarum meminit. Bellum autem cum Allobrogibus eum gessisse coniuratione Catilinæ permotis, significat Cicero in or. de prouinciis consularibus ita; C. Pontinius fortissimus vir, ortum repente bellum Allobrogum, atque scelerata coniuratione Catilinæ excitatum, prœliis fregit, eosque domuit qui lacessiuerunt: & ea victoria contentus, rep. metu liberata quieuit. In Epitoma etiam CIII ita est; C. Pontinius prætor Allobroges qui rebellauerant, ad Solonem domuit. Et Dio, Allobrogibus, inquit, Narbonensem Galliam vastantibus, C. Pontinius Galliæ prætor, legatos aduersus hostes immisit, ipse castris loco idoneo communitis, opportunum inuadēdi hostis tempus exspectabat. Ac Manlius quidē Ventinus Ventiā oppidū ita oppugnauit, vt legatos ad eum de pace mi serint. post autem, agrestium improuiso incurrentium impetu ab oppido repulsus, agrum libere populatus est; donec Cotugnatus dux eorum, aliis quibusdā ex iis qui ad Isarā incolunt, auxilio venit: quos, insidiis citra flumē positis, omnes fere palatos persequutus, ad internicionē redegit. L. autem Marius, & Ser. Galba, traiecto Rhodano, ac vastatis Allobrogum agris, cum ad Soloniū peruenissent, hostes prœlio subegerūt. quin oppidum caperent, Cotugnatus impedimento fuit. His rebus cognitis Pōtinius

castra mouit; atque oppido obsidione capto, omnibusque præter Cotugnatum in potestatem redactis, reliqua facilius deinde administrauit. Hæc de re. De triumpho autem, satis constat, eum his cos. triumphasse, auctore eodem Dione, qui ita scribit; Eodem anno triumphauit de Gallis C. Pontinius: qui ad id vsque tempus, nemine triũphum permittẽte, extra pomœrium manserat. neque vero tum impetrasset, nisi Ser. Galba prætor, qui sub eo stipendia fecerat, clam ante lucem quosdam in suffragium misisset; cum tamen ante primam horam nihil agi cum populo posset. propterea tribuni quidam, qui non affuerant, ei triumphanti negotium, ita vt quidam etiam vulnerarentur, præbuerunt. Hinc Cicero in epist. ad Att. his cos. scripta lib. IIII ait; Pontinius vult. a. d. IIII. non. Nou. triumphare. huic obuiam Cato & Seruilius prætores aperte, & Q. Mucius trib. pl. negant enim latum de imperio. & est latum hercule insulse. sed erit cum Pontinio Appius cos. Cato tamen affirmat, se viuo illum non triũphare. id ego puto, vt multa eiusdem, ad nihil recasurum. Et ad Q. Fratrem lib. III; Põtinio ad triumphum a. d. III non. Nouemb. volebam adesse. etenim erit nescio quid negotioli. nam Cato & Seruilius prætores, prohibituros se minãtur. nec quid possint, scio. ille enim & Appium consulem secum habebit, & prætores & tribunos pl. sed minantur tamen, in primisque ἀρῆ πνέων Scæuola. Et in Pisonem; C. ipsi Pontinio triumphare iam non est integrum. religionibus enim susceptis impeditur. Græci hunc modo Πομπτῖνον, modo Πομπτῖνον vocant. Latini nunc *Pomptinum*, nunc *Pontinum*; nunc *Pontinium*, quod magis probo. Apparet autem, post Pompeium neminem nisi hoc anno triumphasse Romæ. nam in Capitolinis triumphorum fragmentis triumpho Põpei, subiicitur hic numerus DCXCIX. qui sequentis proximi est triumphi nota.

De re gesta a M. Crasso, & a C. Cæsare procos.

HIS cõsulibus M. Crassus, cum iam in Syriam prouinciam peruenisset, atq; quieta ibi esse omnia offendisset, belli gerẽdi & pecuniæ cumulandæ cupidus, in Parthos, quorum tum rex erat Orodes, & ipsos paulo ante pacatos, nec quidquam mouentes, sine vlla aut senatus auctoritate, aut populi iussu, exercitum duxit; ac traiecto Euphrate, ac plerisque Mesopotamiæ locis vastatis, regionis eius satrapen imparatum adortus, ad Ichnias (id loci nomen est) equestri prœlio facile vicit; atque eodem impetu cum alias vrbes, tum maxime Nicephorium in potestatem adduxit, & Zenodotiam militibus diripiendam concessit. Locis omnibus quæ intra Tigrim sunt, in dicionem redactis, ac presidiis impositis, in Syriam in hiberna recessit: ac temere Parthis tempus se ad bellum comparandi dedit. Dio, Appianus, Plutarchus. Cæsar autem ex Illyrio, quò ad incursiones Pirustarum cohibendas iuerat, in citeriorem Galliam, atque inde ad exercitum reuersus, Treuiros imperio non parentes, ac Germanos transrhenanos sollicitantes, in fide continuit; comparata classe in Britaniam iterum traiecit. cumque ibi prospere pugnasset, maxima hostium multitudine deleta, atque aliqua insulæ parte in potestatem adducta, obsidibus acceptis, ac tributis impositis, in Galliam in hiberna se recepit. Dispertitis in hiberna cum legionibus legatis, Gallorum aliquot populi duce Ambiorige Eburonum rege defecerunt: a quibus L. Aurunculeius Cotta & Q. Titurius Sabinus legati circumuenti, cum exercitu, cui præerant, cæsi sunt. qua illi victoria elati, improuiso ad hiberna Q. Ciceronis, qui in Neruiis erat, aduolarunt; ac Ciceronem ipsum vndique obsidione cinxerunt. castra acerrime ab hostibus oppugnata, atque a Romanis defensa; a Cæsare demum ipso cum exercitu accurrente, fusis cæsisque hostibus, liberata sunt. Cæsar, Dio, Plutarchus.

DE COS. AN. DCC.

IN hunc annum consulatum petierunt magna contentione atque ambitu C. Memmius, Cn. Domitius, M. Messalla, M. Scaurus; vt scribit Cicero ad Q. fratrem. facti autem sunt ex interregno, septimo huius anni mense, M. Messalla, & Cn. Domitius: qui ne tum quidem creati fuissent, nisi Q. Pompeius Rufus trib. pl. qui intercessionibus comitia tollebat, ex senatus consulto in carcerem coniectus fuisset; atque idem se de ceteris facturum qui comitia impedissent, senatus ostendisset. Hæc Dio. Appianus

octo menses remp. sine magistratibus fuisse; Plutarchus in tanto rerum motu legem a Lucilio tr. pl. promulgatam de dictatore Cn. Pompeio creando, qui remp. constitueret, scribit; ac Catone repugnante nihil effectum. Dio non solum de dictatore, sed etiam de tribunis militum consulari potestate creandis, mentionem a tribunis pl. illatam ait: consules autem Messallam & Caluinum, Pompeio annitente, esse creatos. quæ eadem cognomina in fastis etiam Siculis prodita sunt. Cn. Domitius Caluinus, M.F.M.N. in Capitolinis tabulis scribitur anno DCCVIII, & DCCXVII. M. Messallam Cn. Domitij collegam per annos LV augurem fuisse tradit Macrobius lib. I.

De regesta a M. Crasso, & a C. Cæsare pro cos.

INSEQVENTI anno, M. Crassus in Parthos reuersus, contemptis prodigiis, Euphratem transiuit; ac relicto a tergo, qui solus & commeatus subuehere & ipsum munire poterat, Euphrate, a simulato quodam, cui credidit, transfuga deceptus, in media camporum vastitate exercitum ex omni parte petendum hosti obiecit. Itaq; cum Carras peruenisset, a præfectis regis Surena & Syllace circumuentus, omnem pene cum filio P. Crasso, qui ad eum ex Gallia a Cæsare venerat, exercitum amisit. cuius reliquiis in collem receptis, euocatus a Surena in colloquium, tamquam de pace acturo, captus, atque, ne viuus in potestatem hostium perueniret, repugnans, occisus est. Exercitus in Armeniam & Ciliciam, quo quemque fuga rapuit, distractus. Cassius Longinus quæstor, cum aliqua parte in Syriam incolumis rediit. Dio, Plutarchus, Appianus. Cæsar autem, cum Treuiros ceteros Gallos sollicitare, atque vndiq; bellum parari videret, ex hibernis mouens, eos primo concursu in fugam compulit; ac ponte in Rhenum refecto, in Germanos, quod eos auxilia contra se Treuiris dedisse compererat, iterum ducit. Cum autem per Vbios exploratores cognouisset, Sueuos sese in siluas recepisse, in Galliam aduersus Ambiorigem Eburonum regem, aduersus se nouas res molientem, contendit; atque Eburones ipsos longius persequutus, late fudit ac dissipauit. Cæsar, Dio, Plutarchus.

DE COS. AN. DCCI.

NE hoc quidem anno K. Ian. cōsules in rep. fuerunt, verum ex interregno creati sunt. Petebant autem consulatum T. Annius Milo, P. Plautius Hypsæus, & Q. Metellus Scipio; non solum largitione palam profusa, sed etiam factionibus armatorū succincti. Cum autem diu tracta comitia consularia essent, perficique ob eas ipsas perditas candidatorum contentiones non possent, & ob id mense Ianuario nulli dum neq; consules neque prætores essent; ac Milo quamprimum comitia confici, competitores eius trahi vellent; ideoque Q. Pompeius gener Scipionis, & T. Munatius Plancus tribuni pl. referri ad senatum de patriciis conuocandis, qui interregem proderent, nō essent passi: Milo Lanuuium, cuius erat dictator, proficiscens, P. Clodium inimicum suum, qui suorum aduersariorum petitionē aperte contra se adiuuaret, sibi vltra Bouillas occurrentem occidit. cadauer eius Romam relatum, in curia a Sex. Clodio scriba crematum est; quo incendio curia flagrauit. Domum etiam M. Lepidi interregis Clodiana multitudo oppugnauit; fasces ex lecto Libitinæ raptos attulit ad domū Scipionis & Hypsæi, deinde ad hortos Cn. Pompeij; clamitans eum modo consulē, modo dictatorem. Incendio curiæ Milo recreatus Romam redierat, petebatque nihilominus consulatum. fiebant interea alij ex aliis interreges; qui comitia consularia propter eorum candidatorum tumultus, & easdem manus armatas, habere non poterāt. Itaque primo S.C. factum erat, vt interrex & tribuni pl. & Cn. Pompeius, qui pro cōsule ad vrbem erat, viderent ne quid detrimenti resp. caperet, delectus autem Pompeius tota Italia haberet. cum ne ita quidem tumultus quiesceret, crebesceret autem rumor, Cn. Pompeium creari dictatorem oportere, visum est optimatibus tutius esse, eum consulem sine collega creari. & cum tractata res esset in senatu, facto in M. Bibuli sententiam S.C. Pompeius ab interrege Ser. Sulpicio v. K. Mart. mense interkalario consul creatus est: statimque consulatum iniit. Ita autem visum est, vt Pompeius dictatoria prope armatus potestate, facilius remp. legibus atque armis constitueret. quem honorem vt ante nemini delatum, ita ipse libentissime accepit. post autem,

vt vitaret inuidiam, in quinque menſes extremos Q. Metellum Scipionem ſocerum ſibi collegam ſubrogauit. Hæc Pædianus in Milonianã, Dio, Appianus, Plutarchus. In Epitoma etiam c v i i ita; P. Clodij a T. Annio Milone candidato conſulatus in Appia via ad Bouillas occiſi corpus plebs in curia cremauit. cum ſeditiones inter candidatos conſulatus, Hypſæum, & Scipionem, & Milonem eſſent, qui armis ac vi contẽdebant; ad comprimendas eas Cn. Pompeius legatus a ſenatu, conſul tertium factus eſt abſens, & ſolus; quod nulli alij vmquam [cõtigit.] Hinc in Siculis faſtis Pompeio Metellus collega datur. Is autem Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio in epiſtola Cœlij vocatur; & a Dione Q. Cæcilius Metellus Scipio Naſicæ F. de quo alio loco diximus. Põpeius cos. legem tulit, qua ſibi Hiſpaniam prouinciam, vt ait Dio, in alterum quinquennium; vt Plutarchus in quadriennium protogauit; item leges de vi & de ambitu acerbiores quam antea, tulit: tribunis pl. præterea auctor fuit, vt legẽ promulgarent qua ratio abſentis Cæſaris in petitione conſulatus haberetur; eaque contradicente M. Catone lata eſt. Dio etiam hoc anno ad cohibẽdum ambitum ſenatus conſultum factum per intertegnum narrat, ne quis coſularis aut prætorius, niſi poſt annos quinque, in prouincias iret. idque poſt etiam auctore ipſo Pompeio cõſule confirmatum. Scipio collega eius, cenſoriam poteſtatẽ, quam Clodius imminuerat, lege reſtituit.

De re geſta a C. Caſſio Longino quæſtore in Syria, C. Cæſare pro cos. in Gallia.

C. CASSIVS M. Craſſi quæſtor, cum ex clade quæ a Parthis ad Carrhas illata eſt, cum parte exercitus in Syriam ſe tecepiſſet incolumis; hoc (vt opinor) anno Parthorum, qui in Syriam tranſcenderãt, impetum retudit. ſiquidem ſcribit Dio, Parthos victoria elatos, non admodum magnis copiis in Syriam, quam nullo teneri exercitu opinabantur, tranſiſſe, atque a Caſſio fortiſſime repulſos eſſe. Reliqua enim quæ ab eo de Caſſio narrantur, in ſequentem annum referenda ſunt. At vero Cæſar in Italiam ad conuentus agendos profectus, cognouit de Clodij cæde. de ſenatuſque conſulto certior factus, vt omnes Italiæ iuniores coniurarent, delectum tota prouincia habere inſtituit. His rebus in Galliam perlatis, Galli retineri vrbano motu Cæſarem, nec in tantis diſſenſionibus ad exercitum venire poſſe rati, qui ante ſe populi Rom. imperio ſubiectos dolerent, liberius atque audacius de bello inire conſilia incipiunt. Carnutes belli principes ſe fore profeſſi, aliorum auxilia fide ac iureiurando petunt: ac die conſtituta Genabin profecti, ciues Romanos, qui negotiandi cauſſa ibi cõſtiterant, interficiunt. qua re Aruerni cognita, & ipſi Vercingetorige duce arma capiunt, & Pictones, Pariſios, Cadurcos, Turenos, Aulercos, Lemouicos, Andos, per legatos; Bituriges, armis ad belli ſocietatem ſibi adiungunt. His rebus Cæſari in Italiam nuntiatis, Narbonem in tranſalpinam Galliam profectus, præſidia in Rutenis prouincialibus, Volcis, Artonicis, Toloſatibus, circumque Narbonem, quæ loca erant hoſtibus finitima, conſtituit. ceteriſque quæ opportuna videbantur, comparatis, oppidum Senonum Vellaunodunum oppugnatum recepit; Genabum Carnutum in poteſtatem adductum diripit & incendit; atque in Bituriges profectus, Nouiodunum & Auaricũ diuturna oppugnatione atque difficili cepit. in Aruernos inde cum exercitum duxiſſet, vt Gergouiam diu oppugnatam omiſit, ita Alexiam, quod eſt oppidum Mandubiorum, magno apparatu obſeſſam atque circumuallatam, dedito ſibi Vercingentorige Aruerno, belli auctore & imperatore, in dicionem ſuam adduxit. Æduos Aruernoſque, qui defecerant, in fidem recepit. ipſe legatis in diuerſas Galliæ partes in hiberna dimiſſis, Bibracte hiemare conſtituit. Huius anni rebus cognitis, Romæ dierum viginti ſupplicatio indicitur. Cæſar, Dio, Plutarchus, Epitomæ.

DE COS. AN. DCCII.

IN hunc annum creati conſules ſunt M. Marcellus, Ser. Sulpicius, auctore Caſſiodoro, Plutarcho, Appiano: quos faſti Siculi vocant Rufum & Marcellum: Dio Ser. Sulpicium Q. F. Rufum, M. Claudium M. F. Marcellum. Eorum etiam conſulũ meminit Suetonius in Cæſare, Cicero in epiſtolis; & Epitoma CVIII ita; In petitione conſulatus M. Cato repulſam tulit, creatis conſulibus Ser. Sulpicio, & M. Marcello. Hic M. Marcellus C. Marcelli, eius qui cum Lentulo conſul fuit, frater Germanus fuit,

vterque enim M.F.dicitur,& a Dione,& a Capit.auctoribus.C.autem Marcellus,qui cum Paullo consul est,quem Cicero C.F. appellat, horum est frater patruelis; vt ait Suetonius.De Ser.Sulpicio Q.F.Lemonia Rufo,Cicero in IX Philippica. hic in consulatu Ciceronis repulsam passus est,prælato ei L.Murena. Hoc anno M.Marcellus cos. Cæsaris inimicus ad senatum rettulit, vt Cæsari contra legem Pompeij & Crassi ante tempus succederetur; & vt is exercitum dimitteret; & ne eius absentis in petitione consulatus ratio haberetur, & vt colonis quos ille rogatione Vatinia Nouocomum deduxisset,ciuitas adimeretur.Quibus rebus Cæsar per Ser.Sulpicium Marcelli collegam,& per tribunos pl.aliquot summa ope obstitit;atque sententiis dictis, discessionem faciente Marcello,senatus in alia omnia iuit.Itaque Cœlius ad Ciceronem scribit,perspecta Cn.Pompeij voluntate (is ad vrbem cum imperio erat) in eam partem,vt eum decedere post K.Mart. placeret,quæ erant futuræ Paullo & Marcello cos.senatus consultum factum esse prid.K.Oct. vti L.Paullus,C.Marcellus consules cum magistratum inissent,a.d.IX K.Mart.quæ in suo magistratu futuræ essent,de cōsularibus prouinciis ad senatum referrent.item senatus cōsultum factum esse,ne quis eorum qui potestatem habent intercedendi, impediendi, moram afferret, quo minus de rep.quamprimum ad senatum referretur,& senatus cōsultum fieri posset:qui impedisset,eum senatum existimare contra remp.fecisse:intercessisse huic senatus cōsulto C.Cœlium,L.Vicinium,P.Cornelium,C.Vibium Pansam.

De triumpho P. Lentuli Spintheris, & Ap. Claudij Pulchri ex Cilicia.

P. LENTVLVS Spinther in consulatu Ciliciam sortitus, eam per triennium obtinuit.ibi vero quas res gesserit,nemo literarum monumentis mandauit. Cicero tamen eum bene rem gessisse significat,cum ad eum ita scribit;Rem te valde bene gessisse rumor erat.exspectabantur litteræ tuæ. Item; Tua caussa te esse imperatorem, prouinciamque bene gestis rebus cum exercitu victore obtinere, vt debeo,lætor. Triumphasse etiam eundem indicat lib.V ad Att.cum ait; Acceperam satis celeriter Iconij per publicanorum tabellarios a Lentuli triumpho datas.Ea vero epistola quoniam scripta est idib.Febr.Paullo & Marcello cos. propterea fit vt triumphum Lentuli in hunc annum esse reiiciendum putem. Iconij enim Sulpicio & Marcello cos. fuit.Triumphauit autem serius Lentulus quam debuit inimicorū fortasse calumniis, vt alij ante multi,impeditus. Ap.autem Clodius in Ciliciam ex cōsulatu profectus, ex ea,succedente ei Cicerone,hoc anno decessit;vt ex epistolis ad eum Ciceronis apparet.ne res quidem eius gestas quisquam memoriæ tradidit.otiosum tamen in prouincia eum non fuisse,& nomen Imperatoris partum,& triumphus, quem postulaturus fuit,satis indicant.vbi autem ad vrbem venit,accusatus a P.Dolabella de maiestate,triumphi postulationē,quam in animo habuerat,abiecit. sic enim scribit ad Ciceronem in Ciliciam Cœlius; Non dubito quin perlatum ad te sit, Appium a Dolabella reum factum: sane quam non ea,quam existimaueram, inuidia. neque enim stulte Appius, qui simul atque Dolabella accessit ad tribunal, introierat in vrbē,triūphique postulationem abiecerat;paratiorque visus est quam putauerat accusator. Et Cicero ad Appium ex Cilicia;Illud plane moleste tuli, quod certissimum & iustissimum triumphum hoc inuidorum consilio esse tibi ereptum videbam.

De re gesta a M. Cicerone pro cos. in Cilicia.

M. CICERO multis post consulatum annis, hoc anno III K. Sext. ex S. C. venit pro cos. cum imperio in Ciliciam prouinciam,atque Ap.Claudio tum decedēti successit.In ea rem satis prospere gessit,ita vt parto imperatoris nomine triumphum etiā sperarit.Res ab eo ibi gestas nemo fere prodidit.Ipse tantum ad Catonem scribens ita ait; Cum ad Amanum cum exercitu venissem,Parthos ab Antiochia recessisse,Bibulum Antiochiæ esse cognoui;cumque eo animo venissem vt vtriq; prouinciæ,si ita tēpus ferret, subuenirē;tamen id quod iam statueram vehementer interesse vtriusq; prouinciæ,pacare Amanum,& perpetuum hostem ex eo monte tollere,agere perrexi:cumque me discedere ab eo monte simulassem,& alias partes Ciliciæ petere,abessemque ab Amano iter vnius diei,& castra apud Epiphaneam fecissem, a.d. IIII id.

Oct.

Oct.cum aduesperasceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, vt a.d. III id. Octobr. cum lucesceret, in Amanum ascenderem, distributisque cohortibus & auxiliis, cum aliis Q. frater legatus mecum simul, aliis C. Pontinius legatus, reliquis M. Anneius & L. Tullius legati praeessent, plerosque nec opinantes oppressimus: qui occisi captique sunt, interclusi fuga. Eranam, quae fuit non vici instar, sed vrbis, quod erat Amani caput; itemque Sepyram, & Ceminorim, acriter & diu repugnantibus, Pontinio illam partem Amani tenente ex antelucano tempore vsque ad horam diei decimam, magna multitudine hostium occisa, cepimus; castellaque sex capta, complura incendimus. His rebus ita gestis, castra in radicibus Amani habuimus apud aras Alexandri quatriduum: & in reliquiis Amani delendis, agrisque vastandis, quae pars eius montis meae prouinciae est, id tempus omne consumpsimus. Confectis his rebus, ad oppidum Eleutherocilicum Pindenissum exercitum adduxi. quod cum esset altissimo ac munitissimo loco, ab iisque incoleretur qui ne regibus quidem vmquam paruissent, cum & fugitiuos reciperent, & Parthorum euentum acerrime exspectarent, ad existimationem imperij pertinere arbitratus sum, comprimere eorum audaciam; quo facilius etiam ceterorum animi, qui alieni essent ab imperio nostro, frangerentur, vallo & fossa circumdedi; sex castellis, castrisque maximis sepsi: aggere, vineis, turribus oppugnaui: vsusque tormentis multis, multis sagittariis, magno labore meo, sine vlla molestia sumptuue sociorum, septimo *quinquagesimo die rem confeci; vt omnibus partibus vrbis disturbatis aut incensis compulsi in potestatem meam venirent. His erant finitimi pari scelere & audacia Tibarani. ab his Pindenisso capto obsides accepi; exercitum in hiberna dimisi. Eadem fere ad Att. lib. V; Saturnalibus mane se mihi Pindenissae dediderūt septimo & quinquagesimo die postquam oppugnare eos coepimus. Inde ἐν ἐπιτομῇ ea quae gesserit narrat. Tarsum, inquit, veni a.d. III non. Octob. inde in Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia aquarum diuortio diuidit; qui mons hostiū erat plenus sempiternorum. hic a.d. III Id. Oct. magnum numerum hostium cecidimus: castella munitissima nocturno Pontinij aduentu, nostro matutino cepimus, incendimus; imperatores appellati sumus; castra apud Issum habuimus. Ibi dies quinq; morati, direpto & vastato Amano, inde discessimus. Interim rumore aduētus nostri, & Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit, & Parthis timor iniectus est. Itaque eos cedentes ab oppido Cassius insequutus, rem bene gessit. qua in fuga Osaces dux Parthorum vulnus accepit; eoque interiit paucis post diebus. Venit interim Bibulus. nos Pindenissum, quod oppidum munitissimum Eleutherocilicum, omnium memoria in armis fuit, cinximus vallo & fossa, atque oppido potiti sumus. &c. Idem scribit ad Coelium. Idem se Paullo & Marcello cos. annuo imperio terminato decessisse III K. Sext. scribit saepius. De triumpho autem, quem Lentulo & Marcello consulibus acturus erat, sic lib. VII ad Att. se Pompeium vidisse IIII Id. Decembr. de triumpho hortatum esse, ne ante in senatum accederet quam rem confecisset. at ad Tironem ita; Ego ad vrbem accessi prid. non. Ian. obuiam mihi sic est proditum, vt nihil fieri potuerit honoratius. Item; Nobis inter has turbas senatus tamen frequens flagitauit triumphum; sed Lentulus cos. quo maius suum beneficium faceret, simulatque expedisset quae essent necessaria de rep. dixit se relaturum. At aliter Plutarchus; In senatu cum ei triumphum decernerent, ipsum dixisse, sibi iucundius esse si Caesarem triumphantem sequeretur. Hac certe ille spe in vrbem nonnisi victo Pompeio introiuit, ac lictores & fasces laureatos semper habuit.

De re a C. Cassio quaestore, & a M. Bibulo pro cos. gesta in Syria.

M. BIBVLVS, qui Caesaris in consulatu collega fuit, hoc anno in prouinciam Syriam pro consule venit aliquanto serius quam in Ciliciam Cicero. Nam ad Atticum loco citato, vbi dixit, se post diem III id. Octob. Amano vastato discessisse, ita subiicit; Interim rumore aduentus nostri, & Cassio, qui Antiochia tenebatur, animus accessit, & Parthis timor iniectus est. Itaque eos cedentes ab oppido Cassius insequutus, rem bene gessit. qua in fuga magna auctoritate Osaces dux Parthorum vulnus accepit; eoque interiit paucis post diebus. Venit interim Bibulus: in eodem Amano coepit

laureolam in mustaceo quærere. at ille cohortem primam totam perdidit, & centurionem primipili Asinium Detonem, & Sex. Lucilium tribunum militum. De vtroque autem sic Dio; Iterum Parthi Pacori Orodis regis filij nomine, Osace quodam duce, se in Syriam intulerunt; atque redactis omnibus in potestatem locis, vsque ad Antiochiam peruenerunt. a quo oppido Cassij virtute repulsi, iter ad Antigoniam cõuerterunt; atque in itinere positis insidiis ab eodem circumuēti, magnam cladem Osace ipso duce interempto acceperunt. quo sublato, Pacorus tota Syria recessit. Itaq; Bibulus, qui Syriæ deinde præfuit, quietam prouinciā eam habuit, ac inter Parthos ipsos bellum concitauit. Ornodapanta enim satrapen quendam, Orodis regis inimicum, impulit vt Pacorum filium regem constitueret, ac cum eo bellum aduersus Orodem gereret. Ita bellum Romanorum cum Parthis, quarto, ex quo cœptum erat, anno finem habuit Sulpicio & Marcello cos. Appianus etiam in Syriaca Parthos proconsule Bibulo in Syriam irrupisse ait. De C. Cassio sic Velleius; Reliquias legionũ Crassi C. Cassius, atrocissimi mox auctor facinoris, tum quæstor conseruauit; Syriamque adeo in populi R. potestate retinuit, vt transgressos in eam Parthos felici euentu fugaret ac funderet. Cæsar lib. III Belli ciuilis, M. Crassum imp. a Parthis interfectũ, M. Bibulum in obsidione habitum scribit.

De re gesta a C. Cæsare pro cos. in Gallia.

CAESAR rebellantes Gallos per hiemem in fide continuit: eodemque tempore Carnutes, a quibus Bituriges se bello opprimi querebantur, est persequutus. inde Bellouacos, quos Corbeo Bellouaco, & Commio Atrebate exercitum comparare comperecrat, vt in fines Suessionum, qui Rhemis attributi erant, impressionem facerent, adortus, equestribus prœliis afflictos, Corbeo interfecto ad deditionem compulit. A C. Caninio & C. Fabio legatis, in Pictonibus res bene gesta est. Vxellodunum a Drapete & Luterio in Carnutibus occupatum, magnis operibus obsessum, atque aquarũ copia interclusum, tandem in potestatem Cæsaris venit. In Treuiris a Labieno bene pugnatum. In Aquitaniam, quam ante per P. Crassum deuicerat, profectus, omnes ciuitates eius in fidem recepit. Quibus rebus gestis, dimissis in hiberna legatis, ipse Narbonem contendit. ac paucos dies in prouincia moratus, in Belgium ad legiones se recepit, ibique hibernauit. Hirtius, Dio, Plutarchus, Orosius.

DE COS AN DCCIII.

INDE L. Paullus, C. Marcellus consules subsequuti sunt; auctore cum Siculis Cassiodoro, Dione, Suetonio, & Hirtio lib. VIII. Horum alter, L. Æmilius M. F. Paullus a Dione; alter, C. Claudius C. F. Marcellus a Cicerone in epistolis nominatur. Dio hũc ab aliis ἀνεψιόν, ab aliis ἀδελφὸν M. Marcelli traditum; Suetonius patruelem fuisse aperte scribit. L. Paullus præturam gessit Caluino & Messalla cos. anno antequam Clodius occideretur. Itaque Cicero sic loquitur pro Milone; P. Clodius cum videret ita tracta esse comitia anno superiore, vt non multos menses præturam gerere posset, qui L. Paullum collegam effugere vellet, subito reliquit annum suum, seque in annum proximum transtulit. Hoc anno veritus Cæsar, ne se prouincia & exercitu spoliatum consulatum præsentem petere inimici sui compellerent, L. Paullum consulem, & C. Curionem tribunum pl. ante actionibus suis aduersatum, magna mercede sibi defensores parauit. Cum de dimittendis Cæsaris exercitibus referretur, Curio ita assensus est, si & ceteri quoque (nimirum Pompeium notans, qui post consulatum secundũ) in Hispania per legatos bellum gerebat, atque hoc etiam anno pro cos. ad vrbem erat ab armis discederent, atque exercitus dimitterent. In eam sententiam ne discessio fieret, consules & amici Pompeij impedimento fuerunt. Senatus consultum fit, vt ad bellum Parthicum legio vna a Cn. Pompeio, altera a C. Cæsare mitterentur. Cæsar Cn. Pompeio legionem primam remisit, quam ab eo ex Pompeij numero acceperat; & ex suo numero quintam decimam. atque ita duabus legionibus spoliatus est, quæ cum ad bellum Parthicum non essent necessariæ, Cn. Pompeio a Marcello consule traditæ sunt. Hirtius, & Dio, & Plutarchus.

De

De cenſoribus.

CENSORES in hunc annum refert Dio Ap. Claudium, & L. Piſonẽ Cæſaris ſocerum. Idem ab Ap. Claudio multos equites & ſenatores notatos ſcribit inuito collega; libertinos, atque alios nobiles multos, atque inter ceteros C. Saluſtium hiſtoricũ, ſenatu eſſe motos. Vnde ſcriptum eſt in declamatione contra Saluſtium; Cenſorium illud elogium Ap. Claudij & L. Piſonis, quo vſus eſt quiſque eorum pro lege, palam vniuerſis recitarem. Ap. Claudij cenſoris meminit Cicero in epiſtolis ad Appium ipſum hoc anno ex Cilicia ſcriptis. item in libro de diuinatione primo, ita; Appius cẽſor non ſatis ſcienter P. Ateium notauit, quod ementitum auſpicia ſubſcripſerit. Cæſar etiam libro primo de Bello ciuili, meminit L. Piſonis cenſoris Lentulo & Marcello cos. Adiicit Dio, neminem prudentem hoc tempore hunc magiſtratũ affectaſſe, ne aut notandis ciuibus, in odium; aut notis prætereundis, in populi reprehenſionem incurreret. Cenſum actum inde quis ſuſpicari poterit, quod ſcribit Plutarchus ante bellum ciuile CCCXX millia ciuium cenſa cum anno DCCVI, Cæſare cenſum agẽte, dimidio minus inuenta ſint.

De re geſta a Cæſare pro cos. in Gallia.

CAESAR hoc anno nullum bellum geſſit, verum operam dedit ne ſub diſceſſũ ſuo neceſſitatem ſibi aliquam imponeret belli gerendi. Itaque honorifice ciuitates appellando, principes maximis præmiis afficiendo, nulla onera noua imponẽdo, defeſſam tot aduerſis prœliis Galliam, conditione parendi meliorem facile in pace continuit. Ipſe hibernis peractis in Italiam profectus eſt, vt municipia & colonias appellaret, quibus M. Antonij quæſtoris ſui commendaret ſacerdotij petitionem; T. Labieno Galliæ Togatæ præfecto, in Treuiros ad exercitum rediit, neque aliud memorabile geſſit. Rufus Gallias & Britanias decimo anno a Cæſare tributarias factas ſcribit. Et Velleius, Galliæ ductu auſpiciiſq; Cæſaris infractæ, pene idem quod totus orbis, ignauum conferunt ſtipendium. Et Suetonius; Omnem Galliam quæ a ſaltu Pyrenæo, Alpibuſque, & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patetque circuitu ad bis & tricies centum millia paſſuum, præter ſocias ac bene meritas ciuitates, in prouinciæ formam redegit; eique *in ſingulos annos ſtipendij nomẽ impoſuit.

DE COS. AN. DCCIIII.

HIC annus conſules habuit L. Lentulum, C. Marcellum. auctor Caſſiodorus, Appianus, Plutarchus, Hirtius, Florus, Cicero in epiſtolis. Dio hos conſules vocat L. Cornelium P.F. Lentulum, C. Claudium M.F. Marcellum. In fragmentis Capitolinis eſt etiam C. CLAVDIVS M.F.M.N. MARCELLVS. Significat etiam Hirtius lib. VIII, Ser. Galbam præteritum his comitiis, cum ait; Inſolenter aduerſarij Cæſaris gloriabãtur L. Lentulum & C. Marcellum conſules creatos, qui omnem honorem & dignitatem Cæſaris exſpoliarent; ereptum Ser. Galbæ conſulatum, cum is multo plus gratia ſuffragiiſque valuiſſet, quod ſibi coniunctus & familiaritate & neceſſitudine legationis eſſet.

De bello ciuili Cæſaris, & C. Cæſare dictatore.

QVOD prioribus duobus annis ab aduerſariis Cæſaris obtineri non potuit, initio huius anni perfectum eſt. Etenim in ſententiam Scipionis Metelli ſenatus conſultum factum eſt, vt ante certam diem Cæſar exercitum dimitteret; ſi non faceret, eum aduerſus remp. facturum videri. interceſſit M. Antonius, Q. Caſſius tribuni pl. Itaque de imperio Cæſaris, & de tribunis pl. intercedentibus, grauiſſime acerbiſſimeque decretum eſt. factum etiam ſenatus conſultum eſt ante diem VII id. Ian. darent operam conſules, prætores, tribuni pl. quique conſulares eſſent ad vrbem, ne quid reſp. detrimenti caperet. Profugiunt ſtatim ex vrbe tribuni pl. ſeque ad Cæſarem, qui Rauennæ eo tempore erat, exſpectabatque ſuis poſtulatis reſponſa, conferunt. Poſt ſenatus cõſultum fit, vti pecunia Pompeio ex ærario detur: prouinciæ conſulares Syria & Gallia priuatis decernuntur; reliquæ, prætoriæ: Scipioni obuenit Syria, L. Domitio

Gallia: in reliquas prouincias prætores mittuntur; paludatiq; votis nuncupatis exeũt: tota Italia delectus habentur, arma imperantur, pecuniæ a municipiis exiguntur. Cæſar, cum inimicorum decretis, tum verbis Antonij & Caſſij incitatus, exercitum ad ſuam dignitatem aduerſus inimicos ſuos defendendam hortatus, traiecto Rubicone, Ariminũ, quod extra prouinciam eius erat, proficiſcitur. Idẽ, vbi miſſis vltro citroque de pace legatis, res conuenire non potuit, exercitu Piſaurum, Fanum, Anconam occupat; Tignium recipit, & Auximum. Quibus rebus magnus Romæ terror coortus: Roma conſules atque optimates omnes profugerunt. Interim Picenum Cæſar percurrit: Aſculum a Lentulo Spinthere deſertum recipit; Corfinij, quod a L. Domitio Ahenobarbo tenebatur, vna cum ipſo Domitio, quem tamen dimiſit, potitur. His rebus auditis, Pompeius Luceria proficiſcitur Canuſium, atque inde Brunduſiũ; Brunduſio autem munito, in Epirum Dyrrhachium, quo conſules ante traiecerant, cum omnibus copiis, relicta Italia traiicit. Cæſar eum perſequutus, cuſtodibus Brunduſio impoſitis ad vrbem redit. Ibi concione aduocata, iniuriis inimicorum expoſitis, animum ſuum egregium reip. recuperandæ ac conſeruandæ aperit: pecuniaque ex ærario, quamquam L. Metello tribuno pl. reclamante, extorta, M. Lepido vrbi præfecto, in Hiſpaniam, quæ a legatis Pompeij poſt ſecundum (vt dixi) eius conſulatum L. Afranio & M. Petreio tenebatur, profectus, Maſſiliam, quæ ſibi in itinere portas claudebat, obſedit. ac relictis in obſidione vrbis eius legatis C. Trebonio & D. Bruto, cum in Hiſpaniam perueniſſet, Afranium & Petreium cum VII legionibus ad Ilerdã in deditionem accepit, atque ambos incolumes dimiſit. Hiſpaniis receptis, Maſſilienſes duobus prœliis naualibus deuicti, diuturna obſidione fatigati, poteſtati ſe Cæſaris permiſerunt. Cæſar Maſſiliæ latam Romæ de dictatore creando legem, ſeque a M. Lepido prætore dictatorem dictum cognouit. Placentiæ militibus ſeditionem mouentibus cohibitis, Romam venit. Sic Cæſar libro primo de bello ciuili. at Dio ita; Cæſare reuertẽte ex Hiſpania, M. Æmilius Lepidus, is qui poſtea triumuir factus eſt, prætor populo perſuaſit vt Cæſarem dictatorem crearet; eumque ſtatim dixit cõtra leges. Is autem vbi in vrbem venit, magiſtratu inito, exſulibus omnibus redeundi poteſtatem, præterquam Miloni conceſſit: magiſtratus ſubrogauit, ſacerdotes ſuffecit, Gallis tranſpadanis ciuitatem dedit. quibus rebus actis, dictatura ſe abdicauit. Plutarchus Cæſarem intra XI dies dictatura abiiſſe, cum a ſenatu dictus eſſet, ait. Appianus eum neque a ſenatu, neque a conſule, ſed a ſeipſo dictatorem factum ſcribit; verum ſiue ad leuandam inuidiam, ſiue quod eo magiſtratu non egeret, per XI tantum dies eam tenuiſſe. Qua de re ſic ipſe tradit lib. III; Cæſar his rebus, & feriis Latinis, comitiiſque omnibus perficiundis, XI dies tribuit; dictaturaque ſe abdicat; & ab vrbe profectus, Brunduſium peruenit. Quantum autem ex Capitolinis fragmentis intelligi poteſt, creatus eſt ſine magiſtro eq. quod etiam ante fieri cœptum fuerat. Eodem anno P. Dolabella Cæſaris legatus, a M. Octauio & L. Scribonio Libone Dalmatia pulſus: C. Antonius ibidem captus eſt. C. Curio Siciliam M. Catone exacto occupauit; cumque in Africam traieciſſet, ac proſpere aduerſus Atium Varum pugnaſſet, a Iuba rege Mauritaniæ Põpeianas partes tuente, cum exercitu cæſus eſt. Dio, alij.

DE COS. AN. DCCV.

CASSIODORVS in hunc annum edit conſules C. Cæſarem II, & P. Seruilium; Dio C. Iulium C.F. Cæſarem II, P. Seruilium P.F. Iſauricum. Hi autem creati ſunt dictatore habente comitia Cæſare. ſic enim ipſe lib. III ſcribit; Dictatore Cæſare habẽte comitia, conſules creantur Iulius Cæſar & P. Seruilius Iſauricus. is enim erat annus quo per leges ei conſulem fieri liceret. Idem ſcribit Plutarchus, Suetonius, & Appianus. Legem autem intelligit eam qua vetabatur ne quis intra decem annos iterum conſul fieret. P. Seruilius, P. Seruilij F. eſt, eius qui primus Iſaurici cognomen inuenit; qui hoc anno conſulatum Romæ, Cæſare in Macedonia rem gerente, adminiſtrauit, ac M. Cœlio prætori, ſeditiones in vrbe nouarum ſpe tabularum ſollicitata plebe concitanti, magiſtratum abrogauit. Is vrbe pulſus, Miloni exſuli, qui fugitiuorum exercitum contraxerat, ſe coniunxit. Vterque, cum bellum molirentur, interempti ſunt. Dio, Appianus, alij.

De re gesta a C. Cæsare aduersus Cn. Pompeium.

CN. POMPEIVS, magnis ex omni Asia copiis comparatis, Thessalonicæ hiemauit; ratus, Cæsarem bello Hispaniensi diu occupatum, aduersus se hoc anno non esse exercitum adducturum. Cæsar autem exitu anni Roma profectus, Brundusium contendit; cumque Epirum ipsam exiguo fere inimicorum teneri præsidio accepisset, in eam II non. Ian. traiecit. Eidem, Orico atque Apollonia receptis, Dyrrhachium petenti, ad flumen Apsum Pompeius, improuiso eius aduetu accepto, ex Macedonia occurrit. qui cum sibi pugnandum esse statuisset, recenti Antoniani exercitus ad Cæsarem aduentu commotus, cum se persequente Cæsare Dyrrhachium recepisset, Cæsarem prœlio ita vicit, vt ille ob rei frumentariæ inopiam castra inde in Thessaliam trãsferre coactus fuerit. Qua de caussa Pompeius Imperator appellatus, magno eum animo persequutus, in Pharsalia e regione substitit. Ibi ambobus exercitibus extremo congressis prœlio, Pompeius maxima accepta clade fugatus, cum ad mare peruenisset, nauim conscendit; atque in Ægyptum delatus, iussu regis Ptolemæi, auctore Theodoto præceptore, & Photino, occisus est ab Achilla in nauicula, antequam in terrã egrederetur, eodem die quo de Mithridate & Tigrane regibus triumpharat. Cornelia vxor, & Sex. Pompeius filius, in Cyprum refugerunt. Cæsar post diem tertium insequutus, cum ei Theodotus caput Pompeij & annulum obtulisset, doluit, & illacrymauit. Appianus, Dio, Plutarchus, alij.

De Cæsare Dictatore II; *& consulibus an.* DCCVI.

IN hunc annum C. Cæsarem Dictatorem cum magistro equitũ M. Antonio creatum inuenio, non solum in tabulis Capitolinis, sed etiam apud Dionem & Plutarchum. Dio quidem ita scribit; Populus R. audita Cn. Pompeij cæde, enixe operam dedit, vt Cæsari victori quam honorificentissima decreta fierent. Ergo consulatum in quinque deinceps annos, dictaturam non in sex menses, vt ante, sed in annum, tribuniciam potestatem in perpetuum ei mandauit. Cæsar autem, quamuis extra Italiã esset, dictaturam statim iniit, cum magistrum eq. M. Antonium nondum prætorium sibi subrogasset, auguribus negantibus magisterium equitum nisi in sex menses posse mandari. In quo irridendi erant, quod de dictatore contra leges in annum creato nihil dicerent, magistrum eq. in annum gerere magistratum indigne ferrent. Plutarchus autem hoc modo; Cæsar Alexandria recepta, & Pharnace in Ponto superato, in Italiam traiecit; & Romam venit exitu eius anni in quem Dictator iterum dictus fuerat, cum numquam antea magistratus ille annuus fuisset. Itaque apud Dionẽ etiã Cicero obiicit Antonio, quod magisterium equitum in totum annum tenuerit; quod nemo ante fecerat. & ipse Cicero in II Philippica, M. Antonium ait, Cæsare ignaro, cum ille esset Alexandriæ, beneficio amicorum magistrum equitum esse constitutũ. Quo autem titulo hanc dictaturam Cæsar ceperit, nemo tradit. Si autem sequamur laudationem M. Antonij apud Dionem, in qua ille dictatorem aduersus hostes Cæsarem creatum ait, rei gerendæ caussa factum dicemus. verum funebres laudationes, vt inquit Cicero, corrupere Romanam historiam. Ego nõ alia caussa dictaturam inuasisse Cæsarem opinor, quam vt ea potestate, quæ summa erat, omne ad sevnum ius reip. traheret, quod ante multorum erat. quod posteri eius, sublato iam a M. Antonio cos. Dictatoris nomine; *Imperatoris* vocabulo expresserunt. Itaque constituendæ reip. & rei gerendæ caussa factum notaui. hunc enim titulum ante Sylla, & post triũuiri dominationi suæ prætulerunt, vt se reip. constituendæ caussa magistratum eum sumpsisse dicerent. Ceterum ineunte hoc anno, addit Dio fœdum ac miserabilem prope fuisse vrbis Romanæ aspectum, nullis nec prætoribus nec consulibus designatis. & quamquam (inquit) M. Antonius magister equitũ purpurea veste, & sex lictoribus vsus, speciem quandam libertatis antiquæ referebat; tamen quia præsidiis militum septus, comitiis populi intererat, tyrannidem eam esse putabat ciuitas: cumque ea magister equitum faceret, multo grauiora dictatorem ipsum esse facturum suspicabatur. Paulo post profectus ab vrbe Antonius, præfectum vrbis reliquit L. Cæsarẽ senem: quod numquam ante factũ fuerat a magistro equitum. Eodem autem hoc anno consules fuerunt Q. Fufius Calenus, & P. Vatinius. Hoc cum ex Capitolinis

tabulis,tum ex historia Dionis cognoscitur,apud quem ita scriptum est; Ægyptus recepta,& Pharnaces victus est anno illo quo Cæsar ipse vere dictator iterum fuit;consules autem exitu anni creati Calenus & Vatinius esse dicebantur. Item in indice ita;

C.Iulius.C.F. Cæsar. Dict.II.
M.Antonius.M.F. Mag.eq. Consules vero
Q.Fufius.Q.F. Calenus.
P.Vatinius.P.F.

Itaque Cassiodorus,qui dictatorum non meminit,consules in hunc annum edit Q. Fufium,P.Vatinium (quamquam non sine librorum menda)fasti autem Siculi Calenum & Vatinium. De Vatinio autem cos. ita scribit Macrobius lib. II; In consulatu Vatinij,quem paucis diebus gessit,notabilis Ciceronis vrbanitas circumferebatur. Magnum ostentum,inquit,anno Vatinij factum est; quod illo consule nec ver, nec æstas,nec autumnus fuit. Querenti deinde Vatinio, quod grauatus esset domum ad se infirmatum venire,respondit;Volui in consulatu tuo venire;sed nox me dephrendit. Hoc autem dictum in C.Caninium aptius cadit; quem post in vnam noctē consulem Cæsar creauit, vt infra dicemus. P.Vatinius ex consulatu in Illyricum missus est a Cæsare, vt post in triumpho eius ostendemus. L.Trebellius & P. Dolabella tribuni pl. inter se de lege nouarum tabularum ferenda in vrbe contenderunt. Qua de caussa cum plebs tumultuaretur, inductis a M.Antonio magistro eq. in vrbem militibus, octingenti e plebe cæsi sunt. Cæsar veteranis cum seditione missionem postulantibus dedit. Epitomæ, Dio, alij.

De re gesta a Cæsare in Aegypto, atque in Ponto.

BELLVM hoc anno gessit Cæsar in Ægypto ad Alexandriam;in quo gerendo nouem(vt ait Appianus)menses consumpsit. Gessit autem id neque loco neque tempore æquo,sed hieme, ac inops rerum omniū,& imparatus, auctore Suetonio; hac occasione. Quo tempore ipse Cn.Pompeium in Ægyptū persequutus est,Ptolemæus puer cum sorore Cleopatra,quam paucis ante mensibus regno expulerat, armis decertabat. Cæsar ad se pertinere existimans,quod consul esset,de controuersiis regum cognoscere,sibi placere dixit,Ptolemæum & sororē a bello discedere, & iure potius quam armis apud se de controuersiis disceptare. Itaque Cleopatræ (cuius etiam amore captum fuisse eum ferunt)& Ptolemæo maiori Ægyptum, Arsinoæ & Ptolemæo minoribus Cyprum adiudicauit. Photinus autem regni pueri procurator, grauiter ferens, Cleopatram in societatem Ægyptij regni venisse, per Achillam exercitū in Cæsarem comparat. qui exiguitate copiarum eius fretus, Alexandriam adortus, a Cæsare repellitur. Arsinoe, vacuam regni possessionem sperans, se ex regia ad Achillam traiecit,& vna bellum administrare cœpit. Photinus interea a Cæsare; Achilla post ab Arsinoe, orta inter eos de principatu discordia, per Ganymedem, ad quem imperium delatum erat, est interfectus. Hoc bello his Cæsar detrimentis affectus est. primum, aquarum vsu, fistulis incisis, ab hostibus spoliatus est. deinde, cum classis eius diriperetur, facibus, quibus etiam insignis illa Ptolemæi bibliotheca flagrauit, hostes propulsare coactus est. post cōmissa ad Pharum pugna, cum quandam nauiculam, vt suis opem ferret, conscendisset, ab hostibus oppressus, se e nauicula eiecit; ac natans, vix ad suos incolumis rediit. Postremo autem, cum rex Ptolemæus ab eo ad Ægyptios spe fœderis feriendi missus, apud eos mansisset, Cæsar summo cum iis prœlio decertauit, in quo rex cum magna Ægyptiorum parte deletus, Arsinoe capta est. Qua victoria parta, Cæsar Cleopatræ,& fratri eius minori Ptolemæo, regnum Ægypti tradidit; atque in Pharnacem Bospori regem se contulit. Hic enim cum a Pompeio bello Mithridatico Bospori Cimmerij rex constitutus esset, captato tempore quo Romani inter se armis contendebant, patrij recuperandi regni cupidus, Colchida & Armeniam, & Cappadociæ, & Ponti partem in potestatem adduxit; Domitium Caluinum, a Cæsare ad eius conatus comprimendos missum, profligauit; atque hac victoria ferox, reliquas Ponti partes expugnata Amiso occupauit. Hinc cum in Bosporum ad domesticos tumultus sedandos rediret, accepto Cæsaris

in se

in se ex Ægypto impetu, sibi subsistendum ratus, cum eo ad *Zeliam congressus, vno prœlio fugatus, cum in Bosporum confugeret, ab Asandro Bosporani tumultus auctore est necatus. Quo factum est vt merito Cæsar gloriatus sit, se ita cum Pharnace pugnasse, vt eadem hora venerit, viderit, & vicerit. Cæsar, Hirtius, Dio, Appianus, Plutarchus.

De triumpho M. Aemilij Lepidi pro pr. ex Hispania.

Hoc anno M. Lepidum ex Hispania triumphasse tradit Dio lib. XLIII, his verbis Cæsar, vbi primum a M. Lepido prætore dictator dictus est, (id autem biennio ante factum est) ipsum statim post præturam in citeriorem Hispaniam misit, & reuersum triumpho ornauit; cum tamen ille non solum neminem vicisset, sed ne omnino quidem pugnasset; hoc titulo, quod rebus a Longino & Marcello gestis interfuisset. Itaque Lepidus in triũpho nihil aliud tulit quam pecunias, quibus socios spoliarat. Hoc modo extulit Lepidum Cæsar, eundemque sibi consuli collegam, dictatori magistrũ equitum subrogauit. De rebus autem a Q. Cassio Longino & M. Marcello quæstore, Cæsare, & Seruilio cos. gestis, idem tradit lib. XLII. Scriptum est etiam in Epitoma CXI ita; Propter Q. Cassij (sic enim legendũ, non Catuli) prætoris auaritiam crudelitatemque, Cordubenses in Hispania cum duabus Varianis legionibus a partibus Cæsaris desciuerunt. Probant etiam hunc triumphum Capitolini fasti; in quibus M. Lepidum anno DCCX triumphasse II ex Hispania, scriptum est.

DE COS. AN. DCCVII.

De magistratibus huius anni non eadem sentiunt ij qui Capitolinos magistratus digesserunt, & qui annales Romanos scripserunt. Nam illi Cæsarem dictaturam secundam in annum tantum priorem gessisse putant, hoc autem anno dumtaxat consulatum cum M. Lepido administrasse: hi vero, Cæsarem hoc anno dictaturam tertiam, & consulatum tertium cum M. Lepido gessisse aiunt; ita vt Cæsar hoc anno III dictator fuerit, postero IIII, tertio V. Ergo omnis in eo quæstio posita est, an Cæsar quater an quinquies dictator fuerit. Verba eorum primum apponam; post quid ipse sentiam, adscribam. Dio ita lib. XLIII; Postero vero anno dictaturam quoque vna cum consulatu, vtrumque tertium gessit, collega sibi subrogato in vtroque magistratu M. Lepido. & in indice libri hoc modo; C. Iulius C. F. Cæsar dictator cum M. Æmilio Lepido mag. eq. & cos. III cum Æmilio Lepido. Idem sentire videtur Suetonius, cum scribit; Cæsar tertium & quartum consulatum titulo tenus gessit, contentus dictaturæ potestate cum consulatibus decretæ: atque vtroq; anno binos consules substituit sibi in ternos nouissimos mẽses; ita vt medio tempore comitia nulla habuerit, præter tribunorum & ædilium plebis; præfectosque pro prætoribus constituerit, qui præsente se res vrbanas administrarent. Omnino ergo Suetonius cum Dione sentire videtur; præterquam quod in ternos etiam huius anni nouissimos menses, binos consules sibi suffecisse eum scribit; quod nemo prodidit. Dio autẽ adiicit, consulem eum non nisi extremo hoc anno cum M. Lepido esse creatũ. Hirtius etiam lib. V auctor est, Cæsarem Africa recepta (recepit autem hoc anno) dictatorem fuisse III, designatum IIII. A Capitolinis autem lapidibus stat etiã vetustissimus alter lapis, qui quõdam Romæ fuit in hortis Colotianis, in quo multi consules horum temporũ magna diligentia descripti sunt; qui Cæsarẽ quater tantum dictatorẽ prodit. & fortasse etiam Plutarchus, qui inquit; Pharnaces victus est exitu eius anni quo Cæsar iterũ dictator cum M. Antonio fuit. nam in insequentẽ annum consul creatus est. Itẽ in Antonio; Cæsar III cos. designatus, non Antonium, sed Lepidum collegã sibi asciuit. Et Eutropius, qui ita loquitur; Cæsar Pharnace victo se Romam contulit; & tertio se consulem fecit cum M. Æmilio Lepido, qui ei magister equitum dictatori ante annum fuerat. Ergo res ita habere videtur. Anno DCCIIII, pulso Italia Põpeio, Cæsar dictatura in sex menses capta, post XI dies abdicauit. anno DCCV, victo occisoque Pompeio, quo anno consulatũ cum Seruilio gessit, decreta est ei dictatura altera in annũ; quam postero anno cum M. Antonio magister equitũ gessit. Eodemq; anno, Scipione & Iuba in

Africa superatis, decreta est ei dictatura tertia in X annos, quam anno DCCVIII cum M. Æmilio Lepido gessit. Eodemque anno, victis in Hispania Pompeij filiis, dictatura quarta ei in perpetuum mandata est; quam gessit anno DCCIX cum M. Lepido magistro equitum II. M. Lepidus anno DCCIII præturam gessit, Cæsare & Dione auctoribus. In fastis Siculis Cæsar cum Lepido consules suggeruntur. Lapidis Colotiani exemplum ad amussim descriptum hoc loco placuit interponere; quod eius sæpe testimonio sequentes fastos confirmaturi ac expleturi sumus.

C. IVLIVS. CAESAR. IIII SINE CONLEGA DIC. =

SVF Q. FABIVS. MAXIM. C. TREBONIVS C. F.

C. CANINIVS C. F.

==VLIVS. CAESAR. DICT. IV. M. AEMILIVS. M. EQ.

C. IVLIVS. CAESAR. V. M. ANTONIVS. M. F.

SVF. P. CORNELIVS P. F.

C. VIBIVS C. F. PANSA. A. HIRTIVS A. F.

SVF C. IVLIVS. CAESAR. SVF Q. PEDIVS Q. F.

C. CARRINAS C. F. P. VENTIDIVS P. F.

==EMILIVS. M. ANTONIVS. IMP. CAESAR IIIVIR. R. P. C.

EX A. D. V. K. DEC. AD PR. K. IAN. SEX.

=MVNATIVS L. F. M. AEMILIVS M. F.

=ANTONIVS. P. SVLPICIVS CENS. LVST. N. F.

=ANTONIVS P. SERVILIVS P. F.

=N. DOMITIVS M. F. C. ASINIVS CN. F.

=VF. L. CORNELIVS. SVF. P. CANIDIVS P. F.

De re gesta a C. Cæsare cos. in Africa.

C. CAESAR, Pompeio fugato, Ægypto subacta, Pharnace superato, extremo anno quo dictator iterum fuit, Romam rediit; atque haud ita multo post, media hieme IIII K. Ian. contra Scipionem & Iubam Mauritaniæ regem, in Africam exercitum duxit: in quam post pugnam Pharsalicam P. Scipio & M. Cato se receperant, atq; ibi partes Pompeianas, dum Cæsar in Ægypto moratus est, Iuba socio adiuncto, confirmarant; cum earum imperium ad P. Scipionem delatum, Vticæ autem tutela & custodia M. Catoni mandata esset. Ibi Scipio prœliis aliquot secundis elatus, collatis ad Tapsum cum Cæsare signis, in fugam cum exercitu coniectus; Afranij & Iubæ castra eodem impetu victoriæ a Cæsare capta ac direpta sunt. Inde cum citato cursu Cæsar Vticam contenderet, vt viuum Catonem in potestatem adduceret, eum, audita suorum clade, sibi mortem consciuisse inuenit. Post prœlium Petreius Iubam seq; ipsum interemit. Scipio in naue circumuentus, honestæ morti vocem quoque adiecit. quærentibus enim hostibus imperatorem, dixit; Imperator bene se habet: atque se percussum in fluctus intulit. Faustus & Afranius, cum in potestatem venissent, occisi sunt. Catonis filio venia data est. Cæsar Romam exercitum deportauit. ob has res ei supplicatio XL dierum decreta est. Dio, Appianus, Hirtius, alij. Hoc bello Numidia, quæ in potestate regis fuerat, in prouinciæ formã redacta est, Hirtio, Appiano, & Velleio auctoribus. quamquam apud Velleium insignis labes est. sic enim vulgo legitur; Ab eodem facta Numidicus Ciliciam perdomuit visa vicisset post bellum Antiochinum Cn. Manlius Vulso Gallogræciam. loquebatur de Cæsare, a quo Gallia prouincia facta erat. inde pergit; Ab eodem facta Numidia. Ciliciam perdomuit Isauricus; & post bellum Antiochinum Cn. Manlius Vulso Gallogræciam. sic enim historiæ veritas legendum admonet.

De IIII triumphis C. Cæsaris, Gallico, Alexandrino, Pontico, Africano.

EODEM anno Cæsar Romam ex Africa reuersus, quatuor triumphos in vrbem inuexit; vt Dio, Appianus, Plutarchus, & Suetonius auctores sunt. Nam Cassiodorus eos in eum annum refert, quo ipse cum Q. Fabio cos. fuit. Suetonius quater eodẽ mense, interiectis diebus; itemque Dio & Appianus triumphatum referunt. Florus autem,

autem,cum post Hispaniensem victoriam,quam Cæsar postero anno rettulit,horum triumphorum mentionem fecerit,satis indicare videtur,hos triumphos non hoc anno,sed sequenti fuisse actos. Triumphauit autem ex Galliis,ex Ægypto,ex Ponto, ex Africa. De Gallico triumpho sic Suetonius; Primum & excellentissimum triumphum egit Gallicum;cuius die Velabrum præteruehens,pene curru excussus est, axe defracto. Et Florus;Primum de Gallia triumphum transmiserat Rhenus & Rhodanus,& ex auro captiuus Oceanus. Hoc triumpho narrat Dio & Suetonius milites Cęsaris inter carmina,qualia currum prosequentes ilocaliter canunt,etiam id pronuntiasse; *Gallias Cæsar subegit;Nicomedes Cæsarem. Ecce Cæsar nunc triumphat,qui subegit Gallias: Nicomedes non triumphat,qui subegit Cæsarem.* Quod iniquo animo a Cæsare latũ tradit Dio.qui idem Vercingetorigem Gallorum regem in triumpho ductum, post necatum ait:in triumpho autem Ægyptio,grauiter animos populi Ro. affecisse Arsinoeri reginam ductam,quamquam post a Cæsare fratrum rogatu dimissam:in triumpho Pontico titulum præ se tulisse,cum his verbis; VENI, VIDI, VICI;cum celeritatem victoriæ notare vellet. Ex Africa autem triumphauit, non vt de victis ciuibus; quod nemo ante fecerat;sed tamquam de Iuba rege. quo in triumpho grauiter tulit populus R.imagines ciuium Romanorum qui victi fuerant, & eorum casus descriptos transferri; vt Catonis,Scipionis,Afranij,& aliorum.Iuba regis filius, is qui historiam scripsit,captiuus in hoc triumpho ductus est. Ac reliquos quidem triumphos ex vetere instituto egit, vltimo autem die, postquam cœnatum est, ipse in suum forũ calceatus,& variis floribus coronatus venit; atq; inde domum vniuerso populo prosequente,& multis elephantis lampadas ferentibus,se recepit. Ita Dio. Adiicit de horum triumphorum ornatu Velleius; Gallici triumphi apparatum,ex citro; Pontici, ex acantho; Alexandrini, testudine; Africi,ebore; Hispaniensis,argento rasili constitisse. Idem triumphis actis,magnis populum congiariis affecit;ludos fecit, epulum dedit;gladiatores & naumachiam ludis funebribus Iuliæ filiæ edidit; ædem Veneri Genitrici prœlio Pharsalico votam dicauit;forum Iulium exstruxit:iudicia equitibus & senatoribus communicauit; prætoriis prouinciis annum, consularibus biennium statuit:annum ordinauit;senatum suppleuit,patricios adlegit. Dio, Appianus, Plutarchus,Suetonius.

De censu a C. Cæsare acto.

AFRICA a Cæsare subacta,singulares ei a senatu honores decretos inuenio apud Dionem: in primis autem XL dierum supplicationem,triumphos quatuor, dictaturam in decennium;atque vt moribus præfectus esset in triennium. eo enim nomine eum potius quam censorem appellandum esse putauerunt; quod censoris nomen parum ei decorũ esse existimarent.Itaq; eum hoc anno censum egisse, ac pro CCCXX millibus ciuium,quæ ante ciuile bellum censa essent,C L millia tantum,reliquis bello ciuili confectis,inuenisse. cum autem ipse ciuium paucitatem ex censu cognosceret, præmia iis qui liberos multos procreassent,proposuisse.Hæc etiam Appianus & Zonaras. Suetonius autem ita;Recensum populi nec more nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit: ac, ne qui noui cœtus recensionis caussa moueri quandoque possent,instituit quotannis in demortuorum locum ex iis qui recēsiti non essent,subsortitio a prætore fieret. Huius censuræ non meminerunt ij qui Capitolinas tabulas descripserunt;quia extraordinarius hic Cæsaris honos fuit. non enim censor,sed *Præfectus morum* appellatus est;neque duo(vt ante)censores, sed vnus dumtaxat censum egit;neque in XVIII menses, sed in tres annos creatus est. Hinc Cicero etiam in epistolis Cæsarem Præfectum moribus appellat.

De Cæsare Dictatore III, *& consulibus an.* DCCVIII.

CAESAREM dictatorem III cum M.Lepido magistro eq. in hunc annum reperio prodi ab iis qui Capitolinas & Colotianas tabulas exararunt. a quibus dissentit(vt dixi) Dio,qui hoc anno Cæsarem dictatorem IIII, Lepidum magistrum equitum II tradit; atque ipsum Lepidum in consulatu,quem cum Cæsare gessit, se ipsum magistrum equitum contra leges renuntiasse.Hæc de dictatore. De cõsulibus vero hæc.

CC

Exſtat in indice Dionis ſcriptum,in eundem annum Cæſarem dictaturam quartam, & conſulatum quartum, ſine collega geſſiſſe. in ipſius autem hiſtoriæ expoſitione, comperio Cæſarem quartum conſulatum ſtatim iniſſe;neque tamen vſque ad extremum annum geſſiſſe; verum vbi in vrbem ex Hiſpania reuerterit,abdicaſſe,ac Q. Fabium Maximum,& C. Trebonium ſibi in reliquũ anni ſuffeciſſe. Dionis autem verba de Cæſare IIII conſule ſolo, non abhorrent ab iis quæ in fragmentis Capitolinis ſcripta ſunt , in quibus apparet Cæſarem IIII conſulem fuiſſe (vt ego interpretatus ſum) ſine collega. nam faſti Cuſpiniani cum Siculis, CAESAREM etiam conſulem IIII ſolum produnt. Appianus item & Plutarchus meminerunt Cæſaris qui IIII cos. deſignatus,in Hiſpaniam duxit exercitum. Q.Fabium trimeſtrem cos. vocat Suetonius. Addit præterea Dio, Cęſarem, mortuo Q.Fabio cos. vltimo anni die, in reliquas horas C.Caninium conſulem declaraſſe. Qua de re ſic Cicero ad Curium lib. VII; In campo cum hora ſecunda comitiis quæſtoriis inſtitutis , ſella Q. Maximi , quem illi conſulem eſſe dicebant,poſita eſſet,eo mortuo nuntiato ſella ſublata eſt. Ille autem, qui comitiis tributis eſſet auſpicatus,centuriata habuit; conſulem hora ſeptima renũtiauit,qui vſque ad K.Ian. eſſet,quæ eſſent futuræ mane poſtridie. Ita Caninio conſule ſcito neminem prandiſſe.nihil tamen eo conſule mali factum eſt.fuit enim mirifica vigilantia,qui toto ſuo conſulatu ſomnum non viderit. Hinc Suetonius dixit; Prid. K.Ian. repentina conſulis morte ceſſantem honorem in paucas horas petenti dedit. Et Macrobius lib. II; Caninius Rebilus, qui vno die (vt Seruius rettulit) conſul fuit, roſtra cum aſcendiſſet,pariter honorem iniit conſulatus,& eierauit. quod Cicero,gaudens omni occaſione vrbanitatis,increpuit; λογοθεώρητος eſt Caninius conſul. Deinde; Hoc conſequutus eſt Rebilus, vt quæreretur quibus conſulibus conſul fuerit. Dicere præterea non deſtitit; Vigilantem habemus conſulem Caninium, qui in cõſulatu ſuo ſomnum non vidit. Idem lib. VII; Sunt alia ſcommata minus aſpera; vt Tullius in conſulem qui vno tantum die conſulatum peregit, Solent, inquit, eſſe flamines diales; modo conſules diales habemus. Et in eundem; Vigilantiſſimus eſt conſul noſter, qui in conſulatu ſuo ſomnum non vidit. Eidemque exprobranti ſibi,quod ad eundem conſulem non veniſſet; Veniebam, inquit; ſed nox me comprehendit. Et Plinius lib. VII; Q.Fabius Max. in conſulatu ſuo prid. K.Ian. mortuus eſt. in cuius locum Rebilus pauciſſimarum horarum conſulatum petiit. De Caninio Rebilo idem Suetonius & Plutarchus in Cæſare. C. autem Trebonius, is eſt qui anno DCCV prætor vrbanus cum M. Cœlio Rufo prætore contendit, quique poſt in Cæſarem coniurauit. quem conſularem occiſum eſſe a Dolabella, & a Cæſare ad conſulare prouectum faſtigium, ſcribit Velleius.

De honorariis conſulibus creari cœptis.

Ex hoc anno, vt narrat Dio, HONORARII CONSVLES creari cœpti ſunt. Nam Cæſar, cum neque in annum, neque in reliquum anni ſpatium conſulatum geſſiſſet ſed viuens, ac nullis legibus atque auſpiciis coactus abdicaſſet, alium, honoris eius dũtaxat gratia, ſibi ſubrogauit. quo exemplo multi alij inſequentibus deinceps annis nõ in totum annum, præter paucos; ſed alij in plures, alij in pauciores aut menſes aut dies creati ſunt. ex quibus qui K.Ian. inierunt, ij tantum nomen anno dederunt: reliquorum, qui in parte anni fuerunt, niſi forte memorabile aliquid geſſerunt , vix vlla conſeruata memoria eſt. Itaque eos ſe perſequuturum eſſe Dio negat. quos nos , quanta maxima diligentia potuimus, conquiſitos afferemus. Hoc autem inſtitutum auctũ eſſe a triumuiris R.P.C. idem ait L Marcio, C. Caluiſio cos. vt ipſi gratiæ cauſſa multos in eundem annum conſules deſignarent, qui in paucos menſes, aut etiam dies, magiſtratum gererent. nam hoc tempore ſuffectos fuiſſe illos qui iis placuerunt qui, vt in totum annum magiſtratum gererẽt, deſignati fuerant; poſt vero neminem in totum annum, verum in alias atque alias anni partes alios atque alios cõſules fuiſſe deſignatos, qui paucis noti erant, ac propterea *Minores conſules* vocabantur. Idem autẽ in prætoribus etiam & quæſtoribus factum eſſe: hoc enim ab iis quæſitum, non vt ipſi domi poteſtatem haberent , ſed vt in faſtis magiſtratuum legerentur. quo etiam tempore obſcuriſſimi homines in ſenatum lecti ſunt.

De

De regesta a Cæsare in Hispania cum filiis Cn. Pompeij, & triumpho eius.

BELLVM hoc anno a Cæsare gestum est in Hispania cum filiis Cn. Pompeij Magni acerrimum, qui ibi exercitum maximum reparauerant; hac de caussa. Milites qui sub Longino Cæsaris legato in Hispania meruerant, cum imperante illo seditionem fecissent, succedente ei C. Trebonio quieuerunt illi quidem; verum metu Cæsaris, ad Scipionem clam in Africam de defectione legatis missis, Scipionẽ, vt in Hispaniam Cn. Pompeium Magni filium mitteret, impulerunt. qui, cum ad eos contẽderet, Gymnesiis subiectis insulis, morbo implicitus, in itinere substitit. Milites interea comperta Scipionis in Africa clade, veriti ne ante a Didio profligarentur, quem cum classe aduersus se a Cæsare mitti audierant, quam Pompeius accederet, T. Quinctio Scapula & Q. Aponio ducibus lectis, Trebonium eiecerunt, atque Bæticam omnem ad defectionem sollicitarunt. Interea Pompeius adueniens, cum vlterioris Hispaniæ potitus esset, dum Cæsar muneribus dandis in Italia detinetur, partim precibus, partim vi magna cõparata manu, prouinciam vastare cœpit. Iam enim ad eum Scapula imperium detulerat; & quicumq; olim sub Afranio stipendia fecerant, quique ex Africana pugna profugerant, Sextus frater, Varus, & Labienus, ei se adiunxerant. Cum autem crebris nuntiis in Italiam missis ciuitates inimicæ Pompeio auxilia sibi postularent, C. Cæsar magnis itineribus in Hispaniam cum exercitu spatio dierum XXVII venit. neque enim Q. Pedius aut Q. Fabius Max. quos legatos ante exercitui præfecerat, iam Pompeij impetum sustinere poterant. Varo a Didio ad Crantiam nauali prœlio victo, obsidente Vllam Cn. Pompeio, Cæsar aduenit. Is adducto ad Cordubã, quæ a Sex. Pompeio tenebatur, exercitu, Cnæum ab Vlla, quam prope ceperat, auocauit: ipse Ateguam circumuallatam obsedit. eo Pompeius accurrens, equitatum Cæsaris circumuentum prope concidit. Artegua post a Cæsare capta est a.d. XI K. Mart. ipse Imperator appellatus est. deinde Corduba, post Hispalis, postremo Munda prid. id. Aprilis in potestatem Cæsaris peruenerunt. is vltimo prœlio ad Mundam desperatis rebus, etiam de nece cogitasse dicitur. Cn. Põpeius, cum ex prœlio effugisset, deprehensus ac interfectus est. Cæsar vniuersa recepta Hispania, ac bellis ciuilibus omnibus confectis, Romam decessit. Hac victoria ei decretæ sunt quinquaginta dierum supplicationes, atque triumphus quintus; quo triumpho nihil esse populo Romano potuit grauius. etenim de ciuibus actus est, non de Hispanis. Dio, Appianus, Hirtius, Plutarchus, alij. Velleius reuersum Cæsarem ex Hispania ait mense Octobri. Cum autem triumphus Q. Fabij Maximi hoc anno III id. Octobr. post Cæsaris triumphum actus sit, facile intelligi potest, paulo ante eum diem Cæsarem triumphasse. Plinius lib. XIIII, cap. XV; Cæsar Hispaniensi triumpho Chium & Falernum dedit.

De triumphis Q. Maximi consulis, Q. Pedij pro cos. ex Hispania.

POST Cæsarem Q. Maximum de Hispania triumphasse, docet Quinctilianus lib. VI, cum ait; Chrysippus, cum in triumpho Cæsaris eburnea oppida essent translata, & post dies paucos Fabij Maximi lignea, thecas esse oppidorum Cæsaris dixit. Q. Fabium Maximum consulem, Q. Pedium pro cos. de Hispania hoc anno; III id. Octobris illum, hunc idib. Decemb. triumphasse, scriptum est in Capitolinis tabulis. Hos Cæsar in Hispaniam aduersus Pompeium cum exercitus parte præmiserat. itaq; eos Dio Prætores, ac Proprætores appellat. Quamquam autem ipsi per se rem non bene gesserunt, tamen eos triumphare Cæsar voluit, vt de ciuibus Romanis in Hispania victis tres triumphi agerentur. in quo maxime populi Ro. animum perculit, vt ait Dio: qui idem hos ligneis oppidorum imaginibus risum mouisse populo scribit. Hinc Plinius libro XXXV, cap. IIII, Q. Pedium triumphalem & consularem vocat. est enim post consul cum C. Cæsare Diui F.

De Cæsare Imperatore appellato, & aliis honoribus ei habitis.

CAESAR victis Pompeij in Hispania filiis, atque omnibus ciuilibus bellis confectis, nouos quosdam ac singulares honores sibi decerni a senatu passus est; in primis

autem, vt *Pater patriæ* diceretur; *consul in decennium*, (quem tamen honorẽ post asper natus est) *dictator in perpetuum* esset; *sacrosanctus* haberetur; Quinctilis mensis a suo nomine *Iulius* appellaretur; comitia etiam tributa in potestate haberet; in acta sua magistratus ineuntes iurarent; postremo etiam, vt IMPERATOR appellaretur. IMPERATOREM autem intelligi voluerunt, non eum qui re bene gesta id nominis vel militari studio, vel senatus auctoritate consequutus; sed qui potẽtiam & auctoritatem in repub. summam adeptus esset. Quo nomine ipse primus, ac deinde filij & nepotes eius S. C. affecti sunt. quod prænomen appellat Suetonius, cum ait; Tiberius prænomen Imperatoris recusauit. Quo factum est, vt qui post eum summum ius in rep. obtinuerunt, IMPERATORES appellati sint. Neque vero prisca illa & militaris Imperatoris appellatio antiquata est. ea enim ornabantur, cum rem prospere in bello gessissent Itaque notas etiam rei sæpius bene gestæ addebant, cum II, III, aut IIII se imperatores scriberent: vt apud Iosephum lib. XIIII Antiquitatum; C. Cæsar Imp. IIII, cos. V, Dictator perpetuus. Et in antiquo epigrammate, hoc; IMP. CAESAR DIVI F. AVG. PONT. MAX. COS. XIIII. IMP. XX. TRIB. POT. XXXVII. P. P. itemque in aliis de quibus post dicemus. Cicero etiam in Philippicis obiecit Antonio, quod ascribi in fastis ad Lupercalia iusserit; C. CAESARI DICTATORI PERPETVO M. ANTONIVM CONSVLEM POPVLI IVSSV REGNVM DETVLISSE. Quemadmodũ autem Cæsari Imperatoris nomine summum in rep. ius & imperium traditum est, sic dictatura eidem, vt summam haberet in rep. auctoritatem, mandata est. neque enim aut rei gerendæ, aut seditionis sedandæ, aut comitiorum habendorum, aut vlla alia legitima caussa, dictatorem eum factum accepimus. Ex quo intelligi potest, vt altissimum auctoritatis in rep. fastigium obtineret, eum dictatorem esse creatum. quod ipsi hoc verbo cõstituendæ reip. voluisse exprimere videntur. Itaque ego silentibus in tanta re Romanis annalibus, eum II, & III, & IIII dictatorem constituendæ reip. caussa, id est, vt summo iure, atque maximo in rep. imperio vteretur, esse creatum scripsi. nam primam dictaturam comitiorum habendorum caussa cepit.

De Cæsare dictatore IIII, consule V, ann. DCCIX. *& magistris eq. & cos.*

DIO in hunc annum Cæsarem dictatorem V cum M. Æmilio Lepido magistro eq. edit: tabulæ autem Capitolinæ & Colotianæ eum dictatorem IIII profitentur. De magistro equitum scribit Appianus, Cæsarem se cum M. Antonio magistro eq. consulem renuntiasse; ac M. Lepidum, qui Hispaniam per legatos administrabat, pro Antonio sibi magistrum equitum cooptasse. Dio autem, Cæsarem consules in biennium proximum designasse, & ipsum vtroque anno dictaturam fuisse gesturũ; cumque ille alium quendam magistrum equitum dixisset, Octauium etiam, quamquam adolescentem, dixisse. cum autem Antonius toto anno consulatum gesturus esset, ac ipse Lepidum Galliæ Narbonensi & Hispaniæ citeriori præfecisset, duos pro iis alios seorsum vtrũque magisterium equitum gerere voluisse. Quibus ex verbis hunc sensum elicio; Cæsarem in Antonij locum dixisse magistrum eq. M. Lepidum. at vero cũ Lepidus in Hispaniam & Galliam paludatus exiturus esset, tertium quendam magistrum eq. atque etiam quartum sibi cooptasse. tertium autem fuisse C. Octauium; qui initurus erat vbi primum Lepidus paludatus exiret. quartum, Cn. Domitium Caluinum: qui cum esset in insequentem annum designatus, interfecto Cæsare dictatore, non iniit. Huius autem facti hanc caussam Dio reddit; quod, cum Cæsar multis se debere sentiret, his honoribus eorum beneficia compensare voluerit. Itaque Appianus etiam ait; Octauius magister equitum factus in annum a Cæsare fuerat; ex quo Cæsar amicos hoc honore afficiens, annuum eum reddiderat. Plinius libro VII; Repulsa Augusti in magisterio equitum apud auunculum; & contra voluntatem eius prælatus Lepidus. Quod autem in fragmentis Capitolinis, quæ ante diuulsa, a me coniuncta sunt, est, PALVDATVS, id eo pertinet, quod scribit Dio, M. Lepidum tum ad vrbem cum exercitu & imperio fuisse. erat autem exiturus in Galliam vlteriorem & Hispaniam citeriorem; quas ei decedens a bello Hispaniensi Cæsar tribuerat, cum vlteriori Hispaniæ C. Asinium Pollionẽ præfecisset. Hæc de dictatore & magistris eq.

De consulibus autem hæc accepimus. Cæsarem vna cum M. Antonio dictaturam quintam, & consulatum quintum gessisse, Dio; Appianus, eundem se cum M. Antonio consulem creasse scribunt. In hunc item annum Cæsarem V, & M. Antoniũ prodit cum fastis Siculis Cassiodorus. Eorum meminit quoque lib. primo Macrobius, Quinctilis (inquit) mensis *Iulius* vocatus est in honorem Iulij Cæsaris dictatoris, legẽ ferente M. Antonio M. F. cos. quod hoc mense a. d. IIII id. Quinctilis procreatus sit. In Capitolinis præterea & Colotianis tabulis scriptum est, C. Cæsarem V cum M. Antonio M. F. consulem fuisse: Cæsari autem suffectum P. Cornelium P. F. Hic autẽ fuit P. Cornelius Dolabella; quem etiam Cæsar, si vixisset, sibi fuit substituturus. Hic ad consulatum peruenit nondum prætorius, Dione; XXV annos natus, Appiano auctoribus. Tradit Plutarchus, Cæsarem V consulem, M. Antonium sibi collegam cooptasse. cum autem sibi Dolabellam sufficere vellet, eaque de re ad senatum rettulisset, Antonium oratione obstitisse: post autem, cum iterum Cæsar renũtiari Dolabellam consulem iussisset, obnuntiante Antonio, Cæsarem incœpto destitisse. Interfecto autem Cæsare, Antonium scribit Dio Dolabellam collegam sibi adiunxisse, veritum, ne seditio oriretur si eum repudiasset. Appianus Dolabellam, qui in reliquũ tempus anni, vbi Cesar in Parthos paludatus exisset, consul futurus erat, Cæsare occiso, statim ait iniisse. Vnde Velleius; Dolabella, cæso Cæsare, quem substituturus sibi consulem Cæsar designauerat, fasces atque insignia corripuit. Dolabellæ Syria, Antonio a senatũ Macedonia, a populo citerior Gallia decreta est.

De ouatione C. Cæsaris dict. IIII.

C. CAESAREM dictatorem IIII, VII K. Febr. ex monte Albano ouantem vrbem inisse, inuenio scriptum in Capitolinis triumphis, eumque triumphum sextum Cæsaris appellari. Hoc est autem id de quo scribit Dio, permissum esse inter alios honores Cæsari, vt post ferias Latinas in vrbẽ ex monte Albano inueheretur; id est, vt ipse ait, ἐκ τοῦ Ἀλβανοῦ ἐς τὴν πόλιν ἐσελαύνειν. vnde etiam paulo post; ἐσιππεύοντα αὐτὸν μετὰ τοῦ Ἀλβανοῦ, βασιλέα αὖθις ὠνόμασαν. quo in loco vereor ne legendum sit, ἐσιππεύοντα αὐτὸν ἐκ τοῦ Ἀλβανοῦ. vt sit; *Eũdem in vrbem equo vectum ex Albano, regem quidam appellarunt*. siquidem ita scribit Plutarchus; καὶ καταβαίνοντες ἐξ Ἄλβης Καίσαρος εἰς τὴν πόλιν, ἐτόλμησαν αὐτὸν ἀσπάσασθαι βασιλέα. id est, *Quin etiam Cæsarem ex Alba in vrbem descendentem, regem salutare ausi sunt*. Dixi autem supra quemadmodum *Equo vehi* vsurpetur a Dione pro *Ouantem inire*. Neque vero hic honos idem est cum eo cuius Papirius Maso auctor fuit. ille enim in monte Albano triumphum agere instituit: huic concessum, vt feriis Latinis actis, in vrbem ouans ex ex monte Albano iniret. cuius rei vix meminit Suetonius, sic; Cum e sacrificio Latinarum reuertente eo, inter immodicas ac nouas populi acclamationes, quidam e turba statuæ eius coronam lauteam candida fascia præligatam imposuisset, &c.

De C. Cæsare interfecto, & bello ciuili Antoniano ad Mutinam excitato.

NIHIL est vt Cæsare, sic cæde Cæsaris illustrius. quo nos eam etiam breuius, vt cetera perstringemus. qui plura desiderabit, is Dionem, Appianum, Plutarchum, aliosque, qui hæc plurimis verbis persequuntur, adire poterit. Singulares igitur Cæsari a senatu, quos supra breuiter attigimus, exquisiti honores, inuidiam ei apud ciues excitarunt: præterea quod ille senatum, se cum plurimis honorificentissimisque decretis adeuntem, sedens pro æde Veneris Genitricis excepit; & quod diadema a M. Antonio consule collega suo inter Lupercos currente, capiti suo pro rostris impositum, in sella reposuit; & quod Epidio Marullo & Cæsetio Flauo tribunis plebis, inuidiam tamquam regnum affectanti mouẽtibus, potestatem abrogauit; & quod proximo senatu fama percrebuerat, L. Cottam Quindecimuirum sentẽtiam dicturum, vt quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a rege non posse vinci, ipse rex appellaretur. His de caussis conspiratione in eum facta, cuius principes M. Brutus & C. Cassius, & ex Cæsaris partibus D. Brutus ac C. Trebonius fuerũt, idibus Mart. in curia Pompeij XXIII vulneribus occisus est; occupatumq; ab interfectoribus eius Capi-

tolium. Obliuione deinde cædis eius in sententiam Ciceronis a senatu decreta, obsidibus Antonij & Lepidi filiis acceptis, coniurati e Capitolio descenderunt. Cæsaris corpus, cum in campum Martium deferretur, a plebe ante Rostra crematum est. Dictatura lege Antonij consulis in perpetuum sublata. C. Amatius, humillimæ sortis homo, qui se C. Marij filium ferebat, cum apud credulam plebem seditiones moueret, iussu Dolabellæ, qui in locum Cæsaris consulatum exceperat, interfectus est. C. Octauius sororis Cæsaris nepos, testamento heres ex parte dimidia institutus, & in nomen adoptatus, Romam ex Epiro venit, quo illum Cæsar præmiserat, bellum in Parthos illaturus; ominibusque prosperis exceptus, ex testamento nomen Cæsaris assumpsit. In confusione rerum ac tumultu, M. Lepidus pontificatum maximum in locum Cæsaris intercepit. Senatus Dolabellæ Syriam, Antonio Macedoniam prouincias decreuit. Post autem cum M. Antonius impotenter dominaretur, legemque de Macedonia prouincia permutanda, & Gallia citeriore accipiẽda, quam a senatu impetrare nõ poterat, ad populum per vim tulisset, & Octauium quoque, petentem vt sibi aduersus auunculi percussores adesset, magnis iniuriis affecisset; Octauius sibi & reip. vires cõtra eum paraturus, deductos a patre in colonias veteranos excitauit. legiones Martia & quarta, signa ab Antonio ad Octauium transtulerunt. deinde & complures sæuitia M. Antonij passim in castris suis trucidati, quia ei suspecti erãt, ad eundem desciuerunt. D. Brutus, qui prouinciam Galliam primum a Cæsare datam, post, interfecto eo, a senatu confirmatam pro cos. obtinebat, vt irrumpenti in eam Antonio obsisteret, Mutinæ cum exercitu substitit, seq; ab Antonio ibi circumuallatum obsideri permisit. Appianus, Dio, Plutarchus, Epitomæ, omnes.

DE COS. AN. DCCX.

CASSIODORVS, & cum Siculis ceteri, consules edunt in hunc annum C. Pansam, A. Hirtium. quos Dio vocat C. Vibium Pansam Capronianum, A. Hirtium A.F. id quod recte factum puto. in libro enim peruetusto, quẽ Cuspinianus sæpe citat auctorem, ita est;

C. Iulius ========
Cretonianus ========
M. Æmilius II ========
=Antonius Seruilius Isauricus II.

ex quo apparet, Cretonianum cognomẽ esse Pansæ, forte corruptum, pro Caproniano. Hirtius, vnus exstitit ex filiis proscriptorum a Sulla, quos Cæsar ad honores euexit; auctore Dione. idem A. Hirtius A.F. dicitur in tabula Capitolina: C. Pansa C.F. in Colotiana. ostendit etiam mihi nummos duos argenteos PAVLVS MANVTIVS, qui in hoc litterarum genere, singulari cum industriæ & doctrinæ laude iam per multos annos versatur; in quorũ altero erat; C. VIBIVS C.F. PANSA: in altero; C. VIBIVS C.F. C.N. PANSA. Hunc annum, quo Hirtius & Pansa consules fuerunt, vocant Solinus & Rufus DCCX ab vrbe condita; in quo cum Capitolina summa consentiunt. Hi consules ante a Cæsare designati fuerant quam interficeretur, tum cum expeditionem in Parthos adornans, in insequentes plures annos magistratus creauit. C. Pansa anno DCCII, Marcello & Sulpicio cos. tribunatum pl. gessit; quemadmodum ex epistola quadam Cœlij colligitur.

De Hirtio & Pansa cos. ad Mutinam Antoniano bello occisis.

DVM M. Antonius Brutum Mutinæ obsidebat, K. Ian. Hirtio & Pansa cos. in sententiam Ciceronis S.C. factum est, vt C. Cæsar, qui priuato consilio pro rep. arma cõtra Antonium sumpserat, pro prætore bellum gereret, senator esset, & sententiam loco prætorio diceret. D. Bruto, qui Antonio restitisset; & legionibus, quæ eum reliquissent, maxima quoque laus tributa est. Cum legati ad Antonium de pace missi L. Piso, L. Philippus, Ser. Sulpicius, re infecta reuersi essent, populus Ro. saga sumpsit. belloque contra Antonium a senatu decreto, Hirtius consul ad bellum profectus, eumque paucis post diebus Pansa consequutus est. Cæsar atque Hirtius, Bononia in

poteſtatem redacta, propius admotis caſtris, Brutum de ſuo aduentu atq; auxilio certiorem fecerunt. Prœliis aliquot ſecundis elatus Antonius, relictis qui Cæſaris & Hirtij caſtra oppugnarent, clam in Panſam aduenientem Bononiam verſus XVII K. Maij contendit, ac proſpere cum eo pugnauit. Audita re, Hirtius redeunti in ſua caſtra Antonio ſe obtulit, ac fuſis eius copiis, fortunam vtriuſque partis æquauit. ex ea re & cõſules & Cæſar Imperatores tum a ſenatu, tum a militibus appellati ſunt; quamuis Panſa male pugnaſſet, Cæſar omnino ne pugnaſſet quidem. Paucis poſt diebus ſummo prœlio dimicatum eſt; in quo fugatus & caſtris atque exercitu exutus Antonius, ad M. Lepidum proconſulem in Galliam cum paucis profugit. Hirtius poſt victoriam inimicorum caſtris ſaucius obiit. Panſa paucis poſt diebus Bononiæ item ex vulnere mortuus eſt. Bruto & Mutina obſidione liberatis, ſolus Cæſar incolumis glorioſiſſima victoria potitus eſt. Dio, Appianus, Galba in epiſtolis, alij.

De C. Cæſare Octauiano, & Q. Pedio coſ. ſuffectis.

C. OCTAVIVS, patre natus eſt C. Octauio, viro prætorio, cuius ante meminimus; matre Atia, quæ ex Iulia Cæſaris dictatoris ſorore, & M. Atio Balbo genita fuerat. Itaque ipſe, Cæſaris neptis filius; Cæſar ipſe maior, eius auunculus fuit; vt Suetonius & Velleius tradunt. adoptatus autem a C. Cæſare, atque heres relictus, C. Iulius Cæſar *Octauianus* dictus eſt. Hic, fugato (vt dixi) Antonio, ſenatui grauiſſime offenſus eſt, cum ſupplicationem LX dierum, ac triumphum, & bellum contra Antonium Bruto, qui pugnam e mœnibus otioſus ſpectauerat, decerni; ſe autem, qui remp. liberaſſet, primum omnino præteriri, deinde vero conſularibus ornamentis affici, & vt prętor fieret ac cõſul ante x annos, quam per leges liceret, ſibi tantũ permitti videret. Itaque cum a ſenatu, vt conſul in locum conſulum occiſorum fieret, impetrare non potuiſſet, quod precibus nequiret, id ſibi armis tentandum putauit. Recõciliata enim cum M. Antonio, & M. Lepido, qui iam Antonium fugientem receperat, gratia, exercitu Romam adducto, conſul annos tantum XX natus creatus, Q. Pedium ſibi collegam ſubrogauit. Hæc Dio, & Appianus. Quæ eadem elegantiſſime etiam Suetonius ita; Cæſar conſulatum vigeſimo ætatis anno inuaſit, admotis hoſtiliter ad vrbem legionibus, miſſiſque qui ſibi exercitus nomine depoſcerent: cum quidem cunctante ſenatu, Cornelius centurio princeps legationis, reiecto ſagulo, oſtendens gladij capulum, non dubitaſſet in curia dicere; Hic faciet, ſi vos non feceritis. Et Velleius ſic; Omnia, antequam fugaretur Antonius, honorifice a ſenatu in Cæſarem exercitumque eius decreta ſunt, maxime auctore Cicerone. ſed vt receſſit metus, erupit volũtas, protinuſque Pompeianis partibus rediit animus. D. Bruto, quod alieno beneficio viueret, decretus triumphus: Panſæ atque Hirtij corpora publica ſepultura honorata. Cæſaris adeo nulla habita mentio, vt legati, qui ad exercitum eius miſſi erant, iuberẽtur ſummoto eo milites alloqui. negauere milites ſine imperatore ſuo vlla ſe audituros mandata. Hoc tempore Cicero Cæſarem laudandum & tollendum cenſebat: cum aliud diceret, aliud intelligeret. Poſt inter Antonium & Cæſarem concordia compoſita eſt, & affinitas contracta, deſponſa priuigna Antonij Clodia Cæſari. conſulatumq; iniit Cæſar pridie quam viginti annos impleret X K. Octobr. cum collega Q. Pedio, poſt V.C. annis DCCVIII. Diſſentit autem a Velleio Dio, qui ſcribit Auguſtum mortuũ eſſe XIIII K. Septembr. eodemmet die quo primum cõſulatum ceperat. itemque ſextilem menſem *Auguſtum* appellatum, quod eo menſe primum conſulatum inierat. Natum autem IX K. Octobr. conſule Cicerone, tradit Suetonius: vt, ſi pridie quam XX annos impleret, iniit, X K. Octobris eum iniiſſe neceſſe ſit. Tacitus etiam in libro de oratoribus, Hirtio & Panſa coſ. inquit, Diuus Auguſtus in locum Panſæ & Hirtij ſe & Q. Pedium conſules ſuffecit. His comitiis habendis duos proconſules creatos eſſe a prætore vrbano narrat Dio: neque enim tam exiguo tempore interreges prodi potuiſſe, abſentibus pleriſque ex iis qui patricios magiſtratus gerebant. Idem etiam notat, neminem, hac ætate conſulem ante factum: Cæſarem autem ſe non iterum cõſulem ſcripſiſſe, quamuis conſularia ante a ſenatu ornamẽta adeptus eſſet: quod poſt a Seuero Imp. factum eſt, qui Plautianum II conſulem pronuntiauit, quod eum ante conſularibus inſignibus affeciſſet. Eſt autem *Conſularibus ornamentis afficere*,

perinde in ſenatu atque in ciuitate rationem alicuius habere, atque ſi ille vere conſul fuiſſet. Q. Pedius is eſt qui (Dione auctore) prætor fuit anno DCCV, biennio autem ante triumphauit, heres a Cæſare relictus ex quadrante, vt apud Suetonium ſcriptum eſt.

De III uiris reip. conſtituendæ.

CVM Cæſar in cõſulatu nihil aliud moliretur quam vt patris interfectores vlciſceretur, Q. Pedium collegam legem ferre iuſſit de quæſtione habenda in eos quorum ille opera occiſus eſſet: poſtulatique ea lege M. Brutus, C. Caſſius, & D. Brutus, abſentes damnati ſunt. Cum M. Antonij opes C. Aſinius Pollio, qui Hiſpaniæ; & L. Munatius Plancus, qui Galliæ præerant, cum ſuis exercitibus adiuncti auxiſſent; & D. Brutus, cui ſenatus, vt perſequeretur M. Antonium, mãdauerat, relictus a legionibus ſuis profugiſſet, iuſſu Antonij, in cuius poteſtatem venerat, a Capeno Sequano ad Aquileiam interemptus eſt. Cæſar cum M. Brutum, qui Macedoniam; & C. Caſſium, qui Syriam ex ſenatus conſulto obtinebant, nullo pacto armis vlciſci poſſet, cum M. Antonio & M. Lepido (vt antea dixi) pace facta, poſtquam conſul creatus eſt, vtrumque ex Gallia in Italiam accerſiuit. Congreſſi omnes in agro, vt ait Dio, Bononienſi; vt Appianus, Mutinenſi, conſultationes ſummas de ordinanda & corrigenda republ. habuerunt. Itaque ſe triumuiros reip. conſtituendæ cum ſummo imperio in quinquẽnium renuntiarunt. Lepido Hiſpanias & Narbonenſem Galliam, Antonio reliquas Gallias; Cæſari vtramque Libyam vna cũ Sicilia ac Sardinia prouincias diſtribuerũt. Magiſtratus, nec ſenatu nec populo conſulto, quibus ipſi voluiſſent, mandari; Lepidũ in D. Bruti occiſi locum in inſequentem annum conſulem creari; eumque Romam ac reliquam Italiam tueri; Antonium & Cæſarem, bello Caſſium & Brutum perſequi; proſcriptionem ac cædem inimicorum ciuium edi voluerunt. Atque his conſultationibus perfectis, cum confeſtim omnes Romam veniſſent, ſinguli interiectis diebus vrbem ingreſſi, quæ decreuerant, exſequuti ſunt. Sui a quoque inimici, plurimi equites, CXXX ſenatores proſcripti ſunt; inter quos L. Paullus frater M. Lepidi, & L. Cæſar auunculus Antonij, &, qui Cæſarem ſuis ſententiis ornauerat, M. Cicero: cuius occiſi a Popillio legionario milite, cum haberet annos LXIII, caput cum manu dextra in roſtris poſitum eſt. Hæc Dio, & Appianus, & alij. Quo autem die inierint, & quouſque in hoc honore fuerint, facile intelligi ex lapide Colotiano poteſt; in quo ita eſt;

M. AEMILIVS. M. ANTONIVS. IMP. CAESAR. III. VIR. R. P. C.
EX A. D. V. K. DEC. AD PR. K. IAN. SEX.

ſignificat autem eos V K. Decemb. iniſſe, vt pr. K. Ian. quinto poſt anno abdicarent, qui dies pridie K. Ian. ſextas ab illo die erat futurus.

Cur Octauius Imp. Cæſar dictus ſit.

C. OCTAVIVS, iam inde interfecto Cæſare ex Apollonia Romam reuerſus, hereditatẽ Cæſaris, & nomen eius, ſibi non lege, ſed teſtamento tantum vindicarat. Lex autem adoptionis curiata erat; quæ, ne tum ferretur, Antonius conſul per tribunos intercesſit. hoc autem anno, vbi conſulatum iniuit, ipſe legem curiatam tulit; atque in nomen patris lege tranſiit. Itaque ab hoc tempore ab omnibus *C. Cæſar*, eſt appellatus, cum ante non ita ab omnibus vocaretur. eodemque etiam tempore *Imp. Cæſarem* dici cœptum puto; primum, quod ita pater eius ex ſenatus conſulto, & filij eius, & nepotes appellarentur; deinde, quod in Capitolina eius ouatione triennio poſt ita vocatur; IMP. CAESAR DIVI F. C. N. Eſt autem intelligendum, tum cũ cõſulatum iniit, C. Iulium C. F. in Capitolinis tabulis ſcribi; quia adhuc lex curiata lata non erat, qua Imperatoris prænomẽ patrium adipiſceretur. poſt autem lata lege, tum cum triumuiratum iniit, hoc prænomen vſurpaſſe. neque enim Dioni aſſentior, qui ipſo & Sex. Appuleio cos. hoc ipſum ſibi prænomen vindicaſſe ait. niſi ita intelligamus, hoc primum anno, ex lege curiata; eo vero, ex rebus eius geſtis, & ex S. C. ita vocatum fuiſſe. vt quemadmodum Scipio Æmilianus primum Africani cognomen ab auo hereditarium habuit; poſt Carthagine deuicta, ex victoria ſibi comparauit; ſic &

sic & ipse primum a patre, post a se hoc prænomẽ acceperit. Idem Cæsar pater *Diuus* appellatus est. siquidem, vt ait Suetonius, ludis, quos primo cõsecratos ei heres Octauius edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa vndecimam horam; creditumque est, animam esse Cæsaris in cœlũ recepti. & hac de caussa simulacro eius in vertice additur stella. Lepido autem & Planco cos. diuini honores (vt ait Dio) Cæsari mortuo a triumuiris decreti sunt; Ne idibus Martiis, qui dies solennis erat habendo senatui, in posterum senatus haberetur: Vt curia Pompeia, in qua ipse occisus erat, obstrueretur; Vt ædes ei in foro, vbi crematum eius corpus erat, construeretur: Vt simulachrum eius ludis Circensibus cum simulacro Veneris circumferretur: Si qua victoria nuntiaretur, vt seorsum ei victori & mortuo sacrificaretur: Ne imago eius in propinquorum funeribus efferretur: Vt qui in ædem eius cõfugisset, ab iniuria tutus esset. Itaque ab illo tempore Octauius se *Diui* F. (vt puto) appellauit.

De P. Ventidio & C. Carrinate cos. suffectis.

CVM Cæsar inito triumuiratu sponte se consulatu, cuius caussa bellum patriæ intulerat, abdicasset, & Q. Pedius collega eius in magistratu mortuus esset, placuit triũuiris consules in reliquum anni sufficere. Itaque & quendam alium, & P. Ventidium, qui tum præturam gerebat, consules subrogarunt. Hæc Dio. Idem etiam cognosci potest ex tabula Capitolina, atque etiam multo apertius ex Colotiana, in qua suffecti consules nominantur C. Carrinas C F. P. Ventidius P. F. C. Carrinatis meminit Dio lib. LI; ac patrem eius a Sylla proscriptum, ipsum ad magistratus sublatum esse, & de Morinis triumpasse ait. De P. Ventidio sic Velleius; Annus DCCIX vidit Ventidium consularem prætextam iungere prætoriæ. Et Valerius lib. VI; In Ventidio illud eximium, quod eodem anno prætor & consul factus est. Hunc Ventidium Bassum vocat Eutropius & Gellius; de quo post plura in eius triumpho, quem primus de Parthis egit, afferemus.

De triumphis L. Munatij Planci pro cos. M. Lepidi IIIuiri R. P. C. pro cos.

L. MVNATIVM Plancum pro cos. ex Gallia triumphasse hoc anno IIII K. Ian. M. Lepidũ III uirum R. P. C. pro cos. ex Hispania prid. K. Ian. inuenio scriptum in Capitolinis triumphis. Ac Planci quidem triumphum video comprobari in quodam epigrammate, quod esse Caietæ traditur ab iis qui librum veterum inscriptionum confecerunt. id autem est eiusmodi; L. MVNATIVS L. F. L. N. L. PRON. PLANCVS COS. CENS. IMP. II. VIIVIR EPVL. TRIVMHAVIT EX RHETIS. AEDEM SATVRNI FECIT DE MANVBIIS. AGROS DIVISIT IN ITALIA BENEVENTI. IN GALLIA COLONIAS DEDVXIT, LVGDVNVM ET RAVRICAM. Galliæ autem vlteriori præfuisse hoc tempore Plancum, cum Dio & ceteri tradiderunt; tum etiam ex epistolis Ciceronis cognosci facile potest. Quinetiam M. Lepidum triumuirum, dum ciuium proscriptorum cædes fieret, de Hispanis triumphasse scribit Appianus. quem eundem Galliam & Hispaniam priore anno a Cæsare obtinuisse ante notauimus. Itaque Dio tradit, Lepidum, cum Hispaniam citeriorem obtineret, Sex. Pompeium, vt Hispania decederet, bonorum paternorum recuperatione induxisse; idq; fœdus a M. Antonio consule comprobatum esse. Eundem etiam in Galliæ parte moratũ esse omnes ostendunt, qui scribũt Antonium Mutina pulsum, ad eum trans Alpes in Galliam confugisse; præterea litteræ eius ad Ciceronem e Gallia scriptæ. Adiicit Dio, senatum Lepidum & Plancum e Gallia ad opem D. Bruto ferendam euocasse; vbi autem accepit, M. Silanum Lepidi præfectum subsidio Antonij venisse, vetitum ne Plancus se cum Lepido coniungeret, vtrumque in prouincia manere iussisse; ac ne quid suspicari possent, iis qui ab Allobrogibus Vienna Narbonensi pulsi fuerant, vt inter Rhodanum & Ararim vrbem conderent, negotium dedisse; eosque *Lugdunum* condidisse. Velleius, Lepidum, decreta sibi Hispania, in Gallia moratum ait. De triumphis autem ab his cos. actis, sic scribit; Lepidus triumuir Paullum fratrem proscripsit. Planco non defuit gratia ad impetrandum, vt frater eius

Plancius Plotius proſcriberetur.eoque inter iocos militares,qui currum Lepidi Plãcique ſequuti erant,inter exſecrationẽ ciuium vſurpabant hunc verſum; *De Germanis non de Gallis duo triumphant conſules.* Hæc ille. Conſules autem intelligit deſignatos. alioquin hi triumphi in poſterum annum eſſent referendi.

DE COS. AN. DCCXI.

CASSIODORVS cum faſtis Siculis conſules ſubiicit M. Lepidum, L. Plancum; Dio M.Æmilium Lepidum II,L.Munatium L.F.Plancum.Horum meminit Suetonius in Tiberio,cum ait,Tiberium M.Æmilio Lepido II,Munatio Planco cos. poſt bellum Philippenſe eſſe natum.In lapide Colotiano eſt, = MVNATIVS L. F. M. AEMILIVS M. F. In hunc autem etiam annum conſules iam ante a Cæſare deſignati fuerant,auctore Dione,D.Brutus & L.Plancus.verum Bruto priore anno lege Pedia damnato,ac poſt occiſo,& occupata a triumuiris rep. placuit M.Lepidum triumuirum,qui ante etiam cum Cæſare III conſule conſul fuerat,cum Planco,qui & ipſe, ſequutus Antonium,a rep. deſciuerat, conſulatum adminiſtrare. Ceterum Brutus ipſe a Plutarcho, Appiano, Dione, Zonara *Albinus* vocatur; credo quod e Brutis fuerit in Albinos adoptatus.exſtat enim nummus argenteus apud Lauredanum talis; A. POSTVMIVS A. F. ALBINVS BRVTI F. COS. DES.

De cenſoribus

IN huncannum cenſores edit ſcriptor lapidis Colotiani = ANTONIVM & P. SVLPICIVM: eoſque luſtrum nullum feciſſe notat.Eius me viri auctoritas mouit, vt eos cenſores huic commentario aſcriberem,quamuis ne verbum quidem de iis in annalibus illis inuenirem.Ego vero L. Antonium eſſe puto.Nam Marcus hoc anno in Macedonia bellũ gerit contra Caſſium; Caius a Bruto iam interfectus erat;auctore Dione.P.autem Sulpicium Quirinum eſſe ratus ſum,patrem fortaſſe eius qui conſul eſt an.DCCXLI.In faſtis eos non ſcripſi;quia Lepidum & Plancum cenſores ab auctoribus Capitolinis ſtudioſe poſt præteriri animaduerti.quaſi vero, poſtqum Cæſar cenſoriam poteſtatem ſibi arrogauit,ac cenſoris nomen reſpuit,cenſura nulla fuerit.

De triumpho P.Vatinij pro cos.de Illyrico.

P.VATINIVS pro conſule de Illyrico triumphauit hoc anno: ſiquidem triũphus eius in Capitolinis tabulis interiectus eſt inter Lepidi & Antonij triumphos;quorum ille prid.K.Ian.pro cos.triumphauit priore anno,hic K.Ian.poſtero.Triumphi autem huius mentionem nullam apud quemquam inueni.De rebus autem ab eo in Illyrico geſtis hæc tradita ſunt; P.Vatinius extremo menſe anni DCCVI conſul a Cæſare dictatore II factus,ab eo miſſus eſt in Illyricum cum legionibus; an DCCVII, an DCCVIII anno,parum conſtat.Epiſtolæ quidem exſtant P. Vatinij Imp. ex Illyrico ad Ciceronem ſcriptę,quibus ſupplicationes ob rem bene geſtam petit. verba eius hæc ſunt;Cæſar adhuc mihi iniuriam facit. de meis ſupplicationibus & rebus geſtis Dalmaticis adhuc non refert,quaſi vero non iuſtiſſimi triumphi in Dalmatia res geſſerim. nam ſi hoc exſpectandum ſit, dum totum bellum conficiam, viginti oppida ſunt Dalmatiæ antiqua; quæ ipſi ſibi aſciuerunt, amplius ſexaginta. hæc niſi omnia expugno, ſi mihi ſupplicationes non decernuntur, longe alia conditione ego ſum, ac ceteri imperatores. ego poſt ſupplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus ſum. ſex oppida vi oppugnando cepi,& arcem eorum totam; ex qua me niues, frigora, imbres detruſerunt. indigneque mi Cicero oppidum captum, & bellum iam confectũ relinquere ſum coactus. Vale. non. Decemb. Narona. Dio etiam ſcribit, Vatinium, cum Illyrico præeſſet, Dyrrhachium occupaſſe;atque M.Bruto,qui in Macedoniam cum imperio venerat,obſtitiſſe:poſtremo autem Vatinianos milites ſe ad Brutũ contuliſſe.Itaque Velleius quoque M.Brutum Vatinio legiones extorſiſſe adſcribit.Quibus ex verbis apparet,rem per plures annos a Vatinio eſſe in Illyrico geſtam. Cauſſam etiam, cur Cæſar Vatinium in Illyricum miſerit,narrat in Illyrica Appianus, his verbis; Illyrij,veriti ne quid detrimenti a Cæſare,cum in Parthos tenderet, acciperet, legatos ad eum miſerunt, veniam petentes, quod in eius exercitum deliquiſſent.

Cæſar

Cæsar ita se illis ignoscere respondit, si ipsi tributa & obsides dedissent. quæ cum illi se facturos esse affirmarent, Vatinium eius rei caussa cum tribus legionibus & magno equitatu ad eos misit. Cum autem, mortuo Cæsare, Vatinio neque obsides neque tributa darent, Vatinium ipsum, a quo bello oppressi fuerant, prœlio victum Dyrrhachium compulerunt. His de rebus hoc anno triumphasse eum Imp. Cæsaris gratia existimare licet.

De bello Philippensi cum M. Bruto & C. Cassio.

M. BRVTVS & C. Cassius prætores vrbani quo anno Cæsarem interfecerũt, cum Antonium cos. a rep. defecisse animaduertissent, in suas prouincias Cretam & Bithyniam exierunt; vt D. Brutus in Galliam citeriorem, C. Trebonius in Asiam. Cum autem eas prouincias ad res magnas gerendas parum momenti habere intelligerent; Brutus in Macedoniã, Cassius in Syriam contenderunt. Cum C. Antonius post præturam, quam cum Bruto gesserat, in Macedoniam, Q. Hortensio prætore decedente, paulo ante venisset, a Bruto, adiunctis sibi Vatinij, qui Dyrrhachij erat, militibus, Apolloniæ captus est. Ita Brutus, tota Epiro ac Macedonia in potestatem redactis, a senatu præesse Macedoniæ iussus est. Inde cum in Asiam contrahendorum auxiliorum caussa se contulisset, Gellij Poplicolæ insidias passus est. C. Antonius, cum ex custodia a quibusdam Apolloniæ per vim eriperetur, a C. Clodio custode eius occisus: Gellius comprehensus, M. Messallæ fratri, Cassij amico, condonatus est. Brutus, cum in Europam traiiceret, Adali agrum populo Ro. ab eo moriente relictum recepit; & Bessis in Macedoniam irrumpentibus ope reguli Rhascyporidis victis, Imperatoris nomen sibi peperit. Cassius autem, pecuniis in Asia & equitibus a Trebonio acceptis; atque Asianis & Cilicibus multis, præsertim Tarcondimoto sibi adiunctis, cum in Syriam peruenisset, sine prœlio omnes populos, atque exercitus Cæcilij Bassi, & Crispi, & Murci, qui ibi sine senatus aut populi iussu bellum inter se gerebant, in potestatem redegit. Quibus rebus auditis, senatus ei Syriam & bellum contra Dolabellam decreuit. is enim in consulatu Syriam nactus, Trebonium Smyrnæ per cruciatus occiderat; atque hostis a populo Ro. iudicatus fuerat. Cassius Dolabellam, qui iam omnem Asiam victor occupauerat, in vrbe Laodicea obsessum, vt sibi manus inferret, coegit. Post autem omnibus rebus in Syria & Cilicia constitutis, Smyrnam in Asiam ad Brutum ad ordinanda belli consilia contendit, quod aduersus se a triumuiris comparari acceperat. Ita Cassius Rhodijs & Ariobarzane; Brutus, Lyciis & Patareis & reliquis Asianis subactis, in Macedoniam, vt ibi bellum gererent, traiecerunt. Atque haud ita multo post Imp. Cęsar, & M. Antonius triumuiri sæpius a C. Norbano & Decidio Saxa, quos illi ad hoc bellum in Macedoniam præmiserant, accersiti, cum ingenti exercitu aduenerunt, atque ad vrbem Philippos castra e regione hostium posuerunt. ibi pugnatum est summo prœlio, sed vario euẽtu; ita vt Brutus Cæsarem, Antonius Cassium (vterque eorum dextrum cornu regebat) pepulerint, & castra vtrimq; ab iis qui vicerunt, expugnata sint. C. Cassius, cum Brutum, quem in acie cecidisse metuebat, cum equitatu redeuntem longe prospexisset, irrumpentes hostes esse suspicatus, sibi liberti manu mortem intulit. Post paucos dies altero prœlio victus M. Brutus, desperatis rebus, & ipse vitam finiuit, exorato Stratone fugæ comite, vt se gladio transfoderet. quod idem fecerunt principum Romanorum circiter XL. Q. Hortensius occisus est. His rebus gestis, Cæsar Hispania & Numidia, Antonius Gallia & Africa sibi sumpta, Antonius in Asiam ad cogendas promissas militibus pecunias profectus est; Cæsar in Italiam reuertens, in itinere in morbum incidit. Ob hanc victoriam Romæ in totum fere annum supplicationes decretæ sunt. Hæc Dio, Appianus, Plutarchus in Antonio.

DE COS. AN. DCCXII.

CONSVLES apud Cassiodorum in hunc annum inuenio P. Seruilium II, L. Antonium: in lapide Colotiano = ANTONIVM, . P. SERVILIVM P. F. in fastis Siculis Antonium & Isauricum: apud Dionem L. Antonium M. F. Pietatem, P. Seruiliũ P. F. Isauricum II. Meminit horum etiam cos. Suetonius, cum ait, placuisse quibusdam

Tiberium Seruilij Isaurici Antoniique consulatu genitum. Cum Dio, itemque Eusebius, P. Seruilium Isauricum biennio ante mortuum esse rettulerint, intelligendum est, patrem huius consulis fuisse eum qui Isaurici cognomen inuenit, & consul cum Ap. Claudio fuit. hic autem filius, cum Cæsare II cõsule cõsulatũ gessit. L. Antonius a Dione dicitur πίετας; quod est Græce εὐσέβεια; quod consul vna cũ Fuluia Marci fratris vxore remp. eo animo tractarit, quasi pro Marco fratre triumuiro laboraret; atq; propter pietatem illam cognomen Pietatis inuenerit. Per hos annos Q. Saluidienus Rufus consul fuit, ad consulatum ab Imp. Cæsare euectus. is enim postero anno ab eo consularis interfectus dicitur, cum eum insidias sibi parare comperisset; auctore Dione, & Velleio.

De triumpho L. Antonij cos. ex Alpibus.

L. ANTONIVM consulem K. Ian. triumphasse ex Alpibus, scriptum est in triumphis Capitolinis. Idem triumphus tanta diligentia a Dione traditus est, vt non potuerit accuratius. Scribit enim ita; Cum L. Antonius triumphare cuperet de quibusdam inalpinis, quasi eos subegisset, quamdiu Fuluia restitit, nemo assensus est; vt vero ipsa placata concessit, omnium consensu triumphus ei decretus est. adeo vt L. Antonius verbo de iis triumpharet quos se deuicisse prædicaret; (neque enim quidquam triumpho dignum gesserat, neque omnino imperium in iis locis habuerat) reuera autẽ Fuluia eo honore afficeretur, ac triumpharet. Egit autem triumphum K. Ian. quo die cõsulatum erat initurus: quo facto gloria se Mario æquabat, quod eodem die quo ille ante de Iugurtha, triumpharet. in eo vero etiam se illi præferebat, quod ipse sponte triũphalem togam posuisset, atque in foresi stola senatum habuisset; ille vero inuitus hæc fecisset; & quod illi corona nulla, sibi cum aliæ, tum a populo tributim per Fuluiã datæ essent. Erat autem Fuluia vxor M. Antonij, socrus Cæsaris; (nam Clodia eius filia Cæsari nupserat) quæ contempto Isaurico consule, cum L. Antonio consulatum administrabat. L. Antonius Pietatis cognomine in Capitolino triumpho iccirco affectus non est, quod id nondum ferret.

De bello Perusino L. Antonij cos.

Hoc anno inter Imp. Cæsarem & L. Antonium cos. Fuluiamque socrum discordia exarsit. Antonius, se agrorum parte, quæ ad Marcum fratrem (is, vt dixi, in Asia erat) pertinebat; Cæsar, exercituum, qui sibi non traderentur, subsidio spoliatum querebatur. Itaque, Clodia ab eo adhuc virgine repudiata, res in apertum bellum euasit. Nam cum Cæsar agros promissos in castris Philippicis veteranis diuisisset, ac seditiones exercitus sui, quas corrupti a Fuluia milites contra se concitauerant, cum periculo inhibuisset; L. Antonius consul, Fuluiæ consilio vsus, populis iis quorum agros veteranis ille dederat, ad arma concitatis, bellum mouit. Fuluia, Præneste oppido occupato, omni militari munere atque imperatorio functa est. Cum legatis de pace vltro citroque missis res conueniri non potuisset, Cæsar in Nursinos & Sentinates exercitum induxit: L. Antonius in vrbem, M. Lepido, qui custodiæ vrbis cum exercitu præerat, fuso, hostiliter irrupit. Cæsar Sentinatibus obsidendis Q. Saluidieno traditis, Romam reuersus, Antonium, quasi ad bellum aliquod ex S.C. vrbe proficiscentem, atque in Galliam contendentem, in itinere intercepit; atque Perusiæ in Etruria conclusum diu obsedit: postremoque conatum aliquoties erumpere, & repulsum, coegit in deditionem venire. Ei venia data est, plerisque equitum ac senatorum ad aram Cæsaris (vt fama est) immolatis. Perusia diruta, redactisque in potestatem omnibus diuersæ partis exercitibus, bellum sine sanguine Caluino & Pollione cos. confectum. Dio, Appianus, Suetonius.

DE COS. AN. DCCXIII.

CASSIODORVS consules in hunc annum edit C. Asinium, Cn. Domitium; Siculi fasti, Caluinum & Pollionem; lapis Colotianus, CN. DOMITIVM M. F. C. ASINIVM CN. F. Dio Cn. Domitium M. F. Caluinum II, C. Asinium Pollionem; itemq; Iosephus Antiquitatum lib. XIIII. Asinius ex triumpho Capitolino descriptus est. Cn.

Domitius ex conſulatu Hiſpaniam obtinuit; auctore Velleio. Exitu autem anni hos cos. magiſtratu abdicaſſe ſcribit Dio, aliosq; conſules in paucos dies eſſe ſuffectos: quorum vnus fuit L. Cornelius Balbus Gaditanus. Itaque in rabula Colotiana ſuffecti conſules notantur; L. CORNELIVS. L. F. P. CANIDIVS P. F. De P. Cornelio Balbo ita Plinius libro VII; Fuit & Balbus Cornelius maior conſul; ſed accuſatus, atque de iure virgarum in eum iudicum in conſilium miſſus; primus externorum, atque etiam in Oceano genitorum, vſus illo honore quem maiores quoque Latio negauerant. Et Velleius; Cornelius Balbus excedente humanam fidem temeritate, ingreſſus caſtra hoſtium, ſæpiusque cum Lentulo collocutus, conſule dubitante, quanti ſe venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non Hiſpaniæ ſuæ natus, ſed Hiſpanus in triumphum & pontificatum aſſurgeret, fieretque ex priuato conſularis. Exſtat pro eodem Balbo de ciuitate Ciceronis oratio. P. Canidij Craſſi meminit Dio libro XLIX.

De Imp. Cæſare, & M. Antonio IIIuiris, ouantibus ex pace inter ſe facta.

IN Capitolinis tabulis proditum eſt, Imp. Cæſarem ouantem iniſſe, quod cum M. Antonio pacem fecit; & M. Antonium, quod cum Imp. Cæſare. Id autem hoc anno factum ſcribit in hanc ſententiam Dio; Cum Imp. Cæſar victoria ad Perusiam parta Italiam totã partim voluntate, partim vi in poteſtatem redegiſſet, Fuluia ad M. Antonium virũ ſuum cum liberis & Iulia eius matre profugit. Is cum in Aſiam ex Ægypto receſſiſſet, verbis vxoris incitatus, Cæſari amicitiam renuntiauit; atque haud ita multo poſt, cum in Italiam traieciſſet, Sipuntem occupauit; & Brunduſium obſeſſum, P. Seruilio Rullo Cæſaris duce pulſo, cepit. In tanto rerum & Italiæ motu, Fuluia Antonij vxor Sicyone moritur. Quo nuntio accepto, ambo armis poſitis in gratiam redierunt: atque Cæſar Sardiniam, Dalmatiam, Hiſpaniam, & Galliam; Antonius reliqua omnia ſupra Ionium mare in Aſia & Europa (excepta Africa, quam Lepidus; & Sicilia, quam Sex. Pompeius tenebant) ſortiti, ambo, quod alter alteri reconciliatus eſſet, cum triumphali veſte in vrbem equis inuecti ſunt, Octauia etiam Cæſaris ſorore Antonio in matrimonium collocata. Itaque Suetonius hoc innuens, recte dixit Cæſarem bis ouantem vrbem ingreſſum: poſt Philippenſe, iterum poſt Siculum bellum.

DE COS. AN. DCCXIIII.

CONSVLES ſuggerit Caſſiodorus L. Cenſorinum, C. Caluiſium; Cenſorinum & Sabinum faſti Siculi; Dio L. Marcium, C. Sabinum. L. Marcius Cenſorinus ex triumpho eius Capitolino deſcriptus eſt: C. Caluiſius C. F. Sabinus dicitur a Dione in indice: quamquam Aſinius ibi vulgo per mendam legitur.

De triumphis L. Marcij Cenſorini cos. ex Macedonia, C. Aſinij Pollionis pro cos. ex Parthinis.

L. MARCIVS Cenſorinus in conſulatu triumphauit ex Macedonia K. Ian. ſi lapidibus Capitolinis credimus. neque enim eius triumphi verbum apud annales Romanos inueni. In iiſdem etiam tabulis ſcriptum eſt, C. Aſinium Pollionem pro cos. ex Parthinis triumphaſſe. cuius triumphi hęc apud ſcriptores rerum Romanarum teſtimonia exſtant. primum Dio in exponendis rebus hoc anno geſtis, ita loquitur; Eodem tempore Parthini mouerunt: quorum conatus armis cõpeſcuit Pollio. Et Horat. prima Ode lib. II, eum de Dalmatis triumphaſſe ſignificat, cum ita canit; *Et conſulenti Pollio curiæ, Cui laurus æternos honores Dalmatico peperit triumpho.* quem locum exponens Porphyrio, inquit, eum Salona vrbe Dalmatiæ capta triumphaſſe. Et Seruius in expoſitione Pollionis Vergiliani ſcribit, Aſinium Pollionem ductorem Germanici exercitus, cum poſt captas Salonas Dalmatiæ ciuitatem, primo meruiſſet lauream, poſt etiam conſulatum adeptus fuiſſet, eodem anno ſuſcepiſſe filium, quem a capta ciuitate *Saloninum* vocarit. Itaque Florus etiam ſic ſcripſit; Dalmatas Marcius incenſa vrbe Delminio quaſi detruncauerat; poſtea Aſinius Pollio gregibus, armis, agris mulctauerat. De eodem Aſinio ſic Velleius libro II; Aſinius Pollio cum ſeptem legionibus diu retenta in poteſtate Antonij Venetia, magnis ſpecioſiſque rebus circa

Altinum aliasque regionis eius vrbes editis, Antonium petens, vagum adhuc Domitium, digressum e Brutianis castris post cædem eius, & propriæ classis factum ducem, Antonio iunxit. *Parthinos* Plinius in Macedonia collocat; Strabo libro VII, supra Dyrrhachium & Apolloniam in Epiro. Stephanus Parthum oppidum esse Illyrici scribit; vnde ciues Parthinos dictos.

DE COS. AN. DCCXV.

CONSVLES subsequuti sunt Ap. Claudius, C. Norbanus, vt ait Cassiodorus; vt fasti Siculi, Censorinus & Sabinus; vt Dio, Ap. Claudius C.F. Pulcher, C. Norbanus C.F. Flaccus. In triumpho etiã Capitolino C. Norbanus C.F. Flaccus scribitur. His primis consulibus duos vtrisque affuisse quæstores notat Dio.

De triumpho P. Ventidij pro cos. de Parthis.

TRIVMPHVM P. Ventidij de Parthis actũ nemo est fere qui non memoriæ prodiderit; quod insigne ad famam esse duxerunt, eum qui antea in triumpho ductus captiuus fuerat, primum de bellicosissima Parthorum gente triumphasse. Itaque & in Capitolinis tabulis hic triumphus est Pollionis triumpho subiectus; & de eo Plinius, Dio, Gellius, & Valerius tradiderunt. Scribit autem Dio, Asinio & Caluino cos. Pacorum Parthorum regem T. Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat, duce, in Syriam irrupisse; victoque Decidio Saxa M. Antonij legato, vniuersam eam prouinciam, & Phœnicen, & Ciliciam, & Palæstinam occupasse, M. ipso Antonio amore Cleopatræ in Ægypto implicato. Censorino vero & Sabino cos. P. Ventidium ab Antonio contra Parthos missum, eos prœlio victos Syria & Tauro monte, Labieno eorum duce occiso, expulisse, & Palæstinam recepisse: easq; ob res nullum a senatu honorem consequutum, quod eas non suis, sed Antonij gessisset auspiciis: Antonio autem supplicationes esse decretas. sequenti anno Ventidium Pacorum regem deuictis Parthis interfecisse; qui fuit annus Claudio & Norbano consulibus; atq; triumphum a senatu impetrasse. De quo triũpho sic idem; Rebus a Ventidio gestis Antonius non modo non lætatus est, sed etiam inuidit, atque ei imperium abrogauit; quamuis ipse ob Ventidianam victoriam supplicationes a senatu & triumphum obtinuisset. quę ei a ciuibus decreta sunt cum propter eius potentiam, tum quia vere Antonij imperium fuerat, non Ventidij. Ventidio autem eadem decreta sunt, quod cladem Crasso a Parthis illatam ipse egregie vltus fuerat; & maxime quod eodem die & clades Crassi, & victoria Ventidij contigerat. Casu autem Ventidius solus triumphauit, quod Antonius ante triumphum obiit: atque gloriam tum ex his, tum ex ipsius fortunæ inconstantia ingentem rettulit. in triumpho enim Pompeij Strabonis cum ceteris captiuis ductus fuerat; qui primus de Parthis triumphauit. Idem scribit Valerius lib. VI: Asculo capto, inquit, Cn. Pompeij Magni pater P. Ventidium ætate puberem in triumpho suo populi oculis subiecit. hic est Ventidius, qui postea Romæ de Parthis, & per Parthos de Crassi manibus in hostili solo miserabiliter iacentibus, triumphum duxit. Et Plinius lib. VII; Triumphauit de Parthis solus P. Ventidius; sed idem in triumpho Asculano Cn. Pompeij Strabonis puer ductus: quamquam Massurius auctor est, bis in triumpho ductum. Gellius lib. XV, eum Picentem fuisse ait genere, & loco humili, & matrem eius a Pompeio Strabone Pompeij Magni patre, bello sociali quo Asculanos subegit, captam cum ipso esse: mox triumphante Pompeio Strabone, eum quoque puerum inter ceteros ante currum Imperatoris sinu matris vectũ esse. post, cum adoleuisset, victum sibi ægre quæsisse, eumque sordide inuenisse, comparandis mulis & vehiculis magistratibus qui sortiti prouincias forent: præbenda publice conduxisse. in isto quæstu notũ esse cœpisse C. Cæsari; & cum eo profectum esse in Gallias. tum, quia in ea prouincia satis nauiter versatus esset, & deinceps ciuili bello mandata sibi pleraque impigre & strenue fecisset, non modo in amicitiam Cæsaris, sed ex ea in amplissimum quoque ordinem peruenisse. mox tribunum quoque plebis, ac deinde prętorem creatum. atque in eo tempore iudicatum esse a senatu hostem cum M. Antonio. post vero coniunctis partibus, non pristinam tantum dignitatem recuperasse, sed etiam pontificatum, ac deinde consulatum quoque adeptum esse. Eundem Venti-

Ventidium Bassum Suetonius prępositum esse a M. Antonio prouinciis orientalibus, Parthosq; in Syriam introrumpentes tribus prœliis fudisse scribit; eumque primum omnium de Parthis triumphasse, & morte obita publico funere elatum esse. Idem Plutarchus in Antonio, & Eutropius libro VII.

DE COS. AN. DCCXVI.

M. AGRIPPAM, L. Caninium cōsules suggerit Cassiodorus: Agrippam & Gallum fasti Siculi: Dio M. Vipsanium L. F. Agrippam, L. Caninium L. F. Gallum. M. Agrippam, & C. Canidium Gallum consules edit Iosephus libro XV Antiquitatum, annos XXVII post Ciceronem consulem; quo anno capta Hierosolyma fuerant. Vipsanium item Agrippam vocat Nepos in vita Attici. In Capitolinis lapidibus, aliisq; veteribus Romæ monumentis, gentile nomen eius præteritur. vt in fronte templi quod Pantheon dictum est; M. AGRIPPA L. F. COS. TERT. De Agrippa ita Tacitus libro primo; Augustus M. Agrippam ignobili loco, bonum militia, victoriæ socium, geminatis consulatibus extulit: post etiam mortuo Marcello sororis filio, generum sumpsit. Ex Capitolino inani interuallo inter Agrippam & Gellium, qui sequitur, consulem, apparet desiderari nomen consulis suffecti in locum Caninij; de quo nihil mihi compertum est. suspicor autem ne sit T. Statilius Taurus: primum, quia biennio post pro cos. triumphauit ex Africa; deinde, quia anno DCCVII consul est iterum, neque quando primum fuerit, exstat.

De triumuiris R. P. C. II.

DIO auctor est, hoc anno triumuiros R.P.C. Antonium, Lepidum, & Cæsarem, cum quinque anni triumuiratus, in quos se crearant, abiissent, eosdem semet in alterum quinquennium renuntiasse. Hoc idem ex Colotiano lapide colligitur, in quo est; priores triumuiros ex ante diem quintum K. Dec. ad prid. Kal. Ian. sex. triumuiratum gessisse. pridie autem K. Ian. sextas ab illo die, intelligimus esse vltimum eius anni diem quo Claudius & Norbanus consules fuerunt. In Capitolino fragmento triumuiri Claudio & Norbano subiecti videntur, quasi illo anno inierint. verum ego interpretor, coniungendos esse triumuiros cum anno quo M. Agrippa consulatum gerit; quippe qui illustriores sint ipsis consulibus, atque idcirco consulibus preponantur. sic enim post etiam Augustus cum numero tribuniciæ potestatis, itemq; Tiberius, consulibus præponuntur, non subijciuntur. Itaque in lapide nominatum triumuirûm, tum Agrippæ, respondent ad perpendiculum, nec vllum eorum interius altero est. Eos autem K. Ian. inisse, quamquam traditum non est, puto. Cum Antonij & Cæsaris suspecta alterius alteri fides esset, per Octauiam in gratiam redierunt. Cæsar etiam filiam Antyllo Antonij ex Cleopatra filio; Antonius Domitio Cæsaris interfectori, & proscripto, filiam ex Octauia despoponderunt. Dio.

De triumpho a M. Agrippa cos. neglecto ex Gallia.

CÆSAR, cum pararet bellum in Sex. Pompeium Magni filium, M. Agrippam ex Gallia vlteriore euocauit: eique curam classis ædificandæ mandauit, cum eundem, qui Gallos noua molientes deuicerat, & secundus Romanorū belli caussa Rhenum transierat, triumphi honore decorasset. Is autem cum consulatum cum L. Gallo gereret, sibi triumphandum non esse duxit, quod haud decere putaret, se, re male aduersus Pompeium a Cæsare ob naufragria gesta, in lætitia esse. Hæc Dio. Appianus etiam lib. V. Agrippam ex Aquitania insignem Victoriam rettulisse; Orosius eundem in Aquitania rem prospere gessisse, auctores sunt.

DE COS. AN. DCCXVII.

CASSIODORVS consules in hunc annum profitetur L. Gellium, M. Cocceium: Poplicolam & Neruam fasti Siculi: Dio L. Gellium L. F. Poplicolam, M. Cocceium Neruam. Ex Capitolinis fragmentis apparet L. GELLIVM L. F. L. N. esse. L. Gellius frater proditur a Dione M. Valerij Messallæ. est enim is cui a M. Bruto venia ante data est. ex quo intelligi potest, Poplicolam cognomen esse adoptionis. nō enim

Gellij, sed Valerij, Poplicolæ cognomen tulerunt. Eundem Gellium abdicasse, in eius locum alterum factum esse, eadem fragmenta docent. Is forte fuit L. Munatius L. F. L. N. Plancus: quem Plinius lib. XIII, cap. III, bis consulem fuisse ait. neque quo anno iterum fuerit, reperias. cui cōiecturæ fragmentum etiam Capitolinum assentitur, in quo est; L= L=. id est, L.F.L.N.

De triumpho Cn. Domitij Caluini pro cos. ex Hispania.

HOC anno Cn. Domitium Caluinum pro cos. ex Hispania triumphasse, exstat in fastis Capitolinis. cuius triumphi meminit Dio in expositione rerum gestarum Censorino & Sabino cos. his verbis; Eodem tempore mouerunt etiam Ceretani in Hispania; quos Caluinus subegit, re primum bene ab ipso, post infeliciter ab eius legato gesta; qui a barbaris obsessus, & a suis militibus desertus est. Caluinus autem non ante in hostes impressionem fecit, quam de militibus supplicium sumpsit, eosque decimauit. quo facto hostes adortus, victoriam reportauit, & triumphum obtinuit; quamquam Hispania Cæsari prouincia erat decreta. ex arbitrio enim eorum qui imperium habebant, etiam honores iis qui suis auspiciis pugnassent, mandabantur. Et Velleius; Eadem tempestate Caluinus Domitius, cum ex consulatu obtineret Hispaniam, grauissimi comparandique antiquis exempli auctor fuit; quippe primipili centurionem nomine Vibullium, ob turpem ex acie fugam fuste percussit.

De bello Siculo Sex. Pompeij, & Imp. Cæsare ouante II.

SEX. Pompeius minor e filiis Cn. Pompeij Magni, bellum Siculū conciuit; quod ab Imp. Cæsare gestum est. Is enim anno DCCIX, quo anno C. Cæsar dictator in Hispania cum filiis Cn. Pompeij acerrimo bello dimicauit, e Corduba, vbi obsidebatur, elapsus, in Lacetaniam veniens, aliquamdiu latuit. vbi vero Cæsar in Italiam, haud magnis relictis in Bætica copiis, decessit, in Bæticam, confluentibus ad eum omnibus iis qui ex prœlio incolumes euaserant, se recepit: atque occiso iam Cæsare, vrbes alias vi, alias voluntate sibi adiunxit, C. Carrinate, ac deinde C. Asinio Pollione, quos Cæsar in Hispaniam miserat, pulsis. M. deinde Lepidus, qui a Cæsare alteram Hispaniam obtinuerat, fœdus cum eo fecit, vt recuperato patrimonio ex Hispania recederet: atque id fœdus a M. Antonio cos. confirmatum est. Tum vero cum M. Bruto Macedoniam, C. Cassio Syriam & bellum aduersus Dolabellam senatus decerneret, Sex. Pompeio classem cōmisit, atq; eum in Italiam aduocauit. Is, cum iam triumuiri dominarentur, lectis ex Epiro proscriptis ac fugitiuis, cum exercitu diu sine vlla loci cuiusquam possessione in mari prædatus, Messanam oppidum in Sicilia primum, deinde totam insulam occupauit: occisoque A. Pompeio Bithynico pretore, Q. etiam Saluidienum legatum Cæsaris nauali prœlio superauit, tum cum bellum in Brutum & Cassiū a Cæsare & Antonio parabatur, Lepido & Planco cos. Illis autem debellatis, cum maria omnia latrociniis Sextus infesta redderet, & Sicilia in potestatem redacta annonæ subuectiones impediret, atque vrbem fame per aliquot annos opprimeret, cum eo postulatam pacem Cæsar & Antonius fecerunt, ita vt ille Siciliam & Sardiniam & Achaiam in quinquennium haberet, & purgatis maribus, commeatum in vrbem mitteret. hæc autem pax facta est Marcio & Caluisio cos. eodemque anno cum Sex. Pompeius rursum latrociniis mare vexaret, nec pacem, quam acceperat, præstaret, Cæsar necessario bello contra eum suscepto, Lepido ex Africa cum legionibus accito, duobus naualibus prœliis dubio euentu Claudio & Norbano cos. pugnauit. Sequens deinceps annus in conficienda classe, cui rei M. Agrippa præfectus erat, consumptus est. hoc autem demum anno aduersus Sex. Pompeium vario euentu naualibus certaminibus pugnatum est; ita vt duarum classium Cæsaris altera, cui Agrippa præerat, vinceret; altera, quam Cæsar duxerat, deleta, expositi in terram milites fere a Pompeio oppressi sint. Victus deinde Pompeius in Siciliam profugit: M. Agrippa rostrata nauali corona a Cæsare donatus est; qui honos nemini ante eum habitus erat. Quibus rebus Romæ nuntiatis, Cæsari magno omnium consensu statuæ, currus triumphalis, & vt ouans vrbem iniret, & laurea corona perpetuo vteretur, concessum est. Hæc Dio. In Capitolinis tabulis scriptum est etiam Imp.

Cæsa-

Cæsarem II IIIuirum, II ouantem ex Sicilia hoc anno iniiſſe; & apud Suetoniũ, Cæſarem poſt bellum Siculum iterum ouantem eſſe ingreſſum. Sex. Pompeius, cum e Meſſana Corcyram, atque inde in Cephalleniã nullo perſequẽte veniſſet, in Aſiam ad Antonium ſe contulit: & cum in Lesbo eum rem male aduerſus Medos geſſiſſe audiret, ratus ſe Antonij imperium ad ſe facile tranſlaturum, cum bellum compararet, per M. Titium Antonij legatum captus, iuſſu eiuſdem, Cornificio & Põpeio cos. interfectus eſt. Dio, Epitomæ, Appianus.

De M. Lepido triumuiro II victo, & coacto abdicare.

IMP. CÆSARE hoc anno bellum cum Sex. Pompeio gerente, M. Lepidus triumuir ex Africa ad ſocietatem belli a Cæſare accerſitus venit. cum autem Cæſar eo tamquam legato in bello vti vellet, Lepidus ſibi imperij partem depoſceret, ac pacta occulta cum Pompeio eum feciſſe Cæſar comperiſſet; fugato Pompeio, Lepido inde, qui occupata Meſſana Cæſarem in ius vocabat, & Siciliam ſibi vindicabat, bellum intulit. qui victus, atque ab exercitu ſuo relictus, abrogato triumuiratus honore, ſupplex a Cæſare vitam impetrauit. Dio, Appianus, Velleius. itaque Suetonius ita; Poſt Pompeij fugam collegarum alterum M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium euocarat, ſuperbientem XX legionum fiducia, ſummasque ſibi partes terrore ac minis vindicantem, Cæſar ſpoliauit exercitu; ſupplicemque conceſſa vita Circeiis in perpetuum relegauit. Idem Oroſius.

DE COS. AN. DCCXVIII.

SEX. Pompeium, L. Cornificium conſules prodit in hunc annum cum Siculis Caſſiodorus: L. Cornificium L. F. Sex. Pompeium Sex. F. Dio. Hoc anno, vt dixi, Sex. Pompeius Cn. F. occiſus eſt.

DE COS. AN. DCCXIX.

CONSVLES ſuggerit Caſſiodorus L. Scribonium, L. Atratinum; Antonium & Libonem faſti Siculi; M. Antonium M. F. II, L. Scribonium L. F. Libonem Dio. Adijcit idem, M. Antonium magiſtratu ſe confeſtim abdicaſſe, ac ſibi L. Sempronium Atratinum ſuffeciſſe: multos autem eſſe qui propterea non Antonium, ſed Atratinum conſulem hoc anno profiteantur. Idem etiam poſt alio loco ſcribit, Cæſarem II conſulem K. Ian. abdicaſſe; vt etiam ante M. Antonius fecerat. L. Sempronius Atratinus deſcriptus eſt ex triumpho Capitolino acto anno DCCLXXII. Conſules in parte anni ſuffectos inuenio P. Æmilium, C. Memmium. Ita enim eſt in lapide quodam perantiquo, cuius exemplum eſt in lib. veterum Inſcriptionum, vbi multi horum annorum conſules ſunt;

L. SEMPRONIVS. L. SCRIBONIVS
K. IVL. P. AEMILIVS
C. MEMMIVS.
K. NOV. C. HERENNIVS

Meminit item Paulli Æmilij Lepidi conſulis in parte anni Dio; eumque porticum ſuis ſumptibus exædificaſſe ait, & in conſulatu dedicaſſe. Hic poſt in cenſura Capitolina L. F. M. N. vocatur.

De triumpho T. Statilij Tauri pro cos. ex Africa, C. Soſii ex Iudæa, C. Norbani ex Hiſpania.

HOC anno T. Statilius Taurus pro cos. ex Africa triumphauit; vt ſcriptum eſt in Capitolinis tabulis. Hic autem Taurus in Africam ab Imp. Cæſare miſſus eſt, poſtquam Lepidum in Sicilia vicit, cuius erat prouincia Africa. Dio ſiquidem lib. XLIX, Cocceio & Gellio cos. Cæſarem vtramque Africam virtute Statilij Tauri ſine prœlio obtinuiſſe; & Velleius, M. Agrippæ & Statilio Tauro nouitatem familiæ haud obſtitiſſe, quo minus ad multiplices conſulatus triumphosq;, & complura eueherentur ſacerdotia, ſcribunt. Eodem etiam anno C. Soſium ex Iudæa triumphaſſe inuenio in tabulis Capitolinis. De quo ſic Dio libro XLIX; M. Antonius in Italiam reuerſus, im-

perium Syriæ & Ciliciæ C. Sosio tradidit. Is Aradios obsessos, ac fame & morbo oppressos in dicionem redegit; & Antigonum, qui præsidium Romanorum interfecerat, prœlio vicit, ac Hierosolyma confugientem obsidione in potestatem adduxit. Multis igitur detrimentis Iudæi Romanos affecerunt; sed multo plura acceperunt. atque hæc Claudio & Norbano cos. gesta sunt. Sequenti vero anno, cum in Syriam reuertisset Antonius, C. Sosius, ne Antonium sibi infestum re bene gerenda redderet, quieuit. Hæc ille. Iosephus autem Antiquitatum lib. XV, narrat Hierosolyma a C. Sosio, M. Agrippa & Canidio Gallo cos. capta, annos XXVII postquam a Pompeio in potestatem populi Romani redacta fuerant. Hoc est autem illud de quo in Epitome CXXVIII scriptum est; Iudæi a legatis Antonij subacti sunt. Quin etiam C. Norbanum Flaccum hoc anno post Sosium ex Hispania triumphasse, proditum est in Capitolinis triumphis. de cuius triumpho aut rebus gestis nemo, quod sciam, scripsit. fuit autem ante cum Ap. Claudio cos.

DE COS. AN. DCCXX.

Cassiodorus C. Cæsarem, L. Volcatium cõsules suggerit: Dio Cæsarem II, L. Volcatium L. F. Tullum. Qui Siculos fastos digesserunt, parum scite Cæsarem & Ciceronem in hunc annum edunt. De hoc Cæsaris consulatu sic Suetonius; Cęsar secundum consulatum nouem annos post primum cepit; quem paucissimis horis gessit. Nam K. Ian. cum mane pro æde Capitolini Iouis paululum curuli sella pręsedisset, honore abiit, suffecto alio. Et Dio; Cæsar II consul cum L. Tullo, abdicauit K. Ian. vt ante fecerat Antonius. Cæsari collega futurus erat Sex. Pompeius Cn. Magni F. ita enim inter eos cõuenerat, tum cum pacem fecerunt; vt refert libro V Appianus. In locum Cæsaris factum inuenio L. Antonium; multosque alios in parte anni, in libro veterum Inscriptionum, hoc modo;

IMP. CÆSAR II. L. VOLCATIVS.
K. IAN. L. ANTONIVS.
K. MAI. L. FLAVIVS.
K. IVL. M. ATILIVS.
C. FONTEIVS.
K. SEP. L. VINVCIVS.
K. OCTOB. L. LAENONIVS.

Ex his mendose legi L. Antonium, ac L. Autronium Crassum legendum esse opinor, vt sit is qui anno DCCXXIIII pro cos. ex Africa triumphauit. L. Flauij consulis a M. Antonio facti, & abdicati, meminit etiam Dio. etenim, vt puto, mendose est apud eum Χλαύιος, pro Φλαύιος.

DE COS. AN. DCCXXI.

Cn. Domitium, C. Sosium consules nominat in hunc annum Cassiodorus: Ahenobarbum & Sosium fasti Siculi. Dio Cn. Domitium Cn. F. Cn. N. Ahenobarbum, C. Sosium C. F. C. N. Nepos scribit Atticum Cn. Domitio, C. Sosio cos. mortuum. Cn. Domitius, Cn. Domitij filius est, eius qui in Cæsarem coniurauit: C. Sosius. is est qui paulo ante triumphauit; qui in Capitolino triumpho T. N. a Dione C. N. appellatur. Est aũt intelligendum, transactum esse quinquennium, quo Cæsar II triumuir fuit. hoc aũt primum anno priuatum fuisse, tũm cum erat designatus cos. III. Itaq; miror Tergesti lapidem eiusmodi legi; IMP. CÆSAR COS. DES. TERTIVM, IIIVIR R. P. C. ITERVM, MVRVM TVRRESQVE FECIT. neque enim dici potest, eum sibi triumuiratum in tertium quinquennium prorogasse; quem Dio scribit, per decem annos tantum administrasse. Fortasse cõsulem designatum III intelligit anno priore, postquam secundo abierat. nam multis ante annis se III cum M. Antonio III consulem designauerat; vt ait Appianus lib. V. Consules in parte anni suffectos inuenio L. Cornelium, & N. Valerium, sic est enim in veteribus Inscriptionibus;

CN. DOMITIVS C. SOSIVS.
K. IVL. L. CORNELIVS.
K. NOV. N. VALERIVS.

DE

DE COS. AN. DCCXXII.

CASSIODORVS C. Cæsarem II, M. Messallam consules in hunc annũ profitetur: fasti Siculi Octauianum & Coruinum: Dio Cæsarem III, M. Valerium M. F. Messallam Coruinum. & recte. neque enim Cassiodorus rationem habet consulatus eius quem cum Q. Pedio gessit; quia suffectus fuit. Dio autem & Appianus auctores sunt, Cæsarem & Antonium ambos III in hunc annum consules comparatos fuisse, tum cum pace cum Sex. Pompeio facta, consules in octo annos insequentes designarunt: verum abrogatum fuisse priore anno ei a populo cõsulatum, & bellum vna cum Cleopatra indictum, ac pro eo M. Messallam consulem declaratum. Vnde etiam Suetonius; Cæsar tertium cõsulatum anno interiecto cepit. Hunc annuum ab eo gestum tradit & Dio, & Suetonius. De Messalla autem sic Dio; M. Messalla, quem proscripserat Antonius, non solum seruatus est, sed etiam postea consul in locum eius factus est. De suffectis hoc anno cos. sic in veteribus inscript.

IMP. CAESAR III. M. VALERIVS.
K. MAI. M. TITIVS.
K. OCTOB. CN. POMPEIVS.

Antoniani autem consulatus mentio est in antiquis nummis argenteis ita; M. ANTONIVS AVG. IMP. IIII. COS. TERT. IIIVIR. R. P. C.

De bello Actiaco cum M. Antonio, & imperio Rom. ad vnum Imp. Cæsarem translato.

VLTIMVM bellum quod gestum est cum ciuibus, gestum est cum M. Antonio, qui triumuir fuerat R.P.C. quo confecto, (hic enim vnus ex ciuibus arma retinebat) imperium Romanum totum ad Cæsarem, qui post *Augustus* est appellatus, translatum est. Inimicitiæ autem inter Cæsarem & Antonium, cœperunt Antonio & Volcatio cos. exarserunt Domitio & Sosio, auctore Dione. Antonius crimini dabat Cæsari, quod Lepido triumuiratum abrogasset, atque copias eius, & Sex. Pompeij, quas communes esse oportebat, vnus sibi sumpsisset, atque tum illarum, tum quas in Italia, quæ communis erat, conscripsisset, partem repetebat. Cæsar autem Antonio, quod Ægyptum sine sorte teneret, & Sex. Pompeium, cui ipse sponte ignouisset, interfecisset, & Artauasdem regem Armeniorum dolo captum, in vincula cum magna populi Rom. infamia coniecisset; partemque eorum spoliorum poscebat. vitio etiam dabat Cleopatram, & liberos ex ea susceptos, & quæ ei donasset: in primis autem quod Cleopatræ filium ex C. Cæsare, Cæsarionem appellasset, atque ad Cæsaris genus traduxisset. Atque hæc quidem tum per epistolas priuatim, tum publice in senatu, Cęsare coram, & Antonio per legatos agente, vltro citroque obiecta sunt; delectibus interea ab vtroque, quasi ad aliud bellum, habitis; quousque Domitius & Sosius, ambo Antonianarum partium, consulatum inierunt. Tum enim, cum K. Ian. Sosius in senatu multa pro Antonio contra absentem Cæsarem dixisset, Cæsar in vrbem reuersus, conuocato senatu, multo pluribus in Antonium, ipsis obmutescentibus consulibus, perorauit. Quibus acceptis, Antonius remisso Octauiæ nuntio, bellum suscepit. Tum Cæsar in senatu & in concione testamenti Antoniani tabulas, quas quidam ab Antonio ad Cæsarem transfugientes, apud Vestales asseruari rettulerant, recitauit; in quibus Cæsarionem vere Cæsaris ex Cleopatra filium testabatur, & filiis suis ex Cleopatra natis ingentia munera legabat, seq; in Ægypto cum Cleopatra sepeliri iubebat. Quibus rebus indignatus populus Ro. cum etiam grauiora alia vera esse, quæ sermonibus celebrabantur, putaret; Antonium victoria parta vrbem Cleopatræ per gratiam traditurum, atq; imperium Romanum in Ægyptum esse translaturum; eo irarum progressus est, vt consulatum ei, quem cum Cæsare gesturus erat, imperium abrogarit, & bellum non verbo, ne eos qui cum eo erant, a se abalienaret, sed re, verbo autem Cleopatræ, per fetialem indixerit; quod mulier Ægyptia Romanum imperium affectaret. Hæc Dio. De iisdem caussis sic etiam scriptum est in Epitoma CXXXI; Antonius Artauasdem Armeniæ regem fide data perductum in vincula conijci iussit; regnumque Armeniæ filio suo ex Cleopatra nato dedit; quam vxoris loco, iampridem

captus amore eius, habere cœperat. Cum aũt ob eiuſdem amorem, ex qua filios duos habebat, Philadelphum & Alexandrum, neque in vrbem venire vellet, neque finito triumuiratus tempore, imperium deponere; bellumque moliretur, quod vrbi Italiæq; inferret, ingentibus tam naualibus quam terreſtribus copiis ob hoc contractis, remiſſoque Octauiæ ſorori Cæſaris repudio, Cæſar in Epirum cum exercitu traiecit. Adijcit præterea Dio, eodem anno Cæſarem & Antonium copias vndique comparaſſe; Cæſarem, ex Italia, Gallia, Hiſpania, Libya, Sardinia, & Sicilia; Aontonium, ex Aſia, Thracia, Macedonia, Græcia, Ægypto, Cyrene, regibus & dynaſtis omnibus: ſequenti autem anno, Cæſare & Meſſalla cos. Antonium & Cleopatram ad Actium Epiri promontorium Cæſari occurriſſe: multis prœliis naualibus a Cæſare proſpere factis, victum tandem Antonium, cum Cleopatra Alexandriam in Ægyptum profugiſſe. Cæſarem victorem Apollini Actio triremes vſque ad decemremes omnes captiuas conſecraſſe; ac maiori fano conſtructo, ludos Scenicos & Circenſes, ac ſacrum quinquennale, quod *Actium* dictum eſt, inſtituiſſe: atque vbi caſtra habuerat, oppidum *Nicopolim* exædificaſſe. hanc autem naualem pugnam IIII non. Sept. factam, atque eo die vniuerſum imperium Rom. ad Cæſarem recidiſſe; itaque ab illo die annorum eius imperij enumerationem duci. Quare recte Suetonius ita; Cæſar primum cum M. Antonio Marcoq; Lepido, dein tantum cum Antonio per XII fere annos, nouiſſime per IIII & XL ſolus remp. tenuit. Et Tacitus libro primo; Poſtquam Bruto & Caſſio cæſis nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppreſſus, exutoque Lepido, interfecto Antonio, ne Iulianis quidem partibus niſi Cæſar dux reliquus, poſito triumuiri nomine, conſulem ſe ferens, & ad tuendam plebẽ tribunicio iure contentus, munia ſenatus, magiſtratuum, legum, in ſe trahere, nullo aduerſante.

DE COS. AN. DCCXXIII.

CASSIODORVS conſules in hunc annum nominat C. Cæſarem III, M. Craſſum: faſti Siculi Octauianum & Craſſum: Dio Cæſarem IIII, M. Licinium M. F. Craſſum. Addit idem; Cæſar media hieme traiecit in Italiam ex Macedonia; qua ipſe quartum cos. cum M. Craſſo fuit. hic enim etſi cum Sexto & cum Antonio ſenſerat, tamen tum ne prætorius quidem conſulatum geſſit. Oroſius item notat, Cæſarem VI Imp. appellatum, cum M. Licinio Craſſo cos. fuiſſe. Cum autem Dio ſcribat hunc conſulatum annuum a Cæſare geſtum, miror cur Suetonius non niſi a VI ad XI annuos geſtos tradiderit. Hunc conſulatum, eodem auctore, Cæſar in Aſia iniuit. De conſulibus ſuffectis M. Licinio ſic in veteribus Inſcriptionibus;

IMP. CÆSAR IIII. M. LICINIVS.
K. IVL. C. ANTISTIVS.
ID. SEPT. M. TVLLIVS.
K. NOV. L. SAENIVS.

De M. autem Tullio ſic Dio in exponendis huius anni rebus; Quo tempore nuntiata eſt mors M. Antonij, in parte anni conſul erat Ciceronis filius. Et Plinius lib. XXII; Ipſum Auguſtum cum M. Cicerone filio conſulem idib. Septemb. ſenatus obſidionali donauit. Tradit etiam Plutarchus cum Dione, paulo poſt debellatũ Antonium, Cæſarem conſulem factum, Ciceronis oratoris filium ſibi collegam cooptaſſe: quo in magiſtratu ſenatum ſtatuas Antonij deieciſſe, ac decreto, ne quis ex gente Antonia Marci prænomine vteretur, ſtatuiſſe. Antiſtio, Veteris; Sænio, Sæuini cognomen ex Velleio & Tacito adiectum eſt.

DE COS. AN. DCCXXIIII.

CONSVLES apud Caſſiodorum C. Cæſar IIII, Sex. Appuleius: apud Dionem Cæſar V, Sex. Appuleius Sex. F. in faſtis Siculis Octauianus & Appuleius: in veteribus Inſcriptionibus, IMP. CAESAR V. SEX. APPVLEIVS. in Capitolino triumpho; SEX. APPVLEIVS SEX. F. SEX. N. Suetonius, Cæſarem quinctum conſulatum continuaſſe, eumque in Samo iniiſſe: Dio, conſulem Sexto ſuffectum in parte anni Potitum Valeriũ ſcribunt: qui, vt puto, pater eſt L. Valerij Potiti F. conſulis

ſulis anno DCCLVII. Hunc annum vocat Dio ab vrbe condita DCCXXV. De Cæſare cos. V, exſtat epigramma vetus eiuſmodi in Antiquæ vrbis epigrammatum libro;

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS
IMP. CAESARI DIVI IVLI F. COS. QVINCT.
COS. DESIGN. SEXT. IMP. SEPT.
REPVBLICA CONSERVATA.

De III triumphis Imp. Cæſaris, Dalmatico, Macedonico, Aegyptio; & C. Carrinatis pro cos. Gallico.

HIS conſulibus Imp. Cæſarem tres triumphos egiſſe, primo die de Pannoniis, Dalmatis, Iapydibus, Gallis; eodemq; die C. Carrinatem pro cos. de Morinis; altero die ex Macedonia, tertio ex Ægypto de Cleopatra, auctor eſt Dio. Vnde etiam Suetonius; Curules triumphos egit tres, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum. Et Macrobius; Cęſar Sextili menſe triumphauit ter, & idcirco menſis ille poſt dictus eſt *Auguſtus*. Oroſius autem imperite, qui ſcripſit Cæſare & Sex. Appuleio cos. Cæſarem ab oriente redeuntem, VIII id. Ian. vrbē triplici triumpho ingreſſum eſſe. ſiquidem ſcriptum eſt apud Dionem, æſtate ea qua Potitus Valerius conſul in locum Sex. Appuleij in parte anni fuit, Cæſarem in Italiam traieciſſe, & triumphaſſe. De his tribus triumphis ſic in VIII Vergilius; *At Cæſar triplici inuectus Romana triumpho Mœnia, dijs Italis votum immortale ſacrabat*. Quæ verba exponens Seruius ait; Tres Auguſtus triumphos egit. nam primo die triūphauit exercitus qui Antonium; ſecundo, qui Dalmatas vicerat; tertio, ipſe cū Alexandrino ingreſſus triumpho eſt. At in Epitomis, primū ex Illyrico, alterū ex Actiaca victoria, tertium de Cleopatra actum, ſcriptū eſt. Et Dio, vt dixi, primo die Dalmaticū actum & Gallicum tradit. Verba eius hæc ſunt; Cæſar primo die de Pannoniis, Dalmatis, Iapudibus, & Gallis quibuſdā triumphauit. Nam C. Carrinas Morinos, & alios quoſdā, qui vna defecerant, ſubegerat; & Sueuos, qui magna multitudine Rhenū tranſierāt, repulerat. ac propterea & ille triumphauit; quamuis pater eius a Sulla proſcriptus, atq; ipſe vna cum aliis ſuffragiorum ratione priuatus eſſet. Triumphauit vero etiam Cæſar; quoniā victoria ad imperatorem cuius auſpiciis parta eſt, refertur. Atq; hi primo die triumphi acti ſunt. Appianus etiam de Illyriis a Cæſare triumphatum ſcribit. Hæc de triumpho. De victoria vero ſic Dio; Cæſar Pompeio & Cornificio cos. cum Sex. Pompeius ab Antonio occiſus eſſet, quem ipſe priore anno fugarat, venit in Siciliam, vt ad Africam ordinandam traijceret: verum tempeſtate detentus, conſumpto tempore non traiecit. Etenim Salaſſi, Tauriſci, Liburni, Iapudesq;, cum & ante mouiſſent, & tributa dare recuſaſſent, abſente Cæſare defecerūt. propterea Cæſar adducto aduerſus eos exercitu, Salaſſos & Iapudas in poteſtatem redegit. quibus rebus geſtis, in Pannonios mouit, non quod illi quidquam in ſe deliquiſſent, ſed vt milites in opere haberet, & exercitum alienis ſumptibus aleret: eorumq; gente ſubacta, atque iis præfecto Fufio Gemino, Romam decedens, triumphum ſibi decretum a ſenatu in aliud tempus diſtulit. Cum aūt in Britanniam traijcere cuperet, ac propterea poſt hiemem qua M. Antonius II cum Libone conſul fuit, in Galliam veniſſet, quidam e populis quos ante deuicerat, vna cum Dalmatis rebellarunt: ac Pannonios quidem Fufius; Dalmatas primum Agrippa, poſt etiam ipſe Cæſar, qui & eo bello vulneratus eſt; Salaſſos, Meſſalla Coruinus; alios Statilius Taurus perdomuit. Vnde Suetonius; Dalmaticum bellum Cæſar adoleſcens adhuc per ſe geſſit; quo etiam vulnera excepit. Item; Domuit partim ductu, partim auſpiciis ſuis Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni: item Rhetiam, & Vindelicos, & Salaſſos gentes Alpinas coercuit. Hæc de primo triumpho. Secundo autem die naualem ad Actium pugnam in triumpho trāſlatam narrat Dio; (de qua ante dictum a nobis eſt) neq; vero de Antonio & ciuibus R. ſed de Cleopatra triumphum actum. Tertio, de Ægypto capta triumphatum: qua de re nunc dicendum eſt. Cæſare & Meſſalla cos. quo anno Cæſar Antonium & Cleopatram ad Actium nauali prœlio vicit, cum eos in Ægyptū profugientes aliis perſequendos mandaſſet, ipſe in Italiam ad res ordinandas, ne qui motus exorirentur in vrbe, reuertitur.

post XXX die, cum in Græciam ad bellum traiecisset, postero anno ambos Alexandriæ obsedit. Antonius in vltima rerum desperatione, vbi res cum Cæsare conuenire non potuit, falso rumore occisæ Cleopatræ perculsus, se interemit. Cæsar Alexandriam in potestatem vna cum Cleopatra redegit: quæ ne arbitrio victoris in triumpho duceretur, ipsa sibi admotis aspidibus, quamquam a Cæsare custodita, mortem intulit. Cæsar Ægypto in prouinciæ formam redacta, atque ei Cornelio Gallo præfecto, in Asiam per Syriam venit; atque ibi hiemauit. æstate autem sequente in Italiam decedens, vrbem cum tribus his triumphis ingressus est. quorum extremo Cleopatra ipsa mortua translata est. in quo illud etiam contra vetus institutum a Cæsare factum refert Dio, vt consul collega, & alij magistratus, ac senatus omnis currum sequeretur Cæsaris, cum ante alij præcedere, alij subsequi currum solerent.

De triumpho L. Autronij pro cos. ex Africa.

L. AVTRONIVM L.F. Crassum pro cos. XVII K. Sept. triumphasse ex Africa, reperio in Capitolinis tabulis. ex quo intelligi potest, eum hoc anno, id est DCCXXIIII ab vbe condita, post imp. Cæsarem eodem mense triumphasse. nam M. Crassus, cuius triumphus subijcitur, anno DCCXXV triumphauit IV non. Iulias. hoc dico, quia in Capitolinis tabulis annus huius triumphi deletus est. De quo triumpho, aut de rebus ab Autronio gestis, nihil comperi. Hic autem post Statilium Taurum fortasse rem gessit. neque enim post M. Lepidum a Cæsare victum Africa quieuisse videtur; quod insequentes victoriæ demonstrabunt.

De censoribus, & lustro

DIO in hunc annum censores cōijcit Imp. Cæsarem, & M. Agrippam. Suetonius item ait, Cæsarem censores longo interuallo creari desitos creasse. Adijcit Dio, senatum lectum, multosq; qui per bella ciuilia temere in senatum venerāt, senatu motos. ex quibus quinquaginta vltro cessisse, centum quadraginta ab ipso motos. ex senatoribus inter consulares rettulisse C. Cluuium & C. Furnium, qui, cum ante cōsules designati fuissent, magistratum gerere, aliis locum occupantibus, nō potuissent; sequenti autem anno censum egisse, principem senatus legisse. Itaque Eusebius etiam sexto decimo demum anno, postquam Cæsar consul fuerat, censum actum notat. Censu acto lustrum conditum est LXX.

DE COS. AN. DCCXXV.

CASSIODORVS in hunc annū cos. nominat Cæsarem V, M. Agrippam II: Orosius cum Siculis fastis Cæsarem VI, Agrippam II: Dio Cæsarem VI, M. Vipsanium Agrippam III. est tamen legendum II. vt sit sequenti anno III. hoc indicat inscriptio templi quod ipse fecit, & Pantheon nominauit: M. AGIPPA L. F. TERT. COS. FECIT. hoc enim templum Dio completum scribit biennio postquam consul fuit cum Cæsare VII. quo anno ipse tertium, non quartum consulatum gessit. alioquin in fronte templi inscripsisset; Quartum cos. Nam si hoc anno tertium consul fuit, frustra secundum, quo anno fuerit, quæremus.

De triumpho M. Licinij Crassi pro cos. ex Tracia & Getis.

M. LICINIVM Crassum pro cos. hoc anno ex Træcia & Geteis triumphasse tradunt Capitolinorum triumphorum auctores. Qua de re sic Dio; Bellum, inquit, erat inter Sueuos & Dacos; quorum illi Galli, hi Scythæ sunt; illi trans Rhenum, hi circa Danubium incolūt; quorum alij Mysi, alij Daci nominati sunt. Siue igitur Getæ quidam sint, siue Thraces ex Datico genere, eo quod olim Rhodopen habitauit; hi Daci cum prioribus ante tēporibus, legatis ad Imp. Cæsarem missis, nihil ab eo ex iis quæ petissent, impetrassent, ad Antonium se contulerunt. M. autem Crassus cos. in Macedoniam & Græciam missus, Dacis & Bastarnis bellum intulit. Bastarnæ vero Scythæ esse putantur; qui, cum Danubium transissent, Mysiam inuaserunt. post autem Triballos & Dardanos Mysiæ finitimos adorti sunt, sine vllo tamen Romanorum detrimento. At posteaquam superato monte Æmo in Thraciam Dentheletarum Romanis fœ-

nis fœderatam irruperant, Craſſus ſubueniens Thracibus, eos e regione expulit; ac fugientes perſecutus, Segetica in poteſtatem redacta, ac in Myſiam impetu facto, tum agrum eorum vaſtauit, tum etiam oppidum munitum obſidione cepit. Baſtarnæ cum Craſſum Myſis victis in ſe exercitum adducere viderent, legatos ad eum miſerunt, per quos ſe ab omni culpa Romani belli remouerent. Craſſus nihilo minus in eos irruptione facta Baſtarnas cecidit, ac regem eorum Deldonem interfecit, Ioui Feretrio ſpolia opima relaturus, ſi ipſe ſuis auſpiciis, non Cæſaris, rem geſſiſſet; paucos, qui oppidum munitum occupauerant, Rholo quodam Gerarum rege, in poteſtatem adduxit: Myſis iterum victis; & Baſtarnis, qui Dentheletas vexauerant, pulſis, Thracas, qui ſibi ex Myſia per Thraciam redeunti moleſti fuerant, ſubegit. Accerſitus autem a Rholo rege Getarum ad Dapygem aliorum Getarum regem, cui inimicus erat, opprimendum, eum debellauit ac interfecit; eodemq; belli impetu Getas etiam alios, qui nihil ad Dapygem pertinebant, deuicit. Ob hæc ſcribit Dio, non ſolum Craſſo, ſed etiam Cæſari ſupplicationes & triumphum eſſe decretum; Craſſum vero nomen Imperatoris repudiaſſe, Cæſarem vſurpaſſe. In Epitome etiam CXXXV mentio fit belli a M. Craſſo aduerſus Baſtarnas, Myſos & Thracas, & alias gentes geſti; & apud Florum capite de bellis aduerſus gentes exteras.

DE COS. AN. DCCXXVI.

INDE C. Cæſarem VI, M. Agrippam III conſules prodit Caſſiodorus: Cæſarem VII, Agrippam IIII, Dio. quid de vtroque numero ſentiam, ex iis quæ ante dixi, apparet. in faſtis certe Siculis eſt, Octauianus VII, & Agrippa III.

Quomodo Imp. Cæſar Diui F. imperium confirmauerit & ordinauerit; & de titulis quibus legitima Imperatoris potentia ſignificatur.

HOC anno imperium Imp. Cæſaris, quod ipſe ſibi vni vindicauit quo die M. Antonium ad Actium (vt ante dixi) ſuperauit, confirmatum eſt. ſiquidem poſt Actiacam victoriam per ann. XL ſolus remp. obtinuit, quam antea per annos XII cũ M. Antonio & M. Lepido triumuiris obtinuerat. Eſt autem confirmatum hoc modo. Cæſar biennio ante, poſtquam tres illos nobiliſſimos triumphos cum maximo omnium ciuium plauſu & lætitia egit, cum pacaſſe totum fere terrarum orbem videretur, ita vt propterea Ianum tertium clauderet, atq; ſalutis auguriũ faceret; quæ niſi quieto toto imperio fieri aſſueuerant; conſilium de rep. reddenda, & imperio deponendo habuit. Itaque ſuadente maxime M. Agrippa, Mæcenate vero diſſuadente, Mæcenatis ſententiam ſequutus, animum ad imperium lege firmandum adiecit. Primum autem cenſum egit; ratus eum ad remp. ordinandam futurũ aptiſſimum. Deinde, ne quis ſenator ſe inſciente extra Italiam eſſet, edixit: atq; omnes ſe ciuium ad Antoniũ ſcriptas litteras cremaſſe profeſſus eſt; ne quis ſenator ex iis qui Antonij partes ſequuti fuerãt, quaſi ſibi propterea ſuſpectus, noui aliquid in rep. molitetur. In ſexto deinde conſulatu, Agrippæ collegæ, ex antiquo more, prout cecidit, faſces dedit, ſenatus principem legit; populum muneribus & ludis delinitũ frumento, ſenatores pecunia iuuit; ærarium publicum pecunia priuata ſuſtentauit; nomina eorum qui ærario deberent, publicis incenſis tabulis, deleuit. cumq; multa bellis & ſeditionibus ciuilibus, & maxime Lepido & Antonio dominantibus, contra ius & leges conſtituta eſſent, ea omnia vno edicto ſuſtulit, cum terminum earum legum conſulatũ ſuum ſextum ſtatuiſſet. Quibus de rebus cum maximam ſibi apud omnes gratiam peperiſſet, voluit magnitudinem etiam aliam animi demonſtrare, vt ea re coleretur magis, & volentibus ciuibus imperium ſtabiliret. Paratis enim ex ſenatoribus iis, quorum ſibi maxime ſpectata & nota fides erat, ſenatu frequentiſſimo, oratione ad tempus accommodata, ſe imperio abdicare, idque ſenatui & populo tradere dixit. Tum ſenatores, alij, quod fidem verbis eius non haberent; alij, quod grauiora damna ex populari ſtatu extimeſcerent; alij, quod eius animi offenſionem, ſi aliter facerent, metuerent, precibus petentes, coegerunt vt imperium ipſe vnus retineret; ac S. C. ſatellitibus & cuſtodibus eius ſtipendium duplicarunt, vt diligentius eius vita cuſtodiretur; perinde atque ſi vere abire imperio voluiſſet. Cum hoc modo ſenatus & populi voluntate opes imperij ſtabi-

lisset, vt ipse popularis videretur, totius imperij curam sibi depoposcit, prouinciarum administrationem cum senatu & populo communicauit. Nam senatui populoq; Africam, Numidiam, Asiam, Græciam, Epirum, Dalmatiam, Macedoniam, Siciliam, Creram cum Cyrene, Bithyniam, Pontum, Sardiniam, & Bæticam, quæ pacatiores erant, tradidit: sibi vero sumpsit reliquam Hispaniam & Tarraconensem, & Lusitaniam; & Galliam omnem, Narbonensem, Lugdunensem, Aquitanicam, Celticam; & eorum colonias, vt Germaniam; Cœlen Syriam, Phœnicen, Ciliciam, Cyprum, & Ægyptum. post autem Cyprum & Galliam Narbonensem populo dedit; ab eo vero Dalmatiam accepit. quæ permutatio in aliis post etiam gentibus facta est. His rebus actis, vt omnem de se monarchiæ suspicionem eximeret, potestatem rerũ, quæ sibi concessæ erant, in decennium sumpsit. hoc enim spatio se remp. constituturum affirmauit; addens, se, si citius res composuisset, citius etiam imperium redditurum. Decennio transacto, tum in quinquennium, ac deinde in alterum quinquennium: post in decennium; postremo in tertium etiam decennium & petiit, & impetrauit. ita vt successione decenniorum perpetuo imperium administrauerit. Quo factum est vt reliqui Imperatores, quamquam non in certum tempus, sed in omnem vitam designarentur, tamen *decimo quoque anno* festos agerent dies; quasi tum imperium renouarent. Cæsari autem cum alij honores multi habiti, tum cum imperio abdicauit; tum vt laurus ante regiam eius, & super eam corona quercea statueretur; tamquam ei qui & hostes vicisset, & ciues conseruasset; vt regia eius *Palatium* vocaretur, quod in Palatio habitaret; & *Prætorium* haberet: (itaque etiam si Imperator in alia regione habitat, tamen regia eius Palatium dicitur) vt *Augustus* nominaretur. nam cum eum vellent singulari aliquo nomine ornare, atque alij alia afferrent, Cæsar in primis se Romulum dici cupiebat. ne vero eo forte nomine in regni suspicionem incideret, Augustum se dici passus est; quasi qui maior esset homine. omnia enim quę maximo honore digna ac sacra sunt, *augusta* dicuntur. Ita Dio. Adijcit Censorinus; Ante diem XVI K. Febr. Iulius Cęsar Diui F. *Imp. Augustus* sententia Munatij Planci a senatu ceterisq; ciuibus dictus est, se septimum, & M. Vipsanio Agrippa cos. Ouidius vero Fastorum primo, idibus Ianuar. hoc factum scribit, his versibus;

Idibus in magni custos Iouis æde sacerdos
Semimaris flammis viscera libat ouis:
Redditaque est omnis populo prouincia nostro,
Et tuus Augusto nomine dictus auus. Et paulo infra;
Sacra vocant Augusta patres; augusta vocantur
Templa, sacerdotum rite dicata manu.
Huius & augurium dependet origine verbi,
Et quodcumque sua Iuppiter auget ope.

Suetonius autem; Postea *C. Cæsaris*, & deinde *Augusti* cognomen assumpsit; alterum, testamento maioris auunculi; alterum, Munatij Planci sententia; cum quibusdam censentibus Romulum appellari oportere, quasi & ipsum conditorem vrbis, præualuisset vt Augustus potius vocaretur, non tantum nouo, sed etiam ampliore cognomine; quod loca quoque religiosa, & in quibus augurato quid consecratur, *augusta* dicantur, ab auctu, vel ab auium gestu gustúue; sicut etiam Ennius docet, scribens, *Augusto augurio postquam inclyta condita Roma est.* Et Eutropius; Cæsar cum ex oriente victor reuersus esset, tum primum *Augustus*, eo quod remp. auxerat, consalutatus est; atque ex eo tempore summam rerum potestatem, quam Græci μοναρχίαν vocant, adeptus est. Hunc igitur in modum cum & senatus & populi potestas ad Augustum recidisset, ab eo certissimæ monarchiæ initia ducta sunt. quod ipsum monarchę nomen adeo graue populi Rom. auribus accidit, vt eos ne Dictatores quidem appellare voluerit. Omnino autem in regum imperio sunt, cum omnis respubl. in eorum potestate posita sit. fiunt enim omnia ad arbitrium & præscriptum Imperatoris. Vt autem nõ ex imperio, sed ex legibus hæc facere videantur, omnia nomina, quæ in libera ciuitate florebant, præterquam Dictatoris, ipsi sibi asciuerunt. Etenim ipsi sæpe consules fiunt; & *Proconsules*, vbi extra pomœrium exercitus educendus fuerit, nominantur. *Imperatoris* autem nomen omnino non ij tantum qui rem bene gesserunt, sed omnes

etiam

etiam alij, ad summam in republ. potentiam significandam, pro Dictatoris & Regis appellatione vsurparunt. Regis enim & dictatoris nomina non ferunt, postquam semel ex republ. illud Bruti, hoc Antonij consulum lege, sublata sunt. auctoritatem tamen eorum Imperatoris nomine explerunt. his enim nominibus potestatem sibi assumunt delectus habendi, pecunias cogendi, bella suscipiendi, pacem faciendi, vrbano & peregrino exercitui perpetuo & vbique imperandi; ita vt etiam intra pomœrium a senatore & equite pœnas repetere possint. ac denique cetera munera quę consules, ceterique liberæ ciuitatis magistratus obire poterant, sibi arrogant. ex censura autem vitas & mores ciuium inquirunt; censum agunt; atque alios in equitum & senatorum ordinem referunt, alios pro arbitrio eximunt. Cumque omnibus sacerdotiis initiati sint, atque aliis pleraque eorum tribuant, ipsique vni sint e pontificibus, siue duo siue tres ij fuerint, eo nomine rerum omnium sacrarum potestatem adepti sunt. Postremo potestas tribunicia, quam ij qui quondam admodum floruerunt, obtinuerunt, eis permittit, res quæ ab aliis fiant, nisi eas probauerint, abrogare; atque ipsos a contumelia prohibet; & si verbo, nedum re violati esse visi fuerint, vt ab eo a quo iniuriam acceperint, impune indicta caussa pœnas repetere possint. neque enim ipsi tribunatum capere dignum censent, cum in patriciorum numerum omnes relati sint; verum potestatem tribuniciam, quanta vmquam fuit, sumunt; & ex ea annos imperij sui numerant; quasi eam singulis annis cum perpetuis tribunis capiant. atque hæc quidem ex liberæ ciuitatis institutis sumpserunt. Illud vero singulare & ante nemini decretum sibi vindicant, quod ipsi se legibus omnibus solutos esse volunt. Ita regiam potestatem habent, regij nominis odio exempto. Nam *Cæsaris* & *Augusti* appellatio nullam eis propriam addit potestatem. illud enim, generis successionem; hoc, dignitatis splendorem indicat. *Patris* autem cognomen, fortasse potestatem illis in ciues dat eam quam patres in liberos habent. non tamen initio id hac de caussa decretum est; verum vt admonerentur, vt eos quibus præessent, tamquam filios amarent, & vt ipsi a ciuibus patrum loco colerentur. Atque hoc quidem modo Romanorum respubl. a populo ad vnum translata est. Hæc Dio. Quando autem tribuniciam potestatem Augustus ceperit, quando pont. max. factus sit, (hæc enim in titulis eius continentur) post suo loco exponam. neque enim ipse satis mirari possum cur, si tribunicia potestate anni imperij notarentur, aut non hoc primum anno eam ceperit. Eadem de re sic Appianus in proœmio historiarum: Eos, inquit, in quorum potestate tota respubl. est, *Imperatores* appellant, non Reges; vetusto iureiurando deterriti. Imperatores vero vocant; quæ fuit appellatio egregiorum in republica ducum; cum tamen facta eorum omnia regum fuerint.

De triumpho M. Valerij Messallæ Coruini pro cos. ex Gallia.

QVI Capitolinos triumphos digesserunt, hoc anno M. Valerium Messallam Coruinum ex Gallia triumphasse tradiderunt. Salassos aliosque qui cum eis noua moliebantur, a Messalla Coruino subactos scribit Dio, Antonio & Libone cos. tum cum Imp. Cæsar bellum Dalmaticũ gerebat. Eidemq; propterea triumphum Augustum de Gallis victis concessisse, Appianus lib. IIII scriptum reliquit. De hoc triumpho loquitur Tibullus elegia VII, ita;

Hunc cecinere diem parcæ, fatalia nentes
Stamina, non vlli dissoluenda deo:
Hunc fore Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.
Euenere. nouos pubes Romana triumphos
Vidit, & euinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros Messalla gerentem
Portabat niueis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos, tua bella; Pyrene
Testis, & Oceani litora Santonici.
Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna,
Carnoti & flaui, cærula lympha Liger.

DE COS. AN. DCCXXVII.

CONSVLES Cassiodorus suggerit Cæsarem Augustum VII, T. Statilium: fasti Siculi Octauianum VIII,& Taurum: Dio Cæsarem Augustum VIII, Statilium Taurum II. Statilium Taurum ante dixi videri anno DCCVI in parte anni primúm consulem fuisse. Nam etiam Suetonius bis consulem eum fuisse scribit in Nerone ita; Nero duxit vxorem Statiliam Messallinam, Tauri bis consulis ac triumphalis abneptem. Idem Suetonius auctor est Augustum VIII consulatum iniisse Tarracone. T. Statilij consulis II, mentio est in Capitolino fragmento. Hoc anno M. Agrippa *septa in cãpo Martio* dedicauit. Cornelius Gallus ab Augusto relegatus, cum esset Ægypti præfectus. Polemo rex Ponti in amicitiam acceptus. Dio.

De triumpho Sex. Appuleij ex Hispania.

SEX. APPVLEIVS pro cos. hoc anno ex Hispania triumphauit; auctoribus Capitolinis triumphis. cuius de rebus aut triumpho nihil in annalibus comperi.

DE COS. AN. DCCXXVIII.

DEINCEPS Cæsarem Augustum VIII, M. Silanum, Cassiodorus consules subijcit: Dio & fasti Siculi Augustum IX, M. Silanum: fragmentum Capitolinum Imp. Cæsarem Augustum VIIII, M. Iunium Silanum. Et hic consulatus ab Augusto Tarracone initus, auctore Suetonio. Hoc anno, Amynta rege mortuo, Galatia cum Lycaonia prouincia facta est: oppida Pamphyliæ, quæ Amyntæ attributa ante fuerãt, libertate donata sunt. Iubæ pars Getuliæ pro paterno regno permissa. Dio, Rufus.

De triumphis aliquot ab Augusto repudiatis.

EODEM anno Terentium Varronem rem bene cum Salassis gessisse, atque tributo eis imposito *Augustam* etiam *prætoriam* militibus Romanis constituisse; C. Antistium, T. Carisium cum Cantabris & Asturibus Cæsare ipso Tarracone ægrotante prospere pugnasse; *Augustam Emeritam* oppidum in Lusitania Augusti iussu emeritis militibus condidisse; M. Vinicium Gallos quosdam, qui Romanos negotiatores crudeliter vexarant, subegisse, Dio scribit. cumque his de rebus triumphus Augusto decerneretur, ipsum Imperatoris nomine sumpto, triumphare noluisse; ac cum permissum ei esset, vt primo quoque anni die corona & veste triumphali vteretur, ipsum templum Iani, quod horum bellorum caussa aperuerat, iterum clausisse. Salassos item a Varrone prætore acie victos, ac sub hasta venditos; Augustam vrbem, tribus millibus Romanorum eo deductis, vbi castra Varro habuerat, ab Augusto conditam, Strabo scriptum reliquit libro IIII.

DE COS. AN. DCCXXIX.

CAESAREM Augustum IX, C. Norbanum consules suggerit in hunc annum Cassiodorus; Augustum X, & Flaccum, fasti Siculi: Augustum X, C. Norbanum Flaccum, Dio, & Capitolinum fragmentum. Norbanum C. Norbani consulis filium puto. neque enim iterati honoris notam habet. Tiberius, quæstor; Marcellus, ædilis creatus est ante tempus. Cantabri & Astures, discessu Augusti rebellantes, a L. Æmilio perdomiti sunt. Ælius Gallus, primus Romanorum in Arabiam Feliçem exercitum parum secunda fortuna adduxit. Dio.

DE COS. AN. DCCXXX.

CÆSAREM Augustum X, Cn. Pisonem consules Cassiodorus: Augustum XI, & Pisonem, fasti Siculi: Augustum XI, Cn. Calpurnium Cn. F. Pisonem, Dio subijcit. Ex fragmẽto autem Capitolino apparet, Augustum XI, A. Terentium Varronem Murenam, vna iniisse: Murenam in magistratu mortuum; in eius locum factum esse Cn. Calpurnium Pisonem; & Augustum abdicasse. Qua de re sic Dio; Augustus in Albanum profectus, consulatu abdicauit. Nam cum & ipse, ex quo resp. cõstituta est, & multi alij annuos magistratus gessissent, ab eo sibi in posterum abstinendum esse

statuit;

ſtatuit; vt conſulatus pateret quamplurimis. idq; extra vrbem fecit, ne impediretur: & in ſui locum ſubſtituit L. Seſtium, qui Bruti ſtudioſiſſimus fuerat, atque de eius etiam tum laudibus ſcribebat. In fragmento altero lapidis Colotiani eſt huius cõſulis mentio; vbi L. SESTIVS P. F. appellatur; vt in fragmento Capitolino VIBI N. *Vibum* autem eſſe Seſtiorum cognomen, apparet ex P. Seſtio Q. F. Vibi N. conſule anno CCCI, in tabulis Capitolinis. Fragmentum autem Colotianum eſt hoc;

SvF. L. SESTIVS. P. F.	
M. CLAVDIVS M. F.	L. AR=
L. MVNATIVS. PAVL. AEMILIVS	==
Q. AEMILIVS LEPID.	M. LO==
M. APPVLEIVS SEX. F.	P. SI=
C. SENTIVS SATVRN.	Q. LV=
SvF. M. VINVCIVS P. F.	
P. CORNELIVS P. F.	CN. C=
C. FVRNIVS C. F.	C. IV=
CL. L. DOMITIVS CN. F.	P. CO=
	SvF. L. TA=
M. DRVSVS. L. F.	L. ==
M. LICINIVS. M. F.	===
TI. CLAVDIVS TI. F.	===
M. VALERIVS. M. F.	===
SvF. C. VALGIVS C. F.	
C. CANINIVS.	

Hic eſt L. Seſtius cuius mentio cum Bruto in nummis argenteis inuenitur, ita; L. SESTI PRO Q. Q. CAEPIO BRVTVS PRO COS. Eodem anno difficili & periculoſo morbo Auguſtus oppreſſus, ab Antonio Muſa ſanatus eſt. Marcellus ſororis filius mortuus, magnifice ab eo ſepultus eſt. Dio.

DE COS. AN. DCXXXI.

CONSVLES vt ait Caſſiodorus, hic annus habuit M. Marcellum, L. Arruntium; vt Dio, M. Claudium M. F. Marcellum Æſerninum, L. Arruntium L. F. In lapide Colotiano hi cos. ita deſcripti ſunt; M. CLAVDIVS M. F. L. AR=== In Capitolino L. ARRVNTIVS L. F. L. N. M. Claudius M. F. M. N. Marcellus dicitur in monumento ludorum quinctorum ſæcularium; de quo poſt dicam. Ex his intelligi poteſt, in faſtis Siculis parum ſcite conſules ſuggeri Octauianum XII, & Arruntium. Hoc anno Fannij Cæpionis & Varronis Murenæ coniuratio in Auguſtum patefacta; ædes Iouis Tonantis dicata eſt. Dio.

De Auguſto Dictaturam renuente, Tributiciam poteſtatem ſumente.

IN Capitolinis tabulis conſuli L. Arruntio ſuperpoſitum fragmentum eſt eiuſmodi, = LATVS E. ABDICAVIT TR. Quod ego ita interpretatus ſum, vt ſcripſerim, Imp. Cæſarem, poſtquam dictator appellatus eſt, abdicaſſe, ac tribuniciam poteſtatem primum ſibi ſumpſiſſe. De dictatura eius ſic ſcribit Dio; M. Claudio, L. Arruntio cos. fame ac peſtilentia oppreſſa vrbe atque Italia, populus Rom. nulla alia de cauſſa hæc mala incidiſſe ratus, quam quod Auguſtus conſulatum nõ gereret Dictatorem ipſum dicere voluit. itaque cum ſenatum in curia concluſiſſet, id ipſum decernere coegerunt, minis adiectis, ſe, niſi id decerneret, eum in curia crematurũ. Poſt hæc autem XXIIII faſcibus arreptis in medium progreſſi ſunt, petentes ab eo, vt ſe dictatorem dici, ac rei frumẽtariæ, vt quondam Pompeius, præfici pateretur. ille autem procurationem frumentariam ſuſcepit neceſſario; dictaturam verò veſte a pectore reſciſſa repudiauit; & cum plus quam Dictator in rep. poſſet, ſapienter dictatoris inuidiam declinauit. Hanc autem etiam rem intellexit Suetonius, cum ait; Dictaturam

magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga, nudo pectore deprecatus est. Et Velleius; Dictaturam, quam pertinaciter ei populus deferebat, tam constanter repulit. De tribunicia autem potestate Augusti, Dio duobus in locis agit; primum in tertio, deinde in quarto Augusti consulatu exponendo. atque ibi quidem hoc modo; Alexandria recepta, senatus Cæsari tribuniciam potestatem concessit: & vt iis qui nomen eius implorassent, tam extra pomœrium quam intra vsque ad mille passus auxilio esse posset: quod nulli tribuno ante licuerat. Est tamen intelligendum, quamquam tum decreta ei potestas tribunicia fuit, non tamen eam aut accepisse, aut acceptam retinuisse. Hoc apparet, primum ex eo quod in consulatu vndecimo ei delatam etiam Dio scribit; deinde, quod ante hũc annum nulla eius mentio est in cõsulibus Capitolinis: tum, quod nisi per XXXVI aut XXXVII annos eam gessisse traditus sit; qui numerus quadrat, si ab hoc aut a priore anno, non autem a quarto eius consulatu exordiamur. Sic autem in consulatu vndecimo scribit Dio; Senatus humanitate Augusti permotus, quod L. Sestium Bruti amicum in sui locum suffecisset, vt is tribunus pl. esset in perpetuum, statuit: eidemq; potestatem, quotiescumque senatus haberetur, de quacumque re vellet, etiam si consul non esset, referendi dedit: & proconsulare imperium in perpetuum concessit; ita vt neque intra pomœrium ingrediens deponeret, neq; egrediens resumeret; & vt in prouinciis plus ipse quam singuli qui iis præessent, posset. Ex quo tempore & ipse & sequentes Imperatores lege quadam cum aliis rebus tum tribunicia potestate vsi sunt. nomen enim ipsum tribunorum neq; Augustus, neq; alius quisquam Imperator vsurpauit. Hæc Dio; qui idem sentire videtur, quamquam ante etiam perpetua tribunicia potestas Augusto decreta erat, non ea tamen nisi hoc tempore ipsum vsum esse. Hoc posito, tum noua existit quæstio; a quo anno ea repetenda sit; an a priore anno, quo ei delata est; an ab hoc, quo eam delatam primum vsurpauit. Tacitus priorem sententiam tuetur, qui Augustum per XXXVII annos eam continuasse scribit; posteriorem Capitolini auctores, ex quibus Augustum, quo anno mortuus est, tribuniciæ potestatis XXXVI esse probatur. Quæ eadem quæstio post in tribunicia Tiberij potestate oritur.

De censura ab Augusto repudiata, & Lepido ac Planco censoribus.

EODEM anno Augustus censuram, quam sibi populus in perpetuum mãdare cupiebat, repudiauit; ac statim alios censores Paullum Æmilium Lepidum, & L. Munatium Plancum creauit; hunc quidem, Planci proscripti fratrem; illum vero, etiam proscriptum. qui vltimi priuati censuram obtinuerunt. quod etiam prodigio confirmatum est. tribunal enim eorum, ascendentibus ipsis, repente collapsum ac dissipatum est. Itaque post nulli alij censores iis similes comparati sunt. Tum autem Augustus multa munera quæ ad eos pertinebant, obiit. Hæc Dio. De his etiam censoribus sic Velleius; Planci & Lepidi censura inter discordiam acta, neque ipsis honori, neque reipubl. vsui fuit; cum alteri vis censoris, alteri vita deesset. Horum etiam meminit Suetonius: D. (inquit) Claudius gessit censuram, intermissam diu post Paullum Plancumq; censores. Et in Nerone; Domitius L. Plancum censorem sibi via decedere ædilis coegit. Valerius etiam libro VI, cap. VIII, Planci censorij & consularis meminit. Hos demum etiam censores edit fragmentum Capitolinum, vbi mentio est == Æmilij L. F. M. N. Lepidi: & Colotianum, in quo ita est;

M. CLAVDIVS M. F. L. AR==.
L. MVNATIVS. PAVL. AEMILIVS.

DE COS. AN. DCCXXXII.

IN huncannum cõsules prodit Cassiodorus cum Siculis fastis, M. Lollium, Q. Lepidum; lapis Colotianus, Q. AEMILIVM LEPID. M. LO==. In ponte etiam Fabricio Romæ tale est epigramma;

L. FABRICIVS C. F. CVR. VIAR. FACIVNDVM CVRAVIT.
Q. LEPIDVS M. F. M. LOLLIVS M. F. PROBAVERVNT.

Hos intellexit quoq; Horatius libro primo Epistolarum, cum dixit; *Collegam Lepidũ quo duxit Lollius anno*. de quibus sic Dio; Cum Augustus in Sicilia esset, populus Ro. in comi-

in comitiis consularibus sed tionem excitauit. Nam M. Lollius solus iniuit, quod locus alter Augusto seruabatur: Augusto vero consulatum recusante, Q. Lepidus & L. Siluanus, summa contentione petentes, ita omnia perturbarunt, vt Augustus a prudentioribus accerseretur. Q. Lepidus creatus est. Hoc anno Augustus Iuliam filiam M. Agrippæ collocauit.

De triumpho L. Sempronij Atratini ex Africa.

Post victum M. Lepidum, cuius in triumuiratu Africa prouincia fuerat, numquam quieuisse Africa videtur. Hoc indicant triumphi, quos ex ea prouincia auspiciis Augusti egit primum Statilius Taurus, deinde L. Autronius Pætus; postremo hoc etiam anno L. Sempronius Atratinus. quos triumphos omnes nobis Capitolini scriptores tradiderunt, silentibus in tantis bellis annalibus Romanis. neque enim de hoc triumpho quidquam, vt ne de illis quidem, comperi.

DE COS. AN. DCCXXXIII.

Consvles in hunc annum subsequuntur apud Cassiodorum M. Appuleius, P. Silius: apud Dionem M. Appuleius Sex. F. P. Silius P. F. Nerua: in fragmento lapidis Colotiani, M. APPVLEIVS SEX. F. P. SI===: in fastis Siculis Appuleius & Nerua.

DE COS. AN. DCCXXXIIII.

Consvles deinceps edit Cassiodorus C. Sentium, P. Lucretium: fasti Siculi Saturninum & Lucretium: Dio C. Sentium C. F. Saturninum, Q. Lucretium Q. F. Vispillonem: fragmentum Colotianum C. SENTIVM SATVRNINVM, Q. LV===. Horum meminit etiam Eusebius in temporibus, cum ait; Sentio Saturnino, Lucretio Cinna consulibus, Virgilius poeta mortuus est. C. Sentium C. F. C. N. Saturninum inuenio scribi in monumento antiquo de quinctis ludis sæcularibus; quod infra ascribam. De huius anni consulatu ita Dio; Consul erat C. Sentius: quia vero collega ei dandus erat, atq; Augustus consulatus locum alterum, qui ei reseruabatur, repudiabat, coorta seditio est: donec Augustus alterum ex legatis Q. Lucretium, quem senatus ad se seditionis sedandæ caussa miserat, quamquam olim proscriptum, consulem declarauit. Et Velleius libro II; Præclarum excellentis viri factum, C. Sentij Saturnini consulis, ne fraudetur memoria. aberat in ordinandis Asiæ orientisq; rebus Cæsar. tum Sentius forte & solus, & absente Cæsare consul, cum alia prisca seueritate, summaq; constantia, vetere cōsulum more ac seueritate gessisset, protraxisset publicanorum fraudes, punisset auaritiam, regessisset in ærarium pecunias publicas, tum in comitiis habendis præcipuum egit consulem. nam & quæsturam petentes, quos indignos iudicauit, profiteri vetuit; & cum id facturos se perseuerarent, consularem, si in campum descendissent, vindictam minatus est; & Egnatium florentem fauore publico, sperantemq;, vt præturam ædilitati, ita consulatum præturæ se iuncturum, profiteri vetuit. & cum id non obtinuisset, iurauit, etiam si factus consul esset suffragiis populi, tamen se eum non renuntiaturum. Suffectum consulem Sentio Saturnino in fragmento Colotiano inuenio M. VINVCIVM. Collegam Vinucio addit Velleius M. Agrippam, cum ait; Subinde bellum Pannonicū, quod inchoatum Agrippa Marcoq; Vinucio auo tuo cōsulibus, magnum atroxq;, & perquam vicinum imminebat Italiæ, per Neronem gestum est. Agrippæ notam quarti consulatus adieci.

De triumpho L. Cornelij Balbi pro cos. ex Africa.

L. Atratino successisse L. Cornelius Balbus in Africa videtur, & magnis in ea prouincia rebus gestis triumphasse. in hunc enim annum Africanum eius triumphū Capitolini scriptores conijciunt. De quo triumpho scribit Solinus ita; Garamantas Cornelius Balbus subegit; & primus ex hac victoria triumphauit. primus sane de externis; vtpote qui Gadibus genitus, accessit ad gloriam nominis triumphalis. Et Plinius lib. v; Matelgæ oppidum Garamantum, itemq; Debris, clarissimumq; oppidum Garama caput Garamantum, omnia armis R. superata, & a Cornelio Balbo triumphata, vnius omnium externo curru, & Quiritium iure dotato; quippe Gadibus nato

ciuitas Romana cum Balbo maiore patruo data est.& hoc mirum, supradicta oppida ab eo capta auctores nostros prodidisse, ipsum in triumpho præter Cydamam & Garamam, omnium aliarum gentium vrbiumq; nomina ac simulacra duxisse. quæ iere hoc ordine: (numerat deinde singula oppida) Ad Garamantas iter inexplicabile adhuc fuit, latronibus gentis eius puteos, qui sunt non alte fodiendi, (si locorum notitia adsit) arenis operientibus. Balbi Gaditani, viri triumphalis, meminit item Strabo lib. III. Hunc etiam triumphum intellexit Dio, cum scripsit, M. Agrippam hoc anno de Cantabris rebellantibus victis triumphum sibi a senatu ex Augusti voluntate decretum agere noluisse; cum tamen quidam alij, qui latrones comprehendissent, aut ciuitates seditionem mouentes pacassent, triumphos & cuperent & agerent. Patruus huius fuit L. Cornelius Balbus consul cum P. Canidio Crasso, anno DCCXIII.

De censoria potestate Augusto decreta.

AVGVSTVS hoc anno *Præfectus moribus* a populo creatus est in quinquennium; ac censoriam potestatem in idem tempus recepit; consularem in perpetuum; ita vt semper & vbiq; duodecim fasces ei præferrentur, ac inter consules assideret. Senatum sequenti anno duabus lectionibus ad sexcentos redegit. de ambitu damnatos, magistratibus in quinq; annos prohibuit. Qui sine vxoribus essent, iis multam indixit: qui vxores ducerent, ac filios alerent, summa præmia proposuit; ac libertinas etiam sine probro duci posse constituit. Hæc Dio. Hinc Suetonius; Recepit & morum legumq; regimen æque perpetuum: quo iure, quamquam sine cẽsuræ honore, censum tamen populi ter egit; primum ac tertium cum collega, medium solus. senatorum affluentem numerum deformi & incondita turba, (erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmium allecti; quos *abortiuos* vulgus vocabat) ad modum pristinum & splendorem redegit duabus lectionibus; prima, ipsorum arbitratu, quo vir virum legit; secunda, suo & Agrippæ.

D COS. AN. DCCXXXV.

CONSVLES inde Cn. & P. Lentuli, auctore cum fastis Siculis Cassiodoro: quos vocat Cn. Cornelium L. F. Lentulum, P. Cornelium P. F. Lentulum Marcellinum Dio: P. CORNELIVM P. F. CN. C= fragmentum Colotianum. Hoc anno M. Agrippa L. F. tribuniciam potestatem ab Imp. Cæsare Augusto in quinquennium accepit. Dio.

DE COS. AN. DCCXXXVI.

C. FVRNIVS, C. Silanus, deinceps sequuntur consules apud Cassiodorum: C. Furnius C. F. C. Iunius C. F. Silanus apud Dionem. in fragmento autem Colotiano; C. FVRNIVS C. F. C. IV==. C. Furnio & C. Iunio Silano cos. ludos sæculares quinctos factos esse ab Augusto, tradit Censorinus, & Dio. quorum ludorum tale exstat in Capitolio monumentum;

LVDI SAECVLARES QVINCT.
IMP. CAESARE DIVI F. AVGVSTO
C. SENTIO. C. F. C. N. SATVRNINO
M. CLAVDIO M. F. M. N. MARCELLO
M. FVFIO M. F. STRIGONE.
D. LAELIO D. F. D. N. BALBO.

DE COS. AN. DCCXXXVII.

L. DOMITIVM, P. Scipionem cos. Cassiodorus suggerit: Ahenobarbum & Cornelium fasti Siculi: L. Domitium Cn. F. Cn. N. Ahenobarbum, P. Cornelium P. F. P. N. Scipionem Dio: L. DOMITIVM CN. F. P. CO== fragmentum Colotianum; suffectum L. TA==. quem ego interpretatus sum esse L. Tarium Rufum, de quo Plinius libro XVIII; L. Tarius Rufus, infima natalium humilitate, consulatum militari industria meritus, antiquæ alias parsimoniæ, circiter millies sestert. liberalitate diui Augusti congestum, vsq; ad detractionem heredis exhausit, agros in Piceno coemen-

coemendo colendoque. His consulibus *solenne quinquennale* actum scribit Dio ob imperium Augusti, Agrippa vno ex quindecemuiris curante.

DE COS. AN. DCCXXXVIII.

DEINDE M.Drusum, L.Pisonem consules nominat Cassiodorus; Libonem & Pisonem fasti Siculi; M.Liuium L.F.Drusum Libonem, L.Calpurnium L.F. Pisonem Dio: M. DRVSVM L. F. L. == fragmentum Colotianum.

DE COS. AN. DCCXXXIX.

CN. LENTVLVM, M. Crassum insequens annus consules habuit, auctore cum Siculis Cassiodoro. quos Dio vocat M.Licinium M.F. Crassum, Cn.Corneliũ Cn. F.Lentulum: fragmentum autem Colotianum, M. LICINIVM M. F. ==== Hic M.Crassus, filius est M.Crassi qui cum Augusto IIII consule fuit. Cn. Lentulus Getulis victis post *Getulicus* appellatus.

De triumphis intermissis; triumphalibus ornamentis institutis.

HOC anno Bosporanos, qui Asandro mortuo a Scribonio quodam sollicitati fuerant, subactos ab Agrippa tradit Dio: eidemque propterea supplicationes Romæ esse atque triumphum decretum. quem tamen ab ipso non esse actum; quia de rebus gestis nihil ad senatum scripserat. Ex quo tempore, inquit, reliqui exemplum eius quasi legem quandam sequuti, neque publice litteras miserunt, neq; triumphum obtinuerunt. ac propterea nemini alij pari dignitate triumphus in posterum, sed triumphalia tantum ornamenta decreta sunt.

DE COS. AN. DCCXL.

TI. NERO, P.Quinctilius, consules hoc anno fuerunt apud Cassiodorum: Nero & Varus in fastis Siculis: quos Dio nominat Ti.Claudiũ Ti. F. Neronem, P.Quinctilium Sex. F. Varum: fragmentum Colotianum TI. CLAVDIVM. TI. F.==. Tiberium primum consulatum paucis diebus gessisse, auctor est Suetonius. Hic est enim Ti. Nero Augusti priuignus, qui mortuo Augusto Romanum obtinuit imperium, cum ante ab eo fuisset adoptatus.

De Augusto pontifice maximo.

MORTVO M.Lepido pont. maximo, Augustus in eius locum pont. maximus factus est. cum senatus pontificatum ei decreto sancire vellet, ipse curia egressus renuit; neque domum aliquam publicam accepit, sed partem suæ publicauit. necesse enim erat pontificem maximum in publico habitare. domum vero regis sacrorum, Vestalibus virginibus elargitus est. Hæc Dio. apud Suetonium autem hæc; Pontificatum maximum, quem neque viuo Lepido auferre sustinuerat, mortuo demum suscepit. at apud Ouidium libro III Fastorum scriptum est, pridie non. Mart. creatum esse; his versibus;

Sextus vbi Oceano cliuosum scandit olympum
Phœbus,=
Cæsaris innumeris, quos maluit ipse mereri,
Accessit titulis pontificalis honor.

Hoc enim significat; ad ceteros Cæsaris titulos, ab hinc etiam Pont. maximum cœptum vocari.

DE COS. AN. DCCXLI.

M. MESSALLAM, P. Sulpicium consules suggerit Cassiodorus; Messallam & Quirinum fasti Siculi; M. Valerium M. F. Messallam Barbatum, P. Sulpicium P.F. Quirinũ Dio. de quibus Suetonius ita in Claudio; Claudius Valeriam Messallinam, Barbati Messallæ consobrini sui filiam, in matrimonium duxit. Et Tacitus libro III; Nihil ad veterem & patriciam Sulpiciorum familiam Quirinus pertinuit, ortus apud municipium Lanuuium. His consulibus alios suffectos indicat lapis Colotianus, in quo est ita;

M. VALERIVS M. F. ==

SvF. C. VALGIVS. C. F.
C. CANINIVS.

In fastis etiam Cuspiniani, quorum initio huius commentarij memini, ita hi consules suis cognominibus efferuntur;

MESSALLA	QVIRINO.
REBILO	SATVRNINO. N. N.
MAXIMO	TVBERONE.

Ex quo apparet Rebilum & Saturninum Caninij & Valgij cognomina esse. ex fragmento autem Capitolino, quod huic loco est interserendum, patet, Æmilianum Valerij, Rufum Valgij, Rebilum Caninij fuisse cognomina; atq; vt Valerio Rufum, sic Rufo Rebilum esse subrogatum. Rebili & Saturnini in fastis Siculis etiam exstat mentio. Hoc anno Augustum iterum in quinque annos præfectum moribus fuisse, eamque potestatem per interualla temporum, vt etiam imperium, accepisse; M. Agrippam diem obiisse refert Dio.

De triumphalibus ornamentis Tiberij.

MORTVO M. Agrippa Pannonij rebellarunt, subactiq; sunt a Tiberio; qui post Agrippam ab Augusto adoptatus erat. cumq; senatus Tiberio propterea triumphum decreuisset, Augustus, ne eum ageret, obstitit; triumphalia vero ei ornamenta, vt ait Dio, concessit. Vnde Suetonius ita; Tiberius primus (vt quidam putant) triumphalibus ornamentis honoratus est; nouo nec antea cuiquam tributo genere honoris. Dio tamen Agrippam primum hoc honore affectum, auctor est.

DE COS. AN. DCCXLII.

PAVLLVM Fabium, Q. Ælium consules prodit in hunc annum Cassiodorus: Paullum Fabium Q.F. Maximum, Q. Ælium Q.F. Tuberonem Dio: MAXIMVM & TVBERONEM liber Cuspinianus. Q. Ælij Tuberonis, P. Fabij Maximi cõsulum, sæpe meminit Frontinus de aquæductibus. & Plin. lib. VIII, cap. VII, Q. Tuberone, Fabio Maximo, theatrum Marcelli dedicatum scribit.

De triumphalibus ornamentis Druso, Tiberio II, & L. Pisoni decretis.

DRVSVS, Messalla & Sulpicio cos. Sicambros & socios eorum absente Augusto rebellantes subegit; Gallos Rhenum transeuntes cecidit; Vsipetarum agrum vastauit; Frisiis ad amicitiam populi Rom. traductis, Romam decessit: ac quamquam prætoriis ornamentis præditus erat, præturam tamen Fabio & Ælio consulibus iniit. inde ad bellum reuersus, Vsipetas debellauit; atque in Sicambrorũ regionem irruptionem fecit: magnisq; aliis rebus gestis, triumphalibus ornamentis decoratus est; & vt ouans vrbem iniret, atq; acta prætura cum proconsulari potestate esset, obtinuit. Imperatoris nomen, quo a militibus affectus erat, Augustus non permisit. Tiberius aũt Dalmatas se absente rursus arma mouentes, itemq; Pannonios, in potestatem redegit; ac propterea eosdem honores quos Drusus adeptus est. Drusum, ne ouans iniret, mors prohibuit: Tiberius biennio post iniuit. Eodem tempore Bulogæses Thrax Besus, sociis quibusdam aliis adiunctis, defectione facta, Rhascyporim Cottys filium victum interfecit, & patruum eius Rhymetalcen in Cherronesum exercitu exutum compulit. Cum igitur hæc ille faceret, ac Sialetæ Macedoniam populationibus incursarent; L. Piso ex Pamphylia, cui præerat, castris motis, in Besorũ regionem venit; ac cladem ab iis acceptam, ingenti victoria subleuauit: ob quam ei supplicationes & triumphalia ornamenra decreta sunt. Hæc Dio. De hac re sic Velleius; Dum ea quæ prædiximus, in Pannonia Germaniaq; geruntur, atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gentis nationibus in arma accensis, excellens L. Pisonis virtus compressit. quippe legatus Cæsaris, triennio cum his bellum gessit; gentesque ferocissimas, plurimo cum earum excidio, nunc acie, nunc expugnationibus in pristinum pacis redegit modum. De eodem L. Pisone in Epitomis scriptum est, & apud Florum.

DE

DE COS. AN. DCCXLIII.

CONSVLES Iulium Antonium Africanum, & Fabium, edit in hunc annum Cassiodorus: Iulium Antonium Africanum, Q. Fabium Q. F. Maximum Dio: AFRICANVM & MAXIMVM fasti Siculi & Cuspiniani. Miror aūt legi apud Suetonium in Claudio, Iulium Antonium, Fabium Africanum consules; cum *Africanus* cognomen sit Antonij: quem triumuiri Antonij filium prodit Suetonius in libro de grammaticis; & Dio Iulum Antonij filium nominat. Ad hunc scribit Horatius ita;

Pindarum quisquis studet æmulari, Iule, ceratis ope Dædalea Nititur pennis & post; *Tendit, Antoni, quoties in altos Nubium tractus.*

DE COS. AN. DCCXLIIII.

INDE Drusus Nero, L. Quinctius consules apud Cassiodorum: Nero Claudius Ti. F. Drusus, T. Quinctius T. F. Crispinus, apud Dionem: DRVSVS & CRISPINVS in fastis Cuspiniani & Siculis. Hic Drusus, Ti. Neronis frater, Augusti priuignus fuit. quem consulem in Germania mortuum, atque ipsum cum filiis *Germanicum* appellatum, inuenio apud Dionem: quod cognomen ei primum senatum a prouincia imposuisse ait Eutropius. Vnde Velleius; Drusum consulem agentem annos XXX, mors rapuit. Liuiana historia huius Drusi morte expletur. sic est enim in Epitoma vltima; Bellum aduersus Germanorum trans Rhenum ciuitates gestum a Druso refertur. ipse ex fractura, equo super crus [eius] collapso, XXX die quam id accidit, mortuus est. corpus a Nerone fratre, qui nuntio valetudinis eius euocatus raptim accurrerat, Romam peruectum, & in C. Iulij tumulo conditum. laudatus est a Cæsare Augusto vitrico, & supremis illius funeribus plures honores additi.

De Tiberio ouante ex Dalmatia.

QVEMADMODVM bellum cum Dalmatis & Pannoniis gesserit Tiberius Nero Drusi frater, atque propterea vt ouans vrbem iniret obtinuerit, ante diximus. hoc igitur demum anno ouans vrbem ingressus est, antequam Drusus obiret. auctor Dio. vnde Velleius etiam inquit; Dalmaticæ & Pannonicæ victoriæ compos Nero, ouans triumphauit. Idem honos Druso parabatur, nisi ante diem decessisset; eodem Dione teste.

DE COS. AN. DCCXLV.

C. MARCIVM, C. Asinium consules suggerit in hunc annum Cassiodorus: Censorinum & Gallum fasti Siculi: C. Marcium Censorinum, C. Asinium C. F. Gallum Dio. Horum etiam meminit Censorinus de die natali, cum ait; Mensis qui Sextilis fuerat, C. Marcio Censorino, C. Asinio Gallo cos. in Augusti honorem dictus est *Augustus* anno Augustio XX. *Augustium* autem *annum* appellat, postquam Cæsar Augustus appellatus est. Idem scribit etiam Dio. Cur autem hoc factum sit, caussam affert, quod eo mense Cæsar primum consulatum cepit, & multa magnaque prœlia prospere fecit. Macrobius, quia Augustus tres hoc mense triumphos egit, hunc hoc nomine affecisse putat. Mentio est eorundem consulum etiam apud Plinium libro XXXIII, cap. X. & in epigrammate antiquo in libro Epigrammatum, ita; C. ASINIVS C. F. GALLVS. C. MARCIVS L. F. L. N. CENSORINVS. COS. EX S. C. Augustus in alios X annos reipubl. constituendæ potestatem accepit. Dio.

D COS. AN. DCCXLVI.

TI. Neronem, Cn. Pisonem consules suggerit hoc anno cum Siculis Cassiodorus: Ti. Claudiū Ti. F. Neronem II, Cn. Calpurnium C. F. Pisonem II Dio Claudij Neronis II, & Calpurnij Pisonis consulum, meminit etiam Dionysius libro primo: atque hunc annum vocat DCCXLV, Olympiadem CXCIII. Tiberium secundum consulatum gessisse tribus mensibus scribit Suetonius.

De triumpho II Ti. Neronis cos II, ex Germania.

PRIORE anno Auguſtus, accepto in alterum decennium imperio, aduerſus Gallos exercitum duxit; atque ipſe quidem in prouincia manſit, Tiberius vero traiecto Rheno barbaros ad conditiones compulit: quibus repudiatis, magnis eos cladibus, quamquam nõ incruenta victoria, confecit. Auguſtus, cum Tiberium & ſemet nomine Imperatoris ornaſſet, Tiberium iterum cõſulem deſignauit; ac litteras eum ad ſenatum ex more vetuſto mittere, atque antequam magiſtratum iniret, de rebus a ſe geſtis in ſenatu diſſerere, ac triumphare voluit: ipſe triumphum abiecit. Itaque Tiberius ſenatu in ædem Octauiam, quæ extra pomœrium erat, vocato, K. Ian. quibus cum Cn. Piſone conſulatum initurus erat, triumphauit. Hæc Dio. De eadem autem re ſic Velleius; Tiberius in Germania poſt mortem Druſi fratris rem bene geſſit. Itaq; ei alter triumphus cum altero conſulatu mandatus eſt. Et Suetonius; Tiberius Rhetico & Vindelico bello gentes Alpinas; Pannonico, Breucos & Dalmatas ſubegit; Germanico, XC millia dedititiorum traiecit in Galliam, iuxtaque ripam Rheni ſedibus aſſignatis collocauit. quas ob res & ouans & curru vrbem ingreſſus eſt, primus nouo genere honoris decoratus. Hæc ille. Ouantem autem iniſſe intelligit ex Pannonico bello biennio ante; curru, hoc anno ex Germanico: primum autem intelligit, ex iis qui ab Auguſto honoribus affecti ſunt. nam florente rep. multi & ouantes & curru vrbem inuecti ſunt. Propter hanc victoriam hoc elogium Auguſto dicatum eſt ſequenti anno, de quo Plinius lib. III, cap. II; IMP. CAESARI D. F. AVGVSTO PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIBVNIC. POTEST. XVIII. S. P. Q. R. QVOD EIVS DVCTV AVSPICIISQVE GENTES ALPINAE OMNES, QVAE A MARI SVPERO AD INFERVM PERTINEBANT, SVB IMPERIVM POPVLI R. SVNT REDACTAE.

DE COS. AN. DCCXLVII.

D. LAELIVM, C. Antiſtium conſules edit in hunc annum Caſſiodorus: Balbum & Veterem faſti Siculi: D. Lælium D. F. Balbum, C. Antiſtium C. F. Veterem Dio D. LAELIVS D. F. D. N. BALBVS vocatur in Capitolino ſæcularium ludorum monumento. Velleius C. Cæſarem quæſtorem fuiſſe Antiſtio Veteri auo huius conſulis ſcribit.

De tribunicia poteſtate Ti. Neronis.

VT M. Agrippam generum antea Auguſtus honore tribuniciæ poteſtatis affecit, ſic mortuo (vt diximus) Agrippa Tiberium & priuignum & generum ſuum. id autem hoc anno fecit, vt Caium & Lucium Cæſares, Agrippa ipſo, & Iulia, & filia ſua natos, a ſe adoptatos, ac petulantius ſe quam par erat, gerentes, modeſtiores redderet. Hoc autem aperte ſcriptum eſt apud Dionem; neque obſcure apud Suetonium, cuius hæc verba ſunt; Tiberius interpoſito tempore conſul iterum creatus, etiam tribuniciam poteſtatem in quinquennium accepit. quod idem tradit Velleius, hoc modo; Breui interiecto ſpatio Ti. Nero duobus conſulatibus, totidemque triumphis actis, tribuniciæ poteſtatis conſortione æquatus Auguſto.

DE COS. AN. DCCXLVIII.

CASSIODORVS ſubijcit conſulem Auguſtum XI, L. Sullam: Octauianũ XIII, & Syllam, faſti Siculi: Dio Auguſtum XII: collegam autem prætereit. Huius anni ſic meminit Plinius libro VII; In actis temporum diui Auguſti inuenitur, XII conſulatu eius, Lucioque Sylla collega, ad III Id. Apr. C. Criſpinum Hilarum ex ingenua plebe Fæſulana cum liberis nouem, (quo in numero filiæ duæ fuerunt) nepotibus XXVII, pronepotibus XXIX, neptibus IX, prælata pompa cum omnibus his in Capitolio immolaſſe. Et Suetonius; Auguſtus duodecimum conſulatum poſt vndecimum ſeptemdecim annorum interuallo cepit. Item; Auguſtus nullum annuum conſulatum geſſit præter medios quinq;, a ſexto ad vndecimũ. Qui aũt in Auguſti locũ factus ſit, adhuc non repperi. Extat etiam antiquum epigramma de Auguſto ad hunc annum perti-

pertinens. id est eiusmodi; IMP. CAESAR DIVI IVLI F. AVGVST. PONT. MAX. COS. XII. TRIB. POT. XIX. IMP. XIIII. RIVOS AQVARVM OMNIVM REFECIT. Hoc anno Augustus C. Cæsarem virili toga donatum principem iuuentutis designauit. Zonaras.

DE COS. AN. DCCXLIX.

C. CALVISIVS, L. Passienus, consules subsequuntur apud Cassiodorum. qui in indice Dionis, librarij culpa; in expositione historiæ, auctoris consilio præteriti sunt. breuitati enim studens, multorum annorum res gestas nullis editis consulibus memorat. Eorum cognomina sunt in fastis Siculis Sabinus atque Ruffinus. Hoc anno iidem honores L. Cæsari ab Augusto concessi, atque Caio priore anno tributi fuerant. Zonaras.

DE COS. AN. DCCL.

INDE Cn. Lentulus, M. Messalla consules, auctore Cassiodoro: Cn. Cornelius L. F. Lentulus, M. Valerius M. F. Messalla, aut Messallinus, Dione. Idem etiã Dio Cn. Cornelium, Cn. Pompeij Magni ex filia nepotem, Augusto fecisse insidias, ac consilio Liuiæ ab Augusto liberatum, & consulem cum Valerio Messalla factum, refert. Velleius Messallinum Coruini filium vocat. Horum sic meminit Suetonius; Galba natus est M. Valerio Messallino, Cn. Lentulo cos. Plin. lib. x, cap. xxii, meminit Messallini Cottæ, Messallæ oratoris filij; quem lib. xxxii, cap. vi, consularem vocat. Hunc annum prætereunt fasti Siculi.

DE COS. AN. DCCLI.

AVGVSTVM XII, M. Plautium consules prodit deinceps Cassiodorus; Augustum XIII, M. Plautium M. F. Siluanũ Dio. Suetonius porro auctor est, Augustum, biennio post XII consulatum, XIII cepisse. Tacitus libro primo addit, numerũ consulatuum Augusti Valerium Coruum & C. Marium æquasse; quorum ille sexies, hic septies cos. fuit. ex quo intelligitur, Augustum terdecies tantum consulem fuisse. Extat epigramma tale in Antiq. vrbis epigrammatis, quod ad hũc Plautium puto pertinere; M. PLAVTIVS M. F. A. N. SILVANVS COS. VIIVIR EPVLONVM. HVIC SENATVS TRIVMPHALIA ORNAMENTA DECREVIT OB RES IN ILLYRICO BENE GESTAS. Quia verò Velleius ait Augusto & Caninio Gallo cos. Iuliam filiam ab Augusto in insulam ob flagitium relegatam annos ante M. Vinucium cos. XXX, qui fuit consul anno ab vrbe condita DCCLXXXII; intelligendum est, in Plautij locum C. Caninium Gallum esse suffectum. In Augusti locum qui factus sit, non comperi.

DE COS. AN. DCCLII.

COSSVM Lentulum, L. Pisonem consules hic annus habuit, vt ait Cassiodorus; Lentulum & Pisonem, vt Siculi; Cossum Cornelium Lentulum, L. Pisonem Augurem, vt vetus Veronensis inscriptio: Cossum Cornelium Cn. F. Lentulum, L. Calpurnium Cn. F. Pisonem, vt Dio. De Cosso sic Florus; Gætulos accolas Syrtium, populus Rom. Cosso duce compescuit; vnde illi *Gætulici* cognomen. Et Velleius; Triumphalia ornamenta Passienus & Cossus in Africa meruerunt. Sed Cossus victoriæ testimonium etiam in cognomen filij contulit. Et Tacitus libro IIII; Cn. Lentulo super consulatum & triumphalia de Gætulis, gloriæ fuit bene tolerata paupertas. Itaque videtur hic etiam Cn. Cornelius Cossus Lentulus appellatus. quamquam apud Dionem filius eius Cossus Cornelius Cossi filius dicitur. vt *Cossum* pro prænomine tulisse videantur. Hoc anno Ti. Nero, expleto tribuniciæ suæ potestatis quinquennio, priuatus Rhodi, quo secesserat, mansit. Dio.

DE COS. AN. DCCLIII.

CONSVLES inde Cassiodorus prodit Augustum XIII, L. Paullum: fasti Cuspiniani cum Siculis, CAESAREM ET PAVLLVM: C. Cæsarem Augusti F. L. Æmi-

lium L.F. Paullum Dio. recte. est enim hic Caius Lucij frater, ex Agrippa & Iulia Augusti filia natus, atque ab Augusto adoptatus. De quibus sic Tacitus libro primo; Augustus genitos Agrippa Caium & Lucium, in familiam Cæsarum induxit; nec dum posita puerili prætexta, principes iuuentutis appellari, destinari consules specie recusantis ardentissime cupiuit. Et Suetonius; Augustus nepotes ex Agrippa & Iulia tres habuit, Caium, Lucium, & Agrippam. Caium & Lucium adoptauit domi per assem & libram emptos a patre Agrippa; tenerosque adhuc ad curam reipubl. admouit; & consules designatos circum prouincias exercitúsq; dimisit. Item; Augustus tertiumdecimum consulatum vltro petiit; vt Caium & Lucium filios, amplissimo præditus magistratu, suo quemque tyrocinio deduceret in forum. C. Cæsaris Augusti F. meminit etiam Plinius lib. XII, cap. XIIII. Neque verò de Augusto XIII consule accipiendum est; quod eum consulatum ante cum Siluano gesserit.

DE COS. AN. DCCLIIII.

CONSVLES in hunc annum profitetur P. Vinicium, P. Alphenum Cassiodorus: Vinucium & Varum Siculi: P. Vinicium (vel Vinucium) M. F. P. Alphenum (vel Alphinium) P. F. Varum Dio. P. Vinucio cos. Tiberiũ Rhodo reuersum tradit Velleius. Hic M. Vinicij ante consulis fuit filius, M. Vinicij post consulis pater, eodem auctore. Lapis Colotianus, vt ante notaui, habet VINVCIVM.

DE COS. AN. DCCLV.

CONSVLES subsequuntur apud Cassiodorum & fastos Siculos, M. Seruilius, L. Lamia; apud Dionem L. Ælius L. F. Lamia, M. Seruilius M. F. Hos consules intellexit Valerius libro primo, cum ait; Q. Claudiæ statua in vestibulo templi matris deûm posita, bis ea æde incendio consumpta, prius P. Nasica Scipione, & L. Bestia; item M. Seruilio & L. Lamia cos. in basi flammis intacta stetit.

DE COS. AN. DCCLVI.

SEX. AELIVM, C. Sentium nominat deinceps consules Cassiodorus; Sex. Ælium Q. F. Catum, C. Sentium C. F. Saturninum Dio. Ælio & Sentio cos. V. K. Iul. Tiberium adoptatum ab Augusto tradit Velleius, atque tribuniciam potestatem accepisse; quam scilicet iam per quadriennium intermiserat. Itaque sequenti anno tribuniciæ potestatis VI eum ad rationem Capitolinam scribimus. Ab his *lex AElia Sentia* lata est. Hunc annum prætereunt fasti Siculi. Augustus censum fecit, lustrum omisit. Dio, Suetonius.

DE COS. AN. DCCLVII.

DEINCEPS Cn. Cinnam, L. Valerium consules subijcit Cassiodorus: Magnum & Valerium fasti Siculi: L. Valerium Potiti F. Messallam Volusum, Cn. Cornelium L. F. Cinnam Magnum, Dio.

D COS. AN. DCCLVIII.

INSEQVENS annus M. Lepidum, L. Aruntium consules habuit; auctor Cassiodorus: quos Lepidum & Plancum fasti Siculi; M. Æmilium L. F. Lepidum, L. Arruntium L. F. vocat Dio. qui idem his consulibus Cornelium Cossum ex Gætulia cognomen & ornamenta triumphalia, C. Sentium ex Germania triumphalia item insignia retulisse auctor est.

DE COS. AN. DCCLIX.

Q. CAECILIVM, A. Licinium Cassiodorus edit in hunc annum consules: Creticum & Neruam fasti Siculi: A. Licinium Neruam Silianum, Q. Cæcilium Metellum Creticum Dio. A. Licinium Neruam *Silianum*, P. Silij filium fuisse tradit Velleius. His suffectos consules P. Lentulum Cn. F. Scipionem, T. Quinctium Crispinum Valerianum, docet antiquus lapis Romæ inuentus.

DE

DE COS. AN. DCCLX.

M. FVRIVM, Sex. Nonium, in hunc annum creatos consules scribit Cassiodorus: CAMILLVM & QVINCTILIANVM fasti Cuspiniani cum Siculis: M. Furium M.F. Camillum, Sex. Nonium L.F. Quinctilianum, Dio: eosdem consules cum duobus his suffectis, L. Apronio, A. Vibio Habito, Capitolini: ex quibus etiam apparet, hoc anno Imp. Cæsarem Augustum tribuniciæ potestatis XXX, Ti. Cæsarem Augusti F. tribuniciæ potestatis IX fuisse.

DE COS. AN. DCCLXI.

INDE Q. Sulpicius, C. Poppæus creati consules, auctore Cassiodoro: quos Siculi fasti & Cuspiniani vocant CAMERINVM & SABINVM: Q. Sulpicium Q.F. Camerinum, C. Poppæum Q.F. Sabinum, cum Dione Capitolinus lapis. Eosdem consulatum quinquennio gessisse antequam Augustus excederet, scribit Suetonius. quorum etiam sic meminit Plinius lib. VII, cap. XLVIII; Galeria reducta est in scenam C. Poppæo, Q. Sulpicio cos. ludis pro salute diui Augusti votiuis, annum centesimum quartum agens, quæ producta fuerat tyrocinio a M. Pomponio ædili pl. C. Mario, Cn. Carbone cos. ante annos nonaginta vnum. quamquam ibi vulgo Cn. Pompeio legitur, non C. Poppæo. Iisdem consulibus suffectos esse in parte anni M. Papium Mutilum, Q. Poppæum Secundum, inuenio cum apud Dionem, tum in Capitolinis fastis: qui *legem Papiam Poppæam* tulerunt de hereditatibus mulierum; qua *lex Voconia* abrogata est. His cos. Germanico Ti. F. Augusti N. triumphalia ornamenta ab Augusto ex Dalmatica victoria data; Quinctilium Varum cum legionibus in Germania cæsum, auctor est Dio.

DE COS. AN. DCCLXII.

P. DOLABELLAM, C. Silanum consules in hunc annum inuenio apud Cassiodorum: Dolabellam & Silanum in tabulis Siculis: P. Cornelium P.F. Dolabellam, C. Iunium Silanum, apud Dionem. Exstat etiam in Antiq. vrbis epigrammatis inscriptio de his consulibus talis; P. CORNELIVS P. F. DOLABELLA. C. IVNIVS C. F. SILANVS, FLAMEN MART. COS. EX S. C. FACIVNDVM CVRAVERVNT. IDEMQVE PROBAVERVNT. Eosdem consules cum suffecto altero ex K. Iul. Ser. Cornelio Lentulo Maluginense flam. diali, inuenio quoque in Capitolinis tabulis, Ser. Maluginensis flaminis dialis meminit item Tacitus lib. III.

DE COS. AN. DCCLXIII.

M. LEPIDVS, T. Statilius, cōsules a Cassiodoro in hunc annum produntur: Lepidus & Taurus a Siculis fastis: M. Æmilius Q.F. Lepidus, T. Statilius T.F. Taurus, a Capitolinis fastis, & Dione. Lepido præterea sufficiunt ex K. Iul. consulem L. Cassium L.F. Longinum Capitolini.

DE COS. AN. DCCLXIIII.

GERMANICVM Cæsarem, C. Fonteium Cassiodorus edit hoc anno consules: Ti. Cæsarem & Capitonem fasti Siculi: Germanicum Cæsarem Ti. F. C. Fonteium C.F. Capitonem Dio: eosdem cum C. Visellio Varrone suffecto Capitolini auctores. Germanicus hic, Neronis Drusi filius fuit, fratris Tiberij, eius qui in Germania mortuus *Germanici* primus sibi cognomen peperit; adoptatus a Tiberio, vt scribit Suetonius his verbis; Tiberius Romam reuersus, Caio & Lucio intra triennium defunctis, adoptatur ab Augusto simul cum fratre eorum M. Agrippa, coactus ipse prius Germanicum fratris sui filium adoptare. Hunc scribit Dio biennio ante triumphalibus insignibus decoratum, decretosq; ei honores prætorios, & vt primus secundum consulares diceret sententiam, ac citius quam per leges liceret, petere consulatum posset: consulatum autem cepisse antequam prætor fuisset; eumque annuum gessisse, non dignitatis causa, sed quia multi iam id facere cœperant. De eo etiam sic Suetonius in Caligula; Germanicus, Drusi & iunioris Antoniæ filius, a Tiberio patruo adoptatus,

quæſturam quinquennio ante quam per leges liceret, & poſt eam conſulatum ſtatim geſſit: miſſusque ad exercitum in Germaniam, exceſſu Auguſti nuntiato, legiones imperatorem Tiberium recuſantes compeſcuit: atque hoſte mox deuicto, triumphauit. Triumphaſſe autem eum de Germanis quarto Tiberiani imperij anno, auctor eſt Oroſius. De eo talis fertur antiqua inſcriptio;

GERMANICO CÆSARI
TI. F. DIVI AVG. N.
DIVI IVLI PRON.
COS.
L. TVRPILIVS L. F. GEMINVS.
ÆD. D. S. P.
Item,
GERMANICO CÆSARE COS.
C. FONTEIO CAPITONE
K. IAN.
SEIÆ FORTVNAE AVG.
SACR.

De triumpho III *Ti. Cæſaris pro cos. ex Illyrico.*

TI. CÆSAREM pro cos. tertium triumphum de Illyriis & Dalmatis egiſſe, quos iam ante etiam perdomuerat, atq; de iis ouans vrbem ingreſſus fuerat, ſatis conſtat. de hac enim re ſic Dio; Æmilio & Arruntio conſulibus, cum Tiberius iterum in Gallos mouiſſet, ac Valerium Meſſallinum eo ex Dalmatia ac Pannonia, quibus ille præerat, euocaſſet, tum Dalmatæ, cum ſe florere maxime iuuentute animaduerterent, duce Batone quodam arma ceperunt; ac Breucis Pannoniis adiunctis, Sirmium, quod a Romanis tenebatur, inuaſerunt; neque tamen eo potiri potuerunt, a Cæcina Seuero Myſiæ proconſule, ad eos tumultus ſedandos accurrente, deuicti. Interim cum illi refectis copiis oppugnata Salona maritimam omnem oram popularentur, Tiberius, ex Gallia præmiſſo Meſſallino, aduenit. Dalmatæ a Meſſallino victi, ſe ad Breucos contulerunt; ac ſummum prœlium detrectantes, populationibus agrorum ſociorum Rom. prope in conſpectu Tiberij operam dabant. Hinc in Macedoniam irrumpentes, partim a Rhymitalce pulſi ſunt, partim ſumma montium cum petiſſent, perpetuas inde excurſiones faciebant, cum iam Cæcilius & Licinius conſulatum gererent. Quæ cum Auguſto nuntiata eſſent, veritus ne Tiberius bellum conſulto traheret, Germanicum ad bellum miſit; qui ibi per biennium rem geſſit. cum autem bellum adhuc duraret, Tiberius iterum ab Auguſto cum imperio miſſus, Papio & Poppæo cos. illud ſumma virtutis cum gloria confecit. ipſi & Auguſto Imperatoris nomen & triumphus decretus eſt. quem Auguſtus agere noluit; Tiberius, nuntiata Variana in Germania clade, in aliud tempus diſtulit. Hæc Dio. Hinc Velleius ita; Tiberius in vrbem reuerſus, iamptidem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum, ex Pannoniis Dalmatisq; egit triumphum. Et paulo poſt; Tiberius cum ſeptem triumphos meruerit, tribus contentus fuit. Item Suetonius; Tiberius perſeuerantiæ grande pretium tulit toto Illyrico, quod intra Italiam, regnumque Noricum, & Thraciam, & Macedoniam, interque Danubium flumen & ſinum maris Adriatici patet, perdomito, & in dicionem redacto. cui amplior gloriæ adhuc ex opportunitate cumulus acceſſit. Nam ſub id fere tempus Quinctilius Varus cum tribus legionibus in Germania periit: nemine dubitante quin victores Germani iuncturi ſe Pannoniis fuerint, niſi debellatum prius Illyricum eſſet. Quas ob res triumphus ei decretus, multi & magni honores. Cenſuerunt etiam quidam vt *Pannonicus*, alij vt *Inuictus*, nonnulli vt *Pius* cognominaretur. ſed de cognomine interceſſit Auguſtus; eo contentum repromittens, quod ſe defuncto ſuſcepturus eſſet. Triumphum ipſe diſtulit mœſta ciuitate clade Variana. nihilo minus vrbem prætextatus & laurea coronatus intrauit: poſitumque in ſeptis tribunal ſenatu aſtante conſcendit, ac medius inter duos conſules cum Auguſto ſimul ſedit. proximo anno repetita Germania ad res temeritate Variana prolapſas

lapſas

lapſas conſtituendas, a Germania in vrbem poſt biennium regreſſus, triumphum, quem diſtulerat, egit, proſequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat. Ergo ſi triennio poſt cladem Varianam & triumphum ſibi decretum, triumphauit, profecto hoc anno triumphauit.

DE COS. AN. DCCLXV.

L. PLANCVM, C. Silium conſules ſubijcit cum Siculis Caſſiodorus; L. Munatium L.F. Plancum, C. Silium C.F. Dio. Eoſdem conſules habent tabulæ Capitolinæ, & Suetonius, cum ſcripſit, L. Planco & C. Silio cos. Auguſtum teſtamentum feciſſe, ante annum & quatuor menſes quam ex vita decederet. His cos. rurſus tribuniciam poteſtatem Tiberio datam ab Auguſto; ipſum in quinquennium imperium accepiſſe, ſcribit Dio.

DE COS. AN. DCCLXVI.

SEX. POMPEIVM, Sex. Appuleium conſules in hunc annum ſubdit Caſſiodorus; Sex. Pompeium Sex.F. Sex. Appuleium Sex.F. Dio. Eorum meminit etiam Suetonius in Auguſto, Tacitus libro primo. Sextos item duos conſules in hunc annum Siculæ tabulæ profitentur.

De luſtro * LXXI.

HOC anno Imp. Auguſtus cum Ti. Cæſare cenſum, luſtrumque, ſi ſuperiora ſpectes, LXXI fecerunt. ſiquidem mortuus eſt Auguſtus XIIII K. Septembris. centum autem ante dies luſtrum fecerat; vt inquit Suetonius. quo luſtro non ipſe ſolennia vota ſuſcepit, ſed collegam ſuum Tiberium ſuſcipere, aquilæ prodigio quodam deterritus, iuſſit. quin etiam idem primum & medium cenſum ab eo cum collega actum ſcriptum reliquit.

De morte Imp. Cæſaris Auguſti.

HIS conſulibus Auguſtus conſtanti omnium opinione Nolæ mortuus eſt XIIII K. Septembris, annos natus LXXV, menſes X, dies XXVI: (nam IX K. Octobris ortus eſt conſule Cicerone) cum poſt victoriam Actiacam imperaſſet annos XLIIII, demptis XIII diebus. Qua de re ſic Tacitus, libro I; Vixdum ingreſſus Illyricum Tiberius properis Liuiæ matris litteris accitur. neque ſatis compertum eſt, ſpirantem adhuc Auguſtum apud vrbem Nolam, an exanimem repererit. acribus namque cuſtodiis domum & vias ſepſerat Liuia: lætique interdum nuntij vulgabantur; donec prouiſis quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem, fama eadem tulit. Eadem fere Dio.

FINIS.

lapſas conſtituendas, a Germania in vrbem poſt biennium regreſſus, triumphum, quem diſtulerat, egit, proſequentibus etiam legatis, quibus triumphalia ornamenta impetrarat. Ergo ſi triennio poſt cladem Varianam & triumphum ſibi decretum, triumphauit, profecto hoc anno triumphauit.

DE COS. AN. DCCLXV.

L. PLANCVM, C. Silium conſules ſubijcit cum Siculis Caſſiodorus; L. Munatium L.F. Plancum, C. Silium C.F. Dio. Eoſdem conſules habent tabulæ Capitolinæ, & Suetonius, cum ſcripſit, L. Planco & C. Silio cos. Auguſtum teſtamentum feciſſe, ante annum & quatuor menſes quam ex vita decederet. His cos. rurſus tribuniciam poteſtatem Tiberio datam ab Auguſto; ipſum in quinquennium imperium accepiſſe, ſcribit Dio.

DE COS. AN. DCCLXVI.

SEX. POMPEIVM, Sex. Appuleium conſules in hunc annum ſubdit Caſſiodorus; Sex. Pompeium Sex.F. Sex. Appuleium Sex.F. Dio. Eorum meminit etiam Suetonius in Auguſto, Tacitus libro primo. Sextos item duos conſules in hunc annum Siculæ tabulæ profitentur.

De luſtro * LXXI.

HOC anno Imp. Auguſtus cum Ti. Cæſare cenſum, luſtrumque, ſi ſuperiora ſpectes, LXXI fecerunt. ſiquidem mortuus eſt Auguſtus XIIII K. Septembris. centum autem ante dies luſtrum fecerat; vt inquit Suetonius. quo luſtro non ipſe ſolennia vota ſuſcepit, ſed collegam ſuum Tiberium ſuſcipere, aquilæ prodigio quodam deterritus, iuſſit. quin etiam idem primum & medium cenſum ab eo cum collega actum ſcriptum reliquit.


De morte Imp. Cæſaris Auguſti.

HIS conſulibus Auguſtus conſtanti omnium opinione Nolæ mortuus eſt XIIII K. Septembris, annos natus LXXV, menſes X, dies XXVI: (nam IX K. Octobris ortus eſt conſule Cicerone) cum poſt victoriam Actiacam imperaſſet annos XLIIII, demptis XIII diebus. Qua de re ſic Tacitus, libro I; Vixdum ingreſſus Illyricum Tiberius properis Liuiæ matris litteris accitur. neque ſatis compertum eſt, ſpirantem adhuc Auguſtum apud vrbem Nolam, an exanimem repererit. acribus namque cuſtodiis domum & vias ſepſerat Liuia: lætique interdum nuntij vulgabantur; donec prouiſis quæ tempus monebat, ſimul exceſſiſſe Auguſtum, & rerum potiri Neronem, fama eadem tulit. Eadem fere Dio.

FINIS.

CAROLI SIGONII DE NOMINIBVS ROMANORVM LIBER.

Cur Romani multis nominibus vsi sint. CAP. I.



CVM multæ res in tota antiquitate Romana parum adhuc tractatæ ac cognitæ sunt, tum illa difficilis atque obscura quæstio est, quæ est de ratione nominum Romanorum. nam etsi res est & a veteribus explicata diligenter, & ab huius etiam memoriæ hominibus penitus non neglecta; tamen quia illorum scripta vetustas vel consumpsit fere, vel deformauit; hi in hoc genere non satis accurate omnia collegerunt; plurimum adhuc lucis desiderare videtur. Itaque, quoniam ad hos quos scripsimus Romanorum magistratuum Fastos, eiusmodi maxime disputatio pertinet, quiq; proxime hac de re scripserunt, nec satis plene, nec ad rei veritatem satis apte tantum argumentum tractarunt, faciundum esse nobis videtur, vt hoc loco, quid de Nominibus Romanorum inuenerimus, exponamus. Cum autem Romanos homines duobus primum, post etiam tribus nominibus vsos esse reperiamus, quorũ vnum præcipue *Nomen*, alterum *Prænomen*, tertium *Cognomen* aut *Agnomen* appellauerũt; iccirco danda opera est, vt in huius quasi vestibulo disputationis caussam huiusce facti, quæ probabilis maxime videatur esse, reddamus. Qui igitur de his caussis disseruerunt, ij in duas fere partes diuisi sunt. quorũ alij hanc consuetudinẽ propriã fuisse Romanorum, alij a vicinis populis acceptã esse tradiderunt. Ac priorẽ quidem opinionem tuetur Varro, (vt est apud Valeriũ Maximum in Epitoma de prænominibus) posteriorẽ vero quidam alij. Varronem aũt mouit maxime illa ratio, quod in Italia ante Romam conditã quosdam homines vno tantũmmodo nomine præditos fuisse, vt Romulũ, & Remum, & Faustulũ, animaduertit. Itaq; Varronis opinionẽ Priscianus forte sequutus, caussas cur Romani nomina duplicauerint, exponit duas; vnã, vt, qui in quaq; familia eodẽ nomine vocarentur, præposito aliquo alio nomine, quod inde *Prænomen* dixerunt, distinguerentur: alterã, vt Sabinorũ gratiam beneuolentiamq; colligerẽt, quos Romulus in ciuitatẽ suscepit, aut suis Sabinorũ nomina, aut cõtra sua Sabinorũ nominibus præponentes. id quod in Romulo scripsit etiã Eutropius. Quin etiã Appianus huc spectasse videtur, cum in proœmio historię scripsit, Romanos vno primũ nomine vsos esse, post duobus, tũ tribus. Sic enim ait; καὶ τὰ ὀνόματα Ῥωμαίοις πάλαι μὲν ἦν ἕν, ὥσπερ ἀνθρώποις ἅπασιν ἑκάστῳ· μετὰ δὲ, ἐγένοντο δύο· καὶ οὐ πολὺς χρόνος ἐξ οὗ καὶ τρίτον ἤρξαντο τισὶν ἐς ἐπίγνωσιν ἐκ πάθους ἢ ἀρετῆς ἐπιτιθέναι. Itemq; Varro lib. de lingua Latina, cum ait; Cum essent duo Terentij, aut plures discernendi caussa, vt aliquid singulare haberẽt, notabant forsitan ab eo, qui mane natus diceretur, vt is *Manius* esset; qui luci *Lucius*; qui post patris mortẽ, *Postumus*. Qui vero secus senserunt, hanc rationẽ ab aliis populis mutuatos esse Romanos dixerunt; præsertim vero, cum ipsi ante Romã conditã matrem Romuli legerent Rheam Siluiã, auum Numitorem Siluiũ, fratrem eius Amuliũ Siluium; posterioresq; duces Metiũ Fufetium, Titũ Tatium, Numam Pompiliũ, patremq; eius Pomponem Pompiliũ nominatos. In hac aũt opinione fuerũt Arruntius Claudius, & Valerius Maximus. Nam Claudius, vt Diomedes scribit, a Græcis hoc sumptũ tradit; apud quos multi æque atq; apud Romanos, tria nomina vsurpauerint; id quod in Alexandro Dardanio Paride, & in Achille Æacide Celeri intelligi posse putat. Valerius aũt ab Albanis & Sabinis, a quibus potissimum traxerunt originem, Romanos hanc consuetudinem accepisse ait. Atq; huic quidem ego etiam assentior; quippe qui & hanc rationem apud Italos populos fuisse, & aliis præterea eos quibusdam prænominibus a Romanis vsos esse comperiam, & Remum ac Romulum, aut quia spurij fuerunt, gentis nomine caruisse, aut certe ex Siluia gente, cuius & mater erat, exstitisse existimem. Distinguendorum tamen filiorum atque nepotum caussa inuenta prænomina esse, Varroni grauissimo in primis auctori assentior.

Quid sit Nomen, Prænomen, & Cognomen. CAP. II.

CELEBRATA est igitur (quemadmodum demonstratum est) a Romanis hæc tota multiplicandorum nominum ratio. neque enim nomine aut prænomine tantummodo contenti fuerunt, sed cognomen & agnomen etiam adiunxerunt. quod etiam significat Pausanias in Achaicis, cum eos tribus, aut etiam pluribus nominibus vsos esse tradidit, ita: ἐπεὶ καλοῦνταί γε οὐ κατὰ πατρόθεν οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ ταὐτὰ Ἕλλησιν, ἀλλὰ τρία, ὁπότε δὲ ὀλίγιστα, καὶ ἔτι πλείονα ὀνόματα ἑκάστῳ τίθενται. De quibus omnibus cum ab aliis alia tradita sint, quid ipse sentiam, non dicam; quid autem veteres senserint, verbis eorum expositis, breui concludam. Ac primum quidem nominabo Valerium, qui ita ait; Omnia quæ ad vnumquemque nostrum definiendum excogitata sunt, eandem vim significandi hominis obtinent. quod per proprietatem dicitur, hoc distat, quia eo genus cognoscitur; ideoque dicitur *gentilicium*. cetera ordine variantur. nam quod præponitur, *Prænomen*; quod post fertur, *Cognomen*; quod ad vltimum dicitur, *Agnomen* vocatur. Neque vero aliter sensisse videntur Sosipater, Donatus, & Diomedes. grammatici non solum antiquitate, sed etiam doctrina nobiles. quorum, vbi de propriis nominibus agunt, hæc verba sunt: Vocabulorum quibus Romani capita recensebāt, quatuor genera sunt; Prænomen, Nomen, Cognomen, Agnomen. *Prænomen*, quod nomini gentilico [differentiæ caussa] præponitur, vt Publius; *Nomen*, quod originem gentis declarat, vt Cornelius; *Cognomen*, quod nominibus gentiliciis subiungitur, vt Scipio; *Agnomen*, quod extrinsecus addi solet, [ex] aliqua ratione vel euentu quæsitum, vt Africanus. Quod si quis hos fortasse, vt leues huiusce rei auctores, repudiauerit, nunc animum referat ad ea quæ scripta sunt apud Dionysium, Plutarchum, Ciceronem, & Suetonium, auctores rerum Romanarum grauissimos, eosdemq; certissimos: a quibus hæc eadem opinio confirmatur. Dionysius quidem nomen vnum cōmune Romanis fuisse ait, alterum vero gentilicium. sic enim de Lucumone ait; μαθὼν δὲ Ῥωμαίων ἑκάστῳ κοινὸν ὄνομα κεῖται, καὶ μετὰ τὸ κοινὸν ἕτερον, ὃ δὴ συγγενικὸν αὐτοῖς ἐστι, καὶ * πατρωνυμικόν. sic alibi commune nomen, appellat prænomen; vt de Attio Næo; αὐτὸς μὲν ἐκαλεῖτο κατὰ κοινὸν ὄνομα καὶ προσηγορικὸν Νέβιος, τὸ δὲ συγγενικὸν, Ἄττιος. Eodem autem in loco Dionysius commune nomen vocat Lucium; gentilicium vero, Tarquinium. Plutarchus vero in Coriolano ait ita; Tertium igitur ei nomen Coriolano inditum est: ex quo intelligi potest, Caium ei fuisse proprium nomen; Marcium vero, gentilicium, id est, ἐκ τούτου τρίτον ἔσχεν ὄνομα τὸ Κοριολανὸν, * ᾧ καὶ μάλιστα δῆλον ἐστὶ τῶν ὀνομάτων ἴδιον ὂν ὁ Γάϊος· τὸ δὲ δεύτερον, οἰκίας ἢ γένους κοινὸν, ὁ Μάρκιος. Idem etiam initio Marij. Ea verba, quia nimis multa visa sunt, atque etiam in promptu sunt omnibus, non apposui: quid tamen ille tradiderit, breuiter mihi esse ostendendum putaui. Sic igitur ille disputat, vt varia & ipse fuisse nominum genera dicat. quorum alia prima, alia secunda, alia tertia vocat. Ac prima quidem nomina, quæ propria; vt Cnæum, Lucium, Publium: secunda vero, quæ gentis caussa multis communia sunt; vt Pompeios, Manlios, & Cornelios. tertia, quæ ab actione aliqua, vel a corpore, vel a moribus indita sunt; vt Macrinum, Torquatum, & Sullam. & secundis quidem respondere apud Græcos Heraclidas ac Pelopidas; tertiis vero, Grypum & Callinicum putat. Quid? cum Cicero epistol. ad Attic. libro IIII ita ait; Qui vetere prænomine, nouo nomine T. erit Cæcilius: & Suetonius in Cæsare, cum inquit; Vt quod eo anno actum esset, Iulio & Cæsare actum scriberent, bis eundem repetentes, nomine atque cognomine. non'ne satis ostendunt, Titum quidem prænomen, Cæcilium vero & Iulium nomina, Cæsarem vero cognomen esse? Hæc mihi satis multa, & satis firma visa sunt, quæ afferrem cum ad harum appellationum vim & naturam definiendam, tum ad eorum opinionem labefactandam, qui contra aut aliter senserint aut scripserint.

Quot & quæ Prænomina fuerint; & vnde singula ducta sint, CAP. III.

CVM ergo multa vocabulorum genera sint, quibus plerumque veteres Romani appellarētur, primum de prænominibus, post de reliquis, quid sentiamus, dicendum est. Ac *Prænomen* quidem * προώνυμον Græce dictum scribit Diomedes, Plutarchus autem modo *Primum nomen*, modo *Proprium nomen*; Dionysius, vt ostendi, *Commune*

nomen appellat. Vis autem Latini vocabuli satis perspicua est. nam quod nomini præponitur, id Prænomen dici voluerunt. Ex his autem prænominibus alia a Romanis, alia a finitimis populis frequentius vsurpata esse reperio. Romana autem ad triginta fuisse, ex Varronis sententia tradit Valerius. Hæc autem fuisse videntur; Agrippa, Appius, Aulus, Cæso, Caius, Cnæus, Decimus, Faustus, Hostus, Lucius, Mamercus, Manius, Marcus, Numerius, Opiter, Postumus, Proculus, Publius, Quinctus, Seruius, Sextus, Spurius, Tiberius, Titus, Tullus, Vibus, Volero, Vopiscus. Peregrina vero, Ancus, Aruns, Lar, Lucumo, Metius, Numa, Petro, Pompo, Sertor, Tallus, Turnus, Volusus. De quorum prænominum origine ac significatione, quoniam qui de nominibus modo scripserunt, nihil dixerunt, nos scribemus ea quæ a veteribus tradita, a nobis, quanta maixma fieri potuit diligentia, sunt collecta.

AGRIPPA, Festo auctore, vocatus qui cum labore matris sit natus; exempli caussa, in pedes contra naturam, & non in caput; id est ab ægro partu. Item Marcellus, & Quinctilianus lib. IX.

APPIVS, ex Sabinorũ prænomine ACTIO venit, vt ait Valerius; idq; Romæ Claudiorum fuit, quorum princeps *Actius Clausus* dictus est. Liuius lib. II. quo in loco multa in Scholiis diximus.

AVLI dicti qui Diis alentibus nascerentur. Valerius.

CAESO, qui ex vtero matris exsectus est. Festus, Valerius, Plinius lib. VII, cap. IX.

CAIVS, a gaudio patrum appellatus. Valerius.

CNAEVM, ob insigne næui, qui in corporibus gignitur.

FAVSTVM, a fauore dictum scribit Valerius.

QVINCTVS, SEXTVS, DECIMVS, a numero dicti sunt, teste Varrone; vt qui quincto, sexto, & decimo quoque loco esset natus, is demum primis temporibus Quinctus, Sextus, & Decimus diceretur.

HOSTVS, inquit Valerius, fuit prænomen in eo qui peregre apud hospitem natus est; fuitque prænomen Lucretij Tricipitini collegæ L. Sergij consulis. Macrobius lib. Saturnal. primo, qui in hostico procreatus esset, eum *Hostum* vocatum fuisse scribit. Est autem mendum apud Valerium: *Hospes* enim legitur non *Hostus*. Quod autem legendum sit Hostus, ex eo intelligi potest, quod Liuius Lucretium Tricipitinum, cuius Valerius meminit, Hostum vocat. & in consulibus Capitolinis, An. CCCXXXVI scriptum est, P. LVCRETIVS HOSTI F. Macrobius etiam libro I, Hosti Hostilij mentionem facit.

LVCII duplex origo traditur a Valerio. aut enim a Lucumonibus Etruscis dictus est, vt Lucumo Tarquiniensis, qui se L. Tarquinium appellauit; aut is demum Lucius appellatus est, qui lucis initio natus est. Quod scribit etiam Festus, & Varro.

MAMERCVS, prænomen gentis Æmiliæ fuit; de quo Plutarchus in Numa & Æmilio sic; Mamercus fuit Pythagoræ filius; a quo Numa Pompilius Rex filium Mamercum nominauit; qui auctor & princeps gentis Æmiliæ fuit. Festus autem prænomen Oscum esse putat; quod Osci Martem Mamercum appellauerint.

MANIVS, dictus est qui mane est ortus: aut ominis caussa, quasi bonus: *Manum* enim antiqui bonum dicebant. Varro lib. II. de Analogia, Valerius, Festus, Macrobius lib. I. Saturnal. Zosimus autem Græcus historiarum auctor, lib. I, tradit, Manium in gentem Valeriam profectum esse a quodam Valerio, qui primus sacra Diis Manibus fecerit. sic enim ait; τοῦτον τὸν βωμὸν ὁ Οὐαλέσιος εὑρὼν, καὶ τὴν θυσίαν καὶ τὰς παννυχίδας ἐπιτελέσας, ἐκλήθη Μάνιος Οὐαλέσιος Ταρεντῖνος. τοὺς γὰρ χθονίους θεοὺς, Μάνης καλοῦσι Ῥωμαῖοι, καὶ τὸ ὑγιαίνειν βαλῆρε.

MARCVS dictus est qui mense Martio natus est. Valerius.

DE NVMERIO sic Festus: Numerius prænomen nunquam antea fuisse in patricia familia dicitur, quam Q. Fabius, qui vnus post sex & trecentos ab Etruscis interfectos superfuit, inductus magnitudine diuitiarum, vxorem duxit Otacilij Maleuentani (vt tum dicebantur) filiam, ea conditione, vt qui primus natus esset, prænomine aui materni Numerius appellaretur. Et Valerius ita; Numerio sola patricia familia vsa est Fabia; iccirco quod CCCVI apud Cremeram flumen cæsis, qui vnus ex ea stirpe exstiterat, ducta in matrimonium vxore filia Numerij Otacilij Maleuẽtani, sub eo pacto, vt quem primum filium sustulisset, ei Numerij prænomen imponeret, obtemperarit.

rarit. Hinc mendose apud Ciceronem lib.I. de Diuinatione legitur ita; His adiungatur etiam somnium Æneę, quod innumerũ Fabij Pictoris Græcis annalibus scriptum est. cum sit legendum; Quod in Numerij Fabij Pictoris. fuit enim alter Fabius Pictor, prænomine Quinctus; qui de rebus Romanis Latine scripsit, Gellio & Nonio teste, qui eius sæpe verba Latina proferunt; itemq; Cicerone de legib.I, qui eum inter historicos Latinos numerat. at qui Græce iisdẽ de rebus scripsit, is videtur fuisse Numerius nominatus, quem tamen I lib. Dionysius Quinctũ nominat. Hac ratione in orat. pro Cluentio Numerios Aurios legimus: & lib. III de orat. Numeriũ Furium: & lib. II de Diuin. Numerium Suffuciũ: & apud Pædianum, Numerium Quinctium.

OPITER dictus, cuius pater, auo viuo, mortuus est. quasi qui post obitũ patris genitus sit; aut qui ob patrem auum habeat. quod prænomen Virginio Tricosto consuli fuit. Valerius, & Festus.

POSTVMVS, qui post humatum patrem est natus, Varro lib. II de Analogia, & Plutarchus in Coriolano; vt Postumus Cominius, & Postumus Æbutius. de quibus Valerius. Nam Liuij libri mendosi erant, cum haberent *Postumius* pro *Postumus*. cum tamen Postumius, gentis nomen sit; Postumus, prænomen.

PROCVLVS, qui natus sit patre peregrinante patria procul, vt ait Plutarchus in Coriolano. Valerius autem ait, qui patre sene natus sit, quasi procul ætate progresso, eum Proculum esse vocatum.

PVBLII, ait Valerius, qui prius pupilli facti erant quam prænomina haberent. alij ominis caussa a pube. Græci πόπλιον cum scribunt, a populo deriuatum innuunt.

SERVIVS is primum dictus est, quem seruiens mulier peperisset, vt de Ser. Tullio rege scribit Dionysius. at Valerius, qui mortua matre, in vtero seruatus esset.

SPVRIVS dictus, qui sine patre esset. antiqui enim iisdem litteris S. P. Spurium, & Sine Patre, scripserunt. Plutarchus in Quæstionibus, & Valerius.

TIBERII, qui ad Tiberim nascerentur. Valerius.

DE TITO cõtrouersia est. Valerius a Sabino quodam, nomine Tito, manasse ait; Festus, a Titulo. *Titulos* autem milites fuisse, quod patriam tuerentur, quasi Tutulos.

TVLLVS, ominis caussa dictus est, quasi tollendus, o littera in u versa. Valerius.

VOLERO, inquit Valerius in prænomen abiit, quia volentibus nasci liberis parentibus videbatur, quo vsus est Publilius Philo. Quare in anno CCCLIII Capitolino ita est, L. PVBLILIVS L. F. VOLER. N. PHILO.

VIBVM prænomen esse, indicat annus CCC Capitolinus, vbi est ita; P. SESTIVS Q. F. VIBI N. CAPITOLINVS. Itemq; Liuius lib. XXVI; Vibus Virius.

VOPISCVS dictus, qui ex duobus conceptis, vno abortu excluso, ad partũ legitimum deduceretur: quo prænomine præcipue Iulia gens vsa est: Valerius, Festus, Plutarch. in Coriolano, Plin. lib. VI, cap. IX. Sed de Romanorum prænominum vi ac significatione hactenus. Peregrinorum autem multo obscurior ratio & significatio est.

ANCVM scribit Varro a Sabinis ortũ. Valerius autem tradit eum Ancum esse appellatum, qui vitiosum habuerit cubitum, qui ἀγκὼν Græce dicitur. cui etiam Festus assentitur. Ancus enim, inquit ille vocatur qui aduncum habet brachium, ita vt regi non possit. Hinc Ancus Marcius rex, & Ancus Poblicius imperator Lanuuinus contra Hostilium regem, Dionysio auctore.

ARRVNTEM, & LVCVMONEM, Etrusca prænomina fuisse scribit Dionysius. Itaq; Arruntem Tarquinium Superbi regis filium, & Arruntem Tolumnium Porsenæ filium legimus.

VOLSVS, Sabinum fuit. eoq; vsus est pater P. Valerij Poplicolæ, Liuio & Capitolinis lapidibus auctoribus: quamquam Græci Οὐόλεσον vocant.

LARTIS pręnomen, vt tradit Valerius, a laribus sumptum est. Tuscum autem ante creditũ est esse; fuitq; cõsulis Herminij. Idem fere Carisius; & Priscianus lib. V; Lar, si familiaris est, facit *laris*; si Tolumnij Porsenæ, *Lartis*. Et Seruius in VI Æneidos; Lar Tolumnius, a Cosso occisus, a loco dictus est: flectitur autem *Lar Lartis*. Et Liuius lib. IIII; Daturos quod Lar Tolumnius dedisset. Et Cicero Philippica IX; Lar Tolumnius Veientium Rex. De Larte Porsena ita Dionysius lib. V; βασιλεὺς τῶν Κλουσιανῶν Λάρος ὄνομα: Πορσίνας ἐπίκλησιν. Quod aũt hoc prænomen Herminij consulis fuerit, vt ait Valer. id ex

Dionysij lib. IX quoque cognoſcitur; a quo ita anno CCCIIII conſul ſcribitur, Λάρος Ἑρμίνιος: & a Diodoro Λάριος Ἑρμίνιος. Ex his autem intelligi poteſt quam vere ſcripſerint quidam in libro de Nominibus, ita; Poſteaquam in vrbem migrarunt Sabini, duplicari nomina cœperunt; vt, Numa Pompilius, Seruius Tullius, Lartes Porſena. quamuis hoc nomen Etruſcum fuerit. In quo prænomine LARTES, ſciendum eo veluti prænomine vſos veteres. Seruius interpres Vergilianus, ab oppido dictum putat. Itidem Plutarchus in Publicola exiſtimat; qui tamen Λαέρτης ſcribit; ſed male. Hæc illi. quam autem vere, ipſi viderint. neque enim Lartes Porſena duobus tantum nominibus vſus eſt, cum ex Tolumnia gente fuerit, Seruio & Priſciano (quos ante nominaui) auctoribus; nec LARTES in recto caſu dicitur, ſed LAR, quod ſuperioribus teſtimoniis comprobatum eſt; nec Seruius LARTEM ab oppido dictum ait, ſed a loco; nec item Plutarchus vllo in libro, nedum in Poplicola, ab oppido dictum ait: neque item eſt apud Plutarchum Λαέρτης, ſed Λάρος; quamquam mendoſe: inquit enim, ἱκέτευσε κλάρον πορσίναν: cum ſit legendum ex Dionyſio, ἱκέτευσε Λάρον Πορσίναν. Cur igitur hoc illi dixerunt? quia interpretem legerunt, qui ita vertit; *Supplex ad Laertem Porſenam confugit*. Illi vero, in Græcis libris verſati, quid in Græco codice eſſe deberet, intelligentes illud, quod non erat, eſſe affirmarunt.

METIVS, Albanorum prænomen fuit, vt in Metio Fufetio: & Sabinorũ, vt in Metio Curtio: & Latinorum, vt in Metio Geminio, & Metio Octauio; de quibus Liuius.

NVMA, Sabinorum fuit, vt in Numa Pompilio rege, & in Numa Marcio Pont. Max. de quo dixi in primum Liuij librum.

POMPONIS prænomine vſus eſt Pompo Pompilius, Numæ regis pater. Dionyſius in Numa, & Liuius lib. XLI. Itaque Numa etiam filium habuit nomine Pomponem, qui ex ſe gentem Pomponiam propagauit, auctore Plutarcho. quamquam quidam imperite Pomponij filium Numam eſſe ſcripſerunt.

TALLVS, Sabinorum prænomen fuit. de quo Feſtus. Dionyſius etiam cum Tatio rege Sabinorum Romam commigraſſe ait Tallum cognomine Tyrannum.

TVRNVS, Latinorum fuit; vt in Turno Herdonio Aricino.

SERTOR, auctore Valerio dictus eſt, qui per ſationem natus eſſet; eoque prænomine Sertor Reſius vſus eſt, is qui primus ius fetiale inſtituit. Feſtus autem Sertorem a prendendo dictum a quibuſdam ait, quia cum cuipiam afferat manum educendi eius gratia ex ſeruitute in libertatem, vocetur *adſertor*; cum veriſimilius ſit, dictũ quod ſereret quid; ac potius adſertorem a ſerendo accepiſſe nomen, cum aliquem ſerat, petendo in libertatem eandem qua ipſe ſit, id eſt iungat: quia fruges, cum ſeruntur, terræ iungit.

STATIVM prænomen, a ſtabilitate dictum tradit Feſtus: ſeruile autem nomen fuiſſe Gellius.

Quemadmodum Rom. prænomina ſcriberentur, & errores quidam in iis ſcribendis ſublati.

HIS rebus expoſitis, reliquum eſt vt, quod in Scholiis etiam Liuianis fecimus, qua ratione hæc ipſa prænomina ſcriberentur, tradamus. id enim maxime rem cauſſamq; continere videtur. Romanorum igitur prænominum alia ſingulis, alia binis, alia ternis litteris ſcribi ſolita, cum a veteribus traditum, tum ab antiquiſſimo quoq; lapide nummoq; ita retentum eſt, vt nihil ea re poſſit eſſe illuſtrius. Auctores ſunt Plutarchus in Quæſtionibus, Soſipater, Donatus, & Priſcianus: quorum verba recitarem, ſi rem indigere probationis putarem. Singulis litteris ſcribebantur, Aulus, Cæſo, Caius, Quinctus, Decimus, Lucius, Marcus, Manius, Numerius, Publius, Titus; vt, A. Poſtumius, C. Iulius, K. Fabius, Q. Cęcilius, D. Iunius, L. Licinius, M. Valerius, M'. Curius, N. Fabius, P. Cornelius, T. Manlius: Binis, Appius, Cnæus, Spurius, Tiberius, Opiter; vt, Ap. Claudius, Cn. Pompeius, Sp. Veturius, Ti. Æmilius, Op. Virginius: Ternis, Mamercus, Sextus, Seruius, Tullus; vt, Mam. Æmilius, Sex. Iulius, Ser. Cornelius, Tul. Hoſtilius. Neq; vero horum omnium antiquæ notæ in libris ſunt conſeruatæ, verum nonnullorum ita aut vetuſtate aut negligentia ſunt deletæ, vt non

ſolum

ſolum nulla veſtigia nobis ſui reliquerint, ſed ipſa etiam in alia prænomina tranſmigrarint. Cui tamen incommodo nos & apud Liuium, & in Faſtis ipſis ita occurrimus, vt & ſua cuique prænomina reddiderimus, & ea propriis cuiuſque, quæ deſiderabantur, notis diſtinxerimus. Ac primum quidem, quoniam multos eſſe animaduerti, qui D. Decium interpretarentur, notum quidem errorem, ſed errorem tamen tollere volui. nam præterquam quod DECIVS eſt gentis nomen, Græcorum etiam monumenta ſatis indicant, quoties in libris Latinis aut aliis eiuſmodi monumentis D. loco prænominis ſcriptum eſt, Decimum eſſe exponendum; quia Δέκιμον plerumque habent, non Δέκιον.

MANIVS ſcribebatur hoc pacto M? id autem ex eo argumento collegi. animaduerti Curium Dentatum, quem libri Latini Græcique plerumque Manium Curium nominant, in quarto eius triumpho Capitolino ita deſcribi; M? Curius, M? F. M? N. DENTATVS. eadem ratione Valerium, qui anno CCLIX dictator eſt, & a Dionyſio Manius Valerius dicitur, in fragmentis Capitolinis ita vocari; M? VAL== præterea conſules qui anno CDXC in conſulibus Capitolinis M? VALERIVS, & M? OTACILIVS ſcribuntur, a Polybio Μάνιον Οὐαλέριον, & Μάνιον Ὀτακίλιον nominari. Hæc igitur ipſa cum legiſſem, accuratior deinde factus ſum in Aciliis, & Aquilliis, Æmiliis, Sergiis, ceteriſque eiuſmodi ſuo prænomine decorandis; quos in antiquis monumentis iiſdem notis eſſe deſcriptos, apud Græcos fere aut Manios aut Mallios finitimo errore vocatos eſſe reperiebam. Quibus rebus adductus, tum prænomen, tum eius antiquam notam, linguæ Latinæ reſtitui; eaque ipſa re hiſtoriam ipſam Romanam, quæ magnam iacturam fecerat, ſubleuaui. Puto autem veteres his notis M? & M/ diſtingui Manium a Marco voluiſſe, qui M. littora notatur. Iccirco autem dixi, & M/. quia quæ nota in Capitolinis tabulis eſt M? ea eſt in nummis argenteis M/: vt, M/. CORDIVS RVFVS. M/. ACILIVS IIIVIR VALETV. M/. SERGIVS SILVS. quos nummos cum apud alios, tum maxime apud clariſſimũ virum Andream Lauredanum patricium Venetum repperi.

NVMERIVS N. littera ſcribebatur. Itaque ego & prænomen, & prænominis notam renouaui, quæ iam prorſus vetuſtate obſoleuerat. Etenim cum hoc eſſe Fabiæ gentis prænomen ex Feſto & Valerio didiciſſem, cumque ex Fabiis eum primum Numerium eſſe dictum, qui Q. Fabij filius eſſet, eius qui CCCVI ad Cremeram interfectis ſuperfuit, ſcirem, eundemque in Capitolinis conſulibus anno CCCXLVI N. FABIVS Q. F. Q. N. VIBVLANVS deſcribi animaduerterem, non dubitaui quin & in eo, & in ceteris Fabiis, qui N. Fabij ſcriberentur, Numerius eſſet interpretandum. Quod ipſum deinde ex Diomede, & ex Valerij lib. IIII, cap. III, apertius etiam cognoui. Nam Diomedes Numerij prænomen N. littera deſignatum fuiſſe ſcribit; & qui in Capitolinis triumphis N. FABIVS PICTOR ſcribitur, is a Valerio Numerius Fabius Pictor appellatur. Hæc autem nota eſt in L. SEXTIO SEX. F. N. N. SEXTIN. LATERANO: & in Epigrammatis antiquæ vrbis; N. IVNIO EPIGONO. In libris autem Latinis ita euanuerat, vt nullam prope ſui imaginem reliquiſſet; ſed in CN. & M. & C. euaſerat.

CAESONIS etiam nota K. cum interiiſſet, ex Terentio Scauro, & lapidibus Capitolinis reſtituta eſt. Quod tamen intellectu non admodum fuit difficile. nam cum in Fabiorum gente, quos Cæſonis filios aut nepotes eſſe Liuius & Dionyſius ſcribũt, eos in marmoribus Capitolinis, K. F. K. N. deſcribi animaduerterem, in eam veni ſententiam, vt pro K. Cæſonem eſſe intelligendum putarem. quam literam eos iccirco in hoc prænomine vſurpaſſe exiſtimo, vt a Caio, qui C. littera notatur, internoſceretur; in quam litteram paſſim in libris Latinis mutata erat.

TIBERIVM duabus litteris notatum fuiſſe, & Probus tradit, & antiqua marmora teſtimonio ſunt; in quibus quoties TI. inuenitur, ſemper Tiberius in Græcorũ monumentis eſt ſcriptus; vt in Semproniis, Æmiliis, Claudiisq; Neronibus. Hæc autem ratio ſcribẽdi, præterquam in paucis, hoc tempore ſeruabatur. Quam certe in omnibus noſtri non neglexiſſent, ſi Plutarchi verba in Quæſtionibus ſcripta attendiſſent; a quo inter ea prænomina quæ duabus notantur litteris, TIBERIVS numeratur. quamquam verba eius mendoſa ſunt. inquit enim, alia prænomina binis fuiſſe notata litte-

ris, ὥσπερ τὸν βέῤῥιον, καὶ τὸν γάϊον: cum ſit legendum, ὥσπερ τὸν Τιβέριον. quam vocem omnes qui hucuſque eius loci teſtimonium protulerunt, (fuerunt autem plurimi) quiq; eum librum Latine verterunt, vt ſuperuacaneam omiſerunt. Miror autem amicum meum in libello de nominibus ita ſcribere; T. id eſt Titus: vt, T. Ampius. quãuis in Sempronio Graccho Tiberium ſignificet: in quo multi errant. miror inquam, eum ea ſcribere, quæ neq; ſcriptorum, neq; lapidum, neq; nummorũ auctoritate comprobare poſſit; cum in omnibus ſit Ti. Sempronius, non T. Sempronius; niſi mendoſe.

MAMERCI prænomen, cum eſſet prorſus tenebris vetuſtatis oppreſſum, in lucem produximus. Quod ipſum vna cum eius nota debemus tum Capitolinorum marmorum, tum maxime Græcorum annalium monumentis.

TVLLVS item, & OPITER, eodem in numero poni poſſunt. Nam cum ab omnibus paſſim integra ſcriberentur, a nobis ad antiquæ ſcripturæ formulã ex Priſciani & Probi auctoritate redacta ſunt, ita vt ille tribus, hic duabus litteris notaretur.

DE SERVIO prænomine, quod nonnulli SERG. ſcribere cœperant, quaſi eſſet gentis Sergiæ nomen, non dicam. eſt enim error iam ſatis a multis exagitatus.

AGRIPPA modo omnibus litteris deſcriptus eſt, modo pleriſque: vt in Capitolinis conſulibus an. CCL, AGRIPPA MENENIVS LANATVS; & CCCXXXIIII, MENENIVS AGRIP. F. Reliqua omnibus: vt anno CCCXXXVI, P. LVCRETIVS HOSTI F. & CCC, P. SESTIVS VIBI N. & CCCXXXVIII, C. VALERIVS VOLVSI N. & CCCLII, L. IVLIVS VOPISCI N. at Volero pleriſque: vt CCCLIII, L. PVBLILIVS VOLER. N. Hactenus de notis prænominum. de quibus non ita admodum longa diſputatione opus fuiſſet, ſi amicus meus, qui de nominibus ſcripſit, in his tradendis eadem qua ceteris ſolet in rebus, diligentia vſus eſſet. Ille enim ſatis eſſe duxit admonuiſſe, quædam prænomina vna littera notata; vt M. P. Q. L. C. D. T. quædam duabus; vt SP. AP. CN. quædam tribus; vt SER. SEX. quæ omnibus nota erant: quæ vero omnibus ignota, ea præteriit. nihil enim de Manio, nihil de Numerio, nihil de Cæſone, nihil de Tiberio, & priſcis eorum notis; nihil de ſignificatione eorum, nihil de tota hac tam multiplici & varia ratione, niſi quæ multis iam ſæculis ſciebamus, ſine vlla tamen auctoritate tradidit: ita vt niſi quatuordecim prænomina cognouiſſe videatur; aut certe, ſi plura cognouit, non niſi ea quæ omnibus erant in promptu, & quæ nulla ex parte deprauata erant, docuiſſe; quæ autem interciderãt, aut corrupta erant, pro notis præteriiſſe. Neque vero conſulto omiſiſſe poteſt; quippe cum inter prænomina ſtatuat ea etiam quæ prænomina non ſunt; vt LICINIVS, in Licinio Menenio Lanato apud Liuium: cum Licinius ſit gentis nomen, & apud Liuium legendum ſit L. Menenius Lanatus; quod ipſe in Scholiis Liuianis docui. ſiquidem Diodorus eum nominat, Λεύκιον Μενένιον Λανάτον. Ergo ſi breuitati ſtuduit, cur ea quæ prænomina non ſunt, pro prænominibus attulit? ſi nihil ex iis quæ ab aliis (vt ipſe ſe facturum profitetur.) dicta erant, prætermiſit, cur ignotiſſimum & obſcuriſſimum quodque præteriit?

De duorum prænominum pronuntiatione, Caij & Cnæi.

IAM vero illa non contemnenda eſſe videntur, quæ de duorum prænominum pronuntiatione a veteribus tradita ſunt, Caij, & Cnæi. Quæ ipſa cum C. littera notentur, G tamen ſono pronuntiari Diomedes his verbis teſtatur; G, nona conſonans eſt: in cuius locum C ſolebat apponi; vt & hodie, cum Gaium Cæſarem notamus, ſcribimus C. Cæſarem. ideoque poſt B. litteram tertio loco digeſta eſt; vt apud Græcos γ poſita reperitur in eo loco. Et alibi; N. prænominis nota, Numerium ſignificat; & præpoſita ſibi G, Gnæum; quem antiqui Cnæum ſcribunt. Et Valerius; Cnæi prænomen varia ſcriptura notatum eſt: alij enim Cnæum, alij Gnæum, alij Næum ſcripſerunt. Qui G littera in hoc prænomine vſi ſunt, antiquitatem ſequuti eſſe videntur; quæ multum ea littera vſa eſt. olim enim dicebant *frugmentum* poſt *frumentum*; olim *gnaturam*, poſt *naturam*. itaque etiam qui in corporibus gigni ſolet, *Gnæus* appellatur. qui *Cnæum* dixerunt, corruptione ſyllabæ delectati eſſe videntur; qui *Næum*, leuitate.

Quæ

Quæ prænomina pro cognominibus vsurpata sint.

FVISSE præterea aliquot etiam prænomina, quæ longo post tempore pro cognominibus vsurpare cœperint, ex vetustis non solum grammaticis, sed etiam annalibus intelligitur. quod ipsum in Agrippa, Voluso, Mamerco, Proculo, & Tullio facile perspici potest: quę in L. Vipsanio Agrippa, L. Valerio Voluso, M. Æmilio Mamerco, C. Plautio Proculo, L. Volcatio Tullo, viris consularibus, cognomina esse perspicuū est. Quod etiam tradit Valerius his verbis; Quæ olim prænomina fuerunt, nunc cognomina sunt; vt Postumus, Agrippa, Proculus. Itemq; Priscian. lib. II his; Inueniuntur autem multa, quæ in aliis personis sunt prænomina, loco cognominum accipi.

De prænominibus feminarum.

SANE restat vt, quoniam de virorum prænominibus satis dictum est, de feminarum prænominibus dicendum esse videatur. quod eo accuratius mihi faciendum esse existimo, quod amicus meus, nulla antiquorum auctoritate adductus, suo iure feminas Romanas omnino caruisse prænominibus docuit. sic enim in lib. de Nominibus loquitur; Mulieres a nomine gentis vocabantur, & vno tantum nomine; vt Porcia, Cornelia, Iulia, Tullia. Item Plutarchus in Problemat. vbi quęrit, cur maribus nono, feminis octauo die nomina imponerentur, ait; Mulieres vno aut duobus appellabantur nominibus. Ego duobus appellari numquam obseruaui; ni fortasse prænomen illud significare voluit Plutarchus, quod est omnibus mulieribus commune, vt dicerentur *Caiæ*. Hęc ille se obseruasse ait. Ab hac autem obseruatione omnia tum auctorum, tum lapidum etiam veterum testimonia maxime dissentiunt. Scriptorū primum verba recitabo, post lapidum. Valerius ita; Antiquarum mulierum frequenti in vsu prænomina fuerunt, *Rutilla, Cesella, Rodocilla, Mutrulla, Burra*. Ista prænomina a virilibus tracta sunt, *Caia, Lucia, Publia, Numeria*. Festus vero ita; Prænominibus feminas vsas esse, testimonio sunt Cæcilia & Tarratia, quæ ambæ *Caiæ* solitæ sint appellari; pari modo *Lucia* & *Tita*. Varro autem ita; In nostris nominibus, qui sumus in Latio, & liberi, analogia necessaria. itaque ibi apparet analogia, ac dicitur *Terentius* vir, *Terentia* femina, *Terentium* genus. In prænominibus ideo non fit item, quod hæc instituta ad vsum singularia, quibus discerneretur nomina gentilicia; vt a numero, [*Prima*,] *Secunda, Tertia, Quarta*: in viris, vt *Quinctus, Sextus, Decimus*. sic ab aliis rebus, cum essent duo Terentij, aut plures, discernendi caussa, vt aliquid singulare haberent; notabant: forsitan ab eo qui mane natus diceretur, vt is *Manius* esset; qui luci, *Lucius*; qui post patris mortem, *Postumus*. E quibus quædam item cecidisse in feminis, proportione appellata declarant prænomina antiqua mulierum, *Mania, Lucia, Postuma*. Videmus enim Maniam matrem Larum dici; Luciam Volumniam Saliorum carminibus appellari; Postumam a multis post patris mortem etiam nunc appellari. Iccirco autem dixit, Quædam. nam paulo ante dixerat, non quia *Marcus* & *Numerius* dicitur, iccirco *Marcam* & *Numeriam* dici. Postremo Plutarchus in Mario Posidonium reprehendit, qui cum primum nomen proprium esse diceret, nulli tamen mulieri primum nomē esse dicebat. ex quo efficiebatur, mulieres proprio nomine caruisse. Itaq; idem in Quæstionibus aperte scribit, mulieres duobus, viros tribus nominibus esse vsos. sic enim ait; χρῶνται γὰρ δυσὶν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄρρενες. Itaque miror amicum meum, Græcarum litterarum peritum, ita vertisse; *Mulieres vno aut duobus appellabantur nominibus.* Non enim Plutarchus inquit, *vno, aut duobus*, verum expresse *duobus*. Idem præterea auctor est Romulum ex Ersilia filiam vnam suscepisse; eamq; ab ordine procreationis *Primam* appellasse: itemq; Sullæ dictatori filiam ex Valeria esse natam; eandemq;, quia post obitum patris nata erat, *Postumam* esse vocatam.

HÆC ex auctoribus, quibuscum lapidum etiam testimonia consentiunt. Exstant epigrammata duo Mutinæ vetustissima, vnum in turri D. Geminiani, alterum apud eruditissimum virum Ludouicum Casteluetrum; in quibus PRIMÆ mentio est. ea vero sunt hæc;

SALVIA C. F.
PRIMA FECIT.

&

SEX. TVLLIVS SEX. F. V. SIBI ET
SVIS, ET PRIMAE VALERIAE SP. F.

Et in multis epigrammatis antiquæ vrbis; IVLIA SECVNDA, & CORNELIA SECVNDA. Item in eodem libro; TERTIAE PRISCIAE IONIA SALVIA. *Tertiam* item *Iuniam* legimus apud Suetonium in Cæsare, & apud Macrobium libro II, quam *Tertullam* vocat Cicero lib. XIII epistolarum ad Atticum. & Valerius Paullo Æmilio filiam fuisse ait nomine TERTIAM. vnde Paullus apud Ciceronem, O mea Tertia, inquit. De *Quarta* est inscriptio vetus in prætorio Patauino eiusmodi;

V. F.
T. LIVIVS
LIVIAE T. F.
QVARTAE L.
HALYS
CONCORDIALIS
PATAVI
SIBI ET SVIS
OMNIBVS

Et apud Liuium lib. XL, *Quarta Hostilia* memoratur. *Quinctæ* mentio est apud Liuium lib. XXVIII; vt *Quincta Claudia.* Item apud Ciceronem in oratione pro Cœlio, & de aruspicum responsis. præterea epigrammata duo apud Horatiũ Malegutium clarissimũ iuuenem sunt in agro Regiensi eiusmodi;

QVINCTAE NONIAE
RVFAE. ET
NONIAE Q. F. QVINCTVLAE

SEPTIMIVS
Ɔ. L. NICEPOR=
SEPTIMIA
& SP. F. QVINTA

De Lucia exstat etiam tale Mutinæ monumentum in sepulcro marmoreo;

MEMORIAE CLA. FEM.
L. PAEDVCEAE IVLIANAE
MORIB. NATAL. AC PVD. PRISCIS
INLVSTRIBVSQVE FEMI. COMPARANDA.
QVÆ VIXIT ANNOS XIII. D. XLVII.
CVM MARITO FECIT ME. V. D. XX.
L. NONIVS VER.

De Mania tale est in lib. epigrammatum antiquæ vrbis;

M'. ACILIAE M'. F. IVSTINAE
P. SIRIVS SERPICAMVS MARITVS
VXORI OPTIMÆ ET KARISSIMÆ.

Et alio loco;

POPPIDIA SP. F. A. XIIX.
IVLIA PROCLA F. EIVS. V. A. X. M. III.

EST autem PROCVLVS Iuliorum prænomen, vt in Proculo Iulio regnante Romulo: de quo Liuius & Dionysius. In eodem libro est T. FLAVIA AVG. L. multaque eiusmodi alia. Quibus ex omnibus cum illud intelligi arbitror, de quo dicere cœperam, mulieres præter Caiam, alio aliquando prænomine esse vsas; tum illud etiam, quod idem ne fieri quidem vmquam se obseruasse profitetur; prænomina modo præponi, modo postponi consueuisse; siquidem *Primam Valeriam*, & *Saluiam Primam*; ac *Quartam Hostiliam*, & *Liuiam Quartam*; ac *Quintã Noniam*, & *Noniam Quinctulam* scriptas esse, animaduerti potest. Quod idem in viris Liuius etiam fecit, qui *Attius Tullus, Attius Næus; Manlius Cnæus*, & *Octauius Metius*; & Cicero, *Maluginensis M. Scipio*; & Suetonius, *Claudius Appius Regillanus*, & alia eiusmodi dixerunt. CAIAM præterea, quod commune omnibus mulieribus prænomen fuit, Ɔ inuersa notatam fuisse, contraque *Caium* in viris, satis est ex Probo, aliisque veteribus grammaticis, atque lapidibus, perspicuum.

De prænominibus imponendis.

NVNC, quoniam ad rem pertinet, quid de prænominibus imponendis veteres senserint, explicemus. Ac sane qui de tempore tradunt, quo ea imponerentur, auctores habeo nobiles illos quidem, & magnos; verum ita inter se dissidentes, vt, vtram sequaris sententiam, facile statuere nō possis; nisi aliud aliis temporibus obseruatum esse intelligas. Quid est enim tam dissimile, quam ea quæ a Valerio, & a Plutarcho, Festoue scribuntur? quorum ille pueris non priusquam togam virilem sumerēt, puellis non antequam nuberent; hi vero, maribus quidem nono, feminis autem octauo die imponi cōsueuisse prænomina tradūt. Verba Plutarchi sunt hæc in Quæstionib⁹; τῶν μὲν παίδων τοῖς μὲν ἄρρεσιν, ἐνναταίοις· τοῖς δὲ θήλεσιν ὀγδοαίοις τὰ ὀνόματα τίθενται. Festi vero hæc; *Lustrici dies infantium* appellantur, puellarum, octauus; puerorum, nonus; quia his lustrantur, atque eis nomina imponuntur. De ratione autem imponendi satis constat, suis quemque filiis ea prænomina indidisse, quæ suæ essent cuiusque familiæ maxime propria; ac primum quemque filium patris esse prænomine plerumque vsum; eandemque deinceps rationem in adoptiuis filiis, & libertis, & nouis ciuibus, esse seruatam; vt, a quo quisque adoptatus esset, aut per quem quisque vel libertatem vel ciuitatem cōsequutus esset, eius maxime nomina vsurparet. Ac primum quidem quod dixi, suæ quemque familiæ propria prænomina imposuisse, intelligendum est, non omnia omnibus familiis prænomina fuisse communia, sed alia aliis fuisse familiaria. APPIVS enim vix in alia quam in Claudia gēte patricia reperitur. MARCO ne quis vteretur, decreto gentis Manliæ patriciæ cautum esse; LVCIVM a Claudiis repudiatum; CNAEVM & LVCIVM a Domitiis Ahenobarbis tantum fuisse probatos, Suetonius in Tiberio & in Nerone tradit. Quod autem plerumque primus quisque filius prænomē patris tulerit, id ex familiis iis quas in Scholiis Liuianis digessimus, animaduerti potest. Fuisse autem quandam distinguendi rationem, si eodem pater & filius prænomine prædíti eodem tempore floruissent, hinc intelligi licet, quod Cicero Q. Q. Catulos modo patre, modo filio, modo sene, modo adolescēte distinguit. quod idē de Q. Q. Fabiis Liuius, de C. C. Curionibus Suetonius. Neque vero de adoptiuorum appellatione multa mihi esse dicēda existimo, cum a multis iam res sit ex veterum annalium obseruatione tractata. Illud tamen dicam, Dionem lib. XL, & XLVI, huius auctorem sententiæ esse; qui adoptarentur ab aliquo, eos nomina illorum omnia, a quibus adoptarentur, ferre cōsueuisse; suum vero gentilicium nomē retinuisse illud quidem, sed aliquo tamen modo commutasse: vt, *C. Octauius* qui dicebatur, posteaquam a C. Iulio Cæsare est adoptatus, *C. Iulius Cæsar* appellari cœptus est; ita tamen vt gentilicium Octauij nomen non desereret, sed id quodammodo commutaret, & *Octauianum* pro *Octauio* redderet. Idem in *P. Cornelio Scipione Aemiliano*, & in *L. Manlio Acidino Fuluiano*, & in *P. Licinio Crasso Muciano* factum est: qui omnes ab eo a quo adoptati erant, nomina sumpserunt. Eodem spectans Cicero lib. epist. ad Att. III dixit; Cicero salutem Q. Cæcilio *Pomponiano Attico*. Eodem etiam referūtur ea quæ ab eo scripta sunt lib. VII; Dolabellam video Liuiæ testamento cum duobus coheredibus esse in triente; sed iuberi *mutare nomen*. Quod autē scribit Dio, id etiamsi verum est, nō ab omnibus tamen vbique retentum est. Neque enim Aurelius Orestes, qui a Cn. Aufidio; nec Calpurnius Piso, qui a M. Pupio (vt scribit pro domo Cicero) adoptati fuerunt, aut *Aurelianus*, aut *Calpurnianus* appellati sunt; sed ille, Cn. Aufidius *Orestes*; hic, M. Pupius *Piso* nominatus est. Eadem etiam ratione ne P. quidem Cornelius Scipio, qui, Dione auctore, a Q. Metello Pio; nec M. Iunius Brutus, qui, teste Plutarcho, a Q. Seruilio Cæpione sunt adoptati, aut *Cornelianus*, aut *Iunianus*; sed ille, Q. Cæcilius Metellus Pius *Scipio*; hic, Q. Seruilius Cæpio *Brutus* est appellatus; vt Dio lib. XL, Cicero in Philippicis, nummi argentei testantur; in quibus nummis est ita;

Q. METELLVS PIVS
SCIPIO

Q. CAEPIO BRVTVS
PRO COS.

Metellus autem hic Scipio, P. Cornelij Scipionis Nasicæ filius naturalis fuerat, teste Dione; qui ita ait lib. XL; ὁ Πομπήϊος Κύϊντον Σκιπίωνα, πενθερόν οἱ ὄντα, προσείλετο. οὗτος γὰρ γόνῳ μὲν υἱὸς τοῦ Νασικοῦ ὤν, ἐκ δὲ τοῦ κλήρου διαδοχῆς ἐς τὸ τοῦ Μετέλλου τοῦ εὐσεβοῦς γένος ποιηθείς. id est, *Pompeius Q. Scipionem socerum sibi collegam asciuit; qui naturalis filius fuit Nasicæ ille quidem, at adoptatus a Q. Me-*

tello Pio. Quod cum ita ſit, neſcio quid in mentem amico meo venerit ſcribere in libro de nominibus ita; Cicero lib.epiſt.ad Att. VI; Scipionem hic Metellus, proauum ſuum, neſcit cenſorem non fuiſſe. Significat Scipionem Aſiatici illius filiũ, qui adoptatus fuit a Q.Metello Pio. Cur mirer, hæc cauſſa eſt. nemo enim Aſiatici filium fuiſſe Scipionem hunc ſcribit; niſi quem hic ſequitur Dionis interpres. Neq; vero omnino hic Scipio Metellus Aſiatici filius eſſe potuit, ſed Naſicæ. primum quia hic idem P. Cornelius Scipio apud Eutropium, & Eutropij Græcum interpretem Pæanium, nominatur. & P.Scipio in Epitomis, & apud Ciceronem pro domo dicitur, cum ait; Atqui C. Atinius patrum memoria bona Q.Metelli; qui eum ex ſenatu cenſor eiecerat, aui tui Q.Metelle, & tui P.Seruili, & proaui tui P.Scipio. Aſiatici vero, Lucij prænomen tulerunt. deinde quod in Bruto auum huius vocat P. Scipionem Naſicam oratorem; proauum P.Scipionem Naſicam Serapionem, oratoris patrem; abauum vero P.Scipionem Naſicam Corculum, Serapionis patrem. quæ cum in Aſiatici filium cadere nullo modo poſſint, in Naſicæ certe maxime cadunt; hoc modo;

I	P.Scipio Naſica Corculũ; cos. 591, 598; abauus Scipionis Metelli.	I	C. Lælius; cos. 613; abauus Scipionis Metelli.
II	P.Scipio Naſica Serapio cos. 615; proauus Metelli Scipionis.	II	Lælia filia, vxor Q. Mucij Scæuolæ Aug. cos. 636, proaui Scipionis Metelli.
III	P.Scipio Naſica Orator; auus Scipionis Metelli; cos. 642. vxor Cæcilia Macedonici filia.	III	Mucia filia, vxor L. Licinij Craſſi oratoris, cos. 658, aui Scipionis Metelli.
IIII	P.Scipio Naſica; pater Metelli Scipionis	IIII	Licinia filia, vxor P.Scipionis Naſicæ, patris Metelli Scipionis.
V	P.Scipio Naſica; qui adoptatus a Q.Metello Pio, Q.Metellus Pius Scipio dictus eſt; cos. 701.	V	P. Scipio Naſica, qui adoptatus a Q.Metello Pio, Q. Metellus Pius Scipio dictus eſt; cos. 701.

DESCRIPSI autem etiam maternos Metelli auos ex Ciceronis ſententia in Bruto; ne quis eundem de maternis, non de paternis intellexiſſe ſuſpicari poſſet, atque ita rem (quod fieri ne hoc quidem pacto poteſt) ad Aſiaticos traheret. Hæc autem cõmutandorum ex adoptione nominum ratio, cum in aliis, tum maxime in M.Licinio Lucullo C.Caſſij in conſulatu collega, Ciceronis interpretes decepit, qui cum in Verrem M.Terentium, C.Caſſium cos. ac *legem Terentiam & Caſſiam* nominaret, mendum eſſe in Terentio, & Licinium reponendum eſſe duxerunt. quod profecto non feciſſent, ſi adoptionem ſubeſſe intellexiſſent: quod ex fragmento illius cõſulatus Capitolino colligitur, in quo ita eſt; M.TERENTIVS M. F. VARR. LVCVLLVS. C. CASSIVS. Ita etiam alibi; A.TERENTIVS VARRO MVRENA. neque enim *Murena* Terentiorum, ſed Liciniorum, vt *Lucullus* cognomen fuit.

TRANSEAMVS ad Seruos. Non eſt autem dubium quin, quemadmodum cum ſeruitutem ſeruiebant, prænomen domini ſequebantur, ita vt *Lucipores, Marcipores, Publipores, Quinctipores*; quaſi Lucij, Marci, Publij, & Quincti pueri dicerentur; vt a Plinio & Quinctiliano ſcriptum eſt: ita etiam in libertatem vindicati, patroni, a quo manumiſſi eſſent, nomina vſurpauerint. nam præterquam quod exemplo ſunt M. Tullij Ciceronis liberti duo; quorũ alter *M. Tullius Tiro*, alter *M. Tullius Laurea* dictus eſt; & *Liuius Andronicus* poeta, quem a M.Liuio Salinatore, cuius filios erudierat, libertate donatum ſcribit Euſebius in Chronicis: id etiam ex verbis Ciceronis ad Att. lib. IIII, & Artemidori lib. primo effici poteſt. Cicero enim de Eutychide ſeruo Attici

manumiſſo

manumiſſo ita loquitur; De Eutychide gratum; qui vetere prænomine, nouo nomine, *T.* erit *Cæcilius*, vt ex me & ex te iunctus *M. Pomponius*. Artemidorus autem de ſerui cuiuſdam ſomnio ita: Cognoui, inquit, quendam, qui cum ſibi videretur tria pudenda habere, ex ſeruitute in libertatem vindicatus, pro vno nomine tria accepit, duobus nominibus ab eo a quo manumiſſus fuerat, ſumptis. Iam vero eos qui in ciuitatem ſuſcepti eſſent, illorum potiſſimum nomina tuliſſe, quorum beneficio ciuitatem impetraſſent, Latinorum ſcriptorum exempla oſtendunt. nam & Cicero ad Acilium ita ſcribit; Cum Demetrio Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt. ei Dolabella rogatu meo ciuitatem impetrauit: qua in re ego interfui. itaque nunc *P. Cornelius* vocatur. itemque in Verrem; *Q. Lutatius Diodorus*, beneficio Q. Catuli a Sulla ciuis Romanus factus. eademque ratione de Dione; qui beneficio Q. Metelli ciuis factus, *Q. Cæcilius Dio* eſt appellatus. Et Cæſar lib. primo de bello Gallico, ita; Commodiſſimũ viſum eſt, M. Valerium Procillum, C. Valerij Caburi filium, cuius pater a C. Valerio Flacco ciuitate donatus erat, mittere.

Cur Gentilicia nomina in IVS *deſinant, & quid gens ſit, quidque a familia differat*, CAP. IIII.

His rebus expoſitis, reliquum eſt vt de nominibus gentiliciis agamus. de quibus amicus meus ſic ſcripſit; Sciendum omnia nomina, quibus familiæ ſignificãtur, proferri in IVS; vt Porcius, Cornelius, Iulius. recte ille quidem; ſed parum ad rem tantam. Illud enim docti hominis, & Romanæ antiquitatis periti erat, cauſſam oſtendere, eamque veterum vſu & auctoritate probare. quam ipſe, ſi potero, exponam. Credo enim eos ita factitaſſe, vt gentis originem eiuſmodi deriuatione ſignificarent; vt quẽadmodum in voce deriuatio verbi, ſic gentis etiam, quæ voce illa exprimeretur, principium in voce appareret. Siquidem antiquiſſimam quamque gentem aut a viro, aut a loco, tamquam a fonte aliquo manaſſe, & nomen accepiſſe, perſpicuum eſt: ita quidem; vt hæc deriuationis ſignificatio in omnibus ſtudioſiſſime conſeruata ſit. Hanc autem conſuetudinem ſi in paucis quibuſdam gentibus, & antequam vrbs conderetur, & poſtquam condita eſt, ſub regibus conſulibuſque diligentiſſime retentam eſſe oſtendero, tum neminem fore puto, qui contradicat. Age enim cur Iuliam gentem credimus, aut Æmiliam, aut Atiam, aut Nautiam, hanc eiuſmodi terminationẽ adeo religioſe ſeruaſſe; niſi vt appareret in voce quod in re exſiſtit, ab aliquo ipſas initio deriuaſſe? eſt autem ita. Nam *Iulia* gens, Iulum, Æneæ; *Aemilia*, Æmilium, Iuli filium; *Atia*, Atim; *Nautia*, Nautem Troianos viros ſui generis auctores nuncupant. At vero condita vrbe, nonne id etiam obſeruatum eſt? Scribit enim Plutarchus, Numam regem filios quatuor reliquiſſe, Pomponem, Calpum, Pinum, & Mamercum; ab iiſque *Pomponiam, Calpurniam, Pinariam, & Mamerciam* gentes Romæ propagatas. L. autem Tarquinium Priſcum ſcribit Dionyſius Damarati Corinthij fuiſſe filiũ; & cum Tarquiniis viueret, *Lucumonem* Etruſco prænomine fuiſſe vocatum; vbi vero Romam commigrauit, ad morem Romanum ſibi nomina compoſuiſſe: itaque communi nomine ſe pro Lucumone *Lucium*; gentilicio vero, a Tarquiniis vrbe, non ſe Tarquiniẽſem, ſed *Tarquinium* appellari voluiſſe. Idem fecit Ap. Claudius, qui ex Regillo Sabinorum oppido, poſt reges exactos anno ſexto, ſe cum clientibus Romã contulit. Etenim cum *Clauſus* ante diceretur, non iam amplius Clauſum, ſed *Clauſium*, poſt *Claudium* dici ſe, vbi Romæ domicilium collocauit, oportere exiſtimauit. Itaque ab eo ceteri omnes Romæ Claudij nominati ſunt. Id autem ita eſſe, ex eo etiam intelligi poteſt, quod ait Priſcianus lib. II, nomina hæc in IVS apud Romanos idem valere, quod apud Græcos *patronymica*. verba eius ſunt hæc; Nominum deriuatorum multa genera ſunt. quorum Patronymicum id eſt, quod a propriis tantummodo patrum nominibus deriuatur ſecundum formam græcam; quod ſignificat cum genitiuo primitiui filios vel nepotes; vt *Aeacides*, Æaci filius, vel nepos. pro quo Romani nominibus familiarum vtuntur, vt Cornelij. omnes enim ab illo qui primus Cornelius appellatus eſt, hoc nomen habuerunt, quicumque eiuſdem familiæ ſunt; ſicut omnes minores Theſei, *Theſidas* Græci appellarunt. Hæc ille. Idem autem ſentit etiam Dionyſius,

qui in Tarquinio Prisco hæc nomina συγγενικὰ & πατρωνυμικὰ vocat. Neque vero dubium est quin hæc tota ratio terminandi vsque ad reipubl. interitum incorrupta peruenerit. Nam etsi nonnullos quasi gentilicij nominis expertes esse reperimus, vt *M. Perpernam*, & *C. Norbanum* consulares; quos ita & in libris & in Capitolinis marmoribus nominari videmus; id tamen contigisse videtur, aut quod ij cognomine magis quam nomine delectati sunt, vt *M. Agrippa*, cuius gentilicium nomen in omnibus lapidibus omissum est, cum tamē ex Vipsaniorum eum gente fuisse Nepos & Dio tradiderint: aut certe quod ea nobis ignota sunt. Quæcumque autem caussa sit, non est quod exiguus horum numerus tam religiosam tot aliorum consuetudinem impediat; præsertim vero amico meo summo viro auctore, qui ita habere omnia sine vlla exceptione asseuerauit. Quid autem sit gens, vnde ipsa omnia gentilicia dicta sunt, ac quid a familia differat, nunc dicamus. Inter gentem & familiam illud interest, quod GENS ad nomen, FAMILIA ad cognomen refertur. Itaque illa, tamquam totum continere videtur; hæc, quodammodo partem. exempli gratia; Valerij omnes vnius esse gentis dicuntur, quia vno nomine continentur omnes: at vero partes gentis huius sunt plures, quæ ex cognominum varietate distinctæ sunt; eæque familiæ nominantur; vt in gente Valeria Maximi, Messallæ, Flacci, Læuini, Faltones: in Cornelia, Scipiones, Lentuli, Dolabellæ, Sullæ, Cinnæ: in Æmilia, Mamercini, Lepidi, Paulli, Scauri, Barbulæ. itemque in ceteris. at vero Valerij omnes vnius sunt gentis; itemque Cornelij atque Æmilij. Itaque recte Festus gentem definit eam, quæ ex multis familiis conficeretur. Quod autem interest inter gentem & familiam, idem interest inter *Genus* & *Stirpem*. Quæ quidem ita esse, ex his veterum historiarum verbis intelligitur. Suetonius in Galba; Imagines vniuersi generis exsequi, longum est; familiæ, breuiter attingam. Qui primus Sulpiciorum cognomen Galbæ tulit, cur aut vnde traxerit, ambigitur. Et Liuius lib. XXXVIII; P. Scipio Nasica orationem habuit plenam veris decoribus, non cōmuniter Corneliæ gentis, sed proprie familiæ suæ. Et apud Suetonium Cæsar; Ab Anco Marcio sunt Marcij Reges; quo nomine fuit mater: a Venere, Iulij; cuius gentis familia est nostra. Et in Augusto; Gens Octauia, a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta, mox a Ser. Tullio inter patricias trāsducta. primus ex hac magistratum cepit C. Rufus. is quæstorius Cnæum & Caium procreauit: a quibus duplex Octauiorum familia defluxit, conditione diuersa. Et Cicero in Bruto; Funebres orationes ipsæ familiæ quasi ornamenta seruabant ad vsum, si quis eiusdem generis occidisset. Et Liuius lib. nono; Duodecim Potitiorum familias fuisse, cum gens Potitia tota interiit. & lib. primo; Iulia gens, Iulum auctorem sui nominis nuncupat. & lib. septimo sic loquitur Valerius Coruus; Non si mihi nouum hoc Corui cognomen diis auctoribus homines dedistis, Poplicolarum vetustum nostræ familiæ cognomen memoria excessit. & lib. XL; Inde cognomen familiæ inditum, vt *Annales* appellarentur. Et Catullus; non decet tam vetus sine liberis nomen esse; id est, tam veterem gentem, qualis erat Manlia. Hæc de gente, familia & genere. nunc de stirpe dicam. Cic. pro Rabirio; Qua in familia laus aliqua forte floruerit, hanc fere qui sunt eius stirpis, cupidissime persequuntur. & primo de legibus; Hic orti stirpe antiquissima sumus. & in Lælio; Qui aliquandiu propter ignorantiam stirpis & generis, in famulatu fuerunt. & lib. primo de oratore; Quid? qua de re inter Marcellos & Claudios patricios centumuiri iudicarunt? cum Marcelli a liberti filio stirpe; Claudij patricij, eiusdem hominis hereditatem gente ad se rediisse dicerent; nonne in ea caussa fuit de toto stirpis & gentilitatis iure dicēdum? Et Suetonius in Claudio; Claudius Cn. Pompeio antiquissimæ stirpis Magni cognomen ademit. Quæ autem ratio est inter gentem & familiam, eadem est inter gentiles & agnatos. vt enim familia aut stirps nos propius attingit quam gens aut genus, sic agnati, quam gentiles. siquidem *Gentilis* auctore Festo dicitur, qui eodem ex genere natus, & is qui simili nomine appellatur. recte. quatenus enim ait, *Ex eodem genere*, eos intelligit, qui eiusdem gentis eundem principem habēt: quatenus, *Simili nomine*, eos qui, quamquam vno gentis nomine omnes vtuntur, tamen alium atque alium auctorem sui generis nuncupant. quomodo Cicero in prima Tusculana, se gentilem esse ait Ser. Tullij regis; quod vterque simili gentilicio nomine vteretur; cum tamen e diuerso vterque fonte manaret. Cum autem ad Herenniū

ſcriptum ſit;Si furioſus exſiſtat,agnatorum gentiliumque in eo,pecuniaque eius, ius eſto: Item; Si paterfamilias inteſtato moritur,familia pecuniaque eius,agnatorum gē-tiliumque eſto:*agnati* profecto videntur eſſe,qui ex eadem familia ſint; quibus deficientibus,gentiles ſubeant.Nam Cicero dixit primo de oratore; Iura gentilitatum & agnationum:item;Ius gentilitatis & ſtirpis:& de legibus primo; Homines, Deorum agnatione & gente tenentur:cum vtramque coniunctionem complecti vellet. Amicus autem meus in ſuo libro de nominibus,gentem & familiam, gentiles & agnatos, idem eſſe cenſet,cum ait; Agnomen,familiæ eſt appellatio, & gentis: vnde Agnati & Gentiles dicebantur,qui ex eadem erant familia; vt Cicero in Topicis ait; & idem in Bruto Ser. Tullium regem gentilem ſuum ea de cauſſa nominat. Mea autem ſententia,Ciceronis ſententiam percepiſſe non videtur, qui in Topicis gentiles eos definit, qui inter ſe eodem nomine ſunt;id eſt,ex eadem gente; vt infra alio loco oſtēdam: familiæ vero aut agnatorum non meminit. Eſt præterea intelligendum,Plinium gentiles nouo quodam modo appellare. ſiquidē ſeruos gentiles eſſe dominorum ait; quia eodem prænomine appellarentur quo dominus; vt Marcipor, Quinctipor; id eſt, Marci & Quincti puer.

De Romanarum gentium origine.

DVOS autem populos ſeminarium gentium Romanarum fuiſſe reperio; Aborigines,& Troianos;qui ambo ab Ænea(vt Liuius & Dionyſius tradunt)communi nomine *Latini* ſunt appellati. *Aborigines* autem,qui ante aduentum Æneæ,Latium,regnante Latino,tenebant,docet Dionyſius ex Græcis in Italiam venientibus eſſe conflatos. Græcos autem hos nominat; Oenotrum; ex Arcadia; Pelaſgos; ex Theſſalia; Euandrum,item ex Arcadia;Herculem,ex Peloponneſo profectum. Atque etiam iidem ſcribunt,Romulum,ſuperante Latinorum Albanorumque multitudine, vrbē in Palatio condidiſſe. Quæ cum ita ſint,iam id dubium eſſe non poteſt,quin ad hos populos alij etiam plurimi acceſſerint,qui Romanam vrbem gētibus repleuerint. ſiquidem accepimus Romulum Cæninenſes, Antemnates, Camerinos, Veientes, Fidenates,quos bello deuicerat;Sabinos vero etiam,quibuſcum æquo marte pugnauerat, in ſocietatem nouæ vrbis vocaſſe. Quinetiam multas Etruſcorum vrbes ſe ad eum recepiſſe,initio a Medullia facto,traditum eſt. Hoc autem Romuli inſtitutū reliqui deinceps reges ſtudioſiſſime ſibi conſeruandum eſſe duxerunt; vt finitimas ciuitates aut vi,aut beneuolentia ſibi adiungerent,Romamque transferrent. Itaque Tullus Hoſtilius,euerſa Alba,familias eius vrbis Romam traduxit: Ancus Lucumonem Etruſcum in ſenatum aſciuit: Priſcus Ser. Tullium Corniculanum ſibi etiam generum adiūxit. Idem poſt quoque factū eſt,liberata regio dominatu rep. Neq; enim vnquam deſitum eſt ciuitatem victis populis & gentibus dari, Italiamque ipſam municipiis deuinciri,quouſque bello Marſico vniuerſa fere Italia ciuitate donata eſt. Quo tēpore multi etiam ne Italicæ quidem gentis,virtutis ergò in ciuitatem ſuſcipi cœpti ſunt. Quoniam autem difficile,immo vero difficillimum eſt, omnium gentium originem inuenire, paucarum tantum quarundam fontes & initia indicabo: ex quibus intelligi poterit,idem etiam in reliquis factum eſſe. neque enim vllam aliam hiſtoriæ Rom. partem,tam & a veteribus,& ab iis qui nunc ſunt, neglectam eſſe comperi, quam quæ hanc quæſtionem continet.

HVIVS autem tractationis hos quaſi fontes conſtituo, vt alias gentes a nominibus Aboriginum,vel Troianorum,vel aliorum eiuſmodi populorum; alias a prænominibus,nominibus,& cognominibus; alias a locis, vrbibus, & populis; alias a quadrupedibus;alias a re alia dictas eſſe affirmem.

Gentes ab Aboriginibus & Troianis ortæ.

AC VITELLIOS quidē Fauno Aboriginum rege,& Vitellia,quæ multis locis pro numine colebatur, ortos tradit Suetonius in Vitellio.

FABII, a Fabio Herculis filio orti. Plutarchus in Fabio. Vnde Iuuenalis; *Natus in Herculeo Fabius lare.*

ANTONII, ab Antone Herculis filio. Plutarchus in Antonio.

POTITIAM gentem antiquiorem

origine vrbis nominat Liuius; a Potitio illo ſene, qui ad tempus affuit epulis. Seruius.

MAMILII, a Mamilia Telegoni filia. Liuius, Dionyſius, Feſtus.

Multas præterea gentes Romanas a Troianis fluxiſſe credidit antiquitas. Itaque Seruius in V Æneidos ſcribit, Varronem librū reliquiſſe de familiis Troianis, id eſt, quæ genus trahebant a Troianis; & Iuuenalem icci rco *Troiugenas* appellare nobiles Romanos, quaſi e Troianis genitos. Inter ceteras autem hæ fuerunt:

IVLIA, a Iulo Æneæ filio. Liuius, Dionyſius, Suetonius, Virgilius. Itaque Proculum Iulium Romuli tēpore IVLI Aſcanij progeniem vocat Dionyſius; & ipſi IVLII cognomen etiam tulerunt IVLI. Albana fuit.

AIMILIA, ab Æmilo Aſcanij Troiani filio; vt ait Feſtus. cui rei forte alluſit Virgilius, cum dixit;

Progeniem ſed enim Troiano a ſanguine duci
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces:
Hinc populum late regem, belloque ſuperbū,
Venturum excidio Libyæ. Etenim progeniem Æneæ & Iuli, vocare videtur Scipionem Paulli Æmilij filium, qui Imp. Carthaginem excidit: Populum autem, legiones Romanas, quæ ab iiſdem etiam genus trahebant. alioquin ſi progeniem & populum idem dicat, ſuperuacanea iteratio videatur. Nihil tamen contra veteres affirmo. alij iudicabūt. Plutarchus autem Æmilios a filio quodam Pythagoræ Mamerco dictos ait, qui ſummo lepore præditus fuerit, quæ Græce αἱμυλία dicitur. itidemque etiam Feſtus.

ATII, ab Ati. Vergilius; *Atis; genus vnde Atij duxere Latini.* Quod Auguſti cauſſa dictum ſcribit Seruius; qui ex Atia matre natus eſt.

NAVTII, a Naute Æneæ comite. Dionyſius, Vergilius & Seruius in II Æneid. Cum Diomedes raptum Palladium ſibi non eſſe aptum intelligeret, illud Æneæ tranſeunti obtulit. ſed cum ſe ille capite velato ſacrificans conuertiſſet, Nautes quidam ſimulacrum accepit. quare Mineruæ ſacra non Iulia gens habuit, ſed Nautia. Idem ſcribit Varro in lib. de familiis Troianis.

CLOELII, a comite Æneæ, eius nominis. Dionyſius.

IVNII, a comite Æneæ, eius nominis. Dionyſius.

SERGII, a Sergeſto comite Æneæ. Vergilius libro V; *domus a quo Sergia nomen.*

MEMMII, a Mneſtheo comite Æneæ. Vergilius in V, *genus a quo nomine Memmi.*

CLVENTII, a Cloantho comite Æneæ. Vergil. in V; *genus vnde tibi Romane Cluenti.*

GEGANII, a Gia comite Æneæ; vt ait Seruius in V Æneidos.

CAECILII, a Cæcade comite Æneæ. alij a Cæculo, qui condidit Præneſte. Feſtus.

Ab Italis.

COELII, a Cœle Vibenna Etruſco; qui ſe Romam, regnante Romulo, contulit. Dionyſius, Feſtus, Tacitus, Varro.

POMPONII, a Pompone, Numæ regis filio. Plutarchus.

CALPVRNII, a Calpo Numæ filio. Plutarchus, Feſtus.

PINARII, a Pino Numæ filio. Plutarchus. Seruius a quodam ſene, qui, quia ad tempus ad dapes non venit, PINARIVS dictus ἀπὸ τῆς πείνης, id eſt a fame. Fortaſſe Pinaria gens duplex fuit.

CLAVDII, a Clauſo Sabino. Liuius.

VALERII, a Valeſo Sabino. Dionyſius. Itaque *Valeſii* primum, poſt *Valerij* dicti. Feſtus. Boni autem ominis cauſſa, in delectu cenſuue, primi nominabantur Valerius, Saluius, Statorius.

A prænominibus, nominibus & cognominibus.

QVAE adhuc expoſita ſunt, ea locupletiſſimorum monumentorum auctoritate probata ſunt. quæ vero infra dicentur, veriſimilibus potius quam veris argumentis nituntur. vera autem eſſe nego, quæ veterum annalium fide carent. A prænominibus autem, & nominibus, & cognominibus, gentes multæ manaſſe videntur.

VT autem prætermittam ea prænomina quæ integra pro nomine gentilicio vſurpata videntur, vt Metius, Numerius, Appius, Statius; vt *P. Metius* in epiſtola ad Marium; & *L. Mettius*, & *Q. Mettius*,

tius, & *P. Mettius*; quæ se in veteribus lapidibus Romæ legisse Pierius scripta profitetur; quamquam duobus TT: vt *Cn. Numerius* in lapide vetusto, qui est Venetiis in turri diui Vitalis: *M. Appius*, cuius lapidem citat in Brutum Sebastianus Corradus: *T. Statius*, apud Liuium tribunus plebis; & *P. Statius* in antiquis lapidibus vrbis antiquæ: vt hæc inquam, omittã, quæ aliquam fortasse quæstionẽ habere possint; at AVLII certe ab AVLO descendisse videntur. vnde Q. Aulius Cerretanus, Liuius, lapides Capitolini.

CAESONII, a Cæsone.

CNAEI, a Cnæo: vt de petit. consul. Ex equestri ordine Pompilios & Cnæios.

DECIMII, a Decimo.

HOSTII, ab Hosto. Vnde epigramma antiq. vrbis; P. HOSTIO P. F. SEVERO. & Plutarchus in Romulo; L. Hostius.

LVCILII, a Lucio, seu demin. Lucillo.

MANILII, a Manio.

MARCII, a Marco, vel a Mamerco, vt ait Plutarchus in Numa. etenim vbi ait, a Mamerco Mamercios Reges; lego ipse, *Marcios reges*.

LARTII, a Larte. quamquam Græce λάρκιοι scribitur.

POSTVMII, a Postumo.

PROCVLEII, a Proculo.

PVBLILII, a Publio.

SPVRILII, a Spurio.

SERVILII, a Seruio.

SEXTII, a Sexto.

QVINCTII, a Quincto.

TITII, a Tito.

VIBII, a Vibo. vnde C. Vibius Pansa.

VOLVSII, a Voluso.

TVLLII, a Tullo.

ANCII, ab Anco. vnde Sp. Ancius legatus, Fidenis interfectus. & Sp. Ancius Briso; de quo in Bruto Cicero.

PETRONII, a Petrone.

METILII, a Metio.

ARRVNTII, ab Arrunte.

NVMITORII, a Numitore.

SERTORII, a Sertore.

STATILII, a Statio.

Hæ a prænominibus; a nominib. vero hæ.

SEXTILII, a Sextiis.

QVINCTILII, a Quinctiis.

ATILII, ab Atiis.

PORCILII, a Porciis.

HOSTILII, ab Hostiis.

A cognominibus vero hæ:

RVTILII, a Rutilo.

VARII, a Varo.

PLAVTII, a Plauto.

FVLVII, a Fuluo.

VENNONII, a Vennone.

ALBII, ab Albo. Varro.

ALBINII, ab Albino.

LICINII, a Licino.

SILII, a Silo.

GEMINII, a Gemino.

GALLII, a Gallo.

FLAVII, a Flauo.

PLANCII, a Planco.

CATII, a Cato.

VATINII, a Vatia.

FICTORII, a Fictore. vnde Q. Fictorius; de quo Liuius.

CORDII, a Cordo. vnde M'. Cordius, in nummis argenteis.

PAPII, a Papo. vnde *lex Papia* a Papio lata; vt Cicero de offic. ait; (Papia autem gens fuit, quæ *Mutili* cognomen tulit; Appiano & lap. Capitol. auctoribus) non a Q. Æmilio Papo, vt amicus meus tradit in lib. de nominibus. neque enim leges a cognomine appellantur, vt in IVS desinant; sed, si id forte fiat, in ANVS; vt Gracchanæ leges, at non Gracchiæ; & Cæsarianæ fortasse, non Cæsariæ: a nomine vero semper, vt Semproniæ & Iuliæ. Vnde Cicero in Philipp. prima; Quære acta Gracchi, Semproniæ leges proferentur: quære Sullæ, Corneliæ. Idem etiam improbat lectionem illam in Lælio; Videmus Papum Æmilium C. Luscino familiarem fuisse. improbat autem, quod cognomen nomini numquam præponatur. quasi vero Liuius non sæpe dixerit Macer Licinius, Antias Valerius, Cursor Papirius; & Cicero, Vetus Antistius; & Cœlius, Balbus Cornelius; & alij, Paullus Æmilius, & Crispus Salustius.

FVRII, qui ante Fusij, a Fuso; quod etiã cognomen tulerunt.

VALERII, qui olim VALESII, a Valeso gentis auctore. Itaque cognomen etiam tulerunt Volusi.

Ab vrbibus & populis.

TARQVINII, a Tarquinis vrbe Etruriæ. Dionysius.

GABINII, a Gabinis item dicti videntur.

COMINII, ab Cominis Italiæ po-

pulis. de quibus Plinius.

VOLSCII, a Volſcis. vnde M. VOLSCIVS Fictor; de quo Liuius.

VATINII, a Vatinis priſcis Latinorũ populis, quorum oppidum Vatia.

A quadrupedibus.

A quadrupedibus etiam multas gentes nuncupatas eſſe, idoneos teſtes habemus Plutarchum & Varronem. Plutarchus in Poplicola ita; Quia pecudibus omnia bona conſtabant, iccirco filiis ſuis eiuſmodi nomina impoſuerunt; vt Porcios. & Varro lib. II de re ruſt. Nomina multa habemus ab vtroque pecore; a minore, PORCIVS, OVINIVS, CAPRILIVS; a maiore, EQVITIVS. Eadem etiam ratione nos & ASINIOS & SVILLIOS adiungere poſſumus.

A miniſterio aliquo.

FLAMINII dicti, quod flamini Diali miniſtrarent. Feſtus.

PONTIFICII forte dicti, quod Pontificibus miniſtrarent. ex quibus fuit Ti. Pontificius tribunus plebis; de quo Dionyſius & Liuius.

A voce aliqua.

TERENTII, a tereno, voce Sabina dicti, quæ molle ſignificat; Varrone teſte, vt ait Macrobius. quod ſi ita eſt, ergo & multi alij eodem modo; vt

AVRELII, qui ante AVSELII; quod iis publice locus datus ſit, vbi ſoli ſacrificiũ facerent. Feſtus.

ATRICII, ab atro. Varro.

PVBLICII, a publico.

POPILLII, a popillo.

HIRTII, ab hirto.

IVVENTII, a iuuenta.

SALVII, a ſaluo; vnde boni ominis cauſſa primus Saluius in cenſu & delectu nominabatur. Feſtus.

SEPTII, a numero ſeptem.

SEPTIMII, a ſeptimo.

OCTAVII, ab octauo.

NOVII, a nouem.

NONII, a nono.

DECII, a decem.

DECIMII, a decimo.

Quemadmodum vſus Cognominum & Agnominum ſit inuentus, CAP. V.

CVR autem duobus nominibus Romani homines, non contenti prænomine & nomine, tertium etiam & quartum adiunxerint, quod cognomen vocarint, magna exſiſtere quæſtio poteſt. Ac mihi quidem videtur, eos primum, vt qui idem prænomen nomenque ferebant, nota aliqua internoſcerent, hanc tertij nominis rationem excogitaſſe; poſt autem, cum cognominum vſus increbuiſſet, eoſdem etiam ſine eiuſmodi cauſſa cognomina indidiſſe. Hac ratione L. Tarquinium Priſcum, & L. Tarquinium Superbum, cum & prænomine & nomine conuenirent, inquit Dionyſius, Priſcum illum, quod natu maior; hunc Superbum, quod contumacior eſſet, eſſe vocatum. Valuit autem in primis hic cognominum vſus ad confuſam ipſarum (vt oſtendi) gentium turbam diſtinguẽdam. Quod exempli cauſſa in gente Cornelia perſpici poteſt; quæ cognominum varietate in multas familias diffuſa eſt; Maluginenſes, atque inde Coſſos, Scipiones, Lentulos, Merulas, Cinnas, Sullas, Dolabellas. Iterumque cum familia Maluginenſium creuiſſet, quartis nominibus eſt in alias etiã familias diſtributa: ita vt alij Maluginenſes Coſſi, alij Maluginenſes Scipiones, alij Maluginenſes Lentuli; itemq; Scipiones, alij Africani, alij Aſiatici, alij Naſicæ dicerentur. neque enim probo amici emendationẽ ab eo traditam libro ſecundo annotationũ, cap. XIII, his verbis; Verba Ciceronis ſunt libro ſecundo de orat. vbi agitur de ſalibus: Eſt autẽ ex hoc genere vetus illud, quod aiunt Maluginenſem illum M. Scipionẽ, cum ex centuria ſua renuntiaret Acidinum conſulem, præcoque dixiſſet, &c. Sed multum etiam me torquet quiddam in his nominibus, M. SCIPIONEM MALVGIN. Nam nuſquam inuenio Scipionẽ tamquam familiæ nomen poni, ſed pro cognomine. Scio equidem per librariorũ errorem ſæpe SCIPIONEM legi pro CAEPIONEM. quare crediderim hoc etiam loco non Scipionem, ſed Cæpionem legi debere. Ratio qua impellor, eſt hæc. Scio Q. Seruilium Maluginenſem ſæpe a Liuio nominari in libris primæ decados, quo tẽpore Romæ creabãtur tribuni militares. Scio quoq; Seruilios cognomen habuiſſe Cæpionũ, vt facile poſſim affirmare hic eſſe legendũ M. CAEPIONEM

MALV-

MALVGINENSEM. Hanc ergo amici emendationem ipſe non probo. Nam quod ait, Liuium ſæpe Q. Seruilium Maluginenſem nominare, non eſt ita. Semel enim tantum lib. v, an. CCCLXXII, nominat P. Seruilium Maluginēſem; mendoſe, pro Ser. Cornelium Maluginenſem; vt in Scholiis Liuianis oſtendi cum aliis teſtimoniis, tū quod eo anno Diodorus pro eo tribunum mil. cos. por. edit Σέρϐιον Κορνήλιον Μαλούγινα. *Maluginē-ſem* autem fuiſſe cognomen non Seruiliorum, ſed Corneliorum, perinde atque Scipionem; apparet ex L. M. P. & SER. Corneliis Maluginenſibus, qui aut conſules, aut tribuni mil. aut cenſores fuiſſe a Liuio ſæpe traduntur. Quod cognomen aliquot etiam ex Corneliis retinuiſſe, poſtquam alia cognomina inueniſſent, cum hic locus indicat, in quo eſt, M. Scipio Maluginenſis, qui auctore Liuio an. DLXXIIII prætor fuit; tum an. DCLXXII in Capitolinis tabulis, vbi eſt, SER. CORNELIVS CN. F. CN. N. LENTVLVS MALVGINENSIS. vt omnino SCIPIONEM, non CAEPIONEM legendum eſſe, cōtra quam ille cenſet, exiſtimem. Neque enim intelligo, quî illud ſit quod aiunt, ſe nūquam SCIPIONEM familiæ nomen inueniſſe, ſed pro cognomine. Siquidem eandem rationem eſſe iudico, cum dico M. Cæpio Maluginenſis, atque cum dico M. Scipio Maluginenſis, & P. Scipio Naſica, & P. Scipio Africanus, & alia eiuſmodi multa. Sed ad propoſitum reuertamur. Ergo neceſſitas primum cognomina excogitauit; poſt vſus & commoditas cuſtodiuit & propagauit. Qui vero *Agnomen* aliud eſſe a cognomine tradiderunt, ij mihi ſatis quod ſentiunt non probant. Ex eorum vero numero grammatici veteres exſiſtunt; qui, vt ſupra dixi, cognomina appellant ea quæ tertio loco; quæ vero præterea adiiciuntur, ea omnia agnomina nuncupant; vt Africanum & Aſiaticum. Eiuſmodi vero opinio facile locupletiſſimi auctoris Ciceronis verbis refellitur; apud quem animaduertere poſſumus, ea omnia cognomina dici, quæ etiam quarto loco ponuntur. Sic enim ille ait pro Murena; Quam laudem ille Africa oppreſſa cognomine ipſo præ ſe ferebat, eandem hic ſibi ex Aſia cognomen aſſumpſit. Et in Somnio; Eritque cognomen id tibi per te partum, quod nunc habes a me hereditarium. Idem Sapientem & Diuitem cognomina vocat; quæ tamen quarto loco erant in M. Porcio Catone, & in M. Licinio Craſſo. Inquit enim in Catone; Cato quaſi cognomen habebat in ſenectute Sapientis. & in ſecundo de off. P. Craſſus tum cognomine Diues, tum copiis. Hac cauſſa nos omnia, præter priora duo, cognomina appellabimus. Nam quod amicus meus in libro de nominibus agnomen pro nomine gentilicio ſumit, atque inde agnatos ducit, multo mihi minus ex iis quæ dixi, & iis quæ dicam, probatur.

Vnde cognomina tracta ſint.

DEINCEPS ſequitur vt vnde cognomina tracta ſint, dicā ea quæ vel veteres prodiderunt, vel ipſe aut ratione, aut opinione, ſequutus eorum regulas ac præcepta, cōſequi potui. Ac Plutarchus quidē in Coriolano multos nobis huius quæſtionis quaſi fontes oſtendit, cum ait; Cognomina apud Romanos imponi conſueuiſſe, aut ab actione aliqua, aut a forma, aut a fortuna, aut a virtute; perinde atque Græci σωτῆρα & καλλίνικον ab actione, φύσκωνα & γρυπὸν a forma, εὐεργέτην & φιλάδελφον a virtute, εὐδαίμονα a fortuna dixerunt: aut a ſalibus & dicacitate; quo pacto Græci Antigonum δώσονα, Ptolemæum λαμυρὸν appellarunt; Romani vero etiam Metellum vnum *Diadematum*, quod frontem ex vlcere diademate diu obligaſſet; alterum vero *Celerem*, quod celeritatem eius in apparandis funebribus patri ludis ſunt admirati, vocarunt; aut a caſu naſcendi, vt Proculum, Poſtumum, Vopiſcum; aut demum etiam a corporis vitiis, vt Syllas, Nigros, Rufos, Cæcos, Clodios. quibus nec cæcitas, nec vllum aliud corporis vitium contumeliæ fuit; verum ipſa vitia pro nominibus propriis æquiſſimo animo audita ſunt. Hæc Plutarchus, vt dixi, in Coriolano. Mendum autem ſuſpicor eſſe in exemplis eius. ſcribit enim σύλλας dictos eſſe a corporis vitio; cum alia longe ſit eius nominis origo, vt tradit Macrobius. Itaque legendum puto σίλλους, id eſt *Silos.* Sili autem ſunt, qui naſo ſunt ſurſum verſus repando; quod vitium eſt corporis. Neq; etiam placet, eundem de cognominibus agentē, Clodiorum feciſſe mentionē; quod nomē eſt gentis, quæ ne a vitio quidē corporis nominata eſt, vt ante dixi, niſi forte Clodios

pro Claudis acceperit. *Claudus* enim Quinctiorum est cognomen. Quæ autem scripsit in Coriolano, eadem fere tradita sunt ab eo etiam in Mario. Quinetiam Macrobius lib. primo alios a virtute, alios ab honore vel iniuria, alios a casu cognomina ait inuenisse. libro autem tertio, aliquot etiam a studio piscium cognominatos esse ostendit. præterea Plin. lib. decimooctauo cap. tertio, a rusticis operibus; libro autem vndecimo cap. trigesimoseptimo, a vitiosis corporis partibus nonnullos cognomen traxisse ait. Postremo etiam Varro a maiore & minore pecore cognomina indita esse tradit lib. secundo de re rust. cuius verba ascribam, quia deprauata sunt & manca. Nomina, inquit, multa habemus ab vtroque pecore, a maiore, & a minote. a minore Porcius, Ouinius, Caprilius. sic a maiore Equitius, Taurus cognomina adsignificari; quod dicuntur Anni Capræ, Statili Tauti, Pomponij Vituli. sic a pecudibus multi alij. Hæc Varro. Nemo est autem qui non intelligat, hic confundi exempla nominũ & cognominum, & nullum sensum bonum elici. Itaque, si ita legamus, erit sententia aptior: Nomina multa habemus ab vtroq; pecore, a maiore, & a minore. a minore, Porcius, Ouinius, Caprilius. sic a maiore Equitius, Asinius. est autem intelligendum, cum dicimus Capram, Taurum, Vitulum, cognomina adsignificari; quod dicuntur Annij Capræ, Statilij Tauri, Pomponij Vituli: sic a pecudibus alij multi. Quinctilianus eadẽ ferme docet libro primo. Verba eius hæc sunt; Scrutabitur præceptor acer origines nominum, quæ ex habitu corporis; vt Rufos Longosque fecerũt; vbi erit aliud secretius, Syllæ, Burri, Galbæ, Plauti, Pansæ, Scauri, taliaque, & ex casu nascentium; hinc Agrippa, & Opiter, & Cordus, & Postumus erunt. & ijs quæ post natos eueniunt; vnde Vopiscus. iam Cottæ, Scipiones, Lænates, Serrani sunt. & ex variis caussis gentes quoque, & loca, & alia multa reperias inter nominum caussas. Hæc Quinctilianus. apud quem item credo esse mẽdose Syllas, pro Silos, ob eam quam dixi caussam. Lõgum esset hoc loco Liuij, Dionysij, Dionis, Suetonij, Ciceronis, aliorumque multorũ, quo loco de hac re agunt, in hanc sententiam verba proferre. Cum igitur res ita habeat, iam quo modo hoc in singulis factum sit, videamus. Quibus in exponendis hanc diuisionem tuebimur, vt alia ab animo, alia a corpore, alia a fortuna tracta esse dicamus. Ad animum autem pertinent virtutes, mores, oratio, artes, studia, res gestæ: ad corpus, partes corporis, color, habitus, vestitus, similitudo alterius, locus, & quæ sunt eiusmodi. His autẽ rebus diligenter animaduersis, omnis (vt puto) impositorũ cognominum ratio erit perfecta. Qui autẽ cognominum terminationes persequuti sunt, ij frustra laborasse mihi videntur; cum omnes terminationes cognominibus, si ita tẽpus & euentus tulerit, conuenire possint, præter eam quæ gentem notet. Itaque cum apud Liuium nomina gentilicia multa pro cognominibus mendose legerentur, ea ad suam integritatem ex antiquorum monumentis a me paulo ante redacta sunt; vt Fabius Licinus, Marcius Rutilus, Quinctius Flamininus, Furius Pacilus, & alia eiusmodi; non Licinius, Rutilius, Flaminius, Pacilius, vt vulgo legebatur.

Cognomina a sapientia ducta, aut contra.

Sapientiam autem atque stultitiam dedisse multa cognomina Romanis, cum ex Plinij verbis percipitur, tum exempla, quæ subiiciam, indicant. scribit enim Plin. lib. tertio; Reliquis animi bonis præstitere ceteros mortales sapientia; ob id Cati, Corculi apud Romanos cognominati.

SOPHVS, qui est Græce Sapiens, Semproniorum cognomen. quod primus tulit P. Sempronius iuris ciuilis peritissimus.

CATO, auctore Plutarcho in Catone maiore, vir dicitur multarum rerum peritus, eaque de re M. Porcius *Cato* vocatus est. fuit autem etiam cognomen Hostiliorum. De CATO inquit Varro lib. VI de ling. Lat. *Cata* acuta Sabini dicunt: quare Catus Ælius Sextus, non, vt aiunt, sapiens, sed acutus. Quare dixit Ennius; *Egregie cordatus homo Catus Aelius Sextus.*

SAPIENTIS cognomen inuenit C. Lælius, vt ait Plutarchus in Gracchis; quia, cum Tiberij partes aduersus optimates tueri cœpisset, discordiam ciuitatis metuens, ab incœpto destitit.

CORCV-

CORCVLVM, auctore Festo, antiqui a corde sollertem & acutum dixerunt; eoq; cognomine vsus est P. Cornelius Scipio Nasica, optimi viri filius; vt ait Cicero in Bruto.

BRVTVS stultum significat, vt ait Dionysius. Itaque L. Iunius, qui reges eiecit, factus ad imitationem stultitiæ, Bruti quoque haud abnuit cognomen. Liuius, Dionysius.

BELLVTVS est belluæ similis, vt ait Festus. quod cognomen tulit L. Sicinius primus tribunus plebis. Dionysius, & Pædianus.

A virtute, & moribus.

NERO Sabinorum lingua strenuum significat. Itaque Ti. Claudius Ap. Cæci F. id primus tulit; quod post in eius familia mansit. Suetonius in Tiberio.

MARCELLVS, vt Plutarchus tradit, est Bellicosus; id est ἀρήϊος, hoc est *Martius*. puto autem Marcellum dictum esse quasi Martellum, id est paruum Martem. Eo plebeia gens Claudia vsa est.

L. SICINIVS Dentatus, ob fortitudinem ACHILLES dictus. Gellius libro II capite XI.

SVPERBI cognomen tulit L. Tarquinius rex; quia socerum gener sepultura prohibuit, aliaque multa superbe egit. Dionysius, & alij.

FRVGI, L. Calpurnius Piso appellatus ob mores, vt ait Pædianus in Pisonianam, & Cicero in Verrem.

OVICVLA dictus Q. Fabius Maximus; quia moribus fuit humilibus. Plutarchus in Fabio, & qui scribit de viris illustribus.

CAPRARII cognomen C. Metellus ex contumelia traxit. Cicero lib. III de orat. Itaq; Scipio de eo dixit, matrem eius, si quintum pareret, asinum fuisse parituram.

GVRGES vocatus Q. Fabius Rulliani F. a deuorato patrimonio. Macrobius. Plutarchus λαίμαργον nominat.

NEPOS aliquando cognomen contumeliæ fuit a prodigalitate, vt de Q. Metello collega P. Lentuli cos. scribit Valerius. vnde lusit Cicero ad Att. Sumptu iam nepos euasit Scaptius. patrem tamen Metelli, eum qui cum T. Didio consul fuit, Q. Metellum Nepotem vocant etiam Capitolini scriptores. Nepotem autem eum dictũ, quasi Q. Metelli Macedonici nepotem, significat in Cornelianam Pædianus.

ASPER, C. Trebonius ab insectandis patribus nominatus. Liuius lib. tertio.

LVRCONES, auctore Festo, dicti, qui cum auiditate cibum sumerent. Fuit autem Aufidiorum cognomen.

CAMILLVS, quo cognomine Furij vsi sunt, est puer ingenuus. Festus, Plutarchus in Numa, Macrobius lib. tertio, Seruius in Virgil. vbi de Camilla.

CICVRINVS, cognomen Veturiæ gentis, a morum simplicitate dictus. Varro de lingua Lat.

VIR optimus, P. Scipio Nasica a senatu iudicatus & appellatus est. Liuius.

Ab oratione, & dicto aliquo.

LEPIDI, Æmilij dicti sunt, a lepore orationis; quia Mamercus Numæ F. princeps eius generis, summo lepore præditus fuit; quem Græci αἱμυλίαν dicunt. Plutarchus in Paullo.

EVTRAPELVS, fuit cognomen Volumniorum. vnde Cicero ad Volumnium; εὐτραπελία, inquit, tuarum litterarum. est autem εὐτράπελος idem quod *Lepidus*.

ATTICI cognomen inuenit T. Pomponius; quod attice optime loqueretur. Cicero in Catone, Nepos in Attici vita.

FIGVLI cognomen adeptus est Nigidius; quod inconstantiam rerum humanarum rotæ figulinæ comparauit. Augustinus de ciuitate Dei.

SVRA dictus P. Lentulus; qui, cum Sulla rationem ab eo pecuniæ publicæ repeteret, quam quæstor tractauerat, dixit se non posse rationem reddere, sed præbiturum

furam; vt pueri solent, qui in sphæræ ludo peccauerint. Plutarchus in Cicerone.

SCROFA, Tremellius appellatus, auctore Macrobio; quod quærentibus quibusdã scrofam ruri, verba iurationis concepit, nullam esse in villa sua scrofam, nisi quæ in centonibus iaceret; lectulum monstrans. vt autem ait Varro lib. II de re rust. quod apud exercitum dixerit, hostes celeriter se, vt scrofa porcos, disiecturum; idque fecerit.

Ab arte, & studio aliquo.

PICTOR, Q. Fabius dictus; quod primus Romæ ædem Salutis pinxit. Plin. libro XXXV, cap. IIII. Cicero in Tusculana prima.

METELLI, in re militari sunt quasi mercenarij; vnde genti Cæciliæ fuit cognomẽ. Festus.

PRAECONINVS, L. Ælius Stilo; quod præco fuerit. Plin. lib. XXXIII, cap. I.

Eadem ratione videtur FICTOR M. Volscij cognomen. Liuius.

CORNICEN, Oppiorum: Liuius. vnde & Cornicinus apud Ciceronem in epist. ad Attic.

FVLLO, Apustiorum: Liuius, lapis Capitol. Vnde iocus apud Macrobium; Miror sororem meam habere Maculam, cum Fullonem habeat.

Porro autem a studio rerum rusticarum multa tracta fuisse cognomina, auctor est Plinius lib. XVIII, cap. III. Ex eorum numero sunt,

BVBVLCVS, Iuniorum cognomen; qui optime bubus vteretur.

PILVMNVS, qui pilum pistrinis inuenit.

CICERONES, LENTVLI, vt quisque optime cicerem aut lentem serebat. illud, Claudiorum & Tulliorum; hoc, Corneliorum cognomen. eademque forte ratione PISO Calpurniorum.

SERRANVS, Atilius; quod eum serentem inuenerunt dati honores.

LACTVCINVS, Valeriorum cognomen, a lactuca. Plin. lib. XIX, cap. III. Quare qui cos. an. CCXLVII, M. Valerius Maxumus dicitur in Capitol. tabulis; is a Diodoro lib: XI Μάρκος Οὐαλέριος Λακτούκας appellatur. Idem Plinius lib. XVII, cap. primo, scribit ita; Fuere & ab arboribus cognomina antiquis; FRONDITIO, militi illi qui præclara facinora, Vulturnum transnatans fronde capiti imposita, aduersus Annibalem edidit.

STOLO, Liciniæ genti (ita enim appellatur in ipsis arboribus fruticatio inutilis) vnde & pampinatio inuenta, primo Stoloni dedit nomen.

Iam a studio piscium dicti sunt, Licinius, MVRENA; Sergius, ORATA; qui eiusmodi piscibus delectati sunt; vt ait Macrobius lib. III, Varro lib. III de re rustica. quamquã Festus Sergium Oratam dictum scribit, quod duobus annulis aureis & grandibus vteretur.

Eadem ratione a maiore & a minore pecore cognomina multa ducta sunt, auctore Varrone lib. secundo. hinc Statilij TAVRI, Annij CAPRAE, Pomponij & Mamilij VITVLI. quod etiam in Poplicola scribit Plutarchus; ἐτίθεντο δὲ τοῖς παισὶν αὐτῶν σουίλλους καὶ βουβούλκους καὶ καπραρίους ὀνόματα.

Quinetiam a studio auium multa sumpta esse, placet Varroni. Hinc Cornelium MERVLAM, Fircellium PAVONEM, Minucium PICAM, Petronium PASSEREM esse dictum.

Ab vrbe vel regione deuicta.

Iam vero ab vrbe vel regione deuicta, hæc quæ sequuntur.

CORIOLANVS, a Coriolis oppido captis dictus est C. Marcius. Liuius lib. II.

FIDENAS, a Fidenis L. Sergius, & posteri eius. Liuius.

MESSALLA Valerius, a Messana primo Punico bello capta. Macrobius, lap. Capitolini.

PRIVERNAS L. Æmilius Mamercinus, a Priuernate bello. Liuius.

NVMANTINVS P. Scipio, a Numantia deleta. Appianus, Velleius.

ISAVRICVS P. Seruilius ab Isauris vrbe Ciliciæ captis. lap. Cap. Velleius.

Idem fecerunt qui regiones in potestatem P. R. redegerunt. quorum primus, vt ait

Liuius lib.xxx, P.Scipio fuit, qui a deuicta Africa cognomen AFRICANI tulit. Itemq; L. Scipio frater eius, ASIATICI, ab Asia: Q. Metellus MACEDONICI, a Macedonia: L. Mummius ACHAICI, ab Achaia: Q. Metellus alter, BALEARICI, a Balearibus: & L. Metellus DALMATICI, a Dalmatia: Q. Fabius ALLOBROGICI, ab Allobrogibus: Q. Metellus CRETICI, a Creta. D. Iunius Brutus CALLAECI a Callæcia: Q. Metellus NVMIDICI, a Numidia. quorum apud omnes testata cognomina sunt. Hoc autem loco verba quædam amici mei non possum tacitus præterire, quæ ab eo in libro de nominibus posita sunt eiusmodi; *Isauricus* ab vrbe dictus. Ideo cōqueritur Cicero lib. epist. ad Att. v, cum esset in Cilicia procos. & expugnasset oppidum Pindenissum, non esse aptum ad cognomen parandum. Qui (malum) Pindentissæ? nam Seruilius ante ab Isauro vrbe præclara fuerat appellatus. Non possum autem præterire; quia hic sensum germanum Ciceronis non videtur assequutus. neque enim Cicero queritur Pindenissum non esse aptum ad cognomen parandum; sed ad gloriam ex eius expugnatione propter oppidi obscuritatem comparandam. Sic enim ait; Saturnalibus mane se mihi Pindentissæ dediderunt. qui (malum) isti Pindentissæ? qui sunt? inquies. nomen audiui numquam. quid ego faciam? non potui Ciliciam, Ætoliam, aut Macedoniam reddere. Quibus verbis de obscuritate, vt dixi, oppidi queritur, non de cognomine inepto. neque enim quisquam vmquam Imperator Romanus aut Cilix aut Ætolus est ex victoria nominatus, vt iis in cognomine inuidere posset; verum aliquot ex iis prouinciis clarissimos triumphos egerūt. Hoc idem sentit etiā Cicero, cum scribit ad Cœlium; Oppugnabā oppidū Pindenissum tantis opibus, tantoque negotio, vt mihi ad summam gloriam nihil desit nisi nomen oppidi. id est, quod obscurissimo nomine cum sit, ne mea quidem satis gloriosa esse victoria & expugnatio possit, qualis eorum fuit qui Ciliciam, Ætoliam, & Macedoniam subegerunt. Nam quod ait amicus meus ineptum ad cognomen esse, non video cur non Cicero *Pindentissa* dici facile potuisset, vt quondam Valerius *Messalla* a Messana victa, si splendidum oppidi nomen fuisset.

A loco vbi bene maleue pugnatum est.

REGILLENSIS, A. Postumius Dictator dictus; quod ad lacum Regillum cum Latinis bene pugnauerit. quod cognomen posteri etiam eius tulerunt.

AESERNINVS, M. Marcellus appellatus; quod Æserniæ captus est. Epitomæ.

CRETICVS, M. Antonius triumuiri pater dictus; quod in Creta mortuus est. Pædianus, Plutarchus in Antonio. Hunc tamen quidam Antonium CICEREIVM vitiose nominant.

GERMANICVS, Cæsar dictus; quod in Germania obiit.

BITHYNICVS, Pompeius dictus; quod ex Bithynia supellectilem regis Nicomedis deportarit. Festus.

CAVDINVS, L. Lentulus; quod ad furcas Caudinas obsessus cum cos. fœdus turpe suaserit; vt ex Liuio elici potest.

Ab aliis euentibus.

COLLATINVS, Tarquinius dictus; quod diu Collatiæ præfectus fuerit. Dionysius.

POPLICOLA, Valerius; quod populum coluerit. Dionysius, Liuius.

TORQVATVS, Manlius; quod torquem in pugna Gallo detraxerit. Liuius, Gellius.

PIVS, Q. Metellus; quod pietatem, in reditu patris lacrymis deprecando, adhibuerit. Cicero.

PIETAS, L. Antonius; quod eo animo remp. tractarit vnâ cum Fuluia, quasi pro Marco triūuiro fratre laboraret. Vnde a Dione dicitur Λεύκιος Ἀντώνιος πίετας, id est εὐσεβής. quamquam a Glareano mendose *Pætus* nominatur.

DRVSVS, Liuius vocatus; quod Drausum regem hostium interfecerit. Suetonius in Tiberio.

CVNCTATOR, Fabius, quod cunctando Annibalem fregit. Plutarchus.

VENOX, Plautius; quia censor, aquæ Claudiæ venas indagauerit. Liuius, Frontinus.

SCIPIO, Cornelius; quod patrem luminibus carentem pro scipione rexerit. Macrobius.

CVRSOR, L. Papirius, a velocitate cursus Liuius.

SALINATOR, M. Liuius dictus; quod vectigal nouum ex salaria annona commentus est. Liuius.

AMBVSTVS, Fabiorum fuit; vt puto, quod a fulmine ambustus fuerit. sic enim Festus; *Pullus Iouis* dicebatur Q. Fabius, cui *Eburno* cognomen erat propter candorem, quod eius natis fulmine icta erat. Antiqui puerum quem quis amabat, pullum eius dicebant. Hinc etiam quidam RVLLVM Fabij Maximi cognomen profectum existimant.

IMPERIOSSVS, Manlius, quia seuerius delectum habuit. Liuius, Plutarchus ἐπιτάκτην appellat.

GRACCHANVS, dictus est Iunius historicus, ab amicitia C. Gracchi tribuni pl. vt scribit Plin. lib. xxx.

MAXIMVS, Valerius; quod plebem patribus conciliauit. Cicero in Bruto.

MAXIMVS, Fabius; quod libertinos in quatuor tribus secreuit. Liuius lib. IX.

MAGNVS, Pompeius; quod res magnas ante ætatem gessit. Appianus, Plutarchus.

ASINA, Cornelius Scipio; quia cum sponsores ab eo poscerentur, asinam produxit in forum cum pecuniæ onere; quasi pro sponsoribus præsens pignus. Macrobius.

VESPILLO, Lucretius dictus; quod ædilis, cadauer Ti. Gracchi tamquam vespillo in Tiberim proiecit. De viris illustribus in Graccho. Idem etiam fuit VESPA. vnde in II de orat. Vespa Terentius.

ANNALIS, Villius; quod legem annalem tulit. Liu. lib. XL.

DIADEMATVS, Metellus; quod frontem ex vlcere diu ligauerit fascia, quæ διάδημα Græce dicitur. Plutarchus in Coriolano.

PRAETEXTATVS, Papirius; quod in ætate prætextata summam prudentiam ostenderit. Macrobius.

LAENAS, Popillius; quod, cum flamen sacrificium faceret, cum læna in publicum exierit, & seditionem sedarit. Cicero in Bruto.

CORVVS, Valerius; quod ei cum Gallo pugnanti coruus omen victoriæ fuit. Liuius, Gellius.

BVTEO, Fabius; quia insidens in naui buteo auis, bono auspicio duci ei fuit. Plin. lib. x, cap. VIII.

CAVDEX, Ap. Claudius dictus, quod primus caudicem, id est nauem belli gerendi caussa primo Punico bello conscenderit. Seneca.

CAESAR, Iuliorum cognomen fuit, de quo alij aliter tradiderunt. amicus autem meus in libro de nominibus ita; Illud non prætermittam, Cæsarem non ab vtero cæso dictum, quod multis video placere; sed, quod ait Seruius & Spartianus, ab elephãto primum cæso. nam lingua Punica Cæsar elephas dicebatur. Quare in quibusdam argenteis nummis apud me videre est, ab altera parte elephantem cum hac inscriptione CAESAR; ab altera autem instrumenta, quibus elephantos Romani perimebant. Hæc ille.





Nummum illum, cuius ipse meminit, ego accurate effingẽdum curaui, vt omnes homines eius industriam in Romana antiquitate illustranda cognoscerent. sunt enim eiusmodi nummi multi cum apud alios, tum apud clarissimum & humanissimum virum Andream Lauredanum patricium Venetum. quamquam quæ ille ad hunc nummum interpretãdum attulit, ea a multis huius artis peritis reprehẽdi sæpe animaduerti; qui, quæ ille instrumenta elephantorum interimendorũ esse tradidit, ea pontificalia, ac religionis potius insignia esse contenderent; albogalerum, vel tutulum; secespitam, aspersorium, & vas sacrificale. Albogalerum enim ita describit Festus; *Albogalerus* a galea nominatus est. est enim pileum capitis, quo diales flamines, id est sacerdotes Iouis, vtebantur. fiebat enim ex hostia alba Ioui cæsa; cui affigebatur apex virgá oleagina. Tutulum autem ita; *Tutulum* vocari aiunt flaminicarum capitis ornamentum, quod fiat vitta purpurea innexa crinibus, & exstructum in altitudinem. Ennius; *Libaque fictores, argeos, & tutulatos.* Itaque Varro lib. de lingua Lat. exponens hunc eundem Ennij versum, ait; *Tutulati* dicti ij qui in sacris capitibus habere solent vt metam id *tutulus* appellatur, ab eo quod matres familias crines conuolutos ad verticem capitis, quos habent vti velatos, dicunt tutulos: siue ab eo quod tuendi caussa capilli fiebant: siue ab eo, quod altissimum in vrbe quod est [arx,] ea res tutissima tutulus vocatur. De secespita sic Festus; *Secespitam* alij securim, alij dolabram æneam, alij cultellum putant. Item; Secespita, cultrum ferreum oblongum, manubrio eburneo, rotundo, solido, iuncto ad capulum auro argentoque, fixum clauis æneis ære Cyprio, quo flamines, flaminicæ virgines, pontificesque ad sacrificia vtebantur. dicta autem est secespita a secando. *Aspersorium* quidam vocant, quo aquam lustralem aspergebant. vnde Virgilius, --*ter pura socios circumluit vnda, Spargens rore leui*-. Et alibi, -*corpusque recenti Spargit aqua.* Vas sacrificale est vel capedo, vel simpuuium. De *capedine* Cic. in Paradoxis; Quid autem Numa Pompilius? minusne gratas diis immortalibus capedines, ac fictiles vrnulas, quam filicatas aliorum pateras fuisse arbitramur? & lib. III de Nat. Docebo, meliora me didicisse de colendis diis immortalibus iure pontificio, & more maiorũ, quam capedunculis, quas Numa nobis reliquit. De Simpulo Festus; *Simpulum*, vas paruum nõ dissimile cyatho; quo vinum in sacrificiis libabatur; a sumendo dictum Varrone auctore, vt fortasse a capiendo *capedo* dicta est. & Iuuenal. Satyra sexta; *aut quis Simpuuium ridere Numæ, nigrumq. catinum.* & Plin. lib. XXXV; In sacris quidẽ etiam inter has opes nõ murrhinis crystallinisue, sed fictilibus prolibatur simpullis. His igitur rationibus adducti multi, instrumenta hæc quibus elephantes interficerentur, esse iure negant; pontificalia autem (vt dixi) insignia esse asserunt, quæ diuo Iulio Cæsari consecrato & in deos relato tributa sint ab Augusto, qui in patris pont. max. mortui honorem hũc nummum percusserit. itaque ab altera parte esse elephantẽ, consecrationis symbolum. vnde Sueton. in Claudio scripserit; Claudius auiæ Liuiæ diuinos honores, & circensi pompa currum elephãtorum Augusteo similem, decernendum curauit. eadem etiam de caussa anguem elephanti ipsi esse subiectum; qui auctore Plutarcho in Cleomene heroibus sacer esset. vnde Virgilius in V, de angue ad tumulum Anchisæ mortui dixerit; *Incertus geniúm ne loci, famulúm ue parentis*; cum apotheosim eius significare vellet; vt ait Seruius. Sed siue hæc, siue alia sunt, profecto nihil hic nummus ad eum qui primum elephantem occidit, neque ad ipsa demum elephantorum interimendorum instrumenta pertinet; quod amicus meus ingeniose potius quam vere cõfinxit; præsertim vero cum fabrile scalprum cum malleo ad eiusmodi belluas interimendas adhibitum sit, auctore Liuio.

CENSORINVS, Marcius vocatus fuit; quod bis censor factus est. Valerius, Capitolinæ censuræ.

FLAMININVS, Quinctiorum & Claudiorum: AVGVRINVS, Mineruorum eadem ratione cognomen fuit, ab insigni fortasse aliqua re vel in flaminio vel in auguratu gesta.

SACERDOTIS cognomen tulerunt Licinij.

AVGVR, Q. Scæuola. PONT. MAX. alter Q. Scæuola, ab ipso sacerdotio quo fungebantur, vocati sunt.

CVRIO, Scriboniorum cognomen fuit; quod qui primus id tulit, curio maximus

fuerit; vt ex Liuio intelligi potest. qua ex familia C. Curio consul, qui de Macedonia triumphauit, & C. Curio filius tribunus pl. auctor ciuilis belli fuit, ad quem sunt epistolæ Ciceronis in secundo libro; de quibus epistolis sic scribit amicus meus in lib. de nominibus; Ambiguitas est in nomine Curionis lib. II epist. fam. In qua re multi decepti sunt, non distinguentes patrem Curionem a filio. Nam illæ epistolæ, NON dum erat auditum; &, SERA gratulatio, scribuntur ad patrem. Hæc ille. Hanc tamen opinionem intelligo a scholis omnibus esse repudiatam. neque enim videre se eruditi homines aiunt, quemadmodum, cum in extrema epistola de tribunatu C. Curionis filij agatur, ea epistola ad patrem transferri possit, qui multis ante annis consul triumphauerat. in priore vero, cum de reditu Curionis ex Asia agatur, cur non idem sit Romã reuertens, qui fuerat absens; id est, cur non ad eundem redeuntem hanc scripserit, ad quem absentem superiores scripserat; præsertim vero, cum in superioribus de patris clarissimi viri obitu mentionem fecerit.

THVRINVS, cognomẽ Octauio puero fuit; quod in regione Thurina natus sit. Suetonius in Augusto.

SYLLA, P. Cornelius dictus, quod decemuir, aut prætor, ex libris Sibyllinis ludos Apollinares instituit. siquidem Sylla, quasi Sibylla appellatus est. Macrobius. quod cognomen post in familia mansit.

AVGVSTVS Cæsar Octauianus dictus est, honoris & amplitudinis caussa. Suetonius.

A corporis partibus.

A corporis autem partibus tot cognomina tracta sunt, vt vix comprehẽdi oratione posse videantur. Nam a capite CAPITONES, CILONES, & TVDITANI sunt. *Cilones* enim dicti sunt, quorum capita oblonga & compressa sunt; vt ait Carisius. Festus autem eos esse ait, quorum frons est eminentior, ita vt dextra sinistraque velut recisa videatur. Fuit vero cognomen Flaminiorum; vnde in nummis argenteis, L. FLAMINI. CILO. *Tuditani*, qui caput simile malleo habeant. *Tudites* enim, mallei sunt; a tundẽdo dicti. Iam CINCINNATI, CALVI, CRISPI, in Quinctiis, Liciniis, Salustio, a capillis sunt; vt CRISPINVS Quinctiorum. Quare Suetonius Caligulam Cincinnato crinẽ ademisse scribit, veteris familiæ insigne. FRONTONES, a fronte; NASONES, SILI, SIMI, a naso sunt. *Sili* sunt, qui naso sunt sursum versus repando. Festus. Silus, Sergiorum cognomen fuit. vnde in nummis, M'. SERGIVS SILVS. De Simis Plinius lib. XI, cap. XXXVIII; A naribus cognomina Simorum & Silonum. Videndum tamen ne legendum sit, Simonum & Silorum. Ita STRABO, PAETVS, COCLES, LVSCVS, LVSCINVS, RAVILIA, OCELLA, CAECVS, ab oculis: Plin. XI, cap. XXXVII. *Strabo*, qui peruersis & detortis oculis est: Porphyrio, Plinius. Talem autem fuisse Cn. Pompeium Magni patrem, cognomine Strabonem, scribit idem. PAETVS, auctore Porphyrione, est qui oculis est leuiter declinatis; vel cuius oculi huc & illuc celeriter mouentur, vt ait Acro. Horatius Satyra tertia; *Strabonem appellat Pætum pater.* COCLITEM, luscum dixerũt. vnde Cyclopas coclitas appellarunt. Seruius. At Plinius lib. XI; Qui orbi altero lumine nascerentur, Coclites dicti. item Varro de ling. Lat. LVSCVS, Anniorum; LVSCINVS, Fabriciorum cognomen fuit: auctoribus Cap. lap. RAVILIA, a rauis oculis: Festus. vnde Cassius Longinus Rauilia. OCELLAE, qui paruis vtrisque oculis essent. Plin. lib. XI; vnde Ser. Ocella apud Cœlium in VIII epistolarũ. Ap. Claudius CAECVS appellatus, postquam aspectum oculorum amisit. A superciliis SILONES, id est, qui eminentibus sunt superciliis; a Sileno, qui hirsutis superciliis pingebatur. Nonius ex Varrone. A lingua BALBI, & BLAESI. quorum illud Aciliorũ, hoc Semproniorum cognomen est. Sunt autem, qui R litteram pronuntiare non possunt; quo vitio laborauit Demosthenes. Vnde est in I de Orat. Demosthenes ita balbus fuit, vt eius artis cui studebat, primam litteram dicere non posset. & in Priapo; *Cum loquor, vna mihi peccatur littera semper. Nam* PRAE PAE *dico; blæsaque lingua mea est.* Eademque forte ratione BLASIO Corneliorum & Heluiorum fuit. Aures, inquit Plinius, homini tantum immobiles. ab iis FLACCORVM cognomen. LABEONES, & CHILONES, a labiis. Plinius, Festus, & Carisius. VERRVCOSSVS, a verruca in labiis, Fabij Maximi fuit.

fuit Plutarchus. DENTATI, qui cum dentibus nati sunt. Plin. lib. VII, cap. XVI. Curij & Sicinij cognomen. BARBATVS, Horatiorum, & Scipionum: BARBVLA, Æmiliorum. AHENOBARBVS, id est, qui ænea barba esset, Domitiorum fuit, a barba. Plutarchus in Paullo. A colore RVTILVS, EBVRNVS, AQVILINVS; vt ait Festus. eademque ratione ALBVS, NIGER, RVFVS, FLAVVS. Iam SCAEVA, & SCAEVOLA, & LAEVINVS; quod læua manu pro dextra vterentur, dicti sunt: quæ Brutorum, Muciorum, & Valeriorum sunt cognomina. De Scæuola scribit Zonaras. MENTO, Iuliorum; DORSO, Fabiorum; SCAPVLA, Corneliorum; AXILLA, & AHALA, Seruiliorum. A cruribus autem hæc sunt; VARVS, VATIA, ATTA. *Vari*, qui crura incurua habent; & sunt contrarij valgis. *Vatiæ*, quibus in exteriorem partem crura flectuntur. *Attæ*, qui propter vitium crurum aut pedum, plantis insistunt, & attingunt magis terram quam ambulant. quorum primum, Liciniorum; secundum, Seruiliorum; tertium, Quinctij poetæ fuit. Festus, Nonius, Plinius. Iam PLAVTI, PANSAE, PLANCI, SCAVRI, quæ pedum vitia sunt, cognomina Romanis fuerunt. *Plautus* est, qui planis est pedibus, & nullam habet in medio cauitatem: *Pansa*, cui pedes lati ac pansi: *Plancus*, cui plani pedes: *Scaurus*, qui talos pedum tumentes & porrectos habet. Plinius lib. XI, Festus.

A corporis habitu.

A corporis autem habitu sunt CRASSVS, MACER; vtrumque Liciniorum: LONGVS, Semproniorum: GALBA, Sulpiciorum: GRACCHVS, item Semproniorum: PVLCHER, Claudiorum: GLABRIO, Aciliorum: COSSVS, & ARVINA, Corneliorum: PAVLLVS, Æmiliorum. De *Galba* scribit Suetonius in Nerone, atque, an crassum an macrum significet, ambigit. *Gracchum* a gracilitate corporis dictum scribit Carisius: Varro autem a gerendo; quia mater eius qui primus Gracchus dictus sit, duodecim menses vterum gesserit. ac propterea sine aspiratione scribendum, vt ait Scaurus. *Glabri*, sunt depiles. *Cossi*, rugosi corporis, a similitudine vermium ligno editorum, qui cossi dicuntur. Festus. *Aruina*, durum est pingue, quod est inter cutem & viscus. Seruius. *Paullus* (vt puto) paruus est. vnde Terentius *Paullo sumptu* dixit. cognomẽ est Æmiliorum, vt PAVLLVLVS, & MAGNVS Postumiorum Albinorum.

Ab ortu.

Iam vero ab ortu ducta sunt GEMINVS, cognomen Seruiliorum; quod primum tulerunt P. & Q. Seruilij fratres. quorum Publius, bis consul fuit cum C. Cotta, an. DI, & DV: auctor Cicero in Lucullo. TERGEMINVS, Horatiorum, & Curatiorum. Liuius. CORDVS, C. Mucij. Dionysius. Est autem *Cordus*, sero natus. Quinctilianus. Quare Plutarchus C. Mucium Cordum ὀψίγονον vocat Priscus, Tarquinij; quod maior natu esset. Dionysius. Idem Priscus fuit etiam cognomen Seruiliorum: ac nescio an eadem ratione CASCA; quem pro sene Latini veteres dixerunt, Varrone auctore de lingua Latina. De AGRIPPA & PROCVLO Vipsaniorum & Plautiorum cognominibus, dictum est in prænominibus.

A loco, vnde commigrauerint, aut vbi nati sint, aut vbi habitauerint.

A locis porro, vnde quisque Romam commigrauerit, hæc sumpta sunt.

SABINVS REGILLENSIS, vel REGILLANVS, vt est apud Suetonium; Ap. Claudius dictus; quia ex Regillo Sabinorum oppido venit. Liuius.

ANTIAS, Valerius; Plinius in præfatione; quod Antias & esset, & diceretur.

AMERINVS, Sex. Roscius, ex Ameria. Cicero pro Roscio.

Eadem ratione dicti videntur Furij MEDVLLINI, Fufij CALENI, Sulpicij CAMERINI, Appuleij SATVRNINI, Mālij VVLSONES, Publij VVLSCI, Aulij CERRETANI, Plautij VENNONES, Ælij LIGVRES, Cominij AVRVNCI. VFENAS certe, & CARRINAS, & MAECENAS, a loco tracta sunt; teste Varrone lib. II de analogia.

CAPITOLINI, Manlij dicti sunt etiam, antequam M. Manlius Gallos a Capitolio

depelleret, quod in Capitolio habitarent: quod ne quis patricius faceret, damnato M. Manlio, decreto cautum est. Liuius. Eadem fortasse ratione & Quinctij & Sestij *Capitolini* vocati sunt; & Genucij AVENTINENSES, quod Auentinum; & Verginij COELIMONTANI, quod Cœlium montem incolerent. & P. Terentius TVSCIVICANVS apud Liuium lib. XLV, quod vicum Tuscum habitaret.

A principe generis.

Ælius LAMIA, a Lamo Formiarum conditore dictus. Horat. lib. III Odarum.

FVSVS, Furiorum; qui ante *Fusij*, a Fuso. VOLVSVS, Valeriorum; qui ante *Valesij* a Valeso. IVLVS, Iuliorum, a Iulo generis auctore. Marciorum cognomen fuit REX; fortasse ab Anco Marcio rege. siquidem in nummis quibusdam est ab vna parte caput hominis, cum hoc nomine ANCVS; ab altera vero, aquæ ductus, cum his vocibus, AQVA MAR. in ora vero nummi, PHILIPPVS. Nam & *aqua Marcia*, a Marcio rege deducta est; & *Philippus* Marciorum cognomen est; cuius gentis auctor Ancus Marcius rex.

A similitudine alterius.

Tantam præterea vim habuit similitudo alterius, vt inde cognomina etiam sæpe inuenta sint. vt de Cn. Pompeio Magno scribit Valerius lib. IX; qui MENOGENES a multis dictus sit; quod Menogeni coquo suo similis esset: & de P. Scipione, qui SERAPIO, a victimario eius nominis sibi simili: & P. Lentulo, qui SPINTHERIS, ab histrione Spinthere, adeptus sit cognomen: sicut alter Scipio SALVTIONIS a Salutione mimo cognomen inuenit. Plinius lib. VII, cap. XII.

A fortuna.

A fortuna postremo hæc ducta: FELIX, FAVSTVS, in Sulla: DIVES, in Crassis: EGERIVS, ab egestate, in Tarquinio, post patris auique mortem egeno nato. Dionysius, Liuius.

Cognomina ex cognominibus orta.

Multa etiam cognomina ita immutata sunt, vt per diminutionē in INVS a suo primitiuo deflexa sint. ALBVS enim, quod fuit cognomen primum Postumiorum, post ALBINVS euasit: ita RVFVS in Corneliis RVFINVS, MAMERCVS in Æmiliis MAMERCINVS, MESSALLA in Valeriis MESSALINVS: inque iisdem *Coruus* CORVINVS; in aliis etiam eadem fortasse ratione LONGINVS, CRASSINVS, CALVINVS, LAEVINVS, PAVLLINVS, CRISPINVS, CAESONINVS, PAITINVS, BALBINVS, NIGRINVS. quæ omnia deriuata sunt. item MARCELLINVS, vt in Cn. Cornelio Lentulo Marcellino: quod tamen cognomen in eo adoptionis signum fuisse arbitror. Hic enim P. Lentuli filius fuit; qui fuit M. Marcelli filius, Cicerone auctore in Bruto.

Cognomina an hereditaria fuerint.

His rebus expositis, æquum est etiam cognoscere, quemadmodum ex cognominibus alia ad posteros quam longissime propagarentur, alia ne ad filios quidem peruenirent: itemque succrescentibus in eadem gente cognominibus, quemadmodum vetustissimum quodque aboleretur, recentia veo omnia plerumque retinerentur. Ac primum quidem, qui cognomen patris aui ue & maiorum tulerunt, id ipsum fecisse videntur præstanti illius qui primus id cognomen inuenit, virtute & gloria adducti; ita tamen vt aut mutare aut relinquere illud cognomen pro arbitratu potuerint. cuius rei esse documento possunt ea quæ de Cicerone scribit Plutarchus. Qui primus, inquit,

quit,

quit, Ciceronis cognomen tulit, is maxima laude floruiſſe videtur; quod id cognomẽ a poſteris non ſolum non neglectum ſit, verum etiam ſtudioſe retẽtum. Et paulo poſt: Cum autem M. Cicero, poſteaquam magiſtratus cepit, crederetur cognomen illud aut vitaturus, aut certe mutaturus, reſpondit, operam ſe daturum vt id eſſet & Scauris & Catulis illuſtrius. Præterea vero idem Cicero cognomina hereditaria fuiſſe oſtẽdit, cum loquentem inducit Africanum cum nepote hoc modo; Erit id tibi cognomen per te partum, quod nunc habes ex me hereditarium. Itaque videmus hac de cauſſa *Album* & *Albinum* per quingentos amplius annos in gente Poſtumia cuſtoditum; *Maximum*q; in Valeria, & fere etiam in Fabia; & item in Mucia *Scæuolam*. Hoc tamen non in omnibus ſeruatum eſſe inde apparere poteſt, quod *Strabonis* cognomẽ, quod fuit patris Pompeij Magni, ne filius quidem vſurpauit; neque filij Q. Maximi Ouiculæ Verrucoſſi, ea quæ fuerant patris. Nouis autem aſcitis familiæ cognominibus vetera eſſe deleta, agnoſci poteſt ex Manlia gente: cuius primum cognomen fuit *Vulſo*, poſt *Vulſo Capitolinus*, tum *Capitolinus Imperioſſus*, poſt *Imperioſſus Torquatus*; ad extremum autem tantum *Torquatus* retentus eſt.

An æque omnium cognomina fuerint.

Ex iis quæ dicta ſunt, illud ſatis intelligi poteſt, æque omnes Romanos ciues vti inuentis cognominibus potuiſſe, neque ipſum cognominum vſum plebi magis interdictum quam optimatibus fuiſſe. Factum eſt tamen vt, quoniam reſpublica primum in patriciorum poteſtate fuit, eorum etiam ante cognomina celebrata quam plebis ſint. vbi vero plebs ad rempublicam acceſſit, tum plebeiorum etiam ad diſtinguendas familias cognomina audiri, perinde atque imagines ad poſteritatem prodendam poni, ſint cœptæ. Quamobrem amicum meum in lib. de nominibus, in hoc præcepto tradendo ita loquutum eſſe miror: Tribus nominibus ſenatores fuiſſe appellatos olim, obſeruaui; equites autem & plebeios, maiori ex parte duobus. Liuius vbi de tribunis militaribus loquitur, hos plebeios nominat, ſic; C. Sextilius, M. Albinus, P. Titinius, L. Antiſtius. Senatores autem ita vocabantur; C. Ælius Pætus, M. Licinius Craſſus, M. Porcius Cato. Hæc ille. Igitur, quia Liuius quatuor tribunos militum e plebe duobus nominibus afficit, ipſe in vniuerſum præcipit, equites & plebeios duobus, ſenatores tribus nominibus eſſe vſos. neque, quot incommoda hanc rationem conſequantur, animaduertit. quid enim ait? an qui ex equeſtri & plebeio ordine in ſenatum legebantur, tum cum legebantur, cognomen inueniſſe, ante lectionem cognomine caruiſſe, atque a lectione ipſa, non ab euentu, cognomen ſumpſiſſe? an vero P. Valerium inquit, eum qui primus conſul ſenatum ex equeſtri ordine ſuppleuit, antequam tertium Poplicolæ nomen ferre cœpit, ſenatorem non fuiſſe? an vero aut C. Mænium, aut Ti. Coruncanium, aut C. Duilium, aut Q. Cædicium, aut M? Manlium, aut Q. Opimium, aut T. Didium, aut Marios, aut Antonios, qui conſulatus, cenſuras, dictaturas geſſerunt, & clariſſimos triumphos egerunt, ſenatores, quia tertio nomine, veteribus & ſcriptoribus & lapidibus teſtibus, caruerunt, non fuiſſe? quid? nonne Cn. Pompeius Magni cognomen tulit, tum cum ex Africa & ex Hiſpania eques Ro. triumphauit? ſiquidem viuente Sulla id cognomen inueniſſe, idem ipſe ſcribit. M. vero Tullius nonne, antequam in ſenatum lectus eſſet, Ciceronis cognomine vſus eſt? At Liuius, inquit, quatuor tribunos plebeios ſine tertio nomine protulit. ergo plebeij tertio nomine caruerunt. Quis affirmare poſſit eorum cognomina non eſſe a Liuio conſulto omiſſa? quod in aliis etiam, eodem ipſo auctore, fecit. Sic enim ait; Liuius ſæpe duo profert nomina: neque caret reprehenſione; quia hiſtorici eſt omnia explicare; & debet ſane ſcriptor poſteritatis habere rationem magis, quam ſuorum temporum. An vero credibile eſt C. Sextilio, & collegis eius tribunis militum conſulari poteſtate, remp. domi foriſque a populo R. commiſſam eſſe; ſenatum, in quem ſæpe homines nullo vſi honore pro arbitratu cenſorum legebantur, eis lectione cenſoria non patuiſſe? Neq; vero ſenatores pro patriciis eum ſumpſiſſe, atque patricios tribus, plebeios duobus

vſos eſſe cognominibus, intellexiſſe puto; præſertim vero cum C. Ælius Pætus, M. Licinius Craſſus, M. Porcius Cato, quos ille ſenatores appellat, plebeij fuerint. quod ne illum quidem latere exiſtimo. Quid quod Pauſanias, vt ante oſtendi, Romanos minimum tribus, plerumque pluribus nominibus eſſe vſos tradidit? Mihi quidem hæc eiuſmodi præceptio non ſatis in vniuerſum probari, niſi exceptione aut interpretatione aliqua illuſtretur, poteſt.

De patriciis familiis, & plebeiis, nobilibus, & nouis, CAP. VI.

Hactenus de gentium & familiarum Romanarum origine, nunc de familiarum conditione dicamus: quas, ſi genus ſpectabimus, alias patricias, alias plebeias; ſi honores, partim nobiles, partim nouas eſſe conſtituemus. De quibus omnibus ſigillatim mihi videtur eſſe dicendum; vt hæc tota de nominibus Romanis ſuſcepta diſputatio perficiatur. ac primum de patriciis & plebeiis.

Romulum ſcribit Dionyſius vrbe condita totum populum in duas partes diſtribuiſſe; vnam, eorum qui inter ceteros aut genere, aut virtute, aut diuitiis excellebant; alteram, eorum qui his omnibus rebus inferiores erant: atq; illos quidem, patres; hos vero, plebeios nominaſſe: *Patres* autem, vel ab ætate, quaſi ſenes; (vnde *Senatores*) vel quod filios, vel quod patres haberent; plebeij non haberent; vel denique Athenienſium exemplo, qui ſummo loco natos, εὐπατρίδας; obſcuro, ἀγροίκους vocarunt, appellaſſe. vt autem patriciis ſacra, iudicia, magiſtratus, ſenatum, & totius reip. adminiſtrationem commiſiſſe; ſic plebeios, his omnibus muneribus vacuos, quæſtuoſis artibus operam dare voluiſſe. Itaque in hanc ſententiam apud Liuium lib. x, P. Decius plebeius, apud patres loquutus eſt ita; Semper iſta audita ſunt eadem; penes vos auſpicia eſſe, vos ſolos gentem habere, vos ſolos iuſtum imperium domi militiæque. Et lib. VI, Ap. Claudius patricius, ſic; Penes quos ſunt auſpicia more maiorum? nempe penes patres. nam plebeius quidem magiſtratus nullus auſpicato creatur. nobis adeo propria ſunt auſpicia, vt nō ſolum quos populus creat patricios magiſtratus, aliter quam auſpicato creet; ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicato interregem prodamus, & priuatim auſpicia habeamus; quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent. Quid igitur aliud quam tollit ex ciuitate auſpicia, qui plebeios conſules creando, a patribus, qui ſoli ea habere poſſunt, aufert? Et lib. IIII, Liuius; Interroganti tribuno, cur plebeium cōſulem fieri non oporteret, reſpondit, quod nemo plebeius auſpicia haberet. ideoque decemuiros connubium diremiſſe, ne incerta prole auſpicia turbarentur. Plebs ad id maxime indignatione exarſit; quod auſpicari, tamquam inuiſi Diis immortalibus, negarentur poſſe. Et alibi; Connubia communicata ſunt; quibus ſacra confuſa ſunt, & auſpicia. Atque hac eadem etiam ratione adductus Scæuola, in Topicis apud Cic. *Gentiles* definit, qui inter ſe eodem nomine ſunt, & qui ab ingenuis oriundi ſunt, quorum nemo ſeruitutem ſeruiuit, nec capite diminutus eſt. Hæc autem definitio apte in patricios Romuli cadit; de quibus P. Decius ſic apud Liuium loquitur: En Romæ vmquam fando audiſtis, patricios primum eſſe factos, non de cœlo demiſſos, ſed qui patrem ciere poſſent; id eſt, nihil vltra quam ingenuos? Et Ap. Claudius; An hoc, ſi Claudiæ familiæ non ſim, nec ex patricio ſanguine ortus, ſed vnus Quiritium quilibet, qui, modo me duobus ingenuis ortum, & viuere in libera ciuitate ſciam, reticere poſſim? Quibus ex rebus intelligi poteſt, *gentem* primum de patriciis dictam, quod ſoli ipſi eam haberent; (vnde etiam *maiorum & minorum gentium patricij* dicti ſunt) poſt ad plebeios etiam eſſe translatam, qui duobus, vt patricij, eſſent ingenuis orti. qui iidem poſtea non ſolum gentem adepti ſunt, ſed procedente tempore patricios magiſtratus omnes, ſacerdotia, auſpicia, ordines, imperia, & triumphos ſunt aſſequuti. Eſt præterea intelligendum, *qui ciuitate Romana donabatur*, eum plebeium fuiſſe; patricium autem neminem, niſi nominatim vel a regibus, vel a populo, vel denique ab Imperatore factus eſſet, fuiſſe. De Romulo Dionyſius ita libro tertio; πατρικίους ἐποίησε, καὶ κατέλεξεν εἰς τὸν τῶν βουλευτῶν ἀριθμόν. Albanas porro familias, Iuliam, Geganiam, Metiliam, Quinctiliam, a Tullo Hoſtilio in patricias eſſe translatas, Liuius, & Dionyſius auctores ſunt; Octauiam a Ser. Tullio, Suetonius. Poſt reges autem exactos Ap. Claudium a populo patricium factum, Dionyſius lib. V, his verbis;

ἡ βουλὴ

ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος εἰς τοὺς πατρικίους αὐτὸν ἐνέγραψεν. & Liuius lib. quarto, in oratione Canuleij trib. pleb. Quid? hoc si polluit nobilitatem istam vestram; quam plerique oriundi ex Albanis & Sabinis, non genere nec sanguine, sed cooptatione in patres habetis, aut a regibus lecti, aut post reges exactos, iussu populi, &c. De Cæsare autem ita Suetonius; Senatum suppleuit, patricios allegit. quod interpretatur Dio, ita; ἐς τὴν γερουσίαν ἐσέγραψεν, καὶ εἰς τοὺς εὐπατρίδας ἐγκατέλεξεν. De Augusto item Suetonius; Senatum legit, patriciorum numerum expleuit. quod Dio ita expressit; ἑτέρους δὲ τινὰς βουλεύειν ἐποίησε, τό τε τῶν εὐπατριδῶν γένος συνεπλήρωσε. De Claudio Tacitus lib. XI; In numerum patriciorum vetustissimum quemque e senatu asciuit, paucis iam reliquis familiarum, quas Romulus maiorum, & L. Brutus minorum gentium appellauerunt; exhaustis etiam quas Dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Senia sublegêre. Fuisse enim hanc patriciorum dissimilitudinem, quod *alij maiorum, alij minorum gentium* essent, Liuius & ceteri auctores sunt: quamquam non eodem modo omnes. Liuius enim quos Romulus primum legit, eos maiorum gentium; quos Tarquinius Priscus, minorum; quos liberata ciuitate L. Brutus, *patres conscriptos* appellat: quos ipsos Tacitus minorum gentium vocat. Hinc Cicero ad Papirium, aliquot patricios Papirios, quamquam minorum gentium, nominat. An vero minorum gentium omnes, præter eos quos Romulus primum fecerat, dicerentur, facile vocari in quæstionem possit. Cur autem vnius gentis ac nominis familiæ altera patricia, altera plebeia fuerit, quales plerasque fuisse reperimus, nemo adhuc tradidit: nos caussas has potissimum reddi posse putamus: Vnam, quod non ab eodem ambæ fonte fluerent; vt si quis familiam M. Tullij Longi, qui patricius anno post reges exactos decimo consul cum Ser. Sulpicio fuit, quæ a Ser. Tullio rege duceretur, diuersam esse a M. Tullij Ciceronis oratoris familia dixerit, qui plebeius fuit; quam a Tullo Attio Volscorum rege, qui multo post Ser. Tullium regem vixit, manasse, quibusdam, auctore Plutarcho, placuit. Alteram, quod ex patricia aliqua gente alij ad plebem se contulerint, alij in patriciatu remanserint; ex plebeia vero alij a plebe ad patres transierint, alij non transierint: siquidem scribit Suetonius, gentem Octauiam in patricias transductam, procedente tempore ad plebem se contulisse, ac rursus per diuum Iulium in patriciatum rediisse. & Cicero in Bruto; *Transitiones*, inquit, *a plebe* sunt, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunduntur genus; vt si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio consul fuit. L. etiam Minucium Augurinum patricium ad plebem transisse, & tribunum plebis vndecimúm factum esse, tradit Plinius. Tertiam, ab adoptione; vt cum plebeius a patricio, aut contra patricius a plebeio adoptaretur. necesse enim erat eum cõditionem sequi adoptantis. ita M. Brutus plebeius, a Q. Cæpione patricio adoptatus, & Q. Cæpio Brutus dictus; & P. Scipio patricius, a Q. Metello plebeio adoptatus, & Q. Metellus Scipio dictus, patriciam Brutorum, & plebeiam Scipionum familiam reddiderunt. Quartam a libertate. liberti enim assequuntur illi quidem nomen domini gentilicium; at conditionem, si patricius sit, non assequuntur. Vnde Horatius Flaccus plebeius; cum & Horatij patricij sint. quamquam nec qui adoptione, nec qui manumissione in alienam gentem migrabant, gentiles cum iis fuisse ex Scæuolæ definitione videntur, vel a quibus, vel ad quos transibant: illi, quod capite diminuti essent; hi, quod seruitutem seruissent; vt in Topicis exponit Boetius. Quintam a ciuitate. nam qui ciuitatem beneficio alicuius patricij impetrabant, ij nomen eius tantum adipiscebantur, in plebe autem remanebant; & si quæ aliæ sunt eiusmodi. Hæc de patriciis & plebeiis. *Nobiles* autẽ, primum patricij dicti sunt, quippe quibus primum honores ij ex quibus nobilitas comparatur, in republica patuerunt: post autem plebeij etiam, vbi primum ad curules honores peruenerunt, nobiles dici cœpti sunt. neque enim ex genere nobilitas, sed ex imaginibus parabatur. siquidem ij nobiles dicti, qui maiorum suorum imagines haberent. *Imaginem* autem *sui ponere*, ac posteris tradere non poterant, nisi qui curulem magistratum gessissent; quorum post aliquot tempora primus esse cœpit ædilitas curulis; qui magistratus ante patriciis patuit quam plebeiis. est autem *Imago*, vt ait Polybius libro V, simulachrum oris similitudinem affabre miroque artificio effictam, coloribus pigmentisque adumbratam referens: quam in insigniori & celebriori domus parte collocabant. De iure autem ponendarum

imaginum sic Cicero in Verrem; Ego me ob ædilitatem mihi delatam adeptum esse intelligo antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendam. sic enim legit Nonius. & contra Rullum; Est hoc in more positum, Quirites, vt ij qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consequuti sunt, eam primam habeant concionem, qua gratiam beneficij vestri cum suorum laude coniungant. Est autem Consequi imagines familiæ, magistratus curules a maioribus suis item gestos capere. *Noui* autem dicti sunt, qui nulla maiorum commendatione, ipsi primi ad magistratus curules peruenerunt. quod intellexit etiam Plutarchus, cum in Catone maiore ita scripsit; εἰωθότων δὲ τῶν Ῥωμαίων τοὺς ἀπὸ γένους δόξαν οὐκ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὑτῶν καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους, ὥσπερ καὶ τὸν Κάτωνα προσηγόρευον. & App. lib. II; καλοῦσι δὲ καινοὺς, τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους. Itaq; Cicero in Rullum ait; Me hominem nouum, consulem fecistis. Item; Mihi apud vos de meis maioribus dicendi facultas non datur; non quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis; sed quod laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt. Item; Quemadmodum cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt; sic, si quid deliquero, nullæ sunt imagines quæ me a vobis deprecentur. Et in Pisonem; Obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum. Et Liuius lib. I; Ancus Marcius nobilis vna imagine Numæ. & lib. III, Ap. Claudium, virum honoratissimæ imaginis futurum ad posteros, legumlatorem, conditoremque Romani iuris. Et Suetonius in Vespasiano; Flauia gens obscura illa quidem, ac sine vllis maiorum imaginibus, sed reip. non pœnitēda. Et Pædianus in orationem in toga candida; Cicero competitores quatuor plebeios habuit; ex quibus duo nobiles, duo qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant. Et Liuius lib. XXII; Nec finem ante belli habituros quam consulem vere plebeium, id est hominem nouum, fecissent: nam plebeios nobiles, iam iisdem initiatos esse sacris, & contemnere plebem, ex quo contemni desierint a patribus. Et Plin. lib. XXXV, cap. II; Exstat Messallæ oratoris indignatio, qua prohibuit inseri genti suæ Læuinorum alienam imginem. similis caussa Messallæ seni expressit volumina illa quæ de familiis condidit, cum Scipionis Africani transisset atrium, vidissetque adoptione testamentaria Salutionis (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore, notam irrepentem Scipionum nomini.

De alia nominandi ratione, CAP. VII.

Hæc igitur omnia cum illi haberent quasi instrumenta quædam nominandi, prænomen, nomen, atque cognomina; non his tamen contenti, alia etiam ad singulos significandos, exempli caussa patris aut aui prænomen, tribusque nomen, adhibuerūt. quod cum ex vetustis illorum monumentis, tum maxime ex Pædiano cognoscitur, qui in II in Verrem sic ait; Moris fuit, cum aliquis ciuis Rom. ostēdendus esset, significaretur aut a prænomine suo, aut a nomine, aut a cognatione, aut a cognomine; aut a tribu, in qua cēseretur; aut a curia, aut a censu; vt, si esset senator equesue Romanus. Quod autem a cognatione significatos esse scribit, a patris, vel aui, vel proaui prænomine, puto intelligi eum voluisse. Nam quod a patris prænomine nominandi cōsuetudo fuerit, pleni sunt omnes libri; vt, Q. Cæcilius L. F. A patris autem & aui, Capitolina marmora satis ostendunt: a proaui vero, epigramma quod est in lib. Vet. inscriptionum eiusmodi:

L. MVNATIVS L. F. L. N. L. PRON. PLANCVS. COS. CENS. IMP. ITER.
VII. VIR EPVL. TRIVMPH. EX RHETIS.
AEDEM SATVRNI F. DE MANVBIIS.
AGROS DIVISIT IN ITALIA BENEVENTI.
IN GALLIA COLONIAS DEDVXIT LVGDVNVM ET RAVRICAM.

Inuenio etiam significatos esse a cognomine patris multos; vt Q. Fabius Maximi filius; T. Quinctius Capitolini filius. & in adoptiuis; vt, Metellus Nasicæ F. & in vetere lapide Romæ;

P. CORNELIVS PAVLLI F. SCIPIO
AEMILIANVS COS. II. CENSOR.
AVGVR TRIVMPHAVIT.

& in nummis aliquot argenteis apud clarissimum virum Andream Lauredanum;

A. POSTVMIVS COS.
BRVTI F. ALBINVS.

Porro autem, quod a tribu ait, id tale est. cum tribus omnes Romæ XXXV numerarentur, atque ex iis aliquam necesse esset, cuiusque ordinis esset, ciuis Romanus obtineret, iccirco factum est vt a tribu, in qua censeretur, significaretur; tribus autem nomen in auferendi casu poneretur. Ita legimus in II Verr. C. Verres Romilia: & alibi; L. Claudius Palatina. & in IX Philip. Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia Rufus. Nam Romilia, Palatina, & Lemonia, tribuum nomina sunt. Tribus autem ipsa prioribus fere tantum litteris significabatur. Quod videmus adhuc in epistola Cœlij esse retentum; hoc modo; C. Luceius C.F. Pup. Hirrus: C. Scribonius C.F. Pop. Curio. id est, Pupinia, & Popilia. quo in loco multa in hanc rem a Paulo Manutio diligentissime atque ingeniosissime sunt collecta.

Quæ de nominibus Romanorum tradita sunt, ea stante rep. obseruata esse intelligi, CAP. VIII.

Hæc habui quæ de nominibus Romanorum dicerem, quæ certa veterum auctoritate confirmarentur. quorum vestigiis insistentem, haud difficile vnumquemq; ea quæ a me prætermissa sunt, indagaturum esse opinor. Est igitur intelligendũ, hanc, de qua diximus, nominum rationem, stante potissimum rep. conseruatam esse; post autem cum libertate hanc etiam religiosam descriptionem labi ex omni parte cœpisse. siquidem aliquot quæ ante cognomina fuerant, pro prænominibus cœpta sunt vsurpari. Nam Iulum Antonium Africanum, Paullum Fabium Maximum, Potitum Valerium Volusum, Cossum Cornelium Lentulum, sane animaduertere licet, imperante Augusto iis prænominibus esse præditos, quæ ante cognomina fuerant. quod ipsum Valerius quoque & Priscianus docuerunt.

FINIS.



MESSALAE CORVINI
AD OCTAVIANVM AVGVSTVM DE PROGENIE SVA LIBELLVS; IN QVO SIMVL & prima vrbis regimina ab exordio breuissime exponuntur.

QVVM frequenter me digna moueat postulatio tua, gentium gloriosissime Imperator, vt progeniem tuæ scilicet inclytæ posteritatis, simul & vrbis Romæ prima regimina ab exordio litteris distinguere mihi persuadeam: parebo clementiæ tuæ, & operam dabo, aliquid ingenij, sed parum laboris occupare. Nam quæ poscis, cum ab historicis, studiosissimisq; veterum auctoribus longe lateq; sint declarata, & te copiosissime rerum maximarum studiis deditum haud ignorem: tamen quia iubes, opus expediam, & tuæ vetustissimæ gentis prosapiam, quæ nūc in amplissimo maiestatis culmine locata solum ad sidera spectat, arctato itineris limine insistam declarare. nam quamquam a profundo originis fonte, cursus pedetentim subsequendus foret, accelerare maturabo, serenissime Cæsar Auguste. Totus terrarum ambitus, quem vndique Oceanus verberat vndis, ab Historicis & Cosmographis trifarie diuiditur. cuius partium prima, inter Septemtrionem & Meridiem ad Orientem extenditur, Asia: Secunda, ab ostio fluminis Tanais, Hyrcanorumq; finibus, vbi iungitur Asiæ, inter septemtrionalem Oceanum, & mediterraneum æquor, ad vltimas Hispanias in occasu terminat, Europa: Tertia, ab Ægypto Niloque flumine exordium trahens, relictis terminis Asiæ, inter meridiem & mediterraneum fretū producta, ad occasum in Atlantici Oceani litore definit, Africa. *Asia* ergo, si ad numerum spectamus, orbis terrarum pars tertia erit: si ad magnitudinem, medium terrarum orbem in se continere videri poterit: sic dicta a nomine cuiusdam mulieris, Orientis reginæ. In ea igitur inter ceteras prouincias *minor Asia* est; in qua *Phrygia* regio, sic dicta a Phrygia * Æsepi & Europæ filia: * &, vt alij tradunt, ex Ioue & Europa nata. Dardanum, Ioue & Electra Atlantis filia progenitum, deorum monitu ab * Italia, * &, vt aliis placet, e Creta insula, patrios deferentem lares, multitudine gentium, ad hanc Phrygiam deuenisse ferunt, vrbem condidisse, eamque ex se *Dardaniam* nuncupasse: vnde *gens Dardana*; & incolentes terras, *Dardanidæ* dicti. Hoc regnante, de Creta cum manu electissimorum iuuenum forte noui regni fama concitum Teucrum, ad Phrygiam, patriis sedibus expulsum, dicitur conuenisse: qui a Dardano, & dextera & fide data, in * parte regni consors susceptus est, vt numerosiore populo noua implerētur mœnia. Ita sub duobus regibus haud discrepantibus, Dardania, potentia & magnitudine aucta, pacifice aliquamdiu stetit. Huius Teucri in regendo & rēpubl. augēdo bonitas comitasq; tanta fuit, vt eo defuncto, superstite Dardano, ob ipsius inclytæ memoriæ gloriosissimum decus, qui Dardanidæ nuncupabantur, deinceps *Teucri* cognominarentur; vt Virgilius Maro; *Hic genus antiquū Teucri pulcherrima proles.* Dardanus filium habuit Erichthonium; quem post sui obitum regnantem reliquit. Erichthonius * Troum genuit; qui iustitia & pietate insignis, mutato Dardaniæ nomine, ex se vrbem *Troiam* nominari permisit. Hinc Troianum nomen ortum. Duos filios Trous habuit, Ilum scilicet, & Assaracum. Ilus vero, quia maior natu, defuncto patre, regnum obtinuit; & intra vrbis mœnia illam eminentissimā atque gloriosissimam arcem edidit, quę ex sui nomine *Ilium* nuncupata: vnde *Ilienses*

Troiani dicti. Is Laomedontem filium reliquit: quo regnante, Iaſon & Hercules, validiſſimorum iuuenum Græcorum comitatu, quum ad Colchos ob velleris aurei cupidinem transfretarent, a maritimo faſtidio ſe recreandi gratia, in Phrygiam terram legerunt. Quos Laomedon, vel ſuperbia, vel famoſiſſimæ gentis terrore concitus, minaci nuntio extemplo abire præcepit. Hi quum alio contenderent, nec vires nec arma ad reſiſtendum haberent, ob illatum dedecus indignati, excidium * auſterrimo regi continuo minitantes, obtemperauere mandatis: ac perfecto velleris negotio, vbi in Græciam rediiſſent, Hercules Phrygij regis opprobrij non immemor, maximorum iuuenum ac principum Græcorum manu armata claſſe, ad Troiam vela remosq; direxit; & in litore expoſitis armis, ad mœnia impetuoſe cõtendit. Quod vbi ſenſiſſet Laomedon, audacter magis quã caute, inordinato agmine extra mœnia hoſtili impetu auſus congredi, inſidiis interceptus, fortiter dimicãdo exſtinctus eſt, ſuorum parte maxima vel capta, vel perempta. Hinc ad exterrita mœnia Hercules contendens, nullo cuſtode nec in muris nec in portis obſtante, introit vrbem; & igne ac ferro omnibus conſumptis, Heſionam Laomedontis ſororem, Telamoni Salaminæ regi, quia muros Troiæ primus inuaſerat, ac in portas irruperat, dedit. Ex qua natus eſt alter ille Teucer, qui patria profugus, in Sidonia alteram Salaminam condidit: de quo Virgilius noſter, inducens Didonem effari ad Æneam: *Atque equidem memini Teucrum Sidona venire, Finibus expulſum patriis, noua regna petentem.* Ex Laomedonte ſuperſtes filius fuit Priamus, qui tũ forte * alio in armis aberat. Is & patris & patrię excidio cognito, rediit; dirutamq; vrbem impenſa & opere adeo reparare inſtitit, vt breui marmoreis ſaxoſisque turribus, & ædificiis publicis ac priuatis, auguſtiorem tutioremq; redderet. Aſſaracus vero Troi filius, Ili frater, vt ſupra memini, genuit Capym, Capys Anchiſen, Anchiſes Æneam, Æneas Ilum cognominatum Aſcaniũ, ex Creuſa matre natum, qui & *Iulus* fuit, a quo *gens Iulia*; vnde tuæ gentis vocabulũ trahis ſereniſſime Auguſte: vt Virgilius; *At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo Additur, Ilus erat dum res ſtetit Ilia regno.* Priamus vero, vbi in Græciam poſtulatũ miſiſſet vt Heſiona ſoror, quæ a Telamone turpi ſeruitio concubina tori tenebatur, in matrimonium duceretur, vel ſaltem reſtitueretur, deriſus, neutrum obtinuit. Quare Alexander, qui & *Paris* dictus, Priami filius, manu electiſſimorum iuuenum in Græciam æquora ſulcauit, Helenamq; Menelai regis vxorem, Græcarum pulcherrimã, rapuit. Quamobrem Græciæ reges armantur; & Agamemnone duce poſt decẽnem obſidionem Troiæ mœnia capta, in ruina ac cinere iacuere ſolo. Hinc, Græcorum aſſenſu, duo incolumes principum Troianorum receſſere, qui auctores pacis & reddendæ Helenæ ſemper fuerant, & Græcorũ legatorum, Vlyſſis ac Diomedis, honoratiſſimi hoſpites; Antenor ſcilicet, & Æneas: quorum alter ex Laomedontis, vel, vt quibuſdã placet, Priami ſorore natus, * Aſſueri viri nobiliſſimi fuerat filius, Antenor: alter, ex regio ſanguine ortus, Æneas, vt ſupra demonſtratum eſt. Hi nauium claſſe parata, & patriis rebus, hominibusq; quos arbitrio * ſui delegerãt, onuſta, panſis velis tenuere altum; & per Ægæum Ioniumq;, prætereuntes Argolicas vrbes, ſuadentibus fatis ad Italiam remigauerũt. Antenor ex Ionio æquore ad dexteram flectens inter Dyrrachium & Brunduſium, per latiſſimas ſuperi æquoris fauces ad ſeptemtrionem conuerſus, hinc Dalmatas linquens, Illyricos ac Liburnos; illinc Appulos atque Picenum; ad caput Adriatici maris curſum tenuit. & relicto æquore, aduerſo flumine quod * Brentenſia dicitur, ſurſum contendens, terra potitus, ſedem ſibi ſuisq; elegit: & expugnatis Euganeis, qui tum ea incolebant loca, Patauium condidit. Is inter ceteros comites, Enetorum multitudinem numeroſam ſecum duxerat; qui Paphlagonia orti, patria pulſi, exſules ad Troiam, quæ bello * tum elaborabat, conceſſerant. Hi in proxima finitimorum prædia lõge lateq; diffuſi, quia multitudine cuncta compleuerant, ex ſe gentibus nomen dedere, & *Venetiæ* regio dicta. De hoc Antenoris aduentu ſic meminit Virgilius; *Antenor potuit mediis elapſus Achiuis Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timaui: Vnde per ora nouem vaſto cum murmure montis It mare præruptum, & pelago premit arua ſonanti. Hic tamen ille vrbem Patauí, ſedesque locauit Teucrorum; & genti nomen dedit, armaque fixit Troia: nunc placida compoſtus pace quieſcit.* Hoc loco, Imperator maxime, quum te per-

quum te persæpe altiloquio tuo differentē dubitare animaduertissem, quod insigne vexillis Antenori & Æneæ fuisset, sine quadam rei memoria haud prætereundū arbitror, sed cum Virgilio nostro instandū, vbi de Antenore sic profatur: *& genti nomen dedit*, id est, vtramq; gentē, Italicos scilicet, & Phrygios, qui ea incoluerunt loca, Troianos, vel, vt alij tradūt, Antenoridas cognominari statuit. *armaq; fixit*, hoc est, in templis arma & insigne armorū suspendit. Nam post exactam militiam laboresq; militiæ, mos antiquitus fuit, in deorū templis suspēdere arma. ideo *arma fixit Troia*. Troia fuit inter arma templis affixa, armorū insigne: quod nonnulli afferunt. *Troia* namq; vulgo Italice Latineq; scropha vel sus dicitur. cui vocabulo licētia sui allusit poeta: quod animal, quia eius nomen vrbi Troiæ congruebat, aureo vexillo insigne armorū statuit Antenor, absumptæ vrbis Troiæ memoria. Verum in gestis Æneæ, alia euidētior ratio, cur ita, videri poterit. quare progredior. Æneas eodem itinere per Græcorum Achaicumq; fretum delatus, in Epiro reuisit Helenum, inter Argolicas vrbes dominij dicionem tenentem. Narrat historia, Pyrrhum, Achillis filium, deleta Troia, Andromachen Hectoris quondā vxorem, & Helenum Priami filiū seruitio secum duxisse. Inde quum sibi matrimonio iungeret Hermionen Menelai filiam, Heleno Andromachen tradit. Mox ab Oreste interfectus, quia sine prole interiit, in regno præsidem reliquit Helenum: vt ibidem Maro, vbi de se Æneas ad Didonem profatur: *--iuuat euasisse tot vrbes Argolicas, mediosq; fugam tenuisse per hostes.* Et paulo post; *Hic incredibilis rerum fama occupat aures, Priamiden Helenum Graias regnare per vrbes, Et primo Andromachen iterum cessisse marito.* Is Helenus Æneæ futura prædicēs, monitus interpres deorū profatus fuerat, ibi locum* sedis eius fore quietis, vbi in Italia iuxta* Tybridis ripas scropham seu suem triginta natorum fœtu* iacentem videret; vt Maro in tertio; ad Æneam loquutus Helenus; *Signa tibi dicam: tu condita mente teneto: Quum tibi sollicito secreti ad fluminis vndam Litoreis ingens inuenta sub ilicibus sus, Triginta capitum fœtus enixa iacebit: Is locus vrbis erit; requies ea certa laborum.* Æneas hinc discedens, & extrema Italiæ radens, circumuectū per Siciliam senem Anchisen patrem amisit. Inde per inferū mare diu fluctibus ex iniquo sidere vexatus, Aphrum tenuit litus. mox pacato æquore ad Italiā reuectus, appulit Tiberis ostio. Ibi tūc temporis *Latinus* rex, Fauni filius, gentibus imperitabat: qui ad rei nouæ tumultū excitus, vt* Tito Liuio placet, in armis obuiam pergit. Inde colloquio vtrimq; pacatis animis, duci Troiano filiā, quam Turno Rutulorū regi primo desponsarat, matrimonio iungit, Lauiniam. Æneas conditū oppidum ex vxoris nomine *Lauinium* appellat. At Virgilius noster hac in parte aliter sentit; id est, Latinū non in armis obuiā processisse, sed Æneam legatos regi misisse: quibus auditis rex pacatus, & monitis deorū adductus, Lauiniā filiam aduenæ Troiano tradit. Quamobrem Turnus, impatiens opprobrij ereptæ cōiugis, bello petit Æneam, nec vetante nec permittente Latino. Æneas, vt vires & arma in hostem externo robore firmaret, ad Euandrū, qui tum his oris vbi nunc Roma, auctoritate dicionem tenebat, sursum aduerso flumine pergens auxilij exposcendi gratia, suem, id est scropham, triginta natorū fœtu, vt Helenus prædixerat, iacentem aduertit; quietæ sedis certissimū omen: quam Iunoni deorum reginæ immolando sacrauit; vt Virgilius in octauo; *Ecce autem subito, atq; oculis mirabile monstrum, Procubuit viridiq; in litore conspicitur sus: Quam pius Aeneas, tibi enim, tibi maxima Iuno Mactat sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.* Eodem Æneam Lauiniū oppidū struxisse aiunt: simul & hinc scrophæ signū Troianis ortum quidā tradidere; seu ob iniecti fundamenti regiæ sedis memoriā; seu quia quietis genti scropha signū dederat; seu ob æternū insigne nominis Troiæ, quæ huic vocabulo animalis vulgo Italice includitur, vt supra memini. Præterea & nonnulli referunt historici, Æneam more nauigantiū, inter cetera animalia ad vsum vescendi, vt fit, suem viuam secū detulisse, ac ex oraculo respōsum habuisse, quum teneret Italiā, dimitteret eam: inde, quo reperta foret, sedi eius conderet vrbem. quam in Cāpaniæ oris, apud Auernū lacum Baiarumq; fines, dimissam volunt, mox supra Tybridis ripam. Quare elatū scrophæ vexillum. quocirca Helenus ad Æneam in tertio Virgilij; *Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Troiam*, id est, insigne Troianū. Ac quum hac in parte te dubitare serenissime principū crebro percepissem, & in ambiguitate rei huius multos vagari, tulit calamus pro-

lixius,& a propoſito longius,quam expoſceret intentio. Quis enim rem tot ſeculis remotiſſimam ſcrutaturus,per vetuſtiſſima litterarum volumina ſine ambiguitate euadere potuit? Sed ad propoſitum redeundum. Ad Euandrum conceſſit Æneas; & optato potitus,Pallantem Euandri filium,&ingentis roboris armatorū auxilia ſecum duxit. Turnus poſt aliquot prœlia clariſſima victus tandem ac peremptus, Troiano ceſſit. Victor Æneas poſt Latini obitum in regno ſucceſſit: quem mortuū,& ſuper * Numicij fluminis ripam conditum, *Indigetem Iouem* dixere,expleto anno tertio regni. Superfuit *Aſcanius*, eius filius, Troiæ ex Creuſa natus. Is Lauinium oppidū nouercæ Lauiniæ,& Syluio ex Lauinia fratri relinquens,haud inde lōge in Albano colle condidit Albam.Inter Lauiniū & Albam conditam triginta annorum ſpatium datur. Abſumpto Aſcanio,frater eius Syluius,qui & *Iulus*,a quo *gens Iulia*,& antiquum tuæ generoſæ* prolis deriuatū cognomen Auguſte,regnat:quamquam inter auctores veterū in ambiguo conſtet, vtrum * hunc Syluium an Aſcanium cognominatum fuiſſe Iulum.Is Syluius, poſt obitū patris ex Lauinia * Italiæ natus, * *Poſthumus* dictus: quem Lauinia prægnans,priuignū timens Aſcanium,ſecedēs,in quadam ſylua,apud * Tityrum paſtorem peperit; vnde *Syluius* nuncupatus;vt Maro, inducēs Anchiſen oſtentantem ſuorū progeniem Æneæ: *Ille (vides)* * *puræ iuuenis qui nititur haſtæ, Proxima ſorte tenet lucis loca, primus ad auras AEthereas Italo commiſtus ſanguine ſurget, Syluius, Albanum nomen, tua poſthuma proles: Quem tibi longæuo* *ſecum Lauinia coniux Educet ſyluis regem,regumq; parentem; Vnde genus longa noſtrum dominabitur Alba.* Hic Syluius Syluium Æneam filiū reliquit:ex quo Latinus filius: a quo *Priſci Latini* cepere nomen,& *Syluium* cognomen Albę regnantibus datum,vt quidā tradidere:quamquam Virgilius hoc cognomen regibus Albanis a Syluio Poſthumo deriuatū ſentire videatur. Genuit hic Syluius Albam, Atym Alba, Capym Atys, Capys Capetum, * Capetus Tiberinū; qui in Albula flumine demerſus, mutauit fluuio nomen,Tiberi deinceps nuncupato.Ex Tiberino ſuperfuit Agrippa: ex quo * Romulus Syluius:qui ſine prole, fulmine ictus, ſtirpis eiuſdē Auentinum in regno reliquit. is decedens, in quo ſepultus fuerat, colli nomen dedit. Huic ſucceſſit Proca:quo defuncto,duo eius filij,Numitor & Amulius,ſuperſtites fuere: quorū alter Amulius, Numitorē fratrem maiorem e ſolio deiecit;cuius virili prole interempta,filiam *Rheam Syluiam,vt partum auerteret,Veſtalem virginem ſacrat.Rhea geminos edidit,Remū ſcilicet & Romulum;a Marte cōpreſſa, vt traditur. Quod regi Amulio * notum,in vincula tradita matre, regio edicto in Tybridis alueo exponuntur gemini. Fama eſt, in lupam geminos lambentem, regium paſtorem Fauſtulū caſu quodā incidiſſe: qui vxori Laurentiæ nutriendos dedit. Iam adulti iuuenes, corporis & animi vires adepti,per ſyluas ac nemora non modo infeſtare feras, ſed & finitimis paſtoribus dominari occeperant. Tandē inſidiis Remus interceptus, vt prædæ reus ad Amuliū ducitur.inde,quia eum cū fratre Romulo in agrū Numitoris impetum feciſſe dicebatur, ad pœnas ſupplicij materno auo traditur: a quo mox & ipſi nepotes præſidio paſtorum in regiam facto impetu, Amulium obtruncant,& reſtituunt Numitori regnū. Hunc ſcito Cæſar Auguſte,gentis Iuliæ Albanorum regum vltimum;eamque gentem ad Iulium vſq; Cæſarem, teque principum decus, ſine imperio * priuatæ in tuæ felicitatis tempora terminaſſe. namq; Romulum, Romanæ vrbis imperijq; tui conditorem, materna linea incognito patre ortū,tuæ ſtirpis nō cenſeo,ſi maiorum genealogiam recte cōplector.

At nunc ad reges Romanos,cōſules,dictatores,tribunos militares ac plebeios,ſubſequēter calamū deducam; vt ab origine ad tua feliciſſima ſecula Romana regimina noſcas. Igitur Palatino in monte,vbi adulti & a paſtoribus culti gemini erant,auſpicato parua mœnia ponunt;&,vbi alter alterū non patitur,cui regnandū,augurio permittunt.Qua contentione interfectum Remum deſcripſere quidam; aliter alij, quia fertur incepta mœnia contra edictum tranſiluiſſe Remum, a Romulo, cui regnare obtigerat, ſecuri percuſſum, & a nomine conditoris vrbem Romam nuncupatam. Ferunt anno vigeſimo ſecundo ætatis, vndecimo calend. Maias, quadringenteſimo triceſimo tertio poſt captam Troiam, Romulum vrbis fundamenta ieciſſe. Qui primo conſtitutis ſacris, legum iura ſanxit; fecit & ſe regiis inſignibus auguſtiorem; circa ſe lictores inſtituit. aſylum aperuit complendæ vrbis gratia. centum Senatores

creauit;

creauit; quos *Patres* auctoritate nuncupauit, Reipublicæ conſilium Equeſtri Neptuno ludos finitimis gentibus * indicauit. Circumſtantes populi cum familiis ad vrbem, velut ad rem nouam ſimul & ludos, conueniunt. Tum ad ſpectacula intentis aduenis, raptæ virgines Sabinorum, ceterarumque turba, & in matrimonium abductæ. Raptarum parentes, ad vltionem illati dedecoris, arma parant. hinc pleraque bella orta. Cæninenſes, qui primum in agrum Romanum impetum fecerant, victi ſunt, Acrone eorum rege a Romulo obtruncato. cuius opima ſpolia in Capitolium ad quercum paſtoribus ſacram rex ipſe Romanus ſuſpẽdit; ibique Ioui Feretrio templum ſtatuit, quod primum Romæ ſacratum fuit; & de Cæninenſibus primum triumphum egit, vt quibuſdam placet ſcriptoribus. Antemnates exinde populandi gratia hoſtiliter aduentarunt: qui a Romulo victi, in vrbem ducuntur. Hinc aduerſus Cruſtuminos ſubſequenter tumultuantes, in armis Romulus profectus, ſuperatos hoſtes Romæ cohabitare * coercuit. Cum Sabinis vltima & acrior pugna fuit. nam ab his, Tito Tatio duce, Capitolij arce capta, mox virtute Romuli recuperata. interuentu raptarum, miſerando fletu implorantium, pacatis vtrimque animis, pax fit, & ex duobus regnis vnum. Namque Sabini * eorum imperium Romam traducunt; & ſub duobus regibus, Romulo & Tito Tatio, commune dominium per aliquot annos fuit. Sed primo Tatius moritur a Laurẽtibus interfectus, anno quinto poſtquam Romæ regnare cœperat. Superfuit Romulus; qui demum victis Fidenatibus ac Veientibus, ad Capreæ paludem concione habita, ſubito turbine & imbre lumine ſolis adempto, inter fulgura obſtrepentia cœli ereptus, nuſquam apparuit, poſtquam triginta & ſeptem regnauerat annis.

NVMA exinde POMPILIVS, e Sabinis ortus, vir pietate & iuſtitia inſignis, ſecundus a Romulo regnat: & pacatis finitimorum odiis, gemini Iani templum edidit; quod apertum, bella; clauſum, quietem indicaret. Mox ad religionem conuerſus, vt deorũ timor ad mitiora truces flecteret animos, ſacra inſtituit, ſacerdotes creat, Virgines Veſtales ſacrat, Pontificem maximum primus declarat: dies faſtos nefaſtosque condidit, annum in duodecim menſes diuiſit. Poſtremo, vbi maxima cum reuerentia & ſuorum & finitimorum, tres & quadraginta regnaſſet annos, obiit.

TVLLVS HOSTILIVS exinde rex tertius creatur, ad bella promptiſſimus, animoſior Romulo. cum Albanis armorum negotium habuit, ſed paucorum cruore ac fortuna finitum. nam trigeminis Horatiis Romanorum, & trigeminis Curiatiis Albanorum res hoc fœdere committitur, vt ciuitas * pro qua pugnarent qui viciſſent, alteri imperaret. vicerunt Horatij, Albani ſub imperio Romano fuere. Fidenates ac Veientes proinde in agrum Romanum impetũ faciunt. quibus victis ac fugatis, Metium Albanorum dictatorem, quia ex fœdere in armis accitus, proditor rem Romanam maximo in diſcrimine abſentando deſeruerat, Tullus quadrigis in diuerſum actis alligatũ diſcerpi, Albamque dirui, ac omnes Albanos Romam deuehi iuſſit. Cœlium montem intra mœnia clauſit, numero & potentia creſcente Roma. Cum Sabinis, qui patriis in ſedibus T. Tatij tempore * manſerant, bellum graue geſſit, hoſtemque vicit. Demum fulminis ictu cum tota domo abſumptus, anno regni triceſimo ſecundo interiit.

ANCVS MARCIVS Tullo ſucceſſit, vir pace & bello clariſſimus. Ad arma & religionem paratus, ad ſacra primum & templa condenda ornandaque animum flexit. Mox quum res poſtularet, a ſacris ad arma concitus, aduerſus Latinos, qui primo in eum mouerant bella, ſe contulit, & Politorium vnicum Latinorum præſidium expugnat ac diruit; omnesque in oppido repertos, Romæ * cohabitandos deſtinat. Ianiculum collem vrbi adiecit, pontem ſublicium ſupra Tiberim fecit: tum Quiritium foſſa per plana deducta, carcerem primus ſtruxit. vſque ad mare dilatati fines: vbi Tibris in æquora prorumpit, Oſtia vrbs condita, & Salinæ * circumlatæ. Feretrij Iouis templum ampliatum. Deceſſit Ancus anno regni viceſimoquarto.

PRISCVS TARQVINIVS, a Tarquiniis Etruriæ profectus, exinde regnum occupat. cum Latinis is primum bellum habuit; & Appiola vrbe expugnata, ingẽti præda victor rediit. ludos inſtituit: Circum erexit, aduerſus * Sabinos cẽturias auxit: quibus induſtria ac viribus ſuperatis, arma cruenta hoſtium in Anienem flumen eijcere

fecit. quæ ex Aniene in Tiberim deuecta, summæ victoriæ nuntium Romæ detulere. Iterum eisdem hostibus secundo prœlio attritis, Collatiam oppidum sui iuris fecit. Romam regressus, insigni gloria primus triumphat, vt quidam volunt: cum Priscis Latinis bello orto pugnauit: quibus deuictis, pacem dedit, vi & armis oppidis captis, Corniculo, Ficulnea, Cameria, Crustumerio, Ameriola, Medullia, & Nomento. Demum ad ædificia publica intentus, muro lateritio circuit vrbem: valles interiacentes collibus, ceteraque loca limosa, & sordibus repleta, cloacis vacuat. In Capitolio Iouis ædem, grande opus, inceptarat: tum interfectus a duobus Anci filiis, obiit anno regni tricesimo septimo.

SERVIVS TVLLIVS post hunc rex declaratur, ex captiua & nobili femina a Corniculo oppido grauida educta, in domo Tarquinij natus, & adultus. cum Veientibus & Etruscis primum bellum sumpsit: quibus fortissime victis, insignis gloria victor rediit. Censum primus instituit, quo & paci & bello opportuna redimerentur. In classes centuriasque populum diuisit. Domi *paci tranquillæ, & foris in armis quod necesse fuerat, sollertissima statuit industria. Ciues omnes, pedites equitesque, qui arma ferre possent, in campum Martium conuenire edicto iussit; ibique exercitum instructum ordine, porco, oue, & tauro lustrat. Inde ad posteros *Lustrum* nuncupatum: quo * octoginta milia ciuium censa referuntur. Duo colles vrbi tum additi, Viminalis & Quirinalis, & *Exquiliæ, vbi ipse regiam habuit. Aggere, fossa, & muro, quæ vrbi adiecerat, circumclusit. Dianæ templum condidit. Postremo a Lucio Tarquinio, Prisci Tarquinij filio, & genero suo, anno regni tricesimo quarto, in vico Cyprio obtruncatur.

TARQVINIVS inde regnum inuadit: qui male partum imperium, ita contumaciter rexit, vt cognomen *Superbo* sibi vindicaret. In Patres ac Senatum sæuiens, iniussu populi, ad libitum agere omnia cœpit. occidere, carcerare, afficere supplicio, sui iuris fecit. Cum Volscis bellum habuit: quibus expugnatis, oppida Suessam & Pometiam eripuit. fraude & non bello Gabios subiugauit, & cruciatibus attriuit. Cum Æquicolis & Etruscis fœdera tenuit. Iouis templum, quod in Capitolio pater inceptauerat, maximo impendio ac labore ad culmen *erexit. Demum ob Lucretiæ per vim illati stupri dedecus a Sexto Tarquinio eius filio, Iunij Bruti opera pulsus [in] exsulatum cum scelesta coniuge ac filiis fuga perrexit, anno regni tricesimo quinto, ab vrbe vero condita ducentesimo quadragesimo quarto.

Depulsis regibus, sub *Consulibus* annuo imperio iura Romana fuere. Senatus, vt solidum corpus, immutabile erat; Consules, velut membra: Senatus, consilium, & rerum deliberatio; Consules, ad consulta peragenda parati. *Dictatoris* imperium, quod ceteros magistratus excedebat, ad terrorem cunctorum, tum quum res Romana in extremis periculis nutare cerneretur, creabatur, summæ potentiæ vnicum robur. Inde ob truculentissimas inter patricios ac plebeios seditiones, plebs armata, maximo cum terrore nobilium, in * Auentinum, &, vt aliis placet, in Sacrum collem secesserat: nec inde abduci potuit, donec ad fauorem sui, *Tribuni plebeij* primum crearentur. Mox ad *Decemuiros* res venit. nam Decemuiros creari placuit, qui sine alio magistratu, annuo imperio reipublicæ præessent. Anno ab vrbe condita vno & trecentesimo, hoc imperium in Appio Claudio, atrocissimi ingenij viro, desinere voluit eiusdem obstinata perfidia: ob cuius scelestæ libidinis nefas violandæ Virginiæ virginis pudicissimæ, se abdicare magistratu Decemuiri coacti sunt. Tum ad consules res redierat. Verum paulo post, Tribunis plebis auctoribus, seditione vt alias orta, inter cetera obtinuere plebeij, vt & *Tribunos militares* haberent, sicut & Plebeios. Sed hi promiscue vel patricij: vel plebeij esse poterant; qui aliquando consulare gessere imperium. Sed demum Consules regnum obtinuere; quorum fasces adusque Iulij Cæsaris, patris patruique tui, principatum defluxere, expletis ab vrbe condita annis septingentis decem. Sub quorum magistratuum, consulum, dictatorum, & tribunorum militarium ductu, per quadringentos quadraginta & septem annos, omnis Italia viribus armorum subacta est, simul & alpes Cottiæ, * Pœninæ, & Graiæ atque Romanæ, cum Alpinis populis, ipsis in rupibus duratis, in dicionem conuenere. Africa ter victa, primo & secundo & tertio bello Punico, inæstimabili vulnere vtrimque accepto,

cepto,

cepto, Romano imperio tandem* parta: Sicilia, Sardinia, Baleares, Creta, insulæ obtentæ. Numidia victo Iugurtha in potestatem redacta. Hispaniam, genus armorum ferox, nostrorum, nec sine Romano cruore, subiugauere arma. Celtiberi, Cantabri, Astures, Lusitani, Numantia, omnisque* Gallæcia, flexere ceruicem. Gallia atque Britannia nouem annorum Iulij Cæsaris labor fuere; tributariæ demum factæ. Post hæc Illyria, Istria, Liburni, & Dalmatæ obsecundauere perdomiti. Proinde in Græciam transitus fuit. qua perdomita, Epirus, Thessalia, & Achaia, paruere mandatis. Ter Macedonia cum regibus suis debellata, & in prouinciæ formam demum redacta. Thraces, sæuissimos omnium; Propontidem, & Thracium* Bosphorum cum ipso Byzantio, virtus Romana superatos reddidit. Hinc ad Danubium Rhenumque [tuis auspiciis] victoriosissime Principum, penetratum, & vtriusque fluminis vtramque ripam tuæ industriæ subiugauere vires. Duæ Germaniæ, inferior ac superior, tibi vnico cessere. Norici, Pannonij, Sueui, Marcomanni, Daci, Mœsi, ceteræq; nationes ad Arcton, superati. Europa in extremis finium suorum per te vndique exterrita, & armis concussa. In Asiam iam ante peruentum fuerat; & victo Antiocho potentissimo Syriæ rege, victo Mithridate, Syria,* Phœnix, Ctesiphon, Babylonia, Iudæa, Palæstina, Arabia, Cilicia, & omne Ponti regnum, cum ipsa minore Asia, in qua Phrygia, Lydia, Bithynia, Paphlagonia, Isauria, & Cappadocia regiones continentur, mandatis obtemperauere. Cessit & vtraque Armenia armis attrita. Mesopotamia inter Tigridem & Euphratem, sanguine Parthorum ac Persarum crebro cruenta multiplici bello, demum Romano paruit. Diuersis temporibus cum Persis & Parthis assidue pugnatum; & vtrimque cladibus acceptis, Romanus superior fuit, & obstantibus imperauit. Ad Arcton Colchi, Hiberi, Albani, Scythæ,* Assyrij, Caspij, cum Amazonibus suis, ductu nostrorum ducum subiugati sunt. Ægyptiorum reges vltro in amicitia & fœdere steterunt. Cyrene ac tota Libya &* Mauritania, exstincto Iuba, obsequentes fuere. Indi ex ipso extremo Oriente postremo ad te gloriosissime Principum, in extremo Occidente tum bella gerentem, legationem misere, ad obsequia se paratos profitentes, vt* nonnihil te imperante haud superesset indomitum. Æternum vale tui seculi perenne ac immortale decus, Cæsar Auguste.



L. FLORI HISTORIARVM LIB. I.

PROLOGVS.



POPVLVS Romanus a rege Romulo in Cæsarem Augustum * septingentos per annos tantum operum pace belloque gessit, vt si quis magnitudinem imperij cum annis conferat, ætatem vltra putet. Ita [enim] late per orbem terrarum arma circumtulit, vt qui res eius legũt, non vnius populi, sed * generis humani facta discant. Nã tot laboribus periculisque iactatus est, vt ad constituendum eius imperium, contendisse virtus & fortuna videantur. Quare quum præcipue hoc quoque [sicut cetera] operæ pretium sit cognoscere, tamen quia ipsa sibi obstat magnitudo, rerumque diuersitas aciem intentionis * abrumpit; faciam quod solent qui terrarum situs pingunt; in breui quasi tabella totam eius imaginem amplectar; nonnihil, vt spero, * in admirationem principis populi collaturus, si pariter atque in semet vniuersam magnitudinem eius ostendero. Si quis ergo populum Rom. quasi hominem consideret, totamque eius ætatem percenseat, vt cœperit, vtque adoleuerit, vt quasi ad quendam iuuentæ florem peruenerit, vt postea velut consenuerit; [quatuor] gradus * progressusque eius inueniet. Prima ætas, sub regibus fuit, prope CCL per annos; quibus circum ipsam matrem suam cum finitimis luctatus est. Hæc erit eius infantia. Sequens, a Bruto Collatinoque consulibus, in Appium Claudium * Quinctium [que] Fuluium consules, * CCL annos habet; quibus Italiam subegit. Hoc fuit tempus viris armisque * exercitatissimum: ideo quis adolescentiam dixerit. Dehinc ad Cæsarem Augustum * CCL anni; quibus totum orbem pacauit. Hic iam ipsa iuuenta imperij, & quasi quædam robusta maturitas. A Cæsare Augusto in seculum nostrum, sunt non multo minus anni CC: quibus inertia Cæsarum quasi consenuit atque decoxit: nisi quod sub Traiano principe * mouet lacertos, & præter spem omnium, senectus imperij quasi reddita iuuentute reuirescit.

De Romulo, primo Romanorum rege. CAP. I.

PRIMVS ille & vrbis & imperij conditor ROMVLVS, fuit a Marte genitus, & Rhea Siluia. Hoc de se [Vestæ] sacerdos grauida confessa est; nec mox fama dubitauit, cum Amulij imperio abiectus in profluentem cum Remo fratre, non potuit exstingui. Siquidem & * Tiberinus amnem repressit; & relictis catulis lupa vagitum secuta, vbera admouit infantibus, matremque se gessit. Sic repertos apud arborẽ [Faustulus] regis pastor tulit in casam, atque educauit. Alba tunc erat Latio caput, Iuli opus: nam Lauinium patris Æneæ contempserat. Ab his Amulius iam [bis] septimã sobole regnabat, fratre pulso Numitore, cuius ex filia Romulus. Igitur [statim] prima iuuentæ face patruum Amulium ab arce deturbat, auum reponit: ipse, fluminis amator & montium, apud quos erat educatus, mœnia nouæ vrbis agitabat. Gemini erant. vter auspicaretur & regeret, * adhibere placuit deos. Remus, montem Auentinum; hic, * Palatinum occupauit: prior ille, VI vultures; hic postea, sed XII vidit.

Sic

Sic victor augurio vrbem excitat, plenus ſpei bellatricem fore: ita illi * aſſuetæ ſan-
guini & prædæ aues pollicebantur. Ad tutelam nouæ vrbis ſufficere vallum vide-
batur: cuius dum irridet anguſtias Remus,* idq; increpat; ſaltu dubium, an iuſſu fra-
tris, occiſus eſt. prima certe victima fuit, munitionemque vrbis nouæ ſanguine ſuo
conſecrauit. Imaginem vrbis magis quam vrbem fecerat. incolæ deerant. erat in
proximo lucus. hunc Aſylum facit: & ſtatim mira vis hominum; Latini, * Tuſci-
que paſtores; quidam & tranſmarini, Phryges, qui ſub Ænea; Arcades, qui ſub
Euandro duce influxerant. Ita ex variis quaſi elementis congregauit corpus vnum,
populumque Romanum ipſe fecit. Res erat vnius ætatis, Populus virorum. ita-
que matrimonia a finitimis petita, quia non impetrabantur, manu capta ſunt. ſi-
mulatis quippe ludis equeſtribus, virgines quæ ad ſpectaculum venerant, præda
fuere: & hæc ſtatim cauſſa bellorum. Pulſi fugatique Veientes. Cæninenſium ca-
ptum ac dirutum eſt oppidum: ſpolia inſuper opima de rege, Feretrio Ioui mani-
bus ſuis rex reportauit. Sabinis proditæ portæ per virginem; nec dolo; ſed puella pre-
tium rei, * quæ gerebant in ſiniſtris, petierat; dubium clypeos, an armillas. illi, vt &
fidem ſoluerent, & vlciſcerentur, clypeis obruêre. * Ita admiſſis ad mœnia hoſtibus,
atrox in ipſo aditu pugna; adeo vt Romulus Iouem oraret, vt fœdam ſuorum fu-
gam ſiſteret. * Hic templum eſt, & *Stator* Iupiter. Tandem ſæuientibus interuene-
re raptæ laceris comis. Sic pax facta cum Tatio, fœduſque percuſſum; ſecutaque
res mira dictu, vt relictis ſedibus ſuis, nouam in vrbem hoſtes demigrarent, & cum
generis ſuis auitas opes pro dote ſociarent. Auctis breui viribus, hunc rex ſapien-
tiſſimus ſtatum Reipubl. impoſuit, vt iuuentus * diuiſa per tribus, in equis & in ar-
mis ad * ſubita belli excubaret: conſilium Reipublicæ, penes ſenes eſſet; qui ex au-
ctoritate, *Patres*; * ab ætate, *Senatus* vocabantur. His ita ordinatis, repente, cum
concionem haberet [ante vrbem] apud * Capræ paludem, e conſpectu ablatus eſt.
Diſcerptum aliqui a ſenatu putant ob aſperius ingenium: ſed oborta tempeſtas, ſo- 38
liſque defectio,* conſecrationis ſpeciem præbuere: cui [rei] mox Iulius Proculus fi-
dem fecit, viſum a ſe Romulum affirmans auguſtiore forma quam fuiſſet: mandare
præterea vt ſe pro numine acciperent: *Quirinum* in cælo vocari placitum diis: * ita
gentium imperio Roma potiretur.

De Numa Pompilio, CAP. II.

* SVCCESSIT Romulo NVMA POMPILIVS; quem Curibus Sabinis agen- 40
tem, vltro petiuere, ob inclitam viri religionem. Ille ſacra & cæremonias, omnem-
que cultum deorum immortalium docuit. ille Pontifices, Augures, Salios, * ceteroſ-
que per ſacerdotia: annum quoque in XII menſes, faſtos dies, nefaſtosque, deſcri-
pſit. ille Ancilia atque Palladium, ſecreta quædam imperij pignora; Ianumque ge-
minum, fidem pacis ac belli: in primis focum Veſtæ virginibus colendum dedit; vt
ad * ſimilitudinem cæleſtium ſiderum, cuſtos imperij flamma vigilaret. Hæc o-
mnia quaſi monitu deæ Egeriæ; quo magis barbari acciperent. Eo denique ferocem
populum redegit, vt quod vi & iniuria occupauerat imperium, religione atque iu-
ſtitia gubernaret.

De Tullo Hoſtilio, CAP. III.

EXCIPIT Pompilium Numam TVLLVS HOSTILIVS; cui in honorē vir- 82
tutis, regnum vltro datum. Hic omnem militarem diſciplinam, artemque bellandi
condidit. Itaque mirum in modum * exercita iuuentute prouocare auſus Albanos,
grauem & diu principem populum. Sed quum pari robore frequentibus prœliis * v-
trique comminuerentur, miſſo in compendium bello, Horatiis * Curatiiſq; tergemi-
nis hinc atque inde fratribus, vtriuſq; populi fata commiſſa ſunt. Anceps & pulchra
contentio, exituq; ipſo mirabilis. tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occiſis,
qui ſupererat Horatius, addito ad virtutem dolo; vt diſtraheret hoſtem, ſimulat fugā;
ſinguloſq;, prout ſequi poterant, adortus, exſuperat. Sic (rarū alias decus) vnius manu
parta victoria eſt. quam ille mox parricidio fœdauit. flentem ſpolia circa ſe ſpōſi qui-
dem, ſed hoſtis, ſororē viderat: hunc tam immaturū virginis amorem vltus eſt ferro.

Citauere leges nefas; sed abstulit virtus parricidam, & facinus *intra gloriam fuit. Nec diu in fide mansit Albanus. Nam Fidenati bello missi in auxilium ex fœdere, medij inter duos exspectauere fortunam. Sed rex callidus, vbi inclinare [se] socios ad hostem videt, tollit animos, quasi ipse mandasset: spes inde nostris, metus hostibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque hoste victo, ruptorem fœderis * Metium Fufetium religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit: Albamque ipsam, quamuis parentem, æmulam tamen, diruit; cum prius omnes opes vrbis, ipsumque populum Romam transtulisset; prorsus vt consanguinea ciuitas non periisse, sed in suum corpus rediisse rursus videretur.

De Anco Marcio, CAP. IIII.

113 ANCVS deinde MARCIVS, nepos ex filia Põpilij,* pari ingenio. Hic igitur *& mœnia muro amplexus est, & interfluentem vrbi * Tiberim ponte commisit; Ostiamque in ipso maris fluminisque confinio coloniam posuit: iam tum videlicet præsagiens animo, futurum vt totius mundi opes & commeatus illo veluti maritimo Vrbis hospitio reciperentur.

De Tarquinio Prisco, CAP. V.

138 TARQVINIVS postea PRISCVS, quamuis trãsmarinæ originis, regnum vltro petens, accipit ob industriam atque elegantiam: quippe qui oriundus Corintho, Græcum ingenium Italicis artibus miscuisset. Hic & senatus maiestatem numero ampliauit, & centuriis tribus auxit: quamuis * Attius Neuius numerum augeri prohiberet, summus augurio: quem rex in experimentum rogauit, fierine posset quod ipse mente conceperat. ille rem expertus augurio, posse respondit. *Atqui hoc*, inquit, *agitabam, an cotem illam secare nouacula possem.* Augur, *Potes ergo*, inquit. & secuit. Inde Romanis *sacer auguratus*. Neque pace Tarquinius quam bello promtior. XII namque Tusciæ populos frequentibus armis subegit: [&] inde Fasces, Trabeæ, * Curules, Annuli, Phaleræ, Paludamenta, Prætexta: inde quod * aurato curru quattuor equis triumphatur: togæ pictæ, tunicæque palmatæ: omnia denique decora & insignia quibus imperij dignitas * eminet.

De Seruio Tullio, CAP. VI.

174 SERVIVS TVLLIVS deinceps gubernacula vrbis inuadit: nec obscuritas inhibuit, quamuis matre serua creatum. Nam ob eximiam indolem vxor Tarquinij Tanaquil liberaliter educauerat: & clarum fore, visa circa caput flamma, promiserat. Ergo inter Tarquinij mortem, adnitente regina, substitutus in locum regis quasi ad tempus, regnum dolo partum sic egit * industria, vt iure adeptus videretur. Ab hoc Populus Romanus relatus in censum digestus in classes, curiis atque collegiis distributus. Summaq; regis sollertia ita est ordinata Respublica, vt omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac * si maxima ciuitas minimæ domus diligentia contineretur.

De Tarquinio Superbo, CAP. VII.

218 POSTREMVS omnium fuit regum TARQVINIVS cui cognomen *Superbo* ex moribus datum. Hic regnum auitum, quod a Seruio tenebatur, rapere maluit quam exspectare: immissisque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit, quam acquisierat. Nec abhorrebat moribus vxor Tullia; quæ, vt virum regem salutaret, * supra cruentum patrem, vecta carpento, consternatos equos egit. Sed ipse in senatum cædibus, in omnes * superbia (quæ crudelitate grauior est bonis) grassatus, cum sæuitiam iam domi fatigasset, tandem in hostes cõuersus est. Sic valida oppida in Latio capta sunt, Ardea, * Ocriculũ, Gabij, Suessa Pometia. Tum quoque cruentus in suos. Neq; enim filium verberare dubitauit; vt simulanti transfugam apud hostes, hinc fides esset: cui Gabiis, vt voluerat, recepto, atq; per nuntios cõsulenti quid fieri vellet, eminentia forte papauerũ capita virgula decussit; quũ per hoc interficiẽdos esse principes intelligi vellet. * quæ superbia sic respõdit.

Tamen

Tamen de manubiis captarum vrbium templum erexit: quod quum inauguraretur, cedentibus ceteris deis (mira res dictu) restirere * Iuuentas & Terminus. Placuit vatibus contumacia numinum: siquidem firma omnia & æterna pollicebantur. Sed illud * horrendum, quod * molientibus ædem, in fundamentis humanum repertum est caput: nec dubitauere cuncti, monstrum * pulcherrimum, imperij sedem, caputq; terrarum promittere. Tamdiu superbiam regis populus Romanus perpessus est, donec aberat libido: hanc ex liberis eius importunitatem tolerare non potuit: quorum cum alter ornatissimæ feminæ Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiauit: imperium tum Regibus abrogatum. 240

Anacephalæosis de septem Regibus; CAP. VIII.

HÆC est prima ætas Po. Romani, & quasi infantia; quam habuit sub regibus septem, quadam fatorum industria tam variis ingenio, vt Reip. ratio & vtilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit, vt inuaderet regnum. Quid Numa religiosius? talem res poposcit, vt ferox populus deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus; bellatoribus viris quam necessarius? vt acueret ratione virtutem. Quid ædificator Ancus? vt vrbem colonia extenderet, ponte iungeret, muro tueretur. Iam vero Tarquinij ornamenta & insignia quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus a Seruio census quid effecit, nisi vt ipsa se nosceret respublica? Postremo Superbi illius importuna dominatio, nonnihil, immo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, vt agitatus iniuriis populus cupiditate libertatis incenderetur.

De mutatione Reipubl. CAP. IX.

IGITVR Bruto * Collatinoque ducibus & auctoribus, quibus vltionem sui moriens matrona mandauerat, populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus quodam quasi instinctu deorum * concitus, regem repente destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat; imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert; mutato tamen & * iudice, & nomine. quippe ex perpetuo annuum placuit; ex singulari, duplex; ne potestas solitudine vel mora corrumperetur. *Consulesque* appellauit pro regibus; vt consulere se ciuibus suis debere meminissent. Tantumque libertatis nouæ gaudium incesserat, vt vix mutati status fidem caperent; alterumque ex consulibus, tantum ob nomen & genus regium, fascibus abrogatis, vrbe dimitterent. Itaque substitutus Valerius * Poplicola, [ex] summo studio annixus est ad augendam liberi populi maiestatem. Nam & fasces ei pro [libera] concione submisit, & ius prouocationis aduersus ipsos dedit. Et ne specie arcis offenderet, eminentes ædes suas [in plana] submisit. Brutus vero fauori ciuium etiam domus suæ clade & parricidio velificatus est. quippe cum studere reuocandis in vrbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, & concione media virgis cecîdit, & securi percussit: vt plane publicus parens in locum liberorum adoptasse sibi populum Rom. videretur. Liber iam hinc Po. Ro. prima aduersus exteros arma pro libertate corripuit; mox pro finibus; deinde pro sociis; tum [pro] gloria, & imperio; lacessentibus assidue vsquequaque finitimis: quippe cum patrij soli gleba nulla esset, sed statim [hostile] pomœrium; mediusq; inter Latium & Tuscos quasi in quodam biuio collocatus, omnibus portis in hostem incurreret; donec quasi contagione quadam per singulos itum * est, & proximis quibusque correptis, totam Italiam sub se redigeret. 244

Bellum Etruscum [&] cum rege Porsena, CAP. X.

PVLSIS ex vrbe regibus, prima pro libertate arma corripuit. Nam Porsena rex Etruscorum, ingentibus copiis aderat, & Tarquinios manu reducebat. Hunc tamen, quamuis & armis & fame vrgeret, occupatoque Ianiculo ipsis vrbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit: nouissime etiam tanta admiratione perculit, vt superior vltro cum pæne victis amicitiæ fœdera feriret. Tunc illa Romana * pericula atque miracula, Horatius, Mucius, Clœlia: quæ nisi in annalibus forent, hodie fabulæ viderentur. Quippe Horatius Cocles, postquam hostes vndiq; instantes solus submouere 245

non poterat, ponte * reciso transnatat Tiberim, nec arma dimittit. Mucius Scæ-
uula, regem per insidias in castris * eius aggreditur: sed vbi * frustratum circa purpu-
ratum eius ictum tuetur, ardentibus focis inijcit manum, terroremque geminat do-
lo. *Vt scias*, inquit, *quem virum effugeris, idem trecenti iurauimus*: cum interim (imma-
ne dictu) hic interritus, ille trepidaret, tamquam manus regis arderet. Sic quidem
viri. Sed * ne qui sexus a laude cessaret, ecce & virginum virtus. Vna ex obsidibus re-
gi data, * elapsa custodiam, Clœlia, per patrium flumen equitabat. Et rex quidem,
246 tot tantisque virtutum territus * monitis, valere liberosque esse iussit: Tarquinij tam-
diu dimicauerunt, donec Aruntem filium regis, manu sua Brutus occidit, * superque
ipso mutuo vulnere exspirauit; plane quasi adulterum ad inferos vsque sequeretur.

Bellum Latinum, CAP. XI.

LATINI quoque Tarquinios asserebant æmulatione & inuidia; vt populus qui
foris dominabatur, saltem domi seruiret. Igitur omne Latium, Mamilio Tusculano
duce, quasi in regis vltionem tollit animos. Apud Regilli lacum dimicatur, diu Mar-
te vario: donec Postumius ipse dictator * signum in hostes iaculatus est, (nouum &
insigne commentum) vti peteretur cursu. Cossus equitum magister, exuere frenos
imperauit; & hoc nouum; quo acrius incurrerent. Ea demum atrocitas fuit prœlij,
vt interfuisse spectaculo deos fama tradiderit, duos in candidis equis Castorem atq;
Pollucem nemo dubitarit. Itaque & Imperator veneratus est; * pactusque victoriam,
templa promisit, & reddidit plane quasi commilitonibus deis stipendium. Hacte-
nus pro libertate. Mox de finibus cum eisdem Latinis assidue & sine intermissione
438 pugnatum est. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt; Satricum atque Cor-
niculum prouinciæ. De Veiis * & Bouillis, pudet; sed triumphauimus. Tibur, nũc sub-
urbanũ, & æstiuæ Præneste deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur. Idem
tunc Fæsulæ, quod * Taphræ nuper: idem nemus Aricinum, quod Hercynius saltus;
Fregellæ, quod * Gessoriacum; Tiberis, quod Euphrates. * Coriolos quoque prò pu-
dor victos adeo gloriæ fuisse, vt captum oppidum C. Marcius *Coriolanus* quasi Nu-
415 mantiam aut Africam nomini * indueret. Exstant & parta de Antio spolia, quæ [C]
Mænius in suggestu fori, capta hostium classe suffixit: si tamen illa classis: nam sex fue-
re rostratæ. Sed hic numerus illis initiis nauale [bellum] fuit. Peruicacissimi tamen
Latinorum Æqui & Volsci fuere, & quotidiani, vt * sic dixerim, hostes. Sed hos præ-
cipue L. Quinctius domuit, ille dictator ab aratro; qui obsessa ac pene iam capta * L.
295 Minucij consulis castra, egregia virtute seruauit. Medium erat forte tempus semen-
tis, quum patricium virum innixum aratro suo lictor in ipso opere deprehendit. Inde
in aciem profectus, ne quid a rustici operis imitatione cessaret, victos more pecudũ
sub iugum misit. Sic expeditione finita, rediit ad boues rursus triumphalis agricola.
* Fides numinum, qua velocitate! intra XVI dies cœptum * peractumque * prorsus est
bellum: vt festinasse dictator ad relictum opus videretur.

Bellum cum Etruscis, Faliscis, & Fidenatibus, CAP. XII.

ASSIDVI vero & anniuersarij hostes ab Etruria fuere Veientes; adeo vt extraor-
dinariam manum aduersus eos promiserit, priuatumq; gesserit bellum gens vna Fa-
274 biorum, satis superque idonea * clade. Cæsi apud Cremeram trecenti [& sex,] patri-
cius exercitus: & *scelerato* signatur nomine quæ proficiscentes in prœlium porta di-
276 misit. Sed ea clades ingentibus expiata victoriis, postquam per alios atq; alios du-
ces robustissima capta sunt oppida; vario quidem euentu. Falisci se sponte dediderũt:
cremati suo igne Fidenates: rapti funditus deletiq; Veientes. * Faliscis, quum obsi-
derentur, mira visa est fides Imperatoris; nec immerito; quod ludimagistrum vrbis
proditorem; cum * his quos adduxerat pueris, vinctũ sibi vltro remisisset. Eam namq;
359 [Furius Camillus,] vir sanctus & sapiens, sciebat *veram esse victoriam*, quæ salua fide,
& integra dignitate pararetur. Fidenæ, quia pares nõ erant ferro, ad terrorem mo-
uendum facibus armatæ, & discoloribus serpentum in modum vittis, * furiali more
327 processerant: sed habitus ille feralis, euersionis omen fuit. Veientium quanta res
fuerit, indicat decennis obsidio. Tunc primum hiematum sub pellibus, taxata sti-
pendio

pendio hiberna; adactus miles sua sponte iureiurando, nisi capta vrbe non remeare. 347
Spolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium reportata. Denique non scalis, nec ir- 325
ruptione, sed cuniculo & subterraneis dolis peractum vrbis excidium. Ea deniq; visa 357
est prædæ magnitudo, vt eius decimæ Apollini Pythio mitterentur, vniuersusq; po-
pulus Rom. ad direptionem vrbis vocaretur. Hoc tunc Veientes fuere; nunc fuisse
quis meminit? quæ reliquiæ? quodue vestigium? Laborat annalium fides vt Veios
fuisse credamus.

Bellum Gallicum. CAP. XIII.

HINC siue inuidia deûm, siue fato, rapidissimus procurrentis imperij cursus, pa-
rumper Gallorum Senonum incursione supprimitur. quod tempus populo Roma-
no nescio vtrum clade funestius fuerit, an virtutis experimentis speciosius. Ea certe
fuit vis calamitatis, vt in experimentum illatam putem diuinitus; scire volentibus im-
mortalibus diis, an Romana virtus imperiū orbis mereretur. Galli Senones, gens na-
tura ferox, moribus incondita, adhoc ipsa corporum mole perinde ac armis ingenti-
bus, adeo omni genere terribilis fuit, vt plane nata ad hominum interitum, vrbium
stragem, videretur. Hi quondam ab vltimis terrarum oris, * cum cingerentur omnia
Oceano, ingenti agmine profecti, cum iam media vastassent, positis inter Alpes &
Padum sedibus, ne his quidem contenti, per Italiam vagabantur. Tum Clusium * op-
pidum obsidebant. Pro sociis ac fœderatis populus Romanus * interuenit. Missi ex
more legati. Sed quod ius apud barbaros? Ferocius agunt:* mouēt exinde certamen. 362
Conuersis igitur a Clusio, Romamque venientibus, ad Aliam flumen cum exercitu
Fabius consul occurrit. Non Cremeræ fœdior clades. Itaque hunc diem fastis Ro-
ma* mandauit. Fuso exercitu, iam mœnibus vrbis appropinquabāt. Erant nulla præ-
sidia. Tum igitur, aut numquam alias, apparuit vera illa Romana virtus. * Quampri-
mum maiores natu, amplissimis vsi honoribus, in forum coeunt. ibi deuouente pon-
tifice, diis se Manibus consecrant: statimque in suas quisque ædes regressi, sicut in tra-
beis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sellis sese posuerunt; vt, cum venisset ho-
stis, in sua dignitate morerentur. Pontifices & Flamines, quidquid religiosissimi in
templis erat, partim in doliis defossa* terra recōdunt, partim imposita plaustris secum
auferunt. Virgines simul ex sacerdotio Vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur.
* tum excepisse fugientes vnus e plebe fertur * L. Albinius, qui depositis vxore & * fi-
liis, virgines in plaustrum recepit. Adeo tum quoq; in vltimis, *religio publica*, priuatis
affectibus antecellebat. Iuuentus vero, quam satis constat vix mille hominum fuisse,
duce Manlio arcem Capitolini montis insedit; obtestata ipsum quasi præsentem Io-
uem, vt quemadmodum ipsi ad defendendum templum eius concurrissent, ita ille
virtutem eorum numine suo tueretur. Aderant interim Galli; apertamq; vrbem pri-
mo trepidi, * ne qui subesset dolus: mox vbi solitudinem vident, pari clamore & im-
petu inuadunt. Patentes passim domos adeunt: vbi sedentes in curulibus sellis præ-
textatos senes velut Deos Geniosque venerati; mox eosdem, postquam esse homines
liquebat, alioqui nihil respondere dignantes, pari vecordia mactant; facesq; tectis in-
ijciunt; & totam vrbem igne, ferro, manibus, solo exæquant.* Septem mensibus bar-
bari (quis crederet?) circa montem vnum pependerunt; nec diebus modo, sed nocti-
bus [quoque] omnia experti. * quos tandem Manlius nocte subeuntes, clangore an-
seris excitatus, a summa rupe deiecit: & vt spem hostibus demeret, quāquam in sum-
ma fama, tamen ad * spem fiduciæ panes ab arce iaculatus est. & stato quodam die per
medias hostium custodias Fabium Pontificem ab arce demisit, qui * solemne sacrum
in Quirinali monte conficeret. atq; ille per media hostium tela incolumis *religionis
auxilio* rediit, propitiosq; deos renuntiauit. Nouissime, cum iam obsidio sua barbaros
fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes; idq; ipsum per insolentiam,
cum ad iniqua pondera addito adhuc gladio, * superbe, *væ victis*, increparent, subito
aggressus a tergo Camillus adeo cecidit, vt omnia incendiorum vestigia, Gallici san-
guinis inundatione deleret. Agere gratias diis immortalibus * ipso tantæ cladis nomi-
ne libet. Pastorum casas ignis ille; & flamma, paupertatem Romuli abscōdit. Incen-
dium illud quid egit aliud, nisi vt destinata hominum ac deorum domicilio ciuitas,

non deleta, non obruta, sed expiata potius & * illustrata videatur? Igitur post as-
sertam a Manlio, restitutam a Camillo vrbem, acrius etiam vehementiusque in fi-
nitimos resurrexit. Ac primum omnium illam ipsam Gallicam gentem non conten-
tus mœnibus expulisse, cum per Italiam naufragia sua latius traheret, sic persecutus
386 est duce Camillo, vt hodie nulla Senonum vestigia supersint. Semel apud Anienem
trucidati, cum singulari certamine Manlius aureum torquem barbaro inter spolia
392 detraxit. inde *Torquati.* Iterum in * Pontino agro, cum [in] simili pugna M. Valerius
* insequente Gallo, sacra alite adiutus, retulit spolia; & inde * *Coruini.* Necnon * ta-
404 men post aliquot annos, omnes reliquias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis
470 Dolabella deleuit; ne quis exstaret in ea gente, qui incensam a se * Romam vrbem
gloriaretur.

Bellum Latinum, CAP. XIIII.

413 CONVERSVS a Gallis in Latinos, Manlio Torquato, Decio Mure consulibus,
semper quidem æmulatione imperij & magistratuum infestos, tum vero contem-
ptu vrbis incensæ, cum ius ciuitatis, partem imperij ac magistratuum poscerent [pa-
ri imperio,] atque iam amplius quam congredi auderent. quo tempore quis cessis-
se hostem mirabitur? cum alter consulum filium suum, quia contra imperium pu-
gnauerat, quamuis victorem, occiderit; quasi plus in imperio esset, quam in victo-
ria: alter, quasi monitu deorum capite velato, * primam ante aciem diis Manibus se
deuouerit; vt in confertissima se hostium tela iaculatus, nouum ad victoriam iter, san-
guinis sui semita aperiret.

Bellum Sabinum, CAP. XV.

463 A LATINIS aggressus est gentem Sabinorum; qui immemores factæ sub Ti-
to Tatio affinitatis, quodam contagio belli se Latinis adiunxerant. Sed Curio Den-
tato consule, omnem eum tractum qua Nar ambit, fontesque Velini, Adriatico te-
nus mari, igne ferroque vastauit. qua victoria tantum hominum, tantum agrorum
redactum in potestatem, vt in vtro plus esset, nec ipse posset æstimare qui vicerat.

Bellum Samniticum, CAP. XVI.

410 PRECIBVS deinde Campaniæ motus, non pro se, sed, quod est speciosius, pro
sociis * Samnitas inuadit. Erat fœdus cum vtrisque percussum: sed hoc Campani
sanctius & prius, omnium suorum deditione fecerant. Sic ergo Romanus bellum
Samniticum, tamquam sibi, gessit. Omnium non modo Italia, sed toto orbe terra-
rum pulcherrima Campaniæ plaga est. nil mollius cælo: denique bis floribus vernat.
nihil vberius solo: ideo Liberi * Cererisque certamen dicitur. nihil hospitalius mari.
hic illi nobiles portus, Caieta, Misenus, & tepentes fontibus Baiæ, Lucrinus & A-
uernus, quædam maris * otia. hic amicti vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massi-
cus; & pulcherrimus omnium * Vesuuius, Ætnæi ignis imitator. Vrbes ad mare, For-
miæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, * Herculaneum, Pompeij; & ipsa caput vrbium Ca-
pua, quondam inter tres maximas, Romam, Carthaginemque numerata. Pro hac
vrbe, * iis regionibus, populus Romanus Samnitas inuasit; gentem, si opulentiam
quæras, * aureis & argenteis armis, discolori veste vsque ad ambitum armatam: si
[insidiarum] fallaciam, saltibus fere & montium fraude grassantem: si rabiem ac fu-
rorem, * sacratis legibus, humanisque hostiis in exitium vrbis agitatam: si pertina-
ciam, sexies rupto fœdere, cladibusque ipsis animosiorem. Hos tamen * quinqua-
ginta annis per Fabios & Papirios patres, eorumque liberos, ita subegit ac domuit,
ita ruinas ipsas vrbium diruit, vt hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec faci-
le appareat materia quatuor & viginti triumphorum. Maxime tamen nota & illu-
432 stris ex hac gente clades apud Caudinas * furcas, Veturio Postumioque consulibus,
accepta est. Clauso enim per insidias intra eum saltum exercitu, vnde non posset eua-
dere, stupens occasione tanta dux hostium Pontius, Herennium patrem consuluit: &
ille, mitteret omnes, vel occideret, sapienter vt senior suaserat. Hic armis exutos mit-
tere sub iugum maluit; vt nec amici forent beneficio, & post flagitium hostes magis.

Itaque

Itaque & consules [statim] magnifice voluntaria deditione turpitudinem fœderis di- 434
rimunt; & vltionem flagitans miles Papirio duce (horribile dictu)* subiectis ensibus
per ipsam viam ante pugnam furit; & in congressu arsisse omnium oculos, hostis au-
ctor fuit: nec prius finis cædibus datus, quam iugum & hostibus & duci capto re-
posuerunt.

Bellum Etruscum & Samniticum,* CAP. XVII.

HACTENVS Populus Romanus [bellum] cum singulis gentium: mox acerua- 458
tim: tamen sic quoque par omnibus. *Etruscorum XII populi in id tempus* inci-
tati, antiquissimus Italiæ populus Samnitium, [&] reliqui in excidium Romani no-
minis repente coniurant. Erat terror ingens tot simul tantorumque populorum.* A
latere Etruria infesta, quatuor agminum signa volitabant. Ciminius interim saltus
in medio, ante inuius plane, quasi* Caledonius vel Hercynius, adeo tunc terrori e-
rat, vt senatus consuli denuntiaret, ne tantum periculi ingredi auderet. Sed nihil ho- 442
rum terruit ducem, quin fratre præmisso exploraret accessus. Ille per noctem pasto-
rio habitu speculatus omnia,* refert. Tum sic Fabius Maximus periculosissimum
bellum,* periculo explicauit. Nam subito inconditos atque palantes aggressus est;
captisque superioribus iugis, in subiectos suo more detonuit. Ea namque species fuit
illius belli, quasi in Terrigenas e cælo ac nubibus tela mitterentur. nec incruenta ta-
men illa victoria. nam oppressus in sinu vallis alter consulum Decius,* more patrio
deuotum diis Manibus obtulit caput; sollemnemque familiæ suæ* consecrationem
in victoriæ pretium redegit. 458

Bellum Tarentinum, & cum Pyrrho rege, CAP. XVIII.

SEQVITVR bellum Tarentinum; vnum quidem titulo & nomine, sed victo- 472
ria multiplex. Hoc enim Campanos, Apulos, atque Lucanos, & caput belli Taren-
tinos; *idem totam Italiam, & cum istis omnibus Pyrrhum clarissimum Græciæ re-
gem, vna veluti ruina pariter inuoluit; vt eodem tempore & Italiam consumma-
ret, & transmarinos triumphos auspicaretur. *Tarentus [etiam,] Lacedæmonio-
rum opus, Calabriæ quondam & Apuliæ totiusq; Lucaniæ caput, tum magnitudine
& muris,* portuq; nobili, tum mirabili situ. quippe in ipsis Adriatici maris faucibus
posita,* in oras nostras, Istriam, Illyricum, Epirum, Achaiam, Africam, Siciliam, vela
dimittit. Imminet portui ad prospectum maris * positum vrbis theatrum; quod qui-
dem caussa miseræ ciuitati fuit omniũ [suarum] calamitatum. Ludos forte celebra-
bant, quum* remigantes litori Romanas classes inde vident: atque hostem rati, emi-
cant, sine discrimine insultant: qui autem, aut vnde Romani, nec satis norant. Ade-
rat sine mora querelam ferens legatio: hanc quoque* fœdius per obscenam turpem-
que dictu contumeliam violant.* Exhinc bellum: sed apparatus horribilis; cum tot si-
mul populi pro Tarentinis consurgerent: omnibusq; vehemẽtior Pyrrhus; qui semi-
græcam ex Lacedæmoniis conditoribus ciuitatem vindicaturus, cum totius viribus
Epiri Thessaliæ, Macedoniæ, incognitisq; in id tempus elephantis, mari, terra, viris,
equis, armis, addito insuper ferarum terrore, veniebat. Apud Heracleam, & Campa-
niæ fluuium* Sirim, Læuino consule, prima pugna: quæ tam atrox fuit, vt Ferentanæ
turmæ præfectus * Obsidius, inuectus in regem, turbauerit, coegeritq; proiectis in si- 473
gnibus prœlio excedere. Actum erat, nisi elephanti cõuersi in spectaculum belli pro-
currissent: quorum tum magnitudine, tum deformitate & nouo* colore simul ac stri-
dore cõsternati equi; cum incognitas sibi belluas amplius quam erant suspicarentur,
fugam stragemque late dederunt. In Apulia deinde apud Asculum melius dimica-
tum est,* Fabricio Æmilioq; Coss. Iam quippe belluarum terror exoleuerat, & C. Mi- 475
nucius quartæ legionis hastatus, vnius proboscide abscissa, mori posse belluas osten-
derat. Itaque & in ipsas pila congesta sunt: & in turres vibratæ faces, tota hostium a- 476
gmina ardentibus ruinis operuerunt: nec alius cladi finis fuit, quam nox dirimeret,
postremusq; fugientium ipse rex a satellitibus humero saucius in armis suis referre-
tur. In* Lucania suprema pugna sub* Aurusinis, quos vocant, campis, ducibus iisdẽ 478
qui superius.* Et tunc toti victoriæ exitum, quem datura virtus fuit, casus dedit. Nam 477

productis in primam aciem rurſus elephantis, vnum ex his pullum adacti in caput te-
li grauis ictus auertit: qui cum per ſtragem ſuorum percurrens ſtridore quereretur,
mater agnouit, & quaſi vindicatura * exſiluit: tum omnia circa quaſi hoſtilia graui ti-
more permiſcuit. ac ſic eædem feræ, quæ primam victoriam abſtulerant, ſecundam
parem fecerant, tertiam ſine controuerſia tradidere. Nec vero tantum armis, & in
campis, ſed conſiliis quoque & domi intra vrbem cum rege Pyrrho dimicatum eſt.
Quippe poſt primam victoriā rex callidus, intellecta virtute Romana, ſtatim deſpe-
rauit armis, ſeq; ad dolos contulit. Nam interemtos cremauit, captiuosq; indulgenter
474 habuit, & ſine pretio reſtituit. Miſſiſq; deinde legatis in vrbem, omni modo adnixus
eſt vt in amicitiā reciperetur. Sed bello & pace, foris & domi, omnem in partem Ro-
mana virtus tum ſe probauit: nec alia magis quam Tarentina victoria oſtendit popu-
li Romani fortitudinem, ſenatus ſapientiam, ducum magnanimitatem. Quinam illi
fuerunt viri, quos ab elephātis primo prœlio obrutos * accipimus? omniū vulnera in
pectore, quidam hoſtibus ſuis immortui; omnium in manibus enſes, & relictæ in vul-
tibus minæ: & in ipſa morte ira viuebat. Quod adeo Pyrrhus miratus eſt, vt diceret; *O
quam facile erat, orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut me rege Romanis!*
Quæ autem eorum qui ſuperfuerunt, in reparādo exercitu feſtinatio? cum Pyrrhus,
Video me, inquit, *plane Herculis ſidere procreatum; cui quaſi ab angue Lernæo tot cæſa hoſtium
capita de ſanguine ſuo renaſcuntur.* * Qui autem ille ſenatus fuit? cum perorante Appio
Cæco, pulſi cum muneribus ſuis ab vrbe legati, interrogāti regi ſuo quid de hoſtium
ſede ſentirent, *Vrbem templum ſibi viſum; ſenatum, regum eſſe [conſeſſum] confiterentur.*
Quales porro ipſi duces vel in caſtris? cum medicum venale regis Pyrrhi caput affe-
rentem * Curius remiſit, Fabricius oblatam ſibi a rege imperij partem repudiauit. vel
in pace? cum Curius fictilia ſua Samnitico præferret auro: Fabricius decem pondo
argenti [facti] circa Rufinum conſularem virum, quaſi luxuriam, cenſoria grauitate
damnaret. Quis ergo miretur his moribus, virtute, militia, victorem Pop. Roma-
num fuiſſe? vnoque bello Tarentino intra quadriennium maximam partem Italiæ,
fortiſſimas gentes, opulentiſſimas vrbes, vberrimasque regiones in * deditionem re-
degiſſe? Aut quid adeo fidem ſuperet, quam ſi principia belli cum exitu conferātur?
Victor primo prœlio Pyrrhus, totam trementem [Italiam,] Campaniam, Lirim,
Fregellasq; populatus prope captam vrbem a Præneſtina arce proſpexit, & a vigeſi-
mo lapide oculos trepidæ ciuitatis fumo ac puluere impleuit. Eodem poſtea bis exu
to caſtris, bis ſaucio, & in Græciā ſuam trās mare ac terras fugato, pax & quies, & tan-
ta adeo de opulentiſſimis tot gentibus ſpolia, vt victoriam ſuam Roma non caperet.
Nec enim [temere] vllus pulchrior in vrbem aut ſpecioſior triumphus intrauit; * cum
ante hunc diem nihil niſi pecora Volſcorum, greges Sabinorum, carpēta Gallorum,
fracta Samnitium arma vidiſſet. Tum ſi captiuos aſpiceres, Moloſſi, Theſſali, Mace-
dones; Bruttius, Apulus, atque Lucanus: ſi pompas; aurum, purpura, ſigna, tabulæ,
Tarentinæque deliciæ. Sed nihil libentius Pop. Romanus aſpexit, quam illas quas ti-
muerat cum turribus ſuis belluas; quæ, non ſine ſenſu captiuitatis, ſummiſſis ceruici-
bus victores equos ſequebantur.

Bellum Picenum, CAP. XIX.

485 OMNIS mox Italia pacem habuit. Qui enim poſt Tarentum auderēt? niſi quod
vltro perſequi ſocios hoſtium placuit. Domiti * hinc Picentes, & caput gentis Aſcu-
lum [P.] Sempronio duce; qui tremente inter prœlium campo, Tellurem deam pro-
miſſa æde placauit.

Bellum Sallentinum, CAP. XX.

486 SALLENTINI Picentibus additi, caputq; regionis Brunduſium [cum] inclyto
487 portu, M. Atilio duce. Et in hoc certamine, victoriæ pretium, templum ſibi paſtoria
Pales vltro popoſcit.

*Bellum * Vulſinienſe,* CAP. XXI.

POSTREMI Italicorum in fide manſere * Vulſinij, opulentiſſimi Etruſcorum;
488 implorantes opem aduerſus ſeruos quondam ſuos; qui libertatem a dominis datam,
in ipſos

in ipsos erexerant, translataque in se Republ. dominabantur. Sed hi quoque duce Fa-
bio Gurgite pœnas dederunt.

De seditionibus, CAP. XXII.

HÆC est secunda ætas Po. Romani, & quasi adolescentia; qua maxime viruit, &
quodam flore virtutis exarsit, ac* ferbuit. Ita, quæ inerat, quædam adhuc ex pastori-
bus feritas, quiddam spirabat indomitum. Inde est quod exercitus Postumium Im- 339
peratorem, infitiantem quas promiserat prædas, facta in castris seditione lapidauit:
Quod sub Appio Claudio noluit vincere hostem, cum posset: Quod duce Volero- 282
ne detrectantibus plerisque militiã, fracti consulis fasces. Inde quod clarissimos prin- 281
cipes,* quod aduersarentur voluntati suæ, exsulatione multauit; vt Coriolanum cole- 262
re agros iubentem: nec minus ille ferociter iniuriam armis vindicasset; nisi quod iam
inferentem signa filium mater Veturia lacrymis suis exarmauit. vt ipsum Camillum, 265
quod inique inter plebem & exercitum diuisisse [Veientem] prædam videretur. Sed 362
hic melior obsessis in capta vrbe cõsuluit: & mox supplices de hoste Gallo vindicauit. 365
Cum senatu quoque* de æquo bonoque certatum est: adeo vt relictis sedibus, solitu-
dinem & interitum patriæ suæ minarentur.

Prima Vrbis discordia, CAP. XXIII.

PRIMA discordia ob impotentiam fœneratorum; quibus in terga quoque seruí- 257
liter sæuientibus, in Sacrum montem plebs armata secessit; ægreque, nec nisi Tribu- 260
nos [plebis] impetrasset, Menenij Agrippæ facundi & sapientis viri auctoritate reuo-
cata est. Exstat orationis antiquæ satis efficax ad concordiam fabula; qua* dissensisse
inter se quondam humanos* artus dicitur, quod omnibus opere fungentibus, solus
venter immunis ageret: deinde moribundos a seiunctione redisse in gratiam, quan-
do sensissent quod eius opera redactis in sanguinem cibis irrigarentur.

Secunda Vrbis discordia, CAP. XXIIII.

SECVNDAM in vrbe media decemuiratus libido conflauit. Allatas a Græcia le-
ges, decẽ principes lecti, iubente populo conscripserant: ordinataq; erat in duodecim 404
tabulis tota iustitia: cum tamen traditos fasces regio quodã furore retinebant. An-
te ceteros Appius [Claudius] eo insolentiæ elatus est, vt ingenuam virginem stupro
destinaret; oblitus & Lucretiæ, & regum, & iuris quod ipse composuerat. Itaq; cum
oppressam iudicio filiam, trahi in seruitutem videret Virginius pater, nihil cunctatus,
in medio foro manu sua interfecit; admotisq; signis commilitonum, totam eam do-
minationem obsessam armis, in carcerem & catenas ab Auentino monte detraxit.

Tertia Vrbis discordia, CAP. XXV.

TERTIAM seditionem* excitauit matrimoniorum dignitas, vt plebeij cum pa- 308
triciis iungerentur. qui tumultus in monte Ianiculo, duce Canuleio Tribuno plebis,
exarsit.

Quarta Vrbis discordia, CAP. XXVI.

QVARTAM honorum cupido; vt plebeij quoque magistratus crearentur. Fa- 385
bius Ambustus duarum pater, alteram Sulpicio patricij sanguinis dederat, alteram
plebeio Stoloni.* qui, quod vxor eius ad lictoriæ virgæ sonum ignotũ penatibus suis
expauerat, & a sorore satis insolenter irrisa esset, iniuriam non tulit. Itaque nactus tri- 387
bunatum, honorum & magistratuum consortium quamuis inuito senatui extorsit.
Verum in his ipsis seditionibus principem populum non immerito suspexeris: siqui-
dem nunc libertatem, nunc pudicitiam; tum natalium dignitatem, honorum deco-
ra & insignia vindicauit. Interque omnia hæc nullius acrior custos, quam libertatis
fuit: nullaque in pretium eius potuit largitione corrumpi; cum, vt in magno, & in
dies maiore populo, interim perniciosi ciues existerent. Sp. Cassium Agraria lege, 268
Mælium largitione suspectum regiæ dominationis, præsenti morte multauit. Ac de
Spurio quidem supplicium pater ipsius sumsit: hunc Quinctij Dictatoris imperio in 314
medio foro Magister equitum Seruilius Ahala confodit. Manlium vero, Capitolij 370

vindicem, quia pleroſque debitorum liberauerat, altius ſe & inciuilius efferentem, ab illa quam defenderat arce deiecit. Talis domi ac foris, talis pace belloque populus Romanus, fretum illud adoleſcentiæ, id eſt, ſecundam imperij ætatem, habuit; in qua totam inter Alpes fretumque Italiam armis ſubegit.

L. FLORI HISTORIARVM LIBER II.

CAPVT I.

DOMITA ſubactaque Italia, populus Romanus prope quingenteſimum annum agens; cum bona fide adoleuiſſet; ſiquod eſt robur, ſiqua iuuentas; tum ille vere robuſtus & iuuenis, & par orbi terrarum eſſe cœpit. Itaque, (mirum, & incredibile dictu) qui prope quingentis annis domi luctatus eſt, (adeo difficile fuerat dare Italiæ caput) his CC annis qui ſequuntur, Africam, Europam, Aſiam, totum denique orbem terrarum, bellis victoriisque peragrauit.

Primum bellum Punicum, CAP. II.

489 IGITVR victor Italiæ populus, cum a terra fretum vſque veniſſet, more ignis, qui obuias populatus incendio ſiluas, interueniente flumine abrumpitur, pauliſper ſubſtitit. Mox cum videret opulentiſſimam in proximo prædã, quodammodo Italiæ ſuæ abſciſſam, & quaſi reuulſam; adeo cupiditate eius exarſit, vt quatenus nec* mole iugi nec pontibus poſſet, armis belloq; iungenda, & ad continentẽ ſuam reuocanda bello videretur. Sed ecce, vltro ipſis viam pãdẽtibus fatis, nec occaſio defuit, cum de Pœnorum impotentia, fœderata Siciliæ ciuitas Meſſana quereretur. Affectabat enim vt Romanus, ita Pœnus Siciliam: & eodem tempore paribus vterq; votis ac viribus, imperium orbis agitabat. Igitur ſpecie quidem ſocios iuuandi; re aũt ſollicitante præda, (quamquam territaret nouitas rei; tanta tamen in virtute fiducia eſt) ille rudis, ille paſtorius populus, vereq; * terreſtris, oſtendit, *nihil intereſſe virtutis, equis an nauibus, terra an mari dimicaretur.*
489 Appio Claudio conſule primũm fretum ingreſſus eſt, fabuloſis infame monſtris, æſtuq; violentum. ſed adeo non eſt exterritus, *quin ipſam illam ruentis æſtus violentiam pro munere amplecteretur: ſtatimq; ac ſine mora Hieronem Syracuſanũ regem tãta celeritate vicit, vt ipſe ille ſe prius victũ quam hoſtem
493 videret, fateretur. *Duilio Cornelioq; conſulibus, etiam mari congredi auſus eſt. Tum quidem ipſa velocitas claſſis comparatæ, victoriæ auſpicium fuit. intra enim ſexageſimum diem quam cęſa ſilua fuerat, CLX nauium claſſis in ancoris ſtetit: vt non arte factæ, ſed quodam munere deorum cõuerſæ in naues atque mutatæ arbores viderentur. Prœlij vero fama mirabilis, cum illas celeres volucresq; hoſtium naues, hæ graues tardæq; comprehenderent. Longe illis plus nauticæ artis, detorquere remos, & ludificari fuga roſtra. Iniectæ enim ferreæ manus, machinæq; aliæ, ante certamen multũ ab hoſte deriſæ: coactiq; hoſtes quaſi in ſolido decernere. Victor ergo* ad Liparas, merſa & fugata hoſtium claſſe, primum illum maritimum egit triumphũ. Cuius quod gaudium fuit? cum Duilius Imperator, non cõtentus vnius diei triumpho, per vitã omnem, vbi a cœna rediret, prælucere funalia, [&] præcinere ſibi tibias iuſſit; quaſi quotidie triumpharet. *Pro tanta victoria leue huius prœlij damnum fuit. Alter conſulum interceptus, Cn. Cornelius Aſina; qui ſimulato colloquio euocatus
494 atque [ita] oppreſſus fuit, perfidiæ Punicæ documentum. *Calatino dictatore, fere omnia præſidia Pœnorum Agrigento, * Drepano, Panormo, Eryce, Lilybæo detraxit. Trepidatum eſt ſemel circa* Camarinenſium ſaltum: ſed eximia virtute Calpurnij. Flammæ tribuni militum, euaſimus; qui lecta CCC manu, infeſtum & inſeſſum ab hoſtibus tumulum occupauit: adeoque moratus* hoſtes, dum exercitus omnis euaderet: ac ſic pulcherrimo exitu, Thermopylarum & Leonidę famam adæquauit. hoc illuſtrior noſter, quod expeditioni tantæ ſuperfuit & ſuperuixit; licet nihil ſcripſerit

ſangui-

sanguine. |L. Cornelio Scipione, cum iam Sicilia suburbana esset populi Romani 494
prouincia, serpente latius bello in Sardiniam, annexamque ei Corsicam transit; vbi
& sic Caralæ vrbis excidio incolas terruit, adeoque *omneis terra mariq; Pœnos ex-
pugnauit, vt iam victoriæ nihil nisi Africa ipsa restaret. M. Atilio Regulo duce iam 497
in Africam nauigabat bellum. nec deerant qui ipso Punici maris nomine ac terrore
deficerent, augente insuper Tribuno Mannio metum: in quem, nisi paruisset, securi
districta Imperator, metu mortis nauigandi fecit audaciam: mox ventis remisq; pro-
peratum est: tantusq; terror hostici aduentus Pœnis fuit, vt apertis pæne portis Car-
thago caperetur. *Belli prima præmium fuit ciuitas Clypea. prima enim a Punico
litore quasi arx & specula procurrit: & hæc, & CCC amplius castella vastata sunt. Nec
cum hominibus modo, sed cum monstris quoque dimicatum est; cum quasi in vin-
dictam Africæ nata miræ magnitudinis serpens, posita apud Bagradam castra vexa-
ret. Sed omniū victor Regulus, cum terrorem nominis sui late circumtulisset, cum-
que magnam vim iuuentutis, ducesq; ipsos aut cecidisset, aut haberet in vinculis, clas-
semque ingenti præda onustam, & triumpho grauem, in vrbem præmisisset, *etiam
ipsam caput belli Carthaginem vrgebat obsidione, ipsisque portis inhærebat. Hic
paulum circumacta fortuna est; tantum, vt plura essent Romanæ* virtutis insignia,
cuius fere magnitudo calamitatibus approbatur. Nam conuersis ad externa auxilia
hostibus, cum Xanthippum illis ducem Lacedæmon misisset, a viro militiæ peritissi-
mo vincimur; *cum fœda clade, Romanisq; vsu incognita, viuus in manus hostium 498
venit fortissimus Imperator. Sed ille quidē par tātæ calamitati fuit. Nam nec Punico
carcere *fractus est, nec legatione suscepta. Quippe diuersa quam hostes mandaue-
rāt, censuit, ne pax fieret, nec *commutatio captiuorum reciperetur. Sed nec illo vo-
luntario ad hostes suos reditu, nec vltimo siue carceris seu crucis supplicio, deforma-
ta maiestas: immo his omnibus admirabilior. Quid aliud quam victus de victoribus;
[atque etiam] _quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphauit?_ Populus autem Ro-
manus, multo acrior infestiorque pro vltione Reguli, quam pro victoria fuit. Metel- 502
lo igitur consule, spirantibus altius Pœnis, & reuerso in Siciliam bello, apud Panor-
mum sic hostes cecidit, * vt ne amplius ea in insula concitaretur. Argumentum in-
gentis victoriæ, centum circiter elephantorum captiuitas: sic quoque magna præda,
si gregem illum non bello, sed venatione cepisset. P. Claudio consule, non ab hosti- 504
bus, sed a diis ipsis superatus est, quorum auspicia cōtemserat; ibi statim classe demer-
sa, vbi ille præcipitari pullos iusserat, quod pugnare ab his vetaretur. M. Fabio Bu-
teone consule, classem hostium, in Africo mari apud Aegimurum iam in Italiam vl-
tro nauigantem, cecidit. quantus o tum triumphus tempestate intercidit! cum opu-
lenta præda classis aduersis acta ventis, naufragio suo Africam & Syrtes, omnium im-
peria gentium, insularum litora impleuit. Magna clades; sed non sine aliqua princi-
pis populi dignitate; *intercepta tempestate victoria, & triumphum periisse naufra-
gio. Et tamen cum Punicæ prædæ omnibus promontoriis insulisque [allisæ] fluita-
rent, populus Romanus triumphauit. Lutatio Catulo consule, tandem bello finis 512
impositus apud insulas quibus nomen *_Aegates_: nec maior *alia in mari pugna. quip-
pe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis grauis hostium classis; & in *eis quasi
tota Carthago. quod ipsum exitio fuit. Romana classis prōpta, leuis, expedita, & quo-
dam genere castrensis, ad similitudinem pugnæ equestris, sic remis quasi habenis a-
gebatur; & in hos vel in illos [ictus] mobilia rostra, speciem viuentium præferebant.
Itaque momento temporis laceratæ hostium rates, totum inter Siciliam Sardiniam-
que pelagus naufragio suo operuerunt. Tanta deniq; fuit illa victoria, vt de exciden-
dis hostium mœnibus non quæreretur. Superuacuum visum est in arcem murosque
sæuire, cum iam in mari esset deleta Carthago.

_Bellum_* _Ligustinum_, CAP. III.

PERACTO Punico bello, secuta est breuis sane & quasi ad recipiendum spiritum
requies: argumentumque pacis, & bona fide cessantium armorum, tunc primum
post Numam clausa fuit porta Iani: sed statim ac sine mora patuit. Quippe iam Li- 516
gures, iam Insubres Galli, necnon * & Illyrici lacessebant: sic de-sub Alpibus, id est

de- sub ipsis Italiæ faucibus, *gentes deo quodam aſsidue incitante, ne rubiginem ac situm [scilicet] arma sentirent:* denique ita quotidiani & quaſi domestici hostes tirocinia militum imbuebant, nec aliter vtraque gente, quam quaſi cote quadam, populus Romanus ferrum suæ virtutis acuebat. LIGVRES imis Alpium iugis adhærentes, inter Varum & * Macram flumen, *implicitos dumis ſilueſtribus, maior aliquãto labor erat inuenire, quam vincere. Tutum locis & fuga, durum atque velox genus, ex occaſione magis latrocinia, quam bella faciebat. Itaque cum diu multumque eluderẽt,
574 *ſaltu, viis, latebris, Deceates, Oxybij, Euburiates, Ingauni; tandem Fuluius latebras
573 eorum ignibus ſepſit, Bæbius in plana deduxit: Poſtumius ita exarmauit, vt vix reliquerit ferrum quo terra coleretur.

Bellum Gallicum, CAP. IIII.

528 GALLIS Insubribus, & his accolis Alpium; animi ferarum, corpora plus quam humana erant. Sed experimento deprehenſum eſt, *quod ſicut primus impetus eis maior quam virorum eſt, ita ſequens minor quam feminarum. Alpina corpora humenti cælo educata, habent quiddam ſimile * cum niuibus ſuis; quæ mox vt caluere pugna, ſtatim in ſudorem eunt, & leui motu, quaſi ſole laxantur. Hi ſæpe & alias, ſed
528 * Britomaro duce, non prius ſoluturos ſe * balteo, quam Capitolium aſcendiſſent, iu-
530 rauerant. Factum eſt. Victos enim Æmilius in Capitolio diſcinxit. Mox * Aſtrionico duce vouere de noſtrorum militum præda Marti ſuo torquem. Intercepit Iupiter votum. nam de torquibus eorum aureũ tropæũ Ioui Flaminius erexit. * Virdumaro rege Romana arma Vulcano promiſerant: aliorſum vota ceciderunt. Occiſo enim
531 rege Marcellus tertia poſt Romulum patrem Feretrio Ioui * opîma ſuſpendit.

Bellum Illyricum, CAP. V.

524 * ILLYRICI ſeu Liburni ſub extremis Alpiũ radicibus agunt, inter Arſiam * Titiumque flumen, longiſſime per totum * Adriatici maris litus effuſi. Hi regnãte * Teuta muliere, populationibus non contenti, licentiæ ſcelus addiderunt. Legatos quippe noſtros, ob ea quæ deliquerant, iure agentes; nec gladio quidem, ſed vt victimas, ſecuri percutiunt; præfectos nauium igne comburunt; idq;, quo indignius foret, mulier imperabat. Itaque Cn. Fuluio * Centumalo duce late domantur. Strictæ in prin-
525 cipum colla ſecures, legatorum Manibus litauere.

Bellum Punicum ſecundum, CAP. VI.

535 POST primũ Punicum bellum vix * quadriennis requies. Ecce alterum bellum, minus quidem ſpatio, (nec enim amplius quam * octo & decem annos habet) ſed adeo cladium atrocitate terribilius, vt ſi quis conferat damna vtriuſque populi, ſimilior victo ſit populus qui * vicerat. Pudebat nobilem populum, ablato mari, raptis inſulis, dare tributa, quæ iubere conſueuerat. Hinc vltionẽ puer Annibal ad aram patri iura-
535 uerat: nec * remorabatur. Igitur * in cauſſam belli Saguntus deleta eſt; vetus Hiſpaniæ ciuitas & opulenta, fideique erga Romanos magnum quidem, ſed triſte monumentum: quam * in libertate communi fœdere exceptam, Annibal cauſſas nouorũ motuum quærens, & ſuis, & ipſorum manibus euertit, vt Italiam ſibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio eſt. Itaque ad auditum ſociẹ ciuitatis obſidiũ, memores icti cum Pœnis quoq; fœderis, non ſtatim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri malunt. Interim iam nouem mẽſibus feſſi fame, machinis, ferro, & igne, verſa deniq; in rabiem fide, immanem in foro excitãt rogum; tum deſuper ſe ſuosq;, cum omnibus opibus ſuis, ferro & igni corrumpunt. Huius tantæ cladis auctor Annibal poſcitur. Tergiuerſantibus Pœnis, dux legationis [Romanorum,] *Quæ,* inquit, *mora eſt?* Fabius * *In hoc ego ſinu bellum affero, & pacem: vtrum eligitis, vtrum placet, ſumite.* Cumq; ſuccclamatum eſſet, vtrum vellet daret, *Bellum igitur,* inquit, *accipite.* & excuſſo in * media curia togæ gremio, non ſine horrore, quaſi plane ſinu bellũ ferret, effudit. Similis exitus belli initio fuit. Nã quaſi has inferias ſibi Saguntinorũ vltimẹ dirẹ in illo publico parricidio incendioq; mãdaſſent, ita Manibus eorũ, vaſtatione Italiæ, captiuitate Africæ, ducum & regũ qui id geſſere bellum, exitio, parentatũ eſt.

Igitur

Igitur vbi semel se in Hispania mouit illa grauis & luctuosa Punici belli vis atq; tem-
pestas, destinatumque [Romanis] iam diu fulmen, Saguntino igne conflauit, statim
quodam impetu rapta, medias perfregit Alpes, & in Italiam ab illis fabulosæ altitudi-
nis niuibus, velut cælo missa descendit. Ac primi quidem impetus turbo inter Pa-
dum & Ticinum valido statim fragore detonuit. Tunc Scipione duce fusus exerci- 535
tus: saucius & ipse venisset in hostium manus Imperator, nisi protectum patrem præ-
textatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset. Et hic erit Scipio, qui in exitium A-
fricæ crescit, cognomen ex malis eius habiturus. Ticino Trebia succedit. Hic se- 535
cunda belli Punici procella desæuit Sempronio cõsule. Tunc callidissimi hostes, fri-
gidum & niualem nacti diem, cùm se ignibus prius oleoq; fouissent, horribile dictu,
homines a meridie & sole venientes, nostra nos hieme vicerunt. * Trasimenus lacus
tertium fulmen Annibalis, Imperatore Flaminio. ibi quoq; ars noua Punicæ fraudis.
Quippe nebula lacus, palustribusq; virgultis tectus eques, terga subito pugnantiũ in- 536
uasit. Nec de diis possumus queri. Imminentem [quippe] temerario duci cladẽ præ-
dixerant insidentia signis examina, & aquilæ prodire nolentes, & commissam aciem
secutus ingens terræ tremor: nisi illum horrorem soli, equitum virorumq; discursus,
& mota vehementius arma fecerunt. Quartum, id est pene vltimum, vulnus impe- 537
rij, Cannæ, ignobilis Apuliæ vicus, sed magnitudine cladis emersit, & * XL milliũ cæ-
de parta nobilitas. Ibi in exitiũ infelicis exercitus, dux, terra, cælum, dies, tota denique
rerũ natura consensit. Siquidem nõ contentus simulatis trãsfugis Annibal, qui mox
terga pugnantiũ * ceciderunt, insuper callidissimus Imperator, patentibus in cãpis, ob-
seruato loci ingenio, quod & sol ibi acerrimus, & plurimus puluis, & Eurus ab Oriẽte
semper quasi ad constitutũ [flaret;] ita instruxit aciẽ, vt Romanis aduersus hęc omnia
obuersis, * secundũ cælum tenẽs, vẽto, puluere, sole pugnaret. Itaq; duo maximi exer-
citus cæsi ad hostiũ satietatẽ, donec Annibal diceret militi suo, *Parce ferro.* Ducũ effu-
git alter, alter occisus est: dubium vter maiore animo. * Paullum puduit; Varro nõ de-
sperauit. Documenta cladis, cruentus aliquamdiu Aufidus: põs de cadaueribus iussu
ducis factus in torrente * Gello: modij duo annulorum Carthaginem missi; dignitasq;
equestris taxata mensura. Dubium deinde non erat, quin vltimũ illum diem habi-
tura fuerit Roma, quintumq; intra diẽ epulari Annibal in Capitolio potuerit, si (quod
Pœnum illum dixisse * Maharbalem Bomilcaris ferunt) Annibal, quemadmodũ sci-
ret vincere, siẽ vti victoria scisset. Tum quidem illum (vt dici vulgo solet) aut fatũ vr-
bis imperaturæ, aut ipsius mens mala, & auersi a Carthagine dij, in diuersum abstule-
runt: cum victoria posset vti, frui maluit; relictaq; Roma, Campaniam Tatentumquẽ
* peragrare; vbi mox & ipse & exercitus ardor elanguit; adeo vt verum dictũ sit, Ca-
puam Annibali Cannas fuisse: siquidem inuictũ Alpibus, indomitum armis, Campa-
niæ (quis crederet?) * soles, & tepentes fontibus Baiæ, subegerunt. Interim respira-
re Romanus, & quasi ab inferis emergere. Arma nõ erant; detracta sunt templis: dee-
rat iuuentus; in sacramentũ militiæ liberata seruitia. * egebant ærario; opes suas libens
senatus in medium protulit; nec, præter quod in bullis, * cingulis, atq; annulis erat,
quidquam sibi auri reliquere. Eques secutus exemplũ; imitataq; equitem tribus: de-
niq; vix suffecere tabulæ, vix scribarum manus, Læuino Marcelloq; consulibus, cum 543
priuatæ opes in publicum deferrẽtur. Quid aũt in eligendis magistratibus? quæ cen- 544
turiarum sapientia? cum iuniores a senioribus consilium de creandis consulibus pe-
tiuere. Quippe aduersus hostem toties victorem, tam callidum, non virtute tantum,
sed suis etiam pugnare consiliis oportebat. Prima redeuntis & (vt sic dixerim) reuiui-
scentis imperij spes Fabius fuit; qui nouam de Annibale victoriam commentus est,
non [velle] pugnare. Hinc illi cognomen nouum, & Reipubl. salutare, *Cunctator.*
Hinc illud ex populo, vt *imperij scutum* vocaretur. Itaq; per Samnium totum, per Fa-
lernos Gauranosque saltus, sic macerauit Annibalem, vt qui frangi virtute non po-
terat, mora comminueretur. Inde Claudio Marcello duce etiam cõgredi ausus est: 538
comminus venit, & pepulit e Campania sua, & ab obsidione Nolæ vrbis excussit. Au- 539
sus & Sempronio Graccho duce per Lucaniã sequi, & premere terga cedẽtis: quam- 540
uis tunc (o pudor) manu seruili pugnaret. nam hucusq; tot mala compulerant. sed li-
bertate * donati, fecerant de seruitute Romanos. O horribilẽ in tot aduersis fiduciam!

o singularem animum ac spiritũ populi Romani! tam arctis afflictisq; rebus, cum de
Italia sua dubitaret, ausus est tamen in diuersa respicere: cumque hostes in iugulo per
Campaniã Apuliamq; volitarent, mediamq; iam de Italia Africã facerent, *eodem
tempore & hunc sustinebat, & in Siciliam, Sardiniã, Hispaniam, diuersa per terrarum
539 orbem arma mittebat. *Sicilia*, mandata Marcello; nec diu restitit. Tota enim insula
in vna vrbe superata est. Grande illud, & ante id tẽpus inuictum caput *Syracusæ*, quãuis
541 Archimedis ingenio defenderẽtur, aliquando cesserũt. Longe illi triplex murus, to-
tidemq; arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusæ,* quid hactenus
profuere, nisi vt pulchritudini victæ vrbis parceretur. *Sardiniã* Gracchus arripuit. ni-
576 hil illi gentiũ feritas,* *Insanorumq;* (nam sic vocãtur) immanitas montiũ profuere. Sæ-
uitum in vrbes,* vrbemque vrbium Caralim; vt gens contumax, vilisque mortis, sal-
tem desiderio patrij soli domaretur. In *Hispaniam* missi Cnæus & Publius Scipio-
536 nes, *pæne totam Pœnis eripuerant; sed insidiis Punicæ fraudis oppressi, rursus ami-
serunt: magnis quidem illi prœliis, cum Punicas opes cecidissent; sed Punicæ insi-
diæ alterum ferro, castra metantem; alterum, cum euasisset in turrim, cinctum faci-
bus oppresserunt. Igitur in vltionem patris ac patrui missus cum exercitu Scipio, cui
542 tam grande de Africa* cognomen fata decreuerant, bellatricem illam, viris armisq;
nobilem Hispaniam, illam seminariam hostilis exercitus, illam Annibalis eruditri-
cem, (incredibile dictu) totam a Pyrenæis montibus in Herculis columnas & Ocea-
547 num recuperauit; nescias citius, an facilius: quam velociter, quatuor anni fatentur:
quam facile, vel vna ciuitas probat. eodem quippe quo obsessa est die, capta est; o-
menque Africanæ victoriæ fuit, quod tam facile* victa est Hispana Carthago. Cer-
tum est tamen, ad profligandam prouinciam maxime profecisse singularem ducis
sanctitatem: quippe qui captiuos pueros puellasque præcipuæ pulchritudinis bar-
baris restituerit; ne in conspectum quidem suum passus adduci; ne quid de virgini-
tatis integritate delibasse saltem [vel] oculis videretur. Hæc inter* diuersa terra-
rum, populus Romanus: nec ideo tamen Italiæ visceribus inhærentem summouere
poterat Annibalem. *Pleraque ad hostem defecerant; & dux acerrimus contra Ro-
manos Italicis quoque viribus vtebatur. Iam tamen eum plerisque oppidis & regio-
544 nibus excusseramus. [Iam] Tarentus ad nos redierat: iam [&] Capua, sedes & domus
542 & patria altera Annibalis, tenebatur: cuius amissio tantum Pœno duci dolorem de-
dit, vt inde totis viribus in Romam conuerteretur. O populum dignum orbis impe-
rio, dignũ omnium fauore, & *admiratione hominum ac deorum. Cõpulsus ad vl-
timos metus, ab incepto non destitit; & de sua vrbe sollicitus, Capuam tamen non o-
misit; sed parte exercitus sub Appio consule relicta, parte Flaccum in vrbem secuta,
542 absens simul præsensq; pugnabat. Quid ergo miramur, mouenti castra a tertio la-
pide Annibali, iterum ipsos deos, deos inquam (nec fateri pudebit) restitisse? tanta e-
nim ad singulos illius motus vis imbrium effusa est, tanta ventorum violentia coorta,
vt diuinitus hostem summoueri, non a cælo, sed ab vrbis ipsius mœnibus & Capito-
lio videretur. Itaq; fugit & cessit, & in vltimũ se Italiæ recepit sinum, cum vrbem tan-
tum non* adortam reliquisset. Parua res dictu, sed ad magnanimitatem populi Ro-
mani probandam satis efficax, quod illis ipsis quibus obsidebatur diebus, ager quem
Annibal castris *insederat, venalis Romæ fuit, hastæq; subiectus inuenit emtorem.
Voluit Annibal contrá fiduciam imitari; subiecitque argentarias vrbis tabernas; nec
*sector inuentus est: vt scias etiam præsagia fatis fuisse. Nihil actum erat tanta virtu-
te, tanto fauore [etiam] deorum. siquidem ab Hispania Asdrubal frater Annibalis, cũ
exercitu nouo, nouis viribus, noua belli mole veniebat. Actum erat procul dubio, si
vir ille se cum fratre iunxisset. sed hunc quoq; castra metantem Claudius Nero cum
546 Liuio Salinatore debellat. Nero in* vltimos Italiæ angulos summouerat Annibalem:
Liuius in diuersissimã partem, *id est, in ipsas nascentis Italiæ fauces, signa cõuerterat;
tanto, id est, omni, quã lõgissima Italia, solo interiacẽte. Quo consilio, qua celeritate
cõsules castra cõiunxerint, *inopinanteq; hostem collatis signis cõpresserint, neq; id
fieri Annibal senserit; difficile dictu est. certe Annibal, re cognita, cũ proiectũ fratris
caput ad sua castra vidisset, *Agnosco*, inquit, *infelicitatẽ Carthaginis.* Hæc fuit illius viri,
nõ sine præsagio quodã fati imminentis, prima confessio. Iam certũ erat, Annibalem
etiam

etiam ipsius confessione posse vinci. Sed tot rerum prosperarum fiducia plenus
pop.Rom. magni ęstimabat asperrimum hostem in sua Africa debellare. Duce igitur 549
Scipione in ipsam Africam tota mole conuersus, imitari cœpit Annibalem, & Italiæ
suæ clades in * Africa vindicare. Quas ille (dij boni) Asdrubalis copias, quos Syphacis
exercitus fudit? Quæ quantaq; vtriusque castra facibus illatis vna nocte deleuit? De- 550
niq; iam non a tertio lapide, sed ipsas Carthaginis portas obsidione quatiebat. Sic fa-
ctum est vt inhærentem atque incubantem Italiæ extorqueret Annibalem. Non fuit 550
maior sub imperio Romano dies, quam ille, cum duo omnium & antea & postea du-
cum maximi, ille Italiæ, hic Hispaniæ victor, collatis cominus signis direxere aciem.
Sed & colloquium fuit inter ipsos de legibus pacis. Steterunt diu mutua admiratione 551
defixi: vbi de pace non conuênit, signa cecinere. Constat vtriusque confessione, nec
melius instrui aciem, nec acrius potuisse pugnari. hoc Scipio de Annibalis, Annibal
de Scipionis exercitu prædicauerunt. Sed tamen Annibal cessit, præmiumque victo- 552
riæ Africa fuit, & secutus Africam [statim] terrarum orbis.

Bellum Macedonicum primum, [siue Philippicum,] CAP. VII.

POST Carthaginem vinci neminem puduit. Secutæ sunt statim Africam gentes,
Macedonia, Græcia, * Syria, ceteraq; omnia, quodam quasi æstu & torrente fortunæ.
Sed primi omnium Macedones, affectator quondam imperij populus. Itaque quam-
uis tunc Philippus regno præsideret, Romani tamen dimicare sibi cum rege Alexan-
dro videbantur. *Macedonicum bellum* nomine amplius quam exspectatione gentis fuit. 538
Caussa cœpit a fœdere Philippi, quo rex iam pridem dominantem in Italia Anniba-
lem sibi sociauerat: postea creuit, implorantibus Athenis auxilium contra regis iniu-
rias, cum ille vltra ius victoriæ, in templa, aras & sepulcra ipsa sæuiret. Placuit senatui
opem tantis ferre supplicibus. quippe iam gentium reges, duces, populi, nationes, 552
præsidia sibi ab hac vrbe petebant. Primo igitur, Læuino consule, populus Roma-
nus Ionium mare ingressus, tota Græciæ litora veluti triumphanti classe peragrauit. 543
Spolia quippe Siciliæ, Hispaniæ, Sardiniæ, Africæ præferebat. Et manifestam victo-
riam, nata in prætoria puppe laurus pollicebatur. Aderat sponte in auxilium Attalus 555
rex * Pergamenorum: aderant Rhodij, nauticus populus; quibus a mari, consul a ter-
ris omnia equis virisque quatiebat. Bis victus rex, bis fugatus, bis exutus castris; cum
tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipso vulnerum aspectu, quæ non spiculis,
neque sagittis, nec vllo Græculo ferro; sed ingentibus pilis, nec minoribus adacta
gladiis, * vltra morem patebant. Enimuero Flaminino duce, inuios antea Chaonum 555
montes, * Pindumque amnem per abrupta valentem, & ipsa Macedoniæ claustra pe-
netrauimus. Introisse, * victoria fuit. Nam postea numquam ausus congredi rex, ad
tumulos quos *Cynoscephalas* vocant, vno, ac ne hoc quidem iusto prœlio opprimitur. 556
& illi quidem consul pacem dedit, regnumque concessit. Mox, ne quid esset hosti-
le, Thebas, & Eubœam, & grassantem sub Nabide suo * Lacedæmona compescuit.
Græciæ vero veterem statum reddidit, vt legibus viueret suis, & auita libertate frue- 557
retur. Quæ gaudia, quæ vociferationes fuerunt? cum hoc forte Nemeæ in theatro
* Quinquennalibus ludis a præcone caneretur, quo certauere plausu? quid florum in
consulem profuderunt? Et iterum iterumque præconem repetere illam vocem iu-
bebant, qua libertas Achaiæ pronuntiabatur: nec aliter illa consulari sententia, quam
modulatissimo aliquo tibiarum aut fidium cantu, fruebantur.

Bellum Syriacum regis Antiochi, CAP. VIII.

MACEDONIAM statim & regem Philippum Antiochus excepit, quodam casu;
quasi industria sic adgubernante fortuna; vt, quemadmodum ab Africa in Europam, 561
sic ab Europa in Asiam, vltro se suggerentibus caussis, imperium procederet, & cum
terrarum orbis situ, ipse ordo victoriarum nauigaret. Non aliud formidolosius fa-
ma bellum fuit: quippe cum Persas & Orientem, Xerxem atque Darium cogi-
tarent, quando perfossi inuij montes, quando velis opertum mare nuntiaretur. Ad-
hoc cælestes minę territabant, cum humore continuo Cumanus Apollo sudaret. Sed
hic fauētis Asiæ suæ numinis timor erat. Nec sane viris, opibus, * armisque quidquam

copioſius Syria: ſed in manus tam ignaui regis * inciderat: vt nihil fuerit in Antiocho
ſpecioſius, quam quod a Romanis victus eſt. Impulere regem in id bellum, illinc,
Thoas Ætoliæ princeps, inhonoratam apud Romanos querens aduerſus Macedo-
nes militiæ ſuæ ſocietatem: hinc, Annibal, qui in Africa victus, profugus, & pacis im-
patiens, hoſtem * pop. Rom. toto orbe quærebat. Et quod illud fuiſſet periculum, ſi ſe
cōſiliis eius rex tradidiſſet? [id eſt] ſi Aſiæ viribus vſus fuiſſet miſer Annibal? Sed rex,
ſuis opibus & nomine regio fretus, ſatis habuit bellum mouere. Europa iam dubio
procul, iure ad Romanos pertinebat. Hîc *Lyſimachiam*, vrbem in litore Thracio po-
ſitam a maioribus ſuis, Antiochus vt hereditario iure * repoſcebat. Hoc velut ſidere
Aſiatici belli mota tempeſtas, & maximus regum conuentus, fortiter indicto bello,
quū ingenti ſtrepitu ac tumultu mouiſſet ex Aſia, occupatis ſtatim inſulis, * Græciæq;
litoribus, otia & luxus tanquam victor agitabat. *Eubœam* inſulam, continenti adhæ-
rentem, tenui freto, reciprocantibus aquis Euripus abſcidit. Hic ille poſitis aureis ſeri-
ciſq; tentoriis, ſub ipſo freti murmure, cum inter fluenta tibiis fidibusq; concineret,
collatis vndique, quamuis per hiemem, roſis, ne non aliquo ducem genere agere vi-
deretur, virginum puerorumq; delectus habebat. Talem ergo regem, iam ſua luxuria
562 debellatū, populus Rom. [M?] Acilio Glabrione conſule in inſula aggreſſus, ipſo ſta-
tim aduentus ſui nuntio coegit ab inſula fugere. Tam præcipitem apud Thermopy-
las aſſecutus locum, CCC Laconum ſpecioſa cæde memorandum, ne ibi quidem fi-
ducia loci reſiſtentē, mari ac terra cedere coegit. Statim & e veſtigio itur in * *Aſiam.*
Claſſis regia * Polyxenidi Annibaliq; commiſſa. nam rex prœlium nec ſpectare po-
terat. Igitur duce Æmilio * Regillo, a remigantibus Rhodis tota laceratur. Ne ſibi pla-
564 ceant Athenæ; in Antiocho vicimus Xerxem, in Æmilio * Themiſtoclem æquaui-
mus, Epheſiis Salamina penſauimus. Tum conſule Scipione, cui frater ille modo
victor Carthaginis Africanus, voluntaria legatione aderat, debellari regem placet: &
iam toto ceſſerat mari: ſed nos imus vlterius. Mæandrum ad amnem, montemq; Si-
pylum, caſtra ponuntur. Hic rex incredibile dictu quibus auxiliis, quibus copiis con-
ſederat. * Trecenta millia peditum; equitum falcatorumq; curruum non minor nu-
merus. Elephantis adhoc immenſæ magnitudinis, auro, purpura, argento, & ſuo ebo-
re fulgētibus, aciem vtrimq; vallauerat. Sed hæc omnia præpedita magnitudine ſua;
adhoc imbre, qui ſubito * ſuperfuſus, mira felicitate Perſicos arcus corruperat. Pri-
mum trepidatio, mox fuga, dehinc triumphus fuerunt. Victo & ſupplici pacem atque
partem regni dari placuit; eo libentius, quod tam facile ceſſiſſet.

Bellum Ætolicum, CAP. IX.

564 SYRIACO bello ſucceſſit, vt debebat, Ætolicum. Victo quippe Antiocho, Ro-
manus faces Aſiatici belli perſequebatur. Ergo Fuluio Nobiliori mandata vltio eſt.
Hic protinus caput gentis Ambraciam, regiam Pyrrhi, machinis quatit, ſecuta de-
ditio [eſt.] Aderant Ætolorum precibus Attici, Rhodij: & memineramus auxilij: ſic
placuit ignoſcere. Serpſit tamen latius in proximos bellum, omnémque late
Cephalleniam, Zacynthon; & quidquid inſularum in eo mari inter Ceraunios mon-
tes, iugumq; Máleum, Ætolici belli acceſſio fuerunt.

*Bellum * Iſtricum,* CAP. X.

576 ISTRI ſequuntur Ætolos. quippe bellantes eos nuper adiuuerant: & initia pugnæ
proſpera hoſti fuerunt; eademq; exitij cauſſa. Nam cum A. Manlij caſtra cepiſſent,
opimæq; prædæ incubarent, epulantes ac ludibundos pleroſque, ac vbi eſſent, præ
576 poculis neſcientes, * C. Claudius Pulcher inuadit. ſic cum ſanguine & ſpiritu male
partam remouere victoriam. Ipſe rex * Æpulo equo impoſitus, cum ſubinde crapula
& capitis errore lapſaret, captum ſeſe vix & ægre poſtquam experrectus eſt, didicit.

Bellum Gallogræcum, CAP. XI.

564 GALLOGRÆCIAM quoque Syriaci belli ruina conuoluit. fuerant inter auxilia
regis Antiochi. * An fuiſſent, cupidus triumphi Manlius an eos viſos ſimulauerit, du-
bium [eſt:] certe negatus eſt victori triumphus, quia cauſſam belli non approbauit
ſenatus.

senatus. Ceterum gens Gallogræcorum, sicut ipsum nomen indicio est, mixta & adulterata est: reliquiæ Gallorum, quibus Brenno duce vastauerant Græciam; mox Orientem sequuti, in media Asiæ parte *etiam sedere. Itaque vt frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum, Asiatica amœnitate mollita est. Duobus itaque prœliis fusi fugatique sunt: quamuis sub aduentu hostis, relictis sedibus, in altissimos se montes recepissent, quos *Tolistobogij Tectosagæque iam insederant. *Vtrique fundis sagittisque acti, in perpetuam se pacem dediderunt. Sed alligati miraculo quodam fuere, cum catenas morsibus & ore tentassent, cum offocandas inuicem fauces præbuissent. Nam *Ortiagontis regis vxor a centurione stuprũ passa, memorabili exemplo custodiam euasit, reuulsumque militis caput ad maritum suum retulit.

Bellum Macedonicum secundum, [siue Persicum;] CAP. XII.

*DVM aliæ aliæque gentes Syriaci belli sequuntur ruinam, *Macedonia* se rursus erexit. 582
Fortissimum populum memoria & recordatio suæ nobilitatis agitabat: & successerat Philippo filius *Perses*; qui semel in perpetuum victam esse Macedoniam, nõ »
putabat ex gentis dignitate. multo vehementius sub hoc Macedones quam sub pa- »
tre consurgunt: quippe Thracas in vires suas traxerant. atque ita industria Macedonum, viribus Thracum, *disciplinam Macedonicam temperauere. Accessit his consilium ducis, qui situm regionum suarũ de summo speculatus *Æmo, positis per abrupta castris, ita Macedoniam suam armis ferroque vallauerat, vt non reliquisse aditum nisi à cælo venturis hostibus videretur. Nam [Q.] Marcio Philippo consule eam
prouinciam ingressus populus Romanus, exploratis diligenter accessibus, per *Astru- 584
dem paludem, per acerbos dubiosque tumulos *[&] illa quæ volucribus quoque videbantur inuia, accessit: regemque securum, & nihil tale metuentem, subita belli irruptione terruit: cuius tanta trepidatio fuit, vt pecuniã omnem in mare iusserit mergi, ne periret; classem cremari, ne incenderetur. Paullo consule, cum maiora & cre-
bra essent imposita præsidia, per alias vias Macedonia depressa est; summa quidem 586
arte & industria ducis, cum aliâ minatus, aliâ irrepsisset: cuius aduentus ipse eo terribilis regi fuit, vt interesse non auderet, sed gerenda ducibus bella mãdauerit. Absens ergo victus, fugit in maria, insulamque Samothracen; fretus celebri religione; quasi templa & aræ possent defendere, quem nec montes sui nec arma potuissent. Nemo regum diutius amissæ fortunæ conscientiam retinuit. supplex cum scriberet ad Imperatorem ab illo quò confugerat templo, nomenque epistolæ notaret suum, *regem* addidit. Sed nec reuerentior captæ maiestatis alius Paullo fuit. cum in conspectum venisset hostis, in templum recepit, & [in] conuiuiis adhibuit; liberosque admonuit suos, vt fortunam, cui tantum liceret, reuererentur. Inter pulcherrimos hunc quo-
que populus Romanus de Macedonia duxit atque vidit triumphum: quippe cuius 586
spectaculo triduum impleuerit. Primus dies, signa tabulasque; sequens, arma pecuniasque trãsuexit; tertius, captiuos; ipsumque regem attonitum adhuc, tamquam subito malo stupentem. Sed multo prius gaudium victoriæ populus Romanus quam epistolis victoris *perceperat. Quippe eodem die quo victus [est] Perses in Macedonia, Romæ cognitum est: duo iuuenes candidis equis apud Iuturnæ lacum puluerem & cruorem abluebant. hi nuntiauere. Castorem & Pollucem fuisse creditum vulgo, quod gemini fuissent: interfuisse bello, quod sanguine maderent: à Macedonia venire, quod adhuc anhelarent.

Bellum Illyricum, CAP. XIII.

MACEDONICI belli contagio traxit *Illyrios*. Ipsi quidem, vt Romanum à tergo
distringerent, a Perse rege conducti pecunia militauere. Sine mora ab Anicio *pro- 586
prætore subiguntur. *Scodram caput gentis delesse suffecit. Statim sequuta deditio est. Denique hoc bellum ante finitum est, quam geri Romæ nuntiaretur.

Bellum Macedonicum tertium [cum Andrisco,] CAP. XIIII.

QVODAM fato, quasi ita conuenisset inter Pœnos & Macedonas, vt tertio quo- 605

que vincerentur, eodem tempore vtrique arma mouere. Sed prior iugum excutit Macedo, aliquanto quam ante grauior, dum contemnitur. Caussa belli prope erubescenda: quippe regnum pariter & bellum vir vltimæ sortis Andriscus inuaserat; dubium liber an seruus, mercenarius certe: sed quia vulgo *Philippus, ex similitudine oris, *Pseudophilippus* vocabatur; regiam formam, regium nomen, animo quoque regio impleuit. Igitur dum hæc ipsa contemnit populus Romanus, Iuuentio prætore cõtentus, virum non Macedonicis modo, sed Thraciæ quoque auxiliis ingentibus validum, temere tentauit: inuictusque, non a veris regibus, sed ab illo imaginario & scenico rege superatur: sed *prætore Metello, amissum cum legione prætorem plenissime vltus est. Nam & Macedoniam seruitute multauit, & ducem belli deditum ab eo ad quem confugerat, Thraciæ regulo, in vrbem in catenis reduxit; hoc quoque illi in malis suis indulgẽte fortuna, vt de eo populus Romanus quasi de vero rege triumpharet.

Bellum Punicum tertium, CAP. XV.

604 TERTIVM cum Africa bellum, & tempore exiguum fuit (nam quadriennio pa
tratum est) & in comparatione priorum, minimum labore. Non enim tam cum vi-
ris, quam cum ipsa vrbe pugnatum est: sed plane maximo euentu: quippe eo tandem
489 Carthago finita est. Atque si quis trium temporum momenta consideret, primo cõ-
535 missum est bellum, profligatum secundo, tertio vero confectum est. Sed huius caussa
604 belli, quod contra fœderis legem aduersus Numidas quidem semel parasset classem
& exercitum, frequens autem *Massinissæ fines territaret. sed huic bono socioq; re-
gi fauebatur. Cum bellum sederet, de belli fine tractatum est. Cato, inexpiabili odio,
delendam esse Carthaginem; & cum de alio consuleretur, pronuntiabat Scipio Na-
sica seruandam, ne metu ablato æmulæ vrbis, luxuriari felicitas vrbis inciperet. Me-
dium senatus elegit, vt vrbs tantum loco moueretur. Nihil enim speciosius videba-
tur, quam esse Carthaginem quæ non timeretur. Igitur Manilio Censorinoq; con-
604 sulibus, populus Romanus aggressus Carthaginem, spe pacis iniecta, traditam a vo-
lentibus classem sub ipso ore vrbis incẽdit. Tum euocatis principibus, si salui esse vel-
lent, vt migrarẽt finibus, imperatum. Quod pro rei atrocitate adeo mouit iras, vt ex-
trema mallẽt. Comploratum igitur publice statim, & pari voce clamatum est *Adar-
ma*: seditque sententia, quoquo modo rebellandum: non quia spes vlla iam superes-
set, sed quia patriam suam mallent hostium quam suis manibus euerti. Qui rebellan-
tum fuerit furor, vel hinc intelligi potest, quod in vsum nouæ classis tecta domusque
resciderunt [&] in armorum officinis aurum & argentum pro ære ferroque confla-
tum est; in tormentorum vincula matronæ crines suos cõtulerunt. Mancino dein-
de *cõsule, terra marique feruebat obsidio. Operis portus nudatus, & primus, * & se-
quens iam murus; cum tantum Byrsa, quod nomen arci fuit, quasi altera ciuitas resi-
stebat. Quamuis profligato vrbis excidio, tamen fatale Africæ nomen Scipionum
606 videbatur. Igitur in alium Scipionem conuersa respub. finem belli reposcebat. Hunc
Paullo Macedonico procreatum, Africani illius magni filius in decus gentis assum-
serat; hoc scilicet fato, vt quam vrbem concusserat auus, nepos [eius] euerteret. Sed
quam maxime mortiferi esse morsus solent morientium bestiarum, sic plus negotij
fuit cum semiruta Carthagine, quam integra. Compulsis in vnam arcem hostibus,
portum quoque maris Romanus obsederat. Illi alterum ibi portum ab alia vrbis par-
te foderunt; nec vt fugerent; sed *quà nemo illos nec euadere posse credebat, inde
quasi enata subito classis erupit.* Tum interim iam diebus, iam noctibus, noua ali-
qua moles, noua machina, noua perditorum hominum manus, quasi ex obruto in-
cendio subita de cineribus flamma prodibat. Deploratis nouissime rebus, quadra-
ginta se millia virorum dediderunt, quod minus credas, duce Asdrubale. Quanto
fortius femina & vxor ducis? quæ comprehensis duobus liberis, a culmine se domus
in medium misit incendium; imitata reginam quæ Carthaginem condidit. Quan-
ta vrbs deleta sit, vt de ceteris taceam, vel ignium mora probari potest: quippe per cõ-
tinuos decem & septem dies vix potuit incendium exstingui, quod domibus ac tẽplis
suis sponte hostes immiserant, * vt quatenus vrbs eripi Romanis non poterat, trium-
phis, arderet.

Bellum

Bellum Achaicum, CAP. XVI.

QVASI sæculum illud *euersionibus vrbium curreret, ita Carthaginis ruinam 606
statim *Corinthus* excepit, Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Ionium &
Ægæum quasi spectaculo exposita. Hæc (facinus indignum) ante oppressa est quam
in numerum certorum hostium referretur. Critolaus caussa belli; qui libertate a Ro-
manis data aduersus ipsos vsus est; Legatosque Romanos dubium an & manu, certe
oratione violauit. Igitur Metello ordinanti *tum maxime Macedoniam, mandata est
vltio; & hinc *Achaicum bellum*. ac primam Critolai manum Metellus *consul per pa
tentes Elidis campos toto cecidit Alpheo. Et vno prœlio peractum erat bellum: iam
& vrbem ipsam terrebat obsidio: sed fato rerum, cum Metellus dimicasset, ad victo-
riam Mummius venit. Hic alterius ducis dignitate exercitum sub ipsis Isthmi fauci- 607
bus fudit, geminosque portus sanguine infecit. Tādem ab incolis deserta ciuitas, di-
repta primum, deinde tuba præcinente deleta est. Quid signorum, quid vestium,
quidue tabularum raptum, incensum atque proiectum est? Quantas opes & abstule-
rit & cremauerit, hinc scias, quod quidquid Corinthij æris toto orbe laudatur, incen-
dio superfuisse comperimus. Nam [&] æris notam pretiosiorem ipsa opulentissimæ
vrbis fecit iniuria; quia incendio *permistis plurimis statuis atque simulacris, æris, au-
ri, argentique [venæ] in commune fluxere.

Res in Hispania gestæ, CAP. XVII.

VT Carthaginem Corinthus, ita Corinthum Numantia sequuta est. nec deinde
toto orbe quidquam intactum armis fuit. Post illa duo clarissima vrbium incendia,
late atque passim, nec per vices, sed simul pariter quasi vnum vndique bellum fuit;
prorsus vt illæ [vrbes] quasi agitantibus ventis diffudisse quædam belli incendia toto
orbe viderentur. *Hispaniæ* numquam animus fuit aduersus nos vniuersæ consurge-
re; numquam conferre vires suas libuit, neque aut imperium experiri, aut libertatem
tueri suam publice. Alioquin ita vndique mari Pyrenæoque vallata est, vt ingenio si-
tus ne adiri quidem potuerit. Sed ante a Romanis obsessa est, quam seipsa cognosce-
ret: [&] sola omnium prouinciarum vires suas, postquam victa est, intellexit. In hac 535
prope ducentos per annos dimicatum est, a primis Scipionibus in Cæsarem Augu- 536
stum: non continue nec cohærenter, sed prout caussæ lacessierant. Nec cum Hispa-
nis initio, sed cum Pœnis in Hispania. Inde contagio & series caussaque bellorum. Pri
ma per Pyrenæum iugum signa Romana P. & Cn. Scipiones intulerunt, prœliisq; in-
gentibus Annonem & Asdrubalem fratrem Annibalis ceciderunt; raptaque erat im 541
peru Hispania, nisi fortissimi viri in ipsa sua victoria oppressi Punica fraude cecidis-
sent, terra marique victores. Igitur quasi nouam integramque prouinciam vltor pa- 542
tris & patrui Scipio ille mox Africanus inuasit. Isque statim capta Carthagine, & aliis
vrbibus, non contentus Pœnos expulisse, stipendiariam nobis prouinciam fecit, o-
mnem citra vltraque Iberum subiecit imperio: primusque Romanorum ducum, vi-
ctor ad Gades & *Oceani oram peruenit. *Plus est prouinciam retinere, quam facere*. I-
taque per partes iam huc, iam illuc missi duces; qui ferocissimas, & ad id temporis li-
beras gentes, ideo impatientes iugi, multo labore, nec incruentis certaminibus, serui- 559
re docuerunt. Cato ille Censorius *Celtiberos*, id est robur Hispaniæ, aliquot prœliis 575
fregit. Gracchus, pater ille Gracchorum, eosdem C & L vrbium euersione multa-
uit. Metellus ille, *cui ex Macedonia cognomen, meruerat *Celtibericus* fieri, cum & 610
*Contrebiam memorabili cepisset exemplo, &*Nertobrigis, maiore gloria pepercit.
Lucullus Turdulos atque Vaccæos; de quibus Scipio ille posterior, singulari certa- 611
mine cum a rege fuisset prouocatus, opima retulerat. Decimus Brutus aliquanto la-
tius *Gallæcos, atque omnes Gallæciæ populos, formidatumque militibus flumen 602
*Obliuionis: peragratoque victor Oceani litore, non prius signa conuertit, quam ca- 614
dentem in maria solem, *obrutumque aquis ignem, non sine quodam sacrilegij me-
tu & horrore deprehendit. Sed tota certaminum moles cum Lusitanis fuit & Nu- 621
mantinis; nec immerito: quippe solis gentium [Hispaniæ] duces contigerunt. Fuisset
& cum omnibus Celtiberis; nisi dux illius motus, initio belli oppressus esset, summus
vir astutia & audacia, si *res cessisset, *Solondicus; qui hastam argenteam quatiens,

velut cælo miſſam, vaticinanti ſimilis, omnium in ſe mentes conuerterat. Sed cum
pari temeritate ſub nocte caſtra conſulis adiſſet, iuxta tentorium ipſum pilo vigilis ex-
604 ceptus eſt. Ceterum Luſitanos *Viriathus* erexit, vir calliditatis acerrimæ; qui *ex ve-
natore latro, ex latrone ſubito dux atque imperator, &, ſi fortuna ceſſiſſet, Hiſpa-
niæ Romulus, non contentus libertatem ſuorum defendere, per quatuordecim an-
607 nos omnia citra vltraque Iberum & Tagum igni ferroque populatus, caſtra etiã præ-
torum & *præſidum aggreſſus, Claudium Vnimanum pæne ad * internecionem ex-
ercitus cecidiſſet, inſignia trabeis & faſcibus noſtris, quæ ceperat, in montibus ſuis tro
608 pæa fixiſſet: tandem *eum Fabius Maximus conſul oppreſſerat. Sed a ſucceſſore Ser-
613 uilio [Cæpione] violata victoria eſt: quippe qui conficiendæ rei cupidus, fractum du-
cem, & extrema deditionis agitantem, per fraudem & inſidias & domeſticos percuſ-
ſores aggreſſus, hanc hoſti gloriam dedit, vt videretur aliter vinci non potuiſſe.

Bellum Numantinum, CAP. XVIII.

612 NVMANTIA, quantum Carthaginis, Capuæ, Corinthi opibus inferior, ita vir-
tutis nomine & honore par omnibus, ſummumque, ſi viros æſtimes, Hiſpaniæ de-
cus: quippe quæ ſine muro, ſine turribus, modice edito in tumulo apud [flumen] Du-
rium ſita, quatuor millibus Celtiberorum, XL millium exercitum, per annos XIIII
ſola ſuſtinuit: nec ſuſtinuit modo, ſed ſæuius aliquanto perculit; pudendiſque fœde-
ribus affecit. Nouiſſime cum inuictam eſſe conſtaret, opus quoque eo fuit qui Car-
thaginem euerterat. Non temere, ſi fateri licet, vllius cauſſa belli iniuſtior. *Segiden-
ſes ſocios & conſanguineos, Romanorum manibus elapſos, exceperant; habita pro
eis deprecatio nihil valuit; cum ſe ab omni bellorum contagione remouerent, in le-
gitimi fœderis pretium iuſſi arma deponere. Hoc ſic a barbaris acceptum, quaſi ma-
613 nus abſcinderentur. Itaque ſtatim, Megara viro fortiſſimo duce, ad arma conuerſi,
616 Pompeium prœlio aggreſſi, fœdus tamen maluerunt, cum debellare potuiſſent. Ho-
ſtilium deinde Mancinum [aggreſſi ſunt.] hunc quoque aſſiduis cædibus ita ſube-
gerunt, vt ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quiſquam ſuſtineret: tamen
cum hoc quoque fœdus maluere, contenti armorum manubiis, cum ad *internecio-
nem ſæuire potuiſſent. Sed non minus Numantini quam Caudini illius fœderis fla-
grans ignominia ac pudore populus Romanus, dedecus quidẽ præſentis flagitij, de-
620 ditione Mancini expiauit: ceterum duce Scipione, Carthaginis incendiis ad excidia
vrbium imbuto, tandem etiam in vltionẽ excanduit. Sed tunc acrius in caſtris, quam
in campo; noſtro cum milite, quam cum Numantino prœliandum fuit. Quippe aſſi-
duis & iniuſtis, & ſeruilibus maxime operibus attriti, ferre plenius vallum, qui arma
neſcirent; luto inquinari, qui ſanguine nollent, iubebantur. Ad hoc ſcorta, calones,
„ ſarcinæ, niſi ad vſum neceſſariæ, amputantur. *Tanti eſſe exercitum, quanti Imperatorẽ,*
„ vere proditum eſt. Sic redacto in diſciplinam milite, commiſſa acies: quodque ne-
mo viſurum ſe vmquam ſperauerat, factum eſt, vt fugientes Numantinos *quiſque
videret. Dedere etiam ſeſe volebant, ſi toleranda viris imperarentur. Sed cum Sci-
pio veram vellet, & ſine exceptione victoriam, eo neceſſitatum compulſi, primum,
vt deſtinata morte in prœlium ruerent, cum ſeſe prius epulis, quaſi inferiis impleuiſ-
ſent, carnis ſemicrudæ & *celiæ: ſic vocant *indigenæ ex frumento potionem. Intel-
lectum ab imperatore conſilium. itaque non eſt permiſſa pugna morituris; cum foſ-
ſa, atque lorica, quatuorque caſtris circumdatos, *fame premeret, ab duce orantes
prœlium, vt tamquam viros occideret. *Sed vbi non impetrabant, placuit eruptio.
ſic conſerta manu plurimi occiſi; & cum vrgeret fames, aliquantiſper inde vixere.
Nouiſſime conſilium fugæ ſedit: ſed hoc quoque ruptis equorũ cingulis vxores ade-
mere, ſummo ſcelere per amorem. Itaque etiam exitu deplorato, in vltimam rabiem
furoremque conuerſi, poſtremo mori hoc genere deſtinarunt: Duces ſuos, ſeque, pa
„ triamque, ferro, & veneno, ſubiectoque vndique igne, peremerunt. Macte eſſe for-
„ tiſſimam, & meo iudicio beatiſſimam in ipſis malis ciuitatem aſſeruit, cum fide ſo-
„ cios; populum orbis terrarum viribus fultum, ſua manu, ætate tam longa ſuſtinuit.
Nouiſſime maximo duce oppreſſa ciuitas, nullum de ſe gaudium hoſti reliquit. V-

nus enim vir Numātinus non fuit qui in catenis duceretur: præda, vt de pauperibus, 621
nulla: arma[ipsi] cremauerant. Triumphus fuit tantum de nomine.

Anacephalæosis; CAP. XIX.

HACTENVS populus Rom. pulcher, egregius, pius, sanctus atq; magnificus. Re-
liqua sæcula, vt grandia æque, ita vel magis turbida & fœda, crescentibus cum ipsa
magnitudine imperij vitiis: adeo vt si quis hanc tertiam eius ætatem transmarinam,
quam ducentorum annorum fecimus, diuidat, centum hos priores, quibus Africam,
Macedoniam, Siciliam, Hispaniam domuit, aureos (sicut poetæ canunt) iure merito-
que fateatur: centum sequentes, ferreos plane & cruentos, & si quid immanius: quip-
pe qui Iugurthinis, Cimbricis, Mithridaticis, Parthicis bellis, Gallicis atque Germa-
nicis, quibus cælum ipsum gloria ascendit; Gracchanas, Drusianasque cædes; *ad- 620
hæc, seruilia bella miscuerunt; &, ne quid turpitudini desit, gladiatoria. denique, in se 632
[ipse] conuersus, Marianis atque Syllanis, nouissime Pompeij & Cæsaris manibus, 662
quasi per rabiem, & furorem, & nefas, semet ipse lacerauit. Quæ etsi inuoluta inter se
sunt omnia atque confusa, tamen quo melius appareant; simul & ne scelera virtuti-
bus obstrepant, separatim proferentur. Priusque, vt cœpimus, iusta illa memorabi-
mus & pia cum exteris gentibus bella; vt magnitudo crescentis in dies imperij appa-
reat. tum ad illa ciuium scelera, turpesque & impias pugnas reuertemur.

Bellum Asiaticum [*cum Aristonico*;] CAP. XX.

VICTA ad occasum Hispania, populus Romanus ad orientem pacem agebat:
nec pacē modo; sed inusitata & incognita quadam felicitate, relictæ regiis heredita-
tibus opes, & tota *in simul regna veniebant. Attalus rex Pergamenorum, regis Eu- 620
menis filius, socij quondam commilitonisque nostri, testamentum reliquit; *Populus
Romanus bonorum meorum heres esto*. In bonis regis hæc *fuerunt. Adita igitur heredi-
tate, prouinciam populus Romanus non quidem bello, nec armis, sed (quod est æ-
quius) testamenti iure retinebat. Sed hanc difficile dictu est vtrum facilius amise-
rit populus Romanus, an recuperauerit. Aristonicus, regij sanguinis ferox iuuenis,
vrbes regibus parēre consuetas, partim facile sollicitat; paucas resistētes, Myndum, 622
Samon, Colophonem, vi recepit. Crassi quoque *proconsulis cecidit exercitum, i-
psumque cepit. Sed ille, memor & familiæ & Romani nominis, custodem sui barba-
rum virgula excæcat; in exitium sui, quod volebat, ita *concitat. Mox a *Perperna do 623
mitus & captus, & per deditionem in vinculis habitus. [M.?] Aquillius Asiatici belli 614
reliquias confecit, mixtis (nefas) veneno fontibus ad deditionem quarundam
vrbium. quæ res vt maturam, ita infamem fecit victoriam: quippe
cum contra fas deūm, moresque maiorum, medica-
minibus impuris in id tempus sacrosancta
Romana arma violasset.

L. FLORI HISTORIARVM LIBER III.

Bellum Iugurthinum, CAP. I.

642 HÆc ad Orientem. Sed non ad *Meridionalem plagam eadem quies.
Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum? Atqui nō
leuiter se *Numidia concussit; & fuit in Iugurtha, quod post Anniba-
lem timeretur. Quippe rex callidissimus populum Romanum armis
inclitum, & inuictum opibus, aggressus est, & citra spem omnium for-
tuna cessit, vt rex fraude præcipuus, fraude caperetur. Hic auo *Massinissa, & Micipsa
patre per adoptionē, cum interficere fratres statuisset, agitatus regni cupiditate; nec
illos magis quam senatum populumque Romanum, quorum in fide & clientela re-
gnum erat, metueret: primum scelus mandat insidiis: potitusque Hiempsalis capite,
cum se in Adherbalem conuertisset, isque Romam profugisset, missa per legatos pe-
cunia, traxit in sententiam suam senatum. Et hæc fuit de nobis eius prima victoria.
Missos deinde qui regnum inter illum Adherbalemque diuiderent, similiter aggres-
sus, cum in Scauro ipsos Romani imperij mores expugnasset, inchoatum nefas per-
fecit audacius. Sed *diu non latent scelera.* corruptæ nefas legationis erupit; placuit-
que bello persequi parricidam. Primus in Numidiam Calpurnius Bestia consul *im-
642 mittitur. sed rex *præmonitus, fortius aduersus Romanos aurum esse, quam ferrum,
pacem emit. Cuius flagitij reus cum interueniente publica fide a senatu *accersere-
643 tur, pari audacia & venit, & competitorem imperij Massinissæ [nepotem] *Massiuam,
immisso percussore confecit. Hæc altera contra regem fuit caussa bellandi. Igitur
sequens vltio mandatur Albino. Sed huius quoq; (prô dedecus) ita corrupit exercitū,
vt voluntaria nostrorum fuga vinceret Numida, castrisque potiretur: addito etiam
turpi fœdere in pretium salutis; [quem,] quod prius emerat, dimisit exercitum. *Eo-
644 dem tempore in vltionem non tam imperij Romani, quam pudoris, Metellus assur-
git; qui callidissime hostem nūc precibus, nunc minis, iam simulata, [iam] quasi vera
fuga eludentem, artibus suis aggressus est. Agrorum atque vicorum populatione nō
contentus, in ipsa Numidiæ capita impetum fecit: & Zamam quidem frustra diu vo
luit; ceterum Thalam, grauem armis thesauroque regis diripuit. Tunc vrbibus exu-
tum regem, & iam finium suorum regnique fugitiuum per Mauros atque *Getuliam
646 sequebatur. Postremo Marius, auctis admodum copiis, cum pro obscuritate gene-
ris sui capite censos sacramento adegisset, iam fusum & saucium regem adortus non
facilius tamen vicit, quam si integrum & recentem. Hic & vrbem Herculi conditā
Capsam, in media Africa sitam, anguibus arenisque vallatam, mira quadam felicita-
te superauit; & saxeo inditam monti Mulucham vrbem, per Ligurem aditu arduo
inaccessoque penetrauit. mox non ipsum modo, sed Bocchum [quoque] Maurita-
niæ regem, iure sanguinis Numidam vindicantem, apud oppidum *Cirram grauiter
cecīdit. Qui vbi diffisus rebus suis, alienæ cladis *accessio ne fieret, timet, pretium fœ-
deris atque amicitiæ regem facit. Sic fraudulentissimus regum, fraude soceri sui in
„ insidias deductus est, & Sullæ in manum traditus. Tandemque opertum catenis Iu-
„ gurtham in triumpho populus Romanus aspexit: sed ille quoque, quamuis victus &
649 vinctus, vidit vrbem quam venalem, & quādoque perituram, si habuisset emtorem,
frustra cecinerat. *Tamen vt venalis fuisset, habuit emtorem. & cum ille non eua-
serit, certum erit eam non esse perituram.

Bellum Allobrogicum, CAP. II.

628 SIC ad Meridiem populus Romanus. Multo atrocius & multipliciter magis & a
Septentrione sæuitum: nihil hac plaga infestius. atrox cælum, peruicaci ingenio. O-
mni igitur tractu violentus hostis a dextris atque læuis, & medio Septentrionis eru-
629 pit. Prima trans Alpes arma nostra sensere **Salyi*, cum de incursionibus eorum fidissi-
ma atque amicissima ciuitas *Massilia* quereretur: *Allobroges* deinde, & *Aruerni*; cum
aduersus eos, similes *Æduorum querelæ, opem & auxiliū nostrum flagitarent. *Va-
rus victoriæ testis, Isaraque, & Vindelicus *amnis, & impiger fluminum Rhodanus.

Maximus barbaris terror elephanti fuere, immanitati gentium pares. Nil tam conſpicuum in triumpho, quam rex ipſe* Bituitus diſcoloribus in armis, argenteoque carpento; qualis pugnauerat. Vtriuſque victoriæ quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc *exiſtimari poteſt, quod & Domitius * Aenobarbus, & Fabius Maximus, 631
ipſis quibus dimicauerant [in] locis, ſaxeas erexere turres, & deſuper exornata armis hoſtilibus *tropæa* fixere: cum hic mos inuſitatus fuerit noſtris. Numquam enim po- 632
pulus Romanus hoſtibus domitis ſuam victoriam exprobrauit. “

Bellum Cimbricum, Teutonicum, ac Tigurinum, CAP. III.

CIMBRI; *Teutones atque Tigurini, ab extremis Galliæ profugi, cum terras eo- 640
rum inundaſſet Oceanus, nouas ſedes toto orbe quærebant, excluſique Gallia & Hiſpania, cum in Italiam *remigrarent, miſerunt legatos in caſtra Silani; inde ad ſenatum; petentes vt *Martius populus aliquid ſibi terræ daret quaſi ſtipendium: ceterum, vt vellet, manibus atque armis ſuis vteretur. Sed quas daret terras populus Romanus, agrariis legibus *inter ſe dimicaturus? Repulſi igitur, quod nequiuerant precibus, armis petere conſtituunt. Sed nec primum impetum barbarorum Silanus, nec 644
ſecundum *Manilius, nec tertium Cæpio ſuſtinere potuerunt. omnes fugati, exuti 648
caſtris. Actum erat; niſi Marius illi ſæculo contigiſſet. Ille quoque non auſus congre- 651
di ſtatim, militem tenuit in caſtris; donec inuicta illa rabies, & impetus, quẽ pro virtute barbari habent, conſeneſceret. Receſſere igitur increpantes, & (tanta erat capiẽdæ vrbis fiducia(conſulentes ſi quid ad vxores ſuas mandarent. Nec ſegnius quã minati fuerant, tripartito agmine per Alpes, id eſt clauſtra Italiæ, ferebantur. Marius, mira ſtatim velocitate occupatis compendiis, præuenit hoſtem; prioreſque *Teutonas ſub ipſis Alpium radicibus aſſequutus, in *loco quem *Aquas Sextias* vocant, *quo (fides numinum) prœlio oppreſſit! Vallem fluuiumque [medium] hoſtes tenebant; noſtris aquarum nulla copia. conſultone id egerit Imperator, an errorem in conſiliũ verterit, dubium. certe neceſſitate *aucta virtus, cauſſa victoriæ fuit. Nam flagitante “
aquam exercitu, *Viri*, inquit, *eſtis: en illic habetis.* Itaq; tanto ardore pugnatũ eſt, eaq; cædes hoſtium fuit, vt victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit, quam ſanguinis barbarorum. certe rex ipſe Teutobocchus, quaternos ſenoſq; equos tranſilire ſolitus, vix vnum, cum fugeret, aſcẽdit; proximoq; in ſaltu comprenſus, inſigne ſpectaculum [triumphi] fuit: quippe vir proceritatis eximiæ, ſuper tropæa ipſa eminebat. Sublatis [igitur] funditus *Teutonis, in CIMBROS cõuertitur. Hi iam (quis crederet?) per hiemem, quæ altius Alpes leuat, Tridentinis iugis in Italiam prouoluti ruina deſcenderant, *Ateſim flumen non ponte, nec nauibus, ſed quadam ſtoliditate 652
barbarica, primum corporibus aggreſſi; poſtquam retinere amnem manibus & clypeis fruſtra tentauerant, ingeſta obrutum ſilua tranſiluere: &, ſi ſtatim infeſto agmine vrbem petiſſent, grande diſcrimen eſſet: ſed in *Venetia*, quo fere tractu Italia molliſſima eſt, ipſa ſoli cælique clementia robur elanguit. Adhoc panis vſu, carniſq; coctæ, & dulcedine vini mitigatos Marius in tẽpore aggreſſus eſt. Iam diẽ pugnæ a *Mario Imperatore petierunt; & ſic proximum dedit. In patentiſſimo, quẽ *Caudium* vocant, cãpo *concurrẽre: millia inde *CXL ceciderũt; hinc, tertio minus. per *totũ diẽ cõciditur barbarus. Iſti quoq; imperator addiderat virtuti dolũ; ſecutus Annibalẽ, artemq; Cannarũ. Primum nebuloſum nactus diem, vt hoſti inopinatus occurreret: tũ ventoſum quoq;, vt puluis in oculos & ora ferretur: tum acie conuerſa in Orientem, vt quod ex captiuis mox cognitũ eſt, ex ſplendore galearũ, ac repercuſſu, quaſi ardere cælum videretur. Nec minor cum vxoribus eorũ pugna, quam cum ipſis fuit; cum 652
obiectis vndiq; plauſtris atque carpentis, altæ deſuper, quaſi e turribus, lanceis, cõtiſque pugnarent. Perinde ſpecioſa mors earum fuit, quam pugna. Nam cum miſſa ad Marium legatione, libertatẽ ac ſacerdotium nõ impetraſſent, (nec fas erat) ſuffocatis eliſiſq; paſſim infantibus ſuis, aut mutuis concidẽre vulneribus, aut vinculo e crinibus ſuis facto, ab arboribus iugiſq; plauſtrorũ pependerunt. *Beleus rex, in acie dimicans, impigre, nec inultus occubuit. Tertia TIGVRINORVM manus, quæ quaſi [in] ſubſidio Noricos inſederat Alpiũ tumulos, in diuerſa lapſi, fuga ignobili & latrociniis euanuit. Hunc tã lætũ, tamq; felicẽ *liberatæ Italiæ, aſſertiq; imperij nuntiũ, nõ per homines, vt ſolebat, populus [Romanus] accepit; ſed per ipſos (ſi credere fas eſt) deos.

Quippe eodem die quo gesta res est, visi pro æde Castoris & Pollucis iuuenes laurea-
ti prætori litteras *dare; frequensque in spectaculo rumor *victoriæ Cimbricæ felici-
ter dixit. Quo quid admirabilius, quidque insignius fieri potest? Quippe, velut elata
montibus suis Roma, spectaculo belli interesset; quod in gladiatorio munere fieri so-
let; vno eodemque momento cum in acie Cimbri *occumberent, populus in vrbe
plaudebat.

Bellum Thracium, CAP. IIII.

POST Macedonas (si diis placet) *Thraces* rebellabant; ipsi quondam tributarij Ma-
cedonum: nec in proximas modo prouincias contenti incurrere, Thessaliam atque
Dalmatiam; in Adriaticum mare vsque venerunt: eoque fine contenti, quasi inter-
ueniente natura, contorta in ipsas aquas tela miserunt. Nihil interim per id omne tē-
pus residuum crudelitatis fuit in captiuos sæuientibus. Litare diis *sanguinem huma-
num, bibere in ossibus capitum; & huiuscemodi ludibrio fœdare mortem tam igni
quam fumo: partus quoque grauidarum extorquere tormentis. Sæuissimi omniū
Thracum *Scordisci* fuere: sed calliditas quoque ad robur accesserat. Siluarum & mō-
640 tium situs cum ingenio *consentiebat. Itaque non fusus modo ab his, aut fugatus, sed
641 (simile prodigio) omnino totus interceptus exercitus quem duxerat Cato. *Didius
vagos, & libera populatione diffusos, intra suam repulit Thraciam. Drusus vlterius
642 egit; & vetuit transire Danubium. Minucius toto vastauit Hebro; multis quidem a-
643 missis, dum per *perfidum glacie flumen equitatur. Piso Rhodopen Caucasumque
penetrauit. Curio Daciâ tenus venit; sed tenebras saltuum expauit. Appius in Sar-
681 matas vsque peruenit. Lucullus ad terminum gentium Tanaim, lacumque Mæo-
676 tim. Nec aliter cruentissimi hostium quam suis moribus domiti: quippe in captiuos
682 igne ferroque sæuitum est. Sed nihil barbaris atrocius visum est, quam quod abscissis
manibus relicti, viuere superstites pœnæ suæ videbantur.

*Bellum *Mithridaticum*, CAP. V.

659 PONTICAE gentes ad Septentrionem in mare sinistrum iacent; a Pōtico cogno-
minatæ mari. Harum gentium atque regionum rex antiquissimus *Atheas, post Ar-
tabazes, a septem Persis oriundus. Inde Mithridates, omnium longe maximus. quip-
pe cum quatuor Pyrrho *XVII anni Annibali suffecerint, ille per quadraginta annos
restitit; donec tribus ingentibus bellis subactus, felicitate Sullæ, virtute Luculli, ma-
gnitudine Pompeij consumeretur. Caussam quidem illius belli prætenderat apud
Cassium legatum, attrectari terminos suos a Nicomede Bithynico. Ceterum elatus
animis ingentibus, Asiæ totius, &, si posset, Europæ cupiditate flagrabat. Spem ac fi-
662 duciam dabant nostra vitia. Quippe cum ciuilibus bellis distingeremur, inuitabat
663 occasio; nudumque imperij latus ostendebant procul Marius, Sulla, Sertorius. Inter
664 hæc Reipubl. vulnera, & hos tumultus, repente quasi captato tempore, in lassos simul
664 atque districtos subitus turbo Pontici belli ab vltima veluti specula Septentrionis e-
666 rupit. Primus statim impetus belli, Bithyniam rapuit. Asia deinde pari terrore cor-
repta est. Nec cunctanter ad regem ab vrbibus nostris populisque descitum est. Ade-
rat, instabat; sæuitia quasi virtute vtebatur. Nam quid atrocius vno eius edicto, cum
omnes qui in Asia forent Romanæ ciuitatis homines, interfici iussit? Tum quidem
domus, templa, & aræ, humana omnia atq; diuina iura violata sunt. Sed hic terror A-
siæ, Europam quoq; regi aperiebat. Itaq; missis Archelao Neoptolemoq; præfectis,
excepta Rhodo, quæ pro nobis firmius stetit ceteris, Cyclades, Delos, Eubœa & i-
psum Græciæ decus Athenæ, tenebātur. Italiam iam ipsamq; vrbem Romam regius
667 terror afflabat. Itaq; L. Sulla festinat, vir armis optimus: pariq; violentia ruentē vl-
terius hostē, *manu quadā quasi ipsius, repulit. Primumq; Athenas, vrbē (quis crede-
ret?) frugū parentē, obsidione ac fame ad humanos cibos cōpulit: mox subruto Piręi
portu, sex quoq; & amplius muris, postquā domuerat ingratissimos, vt ipse dixit, ho-
minū, in honorem tamen mortuorū, sacris suis famæq; donauit. Mox, cum Eubœa
atq; Bœotia præsidia regis dispulisset, omneis copias, vno apud Chæroneā, apud Or-
667 chomenon altero bello dissipauit: statimq; in Asiam transgressus, ipsum opprimit: &
debellatum etiam foret, nisi de Mithridate triumphare cito quam vere maluisset.
Ac tum quidem hunc Asiæ statum Sulla dederat. Ictum cum Ponticis fœdus: recepit
Bithyniam

Bithyniam a rege Nicomede;ab Ariobarzane Cappadociam: ac sic erat Asia rursus
nostra,vt cœperat: Mithridates tantum repulsus. Itaque non fregit ea res Ponticos, 669
sed incendit. Quippe rex Asia & Europa quodammodo inescatus, non iam quasi a-
lienam,sed,quia amiserat,quasi*raptam,belli iure repetebat.Igitur vt exstincta parũ
fideliter incendia, maiore flamma reuiuiscunt: ita ille de integro auctis maiorem in
modum copiis,tota denique regni sui mole,in Asiam rursus mari, terra, fluminibus-
que veniebat. Cyzicum nobilis ciuitas,arce,mœnibus, portu, turribusque marmo-
reis,Asiaticæ plagæ litora illustrat.Hanc ille,quasi alteram Romam, toto inuaserat 679
bello.Sed fiduciam oppidanis resistendi nuntius fecit, docens aduentare Lucullum;
qui,horribile dictu,per medias hostium naues,vtre suspensus, & pedibus iter adgu-
bernans,videntibus procul,quasi marina *pistrix euaserat.Mox clade conuersa,cum
*ex mora obsidentem regem, & ex fame pestilentia vrgeret, recedentem Lucullus
assequitur;adeoque cecidit,vt Granicus & *Æsapus amnes cruenti redderẽtur. Rex 680
callidus,Romanæque auaritiæ peritus,spargi a fugientibus sarcinas & pecuniam ius-
sit,qua sequentes moraretur. Nec felicior in mari quam in terra fuga. Quippe cen-
tum amplius nauium classem,apparatumque belli grauem,in Pontico mari aggressa
tempestas,tam fœda strage laceraiut,vt naualis belli instar efficeret; plane quasi Lu-
cullus quodam cum fluctibus procellisque commercio, debellandum tradidisse re-
gem ventis videretur. Attritæ iam omnes validissimi regni vires erant: sed animus
malis augebatur.Itaque conuersus ad proximas gentes,totum pene Oriẽtem ac Se-
ptentrionem ruiua sua inuoluit.Iberi, Caspij, Albani, & vtræque sollicitabantur Ar- 687
meniæ;perque omnia & decus & nomen & titulos Pompeio sua fortuna quærebat.
Qui vbi nouis motibus ardere Asiam videt,aliosque ex aliis prodire reges, nihil cun-
ctandum ratus,priusquam inter se gentium robora coirent,statim ponte nauibus fa-
cto,omnium ante se primus transit Euphratem; regemque fugientem media nactus
Armenia(quanta felicitas viri!)vno prœlio confecit. Nocturna ea dimicatio fuit, &
luna in partibus: quippe quasi commilitans, *cum a tergo hostibus, a facie Romanis
se præbuisset,Pontici per errorem longius cadentes vmbras [suas]quasi hostium cor
pora petebant. Et Mithridates quidem nocte illa debellatus est. Nihil enim postea
valuit;quamquam omnia expertus,more anguium, qui obtrito capite, postremum
cauda minantur. Quippe cum effugisset hostem, Colchos,*Ciliciæ quoque litora,&
Campaniam nostram,subito aduentu terrere voluit.[mox subruto Pyræi portu,Col
chis tenus iungere Bosporon:]inde per Thraciam,Macedoniam & Græciam transi-
lire; sic Italiam *nec opinato inuadere tãtum cogitauit.Nam per defectionem ciuiũ,
Pharnacisque filij scelere præuentus,male tentatum veneno spiritum ferro expulit. 690
Cn.interim Magnus, rebelles Asiæ reliquias sequens,per diuersa gentium terrarum-
que volitabat.Nam sub Orientem sequutus Armenios, captis ipso capite gentis Ar-
taxatis,supplicem iussit regnare Tigranem. At in Septentrionem Scythicum iter
tamquam in mari *stellis sequutus,Colchos cecidit;ignouit Iberiæ;pepercit Albanis;
regem Colchorum Orodem,positis[etiam] sub ipso Caucaso castris, iussit in plana
descendere;* Artocen,qui Iberis imperabat,& obsides liberos dare. Orodem etiam
remuneratus est,vltro ab Albania sua lectulũ aureum & alia dona mittẽtem. Nec-
non & in Meridiem verso agmine,Libanum Syriæ,Damascumque transgressus,per
nemora illa odorata,per thuris & balsami siluas,Romana signa circumtulit. Arabes,
si quid imperaret,præsto fuere. *Hierosolyma defendere tẽtauere Iudæi: verum hæc
quoque & intrauit,& vidit illud grande impiæ gentis arcanum *patens sub aureo vti
cælo. Diffidẽtibusque de regno fratribus,arbiter factus,regnare iussit Hyrcanũ: Ari-
stobulo,quia renuebat eam rem,catenas dedit. Sic Pompeio duce populus Rom.
totam,quà latissima est,Asiam peruagatus, quam extremã imperij habebat prouin- 692
ciam,mediam fecit.Exceptis quippe Parthis,qui fœdus maluerunt; & Indis, qui ad-
huc nos non nouerant; omnis Asia inter Rubrum[mare] & Caspium & Oceanum,
Pompeianis domita vel oppressa signis tenebatur.

Bellum Piraticum, CAP. VI.

INTERIM dum populus Rom.per diuersa terrarum distractus est, Cilices inua-
serant maria; sublatisque commerciis, rupto fœdere generis humani, sic maria

bello, quasi tempestate præcluserant. Audaciam perditis furiosisque latronibus dabat inquieta Mithridaticis prœliis Asia; dum sub alieni belli tumultu, exterique regis inuidia, impune grassantur: ac primum *duce Isidoro, contenti proximo mari, Cretam inter atque Cyrenas, [Piræum &] Achaiam, sinumque Máleum;* quem a spoliis
674 *aureum* ipsi vocauere, latrocinabantur. Missusque in eos P. Seruilius, quamuis leues & fugaces Myoparonas, graui & Martia classe turbaret; non incruenta victoria superat. Sed nec mari submouisse contentus, validissimas vrbes eorum & diutina præda abundantes, Phaselim & Olympon, euertit; *Isauronq; ipsam arcem Ciliciæ; vnde
679 conscius sibi magni laboris, *Isaurici* cognomen adamauit. Non ideo tamen tot cladibus domiti, terra se continere potuerunt: sed, vt quædam animalia, quibus aquam terramque incolendi gemina natura est, sub ipso hostis recessu, impatientes soli, in aquas suas resiluerunt; & aliquãto latius quam prius. Sic ille quoque ante felix, dignus
686 nunc victoria Pompeius visus est, & Mithridaticæ prouinciæ *facta accessio. Ille, dispersam toto mari pestem semel & in perpetuum volens exstinguere, diuino quodã apparatu aggressus est. Quippe cum classibus suis & socialibus Rhodiorum abundaret, pluribus legatis atque præfectis vtraque Ponti & Oceani ora complexus est. Gellius, Tusco mari impositus; *Plotius, Siculo: *Gratillius Ligustinum sinum, M. Pomponius Gallicum obsedit; Torquatus Balearicum; Tiberius Nero Gaditanum fretũ, qua primum maris nostri limen aperitur: Lentulus Libycum, Marcellinus Ægyptiũ, Pompeij iuuenes Adriaticum, Varro Terentius Ægæum & Ponticum, [&] Pamphylium Metellus, Asiaticum Cæpio; ipsas Propõtidis fauces Porcius Cato sic obditis nauibus, quasi portam *obseruauit. Sic per omnis æquoris portus, sinus, latebras, recessus, promontoria, freta, peninsulas, quidquid piratarum fuit, quadam indagine inclusum & oppressum est. Ipse Pompeius in originem fontemque belli Ciliciam versus est. Nec hostes detrectauere certamen, non ex fiducia; sed, quia oppressi erãt, ausi videbantur: sed nihil tamen amplius, quam vt ad primum ictum concurrerent. Mox vbi circumfusa vndique rostra viderunt, abiectis statim telis remisque, plausu vndiq; pari (quod *supplicantiũ signum fuit) vitã petiuerunt. Non *alia tam incruenta victoria vsi vmquam sumus; sed nec fidelior in posterum reperta gens vlla est. Idque prospectum singulari consilio ducis; qui maritimum genus a conspectu longe remouit maris, & mediterraneis agris quasi obligauit: eodemque tempore & vsum maris nauibus recuperauit, & terræ homines suos reddidit. Quid prius in hac mirere victoria? velocitatem, quod XL die parta est? an felicitatem, quod ne vna quidem nauis amissa est? an vero perpetuitatem, quod amplius piratæ non fuerunt?

Bellum Creticum, CAP. VII.

685 CRETICVM bellum, si vera volumus noscere, nos fecimus, sola vincendi nobilem insulam cupiditate. Fauisse Mithridati videbatur: hoc placuit armis vindicare.
685 Primus inuasit insulam M. Antonius, cum ingenti quidem victoriæ spe atque fiducia; adeo vt plureis catenas in nauibus quam arma portaret. Dedit itaque pœnas vecordiæ. nam plerasque naues intercepere hostes, captiuaque corpora religata velis ac funibus pependere; ac sic velificantes triumphantium in modum Cretes portibus suis adremigauerunt. Metellus deinde totam insulam igni ferroque populatus, intra castella & vrbes redegit, & *Gnoson, & Erythræam, & (vt Græci dicere solent)*vrbium matrem* Cydonam: adeoque sæue in captiuos consulebatur, vt veneno se plerique conficerent, alij deditionem suam ad Pompeium absentem mitterent. Et cum ille res in Asia gerens, eo quoque præfectum misisset *Octauium, in aliena prouincia
686 *irrisus fuit; eoque infestius Metellus in hostes ius victoris exercuit; victisque Lasthene & Panare Cydonæ ducibus, victor rediit: nec quidquam amplius tamen de tam
691 famosa victoria, quam cognomen *Creticum* reportauit.

Bellum Balearicum, CAP. VIII.

630 QVATENVS Metelli Macedonici domus bellicis nominib⁹ assueuerat, altero ex liberis eius Cretico facto, mora nõ fuit quin alter quoq; *Balearicus* vocaretur. *Baleares* per idem tempus insulæ, piratica rabie corruperãt maria. Homines feros atq; siluestres

ueſtres mireris auſos a ſcopulis ſuis ſaltem maria proſpicere. Aſcendêre etiam *in-
conditas rates; & prænauigantes ſubinde inopinato impetu terruere. Sed cum ve-
nientem ab alto Romanam claſſem proſpexiſſent,prædam putantes, auſi etiam oc-
currere.& primo impetu, ingenti lapidum ſaxorumque nimbo claſſem operuere.
tribus quiſque fundis præliatur. Certos eſſe quis miretur ictus; cum hæc ſola genti
arma ſint,id vnum ab infantia ſtudium? cibum puer a matre non accipit, niſi quem
ipſa monſtrante percuſſit.Sed non diu lapidatione Romanos terruere. Poſtquam
comminus ventum eſt,expertique roſtra,& pila venientia,pecudum in morem cla-
more ſublato petierunt fuga litora; delapſique in proximos tumulos,quærendi fue-
runt vt vincerentur.

Expeditio in Cypron, CAP. IX.

ADERAT fatum inſularum. Igitur & *Cypros* recepta ſine bello. Inſulam veteri- 697
bus diuitiis abundantem,& ob hoc Veneri ſacram,Ptolemæus regebat: & diuitiarū
tanta erat fama,(nec falsò) vt victor gentium populus,& donare regna conſuetus, P.
Clodio Tribuno [plebis] duce,ſocij viuique regis confiſcationem mandauerit. Et ille
quidem ad rei famam veneno fata præcepit: ceterum Porcius Cato Cyprias opes Li-
burnis per Tiberinum oſtium inuexit: quæ res latius ærarium populi Romani quam
vllus triumphus impleuit.

Bellum Gallicum, CAP. X.

ASIA Pompeij manibus ſubacta,reliqua quæ reſtabant in Europa,fortuna in Cæ- 695
ſarem tranſtulit. Reſtabant autem immaniſſimi gentium *Galli*, atque *Germani*: &
quamuis in toto orbe diuiſa,tamē qui vinceret,habuit *Britannia*. Primus Galliæ mo-
tus,ab *Heluetiis* cœpit; qui Rhodanum inter & Rhenum ſiti,non ſufficientibus terris,
venêre ſedes petitum,incenſis mœnibus ſuis. hoc ſacramentum fuit,ne redirēt. Sed
petito tempore ad deliberandum, cum inter moras Cæſar Rhodani ponte reſciſſo
abſtuliſſet fugam,ſtatim bellicoſiſſimam gentem ſic in ſedes ſuas quaſi greges in ſta-
bula paſtor,deduxit. Sequens *longe cruentior pugna *Belgarum*; quippe pro liber- 696
tate pugnantium. Hîc cum multa Romanorum militum inſignia, tum illud egre-
gium ipſius ducis,quod nutante in fugam exercitu, rapto fugientis e manu ſcuto, in
primam volitans aciem,manu prœlium reſtituit. Inde cum *Venetis* etiam nauale 697
bellum: ſed maior cum Oceano quam cum ipſis nauibus rixa. Quippe illæ,rudes &
informes,& ſtatim naufragæ,*roſtra ſenſiſſent: ſed hærebat in vadis pugna, cum æ-
ſtibus ſolitis cum ipſo certamine ſubductus Oceanus intercedere bello videretur.
Illæ quoque acceſſere diuerſitates pro gentium locorumque natura. *Aquitani*, calli-
dum genus,in ſpeluncas ſe recipiebant: iuſſit includi.**Morini* dilabebantur in ſiluas:
iuſſit incendi. Nemo tantum feroces dixerit Gallos; fraudibus agunt. Induciomа-
rus **Treuiros*, Ambiorix conuocauit *Eburones*: vtrique abſente Cæſare coniuratione
facta inuenere legatos. Sed ille fortiter a * T. Labieno ſummotus eſt, relatumque re-
gis caput: hic,inſidiis in valle diſpoſitis dolo perculit. itaque & caſtra direpta ſunt, &
aurum ablatum.* Cottam cum Titurio Sabino legato ibi amiſimus. Nec vlla de re- 699
ge mox vltio: quippe perpetua trans Rhenum fuga latuit. Nec Rhenus ergo immu-
nis: nec enim fas erat vt liber eſſet receptator hoſtium atque defenſor: ſed prima
contra *Germanos* illius pugna,iuſtiſſimis quidem ex cauſſis.*Sequani enim de incur-
ſionibus eorum querebantur. Quæ Ariouiſti regis ſuperbia? Cum legati dicerent, 698
Veni ad Cæſarem:* *Quis autem eſt Cæſar?* &, *Si vult, veniat*, inquit. &, *Quid ad illum quid
agat noſtra Germania? num ego me interpono Romanis?* Itaque tantus gentis nouæ terror
in caſtris, vt teſtamenta paſſim [&] in principiis ſcriberentur. Sed illa immania cor-
pora quo erant maiora, eo magis gladiis ferroque patuerunt. Qui calor in prœliañ-
do militum fuerit,nullo magis exprimi poteſt, quam quod elatis ſuper caput ſcutis
cum ſe veluti teſtudine barbarus tegeret,ſuper ipſa Romani ſcuta ſalierunt,& inde in
iugulos gladiis deſcendebant Iterum [vbi] de Germanis **Menapij* querebantur;
hic vero iam Cæſar vltra *Moſam nauali ponte tranſgreditur, ipſumque Rhenum;
& Hercyniis hoſtem quærit in ſiluis. Sed in ſaltus & paludes genus omne diffugerat.

tantum pauoris incuſſit intra ripam ſubito Romana vis. Nec ſemel Rhenus, ſed iterum quoque,& quidem ponte facto,penetratus eſt. Sed maior aliquanto trepidatio: quippe cum Rhenum ſuum ſic ponte quaſi iugo captum viderent, fuga rurſus in ſiluas ac paludes:& quod acerbiſſimum Cæſari fuit,non fuere qui vincerentur. Omnibus terra marique captis, reſpexit Oceanum; & quaſi hic Romanis orbis non
698 ſufficeret,alterum cogitauit. Claſſe igitur comparata, *Britanniam* petit. In Britanniam tranſit mira celeritate:quippe cum tertia vigilia *Mórino ſoluiſſet a portu, minus quam medio die inſulam ingreſſus eſt. Plena erant tumultu hoſtico litora,&*trepidantium ad cōſpectum rei nouæ carpenta volitabant, itaque trepidatio pro victoria fuit:arma & obſides accepit a trepidis:& vlterius iſſet,niſi improbam claſſem naufragio caſtigaſſet Oceanus.Reuerſus igitur in Galliam, claſſe maiore, auctiſque copiis,in eundem rurſus Oceanum; eoſdemque rurſus Britannos Calidonias ſequutus in ſiluas,vnum quoque e regibus Cauelianum in vincula dedit. Contentus his, (non enim *prouinciis, ſed nomini ſtudebatur) cum maiore quam prius præda reuectus eſt,ipſo quoque Oceano tranquillo magis & propitio; quaſi imparem ſe fateretur.
701 Sed maxima omnium eademque nouiſſima coniuratio fuit Galliarum; cum omnes pariter *Aruernos* atque **Biturigas*, *Carnutas* ſimul,*Sequanoſq;* contraxit ille corpore, armis,ſpirituque terribilis,[&]nomine etiam quaſi terrori compoſito, *Vercingentorix:ille feſtis diebus & comitialibus,cum frequentiſſimos in lucis haberet, ferocibus dictis ad ius priſtinum libertatis erexit. Aberat tunc Cæſar, Rauennæ delectum agens;& hieme creuerant Alpes. ſic interclusum putabant iter. *Sed ille qualis erat ad nuntium rei feliciſſimæ temeritatis? Per inuios ad id tempus montium tumulos, per intactas vias & niues, expedita manu emenſus,occupat Galliam: ex diſtantibus hibernis caſtra contraxit;& ante in media Gallia fuit, quam ab vltima timeretur. Tū ipſa capita belli aggreſſus, vrbes, **Auaricum* cum quadraginta millibus propugnantium ſuſtulit;**Aleſiam*,ducentorum quinquaginta millium iuuentute ſubnixam, flāmis adæquauit.Circa *Gergouiam* [Aruernorum] tota belli moles fuit:quippe [quam] cum LXXX millia muro & arce & abruptis defenderent, maximam ciuitatem vallo, ſudibus,& foſſa, inductoque foſſæ flumine, adhoc decem & octo caſtellis, ingentiq; quaſi lorica circumdatam,primum fame domuit:mox audentem eruptiones,in vallo gladiis ſudibuſque concîdit:nouiſſime in deditionem redegit. Ipſe ille rex, maximum victoriæ decus, ſupplex cum in caſtra veniſſet, tum & phaleras, & ſua arma ante Cæſaris genua proiecit. **Habes*,inquit:*fortem virum vir fortiſſime viciſti.*

Bellum Parthicum, CAP. XI.

698 DVM Gallos per Cæſarem in Septentrione debellat,interim ad Orientem graue vulnus a Parthis populus Romanus accipit.Nec de fortuna queri poſſumus.caret ſolatio clades. *Aduerſa & diis & hominibus cupiditas conſulis Craſſi, dum Parthico inhiat auro,vndecim ſtrage legionum, & ipſius capite multata eſt; *quod tribunus plebis *Metellus exeuntem ducem hoſtilibus diris deuouerat:& cum Zeugma trāſiſſet exercitus,rapta ſubitis ſigna turbinibus hauſit Euphrates: & cum apud *Nicephorum caſtra poſuiſſet,miſſi ab *Orode rege legati denūtiauere, percuſſorum cum Pompeio fœderum,cum Syllaque,meminiſſet. Regiis inhians ille theſauris, nihil ne imaginario quidem iure, ſed*Seleuciæ ſe reſponſurum eſſe reſpondit. Itaque dij fœderum vltores,nec inſidiis nec virtuti hoſtium defuerunt. Iam primum qui ſolus & ſubuehere commeatus, & munire poterat, a tergo relictus Euphrates: tum ſimulato trāsfugæ cuidam *Mazaræ Syro creditur, *cum in mediā camporū vaſtitatem eodē
700 duce ductus exercitus,vndique hoſti exponeretur. Itaque vixdum venerat Carras, cum vndique præfecti regis Sillaces & Surena oſtendêre ſigna auro *ſericeiſque vexillis vibrantia. Tum ſine mora circumfuſi vndique equitatus, in modum grandinis atque nimborum denſa tela pariter fuderunt. Sic miſerabili ſtrage deletus exercitus: ipſe in colloquium ſollicitatus,ſigno dato viuus in hoſtium manus inc idiſſet, niſi tribunis reluctantibus, fugam ducis barbari ferro occupaſſent. Sic quoque relatum caput ludibrio hoſti fuit. Filium ducis pene in conſpectu patris eiſdem telis operuere. Reliquiæ infelicis exercitus, quo quemque rapuit fuga,in Armeniam,Ciliciam,Syriamque

riamque diſtractæ, vix nuntium cladis retulerunt. Caput eius reciſum cum *dextra manu, ad regem reportatum, ludibrio fuit; neque indignò. Aurum enim liquidum in rictum oris infuſum eſt; vt cuius animus arſerat auri cupiditate, eius etiam mortuum & exſangue corpus auro vteretur.

Anacephalæoſis; CAP. XII.

HAEC eſt illa tertia ætas populi Romani tranſmarina; qua Italia progredi auſus, orbe toto arma circumtulit. Cuius ætatis ſuperiores centum anni, ſancti, pij, & (vt diximus) aurei; ſine flagitio, ſine ſcelere, dum ſincera adhuc & innoxia paſtoriæ illius ſectæ integritas, dumque Pœnorum hoſtium imminens metus, diſciplinam veterē continebat. Poſtremi centum, quos a Carthaginis, Corinthi, Numantiæque excidiis, 606 610 & Attali regis Aſiatica hereditate deduximus in Cæſarem & Pompeium, ſecutumque hos, de quo dicemus, Auguſtum, vt claritate rerum bellicarum magnifici, ita domeſticis cladibus miſeri & erubeſcendi. Quippe ſicut Galliam, Thraciam, Ciliciam, [Cappadociam] vberrimas validiſſimaſque prouincias; Armenios etiam, & Britannos, vt non in vſum, ita ad imperij ſpeciem magna nomina acquiſiſſe, pulchrum atque decorum: ita eodem tempore dimicaſſe domi cum ciuibus, ſociis, mancipiis, gladiatoribus, totoque inter ſe ſenatu, turpe atque miſerandum. Ac neſcio an ſatius fuerit populo Romano, Sicilia & Africa *contentum fuiſſe, aut his etiam ipſis carere dominanti in Italia ſua, quam eò magnitudinis creſcere, vt viribus ſuis cōficeretur. Quæ enim res alia furores ciuiles peperit, quam *nimia felicitas*? Syria prima nos victa corrupit; mox Aſiatica Pergameni regis hereditas. Illæ *opes atque diuitiæ* afflixere ſeculi mores, merſamque vitiis ſuis quaſi ſentina rempublicam peſſumdedere. Vnde enim populus Romanus [a tribunis] agros & cibaria flagitaret; niſi per famem quam luxus fecerat? Hinc ergo Gracchana & prima & ſecunda, & illa tertia Appuleiana ſeditio. *Vnde; vt regnaret de iudiciariis legibus, diuiſus a ſenatu eques; niſi ex *auaritia*, vt vectigalia reipublicæ atque ipſa iudicia in quæſtu haberentur? Hinc rurſus & promiſſa ciuitas Latio, & per hoc arma ſociorum. Quid autem bella ſeruilia? vnde nobis, niſi ex abundantia familiarum? Vnde gladiatorij aduerſus dominos ſuos exercitus; niſi ad conciliandum plebis fauorem effuſa largitio, cum ſpectaculis indulget, ſupplicia quondam hoſtium artem facit? Iam vt ſpecioſiora vitia tangamus, nonne *ambitus honorum* ab iiſdem diuitiis incitatus? Atqui inde Mariana, inde Syllana tempeſtas, aut *magnificus apparatus cōuiuiorum, & ſumptuoſa largitio*, nonne ab opulētia, paritura mox egeſtatem? Hæc Catilinam hoſtem patriæ ſuæ impegit. Denique illa ipſa *principatus & dominandi cupido*, vnde, niſi ex nimiis opibus venit? Atqui hæc Cæſarem atque Pompeium furialibus in exitium reipublicæ facibus armauit. Hos igitur populi Romani, omnes domeſticos motus, ſeparatos ab externis iuſtiſque bellis, ex ordine proſequemur.

De legibus Gracchanis, CAP. XIII.

SEDITIONVM omnium cauſſas *Tribunicia poteſtas* excitauit; quæ, ſpecie quidem plebis tuendæ, cuius in auxilium comparata eſt; re autem dominationem ſibi acquirens, ſtudium populi ac fauorem agrariis, frumentariis, iudiciariis legibus aucupabatur. Inerat omnibus ſpecies æquitatis. Quid enim tam iuſtū, quam recipere plebem ius ſuum a Patribus? ne populus gentium victor, orbiſque poſſeſſor, extorris aris ac focis ageret? Quid tam æquum, quam inopem populum viuere ex ærario ſuo? Quid ad ius libertatis æquandæ magis efficax, quam vt ſenatu regente prouincias, ordinis equeſtris auctoritas ſaltem iudiciorum regno niteretur? Sed hæc ipſa in perniciem redibāt, & miſera reſpublica in exitium ſuum *merces erat. [nam] & a ſenatu in equitem translata iudiciorum poteſtas, vectigalia, id eſt imperij patrimonium ſupprimebat: & emtio frumenti, ipſos reipublicæ neruos exhauriebat, ærarium. Reduci plebs in agros vnde poterat ſine poſſidentium euerſione, qui ipſi pars populi erant? & tamen relictas ſibi a maioribus ſedes ætate quaſi iure hereditario poſſidebant.

MM

Seditio Tiberij Gracchi, CAP. XIIII.

620 PRIMAM certaminum facem Tiberius Gracchus accendit, genere, forma, eloquentia facile princeps. Sed hic, siue Mancinianæ deditionis, quia sponsor fœderis fuerat, contagium timens, & inde popularis; siue æquo & bono ductus, quia depulsam agris suis plebem miseratus est; ne populus [Romanus] gentium victor, orbisque possessor, laribus ac focis suis exsularet: [aut] quacumque mente rem ausus ingentẽ, postquam rogationis dies aderat, ingenti stipatus agmine, Rostra conscendit: nec deerat obuia manu, tota inde nobilitas, & tribuni in partibus. Sed vbi intercedentem legibus suis * M. Octauium videt Gracchus, contra fas collegij, ius potestatis, iniecta manu depulit Rostris; adeo que præsenti metu mortis exterruit, vt abdicare se magistratu cogeretur. Sic triumuir creatus diuidendis agris, cum ad perpetranda cœpta die comitiorum prorogari sibi vellet imperium, obuia nobilium manu, eorumque quos agris mouerat, cædes a foro cœpit. Inde cum in Capitolium profugisset, plebemque ad defensionem salutis suæ, manu caput tangens, hortaretur; præbuit speciem regnum sibi & diadema poscentis: atque ita, duce Scipione Nasica, concitato in arma populo, quasi iure oppressus est.

Seditio C. Gracchi, CAP. XV.

632 STATIM & mortis & legum fratris sui vindex non minore impetu incaluit C. Gracchus. qui cum pari tumultu atque terrore plebem in auitos agros arcesseret, & recentem Attali hereditatem in alimenta populo polliceretur; iamque nimius, & potens altero tribunatu, secunda plebe volitaret; obrogare auso legibus suis Minucio tribuno, fretus comitum manu, fatale familiæ suæ Capitolium inuasit. Inde proximorum cæde pulsus, cum se in Auentinum recepisset, inde quoq; obuia senatus manu, ab Opimio consule oppressus est. Insultatum quoque mortis reliquiis; & illud sacrosanctum caput Tribuni plebis, percussoribus auro pensatum est.

Seditio Appuleiana, CAP. XVI.

653 NIHILOMINVS * Appuleius Saturninus Gracchanas asserere leges non destitit. Tantum animorum viro Marius dabat; qui nobilitati semper inimicus, consulatu suo præterea cõfisus, occiso palam in comitiis * A. Nonio competitore Tribunatus, subrogare conatus est in eius locum C. Gracchum, hominem sine tribu, sine nomine: sed subdito titulo, in familiam ipse se adoptat. Cum tot tantisque ludibriis exsultaret impune, rogandis Gracchorum legibus ita vehementer incubuit, vt senatum quoque cogeret in verba sua iurare, cum abnuentibus aqua & igni interdicturum se minaretur. Vnus tamen exstitit qui mallet exsilium. Igitur post Metelli fugam omni nobilitate perculsa, cum iam * tertiúm dominaretur, eo vesaniæ progressus est, vt Cõsularia quoque comitia noua cæde turbaret. Quippe vt satellitem furoris sui Glauciam, consulem faceret; C. Memmium competitorem interfici iussit: & in eo tumultu regem ex satellitibus [suis] se appellatum lætus accepit. Tum vero iam conspiratione senatus, ipso quoque iam Mario consule, quia tueri non poterat, aduerso, directæ in foro acies: * repulsus inde [in] Capitolium inuasit. Sed cum abruptis fistulis obsideretur, senatuique per legatos pœnitentiæ fidem faceret, ab arce * degressus cum ducibus factionis receptus in curiam est. Ibi eum, facta irruptione, populus fustibus saxisque coopertum in ipsa quoque morte lacerauit.

Drusiana seditio, CAP. XVII.

662 POSTREMO Liuius Drusus non tribunatus modo viribus, sed ipsius etiam senatus auctoritate, totiusque Italiæ consensu, easdem leges asserere conatus, dum aliud captat ex alio, tantum conflauit incendium, vt nec prima illius flamma posset sustineri; & subita morte correptus, heteditarium in posteros suos bellum * propagaret. * Iudiciaria lege C. Gracchus diuiserat Populum Romanum, & bicipitem ex vna fecerat ciuitatem. Equites Romani, tanta potestate subnixi, vt qui fata fortunasque Patrum, vitasque principum haberẽt in manu, interceptis vectigalibus, peculabantur suo iure Rempublicam. Senatus exsilio Metelli, damnatione Rutilij debilitatus, omne decus maiestatis amiserat. In hoc statu rerũ pares opibus, animis, dignitate;

dignitate;(vnde & nata Liuio Drufo æmulatio acceſſerat)equitem Seruilius Cæpio, ſenatum Liuius Druſus aſſerere:ſigna & aquilæ & vexilla aderant. Ceterum ſic vrbe in vna,quaſi in binis caſtris diſſidebatur. prior Cæpio in ſenatum impetu facto, reos ambitus Scaurum & Philippum principes nobilitatis elegit. His vt motibus reſiſteret Druſus,plebem ad ſe Gracchanis legibus;eiſdem,ſocios ad plebem ſpe ciuitatis erexit. Exſtat vox ipſius, *nihil ſe ad largitionem vlli reliquiſſe, niſi ſi quis aut cœnum diuidere vellet, aut cælum.* Aderat promulgandi dies,cum ſubito tanta vis hominum vndique apparuit,vt hoſtium aduentu obſeſſa ciuitas videretur. Auſus tamen obrogare de legibus conſul Philippus. Sed apprehenſum faucibus viator non ante dimiſit, quam ſanguis & in ora & in oculos redundaret. Sic per vim latæ iuſſæque leges. Sed pretium rogationis ſtatim ſocij flagitauere;cum interim imparem Druſum, ægrumque rerum temere motarum,matura,vt in tali diſcrimine,mors abſtulit: nec ideo minus ſocij promiſſa Druſi a populo Romano repoſcere armis deſierunt.

Bellum Sociale, CAP. XVIII.

BELLVM quod aduerſus ſocios geſtum eſt, *Sociale bellum* vocetur licet; vt exte- 663
nuemus inuidiam: ſi verum tamen volumus, illud *ciuile bellum* fuit. quippe cum populus Romanus Etruſcos, Latinos, Sabinoſque miſcuerit, & vnum ex omnibus ſanguinem ducat,corpus fecit ex membris, & ex omnibus vnus eſt. Nec minore flagitio ſocij intra Italiam,quam intra vrbem ciues rebellabant. Itaque cum *ius ciuitatis, quam viribus auxerant,ſocij iuſtiſſime poſtularent,ad quam ſpem eos cupidine dominationis Druſus erexerat: poſtquam ille domeſtico ſcelere oppreſſus eſt, eadem fax quæ illum cremauit,ſocios in arma & in expugnationem vrbis accēdit. Quid hac clade triſtius?quid calamitoſius? cum omne Latium,atque Picenum, Etruria omnis atque Campania,poſtremo Italia contra *matrem ac parentem ſuam Vrbem conſurgerent? cum omne robur fortiſſimorum fideliſſimorumq; ſociorū, ſub ſuis quiſque ſignis haberēt municipalia illa prodigia:*Popedius Marſos & Latinos, Afranius Vmbros,*totus ſenatus & conſules Samnium, Lucaniam Teleſinus; cum regum & gentium arbiter populus,ipſum ſe regere non poſſet, vt victrix Aſiæ Europæque, a *Corfinio,Roma peteretur. Primum fuit belli in Albano monte conſilium,vt feſto die *Latinarum,Sex.Iulius Cæſar,& [L.]Marcius Philippus conſules, inter ſacra & aras immolarētur. Poſtquam id nefas proditione diſcuſſum eſt, Aſculo furor omnis erupit,in ipſa quidem ludorum frequentia trucidatis,qui tum aderant ab vrbe, legatis. Hoc fuit impij belli ſacramentum. Inde iam paſſim ab omni parte Italiæ,duce & auctore belli diſcurſante Popedio,diuerſa per populos & vrbes ſigna cecinere. Nec Annibalis nec Pyrrhi fuit tanta vaſtatio. Ecce Ocriculum, ecce *Grumentum, ecce Fæſulæ,[ecce]Carſeoli;*reſeratæ Nuceriæ,& Picentes,cædibus,ferro & igne vaſtātur. Fuſæ Rutilij copiæ,fuſæ Cæpionis. Nam ipſe *Iulius Cæſar exercitu amiſſo, cum in vrbem cruentus referretur,miſerabili funere mediam etiam vrbem peruiam fecit. Sed *magna populi Romani fortuna*,& ſemper in malis maior, totis denuo viribus inſur- 664
rexit: aggreſſiq; ſinguli populos,Cato diſcutit Etruſcos,Gabinius Marſos,Carbo Lucanos,Sylla Samnites: *Strabo vero Pompeius, omnia flammis ferroque populatus, non prius finem cædium fecit,quam Aſculi euerſione, Manibus tot exercituū conſularium, direptarumque vrbium diis litaretur.

Bellum Seruile, CAP. XIX.

VTCVMQVE,etſi cum ſociis,(nefas)cum liberis tamen & ingenuis dimicatum
eſt. Quis æquo animo ferat in principe gentium populo bella ſeruorum? Primum 293
ſeruile bellum inter initia vrbis,Herdonio Sabino duce,in ipſa vrbe tentatum eſt; cum occupata Tribuniciis ſeditionibus ciuitate, Capitolium obſeſſum eſt,& a conſule captum. Sed hic tumultus magis fuit quam bellum. Mox imperio per diuerſa terrarū occupato, quis crederet Siciliam multo cruentius ſeruili, quam Punico bello, eſſe vaſtatam? Terra frugum ferax, & quodammodo ſuburbana prouincia, *latifundiis ciuium Latinorum tenebatur. Hic ad cultum agri frequentia ergaſtula, catenatique

cultores materiam bello præbuere. Syrus quidam, nomine Eunus (magnitudo cla-
dium facit vt meminerimus) fanatico furore simulato, dum Syriæ deæ cæremonias
iactat, ad libertatem & arma seruos quasi numinum imperio concitauit. idque vt di-
uinitus fieri probaret, in ore abdita nuce, quam sulphure & igne stipauerat, leuiter in-
spirans, flammam inter verba fundebat. Hoc* miraculo primum duo millia ex ob-
uiis, mox iure belli refractis ergastulis, *quadraginta amplius millium fecit exercitū,
regiisque, ne quid malis deesset, decoratus insignibus, castella, oppida, vicos, misera-
bili direptione vastauit. [Quin] illud quoque in vltimum belli dedecus; capta sunt ca
stra prætorum; nec nominare ipsos *pudet; castra Manilij, Lentuli, Pisonis, Hypsæi.
Itaque qui per*fugitiuarios*retrahi debuissent, prætorios duces, profugos prœlio, i-
621 psi sequebantur. Tandem * P. Rupilio Imperatore supplicium de eis sumptum est.
Hic enim victos, & apud *Ennam nouissime obsessos, cum fame quasi pestilētia con-
sumsisset, reliquias latronum compedibus catenisque religauit, crucibusque puniuit.
Fuitque de seruis ouatione contentus, ne dignitatem triumphi seruili inscriptione
violaret. Vixdum respirauerat insula, cum statim* a seruis & a Syro reditur ad Ci-
653 licem. *Athenio* pastor, interfecto domino, familiam ergastulo liberatam sub signis or
dinat. Ipse veste purpurea, argenteoque baculo, & regium in morem fronte redimi-
ta, non minorem quam ille fanaticus prior conflat exercitum: acriusque multo, quasi
& illum vindicaret, vicos, castella, oppida diripiens, in dominos, in seruos infestius,
quasi in transfugas, sæuiebat. Ab hoc quoque prætorij exercitus cæsi, capta Seruilij
castra, capta Luculli. Sed Aquillius*P. Rupilij vsus exemplo, interclusum hostem cō-
meatibus ad extrema compulit, comminutasque copias armis, fame facile deleuit:
dedidissentque se, nisi suppliciorum*metu voluntariam mortem prætulissent. Ac ne
de duce quidem supplicium exigi potuit, quamuis in manus venerit. quippe, dum
circa [ad]deprehendendum eum multitudo contendit, inter rixantium manus præ-
da lacerata est.

*Bellum*Spartacium,* CAP. XX.

680 ENIMVERO seruilium armorum dedecus feras. nam & ipsi per fortunam in o-
mnia obnoxij, tamen quasi secundum hominum genus sunt, & in bona libertatis
nostræ adoptantur. Bellum *Spartaco* duce cōcitatum, quo nomine appellem nescio:
quippe cum serui militauerint, gladiatores imperauerint: illi, infimæ sortis homines;
hi, pessimam auxere ludibrio calamitatē. Spartacus, Crixus, & OEnomaus, effracto
Lentuli ludo, cum *septuaginta aut amplius eiusdem fortunæ viris eruperunt Capua:
seruisque ad vexillum & ad auxilium vocatis, cum statim decem amplius millia cois-
sent hominū, non modo effugisse contenti, iam vindicari etiam volebant. Prima ve-
lut ara viris mons Vesuuius placuit. ibi cum etiam obsiderentur a*Clodio Glabro,
per fauces caui montis *vitigineis delapsi vinculis, ad imas eius descendêre radices;
& exitu *inuio nihil tale opinātis ducis subito impetu castra rapuere. Inde alia castra.
Deinceps *Thoram, totamque peruagantur Campaniam. Nec villarum atque vi-
corum vastatione contenti, Nolam, atque Nuceriam, Thurios atque Metapontum
terribili strage populantur. Affluentibus in diem copiis, cum iam esset iustus exerci-
tus, e viminibus pecudumq; tegumentis inconditos sibi clypeos; *& ferro ergastulo-
rū recocto, gladios ac tela fecerunt. ac, ne quod decus iusto deesset exercitui, domitis
obuiis gregib⁹ paratur equitatus; captaq; de prætorib⁹ insignia & fasces ad ducē de-
tulere. Nec abnuit ille de stipēdiario *Thrace miles, de milite desertor; inde latro, de-
inde in*honore viriū gladiator: qui defunctorū quoq; prœlio ducū funera Imperato-
riis celebrauit exsequiis, captiuosq; circa rogum iussit armis *depugnare; quasi plane
681 expiaturus omne præteritū dedecus, si de gladiatore *munerator fuisset. Inde iam cō-
sulares quoq; aggressus, in Apēnino Lentuli exercitū *cecīdit, apud Mutinā *C. Cas-
682 sij castra deleuit. Quibus elatus victoriis, de inuadenda vrbe Romana, quod satis est
turpitudini nostræ, deliberauit. Tandē etiā totis [imperij] viribus contra myrmillonē
cōsurgitur, pudoremq; Romanū Licinius Crassus asseruit: a quo pulsi fugatiq; (pu-
det dicere) hostes, in extrema Italiæ *confugerūt. Ibi circa Bruttium angulū *inclusi,
cum fugam in Siciliam pararent, neque nauigia suppeterent; ratesque ex crati-
bus, & dolia connexa virgultis in rapidissimo freto frustra experirentur, tandem
eruptione

eruptione facta, dignam viris obiere mortem; & quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est. Spartacus ipse in primo agmine fortissime dimicās quasi Imperator occisus est.

Bellum ciuile Marianum, CAP. XXI.

Hoc deerat vnum populi Romani malis, iam vt ipse intra se parricidiale bellum 665
domi stringeret, & in vrbe media ac foro quasi arena ciues cum ciuibus suis gladia-
torio more concurrerent. Æquiore animo vtcumque ferrem, si plebeij duces, aut si
nobiles, mali saltem, ducatum sceleri præbuissent. Cum vero (prò facinus! qui viri?
qui imperatores?) decora & ornamenta sæculi sui Marius & Sylla, pessimo facinori
suam etiam dignitatem præbuerunt, tribus, vt sic dixerim, sideribus agitatum est: pri
mo, & leui & modico, tumultu maiore quam bello, intra ipsos armorum duces sub-
sistente sæuitia: mox atrocius & cruentius, per totius viscera senatus grassante victo-
ria. Vltimum, non ciuicam modo, sed hostilem quoq; rabiem supergressum est, cum
armorum furor totius Italiæ viribus niteretur, eousque odiis sæuiētibus, donec deesʃ-
sent qui occiderentur. Initium & caussa belli, inexplebilis *honorum* Marij *fames*, dum
decretam Sullæ prouinciam Sulpicia lege sollicitat. Sed impatiens iniuriæ statim Sul
la legiones circumegit; dilatoque Mithridate, Esquilina Collinaque porta, geminum
agmen vrbi infudit. Vnde cum subito Sulpicius & Albinouanus obiecissent cater-
uas, sudesque & saxa vndique a mœnibus ac tela iacerentur; ipse quoque iaculatus,
incendio viam fecit, arcemque Capitolij, quæ Pœnos quoq;, Gallos etiam Senonas
euaserat, quasi captiuam victor insedit. Tum ex senatusconsulto, aduersariis hostibus
iudicatis, in præsentem tribunum aliosque diuersæ factionis iure sæuitum est. Mariū,
seruilis fuga exemit, imo fortuna alteri bello reseruauit. Cornelio Cinna, Cn. O- 666
ctauio consulibus, male obrutum resurrexit incendium; & quidem ab ipsorum dis-
cordia, cum de reuocandis quos senatus hostes iudicauerat, ad populum referretur.
Cincta quidem gladiis concione, sed vincentibus quibus pax & quies potior, profu-
gus patria sua Cinna cōfugit ad partes: redit ab Africa Marius clade maior: siquidem
carcer, catenæ, fuga, exsilium, * horrificauerant dignitatem. Itaque ad nomen tanti
viri late concurritur: seruitia (prò nefas) & ergastula armantur; & facile inuenit exer-
citum miser Imperator. Itaque vi patriam reposcens, vnde vi fuerat expulsus, poterat
videri iure agere, nisi caussam suam sæuitia corrumperet. Sed cum diis hominibusq;
infestus rediret, statim primo impetu cliens & alumna Vrbis Ostia nefanda strage di-
ripitur: mox in vrbem quadruplici agmine intratur. diuisere copias Cinna, Marius,
Carbo, Sertorius. Hic postquam manus omnis Octauij depulsa Ianiculo est, statim
in principum cædem signo dato, aliquanto sæuius quam aut in Punica aut in Cim-
brica vrbe sæuitur. Octauij consulis caput pro Rostris exponitur; Antonij cōsularis,
in Marij ipsius mensis. Cæsar & Fimbria in penatibus domorū suarum trucidantur;
Crassi, pater & filius, in mutuo alter alterius aspectu. Bæbium atq; Numitorium per
medium forum vnci traxere carnificum. Catulus se ignis haustu ludibrio hostiū exe-
mit. Merula flamen Dialis, in Capitolio, Iouis ipsius oculos, venarum cruore resper- 666
sit. Ancharius ipso vidente Mario confossus est; quia * fatalem illam scilicet ma-
num non porrexerat salutanti. Hæc tot senatus funera intra Calendas & Idus Ia-
nuarij mensis septima illa Marij purpura dedit. Quid futurum [fuit,] si annum cō-
sularis implesset? Scipione Norbanoque consulibus, tertius ille turbo ciuilis in- 670
saniæ toto furore detonuit: quippe cum hinc * VII legiones, inde quingentæ cohor-
tes starent in armis, inde ab Asia cum victore exercitu Sulla properaret. Et sane cum
tam ferus in Sullanos Marius fuisset, quanta sæuitia opus erat vt Sulla de Mario vin-
dicaretur? Primum apud Capuam sub amne Vulturno signa concurrunt: & ibi sta-
tim Norbani fusus exercitus; statim omnes Scipionis copiæ, ostentata spe pacis, 671
oppressæ. Tum Marius iuuenis & Carbo consules, quasi desperata victoria, ne
inulti perirent, sanguine senatus sibi parentabant: obsessaque curia, sic de sena-
tu quasi de carcere, qui iugularentur, educti. Quid funerum in foro, in circo, in
patentibus templis? Namque [Q.] Mucius Scæuola pōtifex, Vestales amplexus aras,

tantum non eodem igne ſepelitur. Lamponius atque Teleſinus, Samnitium duces,
atrocius Pyrrho & Annibale Campaniam Etruriamque populantur, & ſub ſpecie
partium ſe vindicant. Apud *Sacriportum Collinamque portam debellatæ omnes
hoſtium copiæ: ibi Marius, hîc Teleſinus oppreſſi. Nec idem tamen cædium, qui bel
li finis fuit. Stricti enim & in pace gladij, animaduerſumque in eos qui ſe ſponte dedi-
derant. [Non] minus eſt quod apud Sacriportum & apud Collinam [portam] ſeptua-
ginta amplius millia Sulla concidit. bellum erat. * quattuor millia deditorum iner-
mium ciuium, in *villa publica interfici iuſſit iſti tot in pace non plures ſunt: quis au-
tem illos poteſt computare, quos in vrbe paſſim quiſquis voluit occidit? donec admo
nente *Furfidio, *viuere aliquos debere, vt eſſent quibus imperarent*; propoſita eſt ingens
illa tabula, & ex ipſo equeſtris ordinis flore ac ſenatus duo millia electi qui mori iube
rentur. Noui generis edictum. Piget poſt hæc referre ludibrio habita fata Carbonis,
fata Sorani prætoris, atque Venuleij; Bæbium ſine ferro ritu ferarum inter manus *la
ceratum; Marium, ducis ipſius fratrem, apud Catuli ſepulcrum, oculis, manibus, cru-
ribuſque defoſſis, ſeruatum aliquamdiu, vt per ſingula membra moreretur. Poſitis
ſingulorum hominum fere pœnis, municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſta venie-
runt, *Spoletium, Interamnium, Præneſte, *Fluentia. nam Sulmonem, vetus oppidũ,
ſocium atque amicum, (facinus indignum) nondum expugnatum, vt obſides iure
belli, & modo morte damnati duci iubentur, ſic damnatã ciuitatem iuſſit Sulla deleri.

Bellum Sertorianum; CAP. XXII.

674 BELLVM Sertorianum quid aliud quam Sullanæ proſcriptionis hereditas fuit?
hoſtile potius, an ciuile dixerim, neſcio: quippe quod Luſitani Celtiberique Roma-
no geſſerint duce. Exſul & profugus feralis illius tabulæ, vir ſummæ quidem, ſed ca-
lamitoſæ virtutis, malis ſuis maria terraſque permiſcuit; & in Africa iam & Baleari-
bus inſulis fortunam expertus, miſſuſque in Oceanum, Fortunatas inſulas penetra-
uit: tandem Hiſpaniam armauit; *vbi viro cum viris facile conuênit: nec alias ma-[illegible]
apparuit Hiſpani militis vigor, quam Romano duce. Quamquam ille non conten-
tus Hiſpania, ad Mithridatem quoque Ponticoſque reſpexit, regemque claſſe iuuit.
Et quid futurum fuit ſatis tanto hoſti? *Vno imperatore reſiſtere res Romana non po
675 tuit; additus Metello Cn. Pompeius. hi copias viri diu & ancipiti ſemper acie attriue-
676 re: nec tamen prius bello quam ſuorum ſcelere & inſidiis exſtinctus [eſt.] Copias eius
prope tota Hiſpania perſequuti, diu & ancipiti ſemper acie dimicauerunt. Prima per
legatos certamina habita, cum hinc Domitius* & Thorius, inde *Herculeij prælu-
derent: mox his apud *Segouiam, illis apud Anam flumen oppreſſis, ipſi duces com-
minus inuicem experti, apud Lauronem atque Sucronem æquauere clades. Tum il
lis ad populationem agrorum, his ad vrbium excidia conuerſis, miſera inter Roma-
nos duces Hiſpania diſcordiæ pœnas dabat; donec oppreſſo domeſtica fraude Ser-
torio, victo deditoque Perperna, ipſæ quoque in Romanã fidem venêre vrbes, Oſca,
*Terme, Tutia, Valentia, Auxima, & *in fame nihil non experta *Calaguris. Sic rece-
pta in pacem Hiſpania, victores duces externum id magis quam ciuile bellum videri
voluerunt, vt triumpharent.

Bellum ciuile ſub Lepido, CAP. XXIII.

675 MARCO Lepido, Quincto Catulo conſulibus, ciuile bellum pæne citius oppreſ-
ſum eſt quam inciperet. Sed quantum *lateque fax illius motus ab ipſo Sullæ rogo
exarſit! Cupidus namque rerum nouarum per inſolentiam Lepidus, acta tanti viri
reſcindere parabat; nec immerito; ſi tamen poſſet ſine magna clade Reip. Nam cum
iure belli Sulla dictator proſcripſiſſet inimicos; qui *ſupererant, reuocante Lepido,
quid aliud quam ad bellum vocabantur? *cumque damnatorum ciuium bona addi-
cente Sulla, quamuis male capta, iure tamen, repetitio eorum procul dubio labefa-
ctabat compoſitam ciuitatem. Expediebat ergo quaſi ægræ ſauciæque Reipubli-
cæ, requieſcere quomodocumque, ne vulnera curatione ipſa reſcinderentur. Ergo
cum turbidis concionibus velut claſſico ciuitatem terruiſſet, profectus in Etruriam,
arma inde & exercitum vrbi admouerat. Sed iam Miluium pontem, collemque Ia-
niculum,

niculum, Lutatius Catulus, Cn. Pompeius, Sullanæ dominationis duces atque signi- 676
feri, alio exercitu insederant. A quibus primo statim impetu retro pulsus, hostisque a
senatu iudicatus, incruenta fuga in Etruriam, inde Sardiniam recessit: ibiq; morbo &
pœnitentia interiit. Victores, quod *nō temere aliâs in ciuilibus bellis, pace contenti
fuerunt.

L. FLORI HISTORIARVM LIBER IIII.

Bellum Catilinarium, CAP. I.

CATILINAM luxuria primum, tum hinc conflata egestas rei familia- 690
ris; simul occasio, quod in extremis finibus mundi arma Romana pere-
grinabantur, in nefaria consilia opprimendæ patriæ suæ compulere, se-
natum confodere, consules trucidare, distringere incendiis vrbem, di-
ripere ærarium, totam deniq; rempublicam funditus tollere, & quid-
quid nec Annibal videretur optasse. Quibus id nefas sociis aggressus est? Ipse patri-
cius; sed hoc minus est. Curij, Porcij, Sullæ, Cethegi, *Autronij, Varguntei, atq; Lō-
gini, quæ familiæ? quæ senatus insignia? Lentulus quoque tunc maxime prætor. hos
omnes immanissimi facinoris satellites habuit. Additum est pignus cōiurationis, san-
guis humanus, quem circumlatum pateris bibêre: summum nefas, nisi amplius esset
propter quod biberunt. Actum erat de pulcherrimo imperio, nisi illa cōiuratio in Ci-
ceronem & Antonium consules incidisset; quorum alter industria rem patefecit, al-
ter manu oppressit. Tanti sceleris indicium per Fuluiam emersit, vilissimum scortū,
sed parricidij innocens. Tum consul habito senatu, in præsentem parricidam, in præ-
sentem reum Cicero perorauit: sed non amplius profectum, quam vt hostis euade-
ret, seque palam professo, incēdium suum restincturum ruina minaretur. Et ille qui-
dem ad præparatum a Manlio in Etruria exercitum proficiscitur, signa illaturus vr-
bi: Lentulus, destinatum familiæ suæ Sibyllinis versibus regnum sibi vaticinans, ad
præstitutum a Catilina diem vrbe tota viros, faces, tela disponit: nec ciuili conspira-
tione contentus, legatis Allobrogum, qui tum forte aderant, in arma *sollicitatis. Et
isset vltra Alpes furor, nisi altera proditione *Vulturcij, prætoris literæ tenerentur. Sta
tim Ciceronis imperio iniecta est barbaris manus: palam prætor in senatu conuinci-
tur. De supplicio agentibus, Cæsar parcendum dignitati, Cato animaduertendum
pro scelere censebat. Quam sententiam sequutis omnibus, in carcere parricidæ strā-
gulantur. Quamuis parte coniurationis oppressa, tamen ab incepto Catilina nō de-
stitit: sed infestis ab Etruria signis patriam petēs, obuio Antonij exercitu opprimitur. 691
Quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit. Nemo hostium bello superfuit: quem
*quisque in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina
longe a suis inter hostium cadauera repertus est; pulcherrima morte, si pro patria sic «
concidisset.

Bellum Cæsaris & Pompeij, CAP. II.

IAM pęne toto orbe pacato, maius erat imperium Romanum quam vt vllis ex- 704
ternis viribus exstingui posset. Itaque inuidens fortuna principi gentium populo, i-
psum illum in exitium suum armauit. Ac Mariana quidem Cinnanaque rabies intra
vrbem se præcluserat, quasi experiretur; Sullana tempestas, latius, intra Italiam tamē,
detonuerat: Cæsaris furor atque Pompeij, Vrbem, Italiam, gentes, nationes, totum
denique quà patebat imperium, quodam quasi diluuio & inflammatione corripuit; «
adeo, vt non recte tantum ciuile dicatur, ac ne sociale quidē, sed nec externum; sed «
potius commune quoddam ex omnibus, & plus quam bellum. Quippe si duces eius «
inspicias, totus senatus in partibus: si exercitus, hinc XI legiones, inde XVIII, flos o-
mnis & robur Italici sanguinis: si auxilia sociorum, hinc Gallici *Germanique dele-
ctus; inde Deiotarus, Ariobarzanes, *Tarcondimotus, Cotmus, omne Thraciæ, Cap-
padociæque, Ciliciæ, Macedoniæ, Græciæ, Italiæ, totiusque robur Orientis: si morā

belli, quatuor *anni; & pro clade rerum breue tempus: si locum & spatium vbi com-
missum est, intra Italiam; inde se in Galliam Hispaniamque deflexit; reuersumque ab
occasu, totis viribus in Epiro Thessaliaque consedit: hinc in Ægyptum subito transi-
liit; inde respexit Asiam, [inde] Africæ incubuit: postremo in Hispaniam remigrauit,
& ibi aliquando defecit. Sed non & odia partium finita cum bello. Non enim prius
„ quieuere, quam in vrbe ipsa, medio senatu, eorum qui victi erant, odia, victoris sese
693 cæde satiarent. Caussa tantæ calamitatis eadem quæ omnium, *nimia felicitas*. Siqui-
dem Quincto Metello [&] Lucio Afranio consulibus, cum Romana maiestas toto
orbe polleret, recentesque victorias, Ponticos & Armenios triumphos in Pompeia-
„ nis theatris Roma cantaret, nimia Pompeij potentia apud otiosos (vt solet) ciues mo-
uit inuidiam. Metellus, ob imminutum Cretæ triumphum; Cato, aduersus potentes
semper obliquus, detrectare *Pompeium, actisque eius obstrepere. Hic dolor trans-
uersum egit, & ad præsidia dignitati paranda impulit. Forte tunc Crassus genere, di-
uitiis, dignitate florebat: vellet tamen * auctiores opes. Caius Cæsar, eloquentia, &
spiritu, & iam consulatu alleuabatur. Pompeius tamen super vtrumq; eminebat. Sic
igitur Cæsare dignitatem comparare, Crasso augere, Pompeio retinere cupientibus,
omnibusque pariter potentiæ cupidis, de inuadenda Rep. facile conuenit. Ergo cum
mutuis viribus in suum quisque decus niteretur, Galliam Cæsar inuadit, Crassus Asiã,
Pompeius Hispaniam, tres maximos exercitus: & iam sic orbis imperium, societate
700 trium principũ occupatur. Decem annos traxit ista dominatio. Exinde, quoniam
699 mutuo metu tenebãtur, Crassi morte apud Parthos, & morte Iuliæ Cæsaris filiæ, quę
nupta Pompeio, generi socerique concordiam matrimonij fœdere tenebat, statim
æmulatio erupit. Iam Pompeio suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari Pompeiana digni-
tas grauis. nec hic ferebat parem, nec ille superiorem. Nefas! sic de principatu labo-
„ rabant, tamquam duos tanta imperij fortuna non caperet. Ergo Lentulo Marcel-
704 loque consulibus, rupta prima coniurationis fide, de successione Cæsaris senatus, i-
demque Pompeius agitabat: nec ille abnuebat, si ratio sui proximis comitiis habere-
tur consulatus, absenti quem decem tribuni [plebis,] fauente Pompeio nuper decre-
uerant, tum dissimulante eodem negabatur. veniret, & peteret maiorum more. Ille
contra flagitare decreta, ac, nisi in fide permanerent, non se *dimissurum exercitum.
Ergo vt in hostem decernitur. His Cæsar agitatus, statuit præmia armorum armis
defendere. Prima ciuilis belli arena, Italia fuit; cuius arces leuibus præsidiis Põpeius
insederat: sed omnia subito Cæsaris impetu oppressa sunt. Prima Arimino signa ce-
cinerunt. Tum pulsus Etruria Libo, Vmbria Thermus, Domitius Corfinio. Et pera-
ctum erat bellum sine sanguine, si Pompeium Brundusij opprimere, vt cœperat, po-
tuisset. Sed ille per obsessi claustra portus nocturna fuga euasit. Turpe dictu: modo
princeps patrum, pacis bellique moderator, per triumphatum a se mare lacerata &
pæne inermi naue fugiebat. Nec Pompeius ab Italia, quam senatus ab vrbe fugatur
prior: quam pæne vacuam metu, Cæsar ingressus, consulem se ipse facit. Aerarium
quoq; * sanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, iussit effringi; censumque & patri-
monium populi Romani ante rapuit quam imperium. Pulso fugatoque Pompeio,
maluit prius ordinare prouincias, quam ipsum sequi. Siciliam & Sardiniam, annonæ
pignora, per legatos habuit. Nihil hostile erat in Gallia: pacem ipse fecerat. sed ad Hi-
spanienses Pompeij exercitus transeunti per eam duci, portas claudere ausa Massilia
est. misera dum cupit pacẽ, belli metu in bellũ incidit: sed quia tutis muris erat, vinci
eam sibi iussit absenti. Græcula ciuitas, non pro *mollitia nominis, & vallum cæde-
re, & incendere machinas ausa, & congredi nauibus: sed Brutus, cui mandatum erat
bellum, victos terra marique perdomuit: mox dedentibus sese ablata omnia præter
(quam potiorem omnibus habebant) libertatem. Anceps variumque, & cruentum
in Hispania bellum cum legatis Cn. Pompeij, Petreio & Afranio; quos Ilerdæ castra
habentes, apud * Sicotim amnem obsidere, & oppido intercludere aggreditur. Inte-
rim obundatione verni fluminis, commeatibus prohibet. Sic fame castra tẽtata sunt,
obsessorq; ipse quasi obsidebatur: sed vbi pax fluminis rediit; populationib⁹ & pugna
cãpos aperuit; iterum ferox instat; & cedentes ad Celtiberiã cõsecutus, aggere & val
lo, & per hæc siti ad deditionẽ cõpulit. Sic citerior Hispania recepta est, nec vlterior
moram

moram fecit. Quid enim vna post quinque legiones? Itaque vltro cedente Varrone
Gades, Fretum, Oceanus, omnia felicitatem Cæsaris sequebantur. Aliquid tamen
aduersus absentem ducem ausa fortuna est circa Illyricum & Africam; quasi de in- 705
dustria prospera eius aduersis radiarentur. Quippe cum fauces Adriatici maris iussi
occupare Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyræo litore castra posuissent,
iam maria late tenente Pompeio, repente castra legatus eius Octauius [&] Libo ingē-
tibus copiis classicorum vtrimq; circumuenit. deditionem fames extorsit Antonio.
Missæ quoque a *Basilo in auxilium eius rates, quales inopia nauium fecerat, noua
Pompeianorum arte, Cilicum actis sub *mari funibus, captæ quasi per indaginem.
duas tamen æstus explicuit: vna, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæsit, memoran-
dumque posteris exitum dedit. quippe vix mille iuuenum manus, circumfusi vndi-
que exercitus per totum diem tela sustinuit; & cum exitum virtus non haberet, ta-
men ne in deditionem veniret, hortante tribuno Vulteio; mutuis ictibus in se con-
currit. In Africa quoque par & virtus & calamitas Curionis fuit; qui ad recipiendam
prouinciam missus, pulso fugatoque *Varo iam superbus, subitum Iubæ regis aduē-
tum, equitatumque Maurorum sustinere non potuit. Patebat victo fuga: sed pudor
suasit vt amissum sua temeritate exercitum, morte sequeretur. Sed iam debitum
par fortuna flagitante, sedem bello Pompeius Epiron elegerat: nec Cæsar moratus. 705
quippe, ordinatis a tergo omnibus, quamuis hiems media prohiberet tempestate, ad
bellum nauigauit: positisque ad Oricum castris, cum pars exercitus ob inopiam na-
uium cum Antonio *dimissa, Brundusij moram faceret; adeo impatiens erat, vt ad
arcessendos eos, ardente ventis mari, nocte concubia, speculatorio nauigio solus ire
tentauerit. Exstat ad trepidū tanto discrimine gubernatorem vox ipsius; *Quid times?
Cæsarem vehis.* Contractis in vnum vndique omnibus copiis, positisque comminus 705
castris, diuersa erant ducum consilia. Cæsar, pro natura ferox, & conficiendæ rei cu-
pidus, ostentare aciem, prouocare, lacessere, nunc obsidione castrorum, quæ erant
sedecim millium vallo obducta, (sed quid his obesset obsidio, qui patēte mari omni-
bus copiis abundarent?) nunc expugnatione Dyrrhachij irrita; (quippe quam vel si-
tus inexpugnabilem faceret) adhoc, assiduis in eruptionem hostium prœliis; (quo tē-
pore egregia virtus Scæuæ centurionis emicuit, cuius in scuto centum atque *viginti
tela sedere) iam vero direptione vrbium sociarum, cum Oricum & Gomphos, & alia
castella Thessaliæ vastaret: Pompeius aduersus hæc nectere moras, tergiuersari si-
mul, vt hostem interclusum vndique inopia commeatuum *tereret, vtque ardentissi-
mi ducis consenesceret impetus. Nec diutius profuit duci salutare consilium. Mili-
tes otium, socij moram, principes ambitum ducis increpabant. Sic *præcipitantibus fa-* "
tis, prœlio sumta est Thessalia: & Philippicis campis, vrbis, imperij, generis humani
fata commissa sunt. Numquam vllo loco tantum virium populus Romanus, tantum
dignitatis fortuna vidit. trecenta amplius millia hinc & illinc, præter auxilia regum 705
& senatus. Numquam imminentis *ruinæ manifestiora prodigia*, fuga victimarum, exa-
mina, insignes interdiu tenebræ. Dux ipse & nocturna imagine theatri sui audiens
plausum in modum planctus circumsonare, & mane cum pullo [amiculo] (nefas) a-
pud principia conspectus est. Numquam acrior neq; alacrior exercitus Cæsaris fuit.
Inde classica prius, inde tela. Annotatum quoque committentis aciem Crastini pilū;
qui mox adacto in os gladio, sic inter cadauera repertus, libidinem ac rabiem qua pu-
gnauerat, ipsa nouitate vulueris præferebat. Sed nec minus admirabilior illius exitus
belli. Quippe cum Pompeius adeo equitum copia abundaret, vt facile circumuentu-
rus sibi Cæsarem videretur, circumuentus ipse est. Nam cum diu æquo marte con-
tenderent, iussuque Pompeij fusus a cornu erupisset equitatus, repente hinc signo da-
to, Germanorum cohortes tantum in effusos equites fecere impetum, vt illi esse pe-
dites, hi venire in equis viderentur. Hanc stragem fugientis equitatus, leuis armatu-
ræ ruina comitata est. Tunc terrore latius dato, turbantibus inuicem copiis, reliqua
strages quasi vna manu facta est. Nec vlla res magis exitio fuit, quam ipsa exercitus
magnitudo. Multus in eo prœlio Cæsar fuit, mediusque inter imperatorem & mili-
tem. Voces quoque obequitantis exceptæ; altera, cruenta, sed docta, & ad victoriam
efficax, *Miles faciem feri*: altera, ad iactationē composita, *Parce ciuibus*: cum ipse seque-

retur. Felicem vtcumque in malis Pompeium, si eadem ipsum, quæ exercitum eius,
fortuna traxisset. Superstes dignitati suæ vixit, vt cum maiore dedecore per Thessa-
lica Tempe *equo fugeret, pulsus Larissa: in deserto Ciliciæ scopulo, fugam in Par-
thos, Africam, vel Ægyptum agitaret: vt denique in *Pelusiaco litore, imperio vilissi-
mi regis, consiliis spadonum, &, ne quid malis desit, Septimij desertoris sui gladio tru-
cidatus, sub oculis vxoris suæ liberorumque moreretur. Quis non peractum esse
706 cum Pompeio crederet bellum? *Atqui acrius multo atque vehementius Thessalici
incendij cineres recaluere. Et in _Aegypto_ quidem aduersus Cæsarem sine partibus bel
lum. Quippe cum _Ptolemæus_ rex Alexandriæ, summum ciuilis belli scelus peregisset,
fœdusque amicitiæ cum Cæsare medio Pompeij capite sanxisset, vltionem* tanti vi-
ri manibus quærente fortuna, caussa non defuit. _Cleopatra_ regis soror, affusa Cæsaris
genibus, partem regni reposcebat. Aderat puellæ forma, & quæ duplicaretur ex illo,
quod talis passa videbatur *iniuriam: odium ipsius regis, qui Pompeij cædem partiũ
760 fato, non Cæsari dederat; haud dubie idem in ipsum ausurus, si expedisset. Quam v-
bi Cæsar restitui iussit in regnum, statim ab eisdem percussoribus Pompeij obsessus
in regia, quamuis exigua manu, ingentis exercitus molem mira virtute sustinuit. Ac
primum ædificiorum proximorum atque naualium incendio, infestorum hostium
tela submouit: mox in *peninsulam Pharon subitus euasit: inde depulsus in maria,
mira felicitate ad proximam classem enatauit; relicto quidem in fluctibus paluda-
mẽto, seu fato, seu consilio, vt illud ingruentibus hostium telis saxisque peteretur.
Tandem receptus a classicis suis, vndique simul hostes adortus, *de imbelli ac perfida
gente, iusta generi manibus dedit. Quippe & Theodotus magister, auctor totius bel-
li, & ne virilia quidem portenta, *Pothinus atque Ganymedes, *diuersi per mare &
transfugio & morte consumpti. Regis ipsius corpus obrutum limo repertum est in
*aureæ loricæ honore. In Asia quoque nouus rerum motus a Ponto; plane quasi de
industria captante fortuna hunc Mithridatico regno exitum, vt a Pompeio pater, a
Cæsare filius vinceretur. Rex Pharnaces magis discordiæ nostræ fiducia, quam vir-
tutis suæ, infesto in Cappadociam agmine ruebat. Sed hunc Cæsar aggressus, vno, &
(vt sic dixerim) non toto prœlio obtriuit, more fulminis, quod vno eodemq; momẽto
venit, percussit, abscessit. Nec vana de se prædicatio est Cæsaris, ante victum hostem
707 esse, quam visum. Sic cum exteris. At in Africa cum ciuibus multo atrocius quam
in Pharsalia. Huc reliquias partium naufragarum quidam furoris æstus expulerat:
nec reliquias diceres, sed integrum bellum. Sparsæ magis quam oppressæ vires erant.
Auxerat sacramentum ipsa clades Imperatoris: nec degenerabat ducum successio.
Quippe satis ample sonabãt in Pompeiani nominis locum Cato & Scipio. Accessit
copiis *Mauritanus rex _Iuba_; videlicet vt latius vinceret Cæsar. Nihil ergo inter Phar
saliam & Thapson; nisi quod amplior, eoque acrior Cæsarianorum impetus fuit, in-
dignantium post Pompeium creuisse bellum. Denique, quod aliàs numquam, ante
imperium ducis sua sponte signa cecinerunt. Strages a Iuba cœpit: eius elephanti,
bellorum rudes, & nuper a silua, consternati subito clangore: statim & exercitus in
fugam, & duces fortius quam vt *effugerent; non inconspicua tamen morte omniũ.
Iam _Scipio_ naue fugiebat: sed assequutis eum hostibus, gladium per viscera exegit; &
vbi esset quodam requirente, respondit hoc ipsum, _Bene se habet Imperator._ Iuba cum
se recepisset in regiam, magnifice epulatus, [postero die] cum _Petreio_ fugæ comite, su
per mensas & pocula interficiendum se ei præbuit. Ille & regi suffecit, & sibi; cum in-
terim semesi in medio cibi, & parentalia fercula, regio simul Romanoque sanguine
madebant. _Cato_ non interfuit bello; positisque *ad Bagradam castris, _Vticam_ velut al-
tera Africæ claustra seruabat. Sed accepta partium clade, nihil cunctatus, (vt sapien-
te dignum erat) mortem etiam lætus acciuit. Nam postquam filium comitesq; am-
plexu dimisit, in nocte lecto ad lucernam Platonis libro qui immortalitatem ani-
mæ docet, paululum quieuit: tum circa primam vigiliam stricto gladio reuelatum
manu pectus semel iterumque percussit. Ausi post hoc virum medici violare fomẽ-
tis. Ille passus dum abscederent, rescidit plagas: sequutaque vis sanguinis, moribun-
das manus in ipso vulnere reliquit. Quasi non esset vsquam dimicatum, sic arma
708 rursus, & partes: quantoque Africa supra Thessaliam fuit, tanto Africam superabat
Hispania

Hiſpania; plurimumq; fauoris partibus *addebat fraternitas ducum,& pro vno duos
ſtare Pompeios. Itaque nuſquam atrocius, nec tam ancipiti marte cõcurſum eſt. Pri-
mum in ipſo oſtio Oceani Varus Didiuſque legati conflixere. Sed acrius fuit cum i-
pſo mari, quam inter ſe nauibus, bellum. ſiquidem, velut furorem ciuium caſtigaret
Oceanus, vtramque claſſem naufragio cecîdit. Quinam ille horror, cum eodem tem
pore fluctus, procellæ, [viri, naues] armamenta confligerent? adde ſitus ipſius formi-
dinem; vergentia in vnum, hinc Hiſpaniæ, inde Mauritaniæ litora: mare & inteſtinũ,
& externum, imminenteſque Herculis ſpeculas; cum omnia vndique ſimul prœlio
& tempeſtate ſæuirent. Mox circa obſidiones vrbium vtrimque diſcurſum eſt; quæ
miſeræ inter hos atque illos duces ſocietatis Romanæ pœnas dabant. Omnium po-
ſtrema certaminum *Munda*. Hîc nõ pro cetera felicitate, ſed anceps & diu triſte prœ
lium: vt plane videretur neſcio quid deliberare fortuna. Sane & ipſe ante aciem mœ-
ſtior, non ex more, Cæſar: ſiue reſpectu fragilitatis humanæ, ſiue nimiam proſpero-
rum ſuſpectam habens continuationem; vel eadem timens, poſtquam idem eſſe cœ
perat quod Pompeius. Sed in ipſo prœlio, quod nemo vmquam meminerat, cum diu
pari marte acies nihil aliud quam occiderent, in medio ardore pugnantium ſubito
ingens inter vtroſque ſilentium; quaſi *conueniſſent. hic omnium ſenſus erat. No-
uiſſime illud inuſitatum Cæſaris oculis, nefas, poſt XIIII annos, probata veteranorũ
manus gradum retro dedit: *quod, etſi nondum fugerat, apparebat tamen pudore
magis quam virtute reſiſtere. Itaq; ablegato equo, ſimilis furẽti, primam in aciẽ pro-
currit. Ibi prenſare fugientes, confirmare; per totum denique agmẽ oculis, manibus,
clamore volitare. Dicitur in illa perturbatione & de extremis *agitaſſe ſecum, & ita
manifeſto vultu fuiſſe, quaſi occupare manu mortem vellet, niſi cohortes hoſtium
quinque per tranſuerſam aciem actæ, quas Labienus periclitantibus caſtris *præſidio
miſerat, fugæ ſpeciem præbuiſſent. hoc aut [&] ipſe credidit, aut dux callidus arripuit
in occaſionẽ; & quaſi in fugiẽtem inuectus, ſimul & ſuorum erexit animos, & hoſtes
perculit. Nam hi, dum ſe putant vincere, fortius ſequi; *inde Pompeiani, dum fugere
credunt ſuos, fugere cœperunt. Quanta fuerit hoſtium cædes, ira rabieſque victori-
bus, ſic æſtimari poteſt: hoc a prœlio profugi, cum ſe* Mundæ recepiſſent, & Cæſar
obſideri ſtatim victos imperaſſet, [ex] congeſtis [vndique] cadaueribus agger effe-
ctus eſt, quæ pilis iaculiſque confixa inter ſe tenebantur; fœdum etiam inter barba-
ros. Sed videlicet victoriam deſperantibus Pompeij liberis, Cn. prœlio profugũ, cru-
re ſaucio deſerta & auia petentem, *Ceſennius apud Lauronem oppidum conſecu-
tus, pugnantem (adeo nondum deſperauerat) interfecit: Sextum fortuna in *Celti-
beria interim abſcondit, aliiſque poſt Cæſarem bellis reſeruauit. Cæſar in patriam vi- 707
ctor inuehitur. Primum de Gallia *triumphum* tranſmiſerat Rhenus, Rhodanus,
& ex auro captiuus Oceanus: alterum, Laurus Ægyptia: tunc in ferculis Nilus, Arſi-
noe, & ad ſimulacrum ignium ardens Pharus. tertius de Pharnace currus, & Ponto: 708
quartus, Iubam & Mauros. & *bis ſubactam oſtendebat Hiſpaniam. Pharſalia, &
Thapſus, & Munda, nuſquam: & quanto maiora erant de quibus nõ triumphabat!
[Hic aliquando finis armis fuit;] reliqua pax incruenta, penſatumque clementia bel-
lum. Nemo cæſus imperio, præter Afranium; ſatis ignouerat ſemel: & Fauſtum Sul-
lam; didicerat *generum timere: filiamque Pompeij cum patruelibus ex Sulla; hic
poſteris cauebatur. Itaque non ingratis ciuibus omnes vnum in principem congeſti
honores: circa templa imagines; in theatro diſtincta radiis corona; ſuggeſtus in curia;
faſtigium in domo; menſis in cælo: *adhæc *Pater* ipſe *patriæ, perpetuuſque Dictator*: no
uiſſime, dubium an ipſo volente, oblata pro roſtris ab Antonio cõſule, regni inſignia.
Quæ omnia velut infulæ in deſtinatam morti victimam congerebantur. Quippe *cle
mentiam principis vicit inuidia*, grauiſque erat liberis ipſa beneficiorum potentia; nec
diutius dilatio donata eſt: ſed Brutus & Caſſius, aliiq; patricij, cõſenſerunt in cædem
Principis. *Quanta vis fati!* manauerat late cõiuratio; libellus etiam Cæſari datus eo-
dem die; nec perlitare centum victimis potuerat: venit in curiam tamen, expeditio-
nem Parthicam meditans. ibi in curuli ſedẽtem eum ſenatus inuaſit; tribuſque & vi-
ginti vulneribus ad terram datus eſt. Sic ille qui terrarum orbem ciuili ſanguine im-
pleuerat, tandem ipſe ſanguine ſuo curiam impleuit.

*Cæsar Octauianus [Augustus,] CAP. III.

POPVLVS Romanus Cæsare & Pompeio trucidatis, rediisse in statum pristinæ libertatis videbatur: & redierat, nisi aut Põpeius liberos, aut Cæsar heredem reliquisset; vel, quod vtroque perniciosius fuit, si non collega quondam, mox æmulus Cæsarianæ potentiæ, fax & turbo sequentis sæculi, superfuisset Antonius. Quippe dum Sextus paterna repetit, trepidatum toto mari: dum Octauius mortem patris vlcisci tur, iterum fuit mouenda Thessalia; dum Antonius varius ingenio, aut successorem Cæsaris indignatur Octauium, aut amore Cleopatræ descisscit in regem. nam aliter saluus esse non potuit, nisi confugisset ad seruitutem. Gratulandum tamen in tanta perturbatione est, quod potissimum ad Octauium Cæsarem Augustum, summa rerum rediit; qui sapientia sua atque sollertia, perculsum vndique & perturbatum ordinauit imperij corpus: quod ita haud dubie numquam coire & consentire potuisset, nisi vnius præsidis nutu, quasi anima & mente, regeretur. Marco Antonio, Publio Dolabella consulibus, *imperium [Romanum] iam ad Cæsares transferente fortuna*, varius & multiplex motus ciuitatis fuit; quodque in annua [cæli] conuersione fieri solet, vt mota sidera tonent, ac suos flexus tempestate significent: sic in Romanæ dominationis, id est humani generis conuersione, penitus intremuit, omnique genere discriminum, ciuilibus, terrestribus ac naualibus bellis, omne imperij corpus agitatum est.

Bellum Mutinense, CAP. IIII.

PRIMA ciuilium motuum caussa, testamentum Cæsaris fuit: cuius secundus heres Antonius, prælatum sibi Octauium furens, inexpiabile contra adoptionem acerrimi iuuenis susceperat bellum. Quippe cum intra decem & octo annos tenerum [&] obnoxium & opportunum iniuriæ iuuenem *videret; ipse plane & conuitiis Cæsaris dignitatem, & furtis hereditatem lacerare; ipsum insectari probris, & cunctis artibus *adoptionẽ Iuliæ gentis cum inhibere non desineret: deniq; ad *opprimend[illegible] iu-
710 uenem, palam arma moliri, & [iam] parato exercitu in Cisalpina Gallia resistentem motibus suis *Decimum Brutum obsideret: Octauius Cæsar, ætate & iniuria fauorabilis, & nominis maiestate, quod sibi induerat, reuocatis ad arma veteranis, priuatus (quis crederet?) consulem aggreditur; obsidione Mutinæ liberat Brutum, Antonium exuit castris. Tum quidem etiam manu pulcher apparuit. nam cruentus & saucius, aquilam a moriente signifero traditam, suis humeris in castra referebat.

*Triumuiratus, CAP. V.

CVM solus etiam grauis paci, grauis reipublicæ esset Antonius, quasi ignis incendio Lepidus accessit; *quia contra duos exercitus necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem. Diuersa omnium *nota incendia. Lepidum, diuitiarum cupîdo, quarum spes ex turbatione Reipublicæ; Antonium, vltiones de his qui se hostem iudicassent; Cæsarem, inultus pater, & manibus eius graues Cassius & Brutus, agitabãt. In hoc velut fœdus, pax inter tres duces cõponitur: apud Confluentes inter Perusiã & Bononiam iungunt manus, & exercitus consalutant; nullo [bono] more *Triumuiratus* inuaditur. Oppressa armis Republica redit Sullana proscriptio: cuius atroci-
710 tas nihil in se minus habet quam numerum CXL Senatorum; exitus, fœdi, truces, miserabiles, toto terrarum orbe fugientium. Pro quibus quis pro indignitate rei non ingemiscat? cum *Antonius, concedente Cæsare, auunculum suum; Lepidus L. Paulũ fratrem suum proscripserit. Romæ capita cæsorum proponere in rostris, iam vsitatum erat. Verum sic quoque ciuitas lacrymas tenere non potuit, cum *rescissum Ciceronis caput in illis suis rostris videretur; nec aliter ad videndum eum, quam solebat ad audiendum, concurreretur. Hæc scelera in Antonij Lepidique tabu-
675 lis. Cæsar percussoribus patris contentus fuit. hæc quoque nisi multa fuisset, etiam iusta cædes haberetur.

Bellum Caßij & Bruti, CAP. VI.

BRVTVS & Cassius sic [C.] Cæsarem, quasi Tarquinium regem depulisse re-
gno videbantur. sed libertatem quam maxime restitutam voluerunt, illo ipso patrici-
dio perdiderunt. Igitur cæde perfecta, cum veteranos Cæsaris, nec immerito time-
rent, statim e curia in Capitolium * confugerant. nec illis ad vltionem deerat animus;
sed ducem non habebant. Igitur cum appareret quæ strages reip. immineret; displi-
cuit vltio,* consensu cõsulis abolitione decreta. Ne tamen publici doloris oculos fer-
rent, in prouincias ab illo ipso quem occiderant Cæsare datas, Suriam & Macedo-
niam * concesserant. sic vindicta Cæsaris dilata potius quam oppressa est. Igitur or-
dinata magis, vt poterat, quam vt * decebat, in Triumuiros republica, relicto ad vrbis
præsidium Lepido, Cæsar cum Antonio in Cassium Brutumque succingitur. Illi, cõ- 711
paratis ingentibus copiis, eandem illam quæ fatalis Cn. Pompeio fuit, arenam inse-
derant. sed nec rum imminentia cladis destinatæ signa latuere. nam & assuetæ cada-
uerum pabulo volucres, castra quasi iam sua circumuolabant. [&] in aciem prodeun
tibus Æthiops obuius, nimis aperte ferale signum fuit. ipsiq; Bruto per noctem, cum
illato lumine ex more aliqua secum agitaret, atra quædam imago se obtulit; &, quæ
esset, interrogata, *Tuus*; inquit, *malus* * *Genius*: hoc dixit, & sub oculis mirantis euanuit.
Pari in meliora præsagio in Cæsaris castris omnia aues victimæque promiserant: sed
nihil * illo præsentius,* cum Cæsaris medicus somnio admonitus est, vt Cæsar castris
excederet, quibus capi imminebat: vt factum est. Acie namque commissa, cum pari
ardore aliquamdiu dimicatum foret, & quamuis duces non essent tunc præsentes,
quorum alterum corporis ægritudo, illum metus & ignauia subduxissent; * stabat ta-
men pro partibus inuicta fortuna, & vltoris, & qui * vindicabatur. Primum adeo an-
ceps fuit, & par vtrimque discrimen; vt exitus prœlij docuit: capta sunt hinc Cæsaris
castra, inde Cassij. Sed quãto *efficacior est fortuna quam virtus!* & quam verũ est, quod „
moriens efflauit,* *non in re, sed in verbo tantum esse virtutem!* Victoriam illi prœlio er- „
ror dedit. Cassius, inclinato cornu suorum, cum captis Cæsaris castris rapido impe-
tu recipientes se equites videret, fugere arbitratus, euadit in tumulum; inde puluere
& strepitu, etiam nocte vicina, eximentibus gestæ rei sensum; cum speculator quo-
que in id missus, tardius renuntiaret; transactum de partibus ratus, vni * ex proximis
auferendum præbuit caput. Brutus, cum in Cassio etiam suum animum perdidisset,
ne quid ex constituti fide resignaret, (ita enim par superesse bello conuenerat) ipse
quoque vni comitum suorum confodiendum præbuit latus. Quis sapientissimos vi-
ros non miretur, ad vltimum non suis manibus vsos? nisi hoc quoque ex persuasione
non defuit, ne violarent manus; sed in abolitione sanctissimarum * pientissimarum-
que animarum iudicio suo, scelere alieno vterentur.

* *Bellum Perusinum,* CAP. VII.

ALTERVM bellum concitauit agrorum diuisio, quos Cæsar veteranis, in castris 712
pretium militiæ persoluebat. Semper alias L. Antonij pessimum ingenium. Fuluia,
gladio cincta, virilis militiæ vxor agitabat. Ergo depulsos agris colonos incitando, ite-
rum in arma ierat. Hic vero iam non priuatis, sed totius Senatus suffragiis iudicatum
hostem Cæsar aggressus, intra Perusiæ muros redegit; compulitque ad extrema de-
ditionis, turpi & nihil non experta fame.

Bellum cum Sexto Pompeio, CAP. VIII.

SVBLATIS percussoribus Cæsaris, supererat Pompeij domus. Alter iuuenum 717
in Hispania occiderat, alter fuga euaserat; contractisque infelicis belli reliquiis, cum
insuper ergastula armasset; Siciliam Sardiniamque habebat: iam & classe medium
mare insederat. O quam diuersus a patre! ille, Cilicas exstinxerat; hic, secum pira-
ras nauales agitabat. Tanta mole belli penitus in Siculo freto iuuenis oppressus est;
magnique famam ducis ad inferos secum tulisset, si nihil tentasset vlterius; nisi quod
magnæ indolis signum est, *sperare semper*. Perditis enim rebus profugit, Asiamque ve- 718
lis petit; venturus ibi in manus hostium, & catenas; &, quod miserrimum est fortibus

NN

viris, ad hostium arbitrium sub percussore moriturus. Non alia post Xerxem miserabilior fuga. Quippe modo trecentarum quinquaginta nauium dominus, cum sex septemue fugiebat, exstincto * prætoriæ nauis lumine, annulis in mare abiectis, pauens atque respectans, & tamen non * metuens ne periret. Quamuis in Cassio & Bruto partes sustulisset, & in Pompeio totum partium nomen abolêsset; nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Cæsar; cum scopulus, & nodus, & mora publicæ securitatis superesset Antonius: nec ille defuit vitiis quin periret, immo omnia expertus ambitu & luxuria, primum hostes, deinde ciues, tandem etiam * terrore sui sæculum liberauit.

Bellum Parthicum duce Ventidio, Cap. IX.

Parthi clade Crassiana altius animos erexerant, ciuilesque populi Rom. * motus læti acceperant. itaque, vt prima affulsit occasio, non dubitauerunt erumpere; vltro quidem inuitante Labieno, qui missus a Cassio Brutoque, (* qui furor scelerum!) sollicitauerat hostes in auxilium: & illi, Pacoro duce, regio iuuene, dissipant Antoniana præsidia. * Saxa legatus, ne veniret in potestatem, a gladio suo * impetrauerat. Denique ablata Suria emanabat latius malum, hostibus sub auxilij specie sibi vincen-
713 tibus; nisi Ventidius, & hic legatus Antonij, incredibili felicitate, & Labieni copias, ipsumque Pacorum, & omnem Particum equitatum, toto inter Orontem & Euphratem simulate cecidisset. Viginti amplius millium fuit; nec sine consilio ducis; [quippe] qui simulato metu, adeo passus est hostem castris succedere, donec absumto iactus spatio, adimeret vsum sagittarum. Rex fortissime dimicans cecidit: mox circumlato eius per vrbes quæ * defecerant, capite, Suria sine bello recepta. Sic Crassianam cladem Pacori cæde pensauimus.

*Bellum Parthicum * Antonij*, Cap. X.

Expertis inuicem Parthis atque Romanis, cum Crassus atque Pacorus vtrimque virium [mutuarum] documenta fecissent, pari rursus reuerentia, integra amicitia, & quidem ab ipso fœdus Antonio cum rege percussum. Sed immensa vanitas hominis. dum titulorum cupidine Araxem & Euphratem sub imaginibus suis * legi cōcupisset, neque caussa, neque consilio, ac ne imaginaria quidē belli conditione, (quasi hoc quoque ex arte ducis * esset obrepere) relicta repente Suria, in Parthos impe-
717 tum facit. Gens præter armorum fiduciam simulat trepidationem, & in campos fugam. Hic statim quasi victor sequebatur; cum subito nec magna hostium manus ex improuiso, & iam in fessos via, sub * vespera velut nimbus erupit, & missis vndique sagittis, duas legiones operuerunt. Nihil acciderat in comparationem cladis quæ in posterum diem imminebat, nisi interuenisset deûm miseratio. Vnus ex clade Crassiana Parthico habitu castris adequitat; & salute latine data, cum fidem ipso fecisset, quid immineret, edocuit; iam affuturum cum omnibus copiis regem: irent retro, peterentque montes: sic quoque hostem fortasse non defore. Atque ita secuta est minor vis hostium quam imminebat. Adfuit tamen; deletæque reliquæ copiæ forent, nisi vrgentibus telis in modum grandinis, quadam * forte [quasi] docti, procubuissent in genua milites, & elatis super capita scutis, cæsorum speciem præbuissent. Tum Parthus arcus inhibuit. Deinde, Romani cum se rursus extulissent, adeo res miraculo fuit, vt vnus ex barbaris miserit vocem; *Ite & bene valete Romani: merito vos victores fama gentium loquitur, qui Parthorum tela fertis.* Non minor ex aqua postea quam ab hostibus * clades. Infesta primum siti regio; tum quibusdam * Salmacidis fluuius infestior: * nouissimeque cum iam ab inualidis & auide hauriebatur, noxiæ etiam dulces fuere. Mox & ardores per Armeniam, & niues per Cappadociam, & vtriusq; cæli subita mutatio, pro pestilentia fuit. Sic vix tertia parte de XVI legionibus reliqua, cum argentum [eius] passim dolabris concideretur, & subinde inter moras mortem a gladiatore suo flagitasset; egregius imperator tandem profugit in Syriam. * ibi
719 incredibili quadam mentis vecordia ferocior aliquanto factus est; quasi vicisset qui euaserat.

Bellum [Actiacum] cum Antonio & Cleopatra, CAP. XI.

FVROR Antonij, quatenus ambitu nõ interiret, [&] luxu & libidine exstinctus est. 722
Quippe post Parthos, cum exosus arma, in otio ageret, captus amore Cleopatrę, qua-
si bene gestis rebus, in regio se sinu reficiebat. Hæc mulier Ægyptia ab ebrio Impe-
ratore pretium libidinum Romanum imperium petit. Et promisit Antonius : quasi
facilior esset Partho Romanus. Igitur dominationem parare; nec tacite; sed patriæ,
nominis, togæ, fascium oblitus, totus in monstrum *illud, vt mente, ita animo quo-
que cultuque desciuerat. Aureum in manu baculum; ad latus, *acinacis; purpurea
vestis, ingentibus obstricta gemmis; diadema aderat, vt regina rex ipse frueretur.
Ad primam nouorum motuum famam Cæsar a Brundusio traiecerat, vt venienti
bello occurreret: positisque in Epiro castris, Leucadem insulam, montemque* Leu-
catem, & Ambracij sinus cornua, infesta classe succinxerat. Nobis cccc amplius na-
ues; cc nõ minus hostium: sed numerum magnitudo pensabat. quippe a senis in no-
uenos remorum ordinibus; adhoc turribus atque tabulatis alleuatæ castellorum &
vrbium specie, non sine gemitu maris, & labore ventorum ferebantur: quæ quidem
ipsa moles exitio fuit. Cæsaris naues a triremibus in senos nõ amplius ordines creue-
rant. itaque habiles in omnia quæ vsus poscebat, ad impetus & recursus flexusq; ca-
piendos, illas graueis, & ad omnia præpeditas, singulas plures adortæ, missilibus si-
mul, *tum rostris adhoc ignibus iactis, ad arbitriũ dissipauere. Nec vlla re magis ho-
stilium copiarum apparuit magnitudo, quam post victoriam. Quippe immensa clas-
sis, naufragio belli facto, toto mari ferebatur; Arabumque & Sabæorum, & mille alia-
rum gentium Asiæ spolia, purpuram aurumque, in ripam assidue mota ventis maria
remouebant. Prima dux fugæ regina, cum aurea puppe, veloq; purpureo se in altum
dedit: mox secutus Antonius: sed instare vestigiis Cæsar. Itaque nec *præparata in O-
ceanum fuga, nec munita præsidiis vtraque Ægypti cornua, Paratonium atque Pe- 723
lusium, profuere: *propere manu tenebantur. Prior ferrum occupauit Antonius: Re-
gina, ad pedes Cæsaris prouoluta, tentauit oculos ducis; frustra. nam pulchritudo in-
tra pudicitiam principis fuit. nec illa de vita, quæ offerebatur, sed de parte regni la-
borabat. quod vbi desperauit a principe, seruarique se triumpho vidit, incautiorem
nacta custodiam, in Mausoleum se (sepulcra regum sic vocant) recepit: vbi *maximo,
vt solebat, induta cultu, in differto odoribus solio iuxta suum se collocauit Antonium;
*admotisq; ad venas serpentibus, sic morte, quasi somno, soluta est.

Bella aduersus gentes exteras, CAP. XII.

HIC finis armorum ciuilium: reliqua aduersus exteras gentes; quæ districto cir-
ca mala sua imperio, diuersis orbis oris emicabant. Noua quippe pax: necdum assue-
tę frenis seruitutis tumidæ gentium inflatæque ceruices, ab imposito nuper iugo re-
siliebant. Ad _septemtrionem_ cõuersa ferme plaga, ferocius agebat; Norici, Illyrij, Pan-
nonij, Dalmatæ, Mysij, Thraces & Daci, Sarmatæ atque Germani. _Noricis_ animos
dabant Alpes atque niues; quo bellum non posset ascendere. Sed omnes illius cardi-
nis populos, *_Breunos, Senones_, atque _Vindelicos_, per priuignum suum Claudium Dru- 742
sum perpacauit. Quæ fuerit callidarum gentium feritas, facile vel mulieres ostendẽ-
re; quæ, deficientibus telis, infantes ipsos afflictos *humo, in ora militum aduersa mi-
serunt. _Illyrij_ quoque sub Alpibus agunt, imasque valles earum, *& quædam quasi
claustra custodiunt, abruptis torrentibus *implicati. in hos expeditionem ipse sum- 718
sit, fierique *pontes imperauit. Hic se & aquis & hoste turbantibus, cunctanti ad a-
scensum militi scutum de manu rapuit; & in via primus; tunc agmine secuto, cum Il-
lyricus multitudine pontem succidisset, saucius manibus ac cruribus, speciosior san-
guine, & ipso periculo augustior, terga hostium *præcidit. _Pannonij_, duobus salti- 718
bus, ac tribus fluuiis, Drauo, Sauo, Istroque *vallantur: populati proximos, intra ripas
se recipiebant. In hos domandos *Vibium misit. cæsi sunt in vtrisq; fluminibus: ar-
ma victorum non ex more belli cremata, sed capta sunt, & in profluentes data; vt ce-
teris, qui resistebant, victoria sic nuntiaretur. _Dalmatæ_, plerumque sub siluis agunt;
inde *ad latrocinia promtissimi. Hos iam quidem *Marcius, incensa vrbe Delminio, 714

715 quaſi detruncauerat: poſtea Aſinius Pollio gregibus, armis, agris multauerat. * ſed
Auguſtus perdomandos Vibio mandat: qui efferum genus fodere terras coegit,
aurumque venis repurgare; quod alioquin gens omnium cupidiſſima, ſtudioſa dili-
gentia anquirit; vt illud in vſus ſuos ſeruare videatur. **Myſi*, quam feri, quam tru-
ces fuerint, quam ipſorum etiam barbari barbarorum, horribile dictu eſt. Vnus du-
cum ante aciem poſtulato ſilentio; *Qui vos*, inquit, *eſtis?* Reſpõſum inuicem; *Romani,*
gentium domini. Et illi; *Ita*, inquiunt; *ſi nos viceritis.* Accepit omen Marcus Craſſus. Illi
725 ſtatim ante aciem immolato equo concepere votum, vt cæſorum extis ducum & li-
tarent, & veſcerentur. Deos audiſſe crediderim: nec tubam ſuſtinere potuerunt. Non
minimum terroris incuſſit barbaris * Domitius centurio, ſatis barbaræ, efficacis ta-
men apud pares homines ſtoliditatis; qui *foculum gerens ſuper caſſidem, ſuſcitatam
motu corporis flammam velut ardenti capite fundebat. Ante hos, *Thracum* * ma-
ximus populus deſciuerat. Ille barbarus, & ſignis militaribus, & diſciplina, armis et-
742 iam Romanis aſſueuerat: ſed a Piſone perdomiti, in ipſa captiuitate rabiem oſtende-
re: quippe cum catenas morſibus tentarent, feritatem ſuam ipſi puniebant. *Daci,*
montibus inhærent. Cotiſonis regis imperio, quoties concretus gelu Danubius iun-
xerat ripas, * diſcurrere ſolebant, & vicina populari. Viſum eſt Cæſari Auguſto gen-
tem aditu difficillimam ſubmouere. Miſſo igitur Lentulo, vltra vlteriorem repulit
ripam: citra, præſidia conſtituit.* Si tunc Dacia non victa, ſummota atque dilata eſt.
Sarmatæ, patentibus campis inequitant. & hos per eundem Lentulum prohibere Da-
nubio ſatis fuit. nihil præter niues raraſque ſiluas habent. tanta*barbaria eſt, vt pacem
non intelligant. *Germaniam* quoque vtinam vincere tanti non putaſſet: magis tur-
piter amiſſa eſt, quam glorioſe acquiſita: ſed, quatenus ſciebat patrem ſuum Cæſa-
rem bis traiecto ponte * Rheni quæſiſſe bellum, in illius honorem concupiit face-
re prouinciam: & factum erat, ſi barbari tam vitia noſtra quam imperia ferre potuiſ-
741 ſent. Miſſus in eam prouinciam Druſus, primos domuit *Vſipetes*: inde *Tencteros* per-
currit, & * *Cattos*. Nam * *Marcomannorum* ſpoliis inſignibus quendam editum tumu-
lum in tropæi modum excoluit. Inde validiſſimas nationes, *Cheruſcos*, * *Sueuos*, & *Si-*
cambros, pariter aggreſſus eſt: qui viginti centurionibus * concrematis, hoc velut ſa-
cramento ſumſerant bellum; adeo certa victoriæ ſpe, vt prædam in anteceſſum pa-
ctione * diuiderent. Cheruſci equos, Sueui aurum & argentum, Sicambri captiuos e-
legerãt. Sed omnia retrorſum. Victor namque Druſus, equos, pecora, torques eorũ,
ipſoſque præda diuiſit, & vendidit. Præterea in tutelam prouinciarum, præſidia atq;
cuſtodias vbique diſpoſuit. Per Moſam flumen, per Albim, per Viſurgim, per Rhe-
ni quidem ripam, quinquaginta amplius caſtella direxit: * Bonnã & Geldubam cum
pontibus iunxit, claſſibuſq; firmauit: * inuium atque inacceſſum in id tempus Hercy-
nium ſaltum patefecit. Ea deniq; in Germania pax erat, vt mutati homines, alia terra,
cælum ipſum mitius molliuſq; ſolito videretur. Deniq; non per adulationem, ſed ex
744 meritis, defuncto ibi fortiſſimo iuuene, ipſi, quod numquam [alias] alteri, ſenatus co-
„ gnomen ex prouincia dedit. Sed *difficilius eſt prouincias obtinere quam facere*: viri-
„ bus parantur, iure retinentur. Igitur breue id gaudiũ fuit. quippe Germani victi ma-
gis quam domiti erant; moreſque noſtros magis quam arma ſub Imperatore Druſo
*ſuſcipiebant: poſtquam [vero] ille defunctus eſt, Vari Quinctilij libidinem ac ſuper-
761 biam haud ſecus quam ſæuitiam odiſſe cœperunt. Auſus [vero] ille agere conuentũ:
& in caſtris * ius dicebat, quaſi violentiam barbarorum & lictoris virgis, & præconis
voce poſſet inhibere. at illi qui iam pridem rubigine * obſitos enſes, inerteſque cerne-
rent equos, vt primum togas & ſæuiora armis iura viderunt, duce * Arminio ar-
ma corripiunt; cum interim tanta erat Varo pacis fiducia, vt ne prædicta quidem
& prodita per Segeſtem * vnum principem, ducum coniuratione, commouere-
tur. Itaque improuidum & nihil tale metuentem improuiſo adorti, cum ille (o ſe-
curitas) ad tribunal citaret, vndique inuadunt, caſtra rapiunt; tres legiones oppri-
761 muntur. Varus perditas res, eodem quo Cannenſem diem Paullus, & fato eſt & ani-
mo ſecutus. Nihil illa cæde per paludes perq; ſiluas cruentius; nihil inſultatione bar-
barorum intolerabilius; præcipue tamen in cauſſarum patronos: aliis oculos, aliis
manus amputabant: vnius os ſutũ, reciſa prius lingua; quam in manu tenẽs barbatus,

Tandem,

Tandem, inquit, *vipera sibilare desiste*. Ipsius quoque consulis corpus, quod militum
pietas humi abdiderat, effossum. Signa & aquilas duas adhuc barbari possident: ter-
tiam signifer, prius quam in manus hostium veniret, euulsit; mersamque intra baltei
sui latebras gerens, in cruenta palude sic latuit. Hac clade factum vt imperium quod
in litore Oceani non steterat, in ripa Rheni fluminis staret. Hæc ad Septemtrio- 752
nem. *Sub meridiano* tumultuatum magis quam bellatum est.* *Musulanios* atque *Gætu-*
los accolas Syrtium, Cosso duce compescuit; vnde illi *Gætulici* cognomen. Latius vi- 758
ctoria paret. *Marmaridas* atque *Garamantas** Furnio subigendos dedit. Potuit & ille
redire *Marmaricus*: sed modestior in æstimanda victoria fuit. *Ad Orientem* plus ne-
gotij cum *Armeniis*. huc alterum * Cæsar ex nepotibus suis misit. Ambo fato bre-
ues; sed alter inglorius. Massiliæ quippe Lucius morbo soluitur: in Lycia Caius ex 751
vulnere, cum Armeniam ad Parthos se subtrahentem * recepit. Armenios victo re- 753
ge Tigrane in hoc vnum seruitutis genus Pompeius assuefecerat, vt rectores a nobis
acciperent. Intermissum ergo ius, per hunc recuperatum, non incruento, nec * mul-
to tamen certamine. quippe * Domnes, quem rex * Artaxatis præfecerat, simulata
proditione adortus virum intentum libello, quem vt thesaurorum rationes conti-
nentem ipse porrexerat, * stricto ferro cruentat vulnere in tempus: ceterum barba-
rus, vndique infesto exercitu oppressus, gladio, & pyra, in quam se percussus immi-
sit, superstiti * etiamnon Cæsari satisfecit. *Sub Occasu* pacata [fere] erat omnis *Hispa-*
nia, nisi quam Pyrenæi desinentis scopulis inhærentem citerior alluebat Oceanus.
Hic duæ validissimæ gentes, *Cantabri* & *Astures*, immunes imperij agitabant. Canta-
brorum & prior & altior, & magis pertinax in rebellando animus fuit: qui non con-
tenti libertatem suam defendere, proximis etiam imperitare tentabant; *Vaccæos*q; &
Curgonios, & * *Autrigonas*, crebris incursionibus fatigabant. In hos igitur, quia vehe-
mentius agere nuntiabantur, non mandata expeditio, sed sumta est. ipse venit * Segi- 727
samam: castra posuit: inde partito exercitu totam * inde iam complexus Cantabriam,
feram gentem ritu ferarum quasi indagine debellabat. Nec ab Oceano quies;
cum infesta classe ipsa quoque terga hostium cæderentur. Primum aduersus Canta-
bros sub mœnibus * *Vellicæ* prœliatus est. Hinc fuga in eminentissimum * *Vindium*
montem; quem maria prius Oceani, quam arma Romana ascensura esse crede-
rant. Tertio * *Arracillum* oppidum magna vi repugnat: captum tamen postremo fuit
* in Edulij montis obsidione, quem perpetua xv millium fossa comprehensum cin-
xit, vndique simul adeunte Romano. Postquam extrema barbari vident, certatim
igne, ferro inter epulas, venenoque, quod ibi vulgo ex arboribus taxis exprimitur,
* præcepere mortem; seque pars maior a captiuitate, quæ videbatur, vindicauere.
Hæc per * Antistium, Furnium, Agrippam legatos, hibernans in Tarraconis mariti- 727
mis Cæsar accepit. ipse præsens hos deduxit montibus, hos obsidibus adstrinxit, hos 728
sub corona iure belli venumdedit. Digna res lauro, digna curru senatui visa est: &
iam Cæsar tantus erat, vt posset triumphos contemnere. *Astures* per idem tem-
pus ingenti agmine a montibus suis descenderant. nec * tenuere suos, vt barbari im-
pares: sed positis castris apud * Asturam flumen, trifariam diuiso agmine, tria simul
Romanorum castra aggredi parabant. Fuisset & anceps & cruentum, & * vltimum
mutua clade certamen, tunc tam fortibus, tam subito, tam cum consilio venientibus;
nisi * *Brigæcini* prodidissent; a quibus præmonitus Carisius, cum exercitu adueniens 728
oppressit consilia. Sic tamen quoque non incruento certamine, reliquias fusi exerci-
tus * validissimi, ciuitas Lancia excepit: vbi adeo certatum est, vt cum in captam vr-
bem faces poscerentur, ægre dux impetrauerit veniam, vt victoriæ Romanæ stans
potius esset, quam incensa monumentum. His finis Augusto bellicorum certami-
num fuit: idem rebellandi finis Hispaniæ. Certa mox fides, & æterna pax cum ipso-
rum ingenio in pacis partes promtiore, tum consilio Cæsaris; qui fiduciam montium
timens, in quos se recipiebant, castra sua (sed quæ in plano erãt) habitare & incolere
iussit. Ingentis esse consilij illud obseruari cœpit. Natura regionis circa se omnis auri-
fera, miniique & * chrysocollæ & aliorum colorum ferax. * Igitur exerceri solum
iussit. Sic Astures, latentes in profundo opes suas atque diuitias, dum aliis quærunt,
nosse cœperunt. Omnibus ad Occasum & Meridiem pacatis gentibus, ad Septem-

trionem quoque, (duntaxat intra Rhenum atque Danubium) item ad Orientem intra Taurum & Euphratem, illi quoque reliqui qui immunes imperij erant, sentiebant tamen magnitudinem, & * victoriam gentium populi Romani reuerebantur. Nam & *Scythæ* misere legatos, & *Sarmatæ*, amicitiam petentes. *Seres* et-
727 iam, habitantesque sub ipso sole *Indi*, cum gemmis & margaritis, elephantos quoque inter munera trahentes nihil magis quam longinquitatem viæ imputabant, quam quadriennio impleuerant; & tamen ipse hominum color [eos] ab alio ve-
732 nire * sole fatebatur. *Parthi* quoque, quasi victoriæ pœniteret, rapta clade Crassiana, vltro signa retulere. Sic vbique cuncta atque continua totius generis humani aut pax fuit, aut pactio. Ausúsque tandem *Cæsar Augustus* * septingentesimo
730 ab Vrbe condita anno *Ianum geminum* claudere; bis * ante se clausum, sub Numa rege, & victa primum Carthagine. Hinc conuersus ad pacem, pronum in omnia mala, & in luxuriam fluens sæculum, grauibus seuerisque legibus multis coercuit. Ob hæc tot facta ingentia *Dictator perpetuus*, & *pater patriæ* [dictus.] Tractatum
726 etiam in senatu, an, quia condidisset imperium, *Romulus* vocaretur: sed sanctius & reuerentius visum est nomen *Augusti*; vt scilicet iam tum dum colit terras, ipso nomine & titulo consecraretur.




FINIS.



IN C VELLEII PATERCVLI HISTORIAM ROMANAM

PRÆFATIO BEATI RHENANI, AD ILlustriss. Saxoniæ Ducem, FRIDERICVM, Principem Electorem.



ERVM *pretiosarum etiam minutias magno videmus æstimari, Princeps illustrißime. nam gemmarij vulgo lapillorum quorundam frustula pluris indicant, quam quosdam integros lapides. Nec mirum, quum res ex virtute, non ex mole sit æstimanda. Atque accidit quidem vt res minutæ maioribus nonnumquam multis modis antestent. Gemmis enim quid magis pusillum? & tamen de harum viribus ac insignibus pretiis miranda sunt in litteris prodita. Quum itaque mecum diu cogitarem, an* VELLEIVM PATERCVLVM, *auctorem eximium & veterem, sed semilacerum, tuæ celsitudini conuenienter dicare possem, cui sciebam absolutißima quæque nuncupari debere; tandem persuasit me Velleij dignitas & excellentia, vt iam insignes reliquias eloquentißimi scriptoris tibi potißimum, elegantiorum studiorum Germanico Mæcenati, inscriberem. Accessit etiam alia ratio, quod Georgius Spalatinus, vir eximie litteratus & candidus, quo tua sublimitas ministro sacrorum & a consiliis vtitur, abhinc quatuor annos, quum intellexisset me quædam historiarum fragmenta reperisse, statim per litteras rogauit vt illas descriptas istuc mitterem, quo possent in bibliotheca tua reponi; quam, vt audio, paras insignem, bonis auctoribus vndecumque conuectis referciendam. In qua re tua celsitudo veterum quorundam principum laudem æmulatur; qui non minorem gloriam instructis bibliothecis sunt consequuti quam alij conditis vrbibus. Ac solent quidem montibus arces incomparabili sumptu imponi, quæ toti regioni poßint esse præsidio, dum quam longißime hostes arcentur. id quod nec tua celsitudo negligit, tot propugnaculis vel a fundamento excitatis, vel in meliorem faciem restitutis. At quanto melius est bibliothecas optimis impletas libris, Musis dedicare; quibus nullum certius præsidium abigendæ procul inscitiæ, teterrimi illius mortalium hostis? Enimuero nobis hactenus magis defuerunt libri quam ingenia (de bonis libris loquor, non tam prophanis quam sacris) qui vt proximis annis prodire cœperunt, dij boni quam statim retrocessere lucifugæ sophistarum phalanges, splendorem emergentis veritatis ferre non valentes; vt qui in tenebris humanarum traditionum velut noui quidam Platonici specus habitatores, per omnem vitam fuerint versati. Itaque excelsißime princeps de* VELLEIO *tantum accipe quantum nobis non inuidit vetustas, non indignum cui in bibliotheca illa tua vel primum locum tribuas. Describit is res Romanas castißimo stilo per epitomen ab vrbe condita ad suam vsque ætatem, hoc est, tempora Tiberij Cæsaris. (nam sub hoc floruit, vt in vita annotauimus) Meminit quorundam quæ nullorum sunt prodita litteris, saltem qui hodie exstent: qualis est deletarum cum Varo legionum Arminio duce historia, & quæ de Maroboduo Marcomanorum rege scribit; haud dubie tuæ celsitudini tanto gratior futura, quanto minus etiam doctißimis viris hactenus fuere cognita. nam prioris rei tantum in transcursu meminit Florus. Tanta autem facundia his referendis vtitur, vt quemadmodum ipse Cæsari proximum a Tullio locum tribuit, sic eum Cæsari pa-*

rem faciam, aut ſaltem proximo ſtatuam loco. Quod ſi integer exſtaret, & a mendis purus, haud ambigerem quin doctiſsimus quiſque meo ſubſcriberet iudicio. nunc quando mendis vitio vetuſtatis non caret, aliena culpa dignitatem æſtimationis apud quoſdam forſan amittet. Equidem ab hinc annos (vt puto) quinq;, quum primum hunc in Murbacenſi bibliotheca *reperiſſem, & viderem tam prodigioſe corruptum, vt omnia reſtituere non foret humani ingenij, properanter ac infeliciter ab amico quodam deſcriptum, premendum plane cenſebam, donec melioris nobis codicis fieret copia, quem acceperam haberi Mediolani, inuentum olim a Georgio Merula. Verum dum fruſtra iam treis annos exſpectamus, interim doctiſsimus quiſq; mecum expoſtulat cur tam inſignem auctorem ſtudioſis communicare tamdiu differam. Addunt conuitia quidam, dictitantes illum in hoc a me premi vt olim alienum opus, tamquam ingenij mei fœturam, gloriabundus in publicum emittam. Proinde nunc edidimus omnium eruditorum votis expetitum, & ante promiſſum; ne ſtudioſos diutius huius deſiderio maceremus. Quod nullam ſane ob cauſſam ſerius factum eſt quam vt ſincerior exiret. Sed nimium moror celſitudinem tuam: lege & amplectere candidiſsimum ſcriptorem Velleium. Bene vale heros illuſtriſsime, & bonis litteris fauere perge. Seleſtadij, ſexto Id. Decemb. an.* M D XX.

VITA VELLEII PATERCVLI, PER BEATVM RHENANVM.

*Difficile eſt Velleii vitam deſcribere; quum nullus ſcriptorum, quod ſciam, huius meminerit, vno Tacito dempto; qui in libro tertio P. Velleium præſidē exercitus Philippopolin Thraciæ vrbem ab obſidione liberaſſe ſcribit; * de hoc noſtro haud dubie loquens. cogimur itaq; ſequi coniecturas. Atque in primis mihi fit probabile, eum Romæ natum, patre equeſtris ordinis, qui fuerit aliquādo præfectus equitum ſub Auguſto. Nam ſcribit ipſe in poſteriori libro ſub finem, ſe miſſum in Germaniam cum Tiberio protinus ab adoptione, præfectum equitum, ſucceſſorem officij patris ſui. Quo loco vitæ ſuæ rationem exponens, docet ſe tribunatu caſtrorum ante functum, militem factum Tiberij Cæſaris in Germaniam proficiſcentis; ac per nouem continuos annos, aut præfecti aut legati munere fuiſſe ſemper inſignem. Ipſe propemodum initia ſtipendiorum ſuorum fecit tribunus militum in Syria, hunc militiæ gradum ante P. Vinicio & P. Silio Coſſ. auſpicatus. Quam rem his ipſe verbis narrat;* Quod ſpectaculum ſub initia ſtipendiorum meorum tribuno militum mihi viſere cōtigit: quem militiæ gradum ante ſub patre tuo, M. Vinici, & P. Silio, auſpicatus in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Aſiaque, & omnibus ad orientem viſis prouinciis, & ore atque vtroque maris Pontici latere, haud iniucunda tot rerum, locorum, gentium, vrbium recordatione perfruor. *Maiores Velleij fuiſſe Campanos, quibuſdam argumentis adducor vt credam. Ipſe meminit C. Velleij aui ſui, qui Pompeij Marciq; Bruti ac Tyronis præfectus fabrûm, iam grauis ætate, ſibi vim attulit quum abiret Neapoli Tiberius Nero. Meminit & Minatij Magij ataui ſui Aſculanenſis; qui nepos fuit Decij Magij, Campanorum principis, celeberrimi fideliſsimique viri. Non præterit Capitonem patruum ſuum, virum ordinis ſenatorij, qui Agrippæ ſubſcripſit in C. Caſſiū. Fratrem habuit Magiū Celerem; cuius præcipua opera Tiberius eſt vſus in bello Dalmatico, in quo ille legatū egit, ampliſsimis deinde honoribus a triumphante Cæſare donatus.* Eum (*inquit*) triumphum (*is fuit Dalmaticus*) mihi fratrique meo inter præcipuos præcipuisq; donis adornatos viros comitari contigit. *Cæterum honores ipſe ſuos, quos virtutibus emeruit, non tacet, quum inquit;* Habuit in hoc quoque bello (*de Pannonico loquitur*) mediocritas noſtra ſpecioſi miniſtri locum. Finita equeſtri militia, deſignatus quæſtor; necdum ſenator, æquatus ſenatoribus; & iam deſignatis tribunis plebis, partem exercitus ab vrbe traditi ab Auguſto perduxi ad filium eius. In quæſtura deinde remiſſa ſorte prouinciæ legatus eiuſdem ad eundem miſſus *&c. Vtinam autem exſtaret iuſtum illud opus in quod multa dicenda reſeruat, hic feſtinans, & velut res in tranſitu tantum indicans. Promittit etiam de bello Pannonico iuſta volumina, ordine omnia narraturus: ſed addit,* Vt ſpero. *Proinde cōijcimus eum tale quid meditantem morte fuiſſe ſublatū; quæ plerumque gaudet res præclaras impedire. Alioquin non taciturus erat Fabius, hiſtoricos vtriuſq; linguæ cenſens; quem miror huius operis ad M. Vinicium nō meminiſſe. Sed genera tantum ille deguſtauit, non excuſſit bibliothecas: id quod ipſe ingenue de ſe teſtatur. * Meo ſane iudicio nulli ſecundus eſt Velleius inter Latinos: tam eſt caſtus ac nitidus in di-*

in dicendo mira stili iucunditate ac clarissimo candore præditus: quas dotes T. Liuio Fabius assignat. Quod si modus huius operis conciones recepisset, clarius haud dubie declarasset eloquentiam suam; cuius tamen hic satis abunde documentum dedit. Nam quid illa digressiuncula, qua in M. Antonium Ciceronis iugulatorem exclamat, vel ornatius, vel grauius, vel acutius? Tractandorum affectuum dubio procul egregie peritus fuit. Iam vt constet quisnam M. iste VINICIVS *fuerit; cui suam historiam inscripsit Velleius, adscribam Taciti verba ex quinto libro Historiæ Augustæ.* Vinicio oppidanum (*inquit*) genus: Calibus ortus, patre atque auo consularibus; cetera equestri familia erat, mitis ingenio & comptæ facundiæ. Huic Iuliam neptem suam, Germanico genitam, Tiberius Cæsar copulauit. *hæc ille. Fuit itaque progener Tiberij Cæsaris; quos ille quatuor habuit, hunc, & Gn. Domitium, Cassium Longinum, & Rubellium Blandum. M. Vinicij meminit etiam Seneca. An vero non est immortalitate donare, semper victurum opus inscribere cuipiam? Reuiuiscit nunc cum Velleio M. Vinicius; cuius nomen ex hominum memoria nemo delebit, quamdiu supererunt Velleij monimenta; etiamsi illum Tacitus nullus prædicasset.* PATERCVLORVM *nomen apud Romanos antiquum est. Sulpicij Paterculi filiæ meminit Liuius. Selestadij, Idibus Decembr. anno millesimo quingentesimo vigesimo.*

BEATVS RHENANVS LECTORI S.

APPARET *Velleium ab vrbis primordio Romanam historiam omnem admirabili compendio duobus voluminibus fuisse complexum; etiam antiquioribus aliarum nationum gestis, præsertim in huius prioris libri initio fineque, perquam eleganter admixtis. Quorum voluminum prius hoc acephalon est. Adeo non ceteris tantum rebus, verumetiam bonis auctoribus, iniuria vetustatis cuncta absumentis, officere solet: vt, quemadmodum Ausonius cecinit,* - monimenta fatiscunt, Mors etiam saxis nominibusque venit. *Nos dicere possimus;* Mors etiam scriptis carminibusque venit. *Quamquam puto magis hominum incuriam accusandam quam ipsam vetustatem. Poterant exemplaria ætatis vitio obsolescentia describi; poterant vitis instar obsenium iamiam emoritura, per nouas propagines restitui, si fuissent quos huius rei cura tetigisset. Et certe fuerunt qui, tametsi parũ docti, præstiterunt tamen quod potuerunt: quibus habendam gratiam censeo, quod horum saltem opera qualicumque miseras bonorum auctorum reliquias (licet mendosissime exceptas) conseruatas videamus: si modo conseruari est, tam deprauate esse descriptum. Vtinam vero quidam auctores exstarent quamlibet mendose scripti: possent in illis multa restitui per viros eruditos ac iudicio præditos. Egregie sudatum est in hac parte a Benedictinis olim, in asseruandis inquam veterum monimentis. At postquam ptochotyranni isti irrepserunt, conspiratum est in veteres auctores, vt istorum somnia mundo commodius obtrudi possent. Sed hæc* ἀπροσδιόνυσα *videri queant, quum de Velleio potius sit habendus sermo. Scribit is sub finem huius libri, statuisse se priorem huius voluminis posterioremque partem non inutili rerum notitia in artum contracta distinguere. Proinde quemadmodũ illic in fine refert, quæ post Romam a Gallis captam deductæ sint coloniæ iussu senatus, & quo tempore: sic in hoc fragmento prioris libri, compendio quodam describit, primum, quam quisque ciuitatem ex heroibus illis qui Troiam obsederant, confecto iam bello condiderit, quamue occuparit insulam. Deinde res per illam ætatem gestas, de Pelopidis, Heraclidis, Atheniensibus, Peloponnesiis, Tyriis, Achæis, Pelasgis, Lacedæmoniis, Chalcidensibus; qui nouas vrbes vel exstruxerint, vel in alias regiones commigrarint, multa recensens. id quod Strabo quoq; solet indicare, nec omittit Liuius, & huius abbreuiator Florus. Verum vt intelligas huius fragmenti initium, loquitur de Pyliorum exercitu; qui, quum disiectis tempestate nauibus, ducem suum Nestorem amisissent, Metapontum condiderunt. Potes conijcere lector, huic operi præfationem suam deesse, bellam haud dubie & elegantem. Sed iam lege Velleium; & nostris laboribus gratus esto.*



*C. VELLEII PATERCVLI HISTORIAE ROMANAE AD M. VINICIVM COS. LIBER I;

acephalos.

. . . .

tempestate distractus a duce suo Nestore, Metapontum condidit. Teucer, non receptus a patre Telamone, ob segnitiam non vindicatæ fratris iniuriæ, Cyprum adpulsus, *cognominem patriæ suæ Salamina constituit. Pyrrhus Achillis filius, Epirũ occupauit;* Philippus Ephyram in Thesprotia. At rex regum Agamemnon, tempestate in Cretam insulam reiectus, tres ibi vrbes statuit;* duas, a patriæ nomine; vnam, a victoriæ memoria; Mycenas, Tegeam, Pergamum. Idem mox scelere patruelis fratris Ægisthi, hæreditarium exercentis in eum odium, & facinore vxoris oppressus, occiditur. Regni potitur Ægisthus per annos VII. Hunc Orestes matremque, [cum] socia consiliorum omnium sorore Electra, virilis animi fœmina, obtruncat. Factum eius a diis comprobatum spatio vitæ & felicitate imperij apparuit. quippe vixit annis XC, regnauit LXX. qui se etiam a Pyrrho Achillis filio virtute vindicauit. nam quod *pactæ eius Menelai atque Helenæ filiæ Hermiones nuptias occupauerat, Delphis eum interfecit. Per hæc tempora *Lydus & Tyrrhenus fratres, quum regnarent in Lydia, sterilitate frugum compulsi, sortiti sunt vter cum parte multitudinis patria decederet. sors Tyrrhenum contigit: peruectus in Italiam, & loco & incolis & mari nobile ac perpetuum a se nomen dedit. Post Orestis interitum, filij eius, *Penthilus & Tisamenus, regnauere triennio. Tum fere anno octogesimo post Troiam captã, centesimo & vigesimo quam Hercules ad deos excesserat, Pelopis progenies, quæ omni hoc tempore pulsis Heraclidis, Peloponnesi imperium obtinuerat, ab Herculis progenie expellitur. Duces recuperandi imperij fuere, Temenus, Cresphontes, Aristodemus; quorum atauus fuerat. Eodem ferme tempore Athenæ sub regibus esse desierunt; quarum vltimus rex fuit Codrus Melanthi filius; vir non prætereundus: quippe quum Lacedæmonij graui bello Atticos premerent, respondisset que Pythius, quorum dux ab hoste esset occisus, eos futuros superiores, deposita veste regia, pastoralem cultum induit; immixtusque castris hostium de industria, *imprudenter rixam ciens, interemptus est. Codrum cum morte æterna gloria, Athenienses sequuta victoria est. ,, Quis eum non miretur, qui his artibus mortem quæsierit quibus ab ,, ignauis vita quæri solet? Huius filius Medon, primus *archon* Athenis fuit: ab hoc posteri apud Atticos dicti MEDONTIDÆ: sed hi insequentesque archontes, vsque ad Charopem, dum viuerent, eum honorem vsurpabant. Peloponnesij, digredientes finibus Atticis, Megaram, mediam Corintho Athenisque vrbem, condidere. Ea tempestate & Tyria classis, plurimum pollens mari, in vltimo Hispaniæ tractu, in extremo nostri orbis termino, insulam circumfusam oceano, perexiguo a cõtinenti diuisam freto, Gadeis condidit. Ab iisdem post paucos annos in Africa, Vtica condita est. Exclusi ab Heraclidis Orestis liberi, iactatique cum variis casibus tum sæuitia maris, quintodecimo anno sedem cepere circa Lesbum insulam. Tum Græcia maximis cõcussa est motibus. Achæi ex Laconica pulsi, eas occupauere sedes quas nunc obtinent. Pelasgi, Athenas commigrauere. acerque belli iuuenis, nomine Thessalus, natione Thesprotius, cum magna ciuium manu eam regionẽ armis occupauit, quæ

nunc ab eius nomine *Thessalia* appellatur, ante Myrmidonum vocitata ciuitas. Quo nomine mirari cõuenit eos qui Iliaca componentes tempora, de ea regione vt Thessalia commemorant: quod quum alij faciant, tragici frequentissime faciunt; quibus minime id concedendum est. nihil enim ex persona poetæ, sed omnia sub eorum qui illo tempore vixerunt, dixerunt. Quod si quis a Thessalo Herculis filio eos appellatos Thessalos dicet, reddenda erit ei ratio cur numquam ante hunc insequentem Thessalum, ea gens id nominis vsurpauerit. Paulo ante * Aletes, sextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre, claustra Peloponnesi continentem, in Isthmo condidit. Neque est quod miremur ab Homero nominari Corinthum. nam ex persona poetæ, & hanc vrbem & quasdam Ionum colonias, iis nominibus appellat quibus vocabantur ætate eius, multo post Ilium captum conditæ. Athenienses in Eubœa Chalcida & Eretriam colonis occupauere: Lacedæmonij in Asia Magnesiam. Nec multo post, Chalcidenses, orti (vt prædiximus) Atticis, Hippocle & Megasthene ducibus, Cumas in Italia condiderunt. Huius classis cursum esse directum alij columbæ antecedentis volatu ferunt, alij nocturno æris sono, qualis Cerealibus sacris cieri solet. Pars horum ciuium magno post interuallo Neapolim condidit. Vtriusque vrbis eximia semper in Romanos fides, facit eos nobilitate atque amœnitate sua dignissimas. Sed aliis diligentior ritus patrij mansit custodia; Cumanos Osca mutauit vicinia. Vires autem veteres earum vrbium, hodieque magnitudo ostentat mœnium. Subsequenti tempore magna vis Græcæ iuuentutis, abundantia virium, sedes quæritans, in Asiam se effudit. nam & Iones, duce Ione profecti Athenis, nobilissimam partem regionis maritimæ occupauere; quæ hodieque appellatur Ionia: vrbesque constituêre Ephesum, Miletum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myuntem, * Erythram, Clazomenas, Phocæam; multasque in Ægæo atque Icario occupauere insulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Parum, Delum, aliasque ignobiles. Et mox Æolij, eadem profecti Græcia, longissimisque acti erroribus, non minus inlustres obtinuerunt locos, clarasque vrbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, * Antissam, Myrinam, Mytilenenque, & alias vrbes quæ sunt in Lesbo insula. Clarissimum deinde Homeri inluxit ingenium, sine exemplo maximum; qui magnitudine * operis & fulgore carminum solus appellari *poeta* meruit. in quo hoc maximum est, quod neque ante illum quem ille imitaretur, neque post illũ qui eum imitari posset inuẽtus est. neq; quemquã alium, cuius operis primus auctor fuerit, in eo perfectissimũ, præter Homerum & Archilochum, reperiemus. Hic longius a temporibus belli, quod composuit, Troici, quam quidã rentur, abfuit. nam ferme ante annos DCCCCL floruit: intra mille natus est. Quo nomine non est mirandum quod * sæpe illud vsurpat. hoc enim vt hominum, ita seculorum notatur differentia. Quem si quis cæcum genitum putat, omnibus sensibus orbus est. Insequenti tempore imperium Asiaticum ab Assyriis, qui id obtinuerant annis MLXX, translatum est ad Medos, ab hinc annos ferme DCCLXX. Quippe Sardanapalum eorum regem, mollitiis * fluentem, & nimium felicem, malo suo, tertio & tricesimo loco ab Nino & Semiramide, qui Babylona condiderant, natum, ita vt semper successor regni paterni foret filius, * Arbaces Medus imperio vitaque priuauit. Ea ætate clarissimus Graij nominis Lycurgus Lacedæmonius, vir generis regij, fuit seuerissimarum iustissimarumque legum auctor, & disciplinæ * conuenientissimæ vir; cuius quamdiu Sparta diligens fuit, excelsissime floruit. Hoc tractu temporum * ante annos quinq; & sexaginta quam vrbs Romana conderetur, ab Elissa Tyria (quam quidam Didô autumant) Carthago conditur. Circa quod tempus Caranus, vir generis regij, sextusdecimus ab Hercule, profectus Argis, regnũ Macedoniæ occupauit: a quo magnus Alexander quum fuerit * septimusdecimus, iure materni generis, Achille auctore; paterni, Hercule gloriatus est. [Æmilius Sura de annis Po. Romani: Assyrij, principes omnium gentium, rerum potiti sunt: deinde Medi, postea Persæ; deinde Macedones. exinde duobus regibus Philippo & Antiocho, qui a Macedonibus oriũdi erant, haud multo post Carthaginem subactam deuictis, summa impetij ad Po. Romanum peruenit.] Inter hoc tempus & initium Nini regis Assyriorũ, qui princeps rerum potitus, intersunt anni MDCCCCXCV. Huius tẽporis æqualis Hesiodus fuit, * circa CXX annos

distinctus ab Homeri ætate; vir perelegantis ingenij, & mollissima dulcedine carminum memorabilis; otij quietisq; cupidissimus; vt tempore tāto viro, ita operis auctoritate proximus: qui vitauit ne in id quod Homerus, incideret; patriamq; & parentes testatus est: sed patriam (quia multatus ab ea erat) contumeliosissime. Dum in externis moror, incidi in rem domesticam, maximiq; erroris, & multum discrepantem auctorum opinionibus. nam quidam huius temporis tractu aiunt a Tuscis Capuam Nolamq; conditam, ante annos fere DCCCXXX. quibus equidē adsenserim. sed Marcus Cato quantum differt, qui dicat Capuam ab eisdem Tuscis conditam, ac subinde Nolam? stetisse aūt Capuam antequam a Romanis caperetur, annis circiter CCLX. quod si ita est, quum sint a Capua capta anni CCXL, vt cōdita est, anni sunt fere D. ego, pace diligentiæ Catonis dixerim, vix crediderim tam mature tantam vrbem creuisse, floruisse, concidisse, resurrexisse. Clarissimum deinde omnium ludicrum certamen, & ad*excitandam corporis animiq; virtutem efficacissimū, Olympiorum *initium, habuit auctorem Iphitum Elium. Is eos ludos mercatumq; instituit ante annos quam tu M. Vinici cōsulatum inires,* DCCCXXIII. Hoc sacrum eodem loco instituisse fertur abhinc annos ferme MCCL Atreus, quum Pelopi patri funebres ludos faceret: quo quidem in ludicro omnis generis certaminū Hercules victor exstitit. Tum Athenis perpetui archontes esse desierunt, quum fuisset vltimus Alcmæon; cœperuntq; in denos annos creari: quæ cōsuetudo in annos LXX mansit; ac deinde annuis cōmissa est magistratibus resp. Ex iis qui denis annis præfuerūt, primus fuit Charops, vltimus Eryx; ex annuis primus Creon. Sexta Olympiade post duo & viginti annos quam prima constituta fuerat, ROMVLVS Martis filius, vltus iniurias aui, Romam vrbem Parilibus in Palatio condidit. a quo tempore ad vos COSS. anni sunt *DCCLXXXV. Id actum post Troiam captam annis CCCCXXXVII. Id gessit Romulus, adiutus legionibus Latini aui sui. Libenter enim his qui ita prodiderunt accesserim: quum aliter firmare vrbem nouam tam vicinis Veientibus aliisq; Etruscis ac Sabinis cum imbelli & pastorali manu vix potuerit; *quamquam iam asylo facto inter [illegible] lucos, auxit. Hic centum homines electos appellatosque *Patres*, instar habuit consilij publici. Hanc originem nomen Patriciorum habet. Raptus virginum Sabinarum....

BEATVS RHENANVS LECTORI S.

Hic Velleio nostro rursum atrox vulnus inflixit iniuria temporis; quod neq; AEsculapius, neque Chiron, medici illi poetici, quamlibet a veteribus egregie laudati, curare norint. Nam bonam operis partem hoc loco deesse nullus dubitabit. Porro omnis medendi spes in integro sita est exemplari; quale repertum iam olim aiunt a Georgio Merula inter eos libros de quorum illeinuentione magnopere gloriatur in epistola quadam quæ inter Politianicas legitur. sed isti rumori fidem non habeo. Scilicet tantus vir nugas edidisset, (sic enim quasdam veterū grammaticorum quisquilias ab illo publicatas non iniuria vocauero; præsertim cum Velleio cōmissas) & hoc opus suppreßisset nobis, vnde plus ad illum gloriæ & ad studiosos commodi redituru m erat quam ex sexcentis istius generis grammaticorū schedis. Nos hac editione nostra tametsi mutila, prouocabimus Italos; vt, nobis quod nacti sumus, in mediū conferentibus, ipsi quoque sua candide studiosis impertiant. Sed de hac re plus satis iam loquuti sumus. Cæterum vt quasi viam tibi sternamus ad sequentis Velleiani fragmenti intelligentiam, quod in media ferme periodo sublatis anterioribus aliquot ternionibus abruptum est, in hac vltima prioris libri particula Velleius, decursis ante cunctis historiis iam inde ab vrbe condita, propemodum ad initium tertij belli Punici peruenit, quo Carthago fuit excisa. ante quod Macedonicum geri cœptum est: in quo P. Licinius Crassus, cui Macedonia decreta erat, contra Perseum regem pugnans, inferior discesit. Perseus vero, perpendens inconstantiam fortunæ, tametsi victor, æquam pacis conditionem a Romanis accipere paratus erat: iniquam Licinius obtulit, vt se videlicet, suaque senatui Romano dederet; quemadmodum refert Eutropius. Forsan igitur hic Velleij sensus fuerit; Perseus Macedonum rex, conditionem pacis, quam timuerat hostis, expetit. *Nisi de Gentio Illyriorum rege loquatur, quem Perseus subegit: vt sit sensus;* Gentius iniquam a Perseo cōditionem, quam timuerat hostis, expetit. *Neuter tamen mihi magnopere arridet. sed fuit hic aliquid dicendum. At ridiculum est ibi tam anxie diligentem esse, vbi diligentia locum non habet, verum sola diuinatio.*

quam timuerat hostis expetit. Nam biennio adeo varia fortuna cum COSS. cõflixerat, vt plerumq; superior fuerit, magnamq; partem Græciæ in societatem suam perduceret. Quin Rhodij quoq;, fidelissimi ante Romanis, tum dubia fide, speculati fortunam, proniores regis partibus fuisse visi sunt: & rex Eumenes in eo bello medius fuit animo, neq; fratris initiis, neque suæ respondit consuetudini. Tum senatus populusque Romanus, L. Æmilium Paulum,)* qui & prætor & cos. triumphauerat) virum 585 in tantum laudandum in quantum intelligi virtus potest, COS. creauit; filium eius Pauli qui ad Cannas quam tergiuersanter perniciosam reipubl. pugnam inierat, tam fortiter in ea mortem obierat. Is Perseum ingenti prœlio apud vrbem nomine Pydnam in Macedonia fusum fugatumque castris exuit; deletisque eius copiis, destitutum omni spe, coegit e Macedonia profugere: quam ille linquens, in insulam Samothraciam profugit, templique se religioni supplicem credidit. Ad eum Gn. Octauius PR. qui classi præerat, peruenit; & ratione magis quam vi persuasit vt se Romanorum fidei committeret. Ita Paulus maximum nobilissimumque regem in triumpho duxit. Quo anno & Octauij prætoris naualis, & Anicij, regem Illyriorum Gentium ante currum agentis, triumphi fuere celebres. Quam sit assidua *eminentis fortunæ comes inuidia*, altissimisque adhæreat, etiam hoc colligi potest, quod quum Anicij Octauiique triumphum nemo interpellaret, fuere qui Pauli impedire obniterentur: cuius tantum priores excessit, vel magnitudine regis Persei, vel specie simulacrorum, vel modo pecuniæ, vt * bis milies centies H-S ærario contulerit, & omnium anteactorum comparationem amplitudine vicerit. Per idem tempus, quum Antiochus Epiphanes, qui Athenis* Olympicum inchoauit, tum * regem Syriæ Ptolemæum puerum Alexandriæ obsideret, missus est ad eum legatus* M. Popilius Lænas, qui iuberet incepto desistere: mandataque exposuit, & regem deliberaturum se dicentem circumscripsit virgula, iussitque prius responsum reddere quam egrederetur finito harenæ circulo. sic cogitationem regiam Romana disiecit *constantia*; obeditumque imperio. Lucio autem Paulo, magnæ victoriæ compoti, quatuor filij fuere: ex iis duos natu maiores, vnum P. Scipioni P. Africani filio, nihil ex paterna maiestate præter speciem nominis vigoremque eloquentiæ retinenti, in adoptionem dederat; alterum, Fabio Maximo; duos minores natu, prætextatos, quo tempore victoriam adeptus est, habuit. Is quum in concione extra vrbem more maiorum ante triumphi diẽ, ordinem actorum suorum commemoraret, deos immortaleis precatus est, vt si quis eorum inuideret operibus ac fortunæ suæ, in ipsum potius sæuirent quam in rempubl. quæ vox veluti oraculo emissa, magna parte eum spoliauit sanguinis sui. Nam alterum * ex his quos in familia retinuerat liberis, * ante paucos triumphi, alterum post pauciores amisit dies. Aspera circa hæc tempora censura Fuluij Flacci & Postumij Albini fuit: quippe Fuluij censoris frater, & quidem consors, Cn. Fuluius, senatu motus est ab iis censoribus. Post victum captumque Perseum, qui quadriennio post in libera custodia Albæ decessit, *Pseudophilippus* a mendacio simulatæ originis 611 appellatus, qui se Philippum regiæque stirpis ferebat, quum esset vltimæ, armis occupata Macedonia, * adsumptis regni insignibus, breui temeritatis pœnas dedit: quippe Q. Metellus PR. cui ex virtute *Macedonici* nomen inditum, præclara victoria ipsum gentemque superauit, & immani etiam Achæos rebellare incipientes fudit acie. Hic est Metellus Macedonicus, qui porticus quæ fuere circumdatæ duabus ædibus sine inscriptione positis, quæ nunc * Octauiæ porticibus ambiuntur, fecerat: quiq; hanc turmam statuarum equestrium quæ frontem ædium spectant, hodieque maximum ornamentũ eius loci, ex Macedonia detulit: cuius turmæ hãc caussam referunt: Magnum Alexandrum impetrasse a Lysippo, singulari taliũ auctore operum, vt eorum equitum qui ex ipsius turma apud Granicum flumen ceciderant, expressa similitudine figurarum, faceret statuas, & ipsius quoque iis interponeret. Hic idem primus omnium Romæ ædem ex marmore in iis ipsis monumentis molitus, vel magnificentiæ vel luxuriæ princeps fuit. Vix vllius gentis, ætatis, ordinis, hominem inueneris cuius felicitatem fortunæ Metelli compares. Nam præter excellenteis triumphos, honoresque amplissimos, & principale in republ. fastigium, extentumque vitæ spatium, & acreis innocenteisq; pro republ. cum inimicis contentiones, quatuor

OO

filios sustulit, omnes adultæ ætatis vidit, omnes reliquit superstites & honoratissimos; mortui eius lectum pro rostris sustulerunt quatuor filij, vnus consularis & censorius, alter consularis, tertius consul, quartus candidatus consulatus, quem honorem adeptus est. *Hoc est nimirum magis feliciter de vita migrare quam mori.* * Vniuersale deinde (vt prædiximus) instincta in bellũ Achaia, *cum pars magna eiusdem Metelli Ma-606 cedonici virtute armisque * tracta erat, maxime Corinthiis in arma cum grauibus etiam in Romanos contumeliis instigantibus, destinatus ei bello gerendo cos. Mummius. Et sub idem tempus magis quia volebant Romani quidquid de Carthaginiensibus diceretur credere, quam quia credẽda afferebantur, statuit senatus Carthaginẽ excidere. Ita eodem tempore P. Scipio Æmilianus, vir auitis P. Africani, paternisque L. Pauli virtutibus simillimus, omnibus belli ac togæ dotibus, ingeniiq; ac studiorum eminentissimus seculi sui, qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit, aut dixit, * ac sensit; quem Paulo genitum, adoptatum a Scipione Africani filio diximus; ædilitatem petens, cos. creatus est. Bellum Carthagini iam ante biennium a prioribus coss. illatum, maiore vi intulit, quum ante in Hispania murali corona, in Africa obsidionali donatus esset; in Hispania vero etiam ex prouocatione, ipse modicus virium, immanis magnitudinis hostem interemisset. eamque vrbem magis inuidia imperij quam vllius [eius] temporis noxiæ, inuisam Romano nomini, funditus sustulit; fecitq; suæ virtutis monumentum, quod fuerat aui eius clementiæ. Carthago diruta est, quum stetisset annis DCLXVII, abhinc annos * CCLXXVII, Cn. Cornelio Lentulo, L. Mummio coss. Hunc finẽ habuit Romani imperij Carthago æmula, cum qua bellare maiores nostri cœpere Claudio & Fuluio coss. ante annos CCXCVI quam tu M. Vinici consulatum inires. Ita per annos CXV aut bellum inter eos populos, aut belli præparatio, aut infida pax fuit. Neque se Roma iam terrarum orbe superato, securam sperauit fore, si nomen vsquam stantis maneret Carthaginis. adeo odium certaminibus ortum, vltra metum durat, & ne in victis quidem deponitur; neq; ante inuisum esse desinit quam esse desiit. Ante triennium quam Carthago deleretur, M. Cato, perpetuus diruendæ eius auctor, L. Censorino, * M. Manlio coss. mortem obiit. Eodem anno quo Carthago concidit, L. Mummius Corinthum post annos DCCCCLII quam* ab Alete Hippotis filio erat condita, funditus eruit. Vterque Imperator deuictæ a se gentis nomine honoratus; alter, *Africanus*, alter, appellatus est *Achaicus*. Nec quisquam ex nouis hominibus prior Mummio cognomen virtute partum vindicauit. Diuersi imperatoribus mores, diuersa fuere studia: quippe Scipio tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ & * auctor & admirator fuit, vt Polybium Panætiumq; præcellenteis ingenio viros domi militiæque secum habuerit. neque enim quisquam hoc Scipione elegantius interualla negotiorum otio dispunxit, semperque aut belli aut pacis seruiit artibus, semper inter arma ac studia versatus, aut corpus periculis, aut animum disciplinis exercuit. Mummius tam rudis fuit, vt capta Corintho, quum maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas in Italiam portandas locaret, iuberet prædici conducentibus, si eas perdidissent, nouas eos reddituros. Non tamen puto dubites Vinici, quin magis pro republ. fuerit manere adhuc rudem Corinthiorum intellectum, quam in tantum ea intelligi; & quin hac prudentia, illa imprudentia decori publico fuerit conuenientior. Quum facilius cuiusque rei in vnum contracta species, quam diuisa temporibus, oculis animisque inhæreat, statui priorem huius voluminis posterioremque partem non inutili rerum notitia in artum contracta distinguere, atque huic loco inserere quæ quoque tempore post Romam a Gallis captam deducta sit colonia, iussu senatus. Nam militarium & * caussa, & auctores, & ipsarum præfulgent nomina. Huic rei per idem tempus ciuitates propagatas, auctumque Romanum nomen communione iuris, haud intempestiue subtexturi videmur. Post septem annos quam Galli vrbem ceperunt, * *Sutrium* deducta colonia est; & post annum * *Setina*; nouemq; interiectis annis * *Nepe*: deinde interpositis duobus & triginta, *Aricini* in ciuitatẽ recepti. Abhinc annos autem CCCL, Sp. Postumio, Veturio Caluino coss. *Campanis* data est ciuitas, partiq; *Samnitium* sine suffragio. Et eodẽ anno *Cales* deducta colonia. Interiecto deinde triennio, *Fundani* & *Formiani* in ciuitatem recepti, eo ipso anno quo Alexandria cõdita est.

Inse-

Insequentibusq; coss. a Sp. Postumio, Philone Publilio censoribus, *Acerranis* data ciuitas. Et post triennium **Tarracinam* deducta colonia; interpositoq; quadriennio, *Luceria*: ac deinde interiecto triennio, *Suessa Aurunca*, & *Saticula*; *Interamna*que post biennium. Decem deinde hoc munere anni vacauerunt: tunc *Sora* atque *Alba* deductæ coloniæ; & *Carseoli* post biennium. At quintum Fabio,* Decio Mure quartum coss. quo anno Pyrrhus regnare cœpit, *Sinuessam Minturnas*que missi coloni: post quadriennium, *Venusiam*: interiectoq; biennio,* M. Curio & Rufino Cornelio coss. *Sabinis* sine suffragio data ciuitas. id actum ante annos ferme CCCXX. At *Cossam* & *Pæstum* abhinc annos ferme trecentos, Fabio Dorsone, Claudio Canina coss. Interiecto quinquennio, Sempronio Sopho, & Appio Cæci filio coss. *Ariminum*, *Beneuentum*, coloni missi, & suffragij ferendi ius *Sabinis* datum. At initio primi belli Punici *Firmum* & *Castrum* colonis occupata: & post annum *Æsernia*; postque *XXII annos* *Æsulum* & *Alsium*;* *Fregellæ*que post biennium; proximoque anno Torquato Sempronioque coss. *Brundisium*; & post triennium, *Spoletium*; quo anno Floralium ludorum factum est initium. Postque biennium deducta *Valentia*; & sub aduentum in Italiam Hannibalis, *Cremona* atque *Placentia*. Deinde neque dum Hannibal in Italia moratur, neque proximis post excessum eius annis, vacauit Romanis colonias condere; quum esset in bello conquirendus potius miles quam dimittendus, & post bellum vires refouendæ magis quam spargendæ. Cn. autem Manlio Volsone, M. Fuluio Nobiliore coss. *Bononia* deducta colonia, abhinc annos ferme CCXVII: & post quadriennium *Pisaurum* ac* *Potentia*: interiectoque triennio, *Aquileia* & *Grauisca*; & post quadriennium, *Luca*. Eodem temporum tractu (quamquam apud quosdam ambigitur) *Puteolos Salernum*que &* *Buxentum* missi coloni: *Auximum* autem in Picenũ abhinc annos ferme CLXXXVII, ante triennium quam Cassius censor a Lupercali in Palatium versus theatrum facere instituit; cui* in demoliendo eximia ciuitatis seueritas & cos. Cæpio restitêre; quod ego inter clarissima publicæ voluntatis argumenta numerauerim. Cassio autem Longino & Sextio Caluino (qui*Sallyes apud Aquas quę ab eo *Sextiæ* appellantur, deuicit) coss. *Fabrateria* deducta est, abhinc annos ferme CLVII. Et post annum, *Scylacium*,* *Mineruium*, *Tarentum*, *Neptunia*; *Carthago*que in Africa prima (vt prædiximus) extra Italiam colonia condita est. de *Dertona* ambigitur. *Narbo* autem* *Martius* in Gallia M. Porcio, Q. Marcio coss. abhinc annos circiter CLIII, deducta colonia est: post* tres & viginti annos in* Baciennis *Eporedia*, Mario sexies Valerioque Flacco coss. Neque facile memoriæ mandauerim quæ, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit. Quum hæc particula operis velut formam propositi excesserit, quamquam intelligo mihi in hac tam præcipiti festinatione, quæ me rotæ proniue gurgitis ac verticis modo, nusquam patitur consistere, pæne magis necessaria prætereunda, quam superuacua amplectenda: nequeo tamen temperare mihi quin rem sæpe agitatam animo meo, neq; ad liquidum ratione perductam, signem stylo. Quis enim abunde mirari potest, quod eminentissima cuiusq; professionis ingenia in eandem formam, & in idem* artati temporis congruens spatium; & quemadmodum clausa capsa alioque sæpto diuersi generis animalia, nihilominus separata* alienis, in vnum quoque corpus congregantur; ita cuiusque clari operis capacia ingenia in similitudinem & temporum & profectuum semetipsa ab aliis separauerunt. Vna neq; multorum annorum spatio diuisa ætas, per diuini spiritus viros, Æschylum, Sophoclem, Euripidem, illustrauit tragœdias: vna priscam illam & veterem sub Cratino, Aristophane, & Eupolide comœdiam;* ac nouam comicam Menandrus, æqualesque eius ætatis magis quam operis Philemon ac Diphilus, & inuenêre intra paucissimos annos, neque imitanda reliquêre. Philosophorum quoque ingenia Socratico ore defluentia, omnium quos paulo ante enumerauimus, quanto post Platonis Aristotelisque mortem floruere spatio? Quid ante Isocratem? quid post eius auditores, eorumque discipulos, clarum in oratoribus fuit? adeo quidem artatum angustiis temporum, vt nemo memoria dignus alter ab altero videri* nequiuerint. Neque hoc in Græcis quam in Romanis euenit magis. Nam nisi aspera ac rudia repetas, & inuenti laudanda nomine, in* Accio circaque Romana tragœdia est; dulcesque Latini leporis facetiæ per Cæcilium Terentiumque & Afranium sub pari

ætate nituerunt. Hiſtoricos, vt Liuium quoque priorum ætati adſtruas, præter Catonem & quoſdam veteres & obſcuros, minus LXXX annis circumdatum æuum tulit; vt nec poetarum in antiquius citeriuſue proceſſit vbertas. At oratio ac vis forenſis, perfectumque proſæ eloquentiæ decus, vt idem ſeparetur Cato, (pace P. Craſſi, Scipionisque & Lælij, & Gracchorum, & Fannij & Ser. Galbæ dixerim) ita vniuerſa ſub principe operis ſui erupit Tullio, vt delectari ante eum pauciſſimis, mirari vero neminem poſſis, niſi aut ab illo viſum, aut qui illum viderit. Hoc idem eueniſſe grammaticis, plaſtis, pictoribus, ſcalptoribus, *quiſquis temporum inſtiterit notis, reperiet,
„ & eminentiam cuiuſque operis artiſſimis temporum clauſtris circumdatam. Huius ergo præcedentisque ſeculi, ingeniorum ſimilitudines congregantis & in ſtudium par, & in emolumentum, cauſſas quum ſemper requiro, numquam reperio quas eſſe
„ veras confidam, ſed fortaſſe veriſimiles; inter quas has maxime. Alit æmulatio inge-
„ nia: & nunc inuidia, nunc admiratio *incitationem accendit; naturaque, quod ſum-
„ mo ſtudio petitum eſt, aſcendit in ſummum; difficiliſque in perfecto mora eſt. natu-
„ raliterque quod procedere non poteſt, recedit: & vt primo ad conſequendos quos
„ priores ducimus, accendimur; ita vbi aut præteriri aut æquari eos poſſe deſperaui-
„ mus, ſtudium cum ſpe ſeneſcit; & quod aſſequi non poteſt, ſequi deſinit; & velut oc-
„ cupatam relinquens materiam, quærit nouam. præteritoque eo in quo eminere non
„ poſſumus, aliquid in quo nitamur, conquirimus: ſequiturque vt frequens ac mobi-
„ lis tranſitus maximum perfecti operis impedimentum ſit. Tranſit admiratio ad conditionem temporum & ad vrbium. Vna vrbs Attica pluribus annis *eloquētia quam vniuerſa Græcia, operibusque floruit; adeo vt corpora gentis illius ſeparata ſint in alias ciuitates, ingenia vero ſolis Athenienſium muris clauſa exiſtimes. Neque ego hoc magis miratus ſim quam neminem Argiuum, Thebanum, Lacedæmonium oratorem, aut dum vixit, auctoritate, aut poſt mortem memoria dignũ exiſtimatum. quæ vrbes [& multæ aliæ] talium ſtudiorum fuere ſteriles; ni Thebas vnum os Pindari inluminaret: nam Alcmana Lacones falſo ſibi vindicant.

C. VELLEII PATERCVLI
HISTORIAE ROMANAE AD M. VINICIVM CONSVLEM,
Liber II.



OTENTIÆ Romanorum, prior Scipio viam aperuerat; luxurię, poſterior aperuit: quippe remoto Carthaginis metu, ſublataque imperij æmula, non* gradu ſed præcipiti curſu a virtute deſcitum, ad vitia tranſcurſum: vetus diſciplina deſerta, noua inducta: in ſomnum a vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis in otium conuerſa ciuitas. Tum Scipio Naſica in Capitolio porticus, tum quas prędiximus, Metellus, tum in circo Cn. Octauius multo amœniſſimam, moliti ſunt: publicamque magnificentiam ſequuta priuata luxuria eſt. Triſte
600 deinde & cõtumelioſum bellum in Hiſpania duce latronum *Viriatho* ſequutum eſt: quod ita varia fortuna geſtũ eſt, vt ſæpius Romanorum gereretur *aduerſa. Sed interempto Viriatho fraude magis quam virtute Seruilij Cæpionis, Numantinũ grauius exarſit. Hæc vrbs numquã *x milibus plura propriæ iuuẽtutis armauit; ſed vel ferocia ingenij, vel inſcitia noſtrorum ducum, vel fortunę indulgentia, cum alios duces, tum Põpeium magni nominis virũ ad turpiſſima deduxit fœdera, (hic primus e Pompeiis cos. fuit.) Nec minus turpia ac deteſtabilia Mancinũ Hoſtiliũ cos. Sed Pompeiũ gratia impunitũ habuit, Mancinum verecundia: quippe non recuſando perduxit huc vt per fetialeis nudus ac poſt tergũ religatis manibus dederetur hoſtibus; quem illi reci-
„ pere ſe negauerunt, ſicut quondã Caudini fecerunt, dicentes publicam violationem
„ fidei non debere vnius lui ſanguine. Immanem deditio Mancini ciuitatis mouit diſ-

ſenſio-

ſenſionem: quippe *Tib. Gracchus*, Tib. Gracchi clariſſimi atq; eminẽtiſſimi viri filius,
P. Africani ex filia nepos, quo quæſtore & auctore id fœdus ictũ erat, nunc grauiter
ferens aliquid a ſe factũ infirmari, nũc ſimilis vel iudicij vel pœnæ metuẽs diſcrimen,
Tr. pl. creatus, vir alioqui vita innocẽtiſſimus, ingenio florentiſſimus, propoſito ſan-
ctiſſimus, tantis deniq; adornatus virtutibus, quantas perfecta & natura & induſtria
mortalis* conditionis recipit, P. Mucio Scæuola, L. Calpurnio coss. abhinc annos 620
CLXII, deſciuit a bonis; pollicituſq; toti Italiæ ciuitatẽ: ſimul etiã promulgatis agrariis
legibus, omnibus ſtatũ concupiſcentibus, ſumma imis miſcuit, & in præruptum atq;
anceps periculũ adduxit remp. Octauioq; collegæ pro bono publico ſtanti, imperiũ
abrogauit: triumuiros agris diuidendis coloniiſq; deducendis, creauit ſe, ſocerumq;
ſuũ cõſularem Appium, & Gracchũ fratrem admodũ iuuenem. Tum P. Scipio Na-
ſica, eius qui optimus vir a ſenatu iudicatus erat, nepos, eius qui cẽſor porticus in Ca-
pitolio fecerat, filius, pronepos aũt Cn. Scipionis celeberrimi viri, P. Africani* patrui,
priuatuſq; & togatus, quum eſſet conſobrinus Tib. Gracchi, patriam cognationi præ-
ferens, & quidquid publice ſalutare non eſſet, priuatim alienum exiſtimans, *ob eas
virtutes primus omniũ abſens põtifex maximus factus eſt, quum * data læuo brachio
togæ lacinia, ex ſuperiori parte Capitolij, ſummis gradibus inſiſtens, hortatus eſt, qui
ſaluam vellent remp. ſe ſequerentur. Tum * optimates ſenatus, atque equeſtris ordi-
nis pars melior & maior, & intacta pernicioſis conſiliis plebs, inruêre in Gracchum
ſtantem in area cum cateruis ſuis, & concientem pene totius Italiæ frequentiã. Is fu-
giens decurrenſq; cliuo Capitolino, fragmine ſubſellij ictus, vitam, quam glorioſiſſi-
me degere potuerat, immatura morte finiuit. Hoc initium in vrbe Roma ciuilis ſan-
guinis, gladiorumq; impunitatis fuit. Inde ius vi obrutum, potentiorq; habitus prior:
diſcordiæque ciuium, anteá conditionibus ſanari ſolitæ, ferro dijudicatæ: bellaq; non
cauſſis inita, ſed prout eorum merces fuit. Quod haud mirum eſt. Non enim ibi con-
ſiſtunt exempla vnde cœperunt; ſed, quamlibet in tenuem recepta tramitem, latiſſi-
me euagandi ſibi viam faciunt: & vbi ſemel recto deerratum eſt, in præceps perue-
nitur. nec quiſquam ſibi putat turpe quod alij fuit fructuoſum. Interim dum hæc in
Italia gerũtur, *Ariſtonicus* (mortuo rege Attalo, a quo Aſia P. R. hereditati relicta erat, 622
ſicut relicta poſtea eſt a Nicomede Bithynia) mentitus regiæ ſtirpis originem, armis
eam occupat. Is victus a *M. Perpenna, ductuſq; in triumpho: ſed *M. Aquilio, capite
pœnas dedit, quum initio belli Craſſum Mucianum, virum iuris ſcientiſſimum, dece-
dentem ex Aſia proconſulem, interemiſſet. Et P. Scipio Africanus Æmilianus, qui 619
Carthaginem deleuerat, poſt tot acceptas circa Numantiam clades, creatus iterum
coss. miſſuſque in Hiſpaniam, fortunæ virtutique expertæ in Africa, reſpondit in Hi-
ſpania: & intra annum ac treis menſes quam eo venerat, circumdatam operibus Nu-
mantiam, exciſamque æquauit ſolo. nec quiſquam vllius gentis hominum ante eum
clariori vrbium excidio nomen ſuum perpetuæ cõmendauit memoriæ. quippe ex-
ciſa Carthagine ac Numantia, ab alterius nos metu, alterius vindicauit contumeliis.
Hic, eum interrogante tribuno Carbone, quid de Tib. Gracchi cæde ſentiret, reſpon-
dit, Si is occupandæ reip. animum habuiſſet, iure cæſum. Et quum omnis concio *ac-
clamaſſet, *Hoſtium*, inquit, *armatorum totiens clamore non territus, qui poſſum veſtro mo-
ueri, quorum nouerca eſt Italia?* Reuerſus in vrbem, intra breue tempus *M. Aquilio, C.
Sempronio coss. abhinc annos * CL, poſt duos conſulatus duoſq; triumphos, & bis
exciſos terrores reipublicæ, mane in lectulo repertus eſt mortuus; ita vt quædam eli-
ſarum faucium in ceruice reperirẽtur notæ. De tanti viri morte nulla habita eſt quæ-
ſtio; eiuſq; corpus velato capite elatum eſt, cuius opera ſuper totum terrarum orbem
Roma extulerat caput: ſeu fatalem, vt plures; ſeu conflatam inſidiis, vt aliqui prodi-
dere memoriæ, mortem obiit. vitam certe digniſſimam egit, quæ nullius ad id tem-
poris præterquam auito fulgore vinceretur. Deceſſit anno ferme LVI. de quo ſiquis
ambiget, recurrat ad priorem conſulatum eius, in quem creatus eſt, anno XXXVI. ita
dubitare deſinet. Ante tempus exciſæ Numantiæ, præclara in Hiſpania militia* A. 615
Bruti fuit; qui penetratis omnibus Hiſpaniæ gentibus, ingenti vi hominum vrbium-
que potitus numero, aditis quæ vix audita erant, Gallæci cognomen meruit. Et ante 611
eum paucis annis tam ſeuerum illius Q. Macedonici in his gentibus imperiũ fuit, vt,

quum vrbem Contrebiam nomine in Hispania oppugnaret, pulsas præcipiti loco
quinque cohorteis legionarias eodem protinus subire iuberet; facientibusq; omni-
bus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, non deterritus
» proposito, perseuerantia ducis, quem moriturum miserat, militem victorem recepit.
» Tantum effecit mixtus timori pudor, spesque desperatione quæsita. Hic virtute ac
seueritate facti; at Fabius Æmilianus, Pauli exemplo disciplinæ in Hispania fuit cla-
632 rissimus. Decem deinde interpositis annis, qui Tib. Gracchum, idem C. fratrem
eius occupauit furor, tam virtutibus eius omnibus quam huic errori similem, ingenio
etiam eloquentiaque longe præstantiorem. Qui quum summa quiete animi ciuitatis
princeps esse posset, vel vindicandæ fraternæ mortis gratia, vel præmuniendæ regalis
potentiæ, eiusdem exempli tribunatum ingressus, longe maiora & acriora repetens,
dabat ciuitatem omnibus Italicis; extendebat eam pene vsq; Alpeis: diuidebat agros;
vetabat quemquam ciuem plus quingentis iugeribus habere; (quod aliquando lege
Licinia cautum erat) noua constituebat portoria, nouis coloniis replebat prouincias;
iudicia a senatu transferebat ad equites; frumentum plebi * dari instituerat: nihil im-
motum, nihil tranquillum, nihil quietum denique in eodem statu relinquebat: quin
alterum etiam cõtinuauit tribunatum. Hunc L. Opimius COSS. qui Pr. Fregellas ex-
ciderat, persequutus armis, vnaque Fuluium Flaccum consularem ac triumphalem
virum, æque praua cupientem, quem C. Gracchus in locum Tiberij fratris IIIuirum
nominauerat, eumq; socium regalis adsumpserat potentiæ, morte adficit. Id vnũ ne-
farie ab Opimio proditum, quod capitis non dicam Gracchi, sed ciuis Ro. pretium se
daturum, idq; auro repensurum proposuit. Flaccus in Auentino armatos ad pugnam
ciens, cum filio maiore iugulatus est: Gracchus profugiens, quum iam cõprehende-
retur ab iis quos Opimius miserat, ceruicem * Euporo seruo præbuit; qui non segnius
se ipse interemit quam domino succurrerat. Quo die singularis Põponij equitis Ro.
in Gracchum fides fuit; qui more Coclitis sustentatis in ponte hostibus, eius gladio se
transfixit. Vt Tib. Gracchi antea corpus, ita Caij, mira crudelitate victorum, in Tibe-
rim deiectum est. Hunc Tib. Gracchi liberi, P. Scipionis Africani nepotes, viua ad-
» huc matre Cornelia Africani filia, viri optimis ingeniis male vsi, vitæ mortisq; habue-
» re exitum: qui si ciuilem dignitatis concupissent modũ, quidquid tumultuando adi-
» pisci gestierunt, quietis obtulisset respubl. Huic atrocitati adiectum scelus vnicum:
quippe iuuenis specie excellens, necdum duodeuicesimum transgressus annum, im-
munisque delictorum paternorum, Fuluij Flacci filius, quem pater legatum de con-
ditionibus miserat, ab Opimio interemptus est. quem quũ * haruspex Tuscus amicus
flentem in vincula duci vidisset, *Quin tu hoc potius*, inquit, *facis?* protinusque inliso ca-
pite in * postem lapideum ianuæ carceris, effusoque cerebro, expirauit. Crudelesque
mox quæstiones in amicos clientesque Gracchorum habitæ sunt. Sed Opimium, vi-
rum alioqui sanctum & grauem, damnatum postea iudicio publico, memoria ipsius
sæuitiæ, nulla ciuilis persequuta est misericordia. Eadem * Rutilium Popiliumq;, qui
coss. asperrime in Tiberij Gracchi amicos sæuierant, postea iudiciorum publicorũ
merito oppressit inuidia. Rei tantæ parum ad noticiam pertinens interponetur. Hic
est Opimius, a quo COS. celeberrimum *Opimiani* * *vini* nomen; quod iam nullum esse
» spatio annorum colligi potest; quum ab eo sint ad te M. Vinici COS. anni * CLI. Factũ
» Opimij, quod inimicitiarum quæsita erat vltio, minor sequuta auctoritas: & visa vltio
» priuato odio magis quam publicæ vindictæ data. Subinde Porcio Marcioq; coss.
635 deducta colonia, Narbo Martius. Mandetur deinde memoriæ seueritas iudiciorũ:
» quippe * M. Cato consularis, M. Catonis nepos, Africani sororis filius, repetundarum
» ex Macedonia damnatus est; quum lis eius IIIIM. æstimaretur. adeo illi viri magis vo-
» luntatem peccandi intuebantur quam modum; factaq; ad consilium dirigebant, &
» quid non in quantum admissum foret, æstimabant. Circa eadem tempora * Metelli
574 fratres vno die triumphauerunt. Non minus clarum exemplum & adhuc vnicum
Fuluij Flacci, eius qui Capuam ceperat, filiorum, sed alterius in adoptionem dati, in
collegio coss. fuit. adoptiuus, in * Acidiani Manlij familiam datus. nam censura Me-
tellorum, patruelium, non germanorum fratrum fuit; * quod solis contigerat Scipio-
640 nibus. Tum Cimbri & Teutoni transcendêre Rhenum, multis mox nostris suisq;
cladi-

cladibus nobiles. Per eadẽ tempora clarus eius Minucij, qui porticus, quæ hodieque 643
celebres sunt, molitus est, e Scordiscis triumphus fuit. Eodem tractu temporum ni-
tuerunt oratores Scipio Æmilianus, Læliusque, Ser. Galba, duo Gracchi, C. Fannius,
Carbo Papirius. Nec prætereundus Metellus Numidicus, & Scaurus; & ante omnes
L. Crassus, & M. Antonius: quorum ætati ingeniisque successere C. Cæsar Strabo, P.
Sulpicius. *namque Mucius iuris scientia quam propriæ eloquentiæ nomine cele-
brior fuit. Clara etiam per idem æui spatium fuere ingenia, in togatis Afranij; in tra-
gœdiis, Pacuuij atque* Accij, vsque in Græcorum ingeniorum comparationem e-
uecti, magnumque inter hos ipsos facientis operi suo locum; adeo quidem, vt in illis
limæ, in hoc pene plus videatur fuisse sanguinis. Celebre & Lucilij nomen fuit, qui
sub Publio Africano Numantino bello eques militauerat: quo quidem tempore iu-
uenis adhuc Iugurtha ac Marius, sub eodem Africano militantes, in iisdem castris di-
dicere quæ postea in contrariis facerẽt. Historiarum auctor iam tum Sisenna erat iu-
uenis; sed opus belli ciuilis Sullani post aliquot annos ab eo seniore editum est. Ve-
tustior Sisenna fuit Cœlius; æqualis Sisennæ Rutilius, Claudiusque Quadrigarius, &
Valerius Antiâs. Sane nõ ignoremus, eadem ætate fuisse Pomponium sensibus cele-
brem, verbis rudem, & nouitate inuenti a se operis commendabilem. *Prosequa-
mur notam seueritatem censorum Cassij Longini Cæpionisque; qui abhinc annos 628
*CLVII, Lepidum *Æmilium augurem, quod sex millibus ædes conduxisset, adesse
iusserunt. At nunc siquis tanti habitet, vix vt senator agnoscitur. adeo mature a rectis "
in vitia, a vitiis in praua, a prauis in præcipitia peruenitur. Eodem tractu temporũ & "
Domitij ex Aruernis, & Fabij ex Allobrogibus victoria fuit nobilis. Fabio Pauli nepo- "
ti, ex victoria cognomen *Allobrogico* inditum. Notetur Domitiæ familiæ peculiaris
quædam, & vt clarissima, ita artata numero felicitas;* vti ante hunc nobilissimæ sim-
plicitatis iuuenem Cn. Domitium, fuere singulis omnino parentibus geniti; sed o-
mnes ad cõsulatum sacerdotiaque, ad triumphi autem pene omnes peruenerunt in-
signia. Bellum deinde *Iugurthinum* gestum est per Q. Metellum, nulli secundum 642
seculi sui. Huius legatus fuit C. Marius, (quem prædiximus) natus equestri loco, hir-
tus atq; horridus, vitaq; sanctus; quantum bello optimus, tantum pace pessimus; im-
modicus gloriæ, insatiabilis, impotens, semperq; inquietus. Hic per publicanos aliosq;
in Africa negotiãteis, criminatus Metelli lentitudinem, trahentis iam in tertium an-
num bellũ, & naturalem nobilitatis superbiam, morandiq; in imperiis cupiditatem,
effecit vt quum commeatu petito Romam venisset, cos. crearetur, belliq; pene patra
ti a Metello, qui bis Iugurtham acie fuderat, summa cõmitteretur sibi. Metelli tamen
& triumphus fuit clarissimus, & meritum *virtutique cognomen *Numidici* inditum.
Vt paulo ante Domitiæ familiæ, ita Cæciliæ notanda claritudo est: quippe intra XII
ferme annos huius temporis, cos. fuere Metelli aut censores, aut triumpharunt am-
plius XII. vt appareat, quemadmodum vrbium imperiorumq;, ita gentium nunc flo- "
rere fortunam, nunc senescere, nunc interire. At C. Marius L. Syllam iam tunc, vt "
præcauentibus fatis, copulatum sibi quæstorem habuit; & per eum, missum ad re-
gem Bocchum, Iugurtha rege, abhinc annos ferme* CXXXVIII, potitus est: designa-
tusque iterum cos. in vrbem reuersus, secundi consulatus initio Cal. Ian. eum in tri-
umpho duxit. Effusa (vt prædiximus) immanis vis Germanarum gentium, quibus
nomen Cimbris ac Teutonis erat, quum Cæpionem Manliumq; coss. & ante Car-
bonem * Silanumque fudissent fugassentque in Galliis, & exuissent exercitu, *Scau-
rumque Aurelium COS. & alios celeberrimi nominis viros trucidassent, P.R. non a-
lium repellendis tantis hostibus magis idoneum imperatorem quam Marium est ra-
tus. Tum multiplicati consulatus eius. Tertius in apparatu belli consumptus: quo an-
no Cn. Domitius tr. pl. legem tulit, vt sacerdotes, quos antea collegæ sufficiebant,
populus crearet. Quarto trans Alpeis circa Aquas Sextias cum Teutonis cõflixit, am-
plius * CL hostium priore ac postero die ab eo trucidatis: gensque excisa Teuto-
num quinto citra Alpeis, in campis quibus nomen erat* Raudis. Ipse cos. & PRO-
COS. Q. Lutatius Catulus, fortunatissimo decertauere prœlio; cæsa aut capta am-
plius CM hominum. Hac victoria videtur meruisse Marius ne eius nati remp. pœni-
teret, ac bona malis repensasse. Sextus consulatus, veluti præmium ei meritorũ datus,

Non tamen huius consulatus fraudetur gloria, quo Seruilij Glauciæ Saturninique
Apuleij furorem continuatis honoribus remp. lacerantium, & gladiis quoque & cæ-
de comitia discutientium, cos. armis compescuit, hominesq; exitiabileis in Hostilia
662 curia morte multauit. Deinde interiectis paucis annis, tribunatum iniit M. Liuius
Drusus, vir nobilissimus, eloquentissimus, sanctissimus, meliore in omnia ingenio a-
nimoque quam fortuna vsus: qui quum senatui priscum restituere cuperet decus, &
iudicia ab equitibus ad eum transferre ordinem, (quippe eam potestatem nacti equi-
tes Gracchanis legibus, quum in multos clarissimos atque innocentissimos viros sæ-
uissent, tum P. Rutilium, virum non seculi sui, sed omnis æui optimum, interrogatum
lege repetundarum, maximo cum gemitu ciuitatis damnauerant) in iis ipsis quæ pro
,, senatu moliebatur, senatum habuit aduersarium, non intelligentem si qua de plebis
,, commodis ab eo agerentur, veluti inescandæ illiciendæq; multitudinis caussa fieri, vt
,, minoribus perceptis, maiora permitteret. Deniq; ea fortuna Drusi fuit, vt malefacta
,, collegarum, quam eius optime ab ipso cogitata, senatus probaret magis; & honorem
,, qui ab eo deferebatur, sperneret; iniurias, quæ ab aliis intendebantur, æquo animo
,, reciperet: & huius summæ gloriæ inuideret, illorum modicam ferret. Tum conuer-
sus Drusi animus, quando bene cœpta male cedebant, ad dandam ciuitatem Italiæ.
quod quum moliens reuertisset e foro, immensa illa & incognita (quæ eum semper
comitabatur) cinctus multitudine, in atrio domus suæ cultello percussus, qui adfixus
lateri eius relictus est, intra paucas horas decessit. Sed quum vltimum redderet spiri-
tum, intuens circumstantium mœrentiumque frequentiam, effudit vocem conue-
nientissimam conscientiæ suæ; *Ecquando* (inquit) *propinqui amicique, similem mei ciuem
habebit resp?* Hunc finem clarissimus iuuenis vitæ habuit: cuius morum minime o-
mittatur argumentum. Quum ædificaret domum in palatio in eo loco vbi est quæ
quondam Ciceronis, mox Censorini fuit, nunc Statilij Sisennæ est; promitteretque
ei architectus, ita se eam ædificaturum vt libera a cõspectu immunis ab omnibus * ar-
bitris esset, neque quisquam in eam despicere posset. *Tu vero*, inquit, *siquid in te a[...]
est, ita compone domum meam, vt quidquid agam, ab omnibus perspici possit.* In legibus
Gracchi inter perniciosissima numerauerim, quod extra Italiam colonias posuit. Id
maiores (quum viderent tanto potentiorem Tyro Carthaginem, Massiliam Pho-
cæa, Syracusas Corintho, Cyzicum ac Byzantium Mileto genitali solo) diligenter vi-
tauerant vt * C. R. ad censendum ex prouinciis in Italiam reuocauerint. Prima autem
extra Italiam colonia Carthago condita est. Mors Drusi, iam pridem tumescens
663 bellum excitauit Italicum: quippe L. Cæsare, P. Rutilio coss. abhinc annos * CXX,
* quum id malum in vniuersa Italia ab Asculanis ortum esset, (quippe * Seruium præ-
torem Fonteiumqe legatum occiderant) ac deinde a Marsis exceptum, in omneis pe-
netrasset regiones, arma aduersus Romanos cepit: quorum vt fortuna atrox, ita caus-
,, sa fuit iustissima. Petebant enim eam ciuitatem cuius imperium armis tuebantur per
,, omneis annos, atque omnia bella * duplici numero se militum equitumque fungi,
,, neque in eius ciuitatis ius recipi, quæ per eos in idipsum peruenisset fastigium, per
,, quod homines eiusdem & gentis & sanguinis, vt externos alienosque fastidire pos-
set. Id bellum amplius CCCM iuuentutis Italicæ abstulit. Clarissimi autem imperato-
res fuerunt Romani eo bello, Cn. Pompeius, Cn. Pompeij Magni pater; C. Marius,
de quo prædiximus; L. Sulla, anno ante prætura functus; Q. Metellus Numidici fi-
lius, qui meritum cognomen *Pij* consequutus erat. quippe expulsum ciuitate [a] L.
Saturnino tr. pl. quod solus in eius leges iurare noluerat, pietate sua, auctoritate sena-
tus, consensu * reip. restituit patrem. nec triumphis honoribusque, quam aut caussa
exsilij, aut exsilio, aut reditu, clarior fuit Numidicus. Italicorum autem fuerunt
celeberrimi duces, Silo Popedius, * Herius Asinius, * Insteius Cato, C. Pontidius, Te-
lesinus Pontius, Marius Egnatius, Papius Mutilius. neque ego verecundia, domesti-
ci sanguinis gloriæ quidquam, dum verum refero, subtraham. Quippe multum Mi-
natij Magij ataui mei Asculanensis tribuendum est memoriæ; qui nepos Decij Ma-
gij Campanorum principis, celeberrimi & fidelissimi viri, tantam hoc bello Roma-
nis fidem præstitit, vt cum legione, quam ipse in Hirpinis conscripserat, Hercula-
neum simul cum T. Didio caperet, Pompeios cum L. Sulla oppugnaret, Cosamque
occu-

occuparet: cuius de virtutibus cum alij, tum maxime dilucideque Q. Hortensius in Annalibus suis retulit: cuius pietati plenam P.R. gratiam retulit, ipsum viritim ciuitate donando, duos filios eius creando prætores, quum seni adhuc crearentur. Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, vt per biennium continuum duo Romani coss. Rutilius ac deinde Cato Porcius, ab hostibus occiderentur, exercitus P.R. multis in locis funderentur; vtque ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur. Caput imperij sui Corfinium legerant, quod appellarent Italicum. Paulatim deinde recipiendo in ciuitatem, qui arma aut non ceperant, aut deposuerant maturius, vires refectæ sunt, Pompeio Sullaque & Mario fluentem procumbentemque remp. restituentibus. Finito ex maxima parte (nisi quæ Nolani belli manebant reliquiæ) Italico bello, (quo quidem Romani victis adflictisque, ipsi exarmati, quam integris vniuersis ciuitatem dare maluerunt) consulatum inierunt Q. Pompeius, & L. Cornelius 665 Sulla, vir qui neq; *ad finem victoriæ satis laudari, neque post victoriam abunde vituperari potest. Hic natus familia nobili, sextus a Cornelio Rufino, qui bello Pyrrhi inter celeberrimos fuerat duces, quum familiæ eius claritudo intermissa esset, diu ita se gessit, vt nullam petendi consulatum cogitationem habere videretur. deinde post præturam inlustratus bello Italico, & ante in Gallia legatione sub Mario, qua eminentissimos duces hostium fuderat; ex successu animum sumpsit; petensque consulatum, pene omnium ciuium suffragiis factus est: sed eum honorem vndequinquagesimo ætatis suæ anno adsequutus est. Per ea tempora *Mithridates* Ponticus rex, vir neque silendus, neque dicendus sine cura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in Romanos Hannibal, occupata Asia, necatisque in ea omnibus ciuibus Ro. quos quidem eadem die atq; hora, redditis ciuitatibus litteris ingenti cum pollicitatione præmiorum, interimi iusserat, (quo tempore neque fortitudine aduersus Mithridatem, neque fide in Romanos quisquam Rhodiis par fuit. horum fidem Mytilenæorum perfidia inluminauit; qui *M. Aquilium aliosque Mithridati vinctos tradiderunt; quibus libertas in vnius Theophanis gratiam postea a Pompeio restituta est) quum terribilis Italiæ quoque videretur imminere, sorte obuenit Sullæ Asia prouincia. Is egressus vrbe, quum circa Nolam moraretur, (quippe ea vrbs pertinacissime arma retinebat, exercituque Ro. obsidebatur; velut pœniteret eius fidei quam omnium sanctissimam bello præstiterat Punico) P. Sulpicius tr. pl. disertus, acer, opibus, gratia, amicitiis, vigore ingenij atque animi celeberrimus, quum antea rectissima voluntate apud populum maximam quæsisset dignitatem, quasi pigeret eum virtutum suarum, & bene consulta ei male cederent, subito prauus & præceps, C. Mario post LXX annum omnia imperia & omnes prouincias concupiscenti addixit, legemque ad populum tulit qua Syllæ imperium abrogaretur, C. Mario bellum decerneretur Mithridaticum; aliasq; leges perniciosas & exitiabiles neq; tolerandas liberæ ciuitati, tulit. quinetiam Q. Pompeij cos. filium, eundemq; Syllæ generum, per emissarios factionis suæ interfecit. Tum Sylla contracto exercitu ad vrbem rediit, eamq; armis occupauit, XII auctores nouarum pessimarumque rerum, (inter quos Marium cum filio & P. Sulpicio) vrbe exturbauit, ac lege lata exsules fecit: Sulpicium etiam adsequuti equites, in Laurentinis paludibus iugulauere; caputq; eius erectum & ostentatum pro rostris, velut omen imminentis proscriptionis fuit. Marius, post sextum consulatum, annoque LXX, nudus ac limo obrutus, oculis tantummodo ac naribus eminentibus, extractus arundineto, circa paludem *Maricæ, in quam se, fugiens consectantes Syllæ equites, abdiderat, iniecto in collum loro, in carcerem Minturnensium, iussu IIuiri perductus est. ad quem interficiendum missus cum gladio seruus publicus, natione Germanus, qui forte ab imperatore eo bello Cimbrico captus erat, vt agnouit Marium* magno cum eiulatu se prodentem, indignatione casus tanti viri, abiecto gladio, profugit e carcere. Tum ciues, ab hoste misereri paulo ante principis viri docti, instructũ eum viatico cõlataq; veste, in nauẽ imposuerunt. at ille adsequutus circa Ænariã filium, cursum in Africã direxit, inopemq; vitam in tugurio ruinarũ Carthaginiensiũ tolerauit: quum Marius adspiciens Carthaginẽ, illa intuens Mariũ, alter alteri possent esse solatio. Hoc primũ anno sanguine consulis Romani militis imbutæ manus sunt: quippe Põpeius collega

Syllæ, ab exercitu Cn. Pompeij proconſulis ſeditione (ſed quam dux * excitauerat) in-
666 terfectus eſt. Non erat Mario Sulpicioque Cinna temperatior. Itaque quum ita ciuitas Italiæ data eſſet, vt in octo tribus contribuerentur noui ciues, ne potentia eorum & multitudo veterum ciuium dignitatem frangerēt, pluſque poſſent recepti in beneficium quam auctores beneficij, Cinna in omnibus tribubus eos ſe diſtributurum pollicitus eſt: quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in vrbem acciuerat: e qua pulſus collegæ optimatiumque viribus, quum in Campaniam tenderet, ex auctoritate ſenatus cõſulatus ei abrogatus eſt, ſuffectusq; in eius locum L. Cornelius Merula, flamen Dialis. Hęc iniuria homine quam exemplo dignior fuit. Tũ Cinna, corruptis primo cẽturionibus ac tribunis, mox etiam ſpe largitionis, militibus, ab eo exercitu qui circa Nolam erat, receptus eſt. Is quum vniuerſus in verba eius iuraſſet, retinens inſignia conſulatus, patriæ bellum intulit; fretus ingenti numero nouorũ ciuium, e quorum delectu CCC amplius cohortes conſcripſerat, ac triginta legionum inſtar impleuerat. Opus erat partibus auctoritate: gratia cuius augendæ, C. Marium cum filio de exſilio reuocauit, quiq; cum iis pulſi fuerant. Dum bellum autem infert patriæ Cinna, Cn. Pompeius Magni pater, (cuius præclara opera bello Marſico præcipue circa Picenum agrum, vt præſcripſimus, vſa erat reſpublica, quiq; Aſculũ ceperat: circa quam vrbem cum in multis aliis regionibus exercitus diſperſi forent, quinque & * LXX ciuium Romanorum, amplius LX Italicorum vna die conflixerant) fruſtratus ſpe continuandi conſulatus, ita ſe dubium mediumq; partibus præſtitit, vt omnia ex proprio vſu ageret, temporibusq; inſidiari videretur, & huc atq; illuc, vnde ſpes maior * adfuiſſet potentiæ, ſe exercitumq; deflecteret: ſed ad vltimum magno atrociq; prœlio cum Cinna conflixit. cuius cõmiſſi patratiq; ſub ipſis mœnibus, ſociiſque vrbis Romanæ pugnantibus ſpectantibusq;, quam fuerit euentus exitiabilis, vix verbis exprimi poteſt. Poſt hoc, quum vtrumq; exercitũ, velut parum bello exhauſtum, laceraret peſtilentia, Cn. Pompeius deceſſit. cuius interitus voluptas, amiſſorũ aut gladio aut morbo ciuium pene damno repenſata eſt: populusque Rom. quam uo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit. Seu duæ, ſeu tres Pompeiorum fuere familiæ, primus eius nominis, ante annos fere * CLXVIII, Q. Pompeius, cũ Cn. Seruilio cos. fuit. Cinna & Marius, haud incruentis vtrimque certaminibus editis, vrbem occupauerunt: ſed prior ingreſſus Cinna, de recipiendo Mario legem tulit: mox C. Marius peſtifero ciuibus ſuis reditu intrauit mœnia. Nihil illa victoria fuiſſet crudelius, niſi mox Sullana eſſet ſequuta. neque licentia * in mediocreis ſæuitum; ſed * excelſiſſimi quique eminentiſſimæ ciuitatis viri variis ſuppliciorum generibus adfecti. In iis cos. Octauius, vir leniſſimi animi, iuſſu Cinnæ interfectus eſt. Merula autem, qui ſe ſub aduentum * Cinnæ conſulatu abdicauerat, inciſis venis, ſuperfuſoque altaribus ſanguine, quos ſæpe pro ſalute reip. flamen dialis precatus erat deos, eos in exſecrationem Cinnæ, partiumque eius tum precatus, optime de republ. meritum ſpiritum reddidit. M. Antonius, princeps ciuitatis atque eloquentiæ, gladiis militum, quos ipſos facundia ſua moratus erat, iuſſu Marij Cinnæque confoſſus eſt. Q. Catulus, & aliarum virtutum & belli Cimbrici gloria, quæ illi cum Mario communis fuerat, celeberrimus, quum ad mortem conquireretur, concluſit ſe loco nuper calce harenaque perpolito: inlatoque igni, qui vim odoris excitaret, ſimul exitiali hauſto ſpiritu, ſimul incluſo ſuo, mortem magis voto quam arbitrio inimicorum obiit. Omnia erant præcipitia in republ. nec tamen adhuc quiſquam inueniebatur qui bona ciuis Romani aut donare auderet, aut petere ſuſtineret. Poſtea id quoque acceſſit, vt ſæuitiæ cauſſam auaritia præberet, & modus culpæ ex pecuniæ modo conſtitueretur; & qui fuiſſet locuples, fieret nocens, ſui quiſque periculi merces foret, nec quidquam videretur turpe quod eſſet quæſtuoſum. Secundum deinde conſulatum Cinna, & ſeptimum Marius, in priorum dedecus iniit: cuius initio, morbo oppreſſus deceſſit, vir in bello hoſtibus, in otio ciuibus infeſtiſſimus, quietiſque impatientiſſimus. In huius locum ſuffectus Valerius Flaccus, turpiſſimæ legis auctor, qua creditoribus * quadrantem ſolui iuſſerat: cuius facti merita eum pœna intra biennium conſequuta eſt. Dominante in Italia Cinna, maior pars nobilitatis ad Syllam in Achaiam, ac deinde poſt in Aſiam perfugit. Sylla interim cum Mithridatis præfectis circa Athenas

thenas Bœotiamque & Macedoniam ita dimicauit, vt & Athenas reciperet, & plurimo circa multipliceis Piræi portus munitiones labore expleto, amplius CCM hostium interficeret, nec minus multa caperet. Siquis hoc rebellandi tempus, quo Athenæ oppugnatæ a Sylla sunt, imputat Atheniensibus, nimirum veri vetustatisque ignarus est. Adeo enim certa Atheniensium in Romanos fides fuit, vt semper & in omni re, quidquid sincera fide gereretur, id Romani Attica fieri prædicarent. Cæterum tum oppressi Mithridatis armis homines miserrimæ conditionis, quum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis: & animos extra mœnia; corpora necessitati seruientes, intra muros habebant. Transgressus deinde in Asiam Sylla, parentem ante omnia supplicemque Mithridatem inuenit: quem mulctatum pecunia ac parte nauium, Asia, omnibusque aliis prouinciis, quas armis occupauerat, decedere coegit, captiuos recepit, in perfugas noxiosque animaduertit: paternis, id est Ponticis, finibus contentum esse iussit. C. Flauius Fimbria, qui præfectus equitum ante aduen- 668
tum Syllæ, Valerium Flaccum consularem virum interfecerat, exercituque occupato Imperator appellatus [forte] Mithridatem pepulerat prœlio, sub aduentu Syllæ se ipse interemit; adulescens, quæ pessime ausus erat, fortiter exsequutus. Eodem anno * P. Lænas tr. pl. Sex. Lucilium, qui priore anno tr. pl. fuerat, saxo Tarpeio deiecit: & quum collegæ eius, quibus diem dixerat, metu ad Syllam profugissent, aqua ignique iis interdixit. Tum Sylla, compositis transmarinis rebus, quum ad eum primum omnium Romanorum legati Parthorum venissent, & in iis quidam magi ex notis corporis respondissent, cælestem eius vitam & memoriam futuram, reuectus in Italiam, haud plura quam XXX armatorum milia aduersum * CC amplius hostium exposuit Brūdisij. Vix quidquam in Syllæ operibus clarius duxerim quam quod, quum per triennium Cinnanæ Marianæque partes Italiam obsiderent, neque illaturum se bellum iis dissimulauit, nec quod erat in manibus omisit, existimauitque ante frangendū hostem quam vlciscendum ciuem: repulsoque externo metu, vbi quod alienum esset, vicisset, * superauit quod erat domesticum. Ante aduentū L. Syllæ, Cinna, seditione orta, ab exercitu interemptus est; vir dignior qui arbitrio victorum moreretur quam iracundia militū. de quo vere dici potest, ausum eum quæ nemo auderet bonus, perfecisse quæ a nullo nisi fortissimo perfici possent: & fuisse eum in consultando temerarium; in exsequendo, virum. Carbo, nullo suffecto collega, solus toto anno cos. fuit. Putares Syllā venisse in Italiam non belli vindicē, sed pacis auctorem. tanta cum quiete exercitum per Calabriam Apuliamq;, cum singulari cura frugum, agrorum, hominum, vrbium, perduxit in Campaniam; tentauitque iustis legibus & æquis conditionibus bellum componere: sed iis quibus & pessima & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere. Crescebat interim indies Syllæ exercitus, confluentibus ad eum optimo quoque & sanissimo. Felici deinde circa Capuam euentu * Scipionem Norbanumq; COSS. superat. quorum Norbanus acie victus, Scipio ab exercitu suo desertus ac proditus, inuiolatus a Sylla dimissus est. Adeo enim Sylla dissimilis fuit bellator ac victor, vt dum vincit, iustissimo lenior, post victoriam * audito fuerit crudelior. nam & cos. (vt prædiximus) exarmatū Q. Sertorium, * (proh quanti mox belli facem!) & multos alios, potitus eorum, dimisit incolumes: credo, vt in eodem homine duplicis ac diuersissimi animi consiceretur exemplum. Post victoriam, qua descendens montem Tifata cum C. Norbano concurrerat Sylla, * grates Dianæ, cuius numini regio illa sacrata est, soluit: aquas salubritate medendisque corporibus nobiles, agrosq; omneis addixit deæ. huius gratæ religionis memoria, & inscriptio, tēpli adfixa posti * hodieq;, & tabula testatur ærea intra ædem. Deinde cos. 671
Carbo III, & C. Marius, septies cōsulis filius, annos natus XXVI, vir animi magis quam æui paterni: [qui] multa fortiterq; molitus, neq; vsquā inferior nomine cōsulis, apud Sacriportum pulsus a Sylla acie, Præneste, quod ante natura munitū præsidiis firmauerat, se exercitumq; contulit: [&] ne quid vmquam malis publicis deesset, in qua ciuitate semper virtutibus certatum erat, certabatur sceleribus, optimusq; sibi videbatur qui fuerat pessimus. quippe dum ad Sacriportum dimicatur, Damasippus prætor * Domitium, Scæuolam etiam pontificem maximum, & diuini humanique iuris auctorem celeberrimum, & C. Carbonem prætorium consulis fratrem, & Antistium

ædilitium, velut faventeis Syllæ partibus, in curia Hostilia trucidauit. Non perdat nobilissimi facti gloriam Calpurnia Bestiæ filia, vxor Antistij quæ iugulato (vt prædiximus) viro, gladio seipsam transfixit. Quantum huius gloriæ famæque accessit? nunc ,, virtute eminet, patria latet. At Pontius Telesinus dux Samnitium, vir domi bellique fortissimus, penitusque Romano nomini infestissimus, contractis circiter XLM fortissimæ pertinacissimæque in retinendis armis iuuentutis, Carbone ac Mario coss. abhinc annos * XL, Calend. Nouembribus, ita ad portam Collinam cum Sylla dimicauit, vt ad summum discrimen [& eum] & remp. perduceret; quæ non maius periculum adiit Hannibalis intra tertium miliarium castra conspicata, quam eo die quo circumuolans ordines exercitus sui Telesinus, dictitansq; adesse Romanis vltimum diem, vociferabatur eruendam delendamque vrbem; adijciens, numquam defuturos raptores Italicæ libertatis lupos, nisi silua, in quam refugere solerent, esset excisa. Post primam demum horam noctis & Romana acies respirauit, & hostium cessit. Telesinus postera die semianimis repertus est, victoris magis quam morientis vultum præferens; cuius abscissum caput ferri gestarique circa Præneste Sylla iussit. Tum demum desperatis rebus suis, C. Marius adulescens, per cuniculos qui miro opere fabricati, in diuersas agrorum parteis ferunt, conatus erumpere, quum foramine e terra emersisset, a dispositis in idipsum interemptus est. Sunt qui sua manu, sunt qui concurrentem mutuis ictibus cum minore fratre Telesino vna obsesso & erumpente, occubuisse prodiderint. * Vtcumque, cecidit; hodieque tanta patris imagine non obscuratur eius memoria. de quo iuuene quid existimauerit Sylla, in promptu est. Occiso enim demum eo, Felicis nomen adsumpsit: quod quidem vsurpasset iustissime, si eundem & vincendi & viuēdi finem habuisset. Oppugnationi aūt Prænestis ac Marij præfuerat Ofella Lucretius: qui quum ante Marianarū fuisset partium, prætor ad Syllam transfugerat. Felicitatem diei quo Samnitium Telesiniq; pulsus est exercitus, Sylla perpetua ludorum Circensium honorauit memoria; quibus sine nomine Syllanæ victoriæ celebrantur. Paulo ante quam Sylla ad Sacriportum dimicaret, * magnificis prœliis partium eius viri hostium exercitum fuderant; duo Seruilij apud Clusium, Metellus Pius apud Fauentiam, M. Lucullus circa * Fidentiam. Videbantur finita belli ciuilis mala, quum Sullæ crudelitate aucta sunt. quippe dictator creatus, (cuius honoris vsurpatio per annos CXX intermissa: nam proximus post annum quam Hannibal Italia excesserat: vt appareat populum Rom. vsum dictatoris non tam desiderasse quam timuisse potestatem imperij; quo priores ad vindicandam maximis periculis rempublicam vsi fuerāt) immodicæ crudelitatis licentia vsus est. Primus ille (& vtinam vltimus) exemplum *proscriptionis* inuenit; vt in qua ,, ciuitate petulantis cōuiuij iudiciū histrioni * exoleto redditur, in ea iugulati ciuis * reip. ,, constitueretur * auctoramentum, plurimumque haberet qui plurimos interemisset, neq; occisi hostis quam ciuis vberius foret præmium, fieretq; quisque merces mortis suæ. Nec tamen in eos qui contra arma tulerant, sed in multos insonteis sæuitum: adiectum etiam vt bona proscriptorum venirent; exclusique paternis opibus liberi, etiam petendorum honorum iure prohiberentur; simulq; (quod indignissimum est) senatorum filij & onera ordinis sustinerent, & iura perderent. Sub aduentum in Italiam L. Syllæ, Cn. Pompeius, eius Pompeij filius quem magnificentissimas res in consulatu gessisse bello Marsico prædiximus, XXIII annos natus, abhinc annos CXIII, priuatis vt opibus, ita cōsiliis, magna ausus, magnificeque conata exsequutus, ad vindicandam restituendamque dignitatem patriæ, firmum ex agro Piceno, qui totus paternis eius clientelis refertus erat, contraxit exercitum. cuius viri magnitudo multorum voluminum instar exigit; sed operis modus paucis eum narrari iubet. Fuit hic genitus matre Lucilia, stirpis senatoriæ; forma excellens, non ea qua flos commendatur ætatis, sed * dignitate constanti: quæ in illam conueniens amplitudinem, fortunam quoque eius ad vltimam vitæ comitata est diem: innocentia eximius, sanctitate præcipuus, eloquentia medius; potentiæ, quæ honoris caussa ad eum deferretur, non vt ab eo occuparetur, cupidissimus, dux bello peritissimus, ciuis in toga (nisi vbi vereretur ne quem haberet parem) modestissimus; amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, in reconcilianda gratia fidelissimus, in accipienda satisfactione facillimus: potentia

tentia sua numquam, aut raro ad impotentiam vsus; pene omnium *votorũ expers,
nisi numeraretur inter maxima, [in] ciuitate libera dominaque gentium, indignari,
quum omnes ciues iure haberet pares, quemquam æqualem dignitate conspicere.
Hic a toga virili adsuetus commilitio prudentissimi ducis parentis sui, bonum & ca-
pax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentia excoluit; vt a Ser
torio Metellus laudaretur magis, Pompeius timeretur validius. Tum *M. Perpen-
na prætorius, e proscriptis, gentis clarioris quam animi, Sertorium inter cœnam *E- 680
toscæ interemit; Romanisque certam victoriam, partibus suis excidium, sibi turpissi-
mam mortem pessimo *auctorauit facinore. Metellus & Pompeius ex Hispanis triũ-
pharunt: sed Pompeius hoc quoque triumpho adhuc eques Rom. ante diem quam
consulatum iniret, curru vrbem inuectus est. Quem virum quis non miretur, per tot
extraordinaria imperia in summum fastigium vectum, iniquo tulisse animo, C. Cæ-
saris in altero consulatu petendo senatum populumque Romanum rationem habe-
re? adeo familiare est hominibus omnia sibi ignoscere, nihil aliis remittere; & inuidiã
rerum non ad caussam sed ad voluntatem personasque dirigere. Hoc consulatu
Pompeius tribunitiam potestatem restituit; cuius Sylla imaginem *sine re reliquerat.
Dum Sertorianum bellum in Hispania geritur, *LXIIII fugitiui e ludo gladiatorio
Capua profugientes, duce Spartaco, raptis ex ea vrbe gladiis, primo Vesuuium mon-
tem petiere: mox, crescente in dies multitudine, grauibus variisque casibus adfecere
Italiam: quorum numerus in tantum adoleuit, vt qua vltimo dimicauere acie, XLM
hominum se Romano exercitui opposuerint. Huius patrati gloria penes M. Crassum
fuit, mox Romanorum omnium principem. Conuerterat Cn. Pompeii persona to-
tum in se terrarum orbem, & *pene homine maior habebatur: qui quum COS. per-
quam laudabiliter iurasset, se in nullam prouinciam ex eo magistratu iturum; idque
seruasset, post biennium A. Gabinius tribunus legem tulit vt, quum belli more, non
latrociniorum, orbem classibus iam, non furtiuis expeditionibus, piratæ terrerent,
quasdam[que] etiam Italiæ vrbeis diripuissent, Cn. Pompeius ad eos opprimendos
mitteretur, esset que ei imperium æquum in omnibus prouinciis cum proconsulibus
vsque ad quinquagesimum miliarium a mari; quo *S. C. pene totius terrarum orbis
imperium vni viro deferebatur: sed tamen idem hoc ante biennium in M. Antonij
prætura decretum erat. Sed interdum persona vt exemplo nocet, ita inuidiam auget
aut leuat. In Antonio homines æquo animo passi erant. raro enim inuidetur eorum
honoribus quorum vis non timetur: contra in iis homines extraordinaria reformi-
dant, qui ea suo arbitrio aut deposituri aut retenturi videntur, & modum in volunta-
te habent. Dissuadebant optimates; sed consilia impetu victa sunt. Digna est memo-
ria Q. Catuli cum auctoritas, tum verecundia: qui quum dissuadens legem, in con-
cione dixisset, esse quidem præclarum virum Cn. Pompeiũ, sed nimium iam liberæ
reipublicæ, neque omnia in vno reponenda: adiecissetque, *Si quid huic acciderit, quem
in eius locum substituetis?* subclamauit vniuersa concio, *Te Q. Catule*. Tum ille victus
consensu omnium, & tam honorifico ciuitatis testimonio, e concione discessit. Hic
hominis verecundiam, populi iustitiam mirari libet: huius, quod non vltra conten-
dit: plebis, quod dissuadentem, & aduersarium voluntatis suæ, vero testimonio frau-
dare noluit. *Per idem tempus Cotta iudicandi munus, quod C. Gracchus ereptũ
senatui, ad equites, Sylla ab illis ad senatum transtulerant, æqualiter *inter vtrumque
ordinem partitus est; vt *Otho Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit.
At Cn. Pompeius, multis & præclaris viris in id bellum adsumptis, descriptoque in 686
omneis recessus maris præsidio nauium, breui inexsuperabili manu terrarum orbem
liberauit; prædonesque per multa prœlia multis locis victos, circa Ciliciam classe ad-
gressus, fudit ac fugauit: & quo maturius bellũ tam late diffusum conficeret, reliquias
eorum contractas, in vrbibus, remotoque a mari loco, in certa sede constituit. Sunt
qui *hoc carpant: sed quamquam in auctore satis rationis est, tamen ratio quemlibet
magnum auctorem faceret. data enim facultate sine rapto viuendi, rapinis arcuit.
Quum esset in fine bellum piraticum, [quum] & L. Lucullus, qui ante septem annos
ex COS. sortitus Asiam, Mithridati oppositus erat, magnasque ac memorabiles res ibi
gesserat, Mithridatem sæpe multis locis fuderat, egregia Cyzicum liberarat victoria,

Tigranem regum maximum in Armenia vicerat, vltimamque bello manum pene magis noluerat imponere quam non potuerat; qui alioqui per omnia laudabilis, & bello pene inuictus, pecuniæ *expellebatur cupidine, idem bellum adhuc admini-
687 ſtraret; Manilius tribunus plebis, ſemper venalis, & alienæ miniſter potentiæ, legem tulit vt bellum Mithridaticum per Cn. Pompeium adminiſtraretur. Accepta ea, magniſque certatum inter Imperatores iurgiis; quum Pompeius Lucullo infamiam pecuniæ, Lucullus Pompeio interminatam cupiditatem obiiceret imperij; neuterque ab eo * quo arguebatur, mentitus argui poſſet. Nam neque Pompeius, vt primum ad rempublicam adgreſſus eſt, quemquam animo parem tulit; & in quibus rebus primus eſſe debebat, ſolus eſſe cupiebat: neque eo viro quiſquam aut alia omnia minus, aut gloriam magis concupiit: in appetendis honoribus immodicus, in gerendis verecundiſſimus; vt qui eos vt libentiſſime iniret, ita finiret æquo animo: & quod cupiſſet arbitrio ſuo ſumere, alieno deponeret. [&] Lucullus, ſummus alioqui vir, profuſæ huius in ædificiis, *conuictibuſque & apparatibus luxuriæ primus auctor fuit; quem ob iniectas moles mari, & receptum ſuffoſſis montibus in terras mare, haud infacete Magnus Pompeius *Xerxem togatum* vocare aſſueuerat. Per id tempus a Q. Metel-
691 lo Creta inſula in P. R. poteſtatem *redacta eſt; quæ ducibus Panare & Laſthene XXIIII milibus iuuenum coactis, velocitate pernicibus, armorum laborumque patientiſſimis, ſagittarum vſu celeberrimis, per triennium Romanos exercitus fatigauerat. Ne ab huius quidem *vſura gloriæ temperauit animum Cn. Pompeius, quin victoriæ partem conaretur vindicare. Sed & Luculli & Metelli triumphum, cum ipſorum ſingularis virtus, tum etiam inuidia Pompeij apud optimum quemque fecit fa-
690 uorabilem. Per hæc tempora M. Cicero (qui omnia incrementa ſua ſibi debuit, vir nouitatis nobiliſſimæ, & vt vita clarus, ita ingenio maximus; qui effecit ne, quorum arma viceramus, eorum ingenio vinceremur) COS. Sergij Catilinæ, Lentulique & Cethegi, & aliorum vtriuſque ordinis virorum coniurationem ſingulari virtute, conſtantia, vigilia, curaque *aperuit. Catilina, metu conſularis imperij, vrbe pulſus eſt: Lentulus, conſularis, & prætor iterum; Cethegusque, & alij clari nominis viri, auctore ſenatu, iuſſu conſulis, in carcere necati ſunt. Ille ſenatus dies quo hæc acta ſunt, virtutem M. Catonis iam multis in rebus conſpicuam atque prænitentem, in altiſſimo luminauit. Hic genitus proauo M. Catone principe illo familiæ Porciæ, homo virtuti ſimillimus, & per omnia ingenio diis quam hominibus propior, qui numquam recte fecit vt facere videretur, ſed quia aliter facere non poterat: cuique id ſolum viſum eſt rationem habere quod haberet iuſtitiam; omnibus humanis vitiis immunis; ſemper fortunam in ſua poteſtate habuit. Hic tribunus plebis deſignatus, adhuc admodum adoleſcens, quum alij ſuaderent vt per municipia Lentulus coniuratique cuſtodirentur, pene inter vltimos interrogatus ſententiam, tanta vi animi atq; ingenij inuectus eſt in coniurationem, vt ardore oris orationem omnium lenitatem ſuadentium, ſocietate conſilij ſuſpectam fecerit. ſic impendentia ex ruinis incendiiſque vrbis & commutatione ſtatus publici pericula expoſuit; ita conſulis virtutē amplificauit, vt vniuerſus ſenatus in eius ſententiam tranſiret, animaduertendumque in eos quos prædiximus cenſeret, maiorque pars ordinis eius, Catonem proſequerentur domum. At Catilina non ſegnius* vota obiit quam ſceleris conandi conſilia inierat: quippe fortiſſime dimicans, quem ſpiritum ſupplicio debuerat, *prœlio reddidit. Conſulatui Ciceronis non mediocre adiecit decus, natus eo anno diuus Auguſtus, abhinc annos *LXXXII, omnibus omnium gentium viris magnitudine ſua inducturus caliginem. Iam pene ſuperuacaneum videri poteſt, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat diremptos gradibus ætatis floruiſſe hoc tempore Ciceronem, Hortenſium, *ſenemque Craſſum, Catonem, Sulpicium; moxque Brutum, Calidium, Caluum, Cœlium, & proximum Ciceroni Cæſarem; eorumque velut alumnos Coruinum ac Pollionem Aſinium, æmulumque Thucydidis Saluſtium; auctoreſque carminum Varronem ac Lucretiū, neque vllo in *ſuſpecti operis ſui carmine minorem Catullum. Pene ſtulta eſt inhærentium oculis ingeniorum enumeratio; inter quæ maxime noſtri æui eminēt* princeps carminum Virgilius, Rabiriuſque, [& conſequutus Saluſtium Liuius] Tibulluſque & Naſo *perfectiſſimi

in

in forma operis sui. nam viuorum vt magna admiratio, ita cẽsura difficilis est. Dum
hæc in vrbe Italiaque geruntur, Cn. Pompeius memorabile aduersus Mithridatem,
qui post Luculli profectionem magnas noui exercitus vireis reparauerat, bellum
gessit. At rex fusus fugatusque, & omnibus exutus copiis, Armeniam Tigranemque
*socerum petit, regem eius temporis, nisi quia Luculli armis erat infractus, potentis-
simum. Simul itaque duos persequutus Pompeius, intrauit Armeniam. prior filius Ti
granis, sed discors *patri, peruenit ad Pompeium: mox ipse supplex & præsens, se re-
gnumque dicioni eius permisit; præfatus, neminem alium, neque Romanum neq;
vllius gentis virum futurum fuisse, cuius se *fidei commissurus foret quam Cn. Pom-
peium. proinde omnem sibi vel aduersam vel secundam, cuius auctor ille esset, for-
tunam tolerabilem futuram. non esse turpe ab eo vinci, quem vincere esset nefas; “
neque ei inhoneste aliquem summitti quem fortuna super omneis extulisset. Serua- “
tus regi honos imperij sed mulctato ingenti pecunia: quæ omnis, sicuti Pompeio mõ
ris erat, redacta in quæstoris potestatem, ac publicis descripta literis. Syria, aliæq; quas
occupauerat prouinciæ, ereptæ, & aliæ restitutæ P. R. aliæ tum primum in eius pote-
statem redactæ, vt Syria, quæ tum primum facta est stipendiaria. Finis imperij regis,
terminatus Armenia. Haud absurdum videtur propositi operis regulæ, paucis per-
currere quę cuiusque ductu gens ac natio redacta in formulam prouinciæ, stipendia
pacta sit;* vt quæ facilius quam partibus simul vniuersa conspici possint. Primus in
Siciliam traiecit exercitum cõs. Claudius: & prouinciam eam post annos ferme LII,
captis Syracusis, fecit Marcellus Claudius: primus [in] *Africam* Regulus nono fer-
me anno primi Punici belli: sed post CCIIII annos P. Scipio Æmilianus eruta Car-
thagine, abhinc annos CLXXXII, Africam in formulam redegit prouinciæ. *Sardi-
nia* inter primum & secundum bellum Punicum, ductu T. Manlij COS. certum re-
cepit imperij iugum. Immane bellicæ ciuitatis argumẽtum, quod semel sub regibus,
iterum hoc T. Manlio consule; tertio, Augusto principe, certæ pacis argumentum,
Ianus geminus clausus *dedit. In *Hispanias* primi omnium duxere exercitus, Cn. & P.
Scipiones, initio secundi belli Punici, abhinc annos CCL. Inde varie possessa, & sæpe
amissa partibus, vniuersa ductu Augusti facta stipendiaria est. *Macedoniam* Paulus,
Mummius *Achaiam*, Fuluius Nobilior subegit *Aetoliam*. *Asiam* L. Scipio Africani
frater eripuit Antiocho; sed beneficio senatus populiq; Romani mox ab Attalis pos-
sessam regibus, M. Perpenna capto Aristonico fecit tributariam. *Cypri* deuictæ nulli
adsignanda gloria est. quippe *senatuscõsulto, ministerio Catonis, regis morte, quam
ille conscientia acciuerat, facta prouincia est. *Creta*, Metelli ductu longissimæ liber-
tatis fine multata. Et *Syria Pontusque* Cn. Pompeij virtutis monumenta sunt. *Gallias*
primum Domitio [&] Fabio nepoti Pauli, qui *Allobrogicus* vocatus est, intratas cum
exercitu, magna mox clade nostra sæpe & adfectauimus & amisimus. sed fulgentis-
simum C. Cæsaris opus in iis conspicitur. quippe eius ductu auspiciisque infractæ pe-
ne, idem quod totus terrarum orbis *ignauum conferunt stipendium. Ab eodem
*[Pompeio] fractam Numidicus *Ciliciam* perdomuit; nisi vicisset post bellum Antio-
chicum Vulso Manlius *Gallogræciam*. *Bithynia* (vt prædiximus) testamento Nicome-
dis relicta hereditaria. Diuus Augustus præter *Hispanias* aliasque genteis, quarum ti-
tulis forum eius prænitet: pene idem facta *Aegypto* stipendiaria, quantum pater eius
Gallia, in ærarium reditus contulit. At [Ti.] Cæsar, quam certam Hispanis parendi
confessionem extorserat, [tam] parem *Illyriis Dalmatisque* extorsit: *Rhætiam* autem,
& *Vindelicos* ac *Noricos*, *Pannoniamque* & *Scordiscos*, nouas imperio nostro subiunxit
prouincias. Vt has armis, ita auctoritate *Cappadociam* *P. R. fecit stipendiariam. Sed
reuertamur ad ordinẽ. *Sequuta deinde Cn. Pompeij militia; gloriæ laboris ne ma-
ioris incertum est. Penetratæ cum victoria *Media*, *Albania*, *Hiberia*: ac deinde flexum
agmen ad eas nationes quæ dextra atque intima Ponti incolunt, *Colchos Heniochosq;*
& *Achæos*: & oppressus auspiciis Pompeij, insidiis filij Pharnacis, Mithridates vlti- 692
mus omnium iuris sui regum, præter Parthicos. Tum victor omnium quas adierat “
gentium Pompeius, suoque & ciuium voto maior, & per omnia fortunam hominis “
egressus, reuertit in Italiam: cuius reditum *fauorabilem opinio fecerat: quippe ple-
rique non sine exercitu venturum in vrbem adfirmabant, & libertati publicæ statu-

turum arbitrio suo modum. Quo magis hoc homines timuerant, eo gratior ciuilis tanti Imperatoris reditus fuit. Omni quippe Brundisij dimisso exercitu, nihil præter nomen Imperatoris retinens, cum priuato comitatu, quem semper illi vacare moris fuit, in vrbem rediit, magnificentissimumque de tot regibus per biduum egit triumphum, longeque maiorem *omni ante se. Inlata pecunia in ærarium, *præterquam Capitolio ex manubiis intulit. Absente Cn. Pompeio T. Ampius & T. Labienus tribuni plebis legem tulerunt vt [s.] ludis Circensibus corona aurea & omni cultu triumphantium vteretur; scenicis autem, prætexta coronaque aurea. Id ille non plus quam semel (& hoc sane nimium fuit) vsurpare sustinuit. Huius viri fastigium tantis auctibus fortuna extulit, vt primum ex Africa, iterum ex Europa, tertio ex Asia triumpharet: & quot partes terrarum orbis sunt, totidem faceret monumenta victoriæ suæ. *Numquam eminentia inuidia carent.* Itaque & Lucullus, memor tamen acceptæ iniuriæ; & Metellus Creticus, non iniuste querens, (quippe ornamentum triumphi eius, captiuos duces, Pompeius subduxerat) & cum iis pars optimatium refragabatur, ne aut promissa ciuitatibus a Pompeio, aut benemeritis præmia ad arbi-
694 trium eius persoluerentur. Sequutus deinde est consulatus C. CAESARIS; qui scribenti manum iniicit, & quamlibet festinantem in se morari cogit. Hic nobilissima Iuliorum genitus familia, & (quod inter omneis antiquissimos constabat) ab Anchise ac Venere deducens genus, forma omnium ciuium excellentissimus, vigore animi acerrimus, munificentia effusissimus, animo super humanam & naturam & fidem euectus, magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, magno illi Alexandro, sed sobrio neque iracundo, simillimus: qui denique semper & somno & cibo in vitam, non in voluptatem vteretur: quum fuisset C. Mario sanguine coniunctissimus, atque idem Cinnæ gener, (cuius filiam vt repudiaret, nullo *metu compelli potuit; quum M. Piso consularis Anniam, quæ Cinnæ vxor fuerat, in Sullæ dimisisset gratiam, habuissetque fere XVIII annos, eo tempore quo Sylla rerum potitus est, magis ministris Syllæ adiutoribusque partium, quam ipso, conquirentibus eum ad necem, mutata veste, dissimilemque fortunæ suæ indutus habitum, nocte vrbe elapsus est. Idem postea admodum iuuenis, quum a piratis captus esset, ita se per omne spatium quo ab his retentus est, apud eos gessit, vt pariter iis terrori venerationique esset, neque vmquam aut nocte, aut die (cur enim quod vel maximum est, * si narrari verbis speciosis non potest, omittatur?) aut excalcearetur, aut discingeretur; in hoc scilicet, ne, si quando aliquid ex solito variaret, suspectus his qui oculis tantummodo eum custodiebant, foret. Longum est narrare quid & quoties ausus sit; quanto opere conata eius, qui obtinebat Asiam, magistratus P. R. *metu suo destituêre. Illud referatur documentum tanti mox euasuri viri: quæ nox eam diem sequuta est qua publica *ciuitatium pecunia redēptus [est,] ita tamen vt cogeret antè obsides a piratis ciuitatibus dari, contracta classe & priuatus & tumultuaria, inuectus in eum locum in quo ipsi prædones erant, partem classis fugauit, partem mersit, aliquot naueis multosque mortales cepit; lætusque nocturnæ expeditionis triumpho ad suos reuersus est: mandatisque custodiæ quos ceperat, in Bityniam perrexit ad proconsulem Iunium; *(is enim Asiam tum obtinebat) petens vt auctor fieret sumendi de captiuis supplicij. quod cum ille se facturum negasset, venditurumque captiuos dixisset, (quippe * sequebatur inuidia inertiam) incredibili celeritate reuectus ad mare, prius quam de ea re vlli proconsulis *redderetur epistola, omnes quos ceperat, suffixit cruci. Idem mox ad sacerdotium ineundum (quippe absens pontifex factus erat; quum in Cottæ consularis locum pene puer a Mario Cinnaque flamen Dialis creatus, victoria Syllæ, qui omnia ab iis acta fecerat inrita, amisisset id sacerdotium) festinans in Italiam, ne conspiceretur a prædonibus, omnia tunc obtinentibus maria, & merito tam infestis sibi, quatuor scalmorum nauem, vna cum duobus amicis, decemque seruis ingressus, effusissimum Adriatici maris *transiecit sinum. Quo quidem in cursu conspectis (vt putabat) piratarum nauibus, quum exuisset vestem, alligassetque pugionem ad femur, alterutri se fortunæ parās, mox intellexit frustratum esse visum suum, arborumque ex longinquo ordinem antemnarum præbuisse imaginem. Reliqua eius acta in vrbe, nobilissimaque Dolabellæ

labellæ

labellæ accusatio, & maior ciuitatis in ea fauor quam reis præstari solet; contentionesque ciuiles cum Q. Catulo, atque aliis eminētissimis viris, celeberrimæ; & ante præturam victus maximi pontificatus petitione Q. Catulus, omnium confessione senatus princeps; & restituta in ædilitate (aduersante quidem nobilitate) monumenta C. Marij; simulque reuocati ad ius dignitatis proscriptorum liberi; & prætura quæsturaque mirabili virtute atque industria obita in Hispania, quum esset quæstor sub Vetere Antistio, auo huius Veteris consularis atque pontificis, duorum consularium & sacerdotum patris, viri in tantum boni in quantum humana simplicitas intelligi potest: quo notiora sunt, minus egent stilo. Hoc igitur cos. inter eum & Cn. Pompeium, & M. Crassum, inita potentiæ societas; quæ vrbi orbique terrarum, nec minus diuerso quoque tempore ipsis exitiabilis fuit. Hoc consiliū sequendi, Pompeius caussam habuerat, vt tandem acta in transmarinis prouinciis, quibus (vt prædiximus) multi obtrectabant, per Cæsarem confirmarentur consulem: Cæsar autem, quod animaduertebat se, cedendo Pompeij gloriæ, aucturum suam, & inuidia communis po- “ tentiæ in illum relegata, confirmaturum vires suas: Crassus, vt, quem principatum solus adsequi non poterat, auctoritate Pompeij, viribus teneret Cæsaris. Adfinitas etiā inter Cæsarem Pompeiumque contracta nuptiis: quippe filiam C. Cæsaris Cn. Magnus duxit vxorem. In hoc consulatu Cæsar legem tulit vt ager Campanus *plebei diuideretur, suasore legis Pompeio. Ita circiter XX M ciuium eò deducta, & *ius ab his restitutum post annos circiter CLII quam bello Punico ab Romanis Capua in formam præfecturæ redacta erat. Bibulus collega Cæsaris, quum actiones eius magis vellet impedire quam posset, maiore parte anni domi se tenuit. quo facto dū augere vult inuidiam collegæ, auxit potentiam. Tum Cæsari decretæ in quinquennium Galliæ. Per idem tempus P. Clodius, homo nobilis, disertus, audax, qui ne- 695 que dicendi, neque faciendi vllum, nisi quem vellet, nosset modum; malorum propositorum exsequutor acerrimus, infamis etiam sororis stupro, & actus incesti reus ob initum inter religiosissima P. R. sacra adulterium, quum graues inimicitias cum M. Cicerone exerceret, (quid enim inter tam dissimiles amicum esse poterat?) & a Patribus ad plebem *transisset; legem in tribunatu tulit, qui ciuem Romanum *damnatum interemisset, ei aqua & igni interdiceretur. cuius verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur. Ita vir optime meritus de republica conseruatæ patriæ pretium *calamitatem exsilij tulit. Non caruerunt suspicione oppressi Ciceronis Cæsar & Pompeius. Hoc sibi cōtraxisse videbatur Cicero, quod inter *XX viros diuidendo agro Campano esse noluisset. Idem *intra biennium sera Cn. Pompeij cura, *verum, vt cœpit, interrita, votisque Italiæ ac decretis senatus, virtute atque actione Annij Milonis tribuni plebis dignitati patriæque restitutus est. neque post Numidici exsilium aut reditum, quisquam aut expulsus inuidiosius, aut receptus est lætius. cuius domus quam infeste a Clodio disiecta erat, tam speciose a senatu restituta est. Idem P. Clodius [in senatu] sub honorificentissimo ministerij titulo, M. Catonem a republica relegauit. quippe legem tulit vt is *quæstor cum iure prætorio, adiecto etiam quæstore, mitteretur in insulam Cyprum, ad spoliandum regno Ptolemæum, omnibus morum vitiis eam contumeliam meritum. sed ille sub aduentum Catonis vitæ suæ vim intulit. vnde pecuniam longe sperata maiorem Cato Romam retulit. cuius integritatem *laudari nefas est, insolentia pene argui potest, quod vna cum coss. ac senatu effusa ciuitate obuiam, quum per Tiberim subiret nauibus, non ante *his egressus est quam ad eum locum peruenit vbi erat exponenda pecunia. Quum deinde immaneis res vix multis voluminibus explicandas, C. Cæsar in Gallia ageret, nec contentus plurimis ac felicissimis victoriis, innumerabilibusque cæsis & captis hostium milibus, etiam in Britanniam *transiecisset exercitum, alterum pene imperio nostro ac suo quærens orbem, inuictum par consulum Cn. Pompeius & M. Cras- 698 sus, alterum iniere consulatum; qui neque petitus honeste ab his, neque probabiliter gestus est. Cæsari, lege *quam Pompeius ad populum tulit, prorogatæ in idem spatium temporis prouinciæ; Crasso bellum Parthicum in animo molienti, Syria decreta. qui vir, cetera sanctissimus immunisque voluptatibus, neque in pecunia, ne- “ que in gloria concupiscenda aut modum norat, aut capiebat terminum. Hunc profi- “

ciſcentem in Syriam diris cum ominibus tribuni pl. fruſtra retinere conati. Quorum exſecrationes ſi in ipſum tantummodo valuiſſent, vtile Imperatotis damnum ſaluo exercitu fuiſſet reip. Tranſgreſſum Euphratem Craſſum, petentemq; Seleuciam, circumfuſis immanibus copiis equitum, rex Orodes vna cum parte maiore Romani exercitus interemit: reliquias legionum C. Caſſius, atrociſſimi mox auctor facinoris, tum quæſtor, conſeruauit; Syriamque adeo in P. R. poteſtate retinuit, vt tranſgreſſos in eam Parthos, felici rerum euentu fugaret ac funderet. Per hæc inſequentiaque, & quæ prædiximus tempora, amplius CCCC M hoſtium a C. Cæſare cæſa ſunt, plura capta: pugnatum ſæpe directa acie, ſæpe in *agminibus, ſæpe eruptionibus. Bis penetrata Britannia: nouem denique æſtatibus *vix vlla non iuſtiſſimus triumphus emeritus. circa Aleſiam vero tantæ res [geſtæ] quantas audete vix hominis, perficere pene nullius niſi Dei fuerit. Septimo ferme anno Cæſar morabatur in Galliis, quum medium iam, ex inuidia Pompeij male cohærentis, inter Cn. Pompeium & C. Cæſarem concordiæ pignus, Iulia vxor Magni deceſſit; atque omnia inter deſtinatos tanto diſcrimini duces dirimente fortuna, filius quoque paruus Pompeij, Iulia natus, intra breue ſpatium obiit. Tum in gladios cædeſque ciuium furente ambitu, cuius
701 neque finis reperiebatur nec modus, tertius conſulatus ſoli Cn. Pompeio, etiam aduerſantium antea dignitati eius, iudicio delatus eſt: cuius ille honoris gloria, veluti reconciliatis ſibi optimatibus, maxime a C. Cæſare alienatus eſt. Sed eius conſulatus omnem vim in coercitionem ambitus exercuit. quo tempore P. Clodius a Milone candidato conſulatus, exemplo inutili, facto ſalutari reip. circa Bouillas, contracta ex occurſu rixa, iugulatus eſt. Milonem reum non magis inuidia facti quam Pompeij damnauit voluntas. quem quidem M. Cato palam lata abſoluit ſententia: quam ſi maturius tuliſſet, non defuiſſent qui ſequerentur exemplum, probarentque eum ciuem occiſum quo nemo pernicioſior reipublicæ, neque bonis inimicior vixerat.
704 Intra breue deinde ſpatium belli ciuilis exarſerunt initia, quum iuſtiſſimus quiſque & a Cæſare & a Pompeio vellet dimitti exercitus. quippe Pompeius in ſecundo conſulatu Hiſpanias ſibi decerni voluerat; eaſque per triennium abſens ipſe ac præſides vrbi, per Afranium & Petreium conſularem ac prætorium legatos ſuos adminiſtrabat; & iis qui a Cæſare dimittendos exercitus contendebant, adſentabatur; iis qui [dimittendos] ab ipſo [quoque,] aduerſabatur. qui ſi ante biennium quam ad arma itum eſt, perfectis muneribus theatri, & aliorum operum quæ ei circumdedit, grauiſſima tentatus valetudine, deceſſiſſet in Campania, (quo quidem tempore vniuerſa Italia vota pro ſalute eius primo omnium ciuium ſuſcepit) defuiſſet fortunæ deſtruendi eius locus; & quam apud ſuperos habuerat magnitudinem, inlibatam detuliſſet ad inferos. Bello autem ciuili, & tot quæ deinde per continuos XX annos conſequuta ſunt malis, non alius maiorem flagrantioremque quam C. Curio tribunus plebis ſubiecit facem, vir nobilis, eloquens, audax, ſuæ alienæque & fortunæ & pudicitiæ prodigus; homo ingenioſiſſime nequam, & facundus malo publico: cuius animo voluptatibus vel libidinibus, neq; opes vllæ, neque cupiditates ſufficere poſſent. Hic primo pro Pompeij partibus, id eſt (vt tunc habebatur) pro republica: mox ſimulatione, contra Pompeium & Cæſarem, ſed animo pro Cæſare ſtetit. Id gratis, an accepto *centies H-S fecerit, (vt accepimus) in medio relinquemus. Ad vltimum ſaluberrimas coaleſcentis conditiones pacis, quas & Cæſar iuſtiſſimo animo poſtulabat, & Pōpeius æquo recipiebat; diſcuſſit ac rupit, vnice cauente Cicerone concordiæ publicæ. Harum prætetitarumque rerum ordo cum iuſtis aliorum voluminibus promitur, tum (vti ſpero) noſtris explicabitur. Nunc propoſito operi ſua forma reddatur, ſi prius gratulatus ero Q. Catulo, duobus Lucullis, Metelloque & Hortenſio: qui quum ſine inuidia in republica floruiſſent eminuiſſentque, ſine periculo, quieta, aut certe non præcipitata, fatali ante initium bellorum ciuilium morte functi ſunt. Len-
704 tulo & Marcello coss. poſt vrbem conditam annis DCCIII, & anno LXXVIII quam tu M. Vinici conſulatum inires, *bellum ciuile* exarſit. Alterius ducis cauſſa, melior videbatur; alterius, erat firmior. hic omnia ſpecioſa; illic valentia. Pompeium ſenatus auctoritas; Cæſarem militum armauit fiducia. Cōſules ſenatuſque, cauſſæ, non Pompeio, ſummam imperij detulerunt. *Nihil relictum a Cæſare quod ſeruandæ pacis

cauſſa

caussa tentari posset; nihil receptum a Pompeianis: quum alter COS. iusto esset ferocior, Lentulus vero salua republica saluus esse non posset; M. autem Cato moriendum ante quam vllam conditionem ciuis accipiendam reipublicæ contenderet; vir antiquus & grauis, Pompeij parteis laudaret magis, prudẽs sequeretur Cæsaris; & illa gloriosa, hæc terribiliora duceret.*Vt deinde spretis omnibus quæ Cæsar postulauerat, tantummodo contentus cum vna legione titulum retinere prouinciæ; priuatus in vrbem veniret, & se in petitione cõsulatus suffragiis P. R.*committeret, decreuere; ratus bellandum Cæsar, cum exercitu Rubiconem transiit. Cn. Pompeius, consulesque & maior pars senatus, relicta vrbe, ac deinde Italia, transmisere Dyrrhachium. At Cæsar Domitio legionibusque Corfinij, quæ vna cum eo fuerant, potitus, duce aliisque qui voluerant abire ad Pompeium, sine dilatione dimissis, persequutus Brundisium, ita vt appareret malle integris rebus & conditionibus finire bellũ quam opprimere fugientes, quum transgressos reperisset consules, in vrbem reuertit: redditaque ratione consiliorum suorum in senatu & in concione, ac miserrimæ necessitudinis, quum alienis armis ad arma compulsus esset, Hispanias petere decreuit. Festinationem itineris eius aliquamdiu morata Massilia est; fide melior quam consilio prudẽtior; intempestiue principalium armorum arbitria captans, quibus hi se debent interponere qui non parentem coercere possunt. Exercitus deinde qui sub Afranio cõsulari ac Petreio prætorio fuerat, ipsius *aduentus vigore ac fulgore occupatus, se Cæsari tradidit; vterque legatorum, & quisquis cuiusq; ordinis sequi eos voluerat, remissi ad Pompeium. Proximo anno quum Dyrrhachium ac vicina ei vrbi regio, castris Pompeij teneretur, (qui accitis ex omnibus transmarinis prouinciis legionibus, equitum ac peditum auxiliis, regumq; & tetrarcharum, simulque dynastarum copiis, immanem exercitum confecerat, & mare præsidiis classium, vt rebatur, sepserat, quo minus Cæsar legiones posset transmittere) sua & celeritate & fortuna C. Cæsar vsus, nihil in mora habuit quo minus & quum vellet, ipse exercitusque classibus perueniret, & primo pene castris Pompeij sua iungeret, mox etiam obsidione munimentisque eum complecteretur. Sed inopia obsidentibus quam obsessis erat grauior. Tum Balbus Cornelius, excedente humanam fidem temeritate, ingressus castra hostium, sæpiusque cum Lentulo conloquutus, COS. dubitante quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non *Hispaniæ Gadibus natus, sed Hispanus, in triumphum & pontificatum adsurgeret, fieretque ex priuato consularis. Variatum deinde prœliis; sed vno longe magis Pompeianis prospero; quo grauiter impulsi sunt Cæsaris milites. Tum Cæsar cum exercitu fatalem victoriæ suæ Thessaliam petiit. Pompeius longe diuersa aliis suadentibus (quorum plerique hortabantur vt in Italiam transmitteret; neque, Hercules, quidquam partibus illis salubrius fuit; alij, vt bellum traheret, quod dignatione partium indies ipsis magis prosperum fieret) vsus impetu suo, hostem sequutus est, aciem Pharsalicam & illum cruentissimum Romano nomini diem: tantumque vtriusque exercitus profusum sanguinis, & conlisa inter se duo reipublicæ capita, *effossumque alterum Romani imperij lumen. Tot talesque Pompeianarum partium cæsos viros non recipit enarrandos hic scripturæ modus. Illud notandum est, vt primum C. Cæsar inclinatam vidit Pompeianorum aciem, neque prius neque antiquius quidquam habuit, quam *vt omneis Patres (vt militari & verbo & consuetudine vtar) dimitteret. Prò dij immortales, quod huius voluntatis erga Brutum suæ postea vir tam mitis pretium tulit? Nihil illa victoria mirabilius, magnificentius, clarius fuit, quando neminem nisi acie consumptum ciuem patria desideraut: sed munus misericordiæ corrupit pertinacia, quum libentius vitam victor [iam] daret quam victi acciperent. Pompeius profugiens cum duobus Lentulis consularibus, Sextoque filio, & Fauonio prætorio, quos*comites ei fortuna adgregauerat; aliis vt Parthos, aliis vt Africam peteret (in qua fidelissimum partium suarum haberet regem Iubam) suadentibus, Ægyptum petere proposuit; memor beneficiorum quæ in patrem eius Ptolemæi, qui tum puero quam iuueni propior regnabat Alexandriæ, contulerat. Sed quis in aduersis beneficiorum seruat memoriam? aut quis vllam calamitosis deberi putat gratiam; aut quando fortuna non mutat fidem? Missi itaque ab rege qui venientem Cn. Pom-

peium (is iam a Mytilenis Corneliam vxorem receptam in nauem, fugæ comitem habere cœperat) consilio Theodoti & Achillæ exciperent, hortarenturque vt ex oneraria in eam nauem quæ obuiam processerat, transcenderet. quod quum fecisset, princeps Romani nominis, imperio arbitrioque Ægyptij mancipij, C. Cæsare, Pu-
695 blio Seruilio coss. iugulatus est. Hic post tres consulatus & totidem triumphos, domitumque terrarum orbem, sanctissimi ac præstantissimi viri, in id euecti * super quod ascendi non potest, duodesexagesimum annum agentis, pridie natalem ipsius, ,, vitæ fuit exitus: in tantum in illo viro a se discordante fortuna, vt cui modo ad victo- ,, riam terra defuerat, deesset ad sepulturam. Quid aliud quam nimium occupatos dixerim quos in ætate & tanti & pene nostri seculi viri fefellit quinquennium: quum a C. Atilio & Q. Seruilio coss. tam facilis esset annorum digestio? quod adieci, non vt arguerem, sed ne arguerer. Non fuit [tamen] maior in Cæsarem quam in Pompeium fuerat, regis eorumque quorum is auctoritate regebatur, fides. quippe quum venientem eum tentassent insidiis, ac deinde bello lacessere auderent, vtrique summo Imperatorum, alteri superstiti, meritas pœnas luêre suppliciis. Nusquam erat Pompeius corpore, adhuc vbique *nomine: quippe ingens partium eius fauor bellum excitauerat Africum; quod ciebat rex Iuba & Scipio vir consularis, ante biennium quam exstingueretur Pompeius, lectus ab eo socer: eorumque copias auxerat M. Cato, ingenti cum difficultate itinerum locorumque inopia, perductis ad eos legionibus: qui vir, quum summum ei a militibus deferretur imperium, honoratiori parêre maluit. Admonet promissæ breuitatis fides, quanto omnia transcursu dicenda sint. Sequens fortunam suam Cæsar, peruectus in Africam, quam occiso Curione Iulianarum duce partium, Pompeiani obtinebant exercitus; ibi primo *variam forunam expugnauit, inclinatæque hostium copiæ. Nec dissimilis ibi aduersus victos quam in priores clementia Cæsaris fuit. Victorem Africani belli C. Cæsarem grauius excepit Hispaniense; (nam victus ab eo Pharnaces, vix quidquam gloriæ eius adstruxit) quod Cn. Pompeius Magni filius, adulescens impetus ad bella maximi, ingens ac terribile conflauerat, vndique ad eum adhuc paterni nominis magnitudinem sequentium, ex toto orbe terrarum auxiliis confluentibus. Sua Cæsarem in Hispaniam comitata fortuna est: sed nullum vmquam atrocius periculosiusque ab eo initum prœlium; adeo vt plusquam dubio marte descenderet equo; cõsistensque ante recedentem suorum aciem, increpita prius fortuna, quod se in eum seruasset exitum, denuntiaret militibus vestigio se non recessurum: proinde viderent quem & quo loco imperatorem deserturi forent. verecundia magis quam virtute acies *restitutæ sunt, a duce quam a milite fortius. Cn. Pompeius, grauis vulnere inuentus, inter solitudines auias interemptus est. Labienum Varumque acies abstulit. Cæsar
707 omnium victor, regressus in vrbem, (quod humanam excedat fidem) omnibus qui contra se arma tulerant, ignouit: magnificentissimisque gladiatorij muneris, naumachiæ, & equitum peditumque, simul elephantorum certaminis spectaculis, epulique per multos dies dati celebratione, repleuit eam. Quinque egit triumphos. Gallici apparatus, ex citro; Pontici, ex acantho; Alexandrini, testudine; Africi, ebore; Hispaniensis, argento rasili constitit. Pecunia ex manubiis lata, paulo amplius sexies milies H-S. Neque illi tanto viro & tam clementer omnibus victoriis suis vso, *plus quinque mensium principalis quies contigit. quippe quum mense Octobri in vrbem reuertisset, idibus Martiis, coniurationis auctoribus Bruto & Cassio; quorum alterum promittendo consulatum non obligauerat; contra differendo, Cas-
709 sium offenderat; adiectis etiam consiliariis cædis familiarissimis omnium, & fortuna partium eius in summum euectis fastigium, D. Bruto & C. Trebonio, aliisque clari nominis viris, interemptus est: cui magnam inuidiam conciliarat M. Antonius, omnibus audendis paratissimus, consulatus collega; imponendo capiti eius Lupercalibus sedentis pro rostris insigne regium; quod ab eo ita repulsum erat, vt non offensus videretur. Laudandum experientia consilium est Pansæ atque Hir- ,, tij; qui semper prædixerant Cæsari vt principatum armis quæsitum, armis teneret; il- ,, le dictitans mori se quam timeri malle; dum clemẽtiam quam præstiterat exspectat, incautus

incautus ab ingratis occupatus eſt; quum quidem plurima præſagia atque indicia dij immortales futuri obtuliſſent periculi. nam & haruſpices præmonuerant vt diligentiſſime Iduum Martiarum caueret diem; & vxor Calpurnia territa nocturno viſu, vt ea die domi ſubſiſteret orabat; & libelli coniurationem nuntiantes dati,*ab eo neque protinus lecti erant. ſed profecto ineluctabilis fatorum vis,*cuiuſcumque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit. Quo anno id patrauere facinus Brutus & C. Caſſius, prætores erant; D. Brutus COS. deſignatus. Hi vnà cum coniurationis globo, ſtipati gladiatorum D. Bruti manu, Capitolium occupauere; quum COS. Antonius, quem quum ſimul interimendum cenſuiſſet Caſſius, teſtamentumque Cæſaris abolendum, Brutus repugnauerat; dictitans nihil amplius ciuibus præter tyranni (ita enim appellari Cæſarem facto eius expediebat) petendum eſſe ſanguinem; conuocato ſenatu, quum iam Dolabella, quem ſubſtituturus ſibi Cæſar deſignauerat conſulem, faſces atque inſignia *corripuiſſet, cõſul velut pacis auctor liberos ſuos obſides in Capitolium miſit, fidemque deſcendẽdi tuto interfectoribus Cæſaris dedit: & illud decreti Athenienſium celeberrimi exemplum relatum a Cicerone, obliuionis præteritarum rerum, decreto patrum comprobatum eſt. Cæſaris deinde teſtamentum apertum eſt; quo C. OCTAVIVM *nepotem ſororis ſuæ Iuliæ adoptabat; de cuius origine, etiamſi *præuentis, pauca dicenda ſunt. Fuit C. Octauius, vt non patricia, ita admodum ſpecioſa equeſtri genitus familia; grauis, ſanctus, innocens, diues. Hic prætor inter nobiliſſimos viros creatus, primo loco, quum ei dignatio Iulia genitam *Acciam conciliaſſet vxorem, ex eo honore ſortitus Macedoniam, appellatuſque in ea Imperator; decedens ad petitionem conſulatus, obiit, prætextato relicto filio; quem C. Cæſar, maior eius auunculus, educatum apud Philippum vitricum, dilexit vt ſuum; natumque annos XVIII, Hiſpanienſis militiæ adſequutum ſe poſtea comitem habuit, numquam aut alio vſum hoſpitio quam ſuo, aut alio vectũ vehiculo; pontificatuſque ſacerdotio puerum honorauit. Et *peractis bellis ciuilibus, ad erudiendum liberalibus diſciplinis ſingularis indolem iuuenis, Apolloniam eum in ſtudia miſerat; mox belli Getici ac deinde Parthici habiturus commilitonem. Cui vt eſt nuntiatum de cæde auunculi, quum protinus ex vicinis legionibus centuriones ſuam ſuorumque militum operam ei pollicerentur, neque eam ſpernendam Saluidienus & Agrippa dicerent; ille feſtinans peruenire in vrbem, omnem *ordinem & necis & teſtamenti Brundiſij comperit. Cui aduentanti Romam, immanis amicorum occurrit frequentia; & quum intraret vrbem, ſolis orbis ſuper caput eius curuatus æqualiter, rotundatuſque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conſpectus eſt. Non placebat *Acciæ matri Philippoque vitrico adiri nomen inuidioſæ fortunæ Cæſaris: ſed adſerebant ſalutaria reipublicæ terrarumque orbis fata conditorem conſeruatoremque Romani nominis. Spreuit itaque cæleſtis animus humana conſilia, & cum periculo potius ſumma, quam tuto humilia propoſuit ſequi: maluitque auunculo & Cæſari de ſe, quam vitrico credere; dictitans nefas eſſe, quo nomine Cæſari dignus eſſet viſus, ſemetipſum videri indignum. Hunc protinus Antonius COS. ſuperbe excipit; (neque is erat contemptus, ſed metus) vixque admiſſo in Pompeianos hortos loquendi ſecum tempus dedit; mox etiam velut inſidiis eius petitus, ſceleſte inſimulare cœpit: in quo turpiter deprehenſa eius vanitas eſt. Aperte deinde Antonij ac Dolabellæ conſulum ad nefandam dominationem erupit furor. *H-S ſepties milies depoſitum a C. Cæſare ad ædem Opis, occupatum ab Antonio, actorum eiuſdẽ inſertis falſis *indubitateq; corruptis cõmentariis. Atque omnia pretio temperata, vendente rempublicam COS. Idem prouinciam D. Bruto deſignato conſuli decretam Galliam occupare ſtatuit: Dolabella tranſmarinas decreuit ſibi, interque naturaliter diſſimillimos ac diuerſa volenteis creſcebat odium. eoque C. Cæſar iuuenis cotidianis Antonij petebatur inſidiis. Torpebat oppreſſa dominatione Antonij ciuitas: indignatio & dolor omnibus, vis ad reſiſtendum nulli aderat; quum C. Cæſar, *XVIII annum ingreſſus, mira auſus, ac ſumma conſequutus, priuato conſilio maiorem ſenatu pro republ. animum habuit: primumque a Calatia, mox a Caſilino veteranos exciuit paternos: quorum exemplũ ſequuti alij, breui in formam iuſti coiere exercitus. mox quum Antonius occurriſſet

exercitui quem ex transmarinis prouinciis Brundisium venire iusserat, legio* Martia & Quarta, cognita & senatus voluntate & tanti iuuenis indole, sublatis signis ad Cæsarem se contulerunt. Eum senatus honoratum equestri statua, quæ hodieque in rostris posita, ætatem eius scriptura indicat, (qui honor non alij per CCC annos quam L. Syllæ, & Cn. Pompeio, & C. Cæsari contigerat.) pro *PR. vnà cum coss. designatis Hirtio & Pansa, bellum cum Antonio gerere iussit. id ab eo annum agente vicesimum, fortissime circa Mutinam administratum est; & D. Brutus obsidione liberatus; Antonius turpi ac nuda fuga coactus deserere Italiam. Consulum autem alter in acie, alter post paucos dies ex vulnere mortem obiit. Omnia, antequam fugaretur Antonius, honorifice a senatu in Cæsarem exercitumque eius decreta sunt, maxime „ auctore Cicerone: sed vt recessit metus, erupit voluntas; protinusq; Pompeianis par„ tibus rediit animus. Bruto Cassioque prouinciæ, quas iam ipsi sine vllo senatusconsulto occupauerant, decretæ; laudati quicumq; [se]* his exercitus tradidissent; omnia transmarina imperia eorum commissa arbitrio. quippe M. Brutus, & C. Cassius, nũc metuentes arma Antonij, nunc ad augendam eius inuidiam, simulantes se metuere, testati edictis, libenter se vel in perpetuo exsilio victuros, dum *reipublicæ constaret concordia; nec vllam belli ciuilis præbituros materiam; plurimum sibi honoris esse in conscientia facti sui; profecti vrbe atque Italia, *intento ac pari animo, sine auctoritate publica prouincias exercitusque occupauerant: & vbicumque ipsi essent, prætexentes esse rempublicam, pecunias etiam quæ ex transmarinis prouinciis Romam ab quæstoribus deportabantur, a volentibus acceperant: quæ omnia senatus decretis comprensa & cõprobata sunt. & D. Bruto, quod *alieno beneficio viueret, decretus triumphus: Pansæ atq; Hirtij corpora publica sepultura honorata: Cæsaris adeo nulla habita mentio, vt legati, qui ad exercitum eius missi erant, iuberentur summoto eo milites adloqui. Non fuit tam ingratus exercitus quam fuerat senatus. nam quum „ eam iniuriam dissimulando Cæsar ferret, negauere milites sine imperatore suo vlla „ se audituros mandata. Hoc est illud tempus quo Cicero, insito amore Pompeianarum partium, Cæsarem laudandum & *tollendum censebat: quum aliud diceret, aliud intelligi vellet. Interim Antonius, fuga transgressus Alpes, primo *spe conloquij repulsus a M. Lepido; (qui pontifex maximus in C. Cæsaris locum furto creatus, decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur) mox sæpius in conspectum veniens militum; quum & Lepido omnes imperatores forent meliores, & multis Antonius, dũ erat sobrius, per *auersa castrorum proruto vallo militibus receptus est; qui titulo imperij cedebat Lepido, quum summa virium penes eum foret. Sub Antonij ingressum in castra Iuuentius Laterensis, vir vita ac morte consentaneus, quum acerrime suasisset Lepido ne se cum Antonio hoste iudicato iungeret, inritus consilij, gladio se ipse transfixit. Plancus deinde dubia, id est sua fide, diu quarum esset partium secũ luctatus, ac sibi difficile consentiens, & nunc adiutor D. Bruti designati COS. collegæ sui, senatuique se literis venditans, mox eiusdem proditor: Asinius autem Pollio firmus proposito, & Iulianis partibus fidus, Pompeianis aduersus: vterque exercitus tradidere Antonio. D. Brutus, desertus primo a Planco, post etiam insidiis eiusdem petitus, paulatim relinquente eum exercitu fugiens, in hospitis cuiusdam nobilis viri nomine *Capeni, domo, ab his quos miserat Antonius, iugulatus est, iustissimasque optime de se merito viro C. Cæsari pœnas dedit; cuius quum primus omnium amicorum fuisset, interfector fuit; & fortunæ ex qua fructum tulerat, inuidiam in auctorem relegabat; censebatque æquum, quæ acceperat a Cæsare, retinere; Cæsarem, qui illa dederat, *perire. Hæc sunt tempora quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonij memoriæ inussit notas: sed hic fulgentissimo & cælesti ore; ac tribunus *Cannutius continua rabie lacerabat Antonium. „ Vtrique vindicta libertatis, morte stetit: sed tribuni sanguine commissa proscriptio. Ciceronis vel satiato Antonio pœna finita. Lepidus deinde a senatu hostis iudicatus est, vt ante fuerat Antonius. Tum inter eum Cæsaremque & Antonium, commercia epistolarum, & conditionum *facta mentio; quum Antonius & subinde Cæsarem admoneret quam inimicæ ipsi Pompeianæ partes forent, & in quod iam emersissent fastigium, & quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur, denun-

denuntiaretque se cum Bruto Cassioque, qui iam decem & septem legionum potē-
tes erant, iuncturum vires suas, si Cæsar eius aspernaretur concordiam; diceretque
plus Cæsarem patris quam se amici vltioni debere. *Igitur inita potentiæ societas, &,
hortantibus orantibusque exercitibus, inter Antonium etiam & Cæsarem facta adfi- 710
nitas, quum esset priuigna Antonij desponsa Cæsari; consulatumque iniit Cæsar pri-
die quam viginti annos impleret, x Calend. Octobres, cum collega Q. Pedio, post vr
bem conditam annis *DCCIX, ante LXXII quam tu M. Vinici consulatum inires. Vi-
dit hic annus Ventidium, per quam vrbem inter captiuos Picetium in triumpho du-
ctus erat, in ea *consularem prætextam iungentem prætoriæ. idem hic postea trium-
phauit. Furente deinde Antonio simulque Lepido, quorum vterque (vt prædixi- “
mus) hostes iudicati erant; quum ambo mallent sibi nuntiari quid passi essent quam “
quid *meruissent, repugnante Cæsare, sed frustra aduersus duos, instauratum Syllani
exempli malum, *proscriptio*. Nihil tam indignum illo tempore fuit quam quod aut 710 “
Cæsar aliquem proscribere *coactus est, aut ab illo Cicero proscriptus est, abscis- “
saque scelere Antonij vox publica est; quum eius salutem nemo defendisset, qui per
tot annos & publicam ciuitatis & priuatam ciuium defenderat. Nihil tamē egisti M.
Antoni, (cogit enim excedere propositi formam operis erumpens animo ac pectore
indignatio) nihil inquam egisti, mercedem cælestissimi oris & clarissimi capitis * ab-
scissi numerando, *auctoramentoque funebri ad conseruatoris quondam reipubli-
cæ, tantique COS. irritando necem. Rapuisti tu M. Ciceroni lucem sollicitam, & æ-
tatem senilem, & vitam *miseriorem te principe, quam sub te triumuiro mortem. Fa
mam vero gloriamque factorum atque dictorum, adeo nō abstulisti, vt auxeris. Vi-
uit viuetque per omnem seculorum memoriam. Dumque hoc vel forte, vel proui-
dentia, vel vtcumque cōstitutum rerum naturæ corpus, quod ille pene solus Roma-
norum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentia inluminauit, manebit inco-
lume; comitem æui sui laudem Ciceronis trahet, omnisque posteritas illius in te scri-
pta mirabitur, tuum in eum factum exsecrabitur, citiusque in mundo genus hominū
quam . . . . . . cedet. Huius totius temporis fortunam ne deflere quidē quis-
quam satis digne potuit: adeo nemo exprimere verbis potest. Id tamen notandum
est, fuisse in proscriptos vxorum fidem summam, libertorum mediam, seruorum a-
liquam, filiorum nullam. adeo difficilis est hominibus vtcumque conceptæ spei mo- “
ra. Ne quid vlli sanctum relinqueretur, *velut in dotem inuitamentumque sceleris,
Antonius L. Cæsarem auunculum, Lepidus Paulum fratrem proscripserant. Nec
Planco gratia defuit ad impetrandum vt frater eius Plancus Plotius proscriberetur.
Eoque inter iocos militareis, qui currum Lepidi Planci que sequuti erant, inter exse-
crationem ciuium vsurpabant hunc versum; *De Germanis, non de Gallis, duo triumphāt consules.* Suo præteritum loco referatur. neq; enim persona vmbram actæ rei capit.
Dum in acie Pharsalica Africaque de summa rerum Cæsar dimicat, M. Cœlius, vir 705
eloquio animoque Curioni simillimus, sed in vtroq; perfectior, nec minus ingenio-
se nequam, *quum ne a diis quidē seruari posset; quippe peior illi res familiaris quam
mens erat; in prætura nouarum tabularum auctor exstitit, nequiitque senatus au-
ctoritate & COSS. deterreri: accito etiam Milone Annio; qui non impetrato redi-
tu, Iulianis partibus infestus erat, in vrbe *seditionem aut magis occulte bellicum
tumultum mouens, primo summotus a republica; mox consularibus armis au-
ctore senatu circa * Thurios oppressus est. Incepto pari, similis fortuna Milonis
fuit: qui Compsam in Irpinis oppugnans, ictusque lapide, tum P. Clodio, tum
patriæ, quam armis petebat, pœnas dedit: vir inquies, & vltra* fortem temerarius.
Quatenus autem aliquid ex omissis peto, notetur immodica & intempestiua liber-
tate vsos aduersus C. Cæsarem, Marullum Epidium, Flauumque Cæsetium tr. pl. dū 709
arguunt in eo regni voluntatem, pene vim dominationis expertos. In hoc tamen sæ-
pe lacessiti principis ira excessit, vt censoria potius contentus nota quam animaduer-
sione dictatoria, summoueret eos a republica, testareturque esse sibi miserrimum
quod aut natura sua ei excedendum foret, aut minuenda dignitas. Sed ad ordinem “
reuertendum est. Iam & Dolabella in Asia C. Treboniū consularē, cui succedebat, 711
fraude deceptum, Smyrnæ occiderat; virum aduersus merita Cęsaris ingratissimum,

participemque cædis eius a quo ipse in consulare prouectus fastigium fuerat. Et C. Cassius, acceptis a Staio *Murco & Crispo Marcio, prætoriis viris, *imperatoribus *prævalidis, in Syria legionibus, inclusum Dolabellam, qui præoccupata Asia in Syriam peruenerat, Laodicea expugnata interfecerat; ita tamē vt ad ictum serui sui Dolabella non segniter ceruicem daret: & decem legiones in eo tractu sui iuris fecerat. & M. Brutus C. Antonio fratri M. Antonij in Macedonia, Vatinioque circa Dyrrhachium volentes legiones extorserat; sed Antonium bello lacessierat, Vatinium dignatione obruerat; quum & Brutus cuilibet ducum præferendus videretur, & Vatinius „ nulli *nomini non esset postferendus: in quo deformitas corporis cum turpitudine „ certabat ingenij; adeo vt animus eius dignissimo domicilio inclusus videretur: eratq; septem legionibus validus. Et lege Pedia, quam cos. Pedius collega Cæsaris tulerat, omnibus qui Cæsarem patrem interfecerāt, aqua ignique *damnatis interdictum erat. quo tempore Capito patruus meus, vir ordinis senatorij, Agrippæ subscripsit in C. Cassium. Dumque ea in Italia geruntur, acri atque prosperrimo bello Cassius Rhodum, rem immanis operis, ceperat, Brutus Lycios deuicerat, & inde in Macedoniam exercitus *transiecerant; quum per omnia repugnans naturæ suæ Cassius, „ etiam Bruti clementiam vinceret. Neque reperias quos aut pronior fortuna comitata „ sit, aut veluti fatigata maturius destituerit quam Brutum & Cassium. Tum Cæsar & Antonius *transiecerūt exercitus in Macedoniam, & apud vrbem Philippos cum M. Bruto Cassioque acie concurrerunt. Cornu cui Brutus præerat, impulsis hostibus castra Cæsaris cepit. nam ipse Cæsar, etiamsi infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab *Artorio medico ne in castris remaneret, manifeste denuntiatione quietis territo: id autem in quo Cassius fuerat, fugatum ac male multatum in altiora se receperat loca. Tum Cassius ex sua fortuna euentum collegæ æstimans, quum dimisisset *euocatum, iussissetque nuntiare sibi quæ esset multitudo ac vis hominum quæ ad se tenderet, tardius eo nuntiante, quum in vicino esset agmen cursu ad eum tendentium, neque puluere facies aut signa denotari possent, existimans hostes esse qui inruerent, lacerna caput circumdedit, extentamque ceruicem interritus liberto præbuit. Deciderat Cassij caput, quum euocatus aduenit, nuntians Brutum esse victorem. qui quum imperatorem prostratum videret, *Sequar*, inquit, *eum quem mea occidit tarditas*: & ita in gladium *incubuit. Post paucos deinde dies Brutus conflixit cum hostibus; & victus acie, quum in tumulum nocte ex fuga se recepisset, impetrauit a Stratone *Ægeate familiari suo, vt manum morituro commodaret sibi: reiectoque læuo super caput brachio, quum mucronem gladij eius dextera tenens, sinistræ admouisset mamillæ, ad eum ipsum locum quâ cor emicat, impellēs se in vulnus, vno ictu transfixus exspirauit. Protinus Messalla fulgentissimus iuuenis, proximus in illis castris Bruti Cassiique auctoritati, quum essent qui eum ducē poscerent, seruari beneficio Cæsaris maluit quam dubiam spem armorum tentare amplius. Nec aut Cæsari quidquam ex victoriis suis fuit lætius quam seruasse Coruinū; aut maius exemplum hominis grati ac pij quam Coruinus in Cæsarem fuit. Non aliud bellum cruentius cæde clarissimorum virorum fuit. Tum Catonis filius cecidit. Eadem Lucullum Hortensiumque, eminentissimorū ciuium filios, fortuna abstulit: nam Varro ad ludibrium moriturus Antonij, digna illo ac vera de exitu eius magna cum libertate *ominatus est. Drusus Liuius, *Iuliæ Augustæ pater; & Varus Quintilius, ne tentata quidem hostis misericordia, alter se ipse in tabernaculo interemit; Varus autem, liberti, quem id facere coegerat, manu, quum se insignibus honorum velasset, iugulatus est. Hunc exitum M. Bruti partium septimum & xxx annum agentis fortuna esse voluit, corrupto animo eius *in diem quæ illi omnes virtutes vnius temeritate facti abstulit. Fuit autem dux Cassius melior, quanto vir Brutus: e quibus Brutum amicum habere malles, inimicum magis timeres Cassium. in altero maior vis, in altero virtus. qui si vicissent, quantum reipublicæ interfuit, Cæsarem potius habere quam Antonium principem; tantum retulisset habere Brutum quam Cassium. Cn. Domitius, pater L. Domitij, nuper a nobis visi, eminentissimæ ac nobilissimæ simplicitatis viri, auus huius Cn. Domitij clarissimi iuuenis, *occupatis nauibus, cum magno sequentium consilia sua comitatu, fugæ fortunæque se commisit,

semetipso

ſemetipſo contentus duce partium. Staius Murcus, qui claſſi & cuſtodiæ maris præ-
fuerat, cum omni commiſſa ſibi parte *exercitus nauiumque, Sext. Pompeium Cn.
Magni filium, qui ex Hiſpania reuertens Siciliam armis occupauerat, petiit: ad quem
& e Brutianis caſtris, & ex Italia, aliiſque terrarum partibus, quos præſenti periculo
fortuna ſubduxerat, proſcripti confluebant. quippe nullum habentibus ſtatum, qui-
libet dux erat idoneus; quum fortuna non electionem daret, ſed perfugium oſtende-
ret; exitialemque tempeſtatem fugientibus ſtatio pro portu foret. Hic adoleſcens e-
rat ſtudiis rudis, ſermone barbarus, impetu ſtrenuus, manu promptus, *cogitatione
celer, fide patri diſſimillimus, libertorum ſuorum libertus, ſeruorumque ſeruus, ſpe-
cioſis inuidens vt pareret humillimis: quem ſenatus, pene totus adhuc e Pompeianis
conſtans partibus, poſt Antonij a Mutina fugã, eodem illo tempore quo Bruto Caſ-
ſioque tranſmarinas prouincias decreuerat, reuocatum ex Hiſpania, vbi aduerſus
eum clariſſimum bellum Pollio Aſinius prætorius geſſerat, in paterna bona reſtitue-
rat, & oræ maritimæ præfecerat. Is tum (vt prædiximus) occupata Sicilia, ſeruitia fu- 717
gitiuoſque in numerum exercitus ſui recipiens, magnum modum legionum effece-
rat, perque Menam & Menecratem paternos libertos præfectos claſſium, latrociniis
ac prędationibus infeſtato mari, ad ſe exercitumque tuendum rapto vtebatur; quum
eum non depuderet vindicatum armis ac ductu patris ſui mare, infeſtare piraticis ſce-
leribus. Fractis Brutianis Caſſianiſque partibus, Antonius tranſmarinas obiturus
prouincias ſubſtitit, Cæſar in Italiam ſe recepit; eamque longe quam ſperauerat tu- 712
multuoſiorem reperit. quippe L. Antonius COS. vitiorum fratris ſui conſors, ſed vir-
tutum quæ interdum in illo erant, expers; modo apud veteranos criminatus Cæſa-
rem, modo eos qui iuſte diuiſione prædiorum, nominatiſque colonis, agros amiſe-
rant, ad arma conciens, magnum exercitum conflauerat. Ex altera parte vxor Anto-
nij Fuluia, nihil muliebre præter corpus gerens, omnia armis tumultuque miſcebat.
Hæc belli ſedem Præneſte ceperat: Antonius, pulſus vndique viribus Cæſaris, Peru-
ſiam ſe contulerat. Plancus, Antonianarum adiutor partium, ſpem magis oſtenderat
auxilij quam opem ferebat Antonio. Vſus Cæſar virtute & fortuna ſua, Peruſiam
expugnauit: Antonium inuiolatum dimiſit: in Peruſinos magis ira militum quam
voluntate ſæuitum ducis. vrbs incenſa; cuius initium incendij princeps eius loci fe-
cit Macedonicus: qui ſubiecto rebus ac penatibus ſuis igni, transfixum ſe gladio flã-
mæ intulit. Per eadem tempora exarſerat in Campania bellum, quod, profeſſus
eorum qui perdiderant agros patrocinium, ciebat Tib. Claudius Nero prætorius &
pontifex, Tib. Cæſaris pater, magni vir animi doctiſſimique ingenij. id quoque ad-
uentu Cæſaris ſepultum atque diſcuſſum eſt. Quis fortunæ mutationes, quis dubios
rerum humanarum caſus ſatis mirari queat? quis non diuerſa præſentibus, contra-
riaq; exſpectatis, aut ſperet aut timeat? Liuia, nobiliſſimi & fortiſſimi viri Druſi *Clau-
diani filia, genere, probitate, forma, Romanarum eminentiſſima, quam poſtea con-
iugem Auguſti vidimus, quam *tranſgreſſi ad deos ſacerdotem ac filiam; tum fugiẽs
mox futuri ſui Cæſaris arma, *vix bimum hunc Tiberium Cæſarem, vindicem Ro-
mani imperij, futurumque eiuſdem Cæſaris filium, geſtans ſinu, per auia itinerum,
vitatis militum gladiis, vno comitante, quo facilius occultaretur fuga, peruenit ad
mare, & cum viro Nerone peruecta in Siciliam eſt. Quod alieno teſtimonium red-
derem, *eo non fraudabo auum meum. quippe C. Velleius honoratiſſimo inter illos
CCCLX iud. loco a Cn. Pompeio lectus, eiuſdem Marcique Bruti ac * Tironis præfe-
ctus fabrûm, vir nulli ſecundus, in Campania, digreſſu Neronis a Neapoli, (cuius ob
ſingularem cum eo amicitiam partium adiutor fuerat) grauis iam ætate & corpore,
*quum eum ſequi non poſſet, gladio ſe ipſe transfixit. Inuiolatam excedere Italia Cæ-
ſar paſſus Fuluiam, Plancumque muliebris fugæ comitem. nam Pollio Aſinius cum 714
ſeptem legionibus, diu retenta in poteſtate Antonij Venetia, magnis ſpecioſiſque re-
bus circa Altinum aliaſque eius regionis vrbes editis, Antonium petens, vagum ad-
huc Domitium, quem digreſſum e Brutianis caſtris poſt cædem eius prædiximus, &
propriæ claſſis factum ducem, cõſiliis ſuis illectum, ac fide data iunxit Antonio. Quo
facto, quiſquis æquum ſe præſtiterit, ſciat non minus a Pollione in Antonium, quam
ab Antonio in Pollionem eſſe conlatum. Aduentus deinde in Italiã Antonij, *para- 713

tusque contra eum Cæsaris, habuit belli metum: sed pax circa Brundisium compo-
712 sita. Per quæ tempora Rufi Saluidieni scelesta cōsilia patefacta sunt. qui natus ob-
scurissimis initiis, parum habebat *summam accepisse, & proximus a Cn. Pompeio i-
psoque Cæsare ex equestri ordine c o s. creatus esse: *ni simul ascendisset, æque infra
se & Cæsarem videret & rempublicam. Tum expostulante consensu populi, quē
grauis vrebat infesto mari annona, cum Pompeio quoque circa Misenum pax inita:
qui haud absurde, quum in naui Cæsaremque & Antonium cœna exciperet, dixit, in
Carinis suis se cœnam dare; referens hoc dictum ad loci nomen in quo paterna do-
mus ab Antonio possidebatur. In hoc pacis fœdere placuit Siciliam Achaiamq; Pō-
peio concedere: in quo tamen animus inquies manere non potuit: id vnum tantum-
„ modo salutare aduentu suo patriæ attulit, quod omnibus proscriptis, aliisque qui ad
eum ex diuersis caussis fugerant, reditum salutemque pactus est. quæ res & alios cla-
rissimos viros, & Neronem Claudium, & M. *Silanum, Sentiumque Saturninum, &
*Aruntium ac Titium restituit reipublicæ. Staium autem Murcum, qui aduentu suo
classisque celeberrimæ, vires eius duplicauerat, insimulatum falsis criminationibus,
(quia talem virum, collegam officij, Mena & Menecrates fastidierant) Pompeius in
Sicilia interfecerat. Hoc tractu temporum Octauiam sororem Cæsaris M. Anto-
nius duxit vxorem. Redierat Pompeius in Siciliam: Antonius in transmarinas pro-
uincias, quas magnis momentis Labienus ex Brutianis castris profectus ad Parthos,
producto eorum exercitu in Syriam, interfectoque legato Antonij, concusserat: qui
virtute & ductu Ventidij, vnà cum Parthorum copiis, celeberrimoque iuuenum Pa-
coro regis filio, exstinctus est. Interim Cæsar per hæc tempora, ne res disciplinæ ini-
„ micissima, otium, corrumperet militem, crebris in Illyrico Dalmatiaque expeditio-
„ nibus, patientia periculorum, bellique experientia durabat exercitum. Eadem tem-
717 pestate Caluinus Domitius, quum ex consulatu obtineret Hispaniam, grauissimi cō-
parandique antiquis exempli auctor fuit. quippe primipili centurionem nomine *Iu
717 billium, ob turpem ex acie fugam, fuste percussit. Crescente in dies & classe & fa-
ma Pompeij, Cæsar molem belli eius suscipere statuit. Ædificandis nauibus, contra-
hendoque militi ac remigi, naualibusque adsuescendo certaminibus atque exercita-
tionibus, præfectus est M. Agrippa, virtutis nobilissimæ, labore, vigilia, periculo inui-
ctus; parendique, sed vni, scientissimus, aliis sane imperandi cupidus; & per omnia ex-
tra dilationes positus, consultisque facta coniungens. Hic in Auerno ac Lucrino lacu
speciosissima classe fabricata, cotidianis exercitationibus militem remigemque ad
summam & militaris & maritimæ rei perduxit sciētiam. Hac classe Cæsar, quū prius
despondente ei Nerone, cui anté nupta fuerat, Liuiam, auspicatis reip. ominibus du-
xisset eam vxorem, Pompeio Siciliæque bellum intulit. Sed virum humana ope in-
uictum, grauiter eo tempore fortuna concussit. quippe longe maiorem partem clas-
sis circa Veliam Palinurique promontorium, adorta vis Africi, lacerauit ac *distulit.
Ea patrando bello mora fuit; quod postea dubia & interdum ancipiti fortuna gestū
est. nam & classis eodem loco vexata est tempestate: & vt nauali primo prœlio, apud
Mylas ductu Agrippæ pugnatum prospere; ita inopinato classis aduentu grauis sub i-
psius Cæsaris oculis circa Tauromenium accepta clades, neque ab ipso periculū ab-
fuit. Legiones quæ cum Cornificio erant legato Cæsaris, expositæ in terra, pene a Pō
peio oppressæ sunt. Sed ancipitis fortuna temporis, matura virtute correcta. Explica-
tis quippe vtriusque partis classibus; pene omnibus exutus nauibus, Pompeius Asiam
fuga petiuit: iussuque M. Antonij, cuius opem petierat, dum inter ducem & supplicē
tumultuatur, & nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, a Titio iugulatus est:
cui in tantum durauit hoc facinore contractum odium, vt mox ludos in theatro Pō-
peij faciens, exsecratione populi spectaculo quod præbebat pelleretur. Acciuerat
717 gerens contra Pompeium bellum ex Africa Cæsar Lepidum cum XII semiplenis le-
gionibus. Hic, vir omnium vanissimus, neque vlla virtute tam longam fortunæ indul
gentiam meritus, exercitū Pompeij, quia propior fuerat, sequentem non ipsius, sed
Cæsaris auctoritatem ac fidem, sibi iunxerat; inflatusque amplius X X legionum nu-
mero, in id furoris processerat, vt inutilis *alienæ victoriæ comes, quam diu moratus
erat diffidendo in consiliis Cæsaris, & semper diuersa his quæ aliis placebāt dicendo,
totam

totam victoriam vt suam interpretaretur: audebatque denuntiare Cæsari, excederet Sicilia. Non ab Scipionibus aliisque veteribus Romanorum ducum quidquam ausum patratumque fortius quam tunc a Cæsare. quippe quum inermis & lacernatus esset, præter nomen nihil trahens, ingressus castra Lepidi, euitatis quæ iussu hominis prauissimi tela in eum iacta erant, cum lacerna eius perforata esset lancea, aquilam legionis rapere ausus est. Scires quid interesset inter duces. Armati inermem sequuti sunt; decimoque anno quam ad dissimillimam vitæ suæ potentiam peruenerat Lepidus, & a militibus & a fortuna desertus, pulloque velatus amiculo, inter vltimam confluentium ad Cæsarem turbam latens, genibus eius aduolutus est. Vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt; spoliata quam *tueri non poterat dignitas. Subita deinde exercitus seditio (qui plerumque contemplatus frequentiam suam, a disciplina desciscit; & quod cogere se putat posse, rogare non sustinet) partim seueritate, partim liberalitate discussa principis. Speciosumque per id tempus adiectum supplementum Campanæ coloniæ, eius reditus erant publici. pro his longe vberiores reditus, duodecies H-S, in Creta insula redditi, & aqua promissa, quæ hodieque singulare & salubritatis instar & amœnitatis ornamentum est. Insigne *coronæ classicæ, quo nemo vmquam Romanorũ donatus erat, hoc bello Agrippa singulari virtute meruit. Victor deinde Cæsar reuersus in vrbem, contractas emptionibus complures domos per procuratores, quo laxior fieret ipsius, publicis se vsibus destinare professus est: templumque Apollini, & circa porticus facturum promisit; quod ab eo singulari exstructum munificentia est. Qua æstate Cæsar tam prospere Lepidũ in Sicilia . . . bene fortuna in Cæsare & republica militauit ad orientem: quippe Antonius cum XIII legionibus *ingressus Armeniam, ac deinde Mediam, & per eas regiones Parthos petens, habuit regem eorum obuium, primoque duas legiones cũ omnibus impedimentis tormentisque & *Statiano legato amisit: mox sæpius ipse cum summo totius exercitus discrimine ea adiit pericula, quibus seruari se posse desperauerat: amissaque non minus quarta parte militum, captiui cuiusdam, sed Romani, consilio ac fide est seruatus: qui clade Crassiani exercitus captus, quum fortunam non animum mutasset, accessit nocte ad stationem Romanam; prædixitque ne destinatum iter peterent, sed diuerso siluestrique peruaderent. Hoc M. Antonio *atque illis legionibus saluti fuit: de quibus tamen totoque exercitu haud minus pars quarta (vt prædiximus) militum; calonum seruitiique desiderata [tertia] est; impedimentorum vix vlla superfuit. Hanc tamen Antonius fugam suam, quia viuus exierat, victoriam vocabat. Qui tertia æstate reuersus in Armeniam, regem eius Artauasden fraude deceptum, catenis, sed (ne quid honori deesset) aureis vinxit. Crescente deinde & amoris in Cleopatram incendio, & vitiorum (quæ semper facultatibus licentiaque & assentationibus aluntur) magnitudine bellum patriæ inferre cõstituit; quum ante Nouum se Liberum patrem appellari iussisset, quum redimitus hederis, coronaque velatus aurea, & thyrsum tenens, *cothurnisque succinctus, curru velut Liber pater vectus esset Alexandriæ. Inter hunc apparatum belli, Plancus non iudicio recta legendi, neque amore reipublicæ aut Cæsaris, (quippe hæc semper impugnabat) sed morbo proditor; quum fuisset humillimus assentator reginæ, & infra seruos cliens; quum Antonij librarius, quum obscœnissimarum rerum & auctor & minister; quum in omnia & *omnibus venalis; quum *cæruleatus & nudus, caputque redimitus arundine, & *caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in conuiuio; refrigeratus, ab Antonio, ob manifestarum rapinarum indicia, transfugit ad Cæsarem. Et idem postea clementiam victoris pro sua virtute interpretabatur; dictitans id probatum a Cæsare, cui ille ignouerat. *Hunc mox auunculum Titius imitatus est. Haud absurde Coponius, vir prætorius *grauissimus, P. Silij socer; quum recens transfuga multa ac *miranda Plancus absenti Antonio in senatu obiiceret, *Multa*, inquit, *mehercules fecit Antonius pridie quam tu illum relinqueres.* Cæsare deinde 722
& Messala Coruino COSS. debellatum apud Actium; vbi longe antequam dimicaretur, exploratissima Iulianarum partium fuit victoria. Vigebat in hac parte miles atque imperator; *illa, marcebant omnia: hinc reges firmissimi, illinc inopia adfectissimi: nauium *hinc magnitudo modica, sed celerior; ex aduerso illa specie terribilior.

hinc ad Antonium nemo; illinc ad Cæſarem quotidie aliqui transfugiebant. Denique in ore atque oculis Antonianæ claſſis per Marcum Agrippam Leucas expugnata, Patræ captæ, Corinthus occupata: bis ante vltimum diſcrimen claſſis hoſtium ſuperata. Rex Amyntas meliora & vtiliora ſequutus: *inde illius exēplo vir audax Dolabella; virque clariſſimus Cn. Domitius, qui ſolus Antonianarum partium, numquam reginam niſi nomine ſalutauit; maximo & præcipiti periculo tranſmiſit ad Cæſarem. Aduenit deinde maximi diſcriminis dies, quo Cæſar Antoniuſque productis claſſibus, pro ſalute alter, in ruinam alter terrarum orbis dimicauere. Dextrum nauium Iulianarum cornu *M. Lario cōmiſſum, læuum Aruntio, Agrippæ omne claſſici certaminis arbitrium: Cæſar ei parti deſtinatus in quam a fortuna vocaretur, vbique aderat. Claſſis Antonij regimen Publicolæ Soſioque commiſſum. At in terra locatum exercitum Taurus Cæſaris; Antonij regebat Canidius. Vbi initum certamen eſt, omnia in altera parte fuere, dux, remiges, milites: in altera nihil præter milites. Prima occupat fugam Cleopatra: Antonius fugientis reginæ quam pugnātis militis ſui comes eſſe maluit: & Imperator, qui in deſertores ſæuire debuerat, deſertor exercitus ſui factus eſt. illis, etiam detracto capite, in longum fortiſſime pugnandi durauit conſtantia: & deſpetata victoria, in mortem dimicabatur. Cæſar, quos ferro poterat interimere, verbis mulcere cupiens, clamitanſque, & oſtendens fugiſſe Antonium, quærebat pro quo & cum quo pugnarent. At illi, quum diu pro abſente dimicaſſent duce, ægre ſummiſſis armis, ceſſere victoriam: citiuſque vitam veniamque Cæſar promiſit quam illis vt ea precarentur, perſuaſum eſt. Fuitque in confeſſo, milites, optimi imperatoris; imperatorem, fugaciſſimi militis functum officio. *Videtur, e ſuo an Cleopatræ arbitrio victoriam temperaturus fuerat, qui ad eius arbitrium direxit fugam. Idem locatus in terra fecit exercitus, quum ſe Canidius præcipiti fuga rapuiſſet ad Antonium. Quid ille dies terrarum orbi præſtiterit, *ex quo in quem ſtatum peruenerit fortuna publica, quis in hoc tranſcurſu tam artati operis exprimere audeat? Victoria vero fuit clementiſſima; nec quiſquam interemptus niſi pauciſſimi, & hi qui deprecari quidem pro ſe non ſuſtinerent. Ex qua lenitate ducis colligi potuit, quem aut initio triumuiratus ſui, aut in campis Philippicis (ſi ſic licuiſſet) victoriæ ſuæ facturus fuerit . . . ad folium alarunt, in priſca grauitate celeberrimi fides; mox diu clementia luctatus ſua Cæſar, ſeruauit incolumem. Non prætereatur Aſinij Pollionis factum & dictum memorabile. namque quum ſe poſt Brundiſinam pacem continuiſſet in Italia, neque aut vidiſſet vnquam reginam, aut poſt eneruatū amore eius Antonij animum, partibus eius ſe miſcuiſſet, rogāte Cæſare vt ſecum ad bellū proficiſceretur Actiacum; *Mea*, inquit, *in Antonium maiora merita ſunt; illius in me beneficia notiora: itaque diſcrimine veſtro me ſubtraham, & ero præda victoris.* Proximo deinde anno perſequutus reginam Antoniumque Alexandriam, vltimam bellis ciuilibus impoſuit manum. Antonius ſe ipſe non ſegniter interemit; adeo vt multa deſidiæ crimina morte redimeret. At Cleopatra, fruſtratis cuſtodibus, illata aſpide, morſu ſane eius, expers muliebris metus, ſpiritum reddidit. Fuitque & fortuna & clementia Cæſaris dignum, quod nemo ex iis qui contra eum arma tulerant, ab eo iuſſuue eius interemptus. D. Brutum Antonij interemit crudelitas: Sextum Pompeiū ab eodem victum, idem Antonius, quum dignitatis quoque ſeruandæ dediſſet fidem, etiam ſpiritu priuauit. Brutus & Caſſius, antequam victorum experirentur animum voluntaria morte obierunt. Antonij Cleopatræque quis fuiſſet exitus, narrauimus. Canidius timidius deceſſit quam profeſſioni eius qua ſemper vſus erat, congruebat. Vltimus autem ex interfectoribus Cæſaris, Parmenſis Caſſius morte pœnas dedit, vt dederat *Trebonius. Dum vltimam bello Actiaco Alexandrinoque Cæſar imponit manum, M. Lepidus, iuuenis forma quam mēte melior, Lepidi eius qui triumuir fuerat reipublicæ conſtituendæ filius, Iunia Bruti ſorore natus, interficiendi, ſimul in vrbem reuertiſſet, Cæſaris conſilia inierat. Tunc vrbis cuſtodiis præpoſitus C. Mæcenas; *equeſtri, ſed ſplendido genere natus, vir vbi res *vigiliam exigeret, ſane exſomnis, prouidens, atque agendi ſciens; ſimul vero aliquid ex negotio remitti poſſet, otio ac mollitiis pene vltra fœminam fluens, non minus Agrippa Cæſari carus, ſed minus honoratus: (quippe vixit *anguſto clauo pene contentus)

*nec

*nec minora consequi potuit, sed non tam concupiuit. hic speculatus est per sum-
mam quietem ac dissimulationem præcipitis consilia iuuenis; & mira celeritate, nul
laque cum perturbatione aut rerum aut hominum, oppresso Lepido, immane
noui ac resurrecturi belli ciuilis restinxit initium: & ille quidem male consultorum "
pœnas exsoluit. Æquetur prædictæ Calpurniæ Antistij, Seruilia Lepidi vxor;
quæ viuo igni deuorato, præmaturam mortem immortali nominis sui pensauit 723
memoria. Cæsar autem reuersus in Italiam atque vrbem, occursus quo fauore
omnium hominum, *ætatium, ordinum, exceptus sit; quæ magnificentia trium-
phorum eius, quæ fuerit munerum; ne in operis quidem iusti materia, ne dum
huius tam recisi digne exprimi potest. Nihil deinde optare a diis homines, nihil dij
hominibus præstare possunt, nihil voto concipi, nihil felicitate consummari, quod
non Augustus post reditum in vrbem reipublicæ populoque Romano, terrarumq;
orbi repræsentauerit. Finita vicesimo anno bella ciuilia, sepulta externa, reuocata
pax, sopitus vbique armorum furor, restituta vis legibus, iudiciis auctoritas, senatui
maiestas; imperium magistratuum ad pristinum redactum modum: tantummodo
octo prætoribus allecti duo; prisca illa & antiqua reipubl. forma reuocata: rediit cul-
tus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio,
leges emendatæ vtiliter, latæ salubriter; senatus sine asperitate nec sine seueritate le-
ctus. Principes viri, triumphisque & amplissimis honoribus functi, hortatu principis
ad ornandam vrbem inlecti sunt. Consulatus tantummodo vsque ad vndecimum,
*vt continuaret Cæsar, quum sæpe obnitens repugnasset, impetrari potuit. nam di-
ctaturam quàm pertinaciter ei deferebat populus, tam constanter repulit. Bella sub
imperatore gesta, pacatusque victoriis terrarum orbis; & tot extra Italiam domique
opera, omne æui sui spatium impensurum in id solum opus, scriptorem fatigant. Nos
memores professionis, vniuersam imaginem principatus eius, oculis animisque sub-
iecimus. Sepultis (vt prædiximus) bellis ciuilibus, coalescentibusque reip. mem-
bris, *quæ tam longa armorũ series lacerauerat, Dalmatia XX & CC rebellis ad cer- 725
tam confessionem pacata est imperij: Alpes feris multisque nationibus celebres, per-
domitæ. Hispaniæ, nunc ipsius præsentia, nunc Agrippæ, quem vsque in tertium cõ-
sulatum, & mox collegium tribunitiæ potestatis, amicitia principis euexerat, multo
varioque marte pacatæ. In quas prouincias quum initio, Scipione & Sempronio Lõ
go cõsulibus, primo anno secundi Punici, abhinc annos CCL, Romani exercitus missi
essent duce Cn. Scipione Africani patruo, per annos CC in his multo mutuoq; ita cer-
tatum est sanguine, vt amissis P. R. imperatoribus exercitibusque, sæpe contumelia,
nonnumquam etiam periculum Romano inferretur imperio. illæ enim prouinciæ
Scipiones consumpserunt: illæ contumelioso XX annorum bello sub duce Viriatho
maiores nostros exercuerunt: illæ terrore Numantini belli populum Ro. concusse-
runt. in illis turpe Q. Pompeij fœdus, turpiusque Mancini, senatus cum ignominia
dediti imperatoris rescidit. illa tot cõsulares, tot prætorios absumpsit duces; patrum-
que ætate in tantum Sertorium armis extulit, vt per quinquennium diiudicari nõ po
tuerit Hispanis Romanis ne in armis plus esset roboris, & vter populus alteri paritu-
rus foret. Has igitur prouincias tam diffusas, tam frequenteis, tam feras, ad eam pacẽ
abhinc annos ferme L perduxit Cæsar Augustus; vt quæ maximis bellis numquam
vacauerant, eæ sub C. Antistio, ac deinde P. Silio legato, ceterisque postea, etiam la-
trociniis vacarent. Dum pacatur occidens, ab oriente ac rege Parthorum signa Ro
mana, quæ Crasso oppresso Orodes, quæ Antonio pulso filius eius Phraates ceperãt,
Augusto remissa sunt: quod cognomen illi viro Planci sententia, consensus vniuersi
senatus populique Ro. indidit. Erant tamen qui hunc felicissimum statum odis-
sent: quippe L. Murena & Fannius Cæpio diuersis moribus (nam Murena sine hoc
facinore potuit videri bonus; Cæpio & ante hoc erat pessimus) quum inissent oc-
cidendi Cæsaris consilia, oppressi auctoritate publica, quod vi facere voluerant, iure "
passi sunt. neq; multo post Rufus Egnatius, per omnia gladiatori quam senatori pro- "
pior, collecto in ædilitate fauore populi, quem exstinguendis priuata familia incen-
diis in dies auxerat, in tantum quidem vt ei præturam continuaret: mox etiam con-
sulatum petere ausus, quum esset omni flagitiorum scelerumq; conscientia mersus,

nec melior illi res familiaris quam mens foret; adgregatis simillimis sibi, interimere
» Cæsarem statuit; vt quo saluo saluus esse non poterat, eo sublato moreretur. quippe i-
» ta se mores habent, vt publica quisque ruina malit occidere quam sua proteri, & idẽ
» passurus minus conspici. Neque hic prioribus in occultando felicior fuit; abditusque
carceri, cum consciis facinoris mortem dignissimam vita sua obiit. Præclarum ex-
cellentis viri factum C. Sentij Saturnini circa ea tempora consulis, ne fraudetur me-
moria. Aberat in ordinandis Asiæ orientisque rebus Cæsar, circumferens terrarum
orbi præsentia sua pacis suæ bona; tum Sentius forte & solus, & absente Cæsare con-
sul, quum alia prisca seueritate summaque constantia, vetere consulum more ac se-
ueritate gessisset, protraxisset publicanorum fraudes, punisset auaritiam, regessisset in
ærarium pecunias publicas, tum in comitiis habendis præcipuum egit consulẽ. Nam
& quæsturam petentes, quos indignos iudicauit, profiteri vetuit; & quum id factu-
ros se perseuerarent, consularem, si in campum descẽdissent, vindictam minatus est.
Et Egnatium florentem fauore publico, sperantemque vt præturam ædilitati, ita con
sulatum præturæ se iuncturum, profiteri vetuit. & quum id non obtinuisset, iurauit,
etiamsi factus esset cos. suffragiis populi, tamen se eum non renuntiaturum. Quod
» ego factum cuilibet veterum consulum gloriæ comparandum reor; nisi quod natu-
» raliter audita visis laudamus libentius: & præsentia, inuidia; præterita, veneratione
» prosequimur; & his nos obrui, illis instrui credimus. Ante triennium fere quam
Egnatianum scelus erumperet, circa Murenæ Cæpionisque coniurationis tempus,
ab hinc annos L, M. Marcellus sororis Augusti Octauiæ filius, quem homines, ita (si-
quid *accidisset Cæsari) successorem potentiæ eius arbitrabantur futurum, vt tamen
id per M. Agrippam secure ei posse contingere non existimarent: magnificentissimo
730 munere ædilitatis edito decessit; admodum iuuenis, sane ingenuarum (vt aiunt) vir-
tutum; lætusque animi & ingenij, fortunæque in quam alebatur, capax. Post cuius
obitum, Agrippa, qui sub specie ministeriorum principalium profectus in Asiam, (vt
fama loquitur) ob tacitas cum Marcello offensiones, præsenti se subduxerat tempori,
732 reuersus inde, filiam Cæsaris Iuliam, quam in matrimonio Marcellus habuerat, du-
xit vxorem; fœminam neque sibi neque reipublicæ felicis vteri. Hoc tractu tem-
porum TIB. CLAVDIVS NERO, quo *prius nato (vt prædiximus) Liuia Drusi
Claudiani filia, despondente Nerone, cui ante nupta fuerat, Cæsari nupserat; innu-
tritus cælestium præceptorum disciplinis; iuuenis genere, forma, celsitudine corpo-
ris, optimis studiis, maximoque ingenio instructissimus; qui protinus, quantus est,
sperari potuerat, * visusque prætulerit principem; Quæstor, vndeuicesimum annũ
agens, capessere cœpit rempubl. maximamque difficultatem annonæ, ac rei frumẽ-
tariæ inopiam, ita Ostiæ atque in vrbe mãdato *vitrici moderatus est, vt per id quod
agebat, quantus euasurus esset, eluceret. Nec multo post missus ab eodem vitrico
cum exercitu ad visendas ordinandasque, quæ sub Oriente sunt, prouincias, præci-
puis omnium virtutum experimẽtis in eo tractu editis, cum legionibus ingressus Ar-
meniam, redacta ea in potestatem P. R. regnum eius Artauasdi *dedit. cuius rex quo-
que Parthorum tanti nominis fama territus, liberos suos ad Cæsarem misit obsides.
Reuersum inde Neronem Cæsar haud mediocris belli molem experiri statuit, adiu-
tore operis dato fratre ipsius Druso Claudio, quem intra Cæsaris penates enixa erat
746 Liuia. Quippe vterque diuisis partibus Rhætos Vindelicosque adgressi, multis vrbiũ
& castellorum oppugnationibus, necnon directa quoque acie feliciter functi, gen-
tes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, maiore cũ
periculo quam damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine perdomue-
731 runt. Ante quæ tempora censura Planci & Pauli acta inter discordiam, neque ipsis
honori, neque reipubl. vsui fuit; quum alteri vis censoris, alteri vita deesset: Paulus vix
posset implere censorem; Plancus timere deberet ne quidquam obiicere posset adu-
lescentibus, aut obiicientes audire quod non agnosceret senex. Mors deinde Agrip-
pæ (qui nouitatem suam multis rebus nobilitauerat, atque in hoc perduxerat vt & Ne
ronis esset socer, cuiusque liberos nepotes suos D. Augustus, præpositis Caij ac Lucij
nominibus, adoptauerat) admouit propius Neronem Cæsari: quippe filia eius Iulia,
741 quæ fuerat Agrippæ nupta, Neroni nupsit. Subinde bellum Pannonicum; quod
inchoatum

inchoatum Agrippa Marcoque Vinicio auo tuo coss. magnum atroxque & perquã
vicinum imminebat Italiæ, per Neronem gestum est. Gentes Pannoniorum, Dal-
matarumque nationes, situmque regionum ac fluminum, numerumque & modũ
virium, *excellentissimasque & multiplices eo bello victorias tanti imperatoris, alio
loco explicabimus: hoc opus seruet formam suam. Huius victoriæ compos Nero, o-
uans triumphauit. Sed dum in hac parte imperij omnia geruntur prosperrime, ac-
cepta in Germania clades sub legato M. Lollio (homine in omnia pecuniæ quam re-
cte faciendi cupidiore, & inter summam vitiorum dissimulationem vitiosissimo) a-
missaque legionis quintæ aquila, vocauit ab vrbe in Gallias Cæsarem. Cura dein- 744
de atque onus Germanici belli, delegata Druso Claudio fratri Neronis, adolescenti
tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit vel industria per-
cipit: cuius ingeniũ vtrũ bellicis magis operibus an ciuilibus suffecerit artibus, in in-
certo est: morũ certe dulcedo ac suauitas, & aduersus amicos æqua ac par sui æstima-
tio, inimitabilis fuisse dicitur. nam pulchritudo corporis proxima fraternæ fuit. Sed
illũ magna ex parte domitorẽ Germaniæ, plurimo eius gentis variis in locis profuso
sanguine, fatorum iniquitas, consulem, agentem annum tricesimum, rapuit. Moles
deinde eius belli translata in Neronem est, quod is sua & virtute & fortuna admini-
strauit; *peragratusque victor omneis parteis Germaniæ, sine vllo detrimento com-
missi exercitus (quod præcipue huic duci semper curæ fuit) sic perdomuit eam vt in
formam pene stipendiariæ redigeret prouinciæ. Tum alter triumphus cum altero
consulatu ei oblatus est. Dum ea quæ prædiximus in Pannonia Germaniaque ge- 742
runtur, atrox in Thracia bellum ortum, omnibus eius gentis nationibus in arma ac-
censis, L. Pisonis, quem hodieque diligentissimum, atque eundem lenissimum secu-
ritatis vrbanæ custodem habemus, virtus compressit. quippe legatus Cæsaris trien-
nio cum his bellauit; gentesque ferocissimas plurimo cum earum excidio nunc acie,
nunc expugnationibus in pristinum pacis redegit modum; eiusque patratione, Asiæ
securitatem, Macedoniæ pacem reddidit. De quo viro hoc omnibus sentiendum ac
prædicandum est, esse mores eius *vigore ac lenitate mixtissimos, & vix quemquam
reperiri posse qui aut otium validius diligat, aut facilius sufficiat negotio, & magis quę
agenda sunt curet sine vlla ostentatione agendi. Breui interiecto spatio, Tib. Nero,
duobus consulatibus totidemque triumphis actis, tribuniciæ potestatis *consortione 747
æquatus Augusto ciuium post vnum (& hoc, quia volebat) eminentissimus, ducum
maximus, fama fortunaque celeberrimus, & vere alterum reipubl. lumen & caput;
mira quadã & incredibili atque inenarrabili pietate (cuius caussæ mox detectæ sunt)
quum C. Cæsar sumpsisset iam virilem togam, Lucius item maturus esset viris, ne
fulgor suus orientium iuuenum obstaret initiis, dissimulata caussa consilij sui, com-
meatum ab socero, atque eodem vitrico, acquiescendi a continuatione laborum, pe 752
tiit. Quis fuerit eo tempore ciuitatis habitus, qui singulorum animi, quæ digredien-
tium a tanto viro omnium lacrymæ, quam pene ei patria manum iniecerit, iusto ser-
uemus operi. Illud etiam in hoc transcursu dicendũ est, ita septem annos Rhodi mo-
ratum [esse,] vt omnes qui pro consulibus legatique in transmarinas profecti prouin-
cias, visendi eius gratia *ad quem conuenientes, semper priuatos illa maiestas priuata
numquam fuit, fasces suos summiserint, fassique sint otium eius honoratius imperio
suo. Sensit terrarum orbis digressum a custodia Neronem vrbis. nam & Parthus
desciscens a societate Romana, adiecit Armeniæ manum; & Germania auersis do-
mitoris sui oculis, rebellauit. At in vrbe eo ipso anno quo magnificentissimi gladia-
torij muneris, naumachiæque spectaculis, D. Augustus, abhinc annos XXX, se & Gal
lo Caninio consulibus, dedicato Martis templo, animos oculosque P. R. repleuerat,
fœda dictu memoriaque horrẽda in ipsius domo tempestas erupit. Quippe filia eius
Iulia, per omnia tanti parẽtis ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter pos-
set fœmina, luxuria, libidine infectũ reliquit: *magnitudinemq; fortunæ suæ peccãdi
licentia metiebatur, quidquid liberet, pro licito * vindicans. Tum *Iulus Antonius,
singulare exemplum clementiæ Cæsaris, violator eius domus, ipse sceleris a se com-
missi vltor fuit; quem victo eius patre, non tantum incolumitate donauerat, sed sa-
cerdotio, prætura, consulatu, prouinciis, honoratũ etiã matrimonio sororis suæ filiæ,

in arctissimam adfinitatem receperat: Quintiusque Crispinus, singularem nequitiã supercilio truci protegens; & Appius Claudius,& Sempronius Gracchus,ac Scipio; aliique minoris nominis vtriusque ordinis viri,quasi cuiuslibet vxore violata, pœnas pependere,quum Cæsaris filiam, & Neronis violassent coniugem. Iulia relegata in insulam,patriæque & parentum subducta oculis.quam tamen comitata mater Scribonia,voluntarij exsilij permansit comes. Breue ab hoc intercesserat spatium,quũ C.Cæsar antè aliis prouinciis *ad sedandum obitis,in Syriam missus, conuento prius Tib.Nerone,cui omnem honorem vt superiori habuit,tam varie se ibi gessit, vt nec laudaturum,magna; nec vituperaturum,mediocris materia deficiat. cum rege Parthorum iuuene *excelsissimo in insula quam amnis Euphrates ambiebat, æquato vtriusque partis numero coiit. Quod spectaculum stantis ex diuerso hinc Romani, illinc Parthorum exercitus, quum duo inter se eminentissima imperiorum & hominum coirent capita, perquam clarum & memorabile sub initia stipendiorum meorum,tribuno militum mihi visere contigit. quem militiæ gradum ante sub patre tuo, M.Vinici,& P.Silio auspicatus,in Thracia Macedoniaque, mox Achaia Asiaque,& omnibus ad Orientem *visis prouinciis, & ore atque vtroque maris Pontici latere; haud iniucunda tot rerum,locorum,gentium,vrbium recordatione perfruor. Prior Parthus apud Caium in nostra ripa; posterior hic apud regem in hostili epulatus est. Quo tempore M. Lollij, quem veluti moderatorem iuuentæ filij sui Augustus esse voluerat,perfida & plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata *Cæsari fama vulgauit: cuius mors intra paucos dies fortuita an voluntaria fuerit, ignoro. Sed quam hunc decessisse lætati homines,tam paulo post obisse Censorinum in iisdem prouinciis grauiter tulit ciuitas,virum demerendis hominibus genitum. Armeniam deinde ingressus,prima parte introitus prospere gessit: mox in conloquio, (cui se temere crediderat) circa *Artageram grauiter a quodam nomine Adduo vulneratus, ex eo vt corpus minus habile, ita animum minus vtilem reipublicæ habere „ cœpit. Nec defuit conuersatio hominum vitia eius assentatione alentium : etenim „ semper magnæ fortunæ comes adest adulatio) per quæ eò ductus erat, vt in vltimo ac remotissimo terrarum orbis angulo consenescere quam Romam regredi mallet. *Deinde reluctatus inuitusque reuertẽs in Italiam,in vrbe Lyciæ (*Limyram nominant) morbo obiit; quum ante annum *ferme, L.Cæsar frater eius, Hispanias petens, Massiliæ decessisset. Sed fortuna quæ subduxerat spem magni nominis, iam tum reipublicæ sua præsidia reddiderat. quippe ante vtriusque horum obitum, patre tuo P.Vinicio consule,Tiberius Nero reuersus Rhodo,incredibili lætitia patriam repleuerat. Non est diu cunctatus Cæsar Augustus. neque enim quærendus erat,quem legeret; sed legendus qui eminebat. Itaque quod post Lucij mortem adhuc Caio viuo facere voluerat,*atque vehementer repugnante Nerone erat inhibitus, post vtriusq; adulescentium obitum facere perseuerauit, vt & tribunitiæ potestatis consortionem Neroni constitueret, multum quidem eo cum domi tum in senatu recusante,& eum
756 *Ælio Cato Sentio coss. v Calend. Iul. post vrbem cõditam annis *DCCLIIII, abhinc annis *XXVII, adoptaret. Lætitiam illius diei,concursumque ciuitatis, & vota pene inferentium cælo manus,spemque conceptæ perpetuæ securitatis æternitatisque Romani imperij, vix in illo iusto opere abunde persequi poterimus, nedum hîc implere tentemus: id vnum dixisse [iuuat] quam ille omnibus fuerit [carus.] tum refulsit certa spes liberorum parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonij; omnibus hominibus salutis, quietis, pacis, tranquillitatis; adeo vt nec plus sperari potuerit, nec spei responderi felicius. Adoptatus eadem die etiam M. Agrippa; quem post mortẽ Agrippæ, Iulia enixa erat: sed in Neronis adoptione illud adiectum his ipsis Cæsaris verbis; *Hoc*(inquit)*reipublicæ caussa facio.* Non diu vindicem custodemque imperij sui morata in vrbe patria, protinus in Germaniam misit; vbi ante triennium sub M. Vinicio auo tuo clarissimo viro, immensum exarserat bellum. erat & ab eo quibusdam in locis gestum, quibusdam sustentatum feliciter; eoque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum, ornamenta triumphalia. Hoc tempus me, functum antè tribunatu castrorum, Tiberij Cæsaris militem fecit. quippe protinus ab adoptione missus cum eo præfectus equitum in Germaniam, successor officij patris

patris mei, cæleſtiſſimorum eius operum per annos continuos VIIII, præfectus aut legatus, ſpectator & (pro captu mediocritatis meæ) adiutor fui. Neque illi ſpectaculo quo *fruitus ſum, ſimile conditio mortalis recipere videtur mihi, quum per celeberrimam Italiæ partem, tractum omnem Galliæ prouinciarum, veterem imperatorem & anté meritis ac viribus quam nomine Cæſarem reuiſentes, ſibi quiſque quam illi gratularentur plenius. At vero militum conſpectu eius elicitæ gaudio lacrymæ, alacritaſque & ſalutationis noua quædam exſultatio, & contingendi manum cupiditas, non continentium protinus quin adiiceret, *Videmus te Imperator: ſaluum recepimus:* ac deinde; *Ego tecum, Imperator, in Armenia; ego in Rhætia fui: ego a te in Vindelicis, ego in Pannonia, ego in Germania donatus ſum.* neque verbis exprimi, & fortaſſe vix mereri fidem poteſt. Intrata protinus Germania, ſubacti *Caninefates, Attuari, Bructeri; recepti Cheruſci gentes; & amnis mox noſtra clade nobilis tranſitus Viſurgis. Penetrata vlteriora, quum omnem partem aſperrimi & periculoſiſſimi belli Cæſar vindicaret, in iis quæ minoris erant diſcriminis, Sentium Saturninum, qui tum legatus patris eius in Germania fuerat, præfeciſſet, virum multiplicem in virtutibus, nauum, agilem, prouidum, militariumque officiorum patientem ac peritum pariter; ſed eundem, vbi negotia feciſſent locum otio, liberaliter lauteque eo abutentem; ita tamen, vt eum ſplendidum ac hilarem potius quam luxurioſum aut deſidem diceres. de cuius viri claro celebrique conſulatu prædiximus. Anni eius æſtiua vſque in menſem Decembrem perducta, immanis emolumentum fecere victoriæ. Pietas ſua Cæſarem, pene obſtructis hieme Alpibus, in vrbem traxit; ad tutelam imperij eum veris initio reduxit in Germaniam: in cuius mediis finibus ad caput *Iuliæ fluminis hiberna digrediens princeps locauerat. Prò dij boni, quanti voluminis opera inſequenti æſtate ſub duce Tiberio Cæſare geſſimus! Perluſtrata armis tota Germania eſt; victæ gentes pene nominibus incognitæ. receptæ Cauchorum nationes; omnis eorũ iuuentus, infinita numero, immenſa corporibus, ſitu locorum tutiſſima, traditis armis vna cum ducibus ſuis, ſepta fulgenti armatoque militum noſtrorum agmine, ante Imperatoris procubuit tribunal. Fracti Langobardi, gens etiam Germana feritate ferocior. Denique, quod numquam antea ſpe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringenteſimum miliarium a Rheno vſque ad flumen Albim, qui Senonum Hermundorumque fines præterfluit, Romanus cum ſignis perductus exercitus. & eodem, mira felicitate & cura ducis temporum quoque obſeruantia, claſſis quæ Oceani circumnauigauerat ſinus, ab inaudito atque incognito ante mari flumine Albi ſubuecta, plurimarum gentium victoria, cum abundantiſſima rerum omnium copia, exercitui Cæſarique ſe iunxit. Non tempero mihi quin tantæ rerum magnitudini hoc, qualecumque eſt, inſeram. Quum citeriorem ripam prædicti fluminis caſtris occupaſſemus, & vlterior armata hoſtium iuuentute fulgeret, ſub omnem motum noſtrarum nauium protinus refugientium, vnus e barbaris ætate ſenior, corpore excellens, dignitate, quantum oſtendebat cultus, eminens; cauatum (vt illis mos eſt) ex materia conſcendit alueum: ſoluſque id nauigij genus temperans, ad medium proceſſit fluminis, & petiit liceret ſibi ſine periculo in eam quam armis tenebamus, egredi ripam, ac videre Cæſarem. Data petenti facultas. Tum adpulſo lintre, & diu tacitus contemplatus Cæſarem, *Noſtra quidem,* inquit, *furit iuuentus: quæ, quum veſtrum numen abſentium colat, præſentium potius arma metuit quam ſequitur fidem. Sed ego beneficio ac permiſſu tuo Cæſar, quos ante audiebam, hodie vidi deos; nec feliciorem vllum vitæ meæ aut optaui aut ſenſi diem.* impetratoque vt manum contingeret, reuerſus in nauiculam, ſine fine reſpectans Cæſarem, ripæ ſuorum adpulſus eſt. Victor omnium gentium locorumque quos adierat Cæſar, cum incolumi inuiolatoque, & ſemel tantummodo, magna cum clade hoſtium, fraude eorum tentato exercitu, in hiberna legiones reduxit, eadem qua priore anno feſtinatione vrbem petens. Nihil erat iam in Germania quod vinci poſſet, præter gentem Marcomanorum; quæ, Marcoboduo duce excita ſedibus ſuis, atque in *interiora refugiens, *incinctos Hercyniæ ſiluæ campos incolebat. Nulla feſtinatio huius viri mentionem tranſgredi debet. Maroboduus genere nobilis, corpore præualens, animo ferox, natione magis quam ratione barbarus;

non tumultuarium neque fortuitum,neque mobilem & ex voluntate parentium conſtantem,inter ſuos occupauit principatum; ſed certum imperium, vimque regiam complexus animo,ſtatuit auocata procul a Romanis gente ſua, eo progredi vbi,quum propter potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima. Occupatis igitur quos prædiximuss locis,finitimos omneis aut bello domuit, aut conditionibus iuris ſui fecit.Corpus ſuum cuſtoditum,imperium perpetuis exercitiis pene ad Romanæ diſciplinæ formam redactum,breui in eminens & noſtro quoque imperio timendum perduxit faſtigium: gerebatque ſe ita aduerſus Romanos, vt neque bello nos laceſſeret,& ſi laceſſeretur,ſupereſſe ſibi vim ac voluntatē reſiſtendi declararet. Legati,quos mittebat ad Cæſares, interdum vt ſupplicem commendabant, interdū vt pro pari loquebantur. Gentibus hominibuſque a nobis deſciſcentibus erat apud eum perfugium; totumque ex male diſſimulato agebat æmulum: exercitumque, quem *LX milium peditum,quatuor equitum fecerat, adſiduis aduerſus finitimos bellis exercendo,maiori quam quod habebat operi præparabat.Eratque etiam eo timendus,quod quum Germaniam ad læuam & in fronte,Pannoniam ad dextram,a tergo ſedium ſuarum haberet Noricos, tamquam in omnes ſemper venturus, ab omnibus timebatur.Nec ſecuram incrementi ſui patiebatur eſſe Italiam: quippe quū a ſummis Alpium iugis,quæ finem Italiæ terminant,initium eius finium haud multo plus CC milibus paſſuum abeſſet. Hunc virum & hanc regionem proximo anno diuerſis e partibus Tib. Cæſar adgredi ſtatuit. Sentio Saturnino mandatum vt per Cattos,exciſis continentibus Hercyniæ ſiluis,legiones Boiohœmum(id regioni quā incolebat Maroboduus,nomen eſt)*ipſe a Carnunto(qui locus Norici regni proximus ab hac parte erat)exercitum qui in Illyrico merebat, ducere in Marcomannos orſus eſt. Rumpit,interdum moratur propoſita hominum fortuna. Præparauerat iam hiberna Cæſar ad Danubium;admotoque exercitu, non plus quam quinq; dierum iter a primis hoſtium, Saturninum admoueri placuerat. pene æquali diuiſæ interuallo ab hoſte, intra paucos dies in prædicto loco cum Cæſare *iuncturæ erant; quum vniuerſa Pannonia,inſolens longæ pacis bonis,& adulta viribus Delmatia, omnibus tractus eius gentibus in ſocietatem adductis,*ex conſtituto arma corripuit. Tum neceſſaria glorioſis præpoſita; neque tutum viſum abdito in interiora exercitu vacuam tam vicino hoſti relinquere Italiam. Gentium nationumque quæ rebellauerant,omnis numerus amplius DCCC milibus explebat: CC fere peditum colligebātur armis habilia,equitum VIIII. Cuius immenſæ multitudinis,parentis acerrimis ac peritiſſimis ducibus,pars petere Italiam decreuerat,iunctam ſibi Nauporti ac Tergeſtis confinio;pars in Macedoniam eruperat; pars ſuis ſedibus præſidium eſſe deſtinauerat. Proxima duobus*Batoni ac Pinneti ducibus auctoritas erat. In omnibus autem Pannoniis non diſciplinæ tantummodo,ſed linguæ quoque notitia Romanæ; pleriſque etiam litterarum vſus,& familiaris animorum erat exercitatio. Itaque hercules, nulla vmquam natio tam mature conſilio belli bellum iunxit, ac decreta patrauit. Oppreſſi ciues Romani,trucidati negotiatores; magnus vexillariorum numerus ad internecionem,ea in regione,quæ plurimum ab Imperatore aberat,cæſus:occupata armis Macedonia,omnia & in omnibus locis igni ferroque vaſtata.quia tantus etiam huius belli metus fuit, vt ſtabilem illum & firmatum tantorum bellorum experientia Cæſaris Auguſti animum quateret atque terreret. Habiti itaque delectus; reuocati vndique omnes veterani; viri fœminæque ex cenſu libertinum coactæ dare militem. Audita in ſenatu vox principis;decimo die,ni caueretur, poſſe hoſtem in vrbis Romæ venire conſpectum.Senatorum equitumq; Romanorum exactæ ad id bellū operæ pollicitæ.Omnia hæc fruſtra præparaſſemus,niſi qui illa regeret, fuiſſet.Itaque,vt præſidium militum,reſpubl.ab Auguſto ducem in bellum popoſcit Tiberium. Habuit in hoc quoque bello mediocritas noſtra ſpecioſi miniſtri locū. Finita equeſtri militia deſignatus quæſtor,necdū ſenator æquatus ſenatoribus,* & iam deſignatis tr.pl.partē exercitus ab vrbe,traditi ab Auguſto, perduxi ad filium eius:in quæſtura deinde remiſſa ſorte prouinciæ,legatus eiuſdem ad eundē miſſus, quas nos primo anno acies hoſtium vidimus? quantis prudentia ducis opportunitatibus,furenteis eorum vireis vniuerſas euaſimus *partibus? quāto cum temperamento ſimul

vtilitatis res auctoritate imperatoris agi vidimus? qua prudentia hiberna disposita sunt? quanto opere inclusus custodiis exercitus nostri, ne quâ posset erumpere, inopsque copiarum,& intra se furens viribus hostis elanguesceret? Felix euentu, forte conatu,prima æstate belli *Messalini opus mandandum est memoriæ:qui vir animo etiam quam gente nobilior,dignissimus qui & patrem Coruinũ habuisset,& cognomen suum Cottæ fratri relinqueret:præpositus Illyrico, subita rebellione cum semiplena legione vicesima circumdatus hostili exercitu, amplius XX M hostium fudit fugauitque: & ob id ornamentis triumphalibus honoratus est. Ita placebat barbaris numerus suus, ita fiducia virium, vt vbicumque Cæsar esset, nihil in se reponerent. pars exercitus eorum,proposita ipsi duci,& ad arbitrium vtilitatemque nostram macerata,perductaque ad exitiabilem famem;neque instantem sustinere, neque faciẽtibus copiam pugnandi dirigentibusque aciem,ausa congredi,occupato monte Claudio,munitione se defendit. At ea pars quæ obuiam se effuderat exercitui, quem A. Cæcina & Siluanus Plautius *consulares ex transmarinis adducebant prouinciis,circumfusa quinque legionibus nostris,auxiliaribusque,& equitatu regio (quippe magnam Thracum manum iunctus prædictis ducibus *Romotalces Thraciæ rex, in adiutorium eius belli secum trahebat)pene exitiabilem omnibus cladem intulit. Fugata regiorum equestris acies,fugatæ alæ,conuersæ cohortes sunt. apud signa quoque legionum trepidatum. Sed Romana virtus militis plus eo tempore vindicatum gloriæ quam ducibus reliquit: qui multum amore imperatoris sui crepantes, antè in hostem inciderunt quam per exploratores, vbi hostis esset,cognoscerent. Iam igitur in dubiis rebus,semet ipsæ legiones adhortatæ,iugulatis ab hoste quibusdam tribunis militum,interempto præfecto castrorum, præfectisque cohortium, non incruentis centurionibus,* qui etiam primi ordinis cecidêre,inuasêre hostes.nec sustinuisse contenti,perrupta eorum acie, ex insperato victoriam vindicauerunt. Hoc fere tempore Agrippa,qui eodem die quo Tiberius adoptatus ab auo suo naturali erat, & iam ante biennium qualis esset apparere cœperat, mira prauitate animi atque ingenij in præcipitia conuersus, patris atque eiusdem aui sui animum alienauit sibi: moxque crescentibus in dies vitiis,dignum furore suo habuit exitum. Accipe nunc M. Vinici tantum in bello ducem,quantum in pace vides principem. Iunctis exercitibus,quique sub Cæsare fuerant,quique ad eum venerant, contractisque in vna castra decem legionibus, LXX amplius cohortibus,XIIII,sed pluribus quam decem veteranorum milibus; adhoc magno voluntariorum numero, frequentique equite regio,tanto denique exercitu quantus nullo vmquam loco post bella fuerat ciuilia, omnes eo ipso læti erant, maximamque fiduciam victoriæ in numero reponebant. At Imperator, optimus eorum quæ agebat iudex,& vtilia speciosis præferens, quodque semper eum facientem vidi in omnibus bellis,quæ probanda essent,non quæ vtique probarentur,sequens,paucis diebus exercitum qui venerat, ad refouendas ex itinere eius vires,moratus: quum eum maiorem quam vt temperari posset, neque habilem gubernaculo cerneret,dimittere statuit,prosequutusque longo & perquam laborioso itinere, cuius difficultas narrari vix potest, vt neque vniuersos quisquam auderet adgredi,& partem digredientium suorum,* metu vniuersi tentare non posset,remisit eo vnde venerant. & ipse asperrimæ hiemis initio regressus *Sisciam,legatos (inter quos ipsi fuimus) partitis præfecit hibernis. O rem dictu non eminentem, sed solida veraque virtute atque vtilitate maximam,experientia suauissimam,humanitate singularem! Per omne belli Germanici Pannonicique tempus nemo e nobis gradumue nostrum aut præcedentibus aut sequentibus imbecillus fuit, cuius salus ac valetudo non ita sustentaretur Cæsaris cura,tamquam distractissimus ille tantorũ onerum mole,huic vni negotio vacaret animus. Erat desiderantibus paratum iunctum vehiculum;lectica eius publicata;cuius beneficium cum alij, tum ego sensi. Iã medici,iam apparatus cibi, iam in hoc solum importatum instrumentum balinei, nullius non succurrit valetudini. Domus tantum ac domestici deerant; cæterum nihil quod ab illis aut præstari aut desiderari posset. Adiiciã illud quod quisquis illis tẽporibus interfuit,vt alia quæ retuli,agnoscet protinus. Solus semper equo vectus est; solus cum iis quos inuitauerat,maiore parte æstiuarum expeditionũ cœnauit sedens:

non sequentibus disciplinam, quatenus exemplo non nocebatur, ignouit: admonitio frequens inerat & castigatio, vindicta rarissima: agebatque medium plurima dissimulantis, aliqua inhibentis. Hiems emolumentum patrati belli contulit: sed insequenti æstate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus, pacem petiit. Ferocem illam tot militum iuuentutem, paulo ante seruitutem minatam Italiæ, conferentem arma quibus vsa erat apud flumen nomine Bathinum, prosternentemque se vniuersam genibus Imperatoris, Batonemque & Pinetem, excelsissimos duces, captum alterum, alterum deditum, iustis voluminibus ordine narrabimus, vt spero. Autumno victor in hiberna reducitur exercitus; cuius omnibus copiis a Cæsaribus [M.] Lepidus præfectus est, vir nominis ac fortunæ eorum proximus; quem in quantum quisque aut cognoscere aut intelligere potuit, in tantum miratur ac diligit, tantorumque nominum quibus ortus est, ornamentum iudicat. Cæsar, ad alterā belli *Delmatici molem animum atque arma contulit: in qua regione quali adiutore legatoque fratre meo Magio Celere Velleiano vsus sit, ipsius patrisque eius prædicatione testatum est; & amplissimorum honorum, quibus triumphans eum Cæsar donauit, signat memoria. Initio æstatis Lepidus educto hibernis exercitu, per gentes integras immunesque adhuc clade belli, & eo feroces ac truces, tendens ad Tiberium imperatorem, & cum difficultate locorum & cum vi hostium luctatus, magna cum clade obsistentium, excisis agris, exustis ædificiis, cæsis viris, lætus victoria, prædaque onustus, peruenit ad Cæsarem: & ob ea quæ si propriis gessisset auspiciis, triūphare debuerat, ornamentis triumphalibus, consentiente cum iudicio principum voluntate senatus, donatus est. Illa æstas maximi belli cōsummauit effectus. quippe Daorisi & Desitiates Delmatæ, situ locorum ac mōtium, ingeniorum ferocia, mira etiā pugnandi scientia, & præcipue angustiis saltuum pene inexpugnabiles, non iam ductu, sed manibus atque armis ipsius Cæsaris tum demum pacati sunt, quum pene funditus euersi forent. Nihil in hoc tanto bello, nihil in Germania aut videre maius aut mirari magis potui, quam quod imperatori numquam adeo vlla opportuna visa est victoriæ occasio quam damno amissi pensaret militis: semperque visum est gloriosum quod esset tutissimum; & ante conscientiæ quam famæ consultum; nec vnquā consilia ducis iudicio exercitus, sed exercitus prouidentia ducis rectus est. Magna in bello Delmatico experimenta virtutis, in multos ac difficileis locos præmissus Germanicus dedit: celebris etiam opera diligenti Q. Iulius Postumus, vir consularis, præpositus Delmatiæ, ornamenta meruit triumphalia: quem honorem ante paucos annos
752 Passienus & Cossus, viri quibusdam diuersis virtutibus celebres, in Africa meruerant. Sed Cossus victoriæ testimonium etiam in cognomen filij contulit, adulescentis in omnium virtutum exempla geniti. At Postumi operum L. Apronius particeps, illa quoque militia eos quos mox consequutus est, honores excellenti virtute meruit. Vtinam non maioribus experimentis testatum esset quantum in omni re fortuna posset; sed in hoc quoque genere abūde agnosci vis eius potest. nam & Seianus, vir antiquissimi moris, & priscam grauitatem semper humanitate temperans, in Germania Illyricoque, & mox in Africa, splendidissimis functus ministeriis, non merito sed materia adipiscendi triumphalia defectus est: & A. Licinius Nerua Silianus, P. Silij filius, quem virum ne qui intellexit quidem, abunde miratus est, ne nihil optimo ciui, simplicissimo duci perisset, præreptus immature, & fructu amplissimæ principis amicitiæ, & consummatione euectæ in altissimum paternumque fastigium imaginis, defectus est. horum virorum mentioni si quis quæsisse me dicet locum, fatentem arguet. neque enim iustus sine mendacio candor, apud bonos crimini est. Tantum quod vltimam imposuerat Pannonico ac Delmatico bello Cæsar manum, quum intra quinque consummati tanti operis dies, funestæ ex Germania epistolæ, cæsi Vari, trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum, & sex cohortium; velut in hoc saltem tantummodo indulgente nobis fortuna, ne occupato
761 duce. .. & caussa persona morā exigit. Varus Quintilius, illustri magis quam nobili ortus familia; vir ingenio mitis, moribus quietus, vt corpore & animo immobilior; otio magis castrorum quam bellicæ adsuetus militiæ: pecuniæ vero quam non contemptor, Syria, cui præfuerat, declarauit: quam pauper diuitem ingressus, diues pauperem

perem reliquit. Is quum exercitui, qui erat in Germania, prçesset, concepit esse homines qui nihil præter vocem membraque haberent hominum; quique gladiis domari non poterant, posse iure mulceri. Quo proposito mediam ingressus Germaniam, velut inter viros pacis gaudentes dulcedine, iurisdictionibus, agendoque pro tribunali ordine, rrahebat æstiua. At illi, quod nisi expertus vix credebar, in summa feritate versutissimi, natumque mendacio genus, simulantes fictas litium series, & nunc prouocantes alter alterum iniuria, nunc agentes gratias quod eas Romana iustitia finiret, feritasque sua nouitate incognitę disciplinæ mitesceret, & solita armis discerni iure terminarentur; in summam socordiam perduxere Quintilium; vsque eo, vt se prętorem vrbanum in foro ius dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet. Tum iuuenis genere nobilis, manu fortis, sensu celer, vltra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri principis gentis eius filius, ardorem animi vultu oculisq; præferens, adsiduus militiæ nostræ prioris comes, & iam ciuitatis Romanæ ius equestremq; consequutus gradum, segnitia ducis in occasionem sceleris vsus est: haud imprudenter speculatus, neminẽ celerius opprimi quam qui nihil timeret; & frequentissimum initium esse calamiratis, securitatem. Primo igirur paucos, mox plureis in societatem cõsilij recipit; opprimi posse Romanos & dicit & persuadet: decretis facta iungit, tempus insidiarum cõstituit. Id Varo per virum eius gentis fidelem, clariq; nominis, Segesten, indicatur: sed præualebant iam fata consiliis, omnemq; animi eius aciem *præstinxerant. quippe ita se res habet, vt plerumq; qui fortunam mutaturus est, consilia corrumpat, efficiatque quod miserrimum est; vt quod accidit, etiam merito accidisse videatur, & casus in culpam transeat. Negat itaque se credere, spemque in se beneuolentiæ ex merito æstimare profitetur. Nec diutius post primum indicem secundo relictus locus. Ordinem atrocissimæ calamitatis, qua nulla post Crassi in Parthis damnum, in externis gentibus grauior Romanis fuit, iustis voluminibus, vt alij ita nos conabimur exponere. nunc summa deflenda est. Exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, perfidia hostis, iniquitate fortunæ circumuentus: quum ne pugnandi quidem egregie occasio, in quantum voluerant, data esset miseris, castigatis etiam quibusdam graui pœna, quia Romanis & armis & animis vsi fuissent, inclusus siluis, paludibus, insidiis ab eo hoste ad internecionem trucidatus est, quem ita semper more pecudum trucidauerat, vt vitam aut mortem eius nunc ira, nunc venia temperaret. Duci plus ad moriendum quam ad pugnandum animi fuit. quippe paterni auitique exempli successor, se ipse transfixit. At e præfectis castrorum duobus quam clarum exemplum *Egilius, tam turpe Ceionius prodidit: qui, quum longe maximam partem absumpsisset acies, auctor deditionis supplicio quam prœlio mori maluit. At *Vala Numonius legatus Vari, cetera quietus ac probus, diri auctor exempli, spoliatum equite peditem relinquẽs, fuga cum alis Rhenum petere ingressus est. quod factum eius fortuna vlta est. non enim desertis superfuit, sed desertor occidit. Vari corpus semiustum *hostium lacerauerat feritas: caput eius *abscissum, latumque ad Maroboduum, & ab eo missum ad Cæsarem, gentilitij tandem tumuli sepultura honoratum est. His auditis reuolat ad patrem Cæsar; perpetuus patronus Romani imperij adsuetam sibi caussam suscipit. Mittitur ad Germaniam, Gallias confirmat, disponit exercitus, præsidia munit; se magnitudine sua, non fiducia hostium metiens, qui Cimbricam Teutonicamque militiam Italiæ minabantur: vltra Rhenum cum exercitu transgreditur. *Arminio territo, quem arguisse pater & patria contenti erant, penetrat interius, aperit limites, vastat agros, vrit domos, fundit obuios; maximaq; cum gloria, incolumi omnium quos transduxerat numero, in hiberna reuertitur. Reddatur verum L. Asprenati testimonium; qui legatus sub auunculo suo Varo militans, naua virilique opera duatum legionum quibus præerat, exercitum immunem tanta calamitate seruauit; matureque ad inferiora hiberna descendendo, vacillantium etiam cis Rhenũ sitarum gentium animos cõfirmauit. Sunt tamen qui vt viuos ab eo vindicatos, ita iugulatorum sub Varo occupata crediderint patrimonia; hæreditatemq; excisi exercitus, in quantum voluerit, ab eo aditam. Lucij etiam Cædicij præfecti castrorum, eorumq; qui vna circumdati Alisone immẽsis

Germanorũ copiis obſidebantur, laudanda virtus eſt; qui omnibus difficultatibus ſu-
peratis, quas inopia rerum intolerabileis, vis hoſtiũ faciebat inexſuperabileis; nec te-
merario conſilio, nec ſegni prouidentia vſi, ſpeculatique opportunitatem, ferro ſibi
ad ſuos peperere reditum. Ex quo apparet Varum, ſane grauem & bonæ voluntatis
virum, magis imperatoris defectum cõſilio, quam virtute deſtitutum militum, ſe ma-
gnificentiſſimumque perdidiſſe exercitum. Quum in captiuos ſæuiretur a Germa-
nis, præclari facinoris auctor fuit Caldus Cælius, vetuſtate familiæ ſuæ digniſſimus;
qui complexus catenarum quibus vinctus erat ſeriem, ita illas inliſit capiti ſuo, vt pro-
tinus pariter ſanguinis cerebrique profluuio exſpiraret. Eadem & virtus & fortuna
ſubſequenti tempore ingreſſa animum imperatoris Tiberij fuit, quæ initio fuerat; qui
concuſſis hoſtium viribus claſſicis peditumque expeditionibus, quum res Galliarum
maximæ molis, accenſaſque plebis Viennenſium diſſenſiones, coercitione magis
quam pœna molliſſet, & ſenatus populuſque Romanus, poſtulante patre eius, vt æ-
quum ei ius in omnibus prouinciis exercitibuſq; eſſet, [quam erat ipſi] decreto com-
„ plexus eſſet: (etenim abſurdum erat non eſſe ſub illo quæ ab illo vindicabantur; & qui
„ ad opem ferendam primus erat, ad vindicandum honorem non iudicari parem) in
vrbem reuerſus, iampridem debitum, ſed continuatione bellorum dilatum ex Pan-
764 noniis Delmatiſque egit triumphum. cuius magnificentiam quis miretur in Cæſa-
re? fortunæ vero quis non miretur indulgentiam? quippe omneis eminentiſſimos
hoſtium duces [non] occiſos fama narrauit, ſed vinctos triumphus oſtendit. quem
mihi fratrique meo, inter præcipuos præcipuiſque donis adornatos viros, comitari
contigit. Quis non inter reliqua quibus ſingularis moderatio Tib. Cæſaris elucet at-
que eminet, hoc quoque miretur, quod quum ſine vlla dubitatione ſeptem trium-
phos meruerit, tribus contentus fuerit? Quis enim dubitare poteſt quin ex Armenia
recepta, & rege [ei] præpoſito, cuius capiti inſigne regium ſua manu impoſuerat, or-
dinatiſque rebus orientis, ouans triumphare debuerit; & Vindelicorum Rhetorum-
que victor, curru vrbem ingredi? fractis deinde poſt adoptionem continua trienni
militia Germaniæ viribus, idem illi honor & deferendus & recipiendus fuerit? & poſt
cladem ſub Varo acceptam, ocius proſperrimo rerum euentu eadem exciſa Germa-
„ nia, triumphum ſummi ducis adornare debuerit? Sed in hoc viro neſcias vtrum ma-
„ gis mireris, quod laborum periculorumque ſemper exceſſit modum, an quod hono-
„ rum temperauit. Venitur ad tempus in quo fuit plurimum metus. quippe Cæſar
Auguſtus, quum Germanicum nepotem ſuum reliqua belli patraturum miſiſſet in
Germaniam, Tiberium autem filium miſſurus eſſet in Illyricum, ad * formanda pace
quæ bello ſubegerat; proſequens eum, ſimulque interfuturus athletarum certaminis
ludicro, quod eius honori ſacratum a Neapolitanis eſt, proceſſit in Campaniã: quam-
quam iam motus imbecillitatis inclinatæque in deterius principia valetudinis ſenſe-
rat, tamen * obnitente vi animi proſequutus filium, digreſſuſque ab eo Beneuenti,
ipſe Nolam petiit: & ingraueſcente in dies valetudine, quum ſciret quis volenti o-
mnia poſt ſe ſalua remanere, accerſendus foret, feſtinanter reuocauit filium. Ille ad
patrem patriæ exſpectato reuolauit maturius. Tum ſecurum ſe Auguſtus prædicans,
circumfuſuſque amplexibus Tiberij ſui, commendans illi ſua atque ipſius opera, nec
quidquam iam de fine, ſi fata poſcerent, recuſans, ſubrefectus primo conſpectu allo-
„ quioque cariſſimi ſibi ſpiritus: mox quum omnem curam fata vincerent, in ſua reſo-
766 lutus initia, Pompeio Apuleioque coss. ſeptuageſimo ſexto anno animam cæleſtem
„ cælo reddidit. Quid tunc homines timuerint, quæ ſenatus trepidatio, quæ populi
confuſio, quis orbis metus, in quam arto ſalutis exitiique fuerimus confinio, neque
mihi tam feſtinanti exprimere vacat, neque cui vacat, poteſt. Id ſolum voce publi-
ca dixiſſe habeo, cuius * orbis ruinam timueramus, eum ne commotum quidem ſen-
ſimus; tantaque vnius viri maieſtas fuit, vt nec bonis, neque contra malos, opus ar-
mis foret. Vna tamen veluti luctatio ciuitatis fuit, pugnantis cum Cæſare ſenatus po-
pulique Rom. vt ſtationi paternæ ſuccederet; illius, vt potius æqualem ciuem quam
eminentem liceret agere principem. tandem ratione magis quam honore victus eſt,
quum, quidquid tuendum non ſuſcepiſſet, periturum videret. Solique huic contigit
pene diutius recuſare principatum quam, vt occuparent eum, alij armis pugnauerãt.

Poſt

Post redditum cælo patrem, & corpus eius humanis honoribus, nomen diuinis honoratum, primum principalium eius operum fuit, *ordinatio comitiorum, quam manu sua scriptam D. Augustus reliquerat. quo tempore mihi fratrique meo, candidatis Cæsaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotibus viris, destinari prætoribus contigit, consequutis, vt neque post nos quemquam D. Augustus, neque ante nos Cæsar commendaret Tiberius. Tulit protinus & voti & consilij sui pretium resp. neque diu latuit, aut quid non impetrando passuri fuissemus, aut quid impetrando profecissemus. quippe exercitus qui in Germania militabat, præsentisque Germanici imperio regebatur, 764 simulque legiones quæ in Illyrico erant, rabie quadam & profunda confundendi omnia cupiditate, nouum ducem, nouum statum, nouam quærebant rempubl. Quinetiam ausi sunt minari daturos senatui, daturos principi leges: modum stipendij, finem militiæ sibi ipsi constituere conati sunt. Processum etiam in arma, ferrumque strictum est; & pene in vltimum *gladiorum erupit impunitas; defuitque qui contra rempubl. duceret, non qui sequerentur. Sed hæc omnia veteris imperatoris maturitas, multa inhibentis, aliqua cum grauitate pollicentis, inter seueram præcipue nostrorum vltionem, mitis aliorum castigatio, breui sopiit ac sustulit. Quo quidem tempore vt pleraque ignaue Germanicus, ita Drusus, qui a patre in idipsum plurimo quidem igne emicās incendium militaris tumultus missus erat, prisca antiquaque seueritate vsus, *ancipitia sibi tam re quam exemplo perniciosa, & his ipsis militum gladiis quibus obsessus erat, obsidenteis coercuit; singulari adiutore in eo negotio vsus Iunio Blæso, viro nescias vtiliore in castris, an meliore in toga. qui post paucos annos proconsul in Africa, ornamenta triumphalia cum appellatione imperatoria meruit: ac Hispanias exercitumque virtutibus celeberrimaque in Illyrico militia (vt prædiximus) quum imperio obtineret, in summa pace, quiete continuit; quum ei pietas rectissima sentiendi, & auctoritas quæ sentiebat obtinendi, superesset. Cuius curam ac fidem Dolabella quoque, vir simplicitatis generosissimæ, in *maritima parte Illyrici per omnia imitatus est. Horum XVI annorum opera quis (quum* inserta sint oculis animisque omnium) in partibus eloquatur? Sacrauit parentem suum Cæsar non imperio, sed religione: non appellauit eum, sed fecit deū. Reuocata in forum fides, summota e foro seditio, ambitio campo, discordia curia, sepultæque ac situ obsitæ: iustitia, æquitas, industria, ciuitati redditæ: accessit magistratibus auctoritas, senatui maiestas, iudiciis grauitas: compressa theatralis seditio; recte faciendi omnibus aut incussa voluntas, aut imposita necessitas. Honorantur recta, praua puniuntur: suspicit potentem humilis, non timet: antecedit, non cōtemnit humiliorem potens. Quando annona moderatior? quando pax lætior? Diffusa in orientis occidentisque tractus, & quidquid meridiano aut septemtrione finitur, pax augusta per omneis terrarum orbis angulos a latrociniorum metu seruat immuneis. Fortuita non ciuium tantummodo, sed vrbium damna principis munificentia vindicat. Restitutæ vrbes Asiæ: vindicatæ ab iniuriis magistratuum prouinciæ. Honor dignis paratissimus; pœna in malos sera, sed aliqua. Superatur æquitate gratia, ambitio virtute. nam *facere recte ciues suos princeps optimus faciendo docet. Quumq; sit imperio maximus, exemplo maior est. Raro eminentes viri nō magnis adiutoribus ad gubernandam fortunā suam vsi sunt: vt duo Scipiones duobus Læliis, quos per omnia æquauerūt sibi: vt Diuus Augustus M. Agrippa, & maxime ab eo, Statilio Tauro. quibus nouitas familiæ haud obstitit quominus ad multipliceis consulatus triumphosq;, & complura eniterentur sacerdotia. etenim magna negotia, magnis adiutoribus egent; neque in paruo paucitas ministeria defecit. Interestq; reipubl. quod vsu necessarium, & dignitate eminere, vtilitatemque auctoritate muniri. Sub his exemplis Tiberius Cæsar Seianum Ælium, principe equestris ordinis patre natum, materno vero genere clarissimas vetereisque & insigneis honoribus complexum familias, habentem consulareis fratreis, consobrinos, auunculum; ipsum vero laboris ac fidei capacissimum, sufficiente etiam vigori animi compage corporis, singularem principalium onerum adiutorem in omnia habuit atque habet: virum seueritatis lætissimæ, hilaritatis priscæ, actu otiosis simillimum; nihil sibi vindicantem, eoque adsequentem omnia; semper infra aliorum æstimationes se metientem; vultu vitaq; tran-

quillum, animo exſomnem. In huius virtutum æſtimatione iam pridem iudicia ciuitatis, cum iudiciis principis certant. neque nouus hic mos ſenatus populique Rom. „ eſt, putandi, quod optimum ſit, eſſe nobiliſſimum. nam & illi antiqui ante primum bellum Punicum, ab hinc annos CCC, Ti. Coruncanium hominem nouum, cum aliis omnibus honoribus, tum pontificatu etiam maximo, ad principale extulere faſtigium: & equeſtri loco natum Sp. Caruilium, & mox M. Catonem nouum etiam Tuſculo vrbis inquilinum, Mummiumque Achaicum, in cõſulatus, cenſuras, & triumphos prouexere. & qui C. Marium ignotæ originis, vſque ad ſextum conſulatum ſine dubitatione Romani nominis habuere principem; & qui M. Fuluio tantum tribuêre, vt pene adſentatione ſua, quibus vellet, principatus conciliaret: quique nihil Aſinio Pollioni negauerunt, quod nobiliſſimis ſummo cum ſudore conſequendum „ foret: profecto hoc ſenſerunt, in cuiuſcumque animo virtus ineſſet, ei plurimum eſſe „ tribuendum. Hæc naturalis exempli imitatio ad experiendum Seianum, Cæſarem; ad iuuanda vero onera principis, Seianum protulit, ſenatumque & populum Rom. eo perduxit, vt quod vſu optimum intelligit, id in tutelam ſecuritatis ſuæ libenter aduocet. Sed propoſita quaſi vniuerſa principatus Tib. Cæſaris forma, ſingula recenſeamus. Qua ille prudentia Rhaſcupolim interemptorem fratris ſui filij Cotys, conſortiſque eiuſdem imperij, euocauit? ſingulari in eo negotio vſus opera Flacci Pomponij conſularis viri, nati ad omnia quæ recte facienda ſunt, ſimplicique virtute *merentis ſemper quam captantis gloriam. Cum quanta grauitate, vt ſenator & iudex, non vt princeps, *& cauſſas preſſius audit? quam celeriter Libonem ingratum & noua molientem oppreſſit? Quibus præceptis inſtructum Germanicum ſuum, imbutumque rudimentis militiæ ſecum actæ, domitorem recepit Germaniæ? Quibus iuuentam eius exaggerauit honoribus, reſpondente cultu triumphi rerum quas geſſerat magnitudini? Quotiens populum congiariis honorauit: ſenatorumque ſenſum, quum id ſenatu auctore facere potuit, quam libenter expleuit; vt neque luxuriam inuitaret, neque honeſtam paupertatem pateretur dignitate deſtitui? Quanto cum *honore* Germanicum ſuum in tranſmarinas miſit prouincias? Qua vi, conſiliorum ſuorum miniſtro & adiutore vſus Druſo filio ſuo, Maroboduum inhærentem occupati regni finibus (pace maieſtatis eius dixerim) velut ſerpentem abſtruſam terræ, ſalubribus conſiliorum ſuorum medicamentis coegit egredi? quam illum & honorate nec ſecure continet? Quantæ molis bellum principe Galliarum ciente Sacrouiro Floroque Iulio, mira celeritate ac virtute compreſſit? vt ante populus Rom. viciſſe ſe quam bellare cognoſceret, nuntioſque periculi victoriæ præcederet nuntius. Magni etiam terroris bellum Africum, & cotidiano auctu maius, auſpiciis conſiliiſque eius breui ſepultum eſt. Quanta * ſua ſuorumque nomine exſtruxit opera? Quam pia munificentia, ſuperque humanam euecta fidem, templum patri molitur? Quam magnifico animi temperamento Cn. quoque Pompeij munera abſumpta igni reſtituit? qui, quidquid vmquam claritudine eminuit, id veluti cognatum cenſet tuen- „ dum. Qua liberalitate quum alias, tum proxime incenſo monte Cælio, omnis ordinis hominum iacturæ, patrimonio ſuccurrit ſuo? Quanta cum quiete hominum rem perpetui præcipuique timoris, ſupplementum, ſine trepidatione delectus prouidet? Si aut natura patitur, aut mediocritas recipit hominum, apud aures deorum de his queri; quid hic meruit, primum vt ſcelerata Druſus Libo iniret conſilia; deinde vt Silius & Piſo; quorum alterius dignitatem conſtituit, auxit alterius. Vt ad maiora tranſcendam, (quamquam & hæc ille duxit maxima) quid vt iuuenes amitteret filios? quid vt nepotem ex Druſo [ſuo?] Dolenda adhuc retulimus, veniendum ad erubeſcenda [eſt.] Quantis hoc triennium, M. Vinici, doloribus lacerauit animum eius? quam diu abſtruſo, quod miſerrimum eſt, pectus eius flagrauit incendio, quod ex nuru, quod ex nepote, dolere, indignari coactus eſt? Cuius temporis ægritudinem auxit amiſſa mater eminentiſſima, & per omnia deis quam hominibus ſimilior fœmina: cuius potentiam nemo ſenſit, niſi aut leuatione periculi, aut acceſſione dignitatis. Voto finiendum volumen ſit: Iupiter Capitoline, * & auctor ac ſtator Romani nominis Gradiue Mars, perpetuorumque cuſtos Veſta ignium, & quidquid numinum hanc Romani imperij molem in ampliſſimum terrarum orbis faſtigium extulit:

extulit: vos publica voce obtestor atque precor, custodite, seruate, protegite hunc statum, hanc pacem, eique functo longissima statione mortali, destinate successores quam serissimos; sed eos quorum ceruices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant quam huius suffecisse sensimus: consiliaq; omnium ciuium aut pia

. . . .

BEATVS RHENANVS LECTORI S.

O vetustatem consumptricem! imo potius o hominum incuriam! nam vtram magis accusem, plane dubius sum. Non satis erat Latinissimi scriptoris vtilissimum opus initio suo truncasse, nisi fine etiam suo mutilaretur: vt nihil dicam de vitiis quibus in medio fœdissime deforcatum fuit. Tu amice lector cogita quantis mihi vigiliis constiterit hæc qualis qualis castigatio. Hoc non alia gratia dico quam quod video quosdam ingratissimos alienorum laborum æstimatores, imo derisores; qui, quum ipsi nihil præstent, hoc agenteis naso suspendunt. Nam quum superioribus annis Ludum Annæi Senecæ scholiis meis exposuissem, libellum non minus deprauatum quam veterem, statim reprehendere me quidam; temerarie factum a me dictitantes, quod eius auctoris interpretationem suscepissem, qui mihi totus non esset cognitus. Quasi vero qui iam olim poetas enarrarunt, aut nostro seculo sunt interpretati, non coniecturas plerumque sequantur. & non magnum sit, rei pretiosæ vel partem habere, si integram possidere non detur. At nugatores isti adeo me non deterruerunt a proposito veteribus quâ licet succurrendi, vt nunc non solum Velleium ediderim semilacerum, sed & Tertulliani libros, vetustissimi inter Christianos scriptoris, mendosi tamen, mea cura e tenebris erutos, apud Frobenium excudendos curem; in vsum videlicet rei theologicæ, & ad vetustatem illuminandam, quantum ad rem Christianam attinet. Ceterum, optime lector, videtur hic parum deesse in hac peroratiuncula votitia. nam in exemplari versus aliquot erant erasi, forsan ab aliquo nebulone, facturo periculum an illitæ membranis notæ expungi possent. Videntur autem extrema verba in talem scripta sensum; consiliaque omnium ciuium aut pia aut salutaria, in felicem exitum prouehite; *aut sensum similem. Bene vale mi lector, & conatum nostrum boni consule. Basileæ, decimoseptimo Calend. Decembris, anno*

M D XX.



IN SEX. AVRELII VICTORIS HISTORIAE ROMANAE BREVIARIVM PRÆFATIO Andreæ Schottij.



VIDNAM *esse caussæ dicemus, erudite Lector, cur a reperta diuina arte typographica, pauci in illustrandis eruendisque Vett. auctorum scriptis operam posuerint; plerique vero suas ineptias vulgo obtrudere & se deridendos præbere maluerint somniis, versiculis & declamationibus? de iis loquor quisquiliis, quæ, simul prodeunt, scombros, thus,* Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis, *tunicæ vestiunt? An quia, cum omnes honoris studio ducantur, in his vberiorẽ esse laudis segetem, tamquam propria sint, opinantur? atqui* nullum iam dictum, quin dictum sit* prius; *inquit Comicus: illic vero, contra atque Poeta canit, non* In tenui labor; at tenuis sit gloria? *An quia* φιλαυτίᾳ *quadam nostra amamus; vetera alienaque fastidimus? An potius quia* tenet insanabile multos Scribendi cacoethes, & ægro in corde senescit? *Hinc tot* ἡμερόβιοι *libelli, qui, vt Plautinis vtar,* Quasi solstitialis herba, paulisper sunt: Repente exorti sunt, repentino occidunt. *Atque vtinam Principum auctoritas temerariam huiusmodi audaciam licentiamque refrenaret, & Aristarchis librorum, vt olim Censoribus liberorum, censura mandaretur: denique, vt (teste AElio Lampridio) Alexander Seuerus iustissimus Imp. exemplo in Vetronium Turinum, quod incertos euentus vendidisset, edito; fumo tollerent, qui fumos vendunt. Viderat hoc in rem Iurisprudentiæ fore Iustinianus Imp. (De conceptione Digestorum, § 9) qui, ne quis Commentariis vastum iuris Oceanum augeret, sola* Παράτιτλα *componi cauit; quamquam neglecta ab ipsis etiam Prudentibus ad nostram vsque memoriam Principis Constitutio. Equidem in ea sum heresi, vt Amore sui antiquos scriptores partim etiam Inuidia, & ætatis illius imperitia, neglegi cœpisse putem; quod fontibus relictis, riuulos sectari apud sæculum prius corrupto quodam iudicio maluerũt. Hinc factum vt Varronis, Ciceronis, Liuij, aliorumque multo maxima pars interciderit: nonnulli integre perierint, quorum præter nomen, nihil ad nos peruenire potuit. Quo in numero Trogus Pompeius, &* AVRELIVS VICTOR *est: vterque maiorum memoria ob dispendiosa compendia, si diis placet, deperditus.* VICTOR *tamen, quod mirere, in manibus doctorum hominum fuit: qui quamobrem presserint, non aliam caussam video (nec enim inuidia in eos cadit aut negligentia) quam quod portentis mendorum, librarij vitio monstrosus, plerosque a labore deterruerit, & in ingressu statim impetum ipsum retardarit, atque infregerit. Quod adeo illis vsu uenisse, de me domi coniecturam facio, cum oblatum mihi m. s. exemplar (quod studio in illustranda Historia nostra faueret) a Theod. Pulmanno, eruditissimo viro, legere cœpissem: sed de in integrum restitutione desperantem animarunt doctissimi aliquot viri quibus ostenderam, & coniecturis iuuerunt: nam iuuenis ipse imberbis, cum dignus vindice nodus incidit, consulere eos a quis numquam nisi doctior discedam, soleo. In iis (humanitatis est enim agnoscere per quem profeceris) Io. Oliuarius, I.C. eloquentiæ doctor apud Duacenates disertissimus: Lutetiæ vero Cl. Puteanus, & Nic. Faber, Regij Cõsiliarij; & doctissimum par fratrum Pithœorum, non obscura Galliæ lumina. Horum ego vsu & consuetudine ita delector, vt me Galliæ, quod præfiscine dixerim: satias capere non queat, ob singularem coniunctam cum eruditione humanitatem & beniuolentiam erga hominem exterum: cui nihil quod in bibliothecis esset manu scriptorum, celare aut negare voluerunt.*

Verum

Verum quæ de Auctore comperta habeo, operæ est referre. VICTORES plures fuisse cō-
stat: quis vero, & idemne fetus historiæ huius, veterisque Epitomæ, legitimus pater sit, non
facile demonstrauero. Mihi quidem dubium non est, quin huius verus auctor sit Victor ille,
cuius Ammianus Marcellinus lib. XXI, honorifice meminit, de Constantio loquens, in quem
noster desinit: Imperator reuertitur Nessum, copiosum opidum: quo inde expedite
cuncta disponeret suis vtilitatibus profutura: vbi VICTOREM apud Sirmium vi-
sum scriptorem historicum, exinde venire præceptum, Pannoniæ secundæ Consu-
larem præfecit, & honorauit ænea statua, virum sobrietatis gratia multilaudum, mul-
to post Vrbi præfectum. Ex quo libro etiam Constantij imperio floruisse colligere est; a quo
stat fides auctoritasque libri manu descripti, in quo hic titulus erat: AVRELII VICTO-
RIS HISTORIÆ ABBREVIATÆ, AB AVGVSTO OCTAVIANO, ID
EST A FINE TITI LIVII, VSQVE AD CONSVLATVM DECIMVM
CONSTANTII AVGVSTI, ET IVLIANI CÆSARIS TERTIVM; IN-
CIPIVNT FELICITER. Quos Coss. nominat idem Marcellinus initio libri vicesimi.
Consulatu, inquit, Constantij decies, terque Iuliani, in Britanniis, cum Scotorum Pi-
ctorumq; gentium ferarum excursu: cet. Fuit autem hic post V.C. annus opinor M CXIII:
a partu virginis CCCLXII, secundum Eusebij calculum. Manuscripti vero, cuius apud omnes
auctoritas plurimum valere debet, ἐπιγραφὴ hæc, quamuis ad illum de Impp. libellum proprie
pertineat, quod ex Epitoma Liuiana constet in Augusto scriptorem Patauinum finiisse Anna-
les, qui Tiberij principatu excesserit; præcedebat tamen titulum Commentarij de origine
Vrbis Romæ, quem his addendum curauimus; & Viros illustres, nouem eadem manu adscri-
ptis, hactenus non editis: quos eiusdem esse auctoris, ex stylo Iouem lapidem iurare licet, quis-
quis ille est: nam Aurelio Victori, si loco posita inscriptio est, attribuit, nec stylus abiudicat: vt
ἀνακεφαλαιώσει quadam breuiter rerum gestarum memoriam ad Augustum vsque repetat; inde-
que accuratius Impp. vitas recenseat. Nam Cornelij Nepotis, Plinij Nepotis, Suetonij, aut Ae-
milij Probi non esse, in Prolegomenis Notisque ad Viros illustres; & Fragmentis Cornelij Ne-
potis, docuimus; eos refellendo qui contra disputant. Sed ad VICTOREM redeo. De se
ipse non obscure indicat, qua tempestate vixerit. Sic enim in Hadriano vulgatæ edit. Officia,
inquit, publica & Palatina, nec non militiæ, in eam formam statuit; quæ paucis post
Cōstantinum immutatis, hodie perseuerat. In noua vero editione in Constantino sic ait:
At memoria mea Constantinum, (fort. Constantium) quamquam ceteris prom-
ptum virtutibus. cet. In M. Antonino Philosopho, Nicomediam sua ætate terræmotu quassa-
tam scribit, Cereali Cos. Excepit autem cum Fabio Tatiano Neratius Cerealis Constantij Au-
gusti consulatum IX: qui annus V. C. M CXI, huius Historiæ finem biennium antecedit. Et in
Iulio Philippo, quod annus post M centesimus sua tempestate sine ludis sæcularibus magna rei
Romanæ negligentia excesserit, expostulat: quæ & apud Zosimum Historiæ nouæ lib. II querela
est. De vita sua moribusque, copiosius in Seuero: Quo bonis omnibus ac mihi fidendum
magis, qui rure ortus, tenuique indocto patre, in hæc tempora vitam præstiti studiis
tantis honestiorem. Quod equidem gentis nostræ reor, quo fato quodam bonorum
partu fecunda, quos eduxit tamen, quemque ad celsa suos habet. Ob quæ merita, credo,
ænea statua a Cōstātio Imp. ceterisque honoribus auctus; vt ex Ammiano diximus, qui eum
sobrietatis gratia multilaudum vocat. Afrum fuisse hinc conijcias, quod in ea laudan-
da multus est; alibi terrarum decus appellans. Nono autem post anno quam Constantius
Aug. X, & Iulianus Cæsar III consulatum gessere in Fastis Sex. Aurelium Victorem Cos fa-
ctum vna cum Valentiniano comperi, V. C. anno M CXXII, ab orbe redemto CCCLXXI. quem
historicum ipsum videri, olim in Aduersaria mea retuleram, ambigens tamen vtrius historiæ
Augustæ, nouaéne an vulgatæ. Post Antonio Augustino I.C. doctissimo, quem honoris caussa li-
bens vsurpo, eadem de auctore vet. editionis in mentem venisse, magna cum voluptate legi:
qui tamen V.C. annum M CXX, nescio quos Fastos secutus, numerat, in præclaro illo opere de
Familiis Rom. vna cum Fuluij Vrsini, viri optime de litteris & Antiquitate meriti, vtilissi-
mis laboribus, Romæ nuper allato. sed ei fortasse nostrum Victorem videre nondum contigit.
Igitur cum vterque in eandem inciderit ætatem, vt de se ipsi testantur, & Ammianus de al-
terutro meminerit; vter libellus Consularis illius & Præfecti Vrbis sit, disputari potest: præ-
sertim cum VICTORINVS in tribus m.ss. vulgatæ editionis, quibus vsus sum, constanter
appelletur; vt in Comment. docui. Mihi quidem in re tam incerta a memoriaque nostra lon-

gepösita, tutissimum videtur Varronis morem & consilium sequi, qui (teste Agellio lib. 3, c. 3) Plautinas comœdias ab adulterinis ex stylo iocisque discernebat. Huius itaque perpetuus orationis ductus, stylus historicus eius ætatis proprius, tamquam filum hærens placet, ac prudentiss. esse scriptorem in iudicando crebrisque sententiis apparet. Illius centones legere videor ex Suetonio, Eutropio, Ammiano, Orosio, aliis, tanquam fasces rude compositos; vt ex Notis apparebit. videas ex nostro Aurelio integras periodos transscripsisse, vt ex illo Paulum Diaconum in historiis. Deprehendi quoque e Seuero Spartiani nostrũ integram paginam huc transtulisse. Quare si impetro germanum hunc esse Victoris partum, illum vero suppositicium, non me laboris mei diligentiæque pœnitebit: sin duos cognomines eadem tempestate floruisse quis asserat, non vehementer contra pugnabo: tantum quod sentio testificor: alterum tamen ab altero mutuatum constat; verum a nostro, existimo: superstes enim fuit; quod in Theodosij filios Arcadium & Honoriũ historiam vulg. editio perducat. Ceterum laudat Aurelium Victorem Hieronymus epist. ad Paulum Concordiensem, qui de persecutionibus Ecclesiæ scripserit: Propter memoriam persecutionum, *inquit*, Aurelij Victoris historiam desidero. Hunc Fr. Balduinus eundem esse credidit cuius hactenus Epitoma Historiæ Augustæ circumfertur; sed vereor (ignoscant mihi manes Balduini) ne fallatur: nullum enim hic ne Christianismi quidem vestigium. Cum enim in Aureliano de suilla carne Victor vterque agat; noster vero in Constantino de antiquissimo supplicij genere crucibus suffigendi, crurumque suffringendorum; de Iudæorum abstinentia ab esu carnis suillæ, & CHRISTI seruatoris nostri morte, vt tamen oportebat, verbum nullum: de persecutionibus sub Nerone, Decio, Diocletiano, ceteris, multo minus. Profecto si idem esset, hic certe, aut nusquam vestigia apparerent: nec seorsum de Persecutionibus Christianorum scripsisse verisimile est, quin hic se proderet. Adde, quod homo Christianus de ludis sæcularibus, idolis illis non exhibitis, conquestus minime fuisset. Quæ cum ita sint, efficitur, plures Victores historiæ Augustæ scriptores fuisse: vnum etiam CHRISTO nomen dedisse; quod mihi dubium amplius non est: vel eius nomen ita in Historia viguisse, vt plurimi sua, quo commendabiliora essent, titulo eius euulgarint: ipsumque intercidisse, vt propter Epitomarum scriptores Trogus integer, & Liuij multo maxima pars. Et certe infinitos libros falsis auctorum nominibus circumferri, aliquando, Deo faciente, singulari libro docebimus. Denique quis scit an non Harpyiæ manus germanum Victorem contaminarint, mireque distraxerint? quemadmodum Diaconus Eutropio locupletando, Festo castrando, (quod idem ille Verrio Flacco præstitisset) alia pæne nomina formamque induerat. Tantum de Aureliis.

Nunc de aliis videamus, a quibus hic fetus abiudicatur. De Aurelio Victore, Primi cognomento, non necesse habeo dicere: quod idoneus, quem quærimus, auctor libelli nostri esse non possit: Nam quæ ex eo citat in Opilio Macrino Iulius Capitolinus, non hic comparent, vt nec in vulgato Aurelio. & ille Macrini imperio vixit, qui centum amplius annis a Theodosio afuit. Priscianus Aurelij cuiusdam hæc laudat lib. VIII Gramm. Ab his Gallos adortos, ex insidiis plurimos necatos, * φονευθέντας. Et lib. I, Victorem Grammaticum citat. Memini quoque videre Victorem Episcopum Vticensem de persecutione Vandalica in Africa: quem esse librum a D. Hieronymo desideratum qui autumant, dupliciter falluntur. Ille enim vniuersam Ecclesiæ persecutionem a capite arcessiuerat: & eam opinionem temporum ratio refellit, cum is Hieronymum longo post tempore sit secutus. Prætereo Victores Episcopos, Mauritaniæ alterum; alterum, Tunnonensium, vt alij, Tunnunensium Africæ; Gennadio, Isidoro, ceterisque celebratos. nihil enim ad nostrum hunc: quamquam hic ab orbe condito historiam contexuit, Iustiniano, vt putatur, familiaris: quem laudat præter Othonem Frisingensem lib. V, cap. VI, Ado Viennensis initio Chronologiæ: sic enim ex vett. lib. ibi lego; non, vt editi, Turonensis. Vale erudite Lector: & nostris candide fruere. quæ si tibi probauero, caussam non dico, quin Nepotem, Melam, Frontinum, Curtium, & Sidonium iure stipulationis post exigas.



ORIGO GENTIS ROMANAE A IANO ET SATVRNO CONDITORIBVS, PER SVCCEDENTES SIBIMET REGES,

vsque ad Consulatum decimum Constantij; digesta ex auctoribus Verrio Flacco Antiate, (vt quidem idem Verrius maluit dicere quam Antia) tum ex Annalibus Pontificum; dein Cnæo Egnatio Veratio, Fabio Pictore, Licinio* Macro, Varrone, Cæsare, Tuberone, atque ex omni priscorum historia; proinde vt quisque neotericorum asseuerauit: hoc est, & Liuius, & Victor Afer.*



RIMVS in Italiam creditur venisse SATVRNVS; vt etiam *Maronis Musa testatur illis versibus: *Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo, Arma Iouis fugiens, & regnis exsul ademtis.* cet. Tanta autem vsq; id tempus antiquorum hominum traditur fuisse simplicitas, vt venientes ad se aduenas, qui modo consilio ac sapientia præditi, ad instruendam vitam formandosque mores aliquid conferrent; quod eorum parentes atque originem ignorabant, *cælo & terra editos, non solum ipsi crederent; verumetiam posteris affirmarent, veluti huncipsum Saturnũ; quem Cæli & Terræ filium esse dixerunt. Quod cum ita existimetur, certum tamen est priorem IANVM in Italiam deuenisse: ab eoque postea venientem exceptum esse Saturnum. Vnde intelligendum est, Virgilium quoque non ignoratione veteris historiæ, sed suo more *primum* dixisse Saturnum; non ante quem nemo, sed *principem*: vt, *Troiæ qui primus ab oris.* cum procul dubio constet, ante Æneam priorem Antenorem in Italiam esse peruectum; eumque non in ora litori proxima, sed in interioribus locis, id est Illyrico, vrbem Patauium condidisse: vt quidem idem Virgilius illis versibus ex persona Veneris, apud Iouem de ærumnis Æneæ sui conquerentis: * *Antenor potuit mediis elapsus Achiuis Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus:* cet. Quare autem addiderit *tutus*, suo loco plenissime annotauimus in commentatione, quam hoc scribere cœpimus, cognita ex eo libro qui inscriptus est *De origine Patauina.* Itaque nunc *Primus* ex ea quoque significatione est, e qua illud in secundo Æneidos, de enumeratione eorum qui equo Durio digrediebantur. nam cum nominasset *Thessandrum, Sthenelum, Vlixem, Athamanta, Thoanta, Neoptolemum; post intulit, *primusque Machaon.* De quo quæri potest, Quomodo potest *primus* dici, post tantos qui supradicti sunt? Verũ intelligemus *primum* pro principe: vel, quia is [ad perfectum] illis temporibus circa peritiam medicæ artis præcipuus fuisse traditur. Sed vt ad propositum reuertamur, ferunt Creüsam, Erechthei regis Atheniensium filiam speciosissimam, stupratam ab Apolline, enixam puerum; eumque Delphos olim educandum esse missum: ipsam vero a patre, istarum rerum nescio* Xipheo cuidam comiti *collocatam. ex qua cum ille pater nõ posset exsistere, Delphos eum petiisse ad consulendum oraculum, quomodo pater fieri posset: tum illi Deum respondisse vt, quem postero die obuiam habuisset, eum sibi adoptaret. itaque supra dictum puerum, qui ex Apolline genitus erat, obuiam illi fuisse, eumque adoptatum. cum adoleuisset, non contentum patrio regno, cum magna classe in Italiam deuenisse: occupatoq; monte, vrbem ibidem constituisse, eamq; ex suo nomine *Ianiculum* cognominasse. Igitur Iano regnante apud indigenas rudes incultosque, Saturnus regno profugus, cum in Italiam venisset, benigne exceptus hospitio est: ibique haud procul a Ianiculo arcem suo nomine *Saturniam* constituit.

isque primus agriculturam edocuit, ferosque homines & rapto viuere assuetos ad compositam vitam* eduxit. vnde Virgilius in octauo sic ait: *Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant, Gensque virûm truncis & duro robore nata. Quîs neque mos neque cultus erat: nec iungere tauros, Aut componere opes norant, aut parcere parto; Sed rami, atque asper victu venatus alebat.* Omissoque Iano, qui nihil aliud quam ritum colendorum deorum religionesque induxerat; se Saturno maluit annectere: qui vitam moresque feris etiam tum mentibus insinuasse [dicitur; &] ad communem vtilitatem, vt supra diximus, disciplinam colendi ruris edocuit; vt quidem indicant illi versus: * *Is genus indocile, ac dispersum montibus altis, Composuit, legesque dedit; Latiumque vocari Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.* Istum etiam vsum signandi æris, ac monetæ in formam incutiendæ, ostendisse traditur: in qua ab vna parte caput eius imprimeretur; altera, nauis, qua vectus illo erat. vnde hodieque aleatores posito nummo opertoque, optionem conlusoribus ponunt enuntiandi quid putent subesse, caput, aut nauem: quod nunc vulgo corrumpentes, *nauiandi dicunt. Ædes quoque sub cliuo Capitolino, in quo pecuniam conditam habebat, *AErarium Saturni* hodieque dicitur. Verum quia, vt supra diximus, prior illuc Ianus aduenerat, cum eos post obitum diuinis honoribus cumulandos censuissent; in sacris omnibus primũ locum Iano detulerunt; vsque eo, vt etiam cum aliis diis sacrificium fit, dato ture in altaria, Ianus prior nominetur, cognomento quoque addito *Pater:* secundum quod noster *cognomento sic intulit: * *Hanc Ianus Pater, hanc Saturnus condidit arcem.* Ac subindit; *Ianiculum huic; illi fuerat Saturnia nomen.* * Eique (eo quod mire præteritorum memor, rum etiam futuri) dixerit *Rex arua Latinus & vrbes Iam senior longa placidas in pace regebat.* Quo regnante Troianos refert in Italiam deuenisse. Quæritur quomodo * Salustius dicat; *Cumque his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio: liberum atque solutum.* Quidam autem tradunt, terris diluuio coopertis, passim multos diuersarum regionũ, in montibus, ad quos confugerant constitisse: ex quibus quosdam sedem quærentes, peruectos in Italiam *Aborigines* appellatos, Græca *scilicet* appellatione, a cacuminibus montium, *qui illi oræ faciunt. Alij volunt eos, quod errantes illo venerint, primo *Aberrigines*, post mutata vna littera, altera ademta, Aborigines cognominatos. Eos aduenientes PICVS excepit, permissos viuere vt vellent. Post Picum regnauit in Italia FAVNVS; quem a fando dictum volunt, quod is soleret futura præcinere versibus quos *Saturnios* dicimus: quod genus metri in vaticinatione Saturniæ primum proditum est. Sed * vibem Saturnus, cum in Italiam venisset, condidisse traditur. Eius rei Ennius testis est, cum ait: *Versibu' quos olim Fauni vatesque canebant.* Hunc Faunum plerique eundem Siluanum, a siluis, * Innum deum: quidam etiam Pana, vel Pan esse dixerunt. Igitur regnante Fauno, ante annos circiter sexaginta quam Æneas in Italiam deferretur, Euander Arcas, Mercurij & Carmentis nymphæ filius, simul cum matre eôdem venit. quam quidam memoriæ prodiderunt, primo *Carmentim* dictam; post, Nicostraten; de carminibus; eo videlicet quod omnium litterarum peritissima, futurorumque prudens, versibus canere sit solita: adeo vt plerique velint, non tam ipsam a carmine Carmentam; quam carmina, * a qua dicta essent, appellata. Huius admonitu transuectus in Italiam Euander, ob singularem eruditionem atque scientiam litterarum, breui tempore in familiaritatem Fauni se insinuauit: atque ab eo hospitaliter benigneque exceptus, non paruum agri modum ad incolendum accepit: quem suis comitibus distribuit, exædificatis domiciliis in eo monte quem primo tum illi a Pallante *Pallanteum*, postea nos *Palatium* diximus. ibique Pani deo fanum dedicauit: quippe is familiaris Arcadiæ deus est, teste etiam Marone, qui ait: *Pan Deus Arcadiæ captam te Luna fefellit.* & item; *Pan etiam Arcadia mecum si iudice* cantet.* Primus itaque omnium Euander Italicos homines legere & scribere edocuit, litteris * partim quas ipse antea didicerat. idemque fruges in Græcia primum inuentas ostendit; serendique vsum edocuit; terræque excolendæ gratia, primus boues in Italia iunxit. Eo regnante, forte * Recaranus quidam, Græcæ originis, ingentis corporis, & magnarum virium pastor, quia erat forma & virtute ceteris antecellens, *Hercules* appellatus, eôdem venit. Cumque armenta eius circa flumen Albulam pascerentur, Cacus Euandri seruus, nequitiæ

verſutus, & præter cetera furaciſſimus, Recarani hoſpitis boues ſubripuit: ac ne quod eſſet indicium, auerſas in ſpeluncam attraxit. cumque Recaranus, vicinis regionibus peragratis, ſcrutatisq; omnibus eiuſcemodi latebris, deſperaſſet inuenturum; vtcumque æquo animo diſpendium ferens, excedere his finibus conſtituerat. At vero Euander, excellentiſſimæ iuſtitiæ vir, poſtquam rem, vti acta erat, comperit, ſeruum noxæ dedit, boueſque reſtitui fecit. Tum Recaranus ſub Auentino *Inuentori patri* aram dedicauit, appellauitque Maximam: & apud eam decimam ſui pecoris profanauit. Cumque ante moris eſſet, vti homines decimam fructuum regibus ſuis præſtarent; æquius ſibi ait videri, deos potius illo honore impartiendos eſſe, quam reges. inde videlicet tractum, vt Herculi decimam profanari mos eſſet: ſecundum quod * Plautus *In partem* inquit *Herculeaneam*, id eſt, decimam. Conſecrata igitur ara Maxima, profanataq; apud eam decima, Recaranus, eo quod Carmentis inuitata, ad id ſacrum non affuiſſet; ſanxit ne cui feminæ fas eſſet veſci ex eo quod eidem aræ ſacratum eſſet: atque * ab ea, re diuina feminæ in totum remotæ. Hæc Caſſius lib. I. At vero in libris Pontificalium traditur Hercules, Ioue atq; Alcmena genitus, ſuperato Geruone, agens nobile armentum, cupidus eius generis boues in Græcia inſtituẽdi; forte in ea loca veniſſe, & vbertate pabuli delectatus, vt ex longo itinere homines ſui & pecora reficerentur, aliquamdiu ſedem ibi conſtituiſſe. quæ cum in valle, vbi nunc eſt Circus maximus, paſcerentur; neglecta cuſtodia, quod nemo credebatur auſurus violare Herculis prædam, latronem quendam regionis eiuſdem, magnitudine corporis & virtute ceteris præualentem, octo boues in ſpeluncam, quo minus furtum veſtigiis colligi poſſet, caudis abſtraxiſſe. cumque inde Hercules proficiſcens, reliquum armentum caſu præter eandem ſpeluncam ageret; forte quadam incluſas boues tranſeuntibus admugiſſe; atq; ita furtum detectum. interfectoque Caco, Euandrum, re comperta, hoſpiti obuiam iuiſſe, gratantem, quod tãto malo fines ſuos liberaſſet. compertoque quibus parentibus ortus eſſet Hercules, rem ita vti erat geſta, ad Faunũ pertuliſſe. tum eum quoq; amicitiam Herculis cupidiſſime appetiſſe. Quam opinionem * ſequi metuit noſter Maro. Cum ergo Recaranus ſiue Hercules, Patri Inuentori aram Maximam conſecraſſet; duos ex Italia, quos eadem ſacra certo ritu adminiſtrãda edoceret, adſciuit, Potitium & Pinarium. Sed eorum Potitio, qui prior venerat, ad comedenda exta admiſſo, Pinarius, eo quod tardius veniſſet, poſterique eius, ſubmoti: vnde hodieque ſeruatur; Nemini * Potitio Pinariæ gentis in eis ſacris veſci licet. eoſque alio vocabulo prius appellatos nonnulli volunt: poſt vero *Pinarios* dictos ἀπὸ τῆς πείνης: quod videlicet ieiuni, ac per hoc eſurientes, ab eiuſmodi ſacrificiis diſcedant. iſque mos permanſit vſque Appium Claudium Cenſorem, vt Potitiis ſacra facientibus, veſcentibuſque de eo boue quem immolauerant, poſtquam inde nihil reliquiſſent, Pinarij deinde admitterentur. verum poſtea Appius Claudius accepta pecunia Potitios illexit, vt adminiſtrationem ſacrorum Herculis, ſeruos publicos edocerent, necnon etiam mulieres admitterent. Quo facto, aiunt intra dies triginta omnem familiam Potitiorum, quæ prior in ſacris habebatur, exſtinctam: atque ita ſacra penes Pinarios * reſediſſe; eoſque tam * religione quam etiam pietate edoctos, myſteria eiuſmodi fideliter cuſtodiſſe. Poſt Faunum, LATINO eius filio in Italia regnante, Æneas, Ilio Achiuis prodito ab Antenore aliiſque principibus, cum præ ſe deos penates, patremque Anchiſen humeris geſtans, necnon & paruulum filium manu trahens, noctu excederet; orta luce cognitus ab hoſtibus, eo quod tanta onuſtus pietatis ſarcina erat, non modo a nullo interpellatus; ſed etiam a rege Agamemnone quò vellet, ire permiſſus, Idam petit: ibique nauibus fabricatis, cum multis diuerſi ſexus, oraculi ammonitu Italiam petit: vt docet Alexander Epheſius lib. I. belli Marſici. At vero * Lucatius non modo Antenorem, ſed etiam ipſum Æneam proditorem patriæ fuiſſe tradit. cui cum a rege Agamemnone permiſſum eſſet ire quo vellet, & humeris ſuis, quod potiſſimum putaret, hoc ferret; nihil illum præter deos penates, & patrem, duoſque paruulos filios, vt quidam tradunt: vt vero alij, vnũ, * cui *Iulo* cognomen, poſt etiam *Aſcanio* fuerit, ſecum extuliſſe. qua pietate motos Achiuorum principes, * remiſiſſe vt reuerteretur domum, atque inde omnia ſecum quæ vellet, auferret. Itaq; eum magnis cum opibus, pluribuſq; ſociis vtriuſque ſexus a Troia

digreſſum, longo mari emenſo, per diuerſas terrarum oras in Italiam deueniſſe. ac primum Thraciam appulſum,* Ænum ex ſuo nomine condidiſſe: dein, cognita Polymneſtoris perfidia ex Polydori nece, inde digreſſum, peruectumque ad inſulam Delum; atque illinc ab eo Lauiniam, Anij ſacerdotis Apollinis filiam, in matrimonium adſcitam; ex cuius nomine *Lauinia litora* appellata: poſtquam is multa maria permenſus, appulſus ſit ad Italiæ promontorium quod eſt in Baiano, circa Auerni lacum: ibique gubernatorem Miſenum, morbo abſumtum, ſepultum ab eo: ex cuius nomine vrbem Miſenon appellatam; vt etiam ſcribit Cæſar Pontificalium lib. I: qui tamen hunc Miſenum non gubernatorem, ſed tubicinem fuiſſe tradit. Inde non immerito vtramque opinionem ſecutus Maro ſic intulit: * *At pius AEneas ingenti mole ſepulcrum Imponit, ſuaque arma viro, remumque tubamque.* quamuis auctore Homero, quidam aſſerant tubæ vſum Troianis temporibus etiam * tunc ignoratum. Addunt præterea quidam, Æneam in eo litore Euxini cuiuſdam comitis matrem, vltimo ætatis affectam, circa ſtagnum quod eſt inter Miſenon Auernumque, extuliſſe; atq; inde loco nomen inditum, qui etiam nũc *Euxinius ſinus dicitur. cumque comperiſſet ibidem Sibyllam mortalibus futura præcinere, in opido quod vocatur *Cimbarionis*, veniſſe eo ſciſcitatum de ſtatu fortunarum ſuarum: aditiſque fatis, vetitum ne is cognitam in Italia ſepeliret Prochytam, cognatione ſibi coniunctam; quam incolumem reliquerat. & poſtquam ad claſſem rediit, repperitque mortuam, in inſula proxima ſepeliſſe; quæ nunc quoque eodem eſt nomine; vt ſcribunt Vulcatius, & Acilius Piſo. Inde profectum perueniſſe in eum locum qui nunc *portus Caietæ* appellatur, *ex nomine nutricis eius, quam ibidem amiſſam ſepeliit. At vero Cęſar & Sempronius aiunt, Caietæ cognomen fuiſſe, non nomen: ex eo ſcilicet inditum, quod eius conſilio impulſuque matres Troianę, tædio longi * nauigij, claſſem ibidem incenderint; Græca ſcilicet appellatione ἀπὸ τοῦ καίειν, quod eſt incendere. Inde ad eam Italiæ oram quæ ab arbuſto eiuſdem generis, *Laurens* appellata eſt, Latino regnante, peruectum cum patre Anchiſe, filioque & ceteris ſuorum; nauibus egreſſum, *in litore* accubuiſſe; conſumtoque quod fuerat cibi, cruſtam etiam de farreis menſis, quas ſacratas ſecum habebat, comediſſe: tum Anchiſa conijciente illam eſſe miſeriarum errorisque finem; quippe meminerat, Venerem ſibi aliquando prædixiſſe, cum in externo litore eſurie compulſi, * ſacrataſque menſas inuaſiſſent, illum condendæ ſedis fatalem locum fore. Scrofam etiam * incientem; quam cum e naui produxiſſent, vt eam immolarent, & ſe miniſtrorum manibus eripuiſſet; recordatum Æneam, quod aliquando ei reſponſum eſſet, vrbi condendæ quadrupedem futuram ducem; cum ſimulacris deorum Penatium proſecutum; atque illum vbi illa procubuit, enixaque eſt porculos triginta, ibidem * auſpicatum; poſtquam Lauinium dixit: vt ſcribit Cæſar lib. I, & * Lucatius lib. II. At vero Domitius non orbes farreos, vt ſupra dictum eſt; ſed menſarum vice, ſumendi cibi gratia, apium, cuius maxima erat ibidem copia, fuiſſe ſubſtratum; quod ipſum, conſumtis aliis eduliis, eos comediſſe: ac poſt ſubinde intellexiſſe illas eſſe menſas, quas illos comeſturos prædictum eſſet. Cum interim immolata ſue in litore ſacrificium perageret, traditur forte aduertiſſe Argiuam claſſem in qua Vlixes erat: cumque vereretur ne ab hoſte cognitus periculum ſubiret; itemque rem diuinam interrumpere ſummum nefas duceret; caput velamento obduxiſſe, atque ita pleno ritu ſacra perfeciſſe: inde poſteris traditum morem ita ſacrificandi; vt ſcribit Marcus Octauius lib. I. At vero Domitius lib. I, docet, ſorte Apollinis Delphici monitum Æneam vt Italiam peteret; vbi duo maria inueniſſet, prandiumque cum menſis comeſſet; ibi vrbem vti conderet. Itaque egreſſum in agrum Laurentem, cum paululum e litore proceſſiſſet, perueniſſe ad duo ſtagna aquæ ſalſæ, vicina inter ſe: ibique cum ſe lauiſſet, [ac] refectum cibo, cum apium quoque, quod tunc vice menſæ ſubſtratum fuerat, conſumſiſſet, exiſtimantem procul dubio illa eſſe duo maria, quod in illis ſtagnis aquæ marinæ ſpecies eſſet, menſaſque quæ erant ex ſtramine apij comeſtas; vrbem in eo loco condidiſſe; eamque, quod in ſtagno lauerit, *Lauinium* cognominaſſe. Tum deinde a Latino, rege Aboriginum, data ei, quæ incoleret, iugera quingenta. At Cato in Origine generis Romani ita docet; ſuem triginta porculos peperiſſe in eo loco vbi nunc eſt Lauinium: cumque

Æneas

Æneas ibi vrbem condere constituisset, propterque agri sterilitatem metueret; per quietem ei visa Deorum Penatum simulacra, adhortantium vt perseueraret in condenda vrbe quam cœperat: nam post annos totidem, quod fetus illius suis essent, Troianos in loca fertilia atque vberiorem agrum transmigraturos, & vrbem clarissimi nominis in Italia conditurος. Igitur Latinum Aboriginum regem, cum ei nuntiatum esset, multitudinem aduenarum classe aduectam occupauisse agrum Laurentem; aduersum subitos inopinatosque hostes incunctanter suas copias eduxisse: ac priusquam signum dimicandi daret, animaduertisse Troianos militariter instructos; cum sui lapidibus ac sudibus armati, tum etiam veste aut pellibus, quæ eis integumento erant, sinistris manibus inuolutis, processissent. itaque suspenso certamine, per colloquium * inquisito qui essent, quidue peterent: vtpote qui in hoc consilium auctoritate numinum cogebatur: namque extis ac somniis sæpe ammonitus erat, tutiorem se aduersum hostes fore, si copias suas cum aduenis coniunxisset. Cumque cognouisset Æneam & Anchisen bello patrio pulsos, cum simulacris deorum errantes sedem quęrere; amicitiam fœdere inisse, dato inuicem iureiurando, vt communes * quoque hostes amicosue haberent. itaque cœptum a Troianis muniri locum, quem Æneas ex nomine vxoris suæ, Latini regis filiæ, quæ iam ante desponsata Turno Herdonio fuerat, *Lauinium* cognominauit. At vero Amatam, Latini regis vxorem, cum indigne ferret, Lauiniam, repudiato Turno consobrino suo, Troiano aduenæ collocatam; Turnum ad arma concitauisse; eumque mox coacto Rutulorum exercitu, tetendisse in agrum Laurentem; & aduersus eum Latinum pariter cum Ænea progressum, inter prœliantes circumuentum occisumque. Nec tamen amisso socero Æneas Rutulis obsistere desiit. namque * & Turnum interemit. Hostibus fusis fugatisque victor, Lauinium secum suis recepit; consensuq; omnium, Latinorum rex declaratus est: vt scribit Lucatius lib III. Piso quidem Turnum matruelem Amatæ fuisse tradit: interfectoque Latino, mortem ipsam sibimet consciuisse. Igitur * Æneam, occiso Turno, rerum potitum; cum adhuc irarum memor Rutulos bello persequi instituisset, illos sibi ex Etruria auxilium Mezentij regis Agyllæorum adsciuisse ac implorauisse, pollicitos, si victoria parta foret, omnia quæ Latinorum essent, Mezentio cessura. tunc Æneam, quod copiis inferior erat, multis rebus, quæ necessario tuendæ erant, in vrbem comportatis, castra sub Lauinio collocasse: præpositoque his filio Euryleone, ipsum electo ad dimicandum tempore, copias in aciem produxisse, circa * Numici fluminis stagnum: vbi cum acerrime dimicaretur, subitis turbinibus infuscato aere, repente cælo tantum imbrium effusum, tonitrubus etiam consecutis, flammarumque fulgoribus, vt omnium non oculi modo * præstinguerentur, verumetiam mentes quoque confusæ essent: cumque vniuersos vtriusque partis dirimendi prœlia cupiditas * inesset, nihilominus in illa tempestatis subitæ confusione interceptum Æneam, nusquam deinde comparuisse. Traditur autem, non prouiso quod propinquus flumini esset, ripa depulsus, forte in fluuium decidisse; atque ita prœlium diremtum. Dein pôst apertis fugatisque nubibus cum serena facies effulsisset, creditum est viuum eum cælo absumtum. Idemque tamen pôst ab Ascanio & quibusdam aliis visus affirmatur super Numici ripam, eo habitu armisque quibus in prœlium processerat. Quæ res immortalitatis eius famam confirmauit. Itaque illi eo loco templum consecratum; appellarique placuit * *Patrem indigetem*. Dein filius eius ASCANIVS, idem qui EVRYLEO, omnium Latinorum iudicio rex appellatus. Igitur summam imperij Latinorum adeptus Ascanius, cum continuis prœliis Mezentium persequi instituisset, filius eius Lausus collem Lauiniæ arcis occupauit: cumque id oppidum circumfusis omnibus copiis regis teneretur, Latini legatos ad Mezentium miserunt sciscitatum, qua conditione in deditionem eos accipere vellet: cumque ille inter alia onerosa illud quoque adijceret, vt omne vinum agri Latini aliquot annis sibi inferretur; consilio atque auctoritate Ascanij placuit ob libertatem mori potius, quam illo modo seruitutem subire. itaque vino ex omni vindemia Ioui publice voto consecratoque, Latini vrbe eruperunt; fusoque præsidio, interfectoque Lauso, Mezentium fugam facere coegerunt. Is postea per legatos amicitiam societatemque Latinorum impetrauit; vt docet * Lucius Cæ-

ſar lib.I: itemque Aulus Poſtumius in eo volumine quod de aduentu Æneæ conſcripſit atque * dedit. Igitur Latini Aſcanium ob inſignem virtutem non ſolum Ioue ortum crediderunt, ſed etiam per diminutionem, declinato paululum nomine, primo *Iobum*, dein poſtea *Iulum* appellarunt: a quo Iulia * filia manauit; vt ſcribunt Cæſar libro II, & Cato in Originibus. Interim Lauinia, ab Ænea grauida relicta, metu, veluti inſecuturi ſe Aſcanij, in ſiluam profugit ad magiſtrum patrij pecoris, *Tyrrhum: ibique enixa eſt puerum, qui a loci qualitate *Siluius* eſt dictus. At vero vulgus Latinorum, exiſtimans clam ab Aſcanio interfectam, magnam ei inuidiam conflauerat, vſque eo vt armis quoque ei vim denuntiaret. Tum Aſcanius iureiurando ſe purgans, cum nihil apud eos proficeret, petita dilatione ad inquirendum, iram præſentem vulgi aliquantulum fregit; pollicituſque eſt, ſe ingentibus præmiis cumulaturum eum qui ſibi Lauiniam inueſtigaſſet. mox recuperatam cum filio in vrbem Lauinium reduxit, dilexitque honore materno. quæ res rurſum ei magnum fauorem populi conciliauit; vt ſcribunt Caius Cæſar, & Sex. Gellius in Origine gentis Romanæ. At vero alij tradunt quod, cum Aſcanius ab vniuerſo populo ad reſtituendam Lauiniam cogeretur, iuraretque ſe neque interemiſſe, neque ſcire vbi eſſet, Tyrrhum petito ſilentio, in illa concionis frequentia profeſſum indicium, ſi ſibi, Lauiniæque, pueroque ex ea nato, fides incolumitatis daretur: tumque eum accepta fide Lauiniam in vrbem cum filio reduxiſſe. Poſt hæc Aſcanius, completis in Lauinio triginta annis, recordatus nouæ vrbis condendæ tempus aduenisse ex numero porcorum, quos pepererat ſus alba, circumſpectis diligenter finitimis regionibus, ſpeculatus montem editum, qui nunc ab ea vrbe quæ in eo condita eſt, *Albanus* nuncupatur, ciuitatem communit: eamque ex forma, quod ita in longum porrecta eſt, *Longam*; ex colore ſuis, *Albam* cognominauit. Cumque illuc ſimulacra deorum Penatium tranſtuliſſet, poſtridie apud Lauinium apparuerunt: rurſuſque relata Albam, appoſitiſque cuſtodibus neſcio quantis, ſe Lauinium in priſtinam ſedem identidem receperunt. itaque tertio nemo auſus eſt amouere ea; vt ſcriptum eſt *in Annali* Pontificum IV lib. Cincij, & Cæſaris II, Tuberonis I. At Aſcanius *poſtquam* exceſſiſſet e vita, inter Iulum filium eius, & Siluium Poſtumum, qui ex Lauinia genitus erat, de obtinendo imperio orta contentio eſt, cum dubitaretur an Æneæ filius, an nepos, potior eſſet; permiſſa diſceptatione eius rei * ab vniuerſis Rex SILVIVS declaratus eſt. Eiuſdem poſteri omnes cognomento *Siluij*, vſque ad conditam Romam, Albæ regnauerunt: vt eſt ſcriptum Annalium pontificalium lib.IIII. Igitur regnante Latino Siluio, Coloniæ deductæ ſunt Præneſte, Tibur, Gabij, Tuſculum, Cora, Pometia, Locri, Cruſtumium, Cameria, * Ronillæ, ceteraque opida circumquaque. Poſt eum regnauit * TIBERIVS SILVIVS, Siluij filius. Qui cum aduerſus finitimos bellum inferentes copias eduxiſſet, inter prœliantes depulſus in Albulam flumen, deperiit; mutandique nominis exſtitit cauſſa: vt ſcribunt Lucius Cincius lib.I, Lucatius libro III. Poſt eum regnauit AREMVLVS SILVIVS. qui tantæ ſuperbiæ non aduerſum homines modo, ſed etiam deos fuiſſe traditur; vt prædicaret ſe ſuperiorem eſſe ipſo Ioue; ac tonante cælo militibus imperaret, vt telis clypeos quaterent; dictaretque clariorem ſonum ſe facere. qui tamen præſenti affectus eſt pœna. nam fulmine ictus, raptusque turbine, in Albanum lacum præcipitatus eſt; vt ſcriptum eſt Annalium lib. VI & Epitomarum Piſonis II. Aufidius ſane in Epitomis, & Domitius libro I, non fulmine ictum, ſed terræmotu prolapſum, ſimul cum eo regiam in Albanum lacum tradunt. Poſt illum regnauit AVENTINVS SILVIVS. iſque finitimis bellum inferentibus, in dimicando circumuentus, ab hoſtibus proſtratus eſt; ac ſepultus circa radices montis cui ex ſe nomen dedit; vt ſcribit Iulius Cæſar lib.II. Poſt eum SILVIVS PROCAS rex Albanorum, duos filios Numitorem & Amulium æquis partibus hæredes inſtituit. tum AMVLIVS in vna parte regnum tantummodo, in altera totius patrimonij ſummam atque omnem paternorum bonorum ſubſtantiam poſuit; fratrique Numitori, qui maior natu erat, optionem dedit, vt ex his, vtrum mallet, eligeret. Numitor cum priuatum omne cum facultatibus regno prætuliſſet, Amulius regnum obtinuit. quod vt firmiſſime poſſideret, Numitoris fratris ſui * filium in venando interimendum curauit. tum etiam

Rheam

Rheam Siluiam eius sororem, sacerdotem Vestæ fieri iussit, simulato somnio quo ammonitus ab eadem dea esset vt id fieret: cum re vera ita faciundum sibi existimaret; periculosum ducens, ne quis ex ea nasceretur qui auitas persequeretur iniurias: vt scribit Valerius Antias libro I. At vero Marcus Octauius, & Licinius Macer, tradunt Amulium patruum Rheæ sacerdotis, amore eius captum, nubilo cælo obscuroque aere, cum primum illucescere cœpisset, in vsum sacrorum aquam petenti insidiatum, in luco Martis compressisse eam: tum exactis mensibus geminos editos. Quod cum comperisset, celandi facti gratia per scelus concepti, necari iussit sacerdotem, partum sibi exhiberi. tumque Numitorem, spe futurorum, quod hi, si adoleuissent, iniuriarum suarum quandoque vltores futuri essent, alios pro eis subdidisse, illosque suos veros nepotes Faustulo pastorum magistro dedisse nutriendos. At vero Fabius Pictor libro I, & Vennonius, solito instituto que egressam virginem, in vsum sacrorum aquam petitum ex eo fonte qui erat in luco Martis, subito imbribus tonitrubusque, * quæ cum illa erant, disiectis, a Marte compressam conturbatamque: mox recreatam consolatione dei, nomen suum indicantis, affirmantisque ex ea natos dignos patre euasuros. Primum igitur Amulius rex, vt comperit Rheam Siluiam sacerdotem peperisse geminos, protinus imperauit deportari ad aquam profluentem, atque eo abijci. Tum illi quibus id imperatum erat, impositos alueo pueros, circa radices montis Palatij in Tiberim, qui tum magnis imbribus stagnauerat, abiecerunt: eiusque regionis subulcus Faustulus, speculatus exponentes, vt vidit relabente flumine alueum, in quo pueri erant, obhæsisse ad arborem fici; puerorumque vagitu lupam excitam, quæ repente exierat, primo lambitu eos detersisse, dein leuandorum vberum gratia mammas præbuisse; descendit ac sustulit, nutriendosque Accæ * Larentiæ, vxori suæ, dedit: vt scribunt Ennius libro I, & Cæsar II. Addunt quidam, Faustulo inspectante, picum quoque aduolasse, & ore pleno cibum pueris ingessisse: inde videlicet lupum picumque Martiæ tutelæ esse: Arborem quoque illam *Ruminalem* dictam, circa quam pueri abiecti erant; quod eius sub vmbra pecus acquiescens meridie ruminare sit solitum. At vero Valerius tradit, pueros ex Rhea Siluia natos Amulium regem Faustulo seruo necandos dedisse: sed eum a Numitore exoratum ne pueri necarentur, Accæ Larentiæ amicæ suæ nutriendos dedisse: quam mulierem, eo quod pretio corpus esset vulgare solita, *Lupam* dictam. notum quippe ita appellari mulieres quæstum corpore facientes: vnde & eiusmodi loci in quibus hæ consistunt, *Lupanaria* dicta. Cum vero pueri liberalis disciplinæ capaces facti essent, Gabiis Græcarum Latinarumque litterarum ediscendarum gratia commoratos; Numitore auo clam omnia subministrante. Itaque vt primum adoleuissent, Romulum indicio educatoris Faustuli comperto, qui sibi auus, quæ mater fuisset, quidue de ea factum esset; cum armatis pastoribus Albam protinus perrexisse; interfectoque Amulio, NVMITOREM auum in regnum restitutum: ROMVLVM autem a virium magnitudine appellatum; nam Græca lingua ῥώμην virtutem dici certum est: alterum vero REMVM dictum, videlicet a tarditate: quippe talis naturæ homines ab antiquis *Remores* dicti. Igitur actis quæ supra diximus, re diuina facta, eo in loco qui nunc *Lupercal* dicitur, ludibundi discurrerunt, pellibus hostiarum occursantes quosque sibimet verberantes: vtque sollemne sacrificium sibi posterisque id esset, sanxerunt: separatimque suos appellauerunt; Remus, *Fabios*; Romulus, *Quintilios*: quorum vtrumque nomen etiamnum in sacris manet. At vero lib. II Pontificalium proditur, missos ab Amulio qui Remum pecorum pastorem attraherent; cum non auderent ei vim afferre, opportunum tempus sibi ad insidiandum nactos, quod tum Romulus aberat, genus lusus simulasse, quinam eorum, manibus post terga ligatis, lapidem quo lana pensitari solebat, mordicus sublatum, quam longissime perferret: tum Remum, fiducia virium, in Auentinum vsque se perlaturum spopondisse: dein postquam vinciri se passus est, Albam abstractum. Quod postquam Romulus comperisset, coacta pastorum manu, eaque in centenos homines distributa; perticas manipulis fœni varie formatis in summo iunctas dedisse: quo facilius eo signo suum quisque ducem sequeretur. vnde institutum vt postea milites qui eiusdem signi essent, *Manipulares* dicerentur. Itaque ab eo, oppresso Amulio, fratrem vinculis libe-

ratum, auum regno reſtitutum. Cum igitur inter ſe Romulus & Remus de condenda vrbe tractarent, in qua ipſi pariter regnarent; Romuluſque locum qui ſibi idoneus videretur, in monte Palatino deſignaret, *Romam*que appellari vellet; contraque item Remus in alio colle, qui aberat a Palatio milibus quinque; eundemque locum ex ſuo nomine* *Remuriam* appellaret; neque ea inter eos finiretur contentio: auo Numitore arbitro adſcito, placuit diſceptatores eius controuerſiæ immortales deos ſumere; ita vt vtri eorum priori ſecunda auſpicia obueniſſent, vrbem conderet; eamque ex ſuo nomine nuncuparet, atque in ea regni ſummam teneret. Cumque auſpicaretur Romulus in Palatio, Remus in Auentino, ſex vultures pariter volantes, a ſiniſtra Remo prius viſos: tumque ab eo miſſos qui Romulo nuntiarent, ſibi iam data auſpicia quibus condere vrbem iuberetur: itaque maturaret ad ſe venire. cumque ad eum Romulus veniſſet, quæſiſſetque quænam illa auſpicia fuiſſent, dixiſſetque ille, ſibi auſpicanti ſex vulturios ſimul apparuiſſe: *At ego*, inquit Romulus, *iam tibi duodecim demonſtrabo:* ac repente duodecim vultures apparuiſſe, ſubſequuto cæli fulgore pariter tonitruque. Tum Romulus, *Quid*, inquit, *Reme affirmas priora, cum præſentia intuearis?* Remus, poſtquam intellexit ſeſe regno fraudatum; *Multa*, inquit, *in hac vrbe temere ſperata atque præſumta, feliciſſime prouentura ſunt.* At vero Licinius Macer lib. I, docet contentionis illius pernicioſum exitum fuiſſe. namque ibidem obſiſtentes Remum & Fauſtulum interfectos. Contra Egnatius lib. I, in ea contentione non modo Remum non eſſe occiſum, ſed etiam vlterius a Romulo vixiſſe tradit. Sed horum omnium opinionibus diuerſis repugnat * noſtræ memoriæ proclamans hiſtoria Liuiana, quæ teſtatur quod auſpicato Romulus ex ſuo nomine *Romam* vocauit: cumque muniret mœnibus, edixit ne quis vallum tranſiliret: quod Remus irridens tranſiliuit, & a Celere centurione rutro vel raſtro fertur occiſus. *Romulus aſylum conuenis, *cet.*



DE AV-

DE AVCTORE VIRORVM ILLVSTRIVM, DISQVISITIO ANDREÆ SCHOTTI.



Olet *in methodo pertractanda hæc primo quæstio agitari,* An sit: *qua de rei natura, an subsistat, quærunt disserendi artifices. Eadem nos via, prius quam ad rem ipsam veniamus, de auctore huius libelli, Plinius ne, an Cornelius Nepos, an neuter potius sit, breuiter sumus disputaturi: de quo variæ sunt doctiss. hominum, & discrepantes sententiæ. Quidam enim C. Plinio Cæcilio, alij Cornelio Nepoti; nonulli Suetonio Tranquillo inscripsere. nec defuere qui AEmilio Probo. Nã qui* C. CORNELIVM TACITVM *auctorem faciunt, toto cælo errare mihi videntur: stylus enim, dicendiq. ratio, reclamat: falsi fortasse, quod de Oratoribus illustribus scripsisse Tacitũ audiuissent: sed eum, qui vulgo circũfertur, libellum Fabio Quinctiliano vero auctori nuper restituit in his litteris doctissimus Iustus Lipsius noster. Qui* SVETONIVM *patrem legitimũ affirmare non dubitant, næ illi iniqui familiarum censores sunt, digni quibus ignominiæ caussa non equus adimatur, sed a Catonibus censura ipsa abrogetur. Quod enim D. Hieronymum in eo libro quem & ipse de Viris illustribus conscripsit, auctorem laudant, dicam libere, vere tamen, errant; nec sensum adsequuntur. verba ipsa apponam:* Hortaris, Dexter, vt Tranquillum sequens, Ecclesiasticos scriptores in ordinem digeram; & quod ille in enumerandis Gentilium litterarum viris fecit illustribus, id ego in nostris faciam. *Quibus ipsis, qui hæc obijciunt, refelli & tanquam suo gladio confodi, quis ita cæcus est, vt non videat?* Illustres *enim* Suetonij Grammaticos, *qui hodieque in manibus sunt, intellegit. Non infitior tamen* Stemma illustrium virorum Romanorum *scripsisse Tranquillum, vt ex Suidæ collectaneis apparet: & de Ventidio Basso Suetonium scripsisse, Agellius auctor est. Qui* CORNELIO NEPOTI *attribuunt, plures, iique doctiores: sed vereor ne fallantur: quod bona eorum venia dixerim. Sed age rationes dispiciamus. in primis Catulli illo carmine pugnant, quo Cornelio Nepoti Veronensi poema suum dedicat, vtpote cui suo & municipi, vel, vt cum Plinio maiori castrense vocabulum vsurpem, conterraneo:* Quoi dono lepidum nouum libellum, Arida modo pumice expolitum? Corneli, tibi. namque tu solebas Meas esse aliquid putare nugas, Iam tum, cum ausus es vnus Italorum Omne æuum tribus explicare chartis, Doctis, Iupiter, & laboriosis. *Fateor equidem de Viris illustribus scripsisse Nepotem: nam & Agellius, magna scriptorum lauerna, lib.* XI, *cap.* IIX, *integrũ inde caput transcripsit: & Flauius Sosipater librum* XV *&* XVI *Virorum illustrium citat; alijque, quos in eo lib. in quem Cornelij Nepotis librorum omnium, qui desiderantur, fragmenta coniecimus, & Cornelio Valerio præceptori nuper dicauimus, recenseo. Nunc si quis inferat, libelli istius auctorem esse Nepotem, constanter negabo: nec enim magis consequitur, quam vel Suetonium, vel AEmilium Probum, vel Hyginum, vel alium quemuis. Huc accedit, capita ipsa, quæ Agellius, Sosipater, Seruius, ceterique ex Nepotis Illustribus recitant, ne vestigium quidem libelli nostri præferre. Vnum de multis exemplum, quoniam ad rem facit, adferam. Agellius (vel, si vett. librorum auctoritatem neglegis, A. Gellius) Noct. Attic. lib.* XVII, cap. XXI, *non obscure hunc esse Nepotis partum negat.* M. *inquit,* Manlius Romæ, qui Gallos in obsidione Capitolij obrepentes per ardua depulerat, conuictus est consilium de regno occupando iniisse: damnatusque capitis, e saxo Tarpeio, vt M. Varro ait, præceps datus: vt Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est. *Noster vero, disertim de saxo Tarpeio præcipitatum scribit. Sed nihil agit Catellianus Cotta, qui hæc ad Chronica Nepotis detorquet. nec enim simile vero, tam præstantem historicum tam repugnantia in Viris illustribus dixisse. Verum vt symbolam quoque Græcus auctor conferat, non leuis, sed* κωμικὸς μάρτυρ, *Plutarchus, vt ipsi obseruauimus, de Lucullo longe aliter scripsisse Nepotem refert, atque adulterinus iste Nepos. sic enim ait:* Post, cum alienata mente desipere cœpisset, tutela eius M. Lucullo fratri permissa est. *Plutarchus vero:* Νέπως δ' ὁ Κορνήλιος οὐχ ὑπὸ γήρως φησὶν, οὐδὲ νόσῳ παραλλάξαι τὸν Λούκουλλον, ἀλλὰ φαρμάκοις ὑπό τινος τῶν ἀπελευθέρων Καλλισθένους διαφθαρέντα. *Quæ sic vertimus:* Cornelius Nepos neque senio, neque morbo ait alienata mente

fuisse, sed a Callisthene liberto venenis corruptum. Callisthenis nulla apud auctorem nostrum mentio, neque senij, morbi, aut veneni. Necesse est igitur alio Nepote vsum Plutarchum. Idem quoque in Tiberio & Caio Gracchis: Νέπως ὁ Κορνήλιός φησιν, οὐ Κράσσου, Βρούτου δὲ, θριαμβεύσαντος ἀπὸ Λυσιτανῶν, θυγατέρα γῆμαι Γάϊον. i. Cornelius Nepos non Crassi, sed Bruti, eius qui de Lusitanis triumphauerat, filiam in matrimonio Caium habuisse scribit. In Nepote vero isto subditicio filiæ neque Crassi, neque Bruti, vlla mentio exstat; nisi cæcutiunt oculi. Rursus in Noctibus Atticis est, lib. XI, cap. VIII; & Macrobio Præfatione Saturnaliorum, Plutarcho in Catone, M. Catonem iuste A. Albinum reprehendisse, quod homo Romanus, Græca oratione res gestas Romanorum cum componeret, veniam antè imperitiæ præfatus esset. Porcij quidem Catonis noster meminit; de Albino vero verbum nullum. Vnde relinquitur, falli eos qui Nepoti hunc fetum attribuunt. Porro ad stylum quod attinet, Nepoti is abiudicat, quod Illustres viros copiosius scripsisse Nepotem, apparet ex T. Pomponij Attici vita, & M. Porcij Catonis; quæ dumtaxat ab iniuria temporis reliquæ sunt. Quod & libro (si modo illius est) de Vita Excellentium (vel, vt m. ß. quidam legunt, Externorum) Impp. probari posset. Noster vero ita concisus auctor est, vt Elogia potius Illustrium, quam Vitas scripsisse videatur: qualia versibus quaternis Atticum contexuisse, testis est Nepos ipse & Plinius. Plura argumenta ex fragmentis nostris Nepotianis ingenioso cuique facile suppeditabunt: sed hæc facient, nisi vehementer fallor, satis ei, qui non omnino pertinax falsi patronus defensórq; esse voluerit. Nunc ordine de PLINIO NEPOTE videamus; a quo etiã hæc remouenda iniuria est, ne auctor eius esse videatur, quem, si reuiuiscat, pro suo agnoscere, sat scio, nollet. Non enim cadit in tam fecundum ingenium, tam exile, & plus quam sordidum aliunde mutuandi studium. Verba illius adscribere nõ pigebit ex epistola XX lib. VI, ad Cornelium Tacitum: quibus huius libelli auctorem quidam facere se posse confidunt, quod annos natum duodeuiginti, historiam se scribere cœpisse affirmet: Agebam, inquit, duodeuicesimum annum. Posco librum T. Liuij, & quasi per otium lego, atque etiam, vt cœperam, excerpo. Vultisne igitur dari vobis, res gestas breuiter e Liuio decerpsisse Plinium; eas, inquam, quæ nunc in manibus sunt? cur, amabo, totiens a Liuio diuersus abit, & pugnantia commemorat; Græcos in plerisque potius secutus, vt Dionysium, vt Dionem, vt Appianum, vt Plutarchum? His igitur illud Epicharmi occino, μέμνασο ἀπιστεῖν. Quemadmodum ex lineamentis de legitimis liberis & spuriis filiis εἰκότως iudicare solemus; idem hic sentio faciendum. Certe, siquod in his iudicium meum est, non sapit Plinium Cæcilium stylus. Adhæc verisimile fit, si is verus auctor esset, cum aliorum maxime virtute bellica togaue Illustrium vitas persequatur; eorum qui Augustum sunt insecuti ad Traianum vsque Imperatorum, hominumque illustrium, non omissurum fuisse: propterea quod in Epistolis, viri qui ceteris laude antistabant, omnes pæne paginas impleant. Venit in mentem coniectura fortaßis vera, cur Nepoti aut Plinio inscripserint quidam. cum enim in m. ß. forte vidissent C. PLINII NEPOTIS, (fuit enim C. Plinius Cæcilius, alterius ex sorore nepos) oblitteratis nonnihil prioribus, paruaque facta immutatione, CORNELII NEPOTIS, legi cœptum: aut vice versa accidisse, non admodum a vero abhorret. Sed libros, inquies, calamo exaratos, arbitros controuersiæ deposco. Quinque nos quidem vsi sumus, demtis antiquitus excusis quamplurimis, qui etiam vehementer nos adiuuerunt. Quod a Theod. Pulmanno, erudito viro, accepi, longe optimum. Lectionum vero varietates aliquot, ex Io. Metelli Sequani doctiss. viri codd. duobus, quorum alter DCCC abhinc annis, vel pluribus, scriptus est, communicauit nobiscum P. Siluius, iuuenis Græce Latineq; doctus. Lutetiæ vero Franc. Pithoei m. ß. & Bibliothecæ D. Victoris in suburbiis sitæ, vsus sum. Pulmanni exemplum, hanc ἐπιγραφὴν præfert; AVRELII VICTORIS Historiæ abbreuiatæ, ab Augusto Octauiano, id est a fine T. Liuij, vsque ad Consulatum decimum Constantij Augusti, & Iuliani Cæsaris tertium: Eratque in duos tomos sectus liber. prior, de vrbis Romæ orig. fragmentum, & Viros hosce illustres continebat: alter, Cæsarum vitas hinc vsque ab Augusto; qui tamen ab edito mire variat: quemadmodum nunc, si cum vulg. Epitoma conferat, studiosus Lector cognoscet. Desinant igitur docti dubitare cuius Viri illustres sint, reperto vero auctore Sex. Aurelio Victore. Priore enim parte, tanquam Prolegomena sunt, quibus ea quæ a Liuio dicta prolixius, summatim repetit prius quam Impp. vitas aggrediatur.

DE

DE AVCTORIBVS ANTIQVIS VIROR. ILLVSTRIVM.

LIBET *illustres aliquot de Viris domi militiæque illustribus scriptores, quos Victor imi-*
tandos proposuit, recensere, eos potißimum quorum libri interciderunt. De PLVTAR- 1
CHO *igitur, qui Græcos & Latinos Impp. comparauit, non necesse habeo dicere; quod ipsius*
libros vere philosophicos in bibliothecis desiderari nefas putem. IVLIVM HYGINVM *De* 2
*claris viris, seu De vita rebusque illustrium virorum, laudat Agellius lib.*1, *cap.*XIV *Noct. At-*
tic. & Asconius in Pisonianam, qui Lucium *appellat, commutata fortasse I littera in L, li-*
brariorum audacia; nisi forte L. Iulium Hyginum *dictum videri placet. Suetonius C. Iu-*
lium Hyginum in Illustr. Gramm. nominat. Eiusdem Exemplorum libros, *forte eosdem,*
idem citat Agellius lib. X, *cap.*XVIII. ALPHIVS AVITVS *Excellentium virorum libros* 3
reliquit iambico dimetro; vt ex fragmentis quæ a Prisciano IIX, XII, *&* XIIX *libris Gramm.*
adferuntur, apparet. De quo æqualis eius Terentianus Maurus: Vt pridem Auitus Alphius
Conscribsit Excellentium. T. *quoque* POMPONIVM ATTICVM *de Viris illustribus* 4
*carmine scribsisse, in eius vita auctor est Nepos & Plinius lib.*XXXV, *cap.*II, *Nat. Historiæ: at-*
que versibus non amplius quaternis quinisque sub singulorum imaginibus, facta & magistra-
tus eorum describsisse: *Plinij iunioris æqualis* TITINIVS CAPITO *Exitus illustrium vi-* 5
rorum tradidit; in iis quorundam sibi carissimorum: auctor Plinius lib. VIII, *epist.* XII. *D.*
quoque Hieronymus, in Catalogo eorum qui de scripturis sanctis memoriæ aliquid prodide- 6
runt, ad Dextrum Prætorio Præfectum, aliquot enumerat; quorum nomina tantum, eaque
vix integra, ad nostram vsque ætatem peruenerunt: Fecerunt, *inquit*, hoc idem apud Græ-
cos Hermippus Peripateticus, Antigonus Carystius, Satyrus doctus vir, & longe o-
mnium doctissimus Aristoxenus Musicus: apud Latinos Varro, Santra, Nepos, Hy-
ginius, &, ad cuius nos exemplum vis prouocare, Tranquillus. *De* VARRONIS *au-* 7
*tem septingentis Illustribus, quos primos nominasse oportuit, videndus Plin. lib.*XXXV, *cap.*
II, *Natur. Historiæ.* *Lactantius quoque, Christianorum Cicero, lib.*1, *cap.*X. *Diuinar. Insti-* 8
tutionum TARQVITIVM *quendam de Viris illustribus laudat auctorem: vbi quis* Tran-
quillum *esse legendum coniiciat, nisi aliud locus ipse suaderet.* *Memini legere apud Trithe-*
mium, PROSPERVM AQVITANICVM *de Viris quoque illustribus scribsisse: sed sacrisne, an* 9
profanis, non liquet. neque enim videre contigit.

Cæterum de ratione consilij nostri paucis sic accipe. Menda, quamuis libellus sit, supra quam cuiquam credibile sit, libb. vett. ope sustulimus; nihil tamen temere immutauimus. quod illis iudicandum relinquo, qui hæc nostra cum vulgatis comparabunt. Vt vero lucem historiæ darem, annos Consulares ad oram adscribsi; secutus fere Capitolinos Fastos, quos Carolus Sigonius, ac nuper Stephanus Pigius, & Hubertus Goltzius nostrates, digesserunt: in Augusta vero historia, Fastorum lib. secundum Onufrij Panuinij, hortatu Io. Oliuarij Iurisconsultorum disertißimi: quo Eloquentiæ professore Duacenates merito superbiunt. Notas, quibus emendationum nostrarum ratio explicatur, ne libri moles nimium excresceret, non addidimus: & recens eæ editæ Duaci, in gratiam nobiliß. iuuenis Philippi La-Noij, Dom. Tourconij, mihi sane multis nominibus carißimi. Vale mi Lector; & hæc si studia tua iuuabunt, abunde magnum laboris mei præmium consecutum me esse existimabo.

SERIES VIRORVM ILLVSTRIVM.

SEX.

SEX. AVRELIVS VICTOR
DE VIRIS ILLVSTRIBVS VRBIS ROMÆ.

LIBER *falso hactenus Cornelio Nepoti vel C. Plinio Cæcilio inscriptus; nouem personis illustribus ex vet. lib. auctoritate nunc primum auctus.*

*CAPVT I, *Proca rex Albanorum; seu, De Romuli & Remi ortu.*



PROCA rex Albanorum, Amulium & Numitorem filios habuit: ANNO A
quibus regnum annuis vicibus habendum reliquit, & vt alternis CAPTA
imperarent: sed Amulius fratri imperium non dedit: &, vt eum TROIA
subole priuaret, Rheam Siluiam filiã eius, Vestæ sacerdotem præ- 389
fecit; vt virginitate perpetua teneretur: quæ a Marte compressa,
Romulum & Remum edidit. Amulius ipsam in vincula compe- 415
git: paruulos in Tiberim abiecit: quos aqua in sicco reliquit. Ad
vagitum lupa accurrit, eosque vberibus suis aluit: mox Faustulus pastor collectos Accæ Laurentiæ coniugi educandos dedit. Qui postea, Amulio interfecto, Numitori
auo regnum restituerunt: ipsi pastoribus *adunatis ciuitatem condiderunt: quam 432
Romulus augurio victor, quod ipse XII, Remus VI vultures viderat, ROMAM vocauit: & vt eam prius legibus quam mœnibus muniret, edixit ne quis vallum transiliret: quod Remus irridens, transiliuit, & a Fabio Celere centurione *rutro fertur occisus. ANNO VRBIS CONDITAE

2, *Romulus, Romanorum rex I.*

ROMVLVS asylũ conuenis patefecit; & magno exercitu facto, cum videret con-
iugia deesse, per legatos a finitimis ciuitatibus petiit. Quibus negatis, ludos *Consualia* 1
simulauit: ad quos cum vtriusque sexus multitudo venisset, dato suis signo virgines 3
raptæ sunt: ex quibus cum vna pulcerrima cum magna omnium admiratione duceretur, Thalassio eam duci responsum. Quæ nuptiæ quia feliciter cesserunt, institutum est vt omnibus [in] nuptiis *Thalassij* nomen inuocaretur. Cum feminas [ergo] finitimorum Romani [vi] rapuissent, primi Cæninenses contra eos bellum sumserunt. aduersus quos Romulus processit, & exercitum eorum, ac ducem Acronem
singulari prœlio deuicit: Spolia opima Ioui Feretrio in Capitolio consecrauit. [An- 4
temnates, Crustumini, Fidenates, Veientes,] Sabini etiam, ob raptas bellum aduersus Romanos sumserunt. & cum Romæ appropinquarent, Tarpeiam virginem nacti, quæ *aquæ, caussa sacrorum, hauriendæ descenderat, ei T. Tatius optionem muneris dedit, si exercitum suum in Capitolium *perduxisset. illa petiit quod illi in sinistris manibus gerebant; videlicet anulos & armillas. quibus dolose repromissis, Sabinos in arcem perduxit. vbi *Titus scutis eam obrui præcepit: nam & ea in læuis habuerant. Romulus aduersus Tatium, qui montem Tarpeium tenebat, processit: & in eo loco vbi nunc Romanum forum est, pugnam conseruit. ibi *Hostus Hostilius fortissime dimicans cecidit: cuius interitu consternati Romani, fugere cœperunt. Tunc Romulus Ioui Statori ædem vouit; & *exercitus seu forte, seu diuinitus restitit. Tunc
raptæ in medium processerunt: & hinc patres, inde coniuges deprecatæ, pacem cõ- 8
ciliarunt. Romulus fœdus percussit, & Sabinos in vrbem recepit: populum a Curibus opido Sabinorum *Quirites* vocauit. Centum Senatores, *a pietate *Patres* appellauit. Tres equitum centurias instituit; quas a suo nomine *Ramnenses*, a Tito Tatio *Tatienses*, a Lucumone *Luceres* appellauit. Plebem in triginta curias distribuit; easque
raptarum nominibus appellauit. Cum ad Capræ paludem exercitum lustraret, 37
*nusquam comparuit. vnde inter Patres & populum seditione orta, Iulius Proculus, *Imp.*
vir nobilis, in concionem processit, & iureiurando firmauit, Romulum a se in colle 38
Quirinali visum augustiore forma, cum ad deos abiret; eundemq; præcipere, vt seditionibus abstinerent, virtutem colerent: futurum vt omnium gentium domini ex-

ANNO V.C. sisterent. Huius auctoritati creditum est: ædes in colle Quirinali Romulo constitu-
ta; ipse pro deo cultus, & *Quirinus* est appellatus.

3, *Numa Pompilius, Romanorum rex* II.

POST consecrationem Romuli,* cum diu interregnum esset, & dissensiones ori-
rentur, Numa Pompilius,* Pomponis filius, Curibus opido Sabinorum accitus, cum
*addicentibus auibus Romam venisset; vt populum ferum religione molliret, sacra
plurima instituit: ædem Vestæ fecit; virgines Vestales legit: Flamines tres, Dialem,
Martialem, Quirinalem; Salios Martis sacerdotes, quorum primus *Præsul* vocatur,
244 XII instituit: Pontificem Maximum creauit. *a* Portas Iano gemino ædificauit. *b* An-
b42 num in XII menses distribuit, additis Ianuario & Februario. Leges quoq; plurimas
& vtiles [tulit:] omnia [quæ gerebat,] iussu Egeriæ nymphæ, vxoris suæ, se facere si-
c 81 mulans. Ob hanc tantam iustitiam bellum ei nemo intulit. Morbo solutus, *c* in Iani-
Imp. culo sepultus est; vbi post *d* multos annos arcula cum libris a Terentio quodam exa-
43 rata: qui libri, quia leueis quasdam sacrorum caussas continebant, ex auctoritate Pa-
d573 trum cremati sunt.

4, *Tullus Hostilius, Romanorum rex* III.

TVLLVS Hostilius, quia bonam operam aduersum Sabinos nauauerat, rex crea-
tus, bellum Albanis indixit; quod trigeminorum * certatione finiuit; & Albam pro-
85 pter perfidiam ducis Metij * Fufetij diruit; Albanos Romam transire iussit. Curiam
Hostiliam constituit. Montem Cœlium vrbi addidit. Et dum Numam Pompilium
113 sacrificiis imitatur, Ioui Elicio litare nõ potuit, fulmine ictus cum regia conflagrauit.
Imp.
32

Horatij & Curiatij.

QVVM inter Romanos & Albanos bellum fuisset exortum, ducibus Hostilio &
Fufetio, placuit rem paucorum * certatione finire. Erant apud Romanos trigemini
Horatij, tres apud Albanos * Curiatij. quibus fœdere icto concurrentibus, statim
duo Romanorum ceciderunt, tres Albanorum vulnerati. Vnus Horatius, quamuis
integer, quia tribus impar erat, fugam simulauit; & singulos per interualla, * vt vul-
nerum dolor patiebatur, insequentes, interfecit. & cum spoliis onustus rediret, soro-
rem obuiam habuit; quæ viso paludamento sponsi sui, qui vnus ex Curiatiis erat, flere
cœpit: frater eam occidit.* Qua re apud Duumuiros condemnatus, ad populum pro-
uocauit: vbi * patriis lacrymis condonatus, ab eo expiandi gratia sub tigillum missus,
quod nunc quoque viæ * suppositum, *Sororium* appellatur.

Metius Fufetius.

METIVS Fufetius dux Albanorũ, cum se inuidiosum apud ciueis videret, quod
bellum * sola trigeminorum certatione finisset, vt rem corrigeret, Veientes & Fide-
nates aduersum Romanos incitauit. ipse ab Tullo in auxiliũ * arcessitus, aciem in col-
lem subduxit; vt fortunam [belli experiretur ac] sequeretur. Qua re Tullus intelle-
*cta, magna voce ait, suo illud iussu Metium facere. quare hostes territi victique sunt.
Postera die Metius, cum ad gratulandum Tullo venisset, iussu ipsius quadrigis reli-
gatus, & in diuersa distractus est.

5, *Ancus Marcius, Romanorum rex* IIII.

ANCVS Marcius, Numæ Pompilij ex filia nepos, æquitate & religione auo simi-
117 lis, Latinos bello domuit. Auentinum & Ianiculum monteis vrbi addidit. Noua mœ-
nia opido circumdedit. Siluas ad vsum nauium publicauit. Salinarum vectigal insti-
127 tuit. Carcerem primus ædificauit. Ostiam coloniam, maritimis commeatibus op-
portunam, in ostia Tiberis deduxit. Ius fetiale, quo legati ad res repetundas vteren-
tur, ab * Æquiculis transtulit: quod primus fertur * Rhesus excogitasse. His rebus
137 intra paucos dies confectis, immatura morte præreptus, non potuit præstare qua-
Imp. lem promiserat regem.
24

6, *L. Tar-*

6, L. Tarquinius Priscus, Romanorum rex V. ANNO V.C.

LVCIVS Tarquinius Priscus,* Damarati Corinthij filius, eius qui Cypseli tyran-
nidem fugiens, in Etruriā commigrauit: ipse Lucumo dictus, [vrbe] Tarquiniis* pro-
fectus, Romam petiit. Aduenienti aquila pileum sustulit: & cum alte subuolasset, re-
posuit. Tanaquil coniux, auguriorum perita, regnum ei portendi intellexit. Tarqui-
nius pecunia & industria dignitatem, atque etiam Anci regis familiaritatem conse-
cutus est. à quo tutor liberis relictus, regnum intercepit, & ita administrauit, quasi iu-
re adeptus fuisset. Centum Patres in Curiam legit; qui *minorum gentium* sunt appel-
lati. Equitum centurias numero duplicauit: nomina mutare non potuit, Accij Nauij
auguris auctoritate deterritus; qui fidem artis suæ nouacula & cote firmauit. Latinos
bello domuit. Circum maximum ædificauit. Ludos magnos instituit. De Sabinis & 171
Priscis Latinis triumphauit. Murum lapideum vrbi circumdedit. Filium XIII anno-
rum, quod in prœlio hostem percussisset, *prætexta & bullâ* donauit: vnde hæc inge-
nuorum puerorum insignia esse cœperunt. Post ab Anci liberis, immissis percussori-
bus, per dolum * regia excitus & interfectus est. 175

Imp. 38

7, Seruius Tullius, rex VI.

SERVIVS Tullius, P. Corniculani & Ocrisiæ captiuæ filius, cùm in domo Tar-
quinij Prisci educaretur, flammæ species caput eius amplexa est. Hoc viso Tanaquil
summam ei dignitatem portendi intellexit. coniugi suasit vt ita eum, vt liberos suos,
educaret. cumque adoleuisset, gener a Tarquinio assumtus est. & cum rex occisus es-
set, Tanaquil ex altiore loco ad populum despiciens, ait Priscum Tarquinium graui
quidem, sed non letali vulnere accepto, petere vt interim dum conualescit, Seruio
Tullio [dicto] audientes essent. Seruius Tullius quasi precario regnare cœpit: sed re-
cte imperium administrauit. Etruscos sæpe *a* domuit: collem Quirinalem & Vimi- a 179
nalem & * Esquilias vrbi *b* addidit: aggerem fossasque fecit. Populum in quatuor tri- b 182
bus *c* distribuit: ac post plebi distribuit annonam: mensuras, pondera, classes centu- c 186
riasque constituit. [Primus omnium censum *d* ordinauit, qui adhuc per orbem ter- d 187
rarum incognitus erat.] Latinorum populis persuasit, vt exemplo* eorum qui Dianæ
Ephesiæ ædem fecissent, & ipsi ædem Dianæ in Auentino ædificarent. Quo* facto,
bos cuidam Latino miræ magnitudinis nata, & responsum * somnio datum, eum po-
pulum summam imperij habiturum, * cuius ciuis bouem illam immolasset. Latinus
bouem in Auentinum egit, & caussam sacerdoti Romano exposuit. ille, callidus, di-
xit prius eum viuo flumine manus abluere debere. Latinus dum ad Tiberim descen-
dit, sacerdos bouem immolauit. Ita imperium ciuibus, sibi gloriam facto consilioque
vindicauit.

Tulliæ.

SERVIVS Tullius filiam alteram ferocem, mitem alteram habens, cum Tar-
quinij Prisci filios pari animo videret, vt omnium mentes morum diuersitate leni-
ret, ferocem miti, mitem feroci in matrimonium dedit. Sed mites, seu forte, seu frau-
de perierunt: feroces, morum similitudo coniunxit. Statim Tarquinius Superbus a
Tullia incitatus: aduocato Senatu, regnum paternum repetere cœpit. Qua re audita
Seruius, dum ad curiam properat, iussu Tarquinij gradibus deiectus; & domum re-
fugiens, interfectus est. Tullia [statim] in forum properauit, & prima coniugem re- 219
gem salutauit: * a quo iussa e turba decedere, cum domum rediret, viso patris corpo- Imp.
re, mulionem euitantem, super ipsum corpus carpentum agere præcepit: vnde vicus 44
ille, *Sceleratus* dictus est. Postea Tullia cum coniuge in exsilium acta.

8, Tarquinius Superbus, Romanorum rex VII.

TARQVINIVS Superbus, cognomen moribus meruit. Occiso Seruio Tullio re-
gnum scelestè occupauit: tamen bello strennuus, Latinos Sabinosq; domuit; Suessam
Pometiam* Volscis eripuit: Gabios per Sextum filiū, simulato transfugio, in potesta-
tem redegit: & ferias Latinas primus instituit. * Locos in Circo, & cloacā maximam
fecit; vbi totius populi viribus vsus est. vnde illæ fossæ, *Quiritium* sunt dictæ. Cum
Capitolium inciperet, caput hominis inuenit: vnde cognitum est, eam vrbem caput 244

Anno V.C. 244 Imp. 25 gentium futuram: & cum in obsidio Ardeæ filius eius Lucretiæ stuprum intulisset, cum eo in exsilium actus, ad *Porsennam Etruriæ regem confugit: cuius ope regnum retinere tentauit. Pulsus, Cumas concessit: vbi per summam ignominiam reliquum vitæ tempus exegit.

9, *L. Tarquinius Collatinus, & Lucretia vxor.*

TARQVINIVS Collatinus, sorore Tarquinij Superbi genitus, in contubernio iuuenum regiorum Ardeæ erat. vbi cum forte in liberiore conuiuio coniugem suam vnusquisque laudaret, placuit experiri. Itaque equis Romam petunt; regias nurus in conuiuio & luxu deprehendunt: exinde Collatiam petunt; Lucretiam inter ancillas in lanificio offendunt. * itaque ea pudicissima iudicatur. Ad quam corrumpendam Tarquinius Sextus nocte Collatiam rediit; & iure propinquitatis in domum Collatini venit, & in cubiculum Lucretiæ irrupit, pudicitiam expugnauit. Illa postero die aduocatis patre & coniuge, rem exposuit; & se cultro, quem veste texerat, occidit. Illi in exitium regum coniurarunt, eorumque exsilio necem Lucretiæ vindicauerunt.

10, *Iunius Brutus, I Romanorum Consul.*

*L. IVNIVS Brutus, sorore Tarquinij Superbi genitus, cum eandem fortunam timeret in quam frater inciderat, qui ob diuitias & prudentiam fuerat ab auunculo occisus, stultitiam finxit: vnde *Brutus* dictus. Iiuuenibus regiis Delphos euntibus * derididiculi gratia comes adscitus, baculo sambuceo aurum infusum deo donum tulit. vbi responsum est, eum Romę summam potestatem habiturũ, qui primus matrem osculaturetur: ipse terram osculatus est. Deinde propter Lucretiæ stuprum, cum Tricipiti-
245 no & Collatino in exitium regum coniurauit. Quibus in exsilium actis, primus *Consul* creatus, filios suos, [fratrisque,] quod cum Aquiliis & Vitelliis ad recipiendum in vrbem Tarquinios cõiurauerant, virgis cæsos securi percussit. Deinde in prœlio, quod aduersus eos gerebat, singulari certamine cum Arunte filio Tarquinij congressus est:
245 vbi * ambo mutuis vulneribus ceciderunt. cuius corpus in foro positum, a collega laudatum, matronæ * anno luxerunt.

11, *Horatius Cocles.*

246 PORSENNA, rex Etruscorum, cum Tarquinios in vrbem restituere tentaret, & primo impetu Ianiculum cepisset; Horatius Cocles (illo cognomine, quod in alio prœlio oculum amiserat) pro ponte sublicio stetit, & aciem hostium [solus] sustinuit, donec pons a tergo interrumperetur: cum quo [statim] in Tiberim decidit, & armatus ad suos trãsnauit. Ob hoc ei tantum agri publice datum est, quantum vno die circumarari potuisset: statua quoque ei in Vulcanali posita.

12, *Mucius Scæuula.*

246 CVM Porsenna rex vrbem obsideret, Mucius Cordus, vir Romanæ constantiæ, Senatum adiit, & veniam transfugiendi petiit; necem regis repromittens. Accepta potestate, in castra Porsennæ venit; ibique purpuratum pro rege, deceptus occidit. Apprehensus, & ad regem pertractus, dexteram aris imposuit: hoc supplicij * a rea exigens, quod in cæde peccasset. Vnde cum misericordia regis abstraheretur, quasi beneficium referens, ait, trecentos aduersus eum simileis coniurasse. Quare ille ter-
246 ritus, bellum acceptis obsidibus deposuit. Mucio prata trans Tiberim data, ab eo *Mucia* appellata. Statua quoque ei honoris gratia constituta est.

13, *Clœlia virgo.*

246 PORSENNA Clœliam virginem nobilem inter obsides accepit: quæ, deceptis custodibus, noctu castris eius egressa, equum quem * fors dederat, arripuit, & Tiberim traiecit. A Porsenna per legatos repetita, & reddita. Cuius ille virtutem admiratus, cum quibus optasset, in patriam redire permisit. illa virgines puerosque * elegit: quorum ætatem iniuriæ obnoxiam sciebat. Huic statua equestris in foro posita.

14, *Fabij*

14, *Fabij trecenti sex.*

ROMANI cum aduersum Veienteis bellarent, eos sibi hosteis familia Fabiorum 274
priuato nomine depoposcit: & * profecti trecenti sex, duce Fabio consule, fuerunt.
Cum sæpe victores exstitissent, apud Cremeram fluuium castra posuerunt. Veien-
tes, ad dolos conuersi, pecora ex aduerso in * conspectu illorum posuerunt: ad quæ
progressi Fabij, in insidias delapsi, ad vnum * occisione perierũt. Dies quo id factũ est, 276
inter nefastos relatus: Porta qua profecti fuerant, *Scelerata* est appellata. Vnus ex ea
gente propter impuberem ætatem domi relictus, genus propagauit ad Q. Fabium
Maximum; qui Annibalem mora fregit, *Cunctator* ab obtrectatoribus dictus.

15, * *P. Valerius Poplicola.*

PVBLIVS Valerius, * Volusi filius, primum de Veientibus, iterum de Sabinis, 245
tertio de vtrisque gentibus triumphauit. Hic, quia in locum * Bruti collegæ * consu- 201
lem non subrogauerat, & domum in Velia tutissimo loco habebat; in suspicionem
regni affectati venit. Quo cognito, apud populum questus, quod de se tale aliquid 245
timuissent; immisit qui domum suam diruerent. Secures etiam fascibus demsit, eosq;
in populi concione submisit. Legem de prouocatione a magistratibus ad populum
tulit. hinc *Poplicola* dictus. [Qui] cum [quater consul] diem obiisset, [adeo pauper ex- 251
stitit, vt collectis a populo nummis] publice sepultus [sit,] & annuo matronarum lu-
ctu honoratus.

16, *A. Postumius.*

TARQVINIVS eiectus, ad * Mamilium Tusculanum generum suum confugit. 247
qui cum Latio concitato Romanos grauiter vrgeret, A. Postumius *Dictator* dictus, a- 257
pud * Regilli lacum cum hostibus conflixit. Vbi cum victoria nutaret, * Magister e-
quitum equis frenos detrahi iussit, vt irreuocabili impetu ferrentur: vbi & aciem La-
tinorum fuderunt, & castra ceperunt. Sed inter eos duo iuuenes candidis equis insi-
gni virtute apparuerunt. quos Dictator quæsitos, vt dignis muneribus honoraret,
non reperit: Castorem & Pollucem ratus, [ædem] communi titulo dedicauit.

17, *L. Quinctius Cincinnatus.*

LVCIVS Quinctius Cincinnatus, filium Kæsonem petulantissimum * abdica-
uit: qui & a Censoribus notatus, ad Volscos & Sabinos confugit; qui duce * Clœlio
Gracccho bellum aduersum Romanos gerebant, & Q. Minucium consulem in Algi-
do monte [cum exercitu] obsidebant. Quinctius Dictator dictus: ad quem missi le- 295
gati, nudum eum arantem trans Tiberim offenderunt. qui insignibus sumtis, consu-
lem * obsidio liberauit. quare a Minucio & eius exercitu obsidionali corona donatus
est. Vicit hosteis: ducem eorum in deditionem accepit; & triumphi die ante currum
egit. Sextodecimo die dictaturam quám acceperat, deposuit: & ad agriculturam re-
uersus est. Iterum post viginti annos Dictator dictus, Spurium Mælium regnum 314
affectantem, a Seruilio * Ahala Magistro equitum occîdi iussit: domum eius solo æ-
quauit: vnde locus ille *Æquimælium* dictus.

18, *Menenius Agrippa Lanatus.*

MENENIVS Agrippa, cognomento *Lanatus*, dux electus aduersum Sabinos, de 250
iis triumphauit. Et cum populus a patribus secessisset, quod tributum & militiã [non] 260
tolleraret, nec reuocari posset; Agrippa apud eum, *Olim*, inquit, *humani artus, cum ven-
trem otiosum cernerent, ab eo discordarunt, & suum illi ministerium negarunt. cum eo pacto
& ipsi deficerent, intellexerunt ventrẽ acceptos cibos per omnia membra * differere: & cum eo
in gratiam redierunt. Sic Senatus & populus, quasi vnum corpus, discordia pereunt; concor-
dia valent.* Hac fabula populus regressus est: creauit tamen *Tribunos plebis*, qui liber-
tatem suam aduersum nobilitatis superbiam defenderent. Menenius autem tanta
paupertate decessit, vt eum populus collatis quadrantibus sepeliret, locum sepulcro 260
Senatus publice daret.

19, *C. Marcius Coriolanus.*

* CAIVS Marcius, a captis Coriolis vrbe Volscorum *Coriolanus* dictus: ob egregia

ANNO militiæ facinora a* Poſtumo optionem munerum *a* accipiēs, equum tantum & hoſpi-
V.C. rem ſumſit; virtutis & pietatis exemplum. Hic * conſul *b* graui annona, aduectum e
a 260 Sicilia frumentum, magno pretio dandum populo curauit; vt hac iniuria plebs agros,
b 262 non ſeditiones, coleret. Ergo a Tribuno pleb. Decio die dicta, ad Volſcos *c* conceſſit;
c 264 eoſque duce Attio Tullo aduerſus Romanos concitauit, & ad quartum ab vrbe lapidem caſtra poſuit. Cumque nullis ciuium legationibus flecteretur, a Veturia matre, & Volumnia vxore, matronarum numero comitatis, motus, omiſſo bello, vt prodi-
265 tor occiſus eſt. ibi templum Fortunæ muliebri conſtitutum eſt.

20, *C. Licinius Stolo.*

FABIVS Ambuſtus ex duabus * filiabus alteram Licinio Stoloni [plebeio,] alteram Aulo Sulpicio patricio coniugem dedit. quarum plebeia cum ſororem ſalutaret, cuius vir Tribunus militum conſulari poteſtate erat, faſces lictorios foribus appoſitos indecenter expauit. a ſorore irriſa, marito queſta eſt: qui adiuuante ſocero, vt pri-
376 múm tribunatum plebis aggreſſus eſt, legem tulit, vt alter conſul ex plebe crearetur. Lex, reſiſtente Appio Claudio, lata tamen: & primus Licinius Stolo conſul factus,
387 Idem * lege ſanciuit, ne cui plebeio plus * quingenta iugera agri habere liceret. & ipſe cum iugera * quingenta haberet, & altera emancipati filij nomine poſſideret; in iudicium vocatus, & primus omnium ſua lege punitus eſt.

21, *L. Virginius centurio.*

POPVLVS Romanus cum ſeditioſos magiſtratus ferre non poſſet, *Decemuiros* le-
302 gibus ſcribendis creauit; qui eas ex libris Solonis tralatas, duodecim Tabulis expoſuerunt. Sed cúm pacto dominationis magiſtratū ſibi prorogarent; vnus ex ipſis Appius Claudius Virginiam, Virginij centurionis filiam, in Algido militantis, adamauit: quam cum corrumpere non poſſet, clientem ſubornauit, * qui eam in ſeruitutem depoſceret: facile victurus, cum ipſe eſſet & accuſator, & iudex. Pater, re cognita, cum * ipſo die iudiciis ſuperueniſſet, & filiam iam addictam videret, vltimo eius adloquio impetrato, * eam in ſecretum abduxit, & occidit: corpus eius humeris gerens, ad exercitum profugit, & milites ad vindicandum facinus accendit: qui creatis decem Tri-
304 bunis, Auentinū occuparunt, Decemuiros abdicare ſe magiſtratu * coegerunt, eoſq; omnes aut morte aut exſilio punierunt. Appius Claudius in carcere necatus eſt.

22, *AEſculapius Romam aduectus.*

462 ROMANI ob peſtilentiam, reſponſo monente, ad Æſculapium Epidauro * arceſſendum decem legatos principe * Q. Ogulnio miſerunt. Qui cum eó veniſſent, & ſimulacrum ingens mirarentur, anguis e ſedibus * ſuis elapſus, venerabilis, non horribilis, per mediam vrbem cum admiratione omnium ad nauem Romanorum perrexit, & ſe in * Ogulnij tabernaculo * conſpirauit. Legati, deum vehentes, Antiū * prouecti ſunt. vbi per * mollitiem maris, anguis proximum Æſculapij fanū petiit, & poſt paucos dies ad nauim rediit: & cum aduerſo Tiberi ſubueheretur, in * proximam inſulam deſiliuit: vbi templum ei conſtitutum; & peſtilentia mira celeritate ſedata eſt.

23, *M. Furius Camillus.*

359 FVRIVS Camillus, cum Faliſcos obſideret, ac ludi litterarij magiſter, principum filios ad eum adduxiſſet, vinctum eum * hiſdem pueris in vrbem redigendum, & verberandum tradidit. ſtatim Faliſci ſe ei ob tantam iuſtitiam dediderunt. Veios * decen-
357 ni obſidio domuit, deque his triumphauit. Poſtmodum eſt crimini datum, quod albis equis triumphaſſet, & prædam inique diuiſiſſet: die dicta ab [L.] Appuleio
362 Tribuno plebis damnatus, Ardeam conceſſit. Mox cum Galli Senones, relictis ob ſterilitatem agris ſuis, Cluſium Etruriæ [opidum] obſiderent, miſſi ſunt * Roma tres legati, qui Gallos monerent vt ab oppugnatione deſiſterent. Ex his vnus contra ius gentium in aciem proceſſit, & ducem Senonum interfecit. Quo commoti Galli, petitis in dededitionem legatis, nec impetratis, Romam petierunt; & exercitum Romanum apud * Aliam fluuium ceciderunt, die XVI Kal. Augusti: qui dies inter nefaſtos relatus, *Alienſis* dictus. Victores Galli vrbem intrauerunt: vbi nobiliſſimos ſenum

ſenum in curulibus & honorū inſignibus, primo vt deos venerati, deinde vt homines
deſpicati, interfecere. Reliqua iuuentus cum Manlio in Capitolium fugit: vbi obſeſ- 363
ſa, Camilli virtute* liberata eſt: qui abſens Dictator dictus, collectis reliquiis, Gallos
improuiſos internecione occidit. Populum Rom. migrare Veios volentem retinuit.
Sic & opidum ciuibus, & ciueis opido reddidit.

24, *M. Manlius Capitolinus.*

MANLIVS ob defenſum Capitolium *Capitolinus* dictus, * ſedecim annorum, vo- 363
luntarium militem ſe obtulit. Triginta ſeptem militaribus donis a ſuis ducibus orna-
tus, * triginta treis cicatriceis in pectore habuit. Capta vrbe, auctor in Capitolium
confugiendi [fuit:] quadam nocte clangore anſeris * excitus, Gallos aſcendentes de-
iecit. *Patronus* a ciuibus appellatus, & farre donatus eſt.* Domum etiam in Capitolio
publice accepit. Qua ſuperbia elatus, cum a Senatu ſuppreſſiſſe Gallicos theſauros ar-
gueretur, & addictos propria * pecunia liberaret, regni affectati ſuſpicione in carce-
rem coniectus, populi conſenſu liberatus eſt. Rurſus cum in eâdem culpa, & grauius 369
perſeueraret, reus factus; & * ab conſpectu Capitolij ampliatus eſt. Alio deinde loco
damnatus, & de ſaxo Tarpeio præcipitatus: domus diruta: bona publicata. Gentilitas 370
eius Manlij * cognomen eiurauit, [ne quis poſtea *Capitolinus* vocaretur.]

25, *A. Cornelius Coſſus.*

*FIDENATES, fidei Romanorum hoſtes, vt ſine ſpe veniæ fortius dimicarent, 325
legatos ad ſe miſſos interfecerunt. ad quos Quinctius Cincinnatus Dictator miſſus,
Magiſtrum equitum habuit Cornelium Coſſum; qui Lartem Tolumnium ducem
ſua manu interfecit. De eo ſpolia opima Ioui Feretrio ſecundus ab Romulo conſe-
crauit.

26, *P. Decius pater.*

[P.] DECIVS MVS, bello Samnitico ſub Valerio Maximo & Cornelio Coſſo
conſulibus Tribunus militum; exercitu in anguſtiis Gauri montis inſidiis hoſtium 410
clauſo, accepto quod poſtulauerat præſidio, in ſuperiorem locum euaſit: hoſteis ter-
ruit. ipſe intempeſta nocte per medias cuſtodias ſomno oppreſſas incolumis euaſit.
Ob hoc ab exercitu *ciuica corona* [de quercu, quæ dabatur ei qui ciueis in bello ſeruaſ-
ſet; *obſidionali*, quæ dabatur ei qui obſidione ciueis liberaſſet,] donatus eſt. Conſul
bello Latino, collega Manlio Torquato, poſitis apud Veſerim fluuium caſtris, cum v- 413
trique conſuli ſomnio obueniſſet, eos victores futuros quorum dux in prœlio ceci-
diſſet: tum collato cum collega ſomnio, cum conueniſſet, vt cuius cornu in acie labo-
raret dis ſe Manibus voueret; inclinante ſua parte, ſe & hoſteis per Valerium pontifi-
cem dis Manibus deuouit. impetu in hoſteis facto, victoriam ſuis reliquit.

27, *P. Decius filius.*

PVBLIVS Decius Decij filius, *a** primo conſul de Samnitibus * triumphans, ſpo- a 441
lia ex his Cereri conſecrauit. *b* Iterum & *c* tertio conſul, multa domi militiæque geſ- b 444
ſit. *d* Quarto conſulatu cum Fabio Maximo, cum Galli, Samnites, Vmbri, Tuſci, con- c 456
tra Romanos conſpiraſſent: ibi exercitu in aciem ducto, & cornu inclinante, exem- d 458
plum patris imitatus, aduocato M. Liuio pontifice, haſtæ inſiſtens, & * ſollemnia ver-
ba reſpondens, ſe & hoſtes dis Manibus deuouit. impetu in hoſteis facto, victoriam
ſuis reliquit. Corpus a collega laudatum, magnifice ſepultum eſt.

28, *T. Manlius Torquatus.*

TITVS Manlius Torquatus, ob ingenij & linguæ tarditatem a patre rus relegatus,
cum audiſſet ei diem dictam a * Pompeio Trib. plebis, nocte vrbem petiit. Secretum
colloquium a Tribuno impetrauit; & gladio ſtricto * dimittere eum accuſationem
terrore multo compulit. Sulpicio Dictatore Tribunus militum, Gallum prouoca- 392
torem occidit. torquem ei detractum, ceruici ſuæ * indidit. Conſul bello Latino fi- 413
lium ſuum, quod contra imperium pugnaſſet, ſecuri percuſſit: Latinos apud Veſerim
fluuium, Decij collegæ deuotione ſuperauit. * [Conſulatum recuſauit, quod diceret, 413
neque ſe populi vitia, neque illum ſeueritatem ſuam poſſe ſufferre.] 453

ANNO V.C.

29, M. Valerius Coruinus.

404 RELIQVIAS Senonum Camillus persequebatur: aduersum ingentem Gallum
prouocatorem solus Valerius Trib. militum, omnibus territis, processit. coruus ab or-
tu solis galeę eius insedit, & inter pugnandum ora oculosq; Galli verberauit. hoste de-
uicto, Valerius *Coruinus* dictus. *Hinc, cum ingens multitudo ære alieno oppressa,
411 Capuam occupare tentasset, & ducem sibi Quinctium necessitate compulsum fecis-
set, sublato ære alieno, seditionem compressit.

30, Pontius Telesinus, & Sp. Postumius.

432 TITVS Veturius & Spurius Postumius consules, bellum aduersum Samnites ge-
rentes, a Pontio Telesino duce hostium * in insidias inducti sunt. Nam ille simulatos
transfugas misit, qui* Romanos docerent, Luceriam Apulam a Samnitibus obsideri;
quo duo itinera ducebant; aliud, lõgius & tutius; aliud, breuius & periculosius: *festi-
natio breuius elegit. Itaq; cum in insidias venissent, (qui locus *Furculæ Caudinæ* voca-
batur) C. Pontius accitum patrem Herennium rogauit, quid fieri placeret. Ille ait, aut
omneis occidendos, vt vires frangerentur; aut omnes dimittendos, vt beneficio obli-
garentur. vtroque improbato consilio, omnes sub iugum misit,* icto fœdere; quod a
433 Romanis [postea] improbatum est: Postumius Samnitibus deditus, nec receptus.

31. L. Papirius Cursor.

429 LVCIVS Papirius a velocitate *Cursor*, cum* Dictatorem se aduersis* ominibus cõ-
tra Samnites profectum esse sensisset; ad auspicia * repetenda Romam regressus, edi-
xit Fabio * Rulliano, quem exercitui imponebat, ne manum cum hoste consereret.
sed ille, opportunitate ductus, pugnauit. Reuersus Papirius securi eum ferire voluit:
ille in vrbem confugit, nec supplicem Tribuni tuebantur. Dein pater lacrymis, popu-
444 lus precibus veniam impetrarunt. Papirius de Samnitibus triumphauit. Idem [co-
429 mis & iocorum studiosus;] cum Prænestinũ Prætorem grauissime increpuisset, *Ex-
pedi*, inquit, *lictor secures*. & cum eum metu mortis attonitum vidisset, incommodam
ambulantibus radicem * exscindi iussit.

32, Q. Fabius* Rullianus.

a 429 QVINCTVS Fabius Rullianus, primus ex ea familia ob virtutem *a Maximus*:
b 431 Magister equitum a Papirio Cursore [ob Samnitem victoriam] *b* securi pæne per-
c 444 cussus, primũ de Apulis & Lucerinis; *c* iterum de Samnitibus; *d* tertio de Gallis, Vm-
d 458 bris, Marsis, atq; Tuscis triumphauit. *e* Censor libertinos * tribu amouit. Iterũ Censor
e 449 fieri noluit; dicens non esse ex vsu Reipublicæ eosdem censores sæpius fieri. Hic pri-
mus instituit, vti Equites Romani Idibus Quinctilibus ab æde Honoris, [albis] equis
insidentes, in Capitolium transirent. Mortuo huic tantum æris populi liberalitate
congestum est, vt inde filius viscerationem & * epulum publice daret.

33, * M'. Curius Dentatus.

463 MANIVS Curius Dentatus primo de Samnitibus triumphauit; quos vsq; ad ma-
re superum perpacauit. Regressus, in concione ait: *Tantum agri cepi, vt solitudo futura
fuerit, nisi tantum hominum cepissem; tantum porro hominum cepi, vt fame perituri fuerint,
a 463 nisi tantum agri cepissem.* Iterum de Sabinis *a* triumphauit. Tertio de Lucanis ouans *b*
b 463 vrbem introiuit. Pyrrhum * Epirotam Italia *c* expulit. * Quaterna dena agri iugera
c 478 viritim populo diuisit. sibi deinde totidem constituit; dicens, neminem esse debere
[ciuem,] cui non tantum sufficeret. Legatis Samnitum aurum offerentibus, cum
ipse in foco * rapa torreret: *Malo*, inquit, *hæc in fictilibus meis esse, & aurum habentibus
imperare.* Cum interuersæ pecuniæ argueretur, *guttum ligneum, quo vti ad sacrifi-
cia consueuerat, in medium protulit: iurauitq; se nihil amplius de pręda hostili in do-
481 mum suam cõuertisse.* Aquam Anienem de manubiis hostium in vrbẽ induxit. Tri-
454 bunus plebis, patres auctores fieri coegit comitiis quibus plebeius magistratus crea-
batur. Ob hęc merita domus ei apud* Tiphatã, & agri iugera quingenta publice data.

34, Ap-

ANNO V.C.

34, *Appius Claudius Cæcus.*

APPIVS Claudius Cæcus, in Censura libertinos quoque in Senatum legit: epu- 441
landi decantandique ius tibicinibus in publico ademit. Duæ familiæ ad Herculis
sacra sunt destinatæ, Potitiorum & Pinariorum. Potitios Herculis sacerdotes pretio
corrupit, vt sacra * Herculea seruos publicos edocerent: vnde * cæcatus est: gens Poti-
tiorum funditus periit. Ne consulatus cum plebeijs communicaretur, acerrime re- 388
stitit. Ne Fabius solus ad bellum mitteretur, contradixit. Sabinos, Samnites, Etru- 458
scos bello domuit. Viam vsque Brundisium * lapide strauit: vnde illa Appia dicta.
Aquam Anienem in vrbem induxit. Censuram solus omni quinquennio obtinuit. 441
Cum de pace Pyrrhi ageretur, & gratia potentum per legatum Cineam pretio quæ- 473
reretur; senex & cæcus lectica in Senatum latus, turpissimas conditiones * magnifi-
ca oratione discussit.

35, *Pyrrhus Rex Epeirotarum.*

PYRRHVS Rex Epeirotarum, * paterno genere ab Achille, materno ab Hercule
oriundus, cum imperium orbis agitaret, & Romanos potenteis videret, Apollinem
de bello consuluit. Ille ambigue respondit, *Aio te AEacida Romanos vincere posse.*
Hoc dicto in voluntatem tracto, * auxilio Tarentinorum bellum Romanis intulit: 472
Læuinum consulem apud Heracléam elefantorum nouitate turbauit. Cumque Ro- 473
manos aduersis vulneribus occisos videret, *Ego*, inquit, *talibus * viris breui orbem ter-
rarum subigere potuissem.* Amicis gratulantibus; *Quid mihi cum tali victoria*, inquit, *vbi
exercitus robur amittam?* Ad vicesimum ab vrbe lapidem castra posuit: Captiuos Fa- 473
bricio gratis reddidit. * Viso Læuini exercitu, eandem sibi ait aduersus Romanos, 475
quam Herculi aduersus hydram fuisse fortunam. A Curio & Fabricio superatus, 478
Tarentum refugit: * in Siciliam traiecit. Mox in Italiam Locros regressus, pecuniam 475
Proserpinæ auehere tentauit: sed ea naufragio * relata est. Tum in Græciam regres-
sus, dum Argos oppugnat, ictu tegulæ prostratus est. Corpus ad Antigonum regem
Macedoniæ delatum, magnifice sepultum.

[* *Fabricius.*

PYRRHVS cum secundo prœlio a Romanis esset pulsus Tarentum, interiecto 475
anno contra Pyrrhum Fabricius missus est: qui prius inter legatos sollicitari non po- 473
terat quarta regni parte promissa. Cum vicina castra ipse & rex haberent, medicus
Pyrrhi nocte ad eum venit, promittens se Pyrrhum veneno occisurum, si sibi quid-
quam pollicitaretur. quem Fabricius * vinctum reduci iussit ad dominum, Pyrrhoq;
dici quæ contra caput eius medicus spopondisset. Tum rex admiratus eum, dixisse
fertur; *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quam Sol a suo cursu auerti posset.*]

36, * *Decius Mus.*

VOLSINII, Etruriæ nobile opidum, luxuria pæne perierunt. Nam cum temere
seruos manumitterent, * dein in curiam legerent, cōsensu eorum oppressi. Cum mul-
ta indigna paterentur, clam Româ auxilium petierunt. Missusque * Decius Mus, mox 488
libertinos * omneis superauit, in carcere necauit, aut dominis in seruitutem restituit.

37, *Appius Claudius Caudex.*

APPIVS Claudius, victis Volsiniensibus cognomento * *Caudex* [dictus,] frater
Cæci fuit. Consul ad Mamertinos liberandos missus est; quorum arcem Carthagi- 489
nienses & Hiero rex Syracusanus obsidebant. * Primo ad explorandos hosteis fretum
piscatoria naui traiecit, & cum duce Carthaginiensium egit vt præsidium arce dedu-
ceret. Rhegium regressus, quinqueremem hostium copiis pedestribus cepit: * ea le-
gionem in Siciliam traduxit. Carthaginienses Messana expulit. Hieronem regem 490
prœlio apud Syracusas in deditionem accepit: qui eo periculo territus, Romanorum
amicitiam petiit, eisque postea fidelissimus fuit.

38, * *C. Duilius.*

CAIVS Duilius primo Punico bello dux contra Carthaginienses missus, cum vi- 493
deret eos multum mari posse, classem * validam fabrefecit: & [quas *coruos* vocauere,]

ANNO V.C. manus ferreas cum irrisu hostium primus instituit; quibus inter pugnandũ hostium * naueis XXX apprehẽdit, XIII mersit; qui victi & capti sunt.* Annibal dux classis, Carthaginem fugit, & a Senatu quæsiuit quid faciendum censerent. Omnibus vt pugnaret acclamantibus; *Feci*, inquit, *& victus sum.* sic pœnam crucis effugit. nam apud Pœnos dux male re gesta puniebatur. Duilio concessum est vt prælucente funali, & præcinente tibicine, a cena publice rediret.

39, A. Atilius Calatinus.

495 ATILIVS Calatinus, dux Romanorum aduersus Carthaginienseis missus, [ex] maximis & munitissimis ciuitatibus,* Enna, Drepano, Lilybæo, hostilia præsidia de-
496 iecit: Panormum cepit. [Totamq; Siciliam peruagatus, paucis nauibus magnam hostium classem, duce Amilcare, superauit.] Sed cum ad Camerinam ab hostibus obsessam festinaret, a Pœnis in angustiis clausus est: vbi Tribunus militum Calpurnius Flamma, acceptis trecentis [sociis,] in superiorem locum euasit, consulem liberauit: ipse cum trecentis pugnans cecidit: postea ab Atilio semianimis inuentus est: & sana-
496 tus, magno postea terrori hostibus fuit. Atilius gloriose triumphauit.

40, M. Atilius Regulus.

486 MARCVS Atilius Regulus consul, fusis Sallentinis triumphauit: primusque
497 Romanorum ducum in Africam classem traiecit.* ea quassata, de Amilcare naueis longas treis & sexaginta accepit: opida ducenta, & hominum ducenta milia cepit. Absente eo, coniugi [eius] & liberis ob paupertatem sumtus publice dati. Mox arte Xanthippi Lacedæmonij mercenarij militis captus, in carcerem missus. Legatus de
502 permutandis captiuis Romam missus, dato iureiurando, vt si non impetrasset, ita demum rediret: in Senatu conditionem dissuasit: reiectisq; a se coniuge & liberis, Carthaginem regressus: vbi in arcam ligneam coniectus, clauis introrsum* actis, vigiliis ac dolore punitus est.

41, C. Lutatius Catulus.

511 *CAIVS Lutatius Catulus, primo Punico bello trecentis nauibus aduersum Pœnos profectus, sexcẽtas eorum naueis, commeatibus & aliis oneribus impeditas, duce* Annone, apud Ægates insulas inter Siciliam & Africam, depressit, [aut cepit,] finemq; bello imposuit. Pacem petentibus hac conditione concessit; Sicilia, Sardinia,
512 & ceteris insulis intra Italiam Africamque, decederent; Hispania citra Ibêrum fluuium vt abstinerent.

42, Annibal, Carthaginiensis Dux.

ANNIBAL Amilcaris filius,* nouem annos natus, a patre aris admotus, odium in Romanos perenne iurauit. Exinde socius & miles in castris patris fuit. Mortuo eo
a 535 caussam belli quęrens, Saguntũ Romanis fœderatam intra sex menses *a* euertit. Tum
b 535 Alpibus patefactis, in Italiam traiecit. P. Scipionem apud Ticinum; *b* Sempronium
c 536 Longum apud Trebiam; Flaminium *c* apud Trasimenũ; Paullum & Varronem *d* a-
d 537 pud Cannas superauit. Cumq; Vrbem capere posset, in Campaniam deuertit; cuius
e 542 deliciis elanguit. Et cum ad tertium ab Vrbe lapidem castra *e* posuisset, tempestatibus
f 536 repulsus primum a *f* Fabio Maximo* fractus, deinde a Valerio Flacco repulsus, a
g 538 Graccho & *g* Marcello fugatus, in *h* Africã reuocatus, a Scipione *i* superatus, ad An-
h 551 tiochum regem Syriæ confugit, eumq; hostem Romanis fecit. Quo *k* victo, ad Pru-
i 558 siam Bithyniæ regem concessit: vnde Romana legatione [per Tit. Flamininum] re-
k 563 petitus; [ne Romanis traderetur,] hausto, quod sub anuli gemma habebat, veneno,
l 571 absumtus *l* est; positus apud Libyssam in arca lapidea; in qua hodieq; inscriptum est, ANNIBAL HIC SITVS EST.

43, Q. Fabius Maximus.

QVINCTVS Fabius Maximus Cunctator;* *Verrucossus*, a verruca in labris sita;
520 *Ouicula*, a clementia morum dictus: consul de Liguribus triumphauit. Annibalẽ mo-
536 ra fregit. Minucium Magistrum equitum imperio sibi æquari passus est: nihilominus periclitãti subuẽnit. Annibalem in agro Falerno inclusit.* Manlium Statilium transfugere

fugere ad hosteis volentem, equo & armis donatis retinuit: & Lucano cuidam fortis- ANNO V.C.
simo, ob amorem mulieris infrequenti, eandem emtam dono dedit. Tarentum ab
hostibus recepit: Herculis signum inde tralatum in Capitolio dedicauit. De redem- 544
tione captiuorum cum hostibus pepigit. *quod pactum cum a Senatu improbaretur,
fundum suum ducentis milibus vendidit, & fidei [suæ] satisfecit.

44, *P. Scipio Nasica.*

* PVBLIVS Scipio Nasica, a Senatu vir optimus iudicatus, Matrem deûm hospi-
tio *a* recepit. [Is] cum aduersum auspicia consulem *b* se a Graccho, nominatum com- a 549
perisset, magistratu se abdicauit. *c* Censor statuas, quas sibi quisque per ambitionem b 591
in foro ponebat, sustulit. *d* Consul Delminium vrbem * Delmatarum expugnauit. c 594
Imperatoris nomen a militibus; & ab senatu triumphum recusauit oblatũ. * Eloquen- d 598
tia primus, Iuris scientia consultissimus, ingenio sapientissimus [fuit:] vnde vulgo
Corculum dictus.

45, *M. Claudius Marcellus.*

MARCVS Marcellus * Virdumarum Gallorum ducem singulari prœlio *a* fudit. a 531
[Spolia opima Ioui Feretrio tertius a Romulo consecrauit. Primus docuit quomo-
do milites * cederent, nec terga præberent. Annibalem] apud Nolam, locorum an-
gustia adiutus, vinci *b* docuit. Syracusas per treis annos *c* expugnauit. *d* Et cum per ca b 537
lumniam triumphus ei a senatu negaretur, de sua sententia in Albano monte trium- c 541
phauit. *e* Quinquies consul, insidiis Annibalis deceptus occubuit, & magnifice sepul- d 542
tus. Ossa Romam remissa, a prædonibus intercepta perierunt. e 545

46, * *Claudia virgo Vestalis.*

ANNIBALE Italiam deuastante, ex respõso librorum Sibyllinorũ, * Mater deûm
e Pessinunte arcessita, cum aduerso Tiberi veheretur, repente in alto stetit: & cum 548
moueri nullis viribus posset, ex libris cognitum est, castissimæ demum feminæ manu
moueri posse. Tum Claudia, virgo Vestalis, * falso incestus suspecta, deam orauit vt, si
pudicam sciret, sequeretur: & zona imposita nauem mouit. * Simulacrum Matris
deûm, dum templum ædificatur, Nasicæ, qui vir optimus iudicabatur, quasi hospiti 549
datum.

47, *M. Porcius Cato Censorius.*

MARCVS Porcius Cato, genere Tusculanus, a Valerio Flacco Romam sollicita-
tus; Tribunus *a* militum in Sicilia; Quæstor *b* sub Scipione fortissimus, Prætor *c* iu- a 545
stissimus fuit. in prætura Sardiniam subegit; vbi ab Ennio Græcis litteris institutus. b 548
Consul *d* Celtibéros domuit: &, ne rebellare possent, litteras ad ciuitates singulas mi- c 555
sit vt muros diruerent: cum vnaquæque sibi soli imperari putaret, fecerunt. Syriaco d 558
bello Tribunus militum *e* sub * M'. Acilio Glabrione, occupatis Thermopylarum iu- e 562
gis, præsidium hostium depulit. Censor *f* L. Flamininum consularem senatu mo- f 569
uit, quod ille in Gallia, ad cuiusdam scorti spectaculum, eductum quendam e carce-
re, in conuiuio iugulari iussisset. Basilicam suo nomine primus fecit. Matronis, or- 558
namenta erepta * Oppia lege, repetentibus, restitit. Accusator assiduus malorũ, * Gal-
bam octogenarius accusauit: ipse quadragies quater accusatus, gloriose absolutus. 600
Carthaginem delendam censuit. Post octoginta annos filium genuit. Imago huius, 604
funeris gratia produci solet.

48, *C. Claudius Nero; & Asdrubal frater Annibalis.*

ASDRVBAL frater Annibalis, ingentibus copiis in Italiam traiecit: actumq; erat 546
de Romano imperio, si * iungere se Annibali potuisset. Sed Claudius Nero, qui in A-
pulia cum Annibale castra cõiunxerat, relicta in castris parte, cum delectis ad Asdru-
balem properauit, & se Liuio collegæ apud Senam opidum & * Metaurum flumen
coniunxit: amboque Asdrubalem vicerunt. Nero regressus pari celeritate qua * iue-
rat, caput Asdrubalis ante vallum Annibalis proiecit. quo ille viso, vinci se Fortuna
Carthaginis confessus est. Ob hæc Liuius triumphans, Nero ouans, vrbem intro-
ierunt.

ANNO V.C.

49, *P. Cornelius Scipio Africanus.*

PVBLIVS Scipio, ex virtutibus cognominatus *Africanus*, Iouis filius* creditur.
517 nam antequam conciperetur, serpens in lecto matris eius apparuit: & ipsi paruulo
draco circumfusus, nihil nocuit: in Capitolium intempesta nocte* eunti numquam
canes allatrauerunt. Nec hic quidquā prius cœpit, quam in cella Iouis diutissime se-
535 disset: quasi diuinam mentem acciperet. Decem & octo annorum, patrem apud Ti-
537 cinum singulari virtute seruauit. Clade Cannensi nobilissimos iuuenes, Italiam dese-
rere cupientes, sua auctoritate compescuit: reliquias, incolumes per media hostium
542 castra Canusium perduxit. Viginti quatuor annorum, Prætor in Hispaniam missus,
Carthaginem [nouam,] qua die venit, cepit. Virginem pulcerrimam, ad cuius adspe-
ctum concurrebatur, ad se vetuit adduci;* patrique eius ac spōso restitui iussit: Asdru-
547 balem Magonemque, fratres Annibalis, Hispania expulit: amicitiam cum Syphace
547 Maurorum rege coniunxit:* Massanissam in societatem recepit. Victor domum re-
548 gressus, consul ante annos factus, concedente collega, in Africam classe traiecit: As-
a 550 drubalis *a* & Syphacis castra vna nocte perrupit: reuocatum ex Italia Annibalem *b* su-
b 551 perauit: victis Carthaginiensibus leges *c* imposuit. Bello Antiochi, *d* legatus fratri
c 552 fuit: captum filium gratis recepit. * *e* A Petilliis ac Næuio Tribunis plebis repetun-
d 563 darum accusatus, librum rationum in conspectu populi scidit: *Hac die*, inquit, *Cartha-*
e 566 *ginem vici:* Bonum factum: in Capitolium eamus, & dis supplicemus.* Inde in voluntarium
f 568 exsilium concessit: vbi reliquam egit ætatem. Moriens *f* ab vxore petiit, ne corpus
suum Romam referretur.

50, *M. Liuius Salinator.*

534 LIVIVS Salinator, primo consul de Illyriis triumphauit: * tandem ex inuidia pe-
culatus reus, ab omnibus tribubus, excepta Metia, condemnatus. Iterum cum Clau-
546 dio Nerone inimico suo consul, ne Respubl. discordiā male administraretur, amici-
549 tiam cum eo* iunxit; & de [victo] Asdrubale triumphauit. Censor cum eodem
collega, omneis tribus, excepta Metia, ærarias fecit; stipendio priuauit; eo crimi-
ne, quod aut prius se iniuste condemnassent; aut postea tantos honores non recte
tribuissent.

51, *T. Quinctius Flamininus.*

TITVS Quinctius* Flamininus, [Flaminij, qui apud Trasimenum periit, filius,]
555 consul Macedoniam sortitus, ducibus Charopis principis pastoribus, prouinciam in-
556 gressus, regem Philippum prœlio fudit, castris exuit: filium eius Demetrium obsidem
559 accepit: quem pecunia multatum, in regnum restituit. A Nabide quoque Lace-
dæmonio filium obsidem accepit.* Liberos etiam Græcos Nemeæ per præconem
570 pronuntiauit. Legatus etiam ad Prusiam, vt Annibalem repeteret, missus.*

52, *M. Fuluius Nobilior.*

562 *MARCVS Fuluius Nobilior, Prætor* Hispanos superauit: vnde ouans vrbem
564 introiit. Consul Ætolos, Ambraciotasque, qui bello Macedonico Romanis adfue-
rant, post ad Antiochum defecerant; prœliis frequentibus victos, & in Ambraciam
opidum coactos, in deditionem accepit;* tantum signis tabulisque pictis spoliauit: de
566 quibus triumphauit. quam victoriam, per se magnificam,* Quinctus Ennius amicus
eius, insigni laude celebrauit.

53, *L. Scipio Asiaticus.*

SCIPIO Asiaticus, frater Africani, infirmo corpore, tamen in Africa virtutis no-
563 mine a fratre laudatus, consul, Antiochum regem Syriæ, legato fratre, apud Sipylum
564 montem, cum arcus hostiū pluuia hebetati fuissent, vicit; & regni relicti a patre parte
566 priuauit: hinc *Asiaticus* dictus. Post reus pecuniæ interceptæ, ne in carcerem duce-
retur, Gracchus [pater,] Tribunus plebis, [licet inimicus eius,] intercessit. M. Cato
569 Censor equum ei ignominiæ caussa ademit.

54, *Antiochus rex Syriæ.*

561 ANTIOCHVS Syriæ rex, nimia opum fiducia bellum Romanis intulit, specie
Lysimachiæ repetundæ; quam a maioribus suis in Thracia conditā Romani posside-
bant.

bant: statimq; Græciam insulasque eius occupauit. in Eubœa luxuria *b* elanguit. ad- ANNO V.C.
uentu Acilij Glabrionis* excitatus, Thermopylas occupauit: vnde industria Marci b 562
Catonis eiectus, in Asiam refugit. Nauali prœlio, cui Annibalem præfecerat, a L. Æ-
milio Regillo, superatus: filium Scipionis Africani, quem inter nauigandum cepe- 564
rat, patri remisit: qui ei,* pro reddenda gratia, suasit vt amicitiam Romanam peteret.
Antiochus spreto consilio, apud Sipylum montem cum L. Scipione conflixit. victus, 563
& vltra Taurum montem relegatus, a sodalibus, quos temulentus in conuiuio pulsa-
uerat, occisus est.

55. *Cn. Manlius Vulso.*

CNÆVS Manlius Vulso [consul,] missus ad ordinandam Scipionis Asiatici pro- 564
uinciam, cupiditate triumphi, bellum Pisidis & Gallogræcis, qui Antiocho adfuerat, 566
intulit. His facile victis, inter captiuos vxor regis* Ortiagontis centurioni cuidam in
custodiam data. a quo vi stuprata, de iniuria tacuit: & post impetrata redemtione,
marito adulterum [centurionem] interficiendum tradidit.

56. *L. AEmilius Paullus Macedonicus.*

LVCIVS Paullus Æmilius, filius eius qui apud Cannas cecidit, *a* primo consula- a 537
tu, *b* quem post tres repulsas* adeptus erat, de Liguribus *c* triumphauit: rerum gesta- b 571
rum ordinem, in tabula pictum, publice posuit. Iterum consul, *d* Persen Philippi c 572
filium, regem Macedonum, apud Samothracas cepit: [quem] *victum fleuit, & assi- d 585
dere sibi iussit: tamen in triumphum *e* duxit. In hac lætitia duos filios amisit: & pro- e 586
gressus ad populum, gratias Fortunæ egit, quod, si quid aduersi Reipubl. imminebat,
sua esset calamitate decisum. Ob hæc omnia, ei a populo & a Senatu concessum est
vt ludis Circensibus triumphali veste vteretur. Ob huius* continentiam & pauper-
tatem, post mortem eius, dos vxori, nisi venditis possessionibus, non potuit exsolui.

57. *Ti. Sempronius Gracchus.*

*TIBERIVS Sempronius Gracchus, nobilissima familia ortus, Scipionem Asia-
ticum, quamuis inimicũ, duci in carcerem non est passus. Prætor Galliam domuit, 566
*consul Hispaniam; altero consulatu Sardiniam: tantumq; captiuorũ adduxit, vt lon-
ga venditione res in Prouerbium veniret,* *Sardi venales.* Censor libertinos, qui ru- 584
sticas tribus* occuparant, in quatuor vrbanas diuisit: ob quod a populo collega eius
Claudius (nam ipsum auctoritas tuebatur) reus factus est: & *cum eum duæ classes
condemnassent, Tiberius iurauit se cum illo in exsilium iturum. ita reus absolutus est.
Cum in domo Tiberij duo angues e geniali toro *repsissent; responso dato, eum de
dominis periturum, cuius sexus anguis fuisset occisus: amore Corneliæ coniugis, ma-
rem iussit interfici.

58. *P. Scipio AEmilianus.*

PVBLIVS Scipio Æmilianus, Paulli Macedonici filius, a Scipione Africano ad-
optatus, in Macedonia cum patre agens, victum Persen tam pertinaciter persecutus 585
est, vt media nocte in castra* redierit. Lucullo *in Hispania legatus, apud Interca- 602
tiam opidum prouocatorem singulari prœlio vicit. muros hostilis ciuitatis primus a-
scendit. Tribunus in Africa sub* M'. Manilio imperatore, cohortes octo obsidio- 604
ne vallatas consilio & virtute seruauit: a quibus corona obsidionali [aurea] donatus.
Cum ædilitatem peteret, consul *ante annos vltro factus, Carthaginem intra sex 606
menses deleuit. Numantiam in Hispania,* correcta prius militum disciplina, fame 620
vicit. hinc *Numantinus* dictus. * Caio Lælio plurimum vsus; ad reges adeundos 610
missus, duos secum, præter eum, seruos duxit. Ob res gestas *superbus, Gracchum 623
iure cæsum videri respondit. Obstrepente populo, *Taceant,* inquit, *quibus Italia nouer-
ca, non mater est:* & addidit, *Quos sub corona vendidi.* Censor, Mummio collega se- 611
gniore, in Senatu ait; *Vtinam mihi collegam aut dedissetis, aut non dedissetis.* Suscepta A- 624
grariorum caussa, domi repente exanimis inuentus, obuoluto capite elatus est, ne li-
uor in ore appareret. Huius patrimonium tam exiguum fuit, vt XXXII libras argen-
ti, duas & *selibram auri reliquerit.

Anno V.C.

59, C. Hostilius Mancinus.

616 *Caius Hostilius Mancinus consul, aduersum Numantinos vetantibus auibus, & nescio qua* voce reuocante profectus, cum ad Numantiam * venisset, exercitum * Popillij acceptum prius corrigere decreuit: *inde solitudinem petit. Eo die Numantini forte sollemni nuptu filias locabant: & vnam speciosam duobus competentibus, pater puellæ conditionem tulit, vt ei illa nuberet, qui hostis dextram retulisset. Profecti iuuenes, abscessum Romanorum, in modum fugæ properantium, cognoscunt: rem ad suos referunt. Illi statim quatuor * millibus viginti millia Romanorum ceciderunt. Mancinus, auctore Tiberio Graccho quæstore [suo,] in leges hostium fœdus percussit. quo per Senatū improbato, Mancinus Numantinis deditus; nec* receptus, augurio in castra deductus, Præturam postea consecutus est.

60, L. Mummius Achaicus.

607 Lucius Mummius, * deuicta Achaia, *Achaicus:* [consul] aduersus Corinthios missus, victoriam alieno labore quæsitam intercepit. Nam cum illos Metellus Macedonicus apud Heracleam fudisset, & duce Critolao priuasset; cum lictoribus & paucis equitibus in Metelli castra properauit, & Corinthios apud Leucopetram vicit duce * Diæo: qui domum refugit, eamque incendit: coniugem interfecit, * & in ignem
608 præcipitauit: ipse veneno interiit. Mummius Corinthum signis tabulisque spoliauit: quibus cum totam replesset Italiam, in domum suam nihil contulit.

61, Q. Cæcilius Metellus Macedonicus.

a 605 Quinctus Cecilius Metellus, a domita Macedonia *Macedonicus:* prætor *a* Pseudophilippum, qui idem Andriscus dictus est, vicit. Achæos bis prœlio fudit: trium-
b 607 phandos *b* Mummio tradidit. Inuisus plebi ob nimiā seueritatem; & ideo* post duas
c 608 repulsas consul *c* ægre factus. Arbacos in Hispania *d* domuit. Apud *e* * Contebriam o-
d 610 pidum cohortes loco pulsas, redire & locum recipere iussit. Cum omnia proprio &
e 611 subito consilio ageret, amico cuidam quid acturus esset roganti; *Tunicam*, inquit, *meam * exurerem, si eam consilium meum scire existimarem.* Hic quatuor filiorum pater, supremo tempore humeris eorum ad sepulcrum elatus est: ex quibus treis* *consulares*, vnum etiam triumphantem vidit.

62, Q. Cæcilius Metellus Numidicus.

644 Quinctus Cæcilius Metellus, *Numidicus*; * quia consul de Iugurtha rege Nu-
651 midiæ triumphauit. Censor Quinctium, qui se Tiberij Gracchi filium mentieba-
653 tur, in censum non recepit. Idem in legem Appuleiam per vim latam iurare no-
654 luit. quare in exsilium actus, Smyrnæ exsulauit.* Calidia deinde rogatione reuocatus, cum ludis forte litteras in theatro accepisset, non prius eas legere dignatus est quam spectaculum finiretur. *Metellæ sororis suæ virum laudare noluit; quod is* solus iudicium contra leges detrectarat.

63, Q. Metellus Pius.

Quinctus Metellus Pius, Numidici filius: *Pius*, quia patrem lacrymis & pre-
664 cibus assidue ab exsilio reuocauit. Prætor bello sociali * Q Popedium, Marsorum du-
673 cem, interfecit. Consul in Hispania Herculeios fratres oppressit: Sertorium Hispania
679 expulit. Adolescens in petitione Præturæ & Pontificatus, Consularibus viris prælatus est.

64, Tiberius Gracchus.

616 Tiberius Gracchus, Africani ex filia nepos, quæstor Mancino in Hispania,
620 fœdus eius flagitiosum probauit. periculum deditionis, eloquentiæ gratia effugit. Tribunus plebis [legem] tulit, ne quis * plus quingenta agri iugera haberet. Octauio collegæ intercedenti, nouo exemplo magistratū abrogauit. Dein tulit, vt ea * familia,
621 quę * ex Attali hereditate erat, ageretur; * vt populo diuideretur. Deinde cum prorogare sibi potestatem vellet, aduersis auspiciis in publicum processit; statimq; Capitolium petiit, manum ad caput referens: quo salutem suam populo commendabat.

Hoc

Hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posceret: segniterque cessante Mucio con-
sule, Scipio Nasica, sequi se iussis * qui saluam Rempubl. vellent, Gracchum in Capi-
tolium persecutus oppressit. Cuius corpus Lucretij ædilis manu in Tiberim missum:
vnde ille *Vespillo* dictus. Nasica, vt inuidiæ subtraheretur, per speciem legationis in A-
siam ablegatus est.*

65, *C. Gracchus.*

CAIVS Gracchus, * pestilentem Sardiniam quæstor sortitus, non veniente suc- 628
cessore, sua sponte discessit. Asculanæ & Fregellanæ defectionis inuidiam sustinuit.
Tribunus plebis, agrarias & frumentarias leges tulit. colonos etiam Capuam & Ta- 630
rentum mittendos censuit. Triumuiros agris diuidundis, se, & Fuluium Flaccum, &
C. Crassum constituit. Minucio Rufo Tribuno plebis legibus suis* obrogante, in Ca-
pitolium venit. vbi cum Atilius, præco Opimij consulis, in turba fuisset occisus, in fo- 632
rum descendit, & imprudens concionem a Tribuno plebis auocauit. qua re arcessi-
tus, cum in Senatum non venisset, armata familia Auentinum occupauit. vbi ab Opi-
mio victus, dum a templo * Dianæ desilit, talum intorsit; & * Pomponio amico apud
portam Trigeminam, P. *Lætorio in ponte Sublicio persequentibus resistente, in lu-
cum *Furinæ peruenit. ibi vel sua, vel serui *Euphori manu interfectus. caput a * Septi-
muleio amico Gracchi, ad Opimium relatum, auro expensum fertur, propter auari-
tiam infuso plumbo grauius effectum.

66, *M. Liuius Drusus.*

MARCVS Liuius Drusus, genere & eloquentia magnus, sed ambitiosus & super-
bus, ædilis, munus magnificentissimum dedit.* vbi Remmio collegæ, quædam de v-
tilitate Reipublicæ suggerenti, *Quid tibi*, inquit, *cum republica nostra?* Quæstor in A-
sia, nullis insignibus vti voluit; ne quid ipso esset insignius. Tribunus pleb. Latinis
ciuitatem, plebi agros, equitibus curiã, Senatui iudicia permisit. Nimiæ liberalitatis 662
fuit: ipse etiam professus, nemini se ad largiendum præter cælum & cœnum reliquis-
se: ideoq; cum pecunia egêret, multa contra dignitatem fecit. Magulsam Mauritaniæ
principem, ob regis simultatem profugum, accepta pecunia Boccho prodidit: quem
ille elefanto obiecit. Adherbalem filium regis Numidarum, obsidem domi suæ *sup-
pressit, redemtionem eius * occultam a patre sperans. Cæpionem inimicum, actio-
nibus suis resistentem, ait se de saxo Tarpeio præcipitaturum. [Philippo] consuli, legi-
bus agrariis resistenti, ita collum in comitio obtorsit, vt multus sanguis efflueret e na-
ribus: * quam ille, luxuriam obprobrans, muriam de turdis esse dicebat. Idem ex gra-
tia nimia in inuidiam venit. nam plebes, acceptis agris gaudebat; expulsi dolebant: E-
quites [in Senatum] lecti, lætabantur; [sed præteriti, querebantur:] Senatus, permis-
sis iudiciis exsultabat; sed societatem cum Equitibus ægre ferebat. Vnde Liuius an-
xius, vt Latinorum postulata differret, qui promissam ciuitatem flagitabant, repente
in publico concidit, siue morbo comitiali, seu hausto caprino sanguine, semianimis
domum relatus. Vota pro illo per Italiam publice suscepta sunt: & cum Latini Con-
sulem in Albano monte interfecturi essent, Philippum admonuit vt caueret. vnde in
Senatu accusatus, cum domum se reciperet, immisso inter turbam percussore, cor-
ruit. Inuidia cædis apud Philippum & Cæpionem fuit.

67, *C. Marius pater.*

CAIVS Marius septies consul, Arpinas, humili loco natus, primis honoribus per
ordinem functus, legatus *a* Metello in Numidia, criminando eum consulatum *b* ade- a 644
ptus, Iugurtham captum *c* ante currum egit. In proximum annum *d* consul vltro b 646
factus, * Teutones in Gallia *e* apud aquas Sextias, Cimbros *f* in Italia in campo * Cau- c 649
dio vicit, deq; his triumphauit. Sexies consul per ordinem factus, *g* Appuleium Sa- d 650
turninum Trib. plebis, & Glauciam Prætorem seditiosos, ex Senatusconsulto inter- e 651
emit. Et cum Sulpicia rogatione prouinciã Sullæ *h* eriperet, armis ab eo victus, Min- f 652
turnis in palude delituit. Inuentus, & in carcerem coniectus, immissum percussorem g 653
Gallũ vultus * auctoritate deterruit, acceptaq; nauicula in Africã traiecit. ibi diu exsula h 665
uit. Mox *i* Cinnana dominatione reuocatus, ruptis ergastulis exercitum fecit: cæsisq; i 666
inimicis iniuriã vltus, septimo consulatu, *k* vt quidã ferunt, voluntaria morte decessit. k 667

ANNO V.C.

68, C. Marius filius.

671 CAIVS Marius filius,* vigintiquinque annorum, consulatum inuasit: quem honorem tam immaturum mater fleuit. Hic patri sæuitia similis, curiam armatus obsedit, inimicos trucidauit; quorum corpora in Tiberim præcipitauit. In apparatu belli quod contra Sullam parabatur, apud Sacriportum vigiliis & labore defessus, sub dio requieuit: & absens victus, fugæ, non pugnæ interfuit. Præneste refugit: vbi per Lucretium* Offellam obsessus, tentata per cuniculum fuga, cum omnia septa intelligeret, iugulandum se Pontio Telesino præbuit.

69, L. Cornelius Cinna.

LVCIVS Cornelius Cinna flagitiosissimus, Rempubl. summa crudelitate vasta-
a 666 uit. Primo consulatu *a* legem de exsulibus reuocādis ferens, ab Octauio collega pro-
b 667 hibitus, & honore priuatus, vrbe profugit: vocatisque ad pileum seruis, aduersarios
c 668 vicit; Octauium interfecit; Ianiculum occupauit. Iterum *b* &* tertium *c* consulem se-
d 669 ipse fecit. Quarto *d* consulatu cum bellum contra Sullam pararet,* Anconæ ob nimiam crudelitatem ab exercitu lapidibus occisus est.

70, C. Flauius Fimbria.

C. [FLAVIVS] Fimbria, *(sæuissimus quippe Cinnæ satelles) Valerio Flacco
667 consuli legatus in Asiam profectus, per simultatem dimissus, corrupto exercitu, du-
668 cem interficiendum curauit: ipse correptis imperij insignibus, prouinciam ingressus, Mithradatem Pergamo expulit. Ilium, vbi tardius portæ patuerant, incendi iussit: vbi Mineruæ templum inuiolatum stetit; quod diuina maiestate seruatum nemo dubitauit.* Ibidem Fimbria militiæ principes securi percussit: mox a Sulla Pergami* ob-
669 sessus, corrupto exercitu desertus, semet occidit.

71, Viriathus Lusitanus.

VIRIATHVS genere Lusitanus, ob paupertatem primo mercenarius, deinde alacritate* venator, audacia latro, ad postremum dux, bellum aduersum Romanos
607 sumsit; eorumque Imperatorem Claudium Vnimanum, dein C. Nigidium oppres-
612 sit. Pacem a * pop. Rom. maluit integer petere, quam victus: & * cum alia dedisset, & arma retinerentur, bellū renouauit. Cæpio, cum vincere eum aliter non posset, duos
613 satellites pecunia corrupit; qui Viriathum * humi depositum * peremerunt. Quæ victoria, quia emta erat, a Senatu non probata.

72, M. Æmilius Scaurus.

MARCVS Æmilius Scaurus nobilis, pauper. nam pater eius, quamuis patricius, ob paupertatem, carbonarium * negotium exercuit.* Ipse primo dubitauit, honores
a 619 peteret, an argentariam faceret: sed eloquentiæ consultus, ex ea gloriam peperit.
b 627 Primo in *a* Hispania* corniculo meruit: sub Oreste in Sardinia stipendia fecit. Ædi-
c 642 lis *b* iuri reddendo magis, quam muneri edendo studuit. * Legatus *c* Calpurnij, Iu-
d 638 gurthæ aduersus: tandem eius pecunia victus. Consul, *d* legem de sumtibus & libertinorum suffragiis tulit. P. Decium Prætorem, transeunte ipso sedentem, iussit assurgere; eiq; vestem scidit, sellam concîdit: ne quis ad eum in ius iret, edixit: Consul Li-
644 gures & Gantiscos domuit, atq; de his triumphauit. Censor [viam] Æmiliam strauit; Pontem * Muluium fecit. Tantumq; auctoritate potuit, vt Opimium contra Gracchum; Marium contra Glauciam & Saturninum, priuato consilio armaret. Idem
652 filium suum, quia præsidium deseruerat, in conspectum suum vetuit accedere: ille ob
662 hoc dedecus mortem sibi consciuit. Scaurus senex, cum a Vario Tribuno plebis argueretur, quasi socios & Latium ad arma coegisset, * apud populum ait; * *Varius Sucronensis Æmilium Scaurum ait socios ad arma coegisse: Scaurus negat: vtri potius credendum putatis?*

73, L. Appuleius Saturninus.

650 LVCIVS Appuleius Saturninus Tribunus plebis seditiosus, vt gratiam Marianorum militum pararet, legem tulit, vt veteranis centena agri iugera in Africa diuiderentur:

derentur: intercedentem Bæbium collegam, facta per populum lapidatione, submo- ANNO
uit. Glauciæ Prætori, quod is eo die quo ipse concionem habebat, ius *dicendo partẽ V.C.
populi auocasset, sellam concidit, vt magis popularis videretur. Quendam libertini
ordinis subornauit, qui se Tiberij Gracchi filium fingeret. Ad hoc testimonium Sem
pronia soror Gracchorum producta, nec precibus, nec minis adduci potuit, vt dede-
cus familiæ agnosceret. Saturninus, *a* Aulo* Nonio competitore interfecto Tribunus a 652
pleb. refectus, Siciliam, Achaiam, Macedoniam nouis colonis destinauit: & aurum,
dolo an scelere Cæpionis partum, ad emtionem agrorum conuertit. Aqua & igni in-
terdixit ei qui in leges suas non iurasset. Huic legi *multis nobilibus obrogantibus,
cum tonuisset, [clamauit:] *Iam*, inquit, *nisi quiescitis, grandinabit*. Metellus Numidicus
exsulare quam iurare maluit. Saturninus tertio Tribunus pleb. refectus, *b* vt satel- b 653
litem suum Glauciam Prætorem, [consulem] faceret, *Memmium competitorem
eius in campo Martio necandum curauit. Marius, *Senatusconsulto armatus, quo
censebatur, darent operam consules ne quid Respubl. detrimenti caperet; Saturni-
num & Glauciam *in Capitolium persequutus obsedit: maximoq; * astu incisis fistu-
lis, in deditionem accepit: nec deditis fides seruata est. Glauciæ fracta ceruix: Appu-
leius, cum in curiam fugisset, lapidibus & tegulis desuper interfectus est. caput eius
Rabirius quidam senator per conuiuia in ludibrium circumtulit.

74, L. Licinius Lucullus.

LVCIVS Lucullus, nobilis, disertus & diues, munus quæstorium *c* amplissimum c 667
dedit. *Ptolemæum regem Alexandriæ consuli *d* Sullæ conciliauit: & mox *e* per Mu d 666
renam in Asia classem Mithradátis. Prætor *f* Africam iustissime rexit. Aduersus Mi- e 671
thradátem consul missus; *g* collegam suum Cottam Chalcedone obsessum liberauit. f 676
Cyzicum * obsidió *h* soluit: Mithradátis copias *i* ferro & fame afflixit; eumque regno g 679
suo Ponto expulit. quem rursum *k* cum Tigrâne rege Armeniæ * subueniente, ma- h 680
gna felicitate superauit. Nimius in *habitu: maxime signorum & tabularum amore i 682
flagrauit. Post, cum alienata mente desipere cœpisset, tutela eius M. Lucullo fratri k 684
permissa est.

75, L. Cornelius Sulla.

CORNELIVS Sulla, a fortuna *Felix* dictus, cum paruulus a nutrice ferretur, mulier
obuia, *Salue*, inquit, *puer tibi & Reip. tuæ felix*: & statim quæsita quæ hoc dixisset, nõ
potuit inueniri. Hic Quæstor *l* Marij, Iugurthã a Boccho in deditionẽ accepit. Bello l 647
m Cimbrico & Teutonico legatus, bonã operã nauauit. Prætor *n* inter ciueis ius di- m 649
xit. Pretor *Ciliciã prouinciã habuit. Bello *o* sociali Samnites Irpinosq; superauit. Ne n 659
monumẽta Bocchi tollerentur, Mario restitit. Consul *p* Asiam sortitus, Mithradatẽ o 664
apud Orchómenum & Chæronéam prœlio fudit: Archelaum, *q* præfectum eius, p 665
Athenis vicit: Portum Peiręum recepit.* Enetos & Dardanos *r* in itinere superauit. q 667
[Mox] cum * rogatione *s* Sulpicia imperium eius transferretur ad Marium, in Italiã r 668
t regressus, corruptis aduersariorum exercitibus, Carbonem Italia expulit; *u* Ma- s 665
rium [filium] apud Sacriportum, Telesinum apud portam Collinam vicit. Mario t 670
Præneste interfecto, *Felicem* se edicto appellauit. Proscriptionis tabulas *x* primus pro- u 671
posuit. Nouem millia *deditorum in villa publica cecîdit. Numerum sacerdotũ au- x 671
xit, Tribuniciam potestatem *minuit. Republ. ordinata Dictaturam deposuit: *y* vn- y 674
de* sperni cœptus, Puteolos concessit: & morbo qui Phthiriasis vocatur, *z* interiit. z 675

*76, *Mithradátes rex Ponti.*

MITHRADATES rex Ponti, oriundus a septem Persis, magna vi animi & cor-
poris, vt sexiuges equos regeret, *duarum & viginti gentium ore loqueretur. Bello
a sociali dissidentibus Romanis, Nicomédem Bithynia, *b* Ariobárzanem Cappado- a 662
cia expulit. Litteras per totam Asiam misit, vt quicumque Romanus esset, certa die b 665
interficeretur: & factum est. Græciam insulasque omnes, excepta Rhodo occupauit.
Sulla eum prœlio *c* vicit, classem eius proditione Archelai intercepit: ipsum apud c 667

ANNO V.C. *Orchómenum opidum fudit;* & oppressisset, nisi aduersum Marium a festinãs, qua-
a669 lemcumque pacem componere maluisset. Deinde b eum *Cabiris resistentem Lu-
b682 cullus fudit. Mithradates post a Pompeio nocturno prœlio c victus, in regnum con-
c687 fugit: vbi per seditionem *popularium a Pharnace filio in turre d obsessus, venenum
d690 sumsit. Quod cum tardius *subiret, quia aduersum venena multis antea medicami-
nibus corpus firmarat; immissum percussorem Gallum Sitocum, auctoritate vultus
territum, reuocauit, & in cædem suam manum trepidantis adiuuit.

77, *Cn. Pompeius Magnus.*

e670 Cn. Pompeius Magnus, ciuili bello e Sullæ partes sequutus, ita egit, vt ab eo maxi-
f671 me diligeretur. Siciliam f sine bello a proscriptis recepit. Numidiã Hiarbæ ereptam
g672 g Massanissæ restituit. Viginti sex annos natus, triumphauit. Lepidum, acta Sullæ h re-
h675 scindere volentem, priuatus Italia *fugauit. Prætor i in Hispaniam *pro consulibus
i680 missus, Sertorium vicit. k Mox piratas intra quadragesimum diem subegit. Tigranẽ
k686 l ad deditionem, Mithradatem m ad venenũ compulit. Deinde mira felicitate [& ce-
l687 leritate] nunc in Septemtrione Albanos, n Colchos, Heniochos, Caspios, Iberos: nũc
m690 in Oriente Parthos, Arabas, atque Iudæos, o cum magno sui terrore penetrauit. Pri-
n688 mus in Hyrcanum, [Caspium,] Rubrum, & Arabicum mare vsque peruenit. Mox
o690 cum diuiso orbis imperio, p Crassus Syriam, Cæsar Galliam, Pompeius vrbem obti-
p698 neret; post q cædem Crassi, Cæsarem dimittere r exercitum iussit. cuius infesto aduẽ-
q700 tu vrbe pulsus, in Pharsalia s victus, ad Ptolemæum Alexandriæ regem cõfugit. *Eius
r704 imperio ab Achilla & Pothino satellitibus occisus est. [Huius latus sub oculis vxoris
s705 & liberorum a *Septimio Ptolemæi præfecto mucrone confossum est. *iamque de-
functi caput gladio præcisum, quod vsque ad ea tempora fuerat *adoratum. Trun-
cus Nilo iactus, a *Seruio Codro rogo inustus humatusque est, inscribente sepulcro,
*HIC SITVS EST MAGNVS POMPEIVS. Caput ab Achilla Ptolemæi satel-
lite, *Ægyptio velamine inuolutum, cum anulo Cæsari præsentatum est: qui non cõ-
tinens lacrymas, illud plurimis & pretiosissimis odoribus cremandum curauit.]

ADDITAMENTVM VIRORVM ILLVSTRIVM EX LIBRIS ANTIQ. MANV DESCRIPTIS.

78, *Iulius Cæsar.* I.



CAIVS Iulius Cæsar, veneratione rerum gestarum *Diuus* dictus. Con-
tubernalis Thermo in Asiam profectus; cum sæpe ad Nicomedem re-
gem Bithyniæ commearet, impudicitiæ infamatus est. Mox Dolabel-
lam iudicio oppressit. Dum studiorum caussa Rhodum petit, a piratis
a693 captus & redemptus, eosdem & postea captos puniuit. Prætor a Lusi-
b696 taniam, & post Galliam, b ab Alpibus vsque; & Oceanum bis classe transgressus, Bri-
c703 tanniam subegit. Cum ei c triumphus a Põpeio negaretur, armis eum vrbe pulsum
d704 in Phasalia d vicit. Capite eius* oblato fleuit, & honorifice sepeliri fecit: mox e a satel-
e705 litibus Ptolemæi obsessus, eorum & regis nece Pompeio parentauit. Pharnacem Mi-
f706 thradatis filium fama nominis f fugauit. Iubam & Scipionem in g Africa; Pompeios
g707 iuuenes in Hispania apud Mundam opidum ingenti prœlio h vicit. Deinde ignoscẽ-
h708 do amicis, odia cum armis deposuit. nam Lentulum tantum, & Afranium, & Faustũ
i707 Sullæ filium, iussit i occidi. Dictator in perpetuum factus a Senatu; in curia, Cassio
k709 & Bruto cædis auctoribus, trib. & viginti vulneribus occisus k est. cuius corpore pro
rostris posito, Sol orbem suum celasse dicitur.

79, *Octauianus Cæsar.* II.

CAESAR *Octauianus*, ex Octauia familia in Iuliam tralatus, in vltionem Iulij Cæ-
saris,

ſaris,a quo heres fuerat inſtitutus, Brutum & Caſſium, cædis auctores, *a* in Macedo- ANNO
nia vicit. Sextum Pompeium Cn. Pompeij F. bona paterna repetentem, in freto Si- V.C.
culo *b* ſuperauit. Marcum Antonium Conſulem Syriam obtinentem, amore Cleo- a 711
patræ deuinctum, in *c* Actiaco Ambraciæ litore debellauit: reliquam orbis partem b 717
per legatos domuit. Huic Parthi ſigna quæ Craſſo ſuſtulerant, vltro reddiderunt: In- c 722
di, Scythæ, Sarmatæ, Daci, quos non domuerat, dona miſerunt. Iani gemini portas
bis ante ſe clauſas, primo ſub *d* Numa; iterum poſt primum Punicum *e* bellũ; ſua ma- d 42
nu *f* clauſit. Dictator in perpetuum factus, *g* a Senatu, ob res geſtas, *Diuus Auguſtus* e 518
eſt appellatus. f 724 g 731

80, Cato Prætorius. III.

CATO Prætorius, Catonis Cenſorij pronepos, cum in domo auunculi Druſi e-
ducaretur, nec pretio nec minis potuit adduci a *Q. Popedio Silone, Marſorũ Prin- 662
cipe, vt fauere ſe cauſſæ Sociorum diceret. Quæſtor in Cyprum miſſus ad vehen- 620
dam ex Ptolemæi hereditate pecuniam, cum ſumma eam fide perduxit: præterea 690
coniuratos puniendos cenſuit. Bello ciuili, Pompeij parteis ſequutus eſt: quo victo, 704
exercitum per deſerta Africæ duxit; vbi Scipioni conſulari delatum ad ſe imperium
conceſſit. Victis partibus, Vticam conceſſit: vbi filium hortatus vt clementiam Cæſa-
ris experiretur, ipſe lecto Platonis libro, qui *De bonis mortis* eſt, ſemet occidit. 707

81, M. Tullius Cicero. IV.

MARCVS Tullius Cicero, genere Arpinas, patre Equite Romano *a* natus, genus a647
a Tito Tatio rege duxit. Adoleſcens, *b* Roſciano iudicio, eloquentiam & libertatem b 673
ſuam aduerſum Sullanos oſtendit. ex quo veritus inuidiam, Athenas *c* ſtudiorũ gra- Cic. ætat. 27.
tia petiuit: vbi Antiochum Academicum philoſophum ſtudioſe audiuit. Inde elo- c674
quentiæ gratia Aſiam; póſt *d* Rhodum petiit; vbi Molonem Græcum, rhetorem tum Cic. 28.
diſertiſſimum, magiſtrum habuit; qui fleſſe dicitur quod per hunc Græcia eloquen- d 675
tiæ laude priuaretur. Quæſtor, *e* Siciliam habuit; Ædilis, *f* C. Verrem repetundarũ Cic. 29.
damnauit. Prætor, *g* Ciliciam latrociniis liberauit. Conſul, *h* coniuratos capite puni- e 678
uit. Mox inuidia P. Clodij, inſtinctuque Cæſaris & Pompeij, quos, dominationis ſu- Ætatis Cic. 32.
ſpectos, eàdem qua quondam Sullanos libertate perſtrinxerat, ſollicitatis Piſone *i* & f 683
Gabinio Conſulibus, qui Macedoniam *Syriamque prouincias in ſtipendium opera Cic. 37.
huius acceperant, in exſilium actus: mox ipſo referente Pompeio *k* rediit; eumq; ciuili g702
l bello ſequutus eſt. Quo victo, *m* veniam a Cæſare vltrò *n* accepit. quo interfecto, Cic. 56. h690
o Auguſtum fouit; Antonium hoſtem iudicauit. Et cum III viros *p* ſe feciſſent, Cæ- Cic. 44.
ſar, Lepidus, Antoniuſque, concordia non aliter viſa eſt inter eos iungi poſſe; niſi Tul- i 695
lius necaretur: qui, immiſſis ab Antonio percuſſoribus, cum forte Formiis quieſce- Cic. 49.
ret, imminens exitium corui auſpicio didicit: & fugiens occiſus eſt: caput ad Anto- k696 Cic. 50.
nium relatum. l 704 Cic. 58.

82, Marcus Brutus. V. m705

MARCVS Brutus, auunculi Catonis imitator, Athenis philoſophiam, Rhodi elo- Cic. 59.
quentiam didicit. Cytheridem *mimam cum Antonio & Gallo amauit. Quæſtor n706
*in Galliam proficiſci noluit; quod *is bonis omnibus diſplicebat: Cum Appio Clau- Cic. 60.
dio in Cilicia fuit: & cum ille repetundarum accuſaretur, ipſe ne verbo quidem infa- o709 Cic. 63.
matus eſt. Ciuili bello a Catone ex Cilicia retractus, *a* Pompeium ſequutus eſt. quo p 710
victo, *b* veniam a Cæſare accepit, & Proconſul *c* Galliam rexit; tamen cum aliis con- Cic. 64.
iuratis in curia Cæſarem *d* occidit. Et ob inuidiam veteranorum in Macedoniam a704
miſſus, ab Auguſto in campis *Philippicis victus, *e* Stratoni ceruicem præbuit. b705 c707

83, C. Caſſius Longinus. VI. d709

CAIVS Caſſius Longinus, Quæſtor Craſſi in Syria fuit: poſt cuius *a* cædem, col- e 711
lectis reliquiis in Syriam rediit. *b* Oſacem præfectum regium, apud Orontem fluuiũ a700
ſuperauit. Dein, quod coëmtis Syriacis mercibus fœdiſſime negotiaretur, *Caruota* b702

cognominatus est. Tribunus plebis *Cæsarem oppugnauit. Bello ciuili Pompeium sequutus classi præfuit: a Cæsare veniam accepit: tamen aduersus eum coniurationis
709 auctor cum Bruto fuit; & in cæde dubitanti cuidam, *Vel per me*, inquit, *feri*: magnoq; exercitu comparato, in Macedonia Bruto coniunctus, in campis Philippicis ab An-
711 tonio victus, cum eandem fortunam Bruti putaret, qui Cæsarem vicerat, Pandaro li-
711 berto iugulum præbuit. Cuius morte audita, Antonius exclamasse dicitur, *Vici*.

84, Sextus Pompeius: VII.

2708 SEXTVS Pompeius, in Hispania apud Mundam *a* victus, amisso fratre, reliquiis exercitus collectis Siciliam petiit: vbi ruptis ergastulis, mare obsedit. Interceptis commeatibus Italiam vexauit: & cum mari feliciter vteretur, *Neptuni se filium* confessus
b 714 est, eumque bobus auratis & equo placauit. Pace *b* facta epulatus in naui cum Antonio & Cæsare, non inuenuste ait; *Hæ sunt meæ Carinæ*: quia Romæ in *Carinis domũ
c 717 eius Antonius tenebat. Rupto *c* per eundem Antonium fœdere, Sextus ab Augusto
d 718 per Agrippam nauali prœlio *d* victus, in Asiam fugit, vbi ab Antonianis militibus occisus est.

85, Marcus Antonius. IIX.

MARCVS Antonius, in omnibus expeditionibus Iulio Cæsari comes, Luperca-
a 709 libus *a* diadema ei imponere tentauit: mortuo diuinos honores decreuit. Augustum perfidiose tractauit, a quo apud Mutinam victus, Perusij fame domitus, in Galliam
b 710 fugit: ibi Lepidum sibi collegam *b* adiunxit: Brutum, exercitu eius corrupto, occidit. Reparatis viribus in Italiã regressus, cum Cæsare in gratiam rediit. Triumuir factus,
c 710 *proscriptionem a Lucio Cæsare auunculo suo *c* cœpit. In Syriam missus, bellum Par
d 719 this *d* intulit. a quibus victus, vix tertiam partem de quindecim legionibus in Ægyptum perduxit. ibi Cleopatræ amore deuinctus, in Actiaco litore ab Augusto *e* vi-
e 722 ctus est. In Alexandriam regressus, cùm habitu regio in solio regali sedisset, necem
f 722 *f* sibi consciuit.

86, Cleopatra Regina. IX.

706 CLEOPATRA, Ptolemæi regis Ægyptiorum filia, a fratre suo Ptolemæo, eodemque marito, quem fraudare regno voluerat, pulsa, ad Cæsarem bello ciuili in Alexandriam venit; ab eo specie sua & concubitu, regnum Ptolemæi & necem impetrauit. Hæc tantæ libidinis fuit, vt sæpe prostiterit: tantæ pulcritudinis, vt multi no-
724 ctem illius morte emerint. Postea Antonio iũcta, cum eo victa, cum se illi inferias ferre simularet in Mausoléo eius, admotis aspidibus periit.

87, M. PORCII CATONIS *vita; ex Aemilij Probi (seu Cornelij Nepotis) libro posteriore.*

CATO, ortus municipio Tusculo, adolescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis; quod ibi *heredium a patre relictum habebat. Hortatu L. Valerij Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam, (vt M. Perperna *Censorinus narrare solitus est) Romam demigrauit, in foro esse cœpit. Primum stipendium meruit annorũ decem septemque, Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello consulibus. Tribunus militum in Sicilia fuit. Inde vt rediit, castra sequutus est C. Claudij Neronis: magnique opera eius *æstimata est in prœlio apud Senam, quo cecidit Asdrubal frater Annibalis. Quæstor obtigit P. [Cornelio Scipioni] Africano consuli: cum quo non pro sortis necessitudine vixit. namque ab eo perpetua dissensit vita. Ædilis plebis factus est cum C. Heluio. Prætor prouinciam obtinuit Sardiniam: ex qua quæstor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium poetam deduxerat. quod non minoris æstimamus quam quemlibet amplissimum Sardiniensem triumphum. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte prouinciã nactus Hispaniam citeriorem: *ex qua triumphum deportauit. Ibi cum diutius moraretur, P. Scipio Africanus, consul iterum, cuius in priori consulatu quæstor fuerat,

voluit

voluit eum de prouincia depellere,& ipſe ei ſuccedere.neque hoc per Senatum efficere potuit,cum quidem Scipio in ciuitate principatum obtineret; quod tum nō potentia,ſed iure reſpublica adminiſtrabatur.Qua ex re iratus,Senatu peracto,priuatus in vrbe manſit. At Cato, cenſor cum eodem Flacco factus, ſeuere præfuit ei poteſtati.Nam & in complures nobiles animaduertit,& multas res nouas in edictum addidit;qua re luxuria reprimeretur,quæ iam tū incipiebat pullulare. Circiter annos *octuaginta,vſque ad extremam ætatem,ab adoleſcentia, reipublicæ cauſſa ſuſcipere inimicitias non deſtitit. A multis tentatus, non modo nullum detrimentum exiſtimationis fecit;ſed,quoad vixit,virtutum laude creuit. In omnibus rebus ſingulari fuit prudentia & induſtria. nam & agricola ſollers, & reipublicæ peritus, & iuris cōſultus,& magnus imperator,& *probabilis orator, & cupidiſſimus litterarum fuit. quarum ſtudium etſi ſenior arripuerat,tamen tantum in eis progreſſum fecit, vt non facile reperire poſſis neque de Græcis neq; de Italicis rebus quod ei fuerit incognitum. Ab adoleſcentia confecit orationes: ſenex hiſtorias ſcribere inſtituit, quarum ſunt libri ſeptem.Primus,continet res geſtas Regum populi Romani: Secundus & tertius,vnde quæque ciuitas orta ſit Italica: ob quam rem omnes ORIGINES videtur appellaſſe.In quarto autem,bellum Punicum primum;in quinto, ſecundum. Atque hæc omnia *capitulatim ſunt dicta.Reliqua bella pari modo perſequutus eſt, vſq; ad præturam Ser.Galbæ,qui diripuit Luſitanos. Atque horum bellorum duces non nominauit,ſed ſine nominibus res notauit.In iiſdem expoſuit quæ in Italia Hiſpaniiſque viderentur admiranda.In quibus multa induſtria & diligentia comparet, multa doctrina. Huius de vita & moribus plura in eo libro perſequuti ſumus. quem ſeparatim de eo fecimus rogatu Titi Pomponij Attici. quare ſtudioſos Catonis ad illud volumen *relegamus.

AVRELII VICTORIS HISTORIÆ ABBREVIATÆ PARS ALTERA:

Ab Octauiano Augusto, id est a fine Titi Liuij, vsque ad Consulatum decimum Constantij Augusti, & Iuliani Cæsaris tertium.

I 722 NNO Vrbis septingentesimo fere,* vicesimoque II, etiam mos Romæ incessit, vni prorsus parendi. Namque OCTAVIANVS, patre Octauio, atque adoptione *magni auunculi Cæsaris, ac mox Procerũ consulto, ob victoriam *patriam placide exercitam, AVGVSTI cognomẽto dictus, illectis per dona militibus, atq; annonæ curandæ specie vulgo, ceteros haud difficulter subegit. Eoque modo annis quatuor circiter & quadraginta actis, morbo Nolæ consumtus; adiectis imperio ciuium Rhætis, Illyricoque; ac pacata externarum gentium ferocia, *nisi Germaniæ: quamquam tertius post Numam, victo Antonio, *Ianum clauserit*; quod iure Romano, quiescentibus bellis accidebat. Mores viro ciuiles lepidique, flagrante haud modice luxuria, ludorumque cupidine, atque ad somnum *intemperantię. Doctorum, qui abunde erant, necessariorumque percultor, cum eloquentiæ studio, ac religionibus *mire retineretur. *Pater patriæ*, ob clementiam, ac Tribunicia potestate perpetuo habitus. hincque, vti Deo, Romæ prouinciisque omnibus per vrbes celeberrimas, viuo mortuoque templa, sacerdotes, & collegia sacrauere. Felix adeo, (*absque liberis tamen, simulque coniugio) vt *Indi, Scythæ, Garamantes, ac Bactri, legatos mitterent orando fœderi.

II 766 Dein *CLAVDIVS TIBERIVS NERO, in Augusti liberos e priuigno redactus arrogatione, vbi quæ metuebantur, satis tuta animaduertit, Imperium complexus est, cuius nomen astu *obtinebat: subdolus & occultior; hisque sæpe simulando infensus, quæ maxime cuperet; & insidiose deditus, quæ odio erant: ingenio ad repentina lõge acriore: bonis initiis idem perniciosus; quæsitissimis in omnẽ fere ætatem sexumque libidinibus: atque atrocius puniens insontes, suos pariter externosque. *Adhuc dum vrbes & conuentus[adhuc]exsecratur. Capreas insulam quæsierat *flagitiis obtentui. Quare *solutis militiæ artibus, direpta pleraque iuris Romani: nihilque prætet Cappadocas, idque inter *exedra, in prouincia subactum, remoto rege Archelao; cõpressaq; Gætulorum latrocinia, quæ de *Farnace duce passim proruperant. Prætorias, quæ *dispersæ proximis municipiis, seu Romæ, quæque per domos habebantur, in castra apud Vrbem redegit; qua tenebantur, Præfecturam appellans, vel augens Prætorio. nam ceteros paritorum, Præsidesque, Augustus instituerat.

III 790 IGITVR Claudio Tiberio iam insidiis oppresso, cum imperiũ tres atq; viginti, æui octogesimũ, vno minus, annos egisset, CAIVS CAESAR, cognomento CALIGVLA, auentibus cunctis deligitur, maiorũ gratiæ parentisq;. Namq; per filiã proauus Augustus: genere materno, Agrippa; *Drusus, Germanici pater, e quo is oriebatur, aui erãt. Quorum modestia atq; immaturo, absq; Octauiani, interitu, vulgus, simul matris fratrumque, quos Tiberius exitio interceperat, permouebatur. Qua caussa nitebantur omnes casum tantæ familiæ lenire, adolescẽtuli spe: Tum quia natus in exercitu (vnde cognomentũ calciamento militari quæsiuerat) legionibus carus acceptusq; habebatur. Præterea prudentissimus quisq; similẽ fore *sui credebat; quod lõge secus; *quasi*
„ *naturæ lege*, quæ crebro tamquã ex industria malos e bonis, agrestes e doctiorib9, & ce
„ teros huiuscemodi seu cõtrã gignit. quo demũ exẽplo, sapientiũ plures caruisse liberis vtilius duxere. Ceterũ in Caligula haud quaquã vero plurimũ aberãt; quippe qui diu *immania animi ita pudore ac parẽdi specie obtexerat, vti merito vulgaretur, neque meliores famulos neq; atrociorem dominũ illo fuisse. Deniq; nactus potestatẽ, vti talia ingenia *veteris solẽt anni mensibus, egregia ad populũ inter *partes cũ militibus gessit: delataq; cõiuratione, quasi minus credens, *prædicaret, vix conuenire in eum, cuius vita nullius oneri aut incõmodo esset. Sed repẽte cæsis primum vario facinore innocentiũ paucioribus, tamquã belluæ hausto sanguine ingeniũ exercuit. itaq; deinceps trienniũ consumtũ, cum Senatus atq; optimi cuiusq; multiplici clade, terrarũ orbis fœdaretur. Quinetiã sororũ stupro ac matrimoniis illudens nobilibus, Deorũ habitu incedebat; cum Iouem se ob incestũ; ex *thoro autẽ Bacchanali, Liberũ se asse-

rer-

reret.Neque ſecus contractis ad vnum legionibus,*ſpe in Germaniam transgredien- ANNO V.C.
di,conchas vmbilicoſque in ora maris Oceani legi iuſſit: cum ipſe nunc fluxo cultu
Venerioque intereſſet;nunc armatus ſpolia a ſe non ex hominibus,ſed cæleſtium ca-
pi dictitaret: ſcilicet quod huiuſmodi piſces, Græcorum dicto, quîs augendi omnia
ſtudium eſt, **Nympharum lumina* accepiſſet. His elatus,dominũ dici,atq; inſigne re-
gni capiti nectere tẽtauerat. Qua cauſſa auctore Chærea moti,quibus Romana vir-
tus inerat,tanta pernicie Remp.cõfoſſo eo leuare: prælatumq; excellẽs Bruti facinus
eiecto Tarquinio foret,ſi per Quirites modo militia exerceretur.verum vbi ciues de-
ſidia externos barbaroſq; in exercitũ cogere libido inceſſit; corruptis moribus liber-
tas oppreſſa,atq; habendi auctũ ſtudium. Interim dum Senatus decreto gentẽ Cæſa-
rum,etiam muliebri ſexu,omnemq; affinitatẽ armati perſequuntur, forte*vnius or-
tus Epiri e cohortibus quæ palatium per opportunos locos obſidebãt,*Ti.Claudium
occultãtem ſe repetit deformi latebra:protrãctoq; eo exclamat apud ſocios, ſi ſapiãt,
adeſſe principem. Et ſane, quia vecors erat, mitiſſimus videbatur imprudentibus.
quæ res aduerſum nefariam *patrui Neronis mentem auxilio, neq; apud fratris filiũ
Caligulã inuidiæ fuit. quinetiã militares plebiſq; animos conciliauerat, dũ flagrante
ſuorũ dominatione,ipſe contemtui miſerabilior haberetur.Talia pleriſq; memoran-
tibus,repente eum,nullo retractante,quæ aderant turbæ circũſiſtunt,ſimulq; afflue-
bant reliqui militũ,& vulgi magna vis. Quod vbi Patres accepere, mittunt ocius au-
ſum cõprimere. Sed poſtquam variis tetriſq; ſeditionibus ciuitas cunctiq; ordines la-
cerabantur,tamquam ex imperio omnes dedere ſe.Ita Romæ Regia poteſtas firma-
ta,proditumq; apertius,*mortalium conatus vacuos a Fortuna caſſoſque eſſe.* “

Igitur CLAVDIVS, quamquam ventri fœde obediẽs,vecors iuxta atq; immemor, IIII
pauiduſq; animi & ignauior eſſet; pleraq; per formidinẽ tamen egregie conſultabat, 794
Nobilitatis *præcipuæ conſiliis.quæ metu colebatur: Quippe *ſtolidorum ingenia* pro- “
inde agunt,vti monitores ſunt. Denique bonis auctoribus compreſſa per eum vitia, “
ac per Galliã Druidarũ famoſæ ſuperſtitiones:lata iura quamcõmodiſſima; curatum
militiæ officiũ:retenti fines ſeu dati imperio Romano; Meſopotamia per Orientem;
Rhenus Danubiuſq; ad Septemtrionẽ;& a Meridie Mauri acceſſere prouinciis,dẽtis
regibus poſt Iubam:cæſaq; Muſalamiorũ manus;ſimul,vltima occaſus,Britãniæ par
tes contuſæ; quã ſolã adiit,Oſtia profectus mari. nam cetera duces curauere. Adhuc
annonæ egeſtas cõpoſita;quã Caligula induxerat: dũ adactis toto orbe nauigiis, per-
uium mare theatris curribuſq; damno publico efficere contẽdit.Neq; ſecus cẽſu no-
uato,cum Senatu motis pluribus,laſciuum adoleſcentẽ,quem ſibi probatum parens
aſſeruerat, retinuiſſet,Cenſorẽ & liberis patrem debere eſſe,recte adiecerat. Aſt vbi
Meſſalinæ cõiugis,ſimulq; libertorũ delinimẽtis,quibus ſemet dediderat,in prauum
abſtractus;nõ illa modo tyrannorũ admiſſa, verum quæ poſtremum genus mulierũ
atq; ſeruile quibat facere viro amẽti dominoq;. Namq; vxor primo paſſimque, quaſi
iure,adulteris vtebatur:eoq; exſtincti cum ſuis plerique,ingenio ſeu metu abſtinẽtes;
dũ peruagatis mulierũ artibus peti ſe a petitis criminatur. Dehinc atrocius accẽſa, no
biliores quaſq; nuptas,& virgines,ſcortorũ modo ſecum proſtituerat: coactiq; mares
vti adeſſent. Quodſi qui talia horruerat;afficto crimine, in ipſum omnemq; familiã
ſæuiebatur. Namque Claudium,vti ſupra docuimus,natura performidoloſum, inie-
cto metu ſui agitabant,maxime coniurationis. Quo commento liberti etiam, quos
vellent,perditum ibant. Qui primo ſceleribus *collubentes, vbi pares patronæ facti-
ſunt,eam quoque ignato,quaſi iubente tamen,domino,per ſatellites interfecere. Et
ſane in id progreſſa mulier erat,vti,animi ac pellicũ gratia Oſtiã profecto,Romæ nu-
ptias cum altero frequẽtaret.& hinc notior, dũ mirum videtur apud Imperatorẽ*vi-
rum,quam Imperatori nuptam eſſe. Ita liberti poteſtatẽ nacti ſummam ſtupris, exſi-
lio,cæde,proſcriptionibus,omnia fœdabant: eoque herilem ſtultitiam perpulere,v-
ti ſenex fratris filiam in nuptias concupiſceret. Quæ quamuis ſuperiore abſurdior ha
beretur,idcircoque paria extimeſceret; veneno coniugem interemit. Huius anno
ſexto,cum quatuordecim regnarit,octingenteſimus Vrbis mire celebratus, viſuſque
apud Ægyptum Phœnix; quam volucrem ferunt anno *quinquageſimo ex Arabis
memoratos locos aduolare.atque in Ægæo mari repente inſula ingens emerſit, no-

ANNO V.C. ctæ qua defectus Lunæ acciderat. *Tetrum funus, vti quondam in Prisco Tarquinio, diu occultatum; dum arte mulieris corrupti custodes, ægrum simulant, atque ab eo mandatã interim priuigno, quem paullo antè in liberos adsciuerat, curam Reipubl.

V Eo modo L. DOMITIVS (nam id certe nomen Neroni patre Domitio, erat) Im-
807 perator factus est. Qui cum longe adolescens dominatum parem annis vitrico gessisset, quinquennium tamen tantus fuit, augenda vrbe maxime, vti merito Traianus sæpius testaretur, *procul differre* cunctos Principes Neronis quinquennio: quo etiam Pontum in ius prouinciæ, Polemonis permissu, redegit; cuius gratia *Polemoniacus Pontus* appellatur: itemque *Cottias Alpes*, Cottio rege mortuo. Quare satis compertum, *neque æuum* impedimento virtuti esse: eam facile mutari, corrupto per licentiam ingenio: omissamque adolescentiæ quasi legem, perniciosius repeti. Namque eo dedecore reliquum vitæ egit, vti pigeat pudeatque memorare, huiuscemodi quemquã, nedum rectorem gentium, fuisse. Qui dum psallere per cœtus, Græcorum inuento, in certamen coronæ cœpisset; eò progressus est, vti neque suæ, neque aliorum pudicitiæ parcens, ad extremũ amictus nubentium virginum specie, *palam Senatu, dote data, cunctis festa more celebrantibus, in manum conueniret lecto ex omnibus prodigiosis. Quod sane in eo [narrantur scelera Neronis] leuius æstimandum. Quippe, *noxiorum vinctis modo, pelle tectus feræ, vtrique sexui genitalia vultu contrectabat; exactor parium maiore flagitio. Atque inter hæc matrem etiam contaminauisse plures habent; dum ea quoque dominandi ardore, scelere quolibet subiici filiũ cupit. Id ego, quamquam scriptoribus diuersa firmantibus, verum puto. Namq; *vbi mentem inuaserint vitia*, *nequaquam verecundiæ externis societate humanius datur peccãdi consuetudo, noua, & eo dulciora, affectans, ad extremum in suos agens. quod his proditum magis, dum quasi quodam progressu, illa, per alteros ad patrui nuptias, atq; alienorum cruciatibus, *mariti exitium: hic, paulatim ad sacerdotem Vestæ, deinde in se, postremo vterque in sui scelus processerunt. Neque blandimentis talibus tamẽ coalescere potuêre; sed eo præceps dati, dum insidiantur inuicem, mater peruersa interiit. Igitur cum omne ius fasque parricidio triuisset, ac magis magisque in optimos sæuiretur, coniurauere plures varia sane tempestate, ad liberandam Rempubl. Quis proditis cæsisque immanior, vrbem incendio, plebem feris vulgo emissis, Senatũ pari morte tollere decreuerat, noua sede regno quæsita, maximeq; incitante legato Parthorum; qui forte inter epulas, aulicis, vti mos est, canentibus, cum sibi citharistã poposcisset; responso dato, liberum esse adiecerat, sumeret ipse quem vellet e suis; ostentans qui conuiuio aderant: quod *liber sub* imperio nullus haberetur. Ac ni Galba, qui Hispaniæ præsidebat, cognito mãdatum sui exitium, quamquam senecta ætate, imperio correpto subuenisset; tantum facinus haud dubie patraretur. Verum eius aduẽtu desertus vndique, nisi ab spadone, quem quondam exsectum formare in mulierẽ tentauerat, semet ictu transegit; cum implorans percussorem, diu ne ad mortem quidem meruisset cuiusquam officium.

Hic finis Cæsarum genti fuit: quem fore, prodigiorũ multa denuntiauere, præcipueq; eorũ prædiis arescẽs lauri nemus dicatũ triũphãtibus; atq; interitus gallinarũ, quæ adeo multæ, albæq;, aptiores erãt religionibus, vt iis Romę habeatur hodie *locus.

VI At GALBA, haud secus nobilis e gente clarissima Sulpiciorũ, vbi Romã ingressus
821 est, quasi luxuriæ aut etiam crudelitati auxilio ventitasset; rapere, trahere, vexare, ac fœdũ in modũ vastare cuncta, & polluere. Quis rebus intestabilior (dum *grauius offendunt* quos mollius consulturos spes erat) simul quia opes militum, nimis pecuniæ cupidus attenuauerat, Othone auctore interficitur: qui prælatum adoptione eius Pisonem impatientius dolens, accensas cohortes armatasq; in forum deduxerat. Quò cum lorica tectus Galba tumultum lenitutus contenderet; ad lacum Curtium cæsus est, mense Imperij ac die septimo.

VII Igitur *SALVIVS OTHO, Neroni quoq; quondam criminose familiaris, *haud
822 multo fine adolescentiæ grandior, potentiam inuadit. Qui dies fere quinq; & octoginta præcognitis moribus potitus, postquam a Vitellio, qui e Gallia descenderat, Ve-
VIII ronensi prœlio pulsus est; mortem sibi consciuit.

822 Ita ad AVLVM VITELLIVM potestas delata; quæ progressu funestior talibus

initiis

initiis foret, si Vespasianus aliquamdiu Iudæorum bello, quod Neronis iussu susceperat, impensius attineretur. Is vbi gesta per Galbam, ipsumque oppressum accepit; simul quoniam legati Mœsiæ, Pannonicique exercitus *hortantium venerant, Imperium capit. Nãque milites prædicti, postquam Othonem prætoriis, Vitellium Germanicianis legionibus factum comperere, æmuli, vt inter se solẽt, ne dissimiles viderentur, Vespasianũ perpulere; in quem iam Syriacæ cohortes ob egregia vitæ cõsenserant. Quippe Vespasianus noua Senator familia, Reatinis maioribus, industria rebusque pacis ac militiæ longe nobilis habebatur. Huius legarorum in Italiam transgressu, fusisque apud Cremonam suis, Vitellius ab Sabino, Vrbi præfecto, Vespasiani fratre, sestertiûm milies pepigerat, arbitris militibus Imperio decedere: sed postquã mox circumuentum se nuntio ratus est, quasi renouato furore, ipsum ceterosque aduersæ partis, cum Capitolio, quod saluti remedium ceperant, cremauit. Ast vbi vera esse, ac propinquare hostes patefactum est; productus e tugurio, quo se abdiderat, ianitoris iniecto laqueo, parricidarum more, ad scalas Gemonias, perque eas pertractus; simul ictibus, quantum quisque valuerat, cõfosso corpore, in Tiberim deiicitur tyrannidis octauo mense; annos natus *septuaginta, & quinque amplius.

Hi omnes, quos paucis attigi, præcipueq; Cæsarum gens, adeo litteris culti atq; eloquentia fuere, vt, ni cunctis vitiis (absque Augusto) nimij forent; tantæ artes profecto texissent *modica flagitia. Quîs rebus quamquã satis constet præstare mores; tamen cuique, præsertim summo rectori, vtroque, si queat, iuxta opus: sin autem vitæ proposito in immẽsum progrediẽte, elegãtiæ satis atq; auctoritatis sumat eruditionẽ.

Hoc item ex genere VESPASIANVS, sanctus omnia, facundiæ haud egens promẽdis quæ senserat; exsanguem diu fessumque terrarum orbem breui refecit. Nam- IX 822
que primum satellites tyrannidis, nisi qui forte atrocius longe processerant, flectere potius maluit, quam excruciatos delere: prudentissime ratus, *nefaria ministeria* a pluribus metu curari. Dein coniurationum multas scelere inulto abscedere patiebatur; comiter, vti erat, stultitiæ arguens, qui ignorarent *quanta moles* molestiaque imperio inesset. Simul diuinis deditus (quorum vera plerisque negotiis compererat) successores fidebat liberos Titum ac Domitianum fore. Præterea legibus æquissimis monendo, quodque vehementius est, vitæ specie vitiorum plura aboleuerat: infirmius tamen, vti quidam praue putant, aduersum pecuniam: cum satis constet, ærarij inopia, ac labe vrbium, nouas eum neque aliquamdiu postea habitas, vectigalium pensiones exquisiuisse. Namque Romæ Capitoliũ, quod conflagrasse supra memorauimus, ædes Pacis, Claudij monumenta, Amphitheatri tanta vis, multæque aliæ, ac forum, cœpta ac patrata. Adhuc per omnes terras, qua ius Romanũ est, renouatæ vrbes cultu egregio, viæq; operibus maximis munitæ, & cauati montes per Flaminiã, prono transgressu. Quæ tot tantaq; breui confecta, intactis cultoribus; prudentiam magis quam auaritiam probauere: simul cẽsu more veterũ exercito, Senatu motus probrosior quisque; ac, lectis vndiq; optimis viris, mille gentes compositæ; cum ducẽtas ægerrime reperisset, exstinctis sæuitia tyrannorum plerisque. Ac bello rex Parthorũ Vologesus in pacẽ coactus, atque in prouinciã Syria cui Palæstinæ nomẽ, Iudæique, annitẽte filio Tito: quẽ trãsgrediẽs in Italiã, reliquerat externæ militiæ, moxq; victorẽ Præfectura Prætorio extulerat. vnde etiã honos is, ingens a principio, tumidior, atq; alter ab Augusto imperio fuit. verum hac tẽpestate, dum honorũ honestas despectatur, mistiq; bonis indocti, ac prudentibus inertes sunt; fecere nomen pleriq; potentia vacuum insolens per iniurias, subiectum pessimo cuique, & annonæ specie rapax.

Ceterum TITVS, postquam imperiũ adeptus est, incredibile [est] quantũ quem X
imitabatur, anteierit: præsertim litteris, clementiaq; ac muneribus. Deniq; dũ cõces- 832
sa per priores Principes, firmari ab insequentibus mos esset; simul imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte cauit prospexitque: neq; minus sancte facilis in tuendis qui forte in se conspirassent: adeo vt cum amplissimi ordinis duo abnuere cogitatum scelus nequirent; Patresque censuissent de confessis supplicium sumendum; *deductus in spectaculum, se vtrumque assidere iussit: petitoque ex industria gladiatoris, quorum pugnæ visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, vni atque alteri committere. Quîs perculsis, & constantiam mirantibus, *Videtisne*, in-

ANNO quit,*potestates fato dari, frustraque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu?* Ita
V.C. * biennio post, ac menses fere nouem, Amphitheatri perfecto opere, lautusque, ve-
neno interiit, anno æui quadragesimo; cum eius pater septuagesimo obiisset, Impera-
tor decennij. Huius sane mors adeo prouinciis luctui fuit, vti, generis humani deli-
cias appellantes, orbatum orbem deflerent.

XI Igitur DOMITIANVS, fratris atque Imperatoris optimi nece, priuato sce-
834 lere publicoque amentior, simul maculosæ adolescentiæ, prædas, cædem, supplicia
agere occœpit: maior libidinum flagitio, ac plus quam superbe vtens patribus: quip-
pe qui se Dominum Deumque dici coegerit: quod confestim ab insequentibus re-
motum, validius multo posthac deinceps, retulêre. Sed Domitianus primo clemen-
tiam simulans, neque adeo iners domi, belloque tolerantior videbatur. idcircoque
Dacis & Cattorum manu deuictis, Septembrem Octobremque menses, Germani-
ci *superiorem; e suo nomine alterum appellauerat: multaque opera inchoata per pa
trem, vel fratris studio, atque in primis Capitolium, absoluit. Dehinc atrox cædibus
bonorum, segnisque, ridicule remotis procul omnibus, muscarũ agmina perseque-
batur, postquam ad libidinem minus virium erat; cuius fœdum exercitium Græcorũ
lingua κλινοπάλην vocabat. Hincque iocorum pleraque. nam percũctanti cuidam, quis-
quamne in Palatio esset, responsum; Ne musca quidem: nisi forte apud palæstram. Is
ergo magis magisque sæuitia nimius, eoque suspectior, etiam suis, libertorum con-
silio, vxore non ignara, quę amorem histrionis viro prætuleręt, pœnas luit; quin-
to & quadragesimo anno vitæ, dominationis circiter quintodecimo. At Senatus gla-
diatoris more funus ferri, radendumque nomen decreuit. Quo moti milites, quibus
priuatæ commoditates dispendio publico largius procedunt, auctores necis ad sup-
plicium petere, more suo seditiosius, cœperunt. Qui vix ægreque per prudentes co-
hibiti, tandem in gratiam optimatum conuenêre. Neque minus per se moliebantur
bellum, quod his conuersum imperium mæstitiæ erat, ob omissionem prædatum,
per dona munifica.

Hactenus Romæ, seu per Italiam orti Imperiũ rexere: hinc aduenæ: nescio quoq;
an, vt in Prisco Tarquinio, longe meliores. At mihi quidem audienti multa legenti-
„ que, plane compertum, *vrbem Romam* externorum virtute, atque insitiuis artibus
„ præcipue creuisse.

XII Quid.n. NERVA Cretensi prudentius, magisque moderatũ? qui, cum extrema
849 ætate apud Sequanos, quo tyranni defecit metu, Imperiũ arbitrio legionũ cepisset;
vbi prospexit, nisi a superioribus robustioribusque corpore animoque geri non pos-
se, mense sexto ac decimo semet eo abdicauit, dedicato prius foro, quod appellatur
„ *Peruium*: quo ædes Mineruæ eminentior consurgit, & magnificentior. Id cum sem-
„ per *egregium sit*, metiri quantum queas, neque ambitione præceps agi; tum in impe-
„ rio: cuius adeo cupidi mortales sunt, vt id vel vltima senectus auide petat. Huc acce-
„ dit, quod suffecti virtute, quantus consilio esset, magis magisque patefecit.

XIII Namque VLPIVM TRAIANVM, Italica vrbe Hispaniæ ortum, amplissimi ordi-
851 nis tamen atque consulari loco, adrogatum accepit & dedit. Hoc ægre clarior domi
seu militiæ reperietur. quippe primus, aut solus etiam, vires Romanas trans Istrũ pro-
pagauit, domitis in prouinciam Dacorum *pileatis Sacisque nationibus, Decibalo
rege ac Sardoniis. Simul ad ortum solis, cunctæ gentes quæ inter Indum & Euphratẽ
amnes inclytos sunt, concussæ bello; atque imperati obsides Persarum regi, nomine
Chosdroi; & inter ea iter conditũ per feras gentes. quo facile ab vsq; Pontico mari in
Galliam permeatur. Castra suspectioribus atq; opportunis locis exstructa; pons q; Da
nubio impositus; ac deductæ coloniarum pleræq;. Adhuc Romæ a Domitiano *ca-
pta fora, atque alia multa, plusquam magnifice coluit ornauitque. Et annonæ perpe-
tuæ mire consultum, reperto firmatoque pistorum collegio. simul noscendis ocius
quæ vbique e Rep. gerebantur, admota media publici cursus. Quod equidẽ munus
satis vtile, in pestẽ orbis Romani vertit posteriorũ auaritia insolentiaq;: nisi quod his
„ annis suffectæ vires Illyrico sunt, *Præfecto medẽte Anatolio. *Boni maliq; in Rep. nihil
est*, quod in diuersum traduci nequeat moribus præsidentium. Æquus, clemẽs, patiẽ-
tissimus, atque in amicos perfidelis; (quippe qui Suræ familiari opus sacrauerit, quæ

Suranæ

ANNO V.C.

Suranæ sunt) vsque eò innocentiæ fidens, vti præfectum Prætorio, *Saburanum nomine, cum insigne potestatis, vti mos erat, pugionem daret, crebro monuerit; *Tibi istum ad munimentum mei committo, si recte agam: sin aliter, in me magis: quod moderatorem omnium vel errare minus fas sit.* Quinetiam vinolentiam, quo vitio, vti Nerua, angebatur, prudentia mollierat; curari vetans iussa post longiores epulas. His virtutibus acto Imperio annos prope viginti, cum terræ motu graui apud Antiochiam ceteraque Syriæ *extremis afficeretur, rogatu Patrum militiam repetens, morbo periit, grandæua ætate; ascito prius ad Imperium Hadriano ciue propinquoque. Ab hinc diuisa nomina Cæsarum atque Augusti: inductumque in Rempublicam, vti duo seu plures summæ potentiæ, dissimiles cognomento ac potestate dispari sint. Quamquã alij Plotinæ, Traiani coniugis, fauore imperium assequutum putent; quæ viri testamento heredem regni institutum simulatat.

Igitur ÆLIVS HADRIANVS, eloquio togæque studiis accommodatior, pace ad Orientem composita, Romam regreditur. ibi Græcorum more, seu Pompilij Numæ, cerimonias, leges, gymnasia, doctoresque curare occœpit: adeo quidem, vt etiã ludum ingenuarum artium, quod* *Athenæum* vocãt, constitueret; atque initia Cereris Liberæque, quæ *Eleusina dicitur, Atheniensium modo Roma percoleret. Deinde, vti solet, tranquillis rebus, remissior, rus proprium Tibur secessit, permissa vrbe *Lucio Ælio Cęsari: ipse, vti beatis locupletibus mos, palatia exstruere, curare epulas, signa, tabulas pictas: postremo omnia satis anxie prospicere quæ luxus lasciuiæque essent. Hinc orti rumores mali, iniecisse stupra puberibus, atque Antinoi flagrauisse famoso ministerio; neque alia de caussa vrbem conditam eius nomine, aut locasse ephebo statuas. quæ quidem alij pia volunt, religiosáque. quippe Adriano cupiẽte fatum producere, cum voluntarium ad vicem Magi poposcissent, cunctis retractantibus, Antinoum obiecisse se referunt: hincque in eum officia supradicta. nos rem in medio relinquemus: quamquam in remisso ingenio suspectam æstimantes societatem æui longe imparilis. Interim Ælio Cæsare mortuo, cum ipse animo parum valeret, idcircoque despectui haberetur, ad creandum Cæsarem Patres conuocat. Quibus propere accurrentibus, forte Antoninum conspexit senis soceri aut genitoris anxios gressus leuantem manu. quo mire oblectatus, adoptatum legibus Cæsarem *iubet, statimque ab eo senatus, cui ludibrio fuerat, magnam partem necari. Neque multo post apud Baias tabe interiit; anno imperij, absque mense, vicesimo secundo, senecta viridiore. At Patres ne Principis oratu quidem ad Diui honorem eidẽ deferendũ flectebantur: tantum amissos sui ordinis tot viros mærebãt. sed postquam subito prodiere quorum exitium dolori erat, quique suos complexi, censent quod abnuerant. XIIII 870

AVRELIO ANTONINO cognomentum *Pij*. Hunc fere nulla vitiorum labes maculauit. Vir veterrimæ familiæ, e Lanuuino municipio, Senator vrbis: adeo æqualis, probisque moribus, vti plane docuerit, neque *iugi pace*, ac longo otio absoluta ingenia corrumpi: eoque demum *fortunatas vrbes* fore, si* regna sapientiæ sint. Denique annis, quibus publica egit, viginti, idem mansit, celebrato magnifice Vrbis nongentesimo. nisi forte triumphorum *expertem, socordiæ videtur. quod longe secus est; cum maius haud dubie sit, neque quemquam turbare ausum composita, neque ipsum ostentandi sui* bellum fecisse quietis gentibus. Quinetiam maribus frustratus, filiæ viro Reipublicæ consultauit. XV 891

Namque* M. Boionium, qui AVRELIVS ANTONINVS habetur, eodem opido, patri nobilitate, philosophandi vero eloquentiæque studiis longe præstantem, in familiam atque imperium adsciuit. cuius diuina omnia domi militiæque facta consultaque: quæ imprudentia regendæ coniugis attaminauit: quæ in tantum petulantiæ proruperat, vt in *Campania sedens, amœna littorum obsideret, ad legendos ex nauticis, quia plerumque nudi agunt, flagitiis aptiores. Igitur Aurelius, socero apud *Lorios, anno vitæ post quintum & septuagesimum mortuo, confestim fratrem LVCIVM VERVM in societatem potentiæ accepit. Eius ductu Persæ, quum primum superauissent, ad extremum triumpho cessere, rege Vologeso. Lucius paucis diebus moritur: hincq; materies fingẽdi, dolo consanguinei circumuentũ: quem XVI 914

ANNO V.C. ferunt, cum inuidia gestarum rerum angeretur, fraudem inter cœnam exercuisse. namque lita veneno cultri parte, vuluæ frustum, quod de industria solum erat, eo præcidit: consumtoque vno, vti mos est, inter familiares; alterum, qua virus contigerat, germano porrexit. Hæc in tanto viro credere, nisi animi ad scelus proni, non queunt. quippe cum Lucium satis constet Altini Venetiæ vrbe cõsumtum, tantumque Marco sapientiæ, lenitudinis, innocentiæ ac litterarum fuisse, vt is Marcomannos, cum filio Commodo, quem Cæsarem suffecerat, petiturus, *philosophorum obtestantium circumfunderetur; ne se expeditioni aut pugnæ prius cõmitteret, quam sectarum ardua & occulta explanauisset. Ita incerta belli eius salute, doctrinæ studiis metuebatur: tantumque illo imperante floruere artes bonæ, vt illam gloriam etiam temporum putem. Legum ambigua mire distincta, vadimoniorumq; *sollemni remoti denuntiandæ litis, operiendæq; ad diem commode ius introductum. Data cũctis promiscue ciuitas Romana: multæ vrbes cõditæ, deductæ, repositæ, ornatæque; atque in primis Pœnorum Karthago, quam ignis fœde cõsumserat; Asiæque Ephesus, ac Bithyniæ Nicomedia, constratæ terræmotu, æque ac nostra ætate Nicomedia Cereali consule. Triumphi acti ex nationibus quæ regi *Marcomaro ab vsque vrbe Pannoniæ, cui Carnuto nomen est, ad media Gallorum protendebantur. Ita anno Imperij octauo decimoque, æui validior, Vendobonæ interiit, maximo gemitu mortalium omnium. Denique* qui seiuncti in aliis Patres, ac vulgus, soli omnia decreuere, templa, columnas, sacerdotes.

XVII

933 At filius sæua a principio dominatione detestabilior habebatur, præcipue per maiorum controuersam memoriam; quæ posteris vsque eò grauis est, vt absque communi in impios odio, quasi corruptores generis exsecrabiliores sint. Bello plane impiger: quo in Quados prospere gesto, Septembrem mensem *Commodum* appellauerat. Mœnia, Romana potentia vix digna, lauandi vsui instituit. Immiti prorsus feroq; ingenio; adeo quidem vt gladiatores, specie depugnandi, crebro trucidaret; cum*ipse ferrum obiectum veronibus plũbeis vteretur. Cumque eo modo plures confecisset, forte eum Scæua nomine, audacia ac robore corporis, pugnandique arte *peruidẽs, ab studio tali deterruit; qui spreto gladio, quem inutilem cernebat, sufficere vtrique ait quo armabatur ipse. Eo metu, ne inter congressum, vti solet, extorto pugione cõficeretur, Scæuam remouit; atque ad alios formidolosior, in feras belluasque ferociã conuertit. Quîs rebus cum insatiabilem sanguinis cuncti horrescerent; coniurauere » *ne in eum maxime proximus; quippe *dominationi* adeo fidus nemo: ipsique satellites, dum *incestam mentem prauamque putant: & COMMODVM quidem primo occultatius veneno petiuêre, anno regni tertio fere atque decimo. *Cuius frustrata per cibum, quo se casu repleuerat; cum tamen alui dolorem caussaretur, auctore medico, principe factionis, in palæstram perrexit. vbi per ministrũ vngendi (nam forte is quoq; e cõsilio erat) faucibus, quasi arte exercitij, *pacchiorum nodo validius pressis, exspirauit. Quo cognito Senatus, qui ob festa Ianuariorum frequens *primo luci conuenerat; simul plebes hostem deorum atque hominum appellauere, radẽdumque nomen sanxere. confestimque Præfecto Vrbi *AVLO HELVIO PERTINACI imperium defertur.

XVIII

946 HIC doctrinæ omnis, ac moribus antiquissimis; immodice parcus, Curios æquauerat Fabriciosque. Eum milites, quîs exhausto iam perditoque orbe, satis videtur nihil, impulsore Didio, fœde iugulauere, octogesimo imperij die.

XIX

946 AT DIDIVS (an Saluius?) IVLIANVS, fretus Prætorianis, quos in societatẽ promissis magnificentioribus perpulerat, ex Præfectura Vigilum, ad insignia dominatus processit. Genus ei pernobile; Iurisque vrbani præstans scientia: quippe qui primus Edictum, quod varie inconditeque a Prætoribus promebatur, in ordinem com» posuerit. Hincque satis compertum, *cohibendæ cupidini*, ingenium ni iuuet, eruditio» nem imbecillem esse. cum præceptor & asper quidem, rectius viuendi, in facinus processerit, quod nouo supplicio plectendum ediderat. Neque tamen cupito potitus diu. Namque eum, acceptis ilico quæ acciderant, Septimius Seuerus, qui forte *Syriæ legatus, in extremis terris bellum gerebat, Imperator creatus, pontẽ proxime Miluium acie deuicit: missiq; qui fugientem insequerentur, apud palatium *Romæ obtruncauêre.

Igitur

Igitur SEPTIMIVS, Pertinacis nece, ſimul flagitiorum odio, dolore, atque ira XX commotior, cohortes Prætorias ſtatim militia exemit: cunctiſq; partium cæſis, Hel- 946 uium Senatus conſulto inter Diuos refert; Salui nomen, atque eius ſcripta factaue aboleri iubet: quod vnum effici nequiuit. *Tantum gratia* doctarum artium valet, vt ſcriptoribus ne ſæui mores quidem ad memoriam officiant. Quinetiam mors huiuſcemodi, ipſis gloriæ, exſecrationi actoribus eſt: cum omnes, præcipueq; poſteri, ſic habent, illa ingenia niſi publico latrocinio, ac per dementiam, opprimi nō potuiſſe. Quo bonis omnibus ac mihi fidēdum magis, qui rure ortus, tenuique indocto patre, in hæc tempora vitam præſtiti ſtudiis tantis honeſtiorem. Quod equidem gentis noſtræ reor,* quæ fato quodam bonorum partu fœcunda, quos eduxit tamen, quemq; ad celſa ſuos habet: velut Seuerum ipſum, quo præclarior in Republ. fuit nemo:* qui, quamquam exacta ætate, mortuum, iuſtitio elogioque lugendum ſanxere: *aſtruentes illum iuſtum naſci, aut emori minime conueniſſe: ſcilicet quod corrigendis moribus nimium, poſtquam ad veterum innocentiam, quaſi menſium ſanitatem, peruenerant, clementem habuere. Ita honeſtas, quæ principio anxia habetur, vbi contigerit, voluptati luxuriæque eſt. *Peſcennium Nigrum* apud Cyzicenos, *Clodium Albinum* Lugduni victos coegit mori: quorum prior Ægyptum dux obtinens, bellum mouerat, ſpe dominationis: alter, Pertinacis auctor occidendi, cum eo metu in Britannos, quam prouinciam a Commodo meruerat, tramittere nitebatur; in Gallia inuaſerat Imperium. Horum infinita cæde crudelior habitus, ac cognomento *Pertinax*. quamquam ob vitæ parſimoniam ſimilem, ipſum magis adſciuiſſe plures putēt: nobis mens ad credendum prona, acerbitati impoſitum. Nam cum quidam hoſtiū, quem tamen, vti bellis ciuilibus ſolet, conditio loci ad Albinum detulerat, cauſſa expoſita, nouiſſime concluſiſſet; *Quid, quæſo, faceres, ſi tu eſſes?* ille reſpondit; *Ea perferrem quæ tu.* Quo dicto factoque durius nihil bonis: cum ſanctique huiuſcemodi diſſenſiones, quamuis *ſtudioſius cœptas, fortunæ *increpent; magiſque in protegēdis, quam ad perdendum ciues verum corrumpi patiantur. At iſte delendarum cupidus factionum, quo deinceps mitius ageret, neceſſitudinem facti vlciſci maluit, ne paullatim ſpe veniæ in labem publicam per coniurationes procederetur: ad quas vitio temporum animos *intelligebat. neque ego abnuo, *ea delictorum* quæ graſſari immodice cœperint, plus pæne quam ſeuere excidenda eſſe. Felix ac prudens, armis præcipue; adeo, vt nullo congreſſu niſi victor diſceſſerit, auxeritque Imperium, ſubacto Perſarum rege, nomine *Agarro. Neque minus Arabas, ſimul adortus vt eſt, in dicionem redegit, prouinciæ modo. Adiabena quoque, ni terrarum macies deſpectaretur, in tributarios cōceſſiſſet. Ob hæc tanta, *Arabicū, Adiabenicum*, & *Parthicū* cognomento Patres dixere. His maiora aggreſſus, Britanniam, *quæ ad ea vtilis erat, pulſis hoſtibus, muro muniuit, per tranſuerſam inſulam ducto, vtrimque ad finem Oceani. Quinetiam Tripoli, cuius Lepti opido oriebatur, bellicoſæ gentes ſubmotæ procul. Quæ factu ardua, facilius *eo patrabātur, quo implacabilis delictis, ſtrennuum quemque præmiis extollebat. Denique ne parua latrocinia quidem impunita patiebatur, in ſuos animaduertens magis: quod vitio Ducum, aut etiam *Præfectorum, fieri vir experiens intelligeret. Philoſophiæ, declamandi, cūctis poſtremo *liberalium deditus ſtudiis: idemque abs ſe texta ornatu & fide paribus compoſuit. Legum cōditor longe æquabilium. Huic tanto domi foriſque, vxoris probra ſummā gloriæ demſere: quam adeo famoſe amplexus eſt, vti cognita libidine, ac ream coniurationis, retentarit. Quod cum infimo turpe, tum potentibus; & illi magis cui non priuati, neque ſinguli, aut flagitioſi; verum Imperia, & exercitus, atque ipſa *vitia conceſſêre. Nam cum pedibus æger bellum moraretur, idque milites anxie ferrent, eiuſque filium Baſſianum, qui Cæſar vnà aderat, Auguſtum feciſſent; in tribunal ſe ferri, adeſſe omnes, Imperatoremque ac Tribunos, Centuriones ac cohortes, quibus auctoribus acciderat; ſiſti, reorum modo, iuſſit. Quo metu ſtratus humi victor, cum *tantorum exercitus veniam precaretur: *Sentitiſne*, inquit, pulſans manu, *caput potius quam pedes imperare?* Neque multo poſt Britanniæ municipio, cui Eboraci nomen, *annis regni duodeuiginti morbo exſtinctus eſt. Ortus *Mediæ humili, primo litteris,

ANNO V.C. deinde imbutus foro: quo parum commodante, vti rebus artis solet: dum tentat aut exquirit varia melioraque, conscendit Imperium. Ibi grauiora expertus, laborem, curas, metum, & incerta prorsus omnia: quasi testis vitæ mortalium, *cuncta*, inquit, *fui; conducit nihil.* Funus quod liberi Geta Bassianusque Romam detulerant; mire celebratum, illatumque Marci sepulcro: *adeo percoluerat, vt eius gratia Commodum inter Diuos referri suaserit, fratrem appellans; Bassianoque *Antonini* vocabulum addiderat; quod ex illo post multos dubiosque euentus, auspicia honorum cepisset patrocinio fisci. * dein de laborantibus secundarum initia earumque auctores memoriæ sunt.

AT posteri, quasi bellum inter se mandatis accepissent, confestim secessêre. Ita Geta, cui nomen paterno ab auo erat, cum eius modestiore ingenio frater angeretur, obsessus interiit. quæ victoria Papiniani exitio fœdior facta, vt sane putant memoriæ curiosi: quippe quem ferunt illo tempore Bassiani scrinia curauisse, monitumque, vti mos est, *destinando Romam quamcelerrime componeret, dolore Ge- ,, tæ dixisse; haudquaquam pari facilitate velari parricidium qua fieret: iccirco morte affectum. Sed hæc improbe absurda sunt, cum constet satis, Præfecturam Prætorio gessisse, neque incondite illum virum tantam contumeliam imponere potuisse, cui amori ac magisterio erat.

XXI 965 Ceterum ANTONINVS, incognita munerum specie, vrbem Romanam *adiiciens, quod indumenta in talos demissa largiretur, *Caracalla* dictus: cum pari modo *vesti *Antonianas* nomini suo daret. Alamannos gentem populosam, ex equo mirifice pugnãtem, prope Mœnum amnem deuicit. Patiens, communis, tranquillusque: pari fortuna, & eodem matrimonio, quo pater. Namque Iuliam nouercam, cuius facinora supra memoraui, forma captus, coniugem affectauit; cum illa factiosior, aspectui adolescentis, præsentiæ quasi ignara, semet dedisset, intecto corpore; asserentique, *Vellem si liceret, vti*, petulantius multo (quippe quæ pudorem *velamento exuerat) respondisset; *libet? plane licet.* Ægypti sacra per eum deportata Romam, atque aucta Vrbs magno accessu Viæ nouæ, & ad lauandum absoluta opera pulchri cultus. Quibus confectis, cum Syriam circũgrederetur, anno potentiæ sexto moritur. Corporis reliqua, luctu publico relata Romam, atque inter Antoninos funerata sunt.

XXII 970 Dehinc OPILIVS MACRINVS, qui Præfecturam Prætorio gerebat, Imperator; eiusque filius, DIADVMENVS nomine, Cæsar a legionibus appellatur. Quibus eo quod ingens amissi Principis desiderium erat, adolescentem *Antoninum* vocauere. Horum nihil præter sæuos atque inciuiles animos interim reperimus. Qua gratia mensibus ferme quatuor ac decem vix retento imperio, per quos creati fuerant, interfecti sunt.

XXIII 971 Accitusque MARCVS ANTONINVS, Bassiano genitus; qui patre mortuo, in Solis sacerdotium, quem Heliogabalum Syri vocant, tamquam asylum, insidiarum metu confugerat: hincque *Heliogabalus* dictus: translatoque Romam Dei simulacro, in palatij penetralibus [palatia] constituit. Hoc impurius ne improbæ quidem aut petulãtes mulieres fuêre: quippe orbe toto obscenissimos perquirebat, visendis tractãdisue artibus *libidinum ferendarum. Hæc cum augerentur in dies, ac magis magisque Alexandri, quem comperta Opilij nece Cæsarem *nobilitas nuncupauerat, amor cumularetur; in castris Prætoriis tricesimo regni mense oppressus est.

XXIV 975 Statimque AVRELIO ALEXANDRO, Syriæ orto, cui duplex, Cæsarea, & Arca nomen est, militibus quoq; annitentibus, Augusti potentia delata: qui, quamquã adolescens, ingenio supra æuum tamen, confestim apparatu magno bellũ aduersum *Xerxem Persarũ regem mouet: quo fuso fugatoque, in Galliã maturrime contendit, quę Germanorum direptionibus tentabatur. Ibi tumultuantes legionum plerasque constãtissime abiecit: quod in præsens gloriæ, mox exitio datũ. Nã cum tantæ seueritatis vim milites inhorrescunt, (vnde etiã *Seueri* cognomentũ accesserat) agentẽ casu cũ paucis vico Britanniæ, cui vocabulũ *Sicila, trucidauere. Opus vrbi florẽtissimũ *celebrio

lebrio fabricatus est: matrisque cultu, quæ nomine Mammæa erat, plus quam pius. ANNO V.C.
Adhuc Domitium Vlpianum, quem Heliogabalus Prætorianis præfecerat, eodem honore retinens; Paulloque inter exordia patriæ reddito, iuris auctoribus, quãtus erga optimos *atq; æqui studio esset, edocuit. neque vltra annos tredecim Imperio functus, Rempublicam reliquit firmatam vndique: quæ iam tum a Romulo ad Septimium certatim euolans Bassiani consiliis, tamquam in summo constitit. Quo ne cõfestim laberetur, Alexandri fuit. Abhinc, dum dominandi suis quam subigendi externos cupientiores sunt, atque inter se armantur, magis Romanum statum quasi abrupto præcipitauere; immissique in imperium promiscue boni malique, nobiles atque ignobiles, ac *barbariæ multi. Quippe vbi *passim confusaque omnia, neq; suo feruntur modo, quique fas putant, vti per turbam, rapere aliena *officia, quæ regere nequeunt, & *scientia bonarum artium fœde corrumpunt. Ita fortunæ vis licentiam « nacta, perniciosa libidine mortales agit: quæ diu quidem virtute, vti muro prohibita, « postquam pæne omnes flagitiis subacti sunt, etiam infirmis genere institutoque pu- « blica permisit.

Namque CAIVS IVLIVS MAXIMINVS, præsidens *Trebellicæ, primus e militari- XXV bus, litterarum fere rudis, potentiam cepit suffragiis legionum. Quod tamen etiam 988 Patres, dum periculosum existimant inermes armato resistere, approbauerũt: filiusque eius pari nomine [Caius Iulius Maximinus] Cæsar factus est.

Quîs biennium summis potitis, haud incommode prœlio gesto contra Germa- XXVI nos, repẽte ANTONINVS GORDIANVS, Africæ Proconsul, ab exercitu Princeps apud 990 *Thydri opidum absens fit. Quò vt acceitus peruenit, tamquam ea re creatus foret, seditione excipitur: qua *lenita facile, Carthaginem petit. Ibi cum auertẽdis prodigiis, quorum metu haud inane angebatur, rem diuinam solitis ageret; repente hostia partum edidit. Id haruspices, atque ipse maxime, (nam huius scientiæ vsu immodice prudens erat) ita accepere, illum quoque destinatum neci, verum liberis pariturum imperium: progressique coniectu longius, *liberi quoque exitum denũtiauere; mitem atque innoxium præfantes fore, vt illud pecus; nec diuturnũ tamen subiectumque insidiis. Interim Romæ comperto Gordiani interitu, hortante Domitio, Vrbi Præfectus, reliquique *indices, vulgo cæduntur per Prætorias cohortes. quippe Gordianus, postquam delatum sibi imperium cognouit; præmia amplum in modũ ostẽtans, Romam legatos ac litteras destinauerat. quibus, necato eo, frustratos se milites angebantur; genus hominum pecuniæ cupidius, fidumque ac bonum solo quæstu. At Senatus, metuens ne nullis rectoribus, specie captæ vrbis, atrociora acciderent, primo *potestatum vices; mox, conscriptis iunioribus, * CLODIVM CVPIENVM, CAECILIVM BALBINVM CAESARES constituit.

Iisdemque per Africam diebus, milites GORDIANVM, *Gordiani filium, qui forte XXVII contubernio patris prætextatus, ac deinceps Præfectus Prætorio inteterat, Augustũ 991 creauere: neque sane factum nobilitas aspernata. Denique accito eo, inter implana vrbis, atque ipso sinu, Prætoriæ manus acie deletæ per gladiatorum familias, tironũque exercitum. Dum hæc Romæ geruntur, Iulij Maximini, quos forte ea tempestate Thracia retinebat, acceptis quæ euenerant, Italiam propere petunt. Eos Pupienus* Aquileiæ obsidione cõfecit, postquam prœlio victos reliqui paullatim deseruerant. Horum imperio ad biennium per huiusmodi moras annus quæsitus. Neque multo post tumultu militarium Clodio Cæcilioque Romæ intra Palatium cæsis, Gordianus solus regnum obtinuit: eoque anno lustri certamine, quod Nero Romã inuexerat, aucto firmatoque, in Persas profectus est; cum prius Iani ædes, quas Marcus clauserat, patentes more veterum fecisset. Ibi gesto insigniter bello, Marci Philippi Præfecti Prætorio insidiis periit, sexennio Imperij.

Igitur MARCVS IVLIVS PHILIPPVS Arabs Trachonites, sumto in consortiũ *Philippo* 28 filio, rebus ad Orientem cõpositis, conditoque apud Arabiam Philippopoli o- 997 pido, Romã venere: exstructoq; trans Tiberim lacu, quod eam partẽ aquæ penuria fatigabat, annum Vrbis millesimũ ludis omnium generũ celebrant. Et quoniã nomẽ admonuit; nostra quoq; ætate post mille, *cẽtesimus, Cõsule Philippo, excessit, nullis, vti solet, sollemnibus frequentatus: adeo indies cura minima Romanæ vrbis. Quod

equidem denuntiatum illo tempore prodigiis portentisque. Ex quîs vnum memorare breui libet. Nam cum Pontificum lege hostiæ mactarentur, suis vtero maris, feminarũ genitalia apparuere. id haruspices * solutionem posterorum portendere, vitiaque fore potiora interpretati. Quod *frustratum iri æstimans Imperator Philippus, tum quia forte præteriens, filij similem *pro merito ephebum conspexerat, vsum virilis scorti remouendum honestissime consulrauit. Verumtamen manet: quippe ,, conditione loci mutata, peioribus flagitiis agitatur; dum *auidius periculosa*, quibusq; ,, mortales prohibentur, petunt. Huc accedit, quod longe aliud Etruscorum artes cecinerant, quæ bonis parte plurima iacentibus, mollissimum quemque beatum fore ,, asserebant. Eos ego ignorasse verum plane puto. Etenim quamuis rerum omnium ,, prospero successu; pudore amisso tamen, fortunatus quis esse potest? cum, eodem retento, cetera tolerabilia sint. His actis, filio Vrbi relicto, ipse, quamquam debili per ætatem corpore, aduersum Decium profectus, Veronæ cadit, pulso amissoque exercitu. Quîs Romæ compertis, apud castra Prætoria filius interficitur. Annos potentiæ quinque egêre.

xxix Et DECIVS, Sirmiensium vico ortus, militiæ gradu ad imperium conspirauerat:
1002 lætiorque hostium nece, filium, *Etruscum* nomine, Cæsarem facit: statimque eo in Illyrios præmisso, Romæ aliquantum moratur, mœnium gratia, quæ instituit, dedicandorum. Et interea ad eum Iotapiani, qui Alexandri tumens stirpe, per Syriam tentans noua, militum arbitrio occubuerat; * ora, vti mos est, inopinato feruntur. simulque per eos dies Lucio Prisco, qui Macedonas Præsidatu regebat, delata dominatio, Gothorum concursu, postquam direptis Thraciæ plerisque, illo peruenerant. Qua caussa Decio, quam potuit maturrime Roma digresso, Iulius Valens cupientissimo vulgo Imperium capit. verum vtrique mox cæsi, cum Priscum nobilitas hostem patriæ censuisset. Decij, Barbaros trans Danubium persectantes, Bruti fraude cecidêre, exacto regni biennio. Sed Deciorum mortem plerique illustrem ferunt: namque filium, audacius congredientem, cecidisse in acie; patrem autem, cum perculsi milites ad solandum Imperatorem multa præfarentur, strenue dixisse; ,, Detrimentum vnius militis, *parum videri sibi. Ita refecto bello, cum impigre decertaret, interiisse pari modo.

xxx Hæc vbi Patres comperêre, GALLO HOSTILIANOQVE Augusta Imperia
1004 VOLVSIANVM, Gallo editum, Cæsarem decernunt. Dein pestilentia oritur: qua atrocius sæuiente, Hostilianus interiit. Gallo Volusianoque fauor quæsitus, quod anxie studioseque renuissimi cuiusque exsequias curarent.

xxxi Igitur his Romæ morantibus, ÆMILIVS ÆMILIANVS summam potesta-
1006 tem corruptis militibus arripuit. Ad quem expugnandum profecti, Interamnæ ab suis cæduntur, spe præmij maioris ab Æmilio; cui nullo labore seu detrimento victoria obueniebat: simul quia immodici per luxum lasciuiamque, officia beniuolentiæ corruperant. His sane omnibus * biennio profecit. Nam Æmilianus quoque tres menses vsus modesto Imperio, morbo absumtus est; cum Proceres primo hostem; dein, exstinctis superioribus, pro fortuna, vti solet, Augustum appellauissent. At milites, qui contracti vndique apud Rhætias ob instans bellum morabantur.

xxxii LICINIO VALERIANO Imperium deferunt. Qui, quamquam genere satis
1006 claro, tamen, vti mos tum etiam erat, militiam sequebatur. Eius filium GALLIENVM Senatus Cæsarem creat: statimque Tiberis, adulta *æstate, diluuij facie inundauit: Prudentes perniciosum Reipublicæ cecinere, adolescentis fluxo ingenio: quia Etruria accitus venerat, vnde amnis prædictus. Quod equidem confestim euenit. Nam cum eius pater *bellum per Mesopotamiam anceps diuturnumque instruit, Persarum Regis, cui nomen Sapor erat, dolo circumuentus, fœde laniatus interiit, Imperij anno sexto, ætate robustiore.

33 Sub idẽ tempus LICINIVS GALLIENVS, cum a Gallia Germanos strennue arce-
1013 ret, in Illyricum properans descendit: ibi *Ingebum, quem curantem *Pannonios, comperta Valeriani clade, imperandi cupido incesserat, Mursiæ deuicit: moxque *Regallianum; qui receptis militibus, quos Mursina labes reliquos fecerat, bellum

bellum duplicauerat. His prospere ac supra vota cedentibus, *more hominum*, secundis solutior, rem Romanam quasi naufragio dedit, cum *Salonino* filio; cui honorē Cæsaris contulerat: adeo vti Thraciam Gothi libere * progressi, Macedonas Achæosque & Asiæ finitima occuparent; Mesopotamiam Parthi: Orienti latrones seu mulier dominaretur:* Alemannorum vi, tunc æque Italiam; Francorum gentes, direpta Gallia, Hispaniam possiderent, vastato ac pene direpto Tarraconensium opido; nactisque in tempore nauigiis,* pars in vsque Africam permearet: & amissa trans Istrum quæ Traianus quæsierat. Ita quasi ventis vndique sæuiētibus, paruis maxima, ima summis orbe toto miscebantur. Simulque Romam pestilentia* grassabatur; quæ sæpe curis grauioribus, atque animi desperatione oritur. Inter hæc ipse popinas ganeasq; obiēs, lenonum ac * vinariorum amicitiis herebat, expositus Saloninæ coniugi atque amori flagitioso filiæ Attali * Germanorum Regis, * Pipæ nomine. Qua caussa etiam ciuiles motus longe atrociores orti. Namque primus omnium *Postumus*, qui forte barbaris per Galliam præsidebat, Imperium ereptum ierat: explosaque Germanorū multitudine, *Lolliani* bello excipitur: quo nō minus feliciter fuso, suorum tumultu periit; quod flagitantibus Moguntiacorum direptiones, quia Lollianum iuuerant, abnuisset. Igitur eo occiso, *Marius*, ferri quondam opifex, neq; etiam tum militiæ satis clarus, regnum capit. Proinde cuncta ad extremum reciderāt; vti talibus imperia ac virtutum omnium decus ludibrio essent. Hinc denique iocularitér dictum, nequaquam mirum videri, si rem Romanam Marius reficere contenderet, quam Marius eiusdē artis auctor, stirpisq; ac nominis, solidauisset. Hoc iugulato post * biduum, *Victorinus* deligitur, belli scientia Postumo par; verum libidine præcipiti; qua cohibita in exordio, post biennij imperium, constupratis vi plerisque, vbi * Attitiani coniugem cōcupiuit, facinusque ab ea viro patefactum est; accensis furtim militibus, per seditionem Agrippinæ occiditur. Tantum Actuariorum, quorum loco Attitianus habebatur, in exercitu factiones vigent, vt arduum petētibus malitia patraretur: genus hominum, præsertim hac tempestate, nequam, venale, callidum, seditiosum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandasque quasi ab natura factum: annonæ dominās, eoque vtilia curantibus, & fortunis aratorum infestum: prudens in tempore his largiendi, quorum vecordia damnoque opes contraxerit. Interim Victoria, amisso Victorino filio, legionibus grandi pecunia comprobantibus, Tetricum Imperatorē facit; qui familia nobili, præsidatu Aquitanos tuebatur: filioq; eius Tetrico Cæsarea insignia impartiuntur. At Romæ Gallienus pacata omnia, ignaris publici mali, improbe * suadebat; crebro etiam, vti rebus ex voluntate gestis solet, ludos ac festa triumphorum, quo promtius simulata confirmarentur, exercens. Sed postquam periculum propinquabat, tandem Vrbe egreditur. Namque *Aureolus*, cum per Rhætias legionibus præesset, excitus, vti mos est, socordia tam ignaui ducis, sumto Imperio Romam contendebat. Eum Gallienus apud pontem cui ex eo Aureoli nomē est, fusum acie Mediolanum coegit. Quam vrbem cúm machinationibus omnis generis oppugnat, ab suis interiit. quippe Aureolus, vbi soluendi obsidij spem inanem videt, ducum Gallieni tribunorumque nomina, quasi destinata ab eo ad necem, astu composuit, litterasque e muro, quam occultissime potuit, abiecit. quæ forte a memoratis repertæ, metum suspicionemque iniecēre mādati exitij; verum eas effluxisse incuria ministrorum. * Qua caussa, Aureliani consilio, cuius gratia in exercitu atque honos præstabant, simulata proruptione hostium, nullis, vti re trepida ac repentina solet, tectum stipatoribus, tabernaculo educunt nocte * intempesta: teloque traiicitur, cuiusnam, per tenebras incertum. Ita * auctoris necisne errore, an quia bono publico acciderat, inulta cædes fuit. Quamquam eò prolapsi mores sunt, vti *suo, quam* Reipublicæ; magisque potentiæ, quam gloriæ studio plures agant. Hinc quoque rerum vis ac nominum corrupta; * dum plerumq; potior flagitio, vbi armis superauerit, tyrānidem amotam vocauerit damno publico oppressos. Quinetiam * aliquanti pari libidine in cælestium numerum referuntur, ægre exsequiis digni. quîs ni *fides rerum gestarum* obstitisset, quæ neque honestos præmiis memoriæ frustrari sinit, neque improbis æternam illustremq; famam procedere; * nequicquam poteretur virtus: cum verum illud atque vnicum decus pessimo cuique gratia tribueretur, demtum impie

ANNO V.C. bonis. Denique Gallienum subacti a Claudio Patres, quod eius arbitrio Imperium cepisset, Diuum dixere. Nam cum profluuio sanguinis, vulnere tam graui, mortem sibi adesse intelligeret, insignia Imperij ad Claudium destinauerat, honore Tribunatus Ticini retinentem præsidiariam manum. Quod sane extortum: cum neque Gallieni flagitia, dum *vrbes erunt, occultari queant: & *quisque pessimus erit, par simi- » lisque semper ipsi habebitur. Adeo Principes atque Optimi mortalium, vitæ decore, » quam quæsitis nominibus atque compositis, quantum* coniiciatur, cælum adeunt; » seu fama hominum Dei celebrantur modo. At Senatus comperto tali exitio, satellites propinquosque per scalas Gemonias præceps agẽdos decreuit: patronoque fisci in Curiam *perduci effossos oculos pependisse satis constat: cum inruens vulgus, pari clamore, Terram matrem, Deosque inferos precaretur, sedes impias vti Gallieno darent. Ac nisi Claudius cõfestim recepta Mediolani vrbe, tamquam postulato exercitus parcendum, qui forte eorum supererant, præcepisset; nobilitas plebesque atrocius grassarentur. Et Patres quidem, præter commune Romani malum orbis stimulabat proprij ordinis contumelia: quia primus ipse, metu socordiæ suæ, ne Imperium ad optimos nobilium transferretur, Senatum militia vetuit; etiam adire exercitum. Huic nouem annorum potentia fuit.

XXXIV 1021 Sed CLAVDII imperium milites, *quos fere* contra ingenium perditæ res *subigũt recta consulere; vbi afflicta omnia perspexere, auide approbant, extolluntque, viri laborum patientis, æquique ac prorsus dediti Reipubl. quippe vt longo interuallo Deciorum morem renouauerit. Nam cum pellere Gothos cuperet, quos diuturnitas nimis validos, ac prope incolas effecerat, proditum ex libris Sibyllinis est, primum ordinis amplissimi victoriæ vouendum. cumque is qui esse videbatur, semet obtulisset; sibi potius id muneris competere ostendit, qui reuera Senatus atque omnium *Princeps* erat. Ita nullo exercitus detrimento fusi barbari summotique, postquam Impe- » rator vitam Reipubl. dono dedit. Adeo *bonis salus* ciuium ac lõga sui memoria cariora sunt: quæ non gloriæ modo, verum etiam ratione quadam posterorum felicitati proficiunt. Hoc si quidem Constantius & Constantinus, atque Imperatores nostri » * * * corporisque acceptior militibus, præmiorum spe, seu lasciuiæ. Quo ægra aspe- » riorque victoria fuit, dum, vti mos subditis erat, studio, impune peccandi, remissa *Im-* » *peria* promtius quam vtilia defendunt.

XXXV 1023 Ceterum AVRELIANVS, successu tanto vehementior, confestim, quasi belli reliquiæ superessent, in Persas progressus est. Quis deletis, Italiam repetiuit; cuius vrbes Alamannorum vexationibus affligebãtur. Simul Germanis Gallia demotis; Tetrici, de quo supra commemorauimus, cæsæ legiones, *proditore ipso duce. Nam Tetricus, cum Faustini Præsidis dolo corruptis militibus plerumque peteretur, Aureliani per litteras præsidium implorauerat, eique aduentanti, producta ad speciem acie, inter pugnam se dedit. Ita, vti rectore nullo solet, turbati ordines oppressi sunt: ipse *post Celsum biennij Imperij in triumphum ductus, Lucaniæ Correcturam, filioque veniam atque honorem* Senatorum cooptauit. Neque secus intra Vrbem monetæ opifices deleti: qui, cum auctore Felicissimo rationali, nummariam notam corrosissent, pœnæ metu bellum fecerant; vsque eò graue, vti per Cœlium montẽ congressi, septem fere milia bellatorum confecerint. His tot tantisque prospere gestis, fanum Romæ Soli magnificum constituit, donariis ornans opulentis: ac ne vnquã, per Gallienum euenerant, acciderent; muris Vrbem quam validissimis laxiore ambitu circumsepsit: simulque vsus porcinæ carnis, quo plebi Romanæ affatim cederet; prudenter munificeque prospectauit; deletæque fiscales & quadruplatorũ, quæ Vrbem miserabiliter affecerant, calumniæ; consumtis igni tabulis, monumentisque huiuscemodi negotiorum; atque ad Græciæ morem decreta *abolitione; inter quæ auaritiæ peculatum, prouinciarum prædatores, contra morem militarium, quorum e numero erat, immane quantum *spectabatur. Qua caussa, *ministri scelere, cui secretorum officium crediderat, circumuentus, apud Cænofrurium interiit: cum ille, prædæ cõscientia delictique, scripta callide composita Tribunis, quasi per gratiam, prodidisset, quibus interfici iubebantur: illique eo metu accensi, facinus patrauere. Interea milites, * omisso Principe, Legatos statim Romam destinant, vti suopte arbitratu Patres

Impe-

Imperatorem *deligerent. Quibus hoc ipsorum potissimum * conuenire munus re- ANNO
spondentibus; rursum *legiones ad eos reiiciunt. Ita vtrimq; pudore ac modestia *de- V.C.
certabatur, rara in hominibus virtute, rebus præsertim huiusmodi, ac prope ignota
militibus. Tantum ille vir seueritate atque incorruptis artibus potuit, vt eius* necis
auctoribus exitio; prauis metui; simulata dubiis; optimo cuique desiderio; nemini in-
solentiæ aut ostentationi esset; atque etiam soli, quasi Romulo, Interregni species ob-
uenit, longe vero gloriosior. Quod factum præcipue edocuit, *cuncta in orbis modo* ver-
ti; nihilque accidere, quod rursum Naturæ vis ferre nequeat æui spatio: Adhuc, *vir-
tutibus Principum* res attolli facile, vel afflictas; easque firmiores præceps vitiis dari.
IGITVR tandem Senatus, mense circiter post Aureliani interitum sexto, TACI- XXXVI
TVM e consularibus mitem sane virum, Imperatorem creat: cunctis fere lætioribus, 1028
quod militari ferocia legendi ius Principis Proceres recepissent. Quæ tamen lætitia
breuis, neque exitu tolerabili fuit. Namque Tacito confestim a ducentesima regni
luce, Tyanæ mortuo; cum tamen prius auctores Aureliani necis, maximeque Muca-
perem ducem, quod ipsius ictu occiderat, excruciauisset; FLORIANVS, eiusdem fra-
ter, nullo Senatus seu militum consulto Imperium inuaserat.

QVI vno mense aut altero vix retentata dominatione, apud Tarsum ab suis inter- 37
ficitur. Post quem PROBVM in Illyrico factum accepere, ingenti belli scientia exer- 1029
citandisque varie militibus, ac duranda iuuentute prope Hannibalem alterum. Nã-
que vt ille oleis Africæ pleraque per legiones, quarum otium Reipubl. atque *docto-
ribus suspectum rebatur: eodem modo hic Galliam Pannoniasque, & Mœsorũ col-
les, vinetis repleuit: postea sane quam barbarorũ attritæ gentes sunt, quæ nostris prin
cipibus suorum scelere interfectis, inrumperant: simul cæsis, Saturnino per Orientem;
Agrippinæ Bonoso *exercitu: nam vtrique dominatum tentauerant, sumta, cui duces
præerant, manu: Qua caussa receptis omnibus pacatisque, dixisse proditur, Breui mi
lites frustra fore. Hinc denique magis irritati, paulo cis sextum annum apud Sirmiũ
trucidauere, cum ad siccandam lacunis ac fossa vrbem ipsi patriam adigerentur, quæ
palustri solo hiemalibus aquis corrumpitur. Abhinc militaris potentia conualuit,
ac senatui Imperium, creandique ius Principis, ereptum ad nostram memoriam; in-
certum an ipso cupiente per desidiam, an metu seu dissensionum odio. Quippe* a-
misso Gallieni edicto, refici militia potuit, concedentibus modeste legionibus, Taci-
to regnante; neque Florianus temere inuasisset: aut iudicio, manipularium cuiquam,
bono licet, imperium daretur; amplissimo ac tanto ordine in castris degente. Verum
dum oblectantur otio, simulque diuitiis pauent, quarum vsum affluentiamque æter-
nitate maius putant, muniuere militaribus ac pæne barbaris viam in se ac posteros do
minandi.

Igitur CARVS, Præfectura pollens Prætorij, augusto habitu, *liberis Cæsaribus, Ca 38
rino Numerianoque. Et quoniam cognita Probi morte, barbarorum quiq; *oppor- 1034
tuna inuaserant, misso ad munimentum Galliæ maiore filio, * Numeriani comitatu
in Mesopotamiam pergit *protinus; quod ea Persarum quasi sollemni bello subest.
Vbi fusis hostibus, dum gloriæ inconsulte auidior, Ctesiphonta vrbem *Parthiæ in-
clytã trãsgreditur, fulminis tactu conflagrauit. Id quidem iure ei accidisse referunt.
nam quum oracula docuissent, adusque opidum memoratum perueniri victoria li-
cere; longius delatus, pœnas luit. Proinde *arduum fatalia* deuertere; eoque futuri no-
tio superflua. At *Numerianus*, amisso patre simul confectum æstimans bellum, cùm
exercitũ reductaret; Apri Præfecti Prætorio soceri insidiis exstinguitur: quis casum
detulit adolescẽtis oculorum dolor. denique diu facinus occultatum, dum clausum
lectica cadauer, specie ægri, ne vento obtunderetur acies, gestabatur. Sed postquã
odore tabescentium membrorum scelus proditum est, Ducum consilio Tribunorũ-
que, VALERIVS DIOCLETIANVS, *domesticos regens, ob sapientiam deligi-
tur; magnus vir; his moribus tamen: quippe qui primus ex auro veste quæsita, serici 39
ac purpuræ gemmarumque vim plantis concupiuerit. Quæ quamquam plus 1038
quam ciuilia, tumidique & affluentis animi: leuia tamen præ ceteris. Namque
se primus omnium post Caligulam Domitianumque, Dominum palam dici
passus, & adorari se, appellarique vti Deum. Quis rebus, quantum ingenium

est, compertum habeo, *humillimos quosque*, maxime vbi alta accesserunt; superbia atq; ambitione immodicos esse. Hinc Marius patrum memoria; hinc iste nostra, cōmunem habitum supergressi; dum animus potētiæ expers, tamquam inedia refecti, insatiabilis est. Quo mihi mirum videtur, Nobilitati plerosque superbiam dare: quæ gentis Patriciæ memor; molestiarum, quîs agitatur, remedio, eminere paululum pluris habet. Verum hæc in Valerio obducta ceteris bonis; eoque ipso quod Dominum dici passus, parentem egit: satisque constat, prudentem virum edocere voluisse, atrocitatem rerum magis, quam nominū *officere. Interim CARINVS, eorum quæ acciderant, certior; spe facilius *erumpentis metus sedatum iri; Illyricum propere Italiæ circuitu petit. Ibi Iulianum, pulsa eius acie, obtrūcat. Namque is cum Venetos Correctura *ageret, Cari morte cognita, Imperium auens eripere, aduentanti hosti obuiā processit. At Carinus, vbi Mœsam contigit, ilico *Murgum iuxta Diocletiano congressus, dum victos auide premeret, suorum ictu interiit; quod libidine impatiēs, militarium *nuptas affectabat: *quarum infestiores viri; iram tamē doloremque in euētum belli distulerant. Quo prosperius cedente, metu ne huiusmodi ingenium magis magisque victoria insolesceret; sese vlti sunt. Is finis Caro, liberisque: Narbone patria, * Imperium biennij fuere. Igitur Valerius prima ad exercitum concione, cum educto gladio, solem intuens, obtestaretur, ignarum cladis Numeriani, neque Imperij cupientem se fuisse; Aprum proxime astantem ictu transegit: cuius dolo, vti supra docuimus, adolescens bonus facundusque & gener occiderat: ceteris venia data; retentique hostium fere omnes; ac maxime vir insignis Aristobulus Præfectus Prætorio per officia sua. Quæ res post memoriam humanam noua atque inopinabilis fuit; ciuili bello, fortunis, fama, dignitate, spoliatum neminem: cum *pie admodum* mansueteque geri lætemur, exsilio, proscriptioni, atque etiam suppliciis & cædibus modum fieri. Quid ea memorē, adsciuisse consortio multos externosque, tuendi prolatādiue gratia Iuris Romani? Namque vbi comperit Carini discessū, *Helianum Amandumque per Galliam excita manu agrestium ac latronum, quos *Bagaudas incolæ vocāt, populatis late agris plerasque vrbium tētare; MAXIMIANVM statim, fidum amicitia, quamquam semiagrestem, militiæ tamen, atque ingenio bonum; Imperatorem *iubet. Huic postea cultu numinis, *Herculei cognomētum accessit: vti Valerio *Iouium. vnde etiam militaribus auxiliis longe in exercitu præstantibus nomen impositū. Sed Herculius in Galliam profectus, fusis hostibus aut acceptis, quieta omnia breui patrauerat. Quo bello *Carausius, Menapiæ ciuis, factis promtioribus enituit: eoq; eū, simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat, gnarus habebatur; parandæ classi ac propulsandis Germanis maria infestantibus, præfecēre. Hoc elatior, cum *parum multos opprimeret, neque *prædæ omnia in ærarium referret; Herculij metu, a quo se cædi iussam compererat: Britanniam hausto Imperio capessiuit. Eodem tempore Orientem Persæ; Africam Iulianus, ac nationes *Quinquegentanæ grauiter quatiebant. Adhuc, apud Ægypti Alexandriam Achilleus nomine, dominationis insignia induerat. His de caussis *Iulium Constantium, Galerium Maximianum*, cui cognomen *Armentario* erat, creatos Cæsares, in affinitatē vocāt. Prior, Herculij priuignam; alter, Diocletiano editam sortiuntur, diremtis prioribus coniugiis: vt in *Nerone Tiberio, ac Iulia filia Augustus quōdam fecerat. His sane omnibus Illyricum patria fuit: qui quāquam humanitatis parum; Iuris tamen ac militiæ miseriis imbuti, satis optimi Reipubl. fuere. Quare constat *sanctos prudentesque* sensu mali promtius fieri: contraque expertes ærumnarum, dum opibus suis cunctos æstimant; minus consulere. Sed horum concordia maxime edocuit, *virtuti ingenium*, vsumque bonæ militiæ, quanta his Aureliani Probique *institutio fuit, pene sat esse. Denique Valerium, vt parentem, seu Dei Magni suspiciebant modo: quod quale quantumque sit, ab Vrbis conditore ad nostram ætatem propinquorum facinoribus patefactum est. Et quoniam bellorum moles, de qua supra memorauimus, acrius vrgebat; quasi partito imperio, cuncta quæ trans Alpes Galliæ sunt, Constantio commissa; Africa Italiaque, Herculio: Illyricique ora ad vsque Ponti fretum, Galerio: cetera Valerius retentauit. Hinc denique parti Italiæ inuectum tributorum ingens malum. Nam cum omnis eadem functione, *moderataque ageret, quò exercitus atque

Impera-

Imperator,qui semper aut maxima parte aderāt,ali possent;pensionibus inducta lex ANNO V.C. noua.Quæ sane illorum temporum modestia tolerabilis, in perniciem processit*his tempestatibus. Interim Iouio Alexandriam profecto, prouincia credita Maximiano Cæsari;vti relictis finibus,in Mesopotamiam progrederetur, ad arcendos Persarum impetus. A quîs primo grauiter vexatus,contracto confestim exercitu e veteranis ac tironibus,per Armeniam in hostes contendit: quæ ferme sola seu facilior vincendi via est. Denique ibidem Narseum Regem in dicionem subegit: simul liberos coniugesque,& aulam regiam:adeo victor,vt ni Valerius,cuius nutu omnia gerebātur;incertum qua caussa,abnuisset; Romani fasces in prouinciam nouam ferrentur. Verum pars terrarum tamen nobis vtilior quæsita: quæ cum acrius reposcūtur,bellum recens susceptum est,graue admodum perniciosumque. At in Ægypto Achilleus facili negotio pulsus,pœnas luit.Per Africam gestæ res pari modo; solique Carausio remissum Insulæ imperium, *postquam iussis ac munimento Incolarum cōtra gentes bellicosas opportunior habitus. Quem sane sexennio post *Allectus* nomine,dolo circumuenit: qui,cum eius permissu summæ rei præesset,flagitiorum,& ob ea*mortis formidine,per scelus imperium extorserat; quo vsum breui, Constantius, Asclepiodoto,qui Prætorianis Præfectus præerat;cum parte classis ac legionū præmisso,deleuit. Et interea cæsi Marcomanni,Carporumque natio translata omnis in nostrum solum; cuius fere pars iam tum ab Aureliano erat.Neque minore studio pacis officia vincta legibus æquissimis: ac remoto pestilenti *frumentariorum genere; (quorum nunc Agentes rerum,simillimi sunt. qui, cum ad explorandum annuntiādumque,ecqui forte in Prouinciis motus exsisterent,instituti viderentur; compositis nefarie criminationibus,iniecto passim metu,præcipue remotissimo cuique,cuncta fœde diripiebant)simul annona. Vrbis ac stipendiariorum salus , anxie sollicitéq; habita: honestiorumque prouectu;& e contra,suppliciis flagitiosi cuiusque,virtutum studia augebantur: veterrimæ religiones castissime curatæ:ac mirum in mōdum nōuis adhuc cultisque mœnibus , Romana culmina & ceteræ vrbes ornatæ; maxime Carthago,Mediolanum,Nicomedia. Neque tamen cum hæc agerent , extra vitia fuerunt.quippe Herculius libidine tāta agebatur, vt ne ab obsidum corporibus quidem animi labem comprimeret.Valerio parum honesta in amicos fides erat,discordiarum sane metu;dum enuntiationibus posse agitari quietem consortij putat. Hinc etiam quasi truncatæ vires Vrbis,imminuto Prætoriarum cohortium atq; *in armis vulgi numero.Quo quidem plures volunt imperium posuisse. Namque imminentium scrutator, vbi fato intestinas clades,& quasi fragorem quendam impendêre cōperit status Romani; celebrato regni vicesimo anno , valentior curam R. P. abiecit; cum in sententiam Herculium ægerrime traduxisset; cui anno minus potentia fuerat.& quamquam aliis alia æstimantibus,veri gratia corrupta sit;nobis tamē* excellenti natura videtur ad communem vitam spreto ambitu descendisse.

Igitur CONSTANTIO ARMENTARIOQVE his succedentibus *Seuerus Maximinusque*, XL Illyricorum indigenæ Cæsares;prior,Italiam; posterior,*in quæ Iouius obtinuerat, 1056 destinantur.Quod tolerare nequiens *Constātinus*, cuius iam tum a puero ingens potensque animus ardore imperitandi agitabatur; fugæ commento , cum ad frustrandos insequentes , publica iumenta,quaqua iter egerat,interficeret;in Britanniā peruenit.nam is a Galerio,religionis specie,*ad vicem obsidis tenebatur. & forte iisdē diebus ibidem Constantium patrem vitæ vltima*agebant.Quo mortuo,cunctis qui aderant,annitentibus,imperium capit. Interim Romæ vulgus, turmæq; Prætoriæ, *Maxentium*,*retractante diu patre Herculio,Imperatorem cōfirmant.Quod vbi Armentarius accepit; Seuerum Cæsarem,qui casu ad vrbem erat;arma in hostem ferre propere iubet.Is circum muros cum ageret,desertus a suis, quos præmiorum illecebris Maxentius traduxerat,fugiens obsessusq; Rauennæ obiit. Hoc acrior Galerius, adscito in consilium Iouio,*Licinium* vetere cognitum amicitia Cæsarem, creat Augustum:eoque ad munimentum Illyrici ac Thraciæ relicto,Romam contendit. Ibi cúm obsidione distineretur; militibus eâdem qua superiores via attentatis; metu ne desereretur, Italia decessit:pauloque post vulnere pestilenti consumtus est; cum agrum satis Reipubl. commodantem,cæsis immanibus siluis , atque emisso in Danu-

ANNO bium lacu Pelsone,apud Pannonios fecisset. cuius gratia prouinciam vxoris nomi-
V.C. ne *Valeriam* appellauit. Huic quinquennij imperium; Constātio annuum fuit: cum
sane vterque potentiam Cæsarum annos tredecim gessissent:adeo miri naturæ offi-
ciis,vt ea,si a doctis pectoribus proficiscerentur,neque insulsitate offenderent; haud
» dubie præcipua haberentur.Quare compertum est, *eruditionem,elegantiam*, comita-
» tem præsertim,Principibus necessarias esse:cum sine his naturæ bona,quasi incomta,
» aut etiam horrida,despectui sint; contraque ea Persarum regi *Cyro æternam gloriā
parauerint. At memoria mea *Constantinum, quamquam ceteris promtum virtu-
tibus,ad vsque astra votis omnium subuexere. Qui profecto si munificentiæ at-
que ambitioni modum, hisque artibus statuisset, quis præcipue adulta ingenia,glo-
riæ studio progressa longius,in contrarium labuntur; haud multum abesset Deo. Is
vbi vastari vrbem atque Italiam comperit, pulsosque seu redemtos exercitus, & Im-
peratores duos,composita pace per Gallias; Maxentium petit. Ea tempestate apud
Pœnos *Alexander* pro Præfecto gerens,dominatui stolide incubuerat: cum ipse de-
bili ætate,agrestibus ac Pannonicis parentibus vecordior; milites, tumultuarieque
quæsiti;armorum vix medium haberetur. denique eum a tyranno missi paucissimis
cohortibus *Rufus Volusianus Præfectus Prætorio,ac militares duces, leui certami-
ne confecēre. Quo victo, Maxentius Carthaginem terrarum decus, simul Africæ
pulchriora vastari,diripi,incendique iusserat,ferus,inhumanusque, ac libidine mul-
to tetrior:adhuc,pauidus & imbellis, atque in desidiam fœde pronus: vsque eo,
flagrante per Italiam bello,fusisque apud Veronam suis; nihilo *segnius solita cura-
ret;neque patris exitio moueretur. namque Herculius, natura impotentior, simul
filij segnitiæ metuens,inconsulte imperium repetiuerat: cumque specie officij dolis
compositis Constantinum generum tentaret acerbe, iure *tandem interierat. Sed
Maxentius,atrocior in dies,tandem vrbe in Saxa rubra milia ferme nouem ægerri-
me progressus,dum cæsa acie fugiens semet Romam reciperet,insidiis, quas hosti a-
pud pontem Miluium locauerat,in transgressu *Tiberi interceptus est,tyrannidis an-
no sexto. Huius nece incredibile quantum lætitia gaudioque Senatus ac plebes ex-
sultauerint:quos in tantum afflixerat,vti Prætorianis cædem vulgi quondam an-
nuerit: primusque instituto pessimo *numinum specie Patres aratoresque pecuniam
cōferre prodigenti sibi cogeret: quorum odio Prætoriæ legiones, ac subsidia factio-
nibus aptiora quam vrbi Romæ; sublata penitus; simul arma atque vsus indumenti
militaris: adhuc cuncta opera,quæ magnifice construxerat, Vrbis fanum, atque Ba-
silicam,Flauij meritis Patres sacrauere. a quo etiam post Circus maximus excultus
mirifice: atque ad lauandum institutum opus ceteris haud multo dispar:statuæ locis
quam celeberrimis;quarum plures ex auro, aut argenteæ sunt: tum per Africam sa-
cerdotium decretum Flauiæ genti; Cirtæque opido,quod obsidione Alexandri ce-
ciderat,reposito exornatoque,nomen **Constantina* inditum. Adeo *acceptius præstan-
» tiusque* tyrannorum depulsoribus nihil est: quorum gratia eo demum auctior erit, si
» modesti ipsi atque abstinentes sint. Quippe *humanæ mentes*,frustratæ boni spe, aspe-
» rius offenduntur, cum mutato rectore flagitioso, ærumnarum vis manet. Dum
» hæc in Italia geruntur,Maximinus ad Orientem, post biennij augustum imperium
XLI fusus fugatusque a LICINIO,apud Tarsum perit. Ita potestas orbis Romani duobus
1062 quæsita:qui quamuis per Flauij sororem,nuptam Licinio,connexi inter se erant; ob
diuersos mores tamen,anxie triennium congruere quiuere.Namque illi *præter ad-
modum magna cetera:huic parsimonia,& ea quidem agrestis, tantummodo inerat.
Denique Constantinus cunctos hostes,honore ac fortunis manentibus, texit rece-
pitque: eo pius,vt etiam vetus *veterrimumque supplicium patibulorum & cruribus
suffringendis,primus remouerit. Hinc pro conditore seu Deo habitus: Licinio ne
insontium quidem ac nobilium Philosophorum seruili more cruciatus adhibiti,mo-
dum fecere. Quo sane variis prœliis pulso, cum eum prorsus opprimere arduum vi-
deretur; simul affinitatis gratia, *recepti consortio,adscitique Imperio Cæsarum cō-
munes liberi, *Crispus, Constantinus*que,Flauio geniti: *Licinianus*, Licinio. Quod equi-
dem vix diuturnum;neque his qui assumebantur felix fore,defectu solis fœdato iisdē
mensibus die,patefactum.Itaque sexennio post rupta pace, apud Thracas Licinius
pulsus,

pulsus, Chalcedona concessit. ibi ad auxilium sui Martiniano in Imperium cooptato, ANNO
vna oppressus est. Eo modo Respubl. vnius arbitrio geri cœpit, liberis Cæsarum no- V.C.
mina diuersa retentantibus: namque ea tempestate Imperatori nostro Constantio
insigne Cæsaris datum. Quorum cum natu grandior, incertum qua caussa, patris iu-
dicio occidisset; repente **Calocerus*, magister pecoris camelorum, Cyprum insulam
specie regni demens capessiuerat: quo excruciato, vt fas erat, seruili aut latronũ mo-
re, condenda vrbe * formidandisque religionibus ingentem animum auocauit: si-
mul nouandæ militiæ ordine. Et interea Gothorum Sarmatarumque stratæ gentes
filiusque cunctorum minor, CONSTANS nomine, Cæsar fit. cuius gratia Reipubl.
permistionem fore, ostentorum mira prodidere: quippe ea nocte quæ commissi im-
perij diem sequebatur; igni continuo cæli facies conflagrauit. Abhinc consumto
fere biennio, fratris filium, cui ex patre DALMATIO nomen fuit, Cæsarem iussit, assi-
stentibus valide militaribus. Ita anno imperij tricesimo secundoque, cum totum
orbem tredecim tenuisset: sexaginta natus, atque amplius duo; in Persas tendens, a
quîs bellum irrumpere *acceperat; rure proximo Nicomediæ, *Achyronam vocãt,
excessit: cum [ad] id tetrum sidus regnis, quod crinitum vocant, portendisset. funus
relatũ in vrbem sui nominis. quod sane P.R. ægerrime tulit: quippe cuius armis, le-
gibus, clemẽti imperio, quasi nouatam vrbem Romanam arbitraretur. Pons per Da-
nubium ductus: castra castellaque pluribus locis commode posita. Remotæ olei fru-
mentique aduentitiæ præbitiones; quibus Tripolis ac Nicæa acerbius angebantur;
quæ res superiores Seueri Imperio, gratantes ciui, obtulerant; verteratque gratiam
*muneribus in perniciem posterorum dissimulatio: alteros Marcus * Boionius affli-
xerat mulcta, quod *Hipparchum præstãti ingenio indigenam fuisse ignorauissent.
fiscales molestiæ seuerius pressæ: cunctaque diuino ritui paria viderentur; ni *parum
dignis ad publica aditum concessisset. Quæ quamquam sæpius accidêre; tamen *in*
summo ingenio atque optimis Reipubl. moribus, quamuis parua vitia, elucent magis;
eoque notantur facile: quin etiam acrius sæpe officiũt; cum ob auctoris decus in vir-
tutes potissimum accipiuntur, atque ad imitandum inuitamento sunt. Igitur confe-
stim Dalmatius, incertum quo suasore, interficitur: statimque triennio post minimũ
maximũque, fatali bello CONSTANTINVS cadit. Qua CONSTANS victoria tu-
midior; simul per ætatem cautus parum, atque animi vehemens: adhuc ministrorũ
prauitate exsecrabilis, atque præceps in auaritiam, despectumque militarium; anno
post triumphum decimo, Magnentij scelere circumuentus est: externarum sane gen
tium cõpressis moribus: quarum obsides, pretio quæsitos pueros venustiores, quod
cultius habuerat; libidine huiusmodi arsisse pro certo habetur. Quæ tamen vitia vti-
nam mansissent. namque Magnentij, vtpote gentis barbaræ, diro atroque ingenio; si-
mul his quæ post accidêre, adeo exstincta omnia sunt; vt illud imperium haud iniuria
desideraretur; tum quia **Vetranio*, litterarum prorsus expers, & ingenio stolidior, id-
circoque agresti vecordia pessimus, cum per Illyrios peditum magisterio milites cu-
raret; dominationem, ortus Mœsiæ superioris locis squalidioribus, improbe occupa-
uerat.

Eum CONSTANTIVS cis mensem decimum, facundiæ vi deiectum imperio, XLII
in priuatum otium remouit. quæ gloria post natum imperium, soli processit eloquio 1089
clementiaque. Nam cum magna parte vtrimque exercitus conuenissent, habita ad
speciem iudicij concione; quod fere vix aut multo sanguine obtinendum erat, elo-
quentia patrauit. Quæ res satis edocuit, *non modo domi*, verum militiæ quoque dicen-
di copiam *præstare: qua demum vel ardua procliuius eo conficiuntur, si modestia
atque integritate superet. quod maxime cognitum e nostro Principe. quem tamen,
quominus statim in hostes alios ad Italiam contenderet, hiems aspera, clausæque Al
pes tardauêre. Interim Romæ corrupto vulgo; simul Magnentij odio, **Potentianus*,
materna stirpe Flauio propinquus, cæso Vrbi Præfecto, armataque gladiatorum ma-
nu, Imperator fit. cuius stolidum ingenium adeo plebi Romanæ Patribusque exitio
fuit, vti passim domus, fora, viæ, templaque cruore ac cadaueribus oppleterentur, bu-
storum modo: neque per eum tantum, verum etiam aduolantibus * Magnentianis:
qui tricesimo die, triduo minus, hostem perculerãt. Sed iam antea, cum externi mo-

ANNO V.C.

tus ſuſpectarentur; Magnentius fratri *Decentio* Gallias, Conſtantius *Gallo*, cuius nomen ſuo mutauerat, Orientem, Cæſaribus commiſerant. Ipſi inter ſe acrioribus prœliis per triennium congreſſi: ad extremum Conſtantius, fugientem in Galliam perſequutus varie, ambos ſupplicio ſemet adegit interficere. Et interea Iudæorum ſeditio, qui Patricium nefarie in regni ſpecie ſuſtulerant, oppreſſa. Neque multo poſt, ob ſæuitiam atque animum trucem, Gallus Auguſti iuſſu interiit. Ita longo interuallo, annum fere poſt ſeptuageſimum, relata ad vnum cura Reipubl. quæ recens quieta a ciuili trepidatione, Siluano in imperium coacto, tentari rurſus occœperat. Is namque *Siluanus*, in Gallia ortus barbaris parentibus, ordine militiæ; ſimul a Magnentio ad Conſtantium tranſgreſſu, pedeſtre *ad magiſterium adoleſcentior meruerat. E quo dum altius per metum ſeu dementiam conſcendiſſet; legionum, a quîs præſidium ſperauerat, tumultu; octauum circa ac viceſimum diem trucidatus eſt. Qua cauſſa, ne quid apud Gallos natura præcipites nouaretur, præſertim Germanis pleraq; earum partium populantibus;

IVLIANVM Cæſarem, cognatione acceptum ſibi, Tranſalpinis præfecit: iſque
XLIII nationes feras breui ſubegit, captis famoſis regibus. Quæ quamquam in eius fortu-
IIIO na, Principis tamen * & conſilio accidêre. quod adeo præſtat, vt Tiberius Galeriuſque, ſubiecti aliis, egregia pleraque: ſuo autem ductu atque auſpicio minus paria, experti ſint. At Iulius Conſtantius, annos tres atque viginti Auguſtum imperium regens, cúm *externis motibus, modo ciuilibus exercetur, ægre ab armis abeſt: quîs tyrannide tantorum depulſa, ſuſtentoque interim Perſarum impetu, genti Sarmatarum, magno *decore, confidens apud eos, regem dedit: quod Cnæum Pompeium in Tigrane reſtituiſſe, vixque paucos maiorum feciſſe cōperimus. Placidus clemenſque pro negotio: litterarum ad elegantiam prudens; atque orandi genere leni iucundoque: laboris patiens, ac deſtinandi ſagittas mire promtus: cibi omnis, libidinis, atq; omnium cupidinum victor; cultu genitoris ſatis pius, ſuique nimis cuſtos: gnarus, *vita bonorum Principum*, Reipubl. quietem regi. Hæc tanta, tamque inclyta tenue ſtudium probandis prouinciarum ac militiæ rectoribus; ſimul miniſtrorum parte maxima abſurdi mores; adhuc neglectus boni cuiuſque, fœdauere. atque vti verum abſoluam breui, vt Imperatore ipſo clarius; ita Apparitorum pleriſque magis atrox nihil.

AM-



AMPLISSIMO VIRO AVGERIO BVSBEQVIO EXLEGATO BYZANTINO, ET SVPREMO CVRIÆ ISAbellæ reginæ Præfecto,

ANDREAS SCHOTTVS LIB. MER. D. D.

VETVS ea doctissimorum hominum querela est ampliss. Busbequi, Historicorum veterum, & quidem maiorum gentium, cladem calamitatemque non aliunde inuectam, quam ab Epitomarum scriptoribus: qui dum se compendio & temporis & rei familiaris, studere lectori credulo pollicentur, næ illi maius se dispendium facere non vident. Hinc enim factum, vt de Græcis Polybij, prudentissimi, me hercle, scriptoris, Diodori, atque Dionis; de Latinis vero T. Liuij multo maxima pars interciderit: idque Xiphilinis & Floris, aliisque ἀτιτόμοις acceptum esse referendum: adeoque Iustini opera Trogum integrum amissum, frustraque hactenus exspectari, cum sex M. Tullij de Republ. libris, nescio in quo infelici terrarũ angulo delitescentibus. Nec ab hac strage immunis AVRELIVS VICTOR fuit; qui partim diuulsus, alteri, tamquam alienus partus, suppositus; puta Viri illustres: partim in tenebris despectus iacuit; historia nimirum Augusta; quam primi nos, quod præfiscine dixerim, in lucem eruimus, & cum iudicio emendauimus, hortatu tuo, & auspiciis Isabellæ reginæ Galliæ. cuius rebus cum tu in Gallia impositus esses, Epitomam tibi me debere existimaui, quæ inde exscripta hactenus circumferretur; trium m.s. librorum cum vulgatis collatione non emendatiorem tantum factam, sed & studio industriaque nostra illustriorem; id operam dando, vt ex quibus potissimum auctoribus desumta ea esset, cognosci queat. Nec enim cui potius deberem, occurrebat; qui me, nondum de facie notum, studiorum caussa, ciuilisque tumultus patriæ, Galliam lustrantem; & Lutetiæ in doctorum hominum ingeniorumque celebritate atque frequentia versantem, indeque in Italiam, disciplinarum omnium antiquitatisque parentem, cogitantem, vt Plauti nostri vsurpem, Dum illæ consilescunt turbæ, atque iræ leniunt; in familiam tuam, honoris mei gratia, quod felix faustumque sit, inuitasti, quicum de studiis colloqui, dum a publicis negotiis integrum esset, liceret; atque ex litteris, vt hactenus semper, voluptatem oblectationemque caperes. Merebatur & virtus tua; qui octennali legatione Byzantina apud Turcorum Imp. Solimannm cognitus probatusque Ferdinando Cæsari, deinde Maximiliano II carus acceptusque, liberis eius præfectus; mox in Galliam Orator missus es. quæ omnia præclare obita, nomen & decus cum omni posteritate adæquarunt. Deinde, quia Bibliothecam tuam patere mihi, libris meis domi relictis, voluisti; omniaque quæ ex longa & diutina peregrinatione collegisses, magnisque sumtibus parasses, libenter communicasti; monumenta rarissima, numismata, & inscriptiones. Quis enim nescit studium in raris & exoticis cõquirendis tuum? quibus spoliis Christianum orbem ditasti, collectis herbis peregrinis, medicis ipsis nomine vsuque incognitis; quibus Matthiolum medicorum coryphæum, ad Dioscoridem illustrandum mire iuuisti. Taceo amplius ducenta exemplaria Græca calamo exarata, summa diligentia, industria atque impensis in Græcia collecta: quorum bona pars aut numquam aut non integre antehac edita. quæ in Augusta bibliotheca Viennæ, dum in Galliam iter adornares, tamquam

tuæ in R.P. litterariam voluntatis monumentum sempiternum, exstare voluisti. qua in re cum Fuggeris, Mendozis atque Sambucis contendisse videris. Nihil dicam de tuo in litteratos studio; quorum conatus re consilioque iuuas, & quà potes, promoues: vt certatim tibi lucubrationes merito offerant, homini vndequaque doctißimo. Quare spes habet animum, fore vt nostros labores boni consulas, atque, si tantum ab re tua otij tibi est, recenseas politißimo iudicio tuo; denique ab inuidorum calumniis tuearis atque defendas. Vale. Lutetiæ in ædibus tuis a. d. XIV. *Kal. Mart. Anni salutis* cIↄ Iↄ LXXIX.

IDEM AD LIBRVM.

CÆSAREOS *proceres, & quîs concussa tyrannis*
Concidit Imperij diuina potentia; quando
In peius ruere occœpit, retroque referri;
VICTOR *habes, tandem fato meliore renascens,*
Quisquis es. ambigua nam nomina voce reclusit
Ille mihi nuper Delphis consultus Apollo;
VICTOR ERIT DOMITIS MONSTRIS, SEV
VICTORINVS.
Quare age, ne dubita victor volitare per ora
Docta virûm, auspiciis Augerî nobilis. huius
Inclyta fama vehet penna metuente resolui:
Iam leuior, mendis craßisque erroribus actis.
AEthera fer super in dias te luminis oras:
Vicisti: indomitum iacet alto vulnere monstrum.

DE

DE VITA ET MORIBVS IMPERATORVM ROMANORVM; EXCERPTA EX LIBRIS SEXTI Aurelij Victoris; a Cæsare Augusto vſque ad Theodoſium Imperatorem.

Editio vulgata, trium m.ſ. libr. cum vet. vulgatis collatione paßim emendata, opera & ſtudio ANDREÆ SCHOTTI.



ANNO Vrbis conditæ ſeptingenteſimo vigeſimo ſecũdo; ab exactis 1
vero regibus quadringẽteſimo octogeſimoq;, mos Romæ repetitus vni prorſus parendi, pro rege *Imperatori*, vel* ſanctiori nomine *Augusto* appellato. OCTAVIANVS igitur, patre Octauio ſenatore genitus, maternum genus ab Ænea per* Iuliam familiam ſortitus, adoptione vero CAII CÆSARIS * maioris auunculi, CAIVS CÆSAR dictus; deinde ob victoriam AVGVSTVS cognominatus eſt. iſte in imperio poſitus, *Tribuniciam poteſtatem* per ſe exercuit.* Regionem Ægypti, inundatione Nili acceſſu difficilem, inuiamque paludibus, in prouinciæ formam redegit. Quam vt annonæ Vrbis copioſam efficeret, foſſas incuria vetuſtatis limo clauſas, labore militum patefecit. † Huius tempore ex Ægypto Vrbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur. Iſte Cantabros & Aquitanos,* Rhætos, Vindelicos, Dalmatas,* numero Prouinciarum populi Romani coniunxit. Sueuos Cattoſque* deleuit; Sucambros in Galliam tranſtulit. Pannonios* ſtipendiariis adiecit. Getarum populos, Baſternaſque, laceſſitos bellis, ad concordiam compulit. Huic Perſæ obſides obtulerunt; creandique* regis arbitrium permiſerũt. * Ad hunc Indi, Scythæ, Garamantes, Æthiopes, legatos cum donis miſerunt. Adeo * namque turbas, bella, ſimultates exſecratus eſt, vt, niſi iuſtis de cauſſis, numquam genti cuiquam bellum* intulerit. *Iactantiſque eſſe ingenij & leuißimi* dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id eſt folia infructuoſa, in diſcrimen, per incertos euentus certaminum, ſecuritatem ciuium præcipitare. Neque imperatori bono quidquam minus quam *temeritatem* congruere. *Satis celeriter fieri,* quidquid commode geritur. Armaque*, niſi maioris* emolumenti cauſſa, nequaquam mouenda eſſe: ne compendio tenui, iactura graui, petita victoria, ſimilis ſit hamo aureo piſcantibus: cuius abrupti amiſſique detrimentum, nullo capturæ lucro penſari poteſt. † Huius tempore trans Rhenum vaſtatus eſt Romanus exercitus, atq; tribuni & proprætor* cæſus. Quod intantum* perdoluit, vt cerebri valido* incuſſu parietem pulſaret, veſte capilloque, ac reliquis lugentium indiciis deformis. Auunculi quoque inuentum vehementer arguebat, qui milites *commilitones*, nouo blandoque more appellans, dum affectat carior fieri, auctoritatem principis emolliuerat. Denique erga ciues clementiſſime verſatus eſt. In amicos fidus exſtitit. quorum præcipui erant,* ob taciturnitatem, Mæcenas; ob patientiam laboris, modeſtiamque, Agrippa. Diligebat præterea Virgilium. Rarus quidem ad recipiendas amicitias; ad retinendas, conſtantiſſimus. Liberalibus ſtudiis, præſertim eloquẽtiæ, intantum incumbens, vt [nullus] ne in procinctu quidem, laberetur dies, quin legeret, ſcriberet,* declamaret. Leges alias nouas, alias correctas protulit ſuo nomine. Auxit ornauitque Romam ædificiis multis; iſto glorians dicto; *Vrbem lateritiam repperi, relinquo marmoream.* † Fuit 4
mitis, gratus, ciuilis animi [&] lepidi: corpore toto pulcer, ſed oculis magis: quorum * aciem clariſſimorum ſiderum modo vibrans, libenter accipiebat cedi ab* intendentibus tamquã ſolis radiis aſpectui ſuo. a cuius facie cum quidam miles [oculos] auerteret, & interrogaretur ab eo, cur ita faceret, reſpondit; *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non poſſum.* Nec tamen* vir tantus vitiis caruit. Fuit enim paululum impatiens,* leuiter iracundus, occulte inuidus, palam factioſus: porro autem dominandi, ſupra quam æſtimari poteſt, auidiſſimus:* ſtudioſiſſimus aleæ luſor. Cumq; eſſet

cibi ac vini* multum, aliquatenus vero ſomni abſtinens; ſeruiebat tamen libidini vſ-
que ad probrum [vulgari·] famæ. Nam* inter duodecim catamitos, totidemq; puel-
las,* accumbere ſolitus erat. Abiecta quoque vxore Scribonia, amore alienæ coniu-
gis poſſeſſus, Liuiam, quaſi marito concedente, ſibi coniunxit. * cuius Liuiæ iam erāt
5 filij Tiberius & Druſus. † Cumq; eſſet * luxuriæ ſeruiens, erat tamen eiuſdem vi-
tij ſeueriſſimus vltor; *More hominum, qui in vlciſcendis vitiis*, quibus ipſi vehementer
indulgent, acres ſunt. Nam & poetam *Ouidium*, qui & *Naſo*, pro eo* quod tres libellos
amatoriæ artis conſcripſerat, exſilio damnauit. Quodque eſt læti animi, vel amœ-
ni, oblectabatur omni genere ſpectaculorum; præcipue ferarum incognita ſpecie, &
infinito numero. Annos ſeptem & ſeptuaginta ingreſſus, Nolæ morbo interiit.
quamquam alij ſcribant dolo Liuię exſtinctum; metuentis ne, quia priuignæ filium
Agrippam, quem odio nouercali in inſulam relegauerat, reduci competerat, eo ſum-
6 mam rerum adepto, pœnas daret. † Igitur mortuum, ſeu necatum, multis nouiſ-
que honoribus ſenatus cenſuit* decorandum. Nam præter id quod antea *Patrem pa-
triæ* dixerat, templa tam Romæ, quam per vrbes celeberrimas, ei conſecrauit; cun-
ctis vulgo iactantibus,* *Vtinam aut non naſceretur, aut non moreretur.* Alterum [enim,]
peſſimi incepti; exitus præclari alterum. Nam & in adipiſcendo principatu oppreſſor
libertatis eſt habitus; & in gerendo, ciues ſic amauit, vt tridui frumento in horreis
quondam viſo, ſtatuiſſet veneno mori, ſi e prouinciis claſſes interea non venirent.
quibus aduectis, * felicitati eius, ſalus patriæ eſt attributa. Imperauit annos quin-
quaginta ſex; duodecim, cum Antonio; quadraginta & quatuor, ſolus. qui certe num-
quam aut Reipublicæ ad ſe potentiam traxiſſet, aut tamdiu ea potiretur, niſi magnis
naturæ & ſtudiorum bonis abundaſſet.
7 CLAVDIVS TIBERIVS, Liuiæ filius, Cæſaris Octauiani priuignus, imperauit an-
II nos* vigintitres. Iſte, quia *Claudius Tiberius Nero* dicebatur, eleganter a iocularibus
766 *Caldius Biberius Mero*, ob vinolentiam, nominatus eſt. Satis prudens in armis, ſatiſque
fortunatus ante ſumtum imperium ſub Auguſto fuit: vt non immerito Reipublicæ
dominatus ei committeretur. Inerat ei ſcientia litterarum [multa.] Eloquio clarior;
ſed ingenio peſſimo, truci, auaro, inſidioſo, ſimulans ea ſe velle quæ nollet: his quaſi
infenſus, quibus conſultum cupiebat; his vero quos oderat, quaſi beniuolus appa-
8 rens. Repentinis reſponſionibus aut conſiliis melior, quam meditatis. † Denique
delatum a patribus principatum (quod quidem aſtu fecerat) ficte abnuere; quid ſin-
guli dicerent vel ſentirent, atrociter explorans. quæ res bonos* quoſque peſſum de-
dit. Æſtimantes enim ex animo eum longa oratione imperialis moleſtiæ magnitu-
dinem declinate, cum ſententias ad eius voluntatem promunt, * inceſsēre exitia po-
ſtrema. Iſte Cappadocas in prouinciam, remoto Archelao rege eorū, redegit. Gæ-
tulorum latrocinia repreſſit. * Maraboduum Sueuorum regem callide circumuênit.
Cum immani furore inſontes, [noxios] ſuos pariter externoſque puniret, * reſolutis
militiæ artibus, Armenia per Parthos, Mœſia a Dacis, Pannonia a Sarmatis, Gallia a
finitimis gentibus direptæ ſunt. Iſte poſt * ſeptuageſimum octauum annum, &
menſem quartum, inſidiis Caligulæ exſtinctus eſt.
9 CALIGVLA imperauit annos quatuor.* Iſte, filius Germanici, quia natus in ex-
III ercitu fuerat, cognomentum calciamenti militaris, id eſt* *Caligulæ*, ſortitus eſt. Ante
790 principatum omnibus carus acceptuſque fuit: in principatu vero talis, vt non imme-
rito vulgaretur, atrociorem illo dominum non fuiſſe. Denique tres ſorores ſuas ſtu-
pro maculauit. Incedebat habitu deorum ſuorum: Iouem, ob inceſtum; e* choro
autem bacchanali, Liberum ſe aſſerebat. De quo neſcio an decuerit memoriæ prodi;
niſi forte quia iuuat de principibus noſſe omnia; vt improbi ſaltem famæ metu talia
declinent. In palatio matronas nobiles publicæ libidini ſubiecit. Primus diadema-
te [capiti] impoſito, *Dominum* ſe iuſſit appellari. In ſpatio trium milium, quod in ſi-
nu* Puteolan› inter moles iacet, duplici ordine naues contexens, arenæ aggeſtu ad
terræ ſpeciem viam ſolidatam, phalerato equo, * inſignis quercea corona, quaſi tri-
umphans, indutus aureo paludamento, curru biiugi decucurrit. Dehinc a militi-
bus confoſſus interiit.

CLAV-

C

CLAVDIVS TIBERIVS,*Drusi,Tiberij fratris,filius,Caligulæ patruus,impe- 10
rauit annos quatuordecim. Iste, cum senatus censuisset, gentem Cæsarum * exter- IIII
minari, deformi latebra latens, repertus a militibus, quia vecors erat, [&] mitissimus 794
videbatur imprudentibus, Imperator effectus est. Hic ventri,vino,libidini fœdæ
obediens,vecors & prope hebes,ignauus ac pauidus,libertorum & coniugis imperiis
subiectus fuit. Huius tempore *Scribonianus Camillus* intra Dalmatias Imperator
creatus,continuo occiditur. *Mauri prouinciis accessere. Cæsa*Musulamiorum ma-
nus est. *Aqua Claudia* Romæ * inducta. Huius vxor Messallina primo [clam,mox]
passim, quasi iure, * adulteris vtebatur. Ex quo facto plures, metu abstinentes, ex-
stincti sunt. Dehinc atrocius accensa, nobiliores quasque nuptas & virgines,scorto-
rum modo secum proposuerat: coactique mares, vt adessent. Quod si quis talia hor-
ruerat, adficto crimine, in ipsum,omnemque familiam [eius] sæuiebatur: vt magis
videretur *sub Imperatore, viro,quam Imperatori,nupta esse. † Ita liberti eius po- 11
testatem [summam] adepti, stupris, exsilio, cæde, proscriptionibus, omnia fœda-
bant. Ex quibus *Felicem* legionibus Iudeæ præfecit: * *Posidio* eunucho post triumphũ
Britannicum,inter militarium fortissimos,arma insignia tamquam participi victorię
dono dedit. * *Polybum* inter consules mediũ incedere fecit. Hos omnes anteibat *Nar-
cissus* ab epistolis; dominum segerens ipsius domini: *Pallas*que prætoriis ornamentis
sublimatus: adeo * diuites, vt * caussante eo inopiam fisci, lepidissime famoso elogio
vulgatum sit, Abunde ei pecuniam fore, si a duobus libertis in societatem recipere-
tur. Huius temporibus visus est apud Ægyptum *Phœnix*: quam ferunt volucrem
anno quingentesimo * ex Arabia memoratos locos aduolare: atque in Ægæo mari
repente insula emersit. * Hic Agrippinam, Germanici fratris sui filiam, vxorem
duxit: quę filio imperium procurans,primo priuignos insidiis multiformibus,dehinc
ipsum coniugem veneno interemit. Vixit annos sexaginta quatuor. cuius funus, vt
quondam in Tarquinio Prisco, diu occultatum. Dum arte muliebri corrupti custo-
des ægrum simulant, Nero priuignus eius,imperij iura suscepit.

DOMITIVS NERO, patre Domitio* Aënobarbo genitus, matre Agrippina, 12
imperauit annos tredecim. Iste, quinquennio tolerabilis visus. vnde quidam pro- V
didere,Traianum solitum dicere,procul distare cunctos principes [a] Neronis quin- 807
quennio. Hic in vrbe amphitheatrum & lauacra construxit. Pontum in ius prouin-
ciæ, Polemonis reguli permissu, redegit; a quo *Polemoniacus Pontus* appellatus est:
itemque *Cottias alpes*, Cottio rege mortuo. Eo namque dedecore reliquum vitæ e-
git, vt pudeat memorare huiuscemodi quemquam. Eo progressus est, vt neque suæ,
neque aliorum pudicitiæ parcens, ad extremum amictus nubentium virginum spe-
cie, palam conuocato senatu dote dicta, cunctis festa de more frequentantibus, nu-
beret. Pelle tectus feræ, vtrique sexui genitalia vultu contrectabat. Matrem etiam
stupro contaminauit: quam postmodum interemit. Octauiam,& *Sabinam cogno-
mento Poppæam,in matrimonium duxit,viris earum trucidatis. † Tunc *Galba**in 13
Hispania procul,& Caius Iulius, imperium corripuere. Vbi aduentare Nero Galbam
didicit, senatusque sententia constitutum, vt *more maiorum collo in furcam con-
iecto, virgis ad necem cæderetur: desertus vndique,noctis medio,egressus Vrbem,
sequentibus * Phaône, Epaphrodito, Neophytoque, & spadone Sporo,quem quon-
dam [Nero] exsectum formare in mulierem tentauerat, semet ictu gladij transegit,
adiuuante trepidantem manum impuro, de quo diximus,eunucho [Sporo:] cum sa-
ne prius nullo reperto a quo feriretur,exclamaret; *Itane nec amicum habeo, nec inimi-
cum? dedecorose vixi, turpius peream.* Periit anno ætatis tricesimo secundo. Hunc
Persæ in tantum dilexerunt, vt legatos mitterent, orantes copiam construendi * mo-
numenta. Ceterum adeo cunctæ prouinciæ omnisque Roma interitu eius exsulta-
uit, vt plebs induta pileis manumissionum,tamquam,sæuo exemta domino, trium-
pharet.

GALBA, nobili *Sulpiciorum* genere progenitus, imperauit menses septem, dies- 14
que totidem. Iste in adolescentes infamis, ad vescendum intemperans fuit: trium VI
amicorum consilio, id est * Vinij, Cornelij, & Icellij, cuncta disponens;adeo vt * in- 821
tra Palatinas ædes pariter habitarent,& vulgo *pædagogi* dicerentur. Hic ante sumtam

dominationem multas prouincias egregie adminiſtrauit, militem ſeueriſſime tractans; ita vt ingreſſo eo caſtra, vulgaretur ſtatim; *Diſce miles militare; Galba eſt, non Gætulicus.* Cum ſeptuageſimum tertium ætatis annum ageret, dum factione Othonis accenſas legiones lorica tectus lenire contenderet, ad lacum Curtium cæſus eſt.

15 *SALVIVS OTHO, ſplendidis ortus maioribus, ex opido *Ferentino; imperaVII uit menſes quatuor: vita omni turpis, maxime adoleſcentia. Hic *a Vitellio primum
822 apud Placentiam, dehinc apud *Bebriacum victus, ſemet gladio transfixit, anno ætatis triceſimo ſeptimo: adeo amabilis militibus propriis, vt plerique corpore eius viſo, ſuis manibus interierint.

16 VITELLIVS, ortus familia nobili, patre Lucio Vitellio ter conſule, imperauit
VIII menſes octo. *Iſte mente crudelis, auaruſq; cum profuſione fuit. Huius tempo-
822 re *Veſpaſianus* in Oriente *principatum arripuit: a cuius militibus certamine ſub muris Vrbis habito ſuperatus, e palatio, quò ſe abdiderat, Vitellius, *vinctis a tergo manibus, productus, circumducitur ad ſpectaculum vulgi. Ac, ne homo impudens, in extremis ſaltem, malorum, quę geſſerat, rubore faciem demitteret, ſubiecto in mentum gladio, ſeminudus, multis cœno, fimo, & ceteris turpioribus dictu purgamentis, vultum eius inceſſentibus, per ſcalas Gemonias trahitur: vbi Sabinum Veſpaſiani fratrem necari permiſerat. numeroſis ictibus confoſſus interiit. Vixit annos quinquaginta ſeptem. Hi omnes, quos paucis attigi, præcipue Cæſarum gens, adeo litteris culti atque eloquentia fuere, vt, ni cunctis vitiis, abſque Auguſto, *nimij forent, profecto texiſſent immodica flagitia.

17 VESPASIANVS imperauit annos decem. Huius inter cetera bona illud ſin-
IX gulare fuit, *inimicitias obliuiſci*; adeo, vt Vitellij hoſtis *ſui filiam, locupletiſſime dota-
822 tam, ſplendidiſſimo coniungeret viro. Ferebat patienter amicorum *motus; contumeliis eorum, vt erat facetiſſimus, [dictis] iocularibus reſpondens. Namque *Licinium Mucianum, quo adiutore ad imperium peruenerat, fiducia meritorum inſolentem, [lepide] flectebat, adhibito aliquo vtrique familiari; id vnum dicens, *Noſti me virum eſſe.* Sed quid mirum in amicis, cum etiam cauſſidicorum obliqua dicta, & philoſophorum contumaciam contemneret? Iſte exſanguem diu feſſumq; terrarum orbem breui refecit. Namq; primum ſatellites tyrannidis, niſi qui forte atrocius longe proceſſerant, flectere potius maluit, quam excruciatos delere; prudentiſſime
„ ratus, *nefaria miniſteria* a pluribus metu curari. Præterea legibus æquiſſimis monen-
18 do, quodque vehementius eſt, **vitæ ſpecie*, vitiorum plura aboleuerat. † Infirmus tamen, vt quidam praue putant, aduerſus pecuniam: cum ſatis conſtet, ærarij inopia, & clade vrbium, nouas eum neque poſtea habitas vectigalium penſiones exquiſiuiſſe. Hic Romam deformem incendiis veteribus ac ruinis, permiſſa, ſi domini deeſſent, volentibus ædificandi copia, Capitolium, ædem Pacis, Claudij monumenta, reparauit: multaq; noua inſtituit. Per omnes terras, quà ius Romanum eſt, renouatę vrbes cultu egregio: viæ operibus maximis munitæ ſunt. Tunc cauati montes per Flaminiam ſunt prono *transgreſſu; quæ vulgariter *Pertuſapetra* vocitatur. Mille gentes compoſitæ, cum ducentas ægerrime reperiſſet, exſtinctis ſæuitia tyrannorum pleriſque. Rex Parthorum *Vologeſes metu ſolo in pace coactus eſt. *Syria ſeu Palæſtina, nec non Cilicia Trachea, & Commagene, quam hodie Auguſtophratenſem nominamus, prouinciis acceſſere. Iudæi quoq; additi ſunt. Hic monentibus amicis, vt caueret a *Metio Pompoſiano, de quo ſermo percrebuerat *regnaturum, conſulẽ fecit;
19 alludens tali cauillo, *quandoq; memor erit tanti beneficij.* † Inſtitutum vero vniforme omni imperio tenuit: vigilare de nocte; publiciſq; actibus abſolutis caros admittere; dum ſalutatur, calceamenta ſumens & regium veſtitum: pòſt aũt negotiis, quæcumq; *aduenilſent, auditis, exerceri vectatione; deinde requieſcere. poſtremo, vbi lauiſſet, remiſſiore animo conuiuiũ curabat. Plura dicere ſtudium coegit Imperatoris boni; quem ab Auguſti morte, poſt annos ſex & quinquaginta, Romana reſpublica exſanguis ſæuitia tyrannorũ, quaſi fato quodam, ne penitus rueret, aſſecuta eſt. Itaque annum agens vitæ abſque vno ſeptuageſimum, feriis ioca, quibus delectabatur, admiſcens, interiit. Quippe primo, cum crinitum ſidus apparuiſſet, *Iſtud*, inquit, *ad regem Perſarum pertinet, cui capillus effuſior.* Deinde, ventris **eluuie* feſſus, & aſſurgens,

Stantem

Stantem, ait, *imperatorem excedere terris decet.* TITVS vocabulo patris etiam VE- 20
SPASIANVS dictus, matre liberta * DOMITILLA nomine genitus, imperauit an- X
nos duos, & menses duos, diesque viginti. Iste a puero præclaris studiis, probita- 832
tis, militiæ, litterarum instantissime deditus, quò *contenderit, animi & corporis mu-
neribus ostendit. Hic, vbi patriæ curam suscepit, incredibile est quantum, quos imi-
tabatur, anteierit; præcipue clementia, liberalitate, honorificentia, ac pecuniæ con-
temptu: quæ eo amplius grata fuere, quod ex nonnullis a priuato adhuc * patratis,
asperior, luxuriæ & auaritiæ amans credebatur fore. Namque præfecturam præto-
rianam patre imperante adeptus, suspectum quemque & oppositum sibi, *immissis
qui per theatra & * castra, inuidiosa iactantes ad pœnam poscerent, quasi criminis cō-
uictos oppressit. * in quibus Cæcinam consularem, adhibitum cenæ, vix dum tricli-
nio egressum, ob suspicionem stupratæ * Berenices vxoris suæ, iugulari iussit. * Iurgia 21
autem sub patre venumdata, rapinarum cupidum. vnde *Neronem* cuncti * vocantes
opinantesque, summam rerum nactum grauiter acceperant. Sed hæc in melius con-
uersa, adeo ei immortalem gloriam contulere, vt *deliciæ atque amor humani generis* ap-
pellaretur. Denique vt subiit pondus regium, Berenicen, nuptias suas sperantem, re-
gredi domum, & eneruatorum greges abire præcepit. Quo facto, quasi signum * pro-
tulit mutatæ intemperantiæ. Dehinc cum donata concessaue a prioribus princi-
pibus, firmare insequentes solerent, simul [vt] imperium cœpit, talia possidentibus
edicto sponte cauit, [vel cōcessit.] Quadam etiam die, recordans vesperi nihil se cui-
quam præstitisse, venerando cælestique dicto, *Amici*, ait, *perdidimus diem:* quia erat
magnificæ liberalitatis. Clementiam vero vsque eo perduxit, vt amplissimi ordinis
duo cum aduersus eum coniurassent, neque abnuere cogitatum scelus quirent, mo-
nuerit primo: pòst, deductos in spectaculum * secum, vtrimque assidere iusserit; pe-
titoque ex industria myrmillonum, quorum pugnæ visebantur, gladio quasi ad ex-
plorandam aciem, vni atque alteri commiserit: quibus perculsis & constantiam mi-
rantibus diceret; *Videtisne * potestates fato dari; frustraque tentari facinus potiundi spe, vel
amittendi metu?* † Fratrem quoque Domitianum, parantem insidias, militumque 22
animos sollicitantem, flens sæpius obtestatus est, ne parricidio assequi cuperet, quod
& se volente esset obuenturum ei, & iam haberet, cum sit particeps potestatis. Hu-
ius tempore mons * Vesuuius in Campania ardere cœpit: incendiumque Romæ sine
nocturna requie per triduum fuit. Lues quoque, quanta vix vmquam antea, [fuit.]
Quibus malis nonnullis vexatis, pecunia propria subuenit, cunctis remediorum ge-
neribus, nunc ægrotantes per semetipsum reficiens, nunc consolans suorum morti-
bus afflictos. Vixit annos quadraginta vnum: & in eodem, quo pater, apud Sabi-
nos agro, febri interiit. Huius mors, credi vix potest, qantum luctus Vrbi prouinciisq;
intulerit; adeo vt eum *delicias publicas*, sicut diximus, appellantes, quasi perpetuo cu-
stode orbatum terrarum orbem deflerent.

DOMITIANVS, *Vespasiani & Domitillæ* libertæ filius, germanus Titi, impera- 23
uit annos quindecim. Iste primo clementiam simulans, neque adeo iners, do- XI
mi bellique tolerantior videbatur: idcircoque Cattos Germanosque deuicit. ius æ- 834
quissime dixit. Romæ multa ædificia [vel cœpta,] vel a fundamentis constru-
xit. *Bibliothecas* incendio * consumtas, petitis vndique, præsertim Alexandria ex-
emplis, reparauit. * Sagittarum tam doctus fuit, vt inter patentes digitos extentæ
manus * viri procul positi, spicula [eius] transuolarent. Dehinc atrox [cædibus,]
bonorum supplicia agere cœpit: ac more Caligulæ *dominum sese deumque* dici coegit:
* segnisque ridicule, remotis omnibus, muscarum agmina persequebatur. furens li-
bidine: cuius fœdum exercitium, Græcorum lingua κλινοπάλην vocabat. Hinc percon-
tanti cuidam, quisquamne in palatio esset, responsum [est,] *Ne musca quidem.* His
eius sæuitiis; ac maxime iniuria verborum, qua [se] * scortum vocari dolebat, ac-
census Antonius, curans Germaniam superiorem, imperium corripuit. Quo per
* Norbanum Appium acie strato, Domitianus longe tætrior, in omne hominum ge-
nus, etiam in suos, ferarum more grassabatur. Igitur metu crudelitatis, & conscien-
tiæ suæ, coniurauere plerique; impulsoribus Parthenio procurante cubiculum, &
Stephano; & tum ob fraudem interceptæ pecuniæ supplicium suspectante Clodia-

no; adſcita etiam in conſilium tyranni vxore Domitia, ob amorem Paridis hiſtrio-
nis a principe cruciatus formidante: Domitianum multis vulneribus cōfodiunt, poſt
annum quintum & quadrageſimum vitæ. At ſenatus gladiatoris more funus efferri,
radendūmque nomen decreuit. Huius tempore ſæculares ludi celebrati ſunt.

24 Hactenus Romæ, ſeu per Italiam orti, imperium rexere: hinc aduenæ. vnde com-
pertum eſt, vrbem Romam externorum virtute creuiſſe. Quid enim Nerua pruden-
tius aut moderatius? Quid Traiano diuinius? quid præſtantius Adriano?

XII COCCEIVS NERVA, opido Narnienſi genitus, imperauit menſes * tredecim,
849 dies decem. Iſte, cum imperium ſuſcepiſſet, mox rumore orto, viuere atque affo-
re Domitianum, perinde * trepidauit, vt colore mutato, verbis amiſſis, vix conſiſte-
ret. Sed a Parthenio confirmatus, recepta fiducia, ad ſolemne * delenimentum con-
uerſus eſt. Qui cum in curiam a ſenatu gratanter exceptus eſſet, ſolus ex omnibus
Arrius Antoninus, vir acer, eique amiciſſimus, conditionem imperantium pru-
denter exprimens, amplexus eum gratulari ſe ait ſenatui & populo, prouinciiſque;
ipſi autem nequaquam: cui ſatius fuerat malos ſemper principes eludere, quam tan-
ti oneris vim ſuſtinentem, * non moleſtiis modo & periculis ſubijci, ſed famæ etiam
„ inimicorum pariter & amicorum; qui cum ſe mereri omnia præſumunt, ſi quid-
„ quam non extorſerint, atrociores ſunt ipſis quoque hoſtibus. Iſte, quidquid antea
pœnæ nomine tributis acceſſerat, indulſit: afflictas ciuitates releuauit: puellas pue-
25 roſque natos parentibus * egeſtoſis, ſumtu publico per Italiæ opida ali iuſſit. † Hic,
* ne acceſſum malignorum terreret, Iunij * Maurici conſtantis viri dicto [ita] admo-
netur; qui conuiuio familiari adhibitus, cum Veientonem, conſulari honore fun-
ctum quidem apud Domitianum, tamen multos occultis criminationibus perſecu-
tum, adeſſe vidiſſet; inter colloquia mentione * Catulli facta, calumniatoris præci-
pui; dicente Nerua, *Quid nunc faceret, ſi Domitiano ſuperuixiſſet? Nobiſcum*, inquit
Mauricus, *cenaret*. Hic, iurgiorum diſceptator & ſcientiſſimus & frequens fuit.
Calpurnium Craſſum, promiſſis ingentibus animos militum pertentantem, dete-
ctum, confeſſumque, Tarentum cum vxore remouit, patribus lenitatem eius incre-
pantibus. Cumq; interfectores Domitiani ad exitium poſcerentur, tantum eſt con-
ſternatus, vt neque vomitum, neque impetum ventris * valeret differre. & tamen ve-
hementer obſtitit; dictitans æquius eſſe * mortem ſubire, quam auctoritatem impe-
rij fœdare, proditis potentiæ ſumendæ auctoribus. Sed milites neglecto principe, re-
quiſitos, Petronium, [Stephanum] vno ictu; Parthenium vero, demtis prius genita-
libus, & in os coniectis, iugulauere, redemto magnis ſumtibus * Caſperio: qui ſcelere
tam truci inſolentior, Neruam compulit referre * apud populum gratias militibus,
* quia nefandos peſſimoſque omnium mortalium peremiſſent. Hic Traianum in
liberi locum, inque partem imperij * adoptauit: cum quo tribus vixit * menſibus.
Qui dum ſuggerente ira, * voce quam maxima, contra quendam Regulum nomine
inclamaret, ſudore correptus eſt. [quo * refrigeſcente, horror corporis nimius initium
febri fuit: nec multo poſt, vitam finiuit, anno ætatis ſexageſimo tertio. cuius corpus, * a
ſenatu quondam auguſto honore delatum, in ſepulcro Auguſti ſepultum eſt.] Eoque
die quo interiit, ſolis defectio facta eſt.

26 VLPIVS TRAIANVS, ex vrbe Tudertina; *Vlpius*, ab auo dictus; *Traianus*, a
XIII Traio paterni generis auctore, vel de nomine Traiani patris ſic appellatus; imperauit
851 annis viginti. Iſte talem ſe Reipublicæ præbuit, qualem vix ægreq; exprimere value-
runt ſummorum ſcriptorum miranda ingenia. Hic imperium apud Agrippinam,
nobilem Galliæ coloniam, ſuſcepit; habens diligentiam in re militari, in ciuilibus le-
nitatem, in ſubleuandis ciuitatibus largitionem. Cumque duo ſint, quæ ab egregiis
principibus exſpectentur, *Sanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobique prudentia:* tan-
tus erat in eo maximarum rerum modus, vt quaſi temperamento quodam virtu-
tes miſcuiſſe videretur: niſi quia cibo vinoque paululum deditus erat. Liberalis in a-
micos; & tamquam vitæ conditione par, ſocietatibus perfrui. Hic ob honorem
Suræ, cuius ſtudio imperium arripuerat, lauacra condidit. De quo ſuperuacaneum
videtur cuncta velle nominatim * prodere, cum ſatis ſit excultum atque emenda-
27 tum dixiſſe. † Fuit enim patiens laboris; ſtudioſus optimi cuiuſq;, ac bellicoſi: magis

[que]

[quæ] ſimpliciora ingenia aut eruditiſſimos, quamuis ipſe parcæ eſſet ſcientiæ, moderateque eloquens, diligebar. *Iuſtitiæ* vero, ac *iuris humani diuinique*, tam repertor noui, quam inueterati cuſtos. Quæ omnia eo maiora viſebantur, *quoniam per multos atque atroces tyrannos perdito atque proſtrato ſtatu Romano, in remedium tantorum malorum diuinitus credebarur, opportune* datus; vſque eo, vt aduenienti imperium eius pleraque mirifica denuntiauerint:* in quibus præcipuum, cornix e faſtigio Capitolij Atticis ſermonibus effata, καλῶς ἔσαι. Huius exuſti corporis cineres relati Romam, humatique Traiani foro ſub eius columna: & imago ſuperpoſita, ſicuti triumphantes ſolẽt, in Vrbem* inuecta, ſenatu præeunte & exercitu. Eo rempore, multo perniciofius quam ſub Nerua, Tiberis inundauit, magna clade ædium [proximarum:] & terræ motus grauis per prouincias multas, atroxque peſtilentia, fameſque, & incendia facta ſunt. Quibus omnibus Traianus per exquiſita remedia plurimum opitulatus eſt; ſtatuens, ne domorum altitudo* ſexaginta ſuperaret pedes, ob ruinas faciles, & ſumtus, ſiquando talia contingerent, exitioſos. Vnde merito *Pater patriæ* dictus eſt. Vixit annos ſexaginta quatuor.

ÆLIVS ADRIANVS, ſtirpis* Italicæ, Ælio Adriano Traiani principis conſo- 28
brino Adriæ orto genitus, quod opidum agri Piceni, etiam mari Adriatico nomen XIIII
dedit: imperauit annis vigintiduobus. Hic, Græcis litteris impenſius eruditus, a 870
plerisque *Græculus* appellatus eſt. Athenienſium ſtudia moreſq; *hauſit non ſermone tantum, ſed & ceteris diſciplinis, canendi, pſallendi, *medendique ſcientia, muſicus, *geometra, pictor, *fictor, ex ære vel marmore proxime Polycletos & Euphranoras.* perinde omnino ad iſta erat factus, vt elegantius numquam quidquam humanæ res expertæ videantut. Memor, ſupra quam cuiquam credibile eſt, locos, negotia, milites, abſentes quoque, nominibus recenſere. Immenſi laboris; quippe qui prouincias omnes* pedibus circumierit, agmen comitantium præuertens, cum opida vniuerſa reſtitueret, augeret ordinibus. namque ad ſpecimen legionum militarium, fabros, perpendiculatores, architectos, genuſque cunctum exſtruendorum mœnium ſeu decorandorum, in cohorteis centuriauerat. Varius, multiplex, multiformis: ad vitia atque virtutes quaſi arbiter genitus,* impetum mentis quodam artificio regens: ingenium inuidum, triſte, laſciuum, & ad oſtentationem ſui inſolens, callide*tegebat; continentiam, facilitatem, *clementiam ſimulans; contraque diſſimulans ardorem gloriæ, quo flagrabat. Acerrimus ad laceſſendum pariter & reſpondendum ſeriis, ioco, maledictis: referre carmen carmini, dictum dicto: protſus vt
meditatum crederes aduerſus omnia. † Huius vxor Sabina, dum prope ſeruili- 29
bus iniuriis afficitur, ad mortem voluntariam compulſa eſt.* quæ palam iactabat, quam immane ingenium pertuliſſet: & elaboraſſe, ne ex eo *ad humani generis perniciem grauidaretur. Hic motbo* ſubtercutaneo, quem diu placide pertulerat, victus, dolore ardens, impatienſque, plures e ſenatu exſtinxit. A regibus multis pace occultis muneribus impetrata, iactabat palam, plus ſe otio adeptum quam armis ceteros. Officia ſane publica, & palatina, nec non militiæ, in eam formam ſtatuit, quæ paucis per Conſtantinum immutatis hodie perſeuerat. Vixit annos ſexaginta duos: dehinc miſerabili exitu conſumtus eſt, cruciatu membrorum fere omnium confectus; intantum, vt [crebro] ſeſe interficiendum miniſtrorum fidiſſimis precans offerret; ac, ne in ſemetipſum ſæuiret, cuſtodia cariſſimorum ſeruaretur.

ANTONINVS, FVLVIVS ſeu BOIONIVS dictus, poſtea etiam PIVS co- 30
gnominatus, imperauit annos* vigintitres. Iſte, ab Adriano in filium adoptatus, cu- XV
ius gener fuerat, tantæ bonitatis in principatu fuit, vt haud dubie ſine exemplo vixe- 891
rit. [quamuis eum Numæ contulerit ætas ſua; cum orbem terræ nullo bello per annos viginti tres auctoritate ſola rexetit;] adeo trementibus eum atq; amantibus cunctis regibus, nationibuſque, & populis, vt parentem ſeu patronum magis quam dominum imperatoremve* reputarent; omneſque vno ore in morem cæleſtium propitium optantes, de controuerſiis interſe iudicem poſcerent.* Ad quem etiam Indi, Bactri, Hyrcani, legatos miſere, iuſtitia tanti imperatoris comperta; quam ornabat vultu ſereno & pulcro, procerus membra, decenter validus. Prius quam ſalutandus

prodiret, deguſtans panis * aliquantulum, ne frigeſcente circum præcordia per ieiu-
nium ſanguine, viribus exeſis interciperetur, eoque * actuum publicorum laboribus
minime ſufficeret. quæ incredibili diligentia, ad ſpeciem optimi patrisfamilias, exſe-
quebatur. Appetentia gloriæ carens, & oſtentatione: adeo manſuetus, vt * inſtanti-
bus Patribus ad eos qui contra eum coniurauerant, perſequendos, compreſſerit quę-
ſtionem; præfatus, *Neceſſe non eſſe, ſceleris in ſemetipſum cupidos*, pertinacius indagari;
ne, ſi plures reperirentur, quantis odio eſſet, intelligeretur. Igitur * cum eſſet anno-
rum ſeptuaginta duorum, apud Lorios villa propria, millibus paſſuum * duodecim
ab vrbe, febri paucorum dierum, poſt tres atque viginti annos imperij, conſumtus
eſt. Ob cuius honorem templa, ſacerdotes, atque infinita alia decreta ſunt. Vſque eo
autem mitis fuit, vt cum ob inopiæ frumentariæ ſuſpicionem lapidibus a plebe Ro-
mana perſtringeretur, maluerit ratione expoſita placare, quam vlciſci ſeditionem.

31 MARCVS * autem ANTONINVS, imperauit annos decem & octo. Iſte virtu-
XVI tum omnium, cæleſtiſque ingenij exſtitit: ærumniſque * publicis quaſi defenſor ob-
914 iectus eſt. Etenim niſi ad illa tempora natus eſſet, profecto quaſi vno lapſu ruiſſent o-
mnia ſtatus Romani. Quippe ab armis * nuſquam quies erat: perque omnem Orien-
tem, Illyricum, Italiam, Galliamque bella feruebant: terræ motus non ſine interitu ci-
uitatum; inundationes fluminum; lues crebræ, * locuſtarũ ſpecies agris infeſtæ; pror-
ſus vt prope nihil, quo ſummis angoribus atteri mortales ſolẽt, dici ſeu cogitari queat,
quod non illo imperante ſæuierit. Credo diuinitus attributum, *vt dum mundi lex, ſeu
natura*, * *aliudue quid hominibus incognitum*, ea mala gignit, rectorum conſiliis, tam-
quam medicinæ remediis, leniatur. Is propinquum ſuum, * LVCIVM ANNIVM
VERVM, ad imperij partem nouo beniuolentiæ genere adſciuit. * Qui Verus inter
Altinum atque concordiam iter faciens, ictu ſanguinis, quem morbum Græci * ἀπό-
πληξιν vocant, vndecimo imperij anno exſtinctus eſt. Carminum maxime [Tragico-
32 rum] ſtudioſus, ingenij aſperi atque laſciui. † Poſt cuius obitum Marcus Antoni-
nus Rempublicam ſolus tenuit. A principio vitæ tanquilliſſimus; adeo, vt ab infan-
tia [vultum] nec ex gaudio, nec ex mœrore mutauerit. Philoſophiæ ſtudens, littera-
rumque Græcarum [peritiſſimus.] Hic permiſit viris clarioribus, vt conuiuia eodem
cultu, quo ipſe, & miniſtris ſimilibus, exhiberent. Hic, cum ærario exhauſto, lar-
gitiones, quas militibus impenderet, non haberet, neque indicere prouincialibus aut
ſenatui aliquid vellet: inſtrumentum regij cultus, facta in foro Traiani ſectione, di-
ſtraxit, vaſa aurea, pocula cryſtallina & murrhina, vxoriam ac ſuam ſericam & au-
ream veſtem, multa ornamenta gemmarum: ac per duos continuos menſes venditio
habita eſt, multumque auri redactum. Poſt victoriam tamen emtoribus pretia reſti-
tuit, qui reddere comparata voluerunt: moleſtus nulli fuit, qui maluit ſemel emta re-
tinere. Huius tempore *Caſſius* tyrannidem arripiens, exſtinctus eſt. Ipſe vitæ anno
quinquageſimo nono, apud * Vendobonam morbo conſumtus eſt. De eius morte
nuntio Romam peruecto, confuſa luctu publico Vrbe, ſenatus in curia * veſte tetra
amictus, lacrymans conuenit. & quod de Romulo ægre creditum eſt, omnes pari
* conſenſu præſumſerunt, Marcum cælo receptum eſſe. Ob cuius honorem templa,
columnæ, multaque alia decreta ſunt.

33 AVRELIVS COMMODVS, Marci Antonini filius, ANTONINVS & ipſe di-
XVII ctus, imperauit annos tredecim. Hic qualis futurus eſſet, in ipſo primordio oſtendit.
933 Nam cum in ſupremis moneretur a parente, attritos iam Barbaros ne permitteret vi-
res recipere: reſpõdit, * Ab incolumi, quamuis paulatim, negotia perfici poſſe; a mor-
tuo [vero,] nihil. Sæuior omnibus libidine atque auaritia, crudelitate: nulli fidus: ma-
giſque in eos atrox, quos ampliſſimis honoribus doniſque ingentibus extulerat. in-
tantũ deprauatus, vt gladiatoriis armis ſæpiſſime in amphitheatro dimicauerit. Huic
Marcia generis libertini, forma tamen meretriciiſque artibus pollens, cum animum
eius penitus deuinxiſſet, egreſſo e balneo, veneni poculum obtulit. Ad extremum, ab
immiſſo validiſſimo palæſtrita compreſſis faucibus, exſpirauit, anno vitæ triceſimo
ſecundo.

34 HELVIVS PERTINAX, imperauit dies octoginta quinque. Iſte coactus [im-
XVIII perauit:] repugnanſque Imperium ſuſcipiens, * tale cognomentum ſortitus eſt. * Ori-
gine

gine gentis sordida, præfecturam Vrbi agens, Imperator effectus, scelere Iuliani mul- 946
tis vulneribus obtruncatur, annos natus * septem atque sexaginta. Huius caput tota
Vrbe circumuectum est. Hoc exitu obiit vir ad humanæ conuersationis exemplum
per laboris genera vniuersa * assumtus, prouectusque eò, vt *fortunæ* vocaretur *pila*.
Nam libertino genitus patre apud Ligures in agro squalido Lollij Gentiani, cuius in
præfectura quoque clientem se esse libentissime fatebatur, fuit doctor litterarum quę
a Grammaticis traduntur. Blandus magis quam beneficus: vnde eum Græco nomi-
ne χρηστόλογον appellauere. Numquam iniuria accepta ad vlciscendum ductus. Amabat
simplicitatem: * communem se affatu, conuiuio, incessu præbebat. Huic mortuo
Diui nomen decretum est: ob cuius laudem * ingeminatis, ad [vocis] vsq; defectum,
plausibus, acclamatum est, *Pertinace imperante securi viximus: neminem timuimus. Pa-
tri pio, patri senatus, patri omnium bonorum.*

DIDIVS IVLIANVS, ortu Mediolanensis, imperauit mensibus septem. vir no- 35
bilis, iure peritissimus, factiosus, præceps, regni auidus. Hoc tempore *Niger* * *Pescen-* XIX
nius apud Antiochiam; in Pannoniæ Sabaria *Septimius Seuerus*, creantur Augusti. Ab 946
hoc Seuero Iulianus in abditas palatij balneas ductus, extenta damnatorum modo
ceruice, decollatur: caputque eius in rostris ponitur.

SEPTIMIVS SEVERVS, imperauit annos decem & octo. Hic Pescennium 36
interemit, hominem omnium turpitudinum. Sub eo etiam ALBINVS, qui in Gal- XX
lia se Cæsarem fecerat, apud Lugdunum occiditur. Hic Seuerus filios suos succes- 946
sores reliquit, Bassianum & Getam. Hic in Britannia vallum per triginta duo pas-
suum millia a mari ad mare deduxit. Fuit bellicosissimus omnium qui ante eum fue-
runt. Acer ingenio; ad omnia quæ intendisset, in finem perseuerans. Beniuolentia,
quo inclinasset, mirabili ac perpetua. Ad quærendum diligens; ad largiendum libe-
ralis. In amicos inimicosque pariter vehemens: quippe qui * Lateranum, Cilonem,
Anulinum, Bassum, ceterosque alios ditaret, ædibus quoque memoratu dignis: qua-
rum præcipuas videmus, Parthorum quæ dicuntur, ac Laterani. * Hic nulli in do-
minatu suo permisit honores venundari. Latinis litteris sufficiēter instructus: [Græ-
cis sermonibus eruditus:] Punica eloquentia promtior; quippe genitus apud Leptim
prouinciæ Africæ. Is, dum membrorum omnium, maxime pedum, dolorem pa-
ti nequiret; veneni vice, quod ei negabatur, cibum grauis ac plurimæ carnis auidius
inuasit: quem cum conficere non posset, * cruditate pressus, exspirauit. Vixit annos
* sexaginta quinque.

AVRELIVS ANTONINVS BASSIANVS CARACALLA, Seueri filius, 37
Lugduni genitus, imperauit solus annos sex. Hic, *Bassianus* ex aui materni nomi- XXI
ne dictus est: at cum e Gallia vestem plurimam deuexisset, talaresque caracallas fecis- 965
set, coegissetq; plebem se ad salutandum indutam talibus introire, dę nomine huiusce
vestis *Caracalla* cognominata est. Hic fratrem suum GETAM peremit: ob quam
caussam, furore pœnas dedit *Dirarum insectatione*, quæ non immerito *vltrices* vo-
cantur: a quo post furore conualuit. Hic corpore ALEXANDRI Macedonis con-
specto, *Magnum* atque *Alexandrum* se iussit appellari; * assentantium fallaciis eo per-
ductus, vt truci fronte, & ad læuum humerum conuersa ceruice, quod * in ore Ale-
xandri notauerat, incedens, fidem vultus simillimi persuaderet sibi. Fuit impatiens
libidinis; quippe qui nouercam suam duxit vxorem. Cum * Carras iter faceret, a-
pud Edessam, secedens ad officia naturalia, a milite, qui quasi ad custodiam sequeba-
tur, interfectus est. Vixit annos fere * triginta. Corpus eius Romam relatum est.

MACRINVS cum DIADVMENO filio, ab exercitu Imperatores creati, im- 38
perauerunt menses quatuordecim: & ab eodem exercitu obtruncantur, pro eo quia XXII
Macrinus militarem luxuriam stipendiaque profusiora comprimeret. 970

AVRELIVS ANTONINVS VARIVS idem HELIOGABALVS dictus, 39
Caracallæ ex * Semea consobrina occulte stuprata filius, imperauit biennio & men- XXIII
sibus octo. Huius matris Semeę auus, Bassianus nomine, fuerat Solis sacerdos; [quem 971
Phœnices, vnde erat, Heliogabalum nominant: a quo iste * *Heliogabalus* dictus est.]
Is, cum Romam ingenti militum & senatus exspectatione venisset, probris se omni-
bus contaminauit. Cupiditatem stupri, quam adse qui naturæ defectu * non poterat,

in se conuertens, muliebri nomine *Baßianam* se pro Bassiano iusserat appellari; Vestalem virginem quasi matrimonio iungens suo; abscissisque genitalibus, matri se Magnæ sacrauit. Hic **Marcellum*, qui post *Alexander* est dictus, consobrinum suum, Cæsarem fecit. Ipse tumultu militari interfectus est. Huius corpus per Vrbis vias, more canini cadaueris, * a milite tractum est, militari cauillo appellantium *indomitæ & rabidæ libidinis catulam*. Nouissime cum angustum foramen cloacæ corpus minime reciperet, vsque ad Tiberim ductum, adiecto pondere, ne vmquam emergeret, in fluuium proiectum est. Vixit annos sedecim: atque ex *rebus, quæ acciderant, *Tiberinus*,* *Tractitiusque* appellatus est.

40 SEVERVS ALEXANDER, imperauit annos tredecim. Hic, *bonus reipubli-
XXIIII cæ, fuit ærumnosus. Sub hoc imperante, *Taurinus*, Augustus effectus, ob timorem
975 ipse se Euphrati fluuio obiecit. Tunc etiam *Maximinus* regnum arripuit, pluribus de
exercitu corruptis. Alexander vero, cum deseri se [met] a stipatoribus vidisset, matrem sibi caussam fuisse mortis exclamans, accurrenti percussori, obuoluto capite, ceruices [suas] valide* compressas præbuit, anno vitæ vicesimo sexto. Huius mater Mammea, eo filium coegerat, * vt illa ipsa, quamuis permodica, si mensæ prandioque superessent, alteri conuiuio reponerentur.

41 IVLIVS MAXIMINVS Thrax e militaribus imperauit annos tres. Is, dum per-
XXV sequitur pecuniosos, insontes pariter noxiosque, [apud Aquileiam] seditione mili-
988 tum discerptus est vna cum filio; conclamantibus cunctis militari ioco, ex *peßimo*
XXVI *genere*nec catulum habendum*. Huius imperio duo GORDIANI, pater & filius principatum arripientes, vnus post vnum interiere. Pari etiam tenore * PVPIENVS & BALBINVS, regnum inuadentes, peremti sunt.

42 GORDIANVS, nepos Gordiani ex filia ortus Romæ clarissimo patre, imperauit
XXVII annos sex. Apud Ctesiphontem, a Philippo Præfecto prætorio accensis in seditionem
991 militibus, occiditur anno vitæ* vndeuicesimo. Corpus eius prope fines Romani Persicique imperij positum, nomen loco dedit, *Sepulcrum Gordiani*.

43 MARCVS IVLIVS PHILIPPVS, imperauit annos quinque. Veronæ ab exer-
XXVIII citu interfectus est, medio capite supra ordines dentium præciso. Filius autem eius,
997 *CAIVS IVLIVS SATVRNINVS, quem potentiæ sociauerat, Romæ occiditur, agens vitæ annum duodecimum: adeo seueri & tristis animi, vt iam tum a quinquenni ætate, nullo prorsus cuiusquam commento ad ridendum solui potuerit; patremque ludis sæcularibus petulantius cachinnantem, quamquam adhuc tener, vultu notauerit auersato. Is Philippus, humillimo ortus loco fuit, patre nobilissimo latronum ductore.

44 DECIVS, e Pannonia [inferiore,] Bubaliæ natus, imperauit menses triginta. Hic
XXIX Decium filium suum Cæsarem fecit: vir artibus cunctis virtutibusque instructus, pla-
1002 cidus & communis domi: in armis promtissimus. In solo barbarico inter confusas turbas gurgite paludis submersus est, ita vt nec cadauer eius potuerit inueniri: filius vero eius, bello exstinctus est. Vixit annos quinquaginta. Huius temporibus *Valens *Licinianus* Imperator effectus est.

45 *VIBIVS GALLVS cum VOLVSIANO filio, imperauerunt annos duos. Horum
XXX temporibus HOSTILIANVS *PERPENNA a senatu Imperator creatus, nec multo post
1004 pestilentia consumtus est. Sub his etiam ÆMILIANVS in *Mœsia imperator effe-
XXXI ctus est: contra quem ambo profecti, apud *Interamnam ab exercitu suo cæduntur;
1006 anno ætatis pater septimo circiter & *quadragesimo: creati in insula Meninge, quæ nunc * Girba dicitur. ÆMILIANVS vero, *menses quatuor dominatus, *apud Spoletium, siue *pontem* quem ab eius cæde *Sanguinarium* accepisse nomen ferunt, inter Otriculum, Narniamque, [Spoletium] & vrbem Romam regione media positum. Fuit autem genere Maurus, pugnax; nec tamen præceps. Vixit annis, * quatuor minus, quinquaginta.

46 LICINIVS VALERIANVS, cognomento COLOBIVS, imperauit annos quinde-
XXXII cim: parentibus ortus splendidissimis; stolidus tamen & multum iners, neque* adv-
1006 sum aliquem publici officij, consilio seu gestis accommodatus. Hic filium suum
XXXIII GALLIENVM, Augustum fecit; Gallienique filium CORNELIVM VALERIANVM, Cæsarem.

Cæſarem. His imperantibus REGILLIANVS in Mœſia; CASSIVS, LABIENVS, POSTVMVS, in Gallia, Gallieni filio interfecto, Imperatores effecti ſunt. Pari modo ÆLIANVS *apud Moguntiacum; in Ægypto ÆMILIANVS, apud Macedonas VALENS, Mediolani AVREOLVS, dominatũ inuaſere. Valerianus vero, in Meſopotamia bellum gerens, a Sapore Perſarum rege ſuperatus, mox etiam captus, apud Parthos ignobili ſeruitute conſenuit. nam quamdiu vixit, rex eiuſdem prouinciæ, incuruato eo, pedem ceruicibus eius imponens, equum* conſcendere ſolitus erat. † GALLIE- 47
NVS quidem in locum Cornelij filij ſui, *SALONIANVM alterum filium ſubrogauit, amori diuerſo pellicum deditus, * Saloninæ coniugis, & concubinæ, quam per pactionem conceſſa parte ſuperioris Pannoniæ, a patre, Marcomannorum rege, matrimonij ſpecie ſuſceperat, *Pipam nomine. Nouiſſime aduerſus AVREOLVM profectus eſt. quem cum apud Pontem qui ex eius nomine *Aureolus* appellatur, obtentum detruſumque Mediolanum obſedit, eiuſdem Aureoli commento a ſuis interiit. Regnauit annos quindecim; cum patre, ſeptem; [&] ſolus, octo. Vixit annos quinquaginta.

CLAVDIVS imperauit* annis duobus. Hunc plerique putant Gordiano ſatum, 48
*dum adoleſcens a muliere matura inſtitueretur ad vxorem. Hic Claudius, Gallie- XXXIV
ni morie͂tis ſententia Imperator deſignatus: ad quem Ticini poſitum, per Gallonium 1021
Baſilium indumenta regia direxerat. exſtinctoque a ſuis Aureolo, receptis* legionibus, aduerſum* aciem Alamannorum haud procul a lacu * Benaco dimicans, tantam multitudine͂ fudit, vt ægre pars dimidia ſuperfuerit. His diebus *Victorinus* regnum cepit. Claudius vero, cum ex fatalibus libris, quos inſpici preceperat, cognouiſſet, ſententiæ in ſenatu dicendæ primi morte remedium deſiderari, Pomponio Baſſo, qui tunc erat, ſe offerente, ipſe vitam ſuam, haud paſſus reſponſa fruſtrari, dono Reipublicæ dedit; præfatus, neminem tanti ordinis primas habere, niſi ipſum Imperatorem. Ea res ſic erat cunctis grata, vt non *Diui* vocabulum modo, ſed ex auro ſtatuam prope ipſum Iouis ſimulacrum, atque in curia* imaginem auream proceres ſacrauerint. Huic ſucceſſit frater eius *QVINTILLVS. Is paucis diebus imperium tenens, 49
interemtus eſt.

AVRELIANVS, genitus patre mediocri, &, vt quidam ferunt, Aurelij clariſſimi XXXV
ſenatoris colono inter Daciam & Macedoniam, imperauit annis quinque, [menſi- 1023
bus ſex.] Iſte haud diſſimilis fuit Magno Alexandro, ſeu Cæſari dictatori. Nam* Romanum orbem triennio ab inuaſoribus receptauit: cum Alexander annis tredecim per victorias inge͂tes ad Indiam peruenerit; & Caius Cæſar decennio* ſubiecerit Gallos, aduerſum ciues quadriennio congreſſus. Iſte in Italia tribus prœliis victor fuit; apud Placentiam, iuxta amnem Metaurum ac Fanum Fortunæ, poſtremo Ticinenſibus [in] campis. Huius tempore apud Delmatas *Septimius*, Imperator effectus, mox a ſuis obtruncatur. Hoc tempore in vrbe Roma *Monetarij* rebellarunt, quos Aurelianus victor vltima crudelitate compeſcuit. † Iſte primus apud Romanos 50
diadema capiti innexuit; gemmiſque, & aurata omni veſte, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus * videbatur, vſus eſt. Hic muris validioribus & laxioribus Vrbem ſepſit. Porcinæ carnis vſum populo inſtituit. Hic *Tetricum*, qui Imperator ab exercitu in Galliis effectus fuerat, correctorem Lucaniæ prouexit; *aſpergens hominem eleganti ioco; Sublimius habendum, regere aliquam Italiæ partem, quam trans Alpes regnare. Nouiſſime fraude ſerui ſui, qui ad quoſdam militares viros amicos ipſius, nomina pertulit annotata, falſo manum eius imitatus, tamquam Aurelianus ipſos pararet occidere, ab iiſdem interfectus eſt [in] itineris medio quod inter Conſtantinopolim & *Heracliam eſt. Fuit ſæuus & ſanguinarius, & trux omni tempore; etiam filij ſororis interfector. Hoc tempore* ſeptem menſibus interregni ſpecies euenit.

TACITVS poſt hunc ſuſcepit imperium; vir egregie moratus: qui ducenteſimo 51
imperij die apud Tarſum febri moritur. XXXVI
Huic ſucceſſit FLORIANVS. Sed cum magna pars exercitus * equitum, *Probum* mi- 1028
litiæ peritum legiſſet, Florianus dierum ſexaginta quaſi per ludum imperio vſus, inciſis a ſemetipſo venis, effuſo ſanguine conſumtus eſt.

52 Probvs, genitus patre agreſti, hortorum ſtudioſo, * Delmatio ſanguine; impe-
xxxvii rauit annos ſex. Iſte Satvrninvm, in Oriente; Procvlvm & Bonosvm, Agrippi-
1029 næ Imperatores effectos, oppreſſit. *Vineas* Gallos & Pannonios habere permiſit. O-
pere militari * Almum montem apud Sirmium, & Aureum apud Mœſiam ſuperio-
rem, vineis * conſeuit. Hic Sirmij in turri ferrata occiditur.

53 Carvs, * Narbonæ natus, imperauit annos duos. Iſte confeſtim Carinvm &
xxxviii Nvmerianvm Cæſares fecit. Hic apud Cteſiphonta ictu fulminis interiit. Nvme-
1034 rianvs quodque filius eius, cum oculorum dolore correptus [in] lecticula vehere-
tur, impulſore Apro, qui ſocer eius erat, per inſidias occiſus eſt. Cum dolo occulta-
retur ipſius mors, quouſq; Aper inuadere poſſet imperium, fœtore cadaueris ſcelus
eſt proditum. Hinc Sabinvs Ivlianvs inuadens imperium, a Carino in campis
Veronenſibus occiditur. Hic Carinus omnibus ſe ſceleribus inquinauit. Pluri-
mos innoxios fictis criminibus occidit. * Matrimonia nobilium corrupit. Condiſci-
pulis quoque, qui eum in auditorio * verbi fatigatione taxauerant, pernicioſus fuit.
Ad extremum trucidatur eius præcipue tribuni dextera, cuius dicebatur coniugem
polluiſſe.

54 Diocletianvs Delmata, * Anulini ſenatoris libertinus, matre pariter atque
xxxix opido nomine *Dioclea:* quorum vocabulis, donec imperium ſumeret, *Diocles* appel-
1038 latus: vbi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Romanum morem cō-
uertit. Imperauit annis viginti quinq;. Is Maximianvm Auguſtum effecit: Con-
stantivm, & Galerivm Maximianvm cognomento Armentarivm, Cæſares
creauit; tradens Cōſtantio *Theodoram* Herculij Maximiani priuignam, abiecta vxore
priori. Hoc tempore * Caravsio in Galliis, Achillevs apud Ægyptum, Ivlianvs
in Italia Imperatores effecti, diuerſo exitu periere. E quibus Iulianus, acto per coſtas
pugione, in ignem ſe abiecit. *Diocletianus* vero, apud Nicomediam ſponte imperiales
faſces relinquens, in propriis agris cōſenuit. Qui dum ab Herculio atq; Galerio ad re-
cipiendum imperium rogaretur, tamquam peſtem aliquam deteſtans, in hunc mo-
dum reſpōdit; *Vtinam Salonæ poſſetis viſere olera noſtris manibus inſtituta: profecto num-
quam iſtud tentandum iudicaretis.* Vixit annos ſexaginta octo, ex quibus cōmuni ha-
bitu prope nouem egit. Morte cōſumtus eſt, vt ſatis patuit, per formidinem volunta-
ria. quippe cum a Cōſtantino atq; Licinio vocatus ad feſta nuptiarum, per ſenectam,
quo minus intereſſe valeret, excuſauiſſet, reſcriptis minacibus acceptis, quibus incre-
pabatur Maxētio fauiſſe, ac Maximino fauere, ſuſpectās necem dedecoroſam, vene-
55 num dicitur hauſiſſe. † His diebus Constantivs Conſtantini pater, atque Ar-
xl mentarivs Cæſares, Auguſti appellantur, creatis Cæſaribus, Severo per Italiam,
1056 Maximino Galerij ſororis filio per Orientem: eodemq; tempore Constantinvs
Cæſar efficitur. Maxentivs, Imperator in villa ſex millibus ab vrbe diſcreta itine-
re * Lauicano: dehinc Licinivs, Auguſtus efficitur: pariq; modo Alexander apud
Carthaginem Imperator fit: ſimiliq; modo Valens Imperator creatur. quorum exi-
tus iſte fuit: Severvs, ab Herculio Maximiano Romæ * ad Tres tabernas exſtin-
guitur: funuſque eius Gallieni ſepulcro infertur; quod * ab Vrbe abeſt per Appiam
milibus nouem. Galerivs Maximianvs, cōſumtis genitalibus defecit. Maxi-
mianvs Hercvlivs, a Conſtantino apud Maſſiliam obſeſſus, deinde captus, * pœ-
56 nas mortis genere poſtremo, fractis laqueo ceruicibus, luit. † Alexander, a Con-
ſtantini exercitu iugulatur. Maxentivs, dum aduerſus Conſtantinum * congredi-
tur, paulo ſuperius a ponte * Miluio, in pontem nauigiis compoſitum ab latere in-
gredi feſtinans, lapſu equi in profundum demerſus eſt: voratumque limo, ponde-
re thoracis, corpus vix repertum. * Maximinvs, apud Tarſum morte ſimplici
periit. Valens, a Licinio morte multatur. Fuerunt autem morum huiuſmo-
di: Avrelivs Maximianvs, cognomento Hercvlivs, ferus natura, ar-
dens libidine, conſiliis ſtolidus, ortu agreſti Pannonioque. nam etiam nunc haud
longe Sirmio, eminet locus palatio ibidem conſtructo, vbi parentes [eius] exerce-
bant opera mercenaria. Ætate interiit ſexagenarius, annorum viginti Imperator.
Genuit ex Eutropia Syra muliere Maxentium, & Fauſtam coniugem Conſtanti-
ni; cuius patri Conſtantio tradiderat Theodoram priuignam. ſed Maxentium ſup-
poſi-

poſitum ferunt arte muliebri, tenere mariti animum laborantis auſpicio * prauiſſimi cœpti a puero. Is Maximianus, carus nulli vmquam fuit, ne patri aut * ſocero quidem Galerio. † GALERIVS autem, fuit (licet inculta agreſtique iuſtitia) 57
ſatis laudabilis; pulcer corpore, eximius & felix bellator; ortus parentibus agrariis, paſtor armentorum: vnde ei cognomen ARMENTARIVS fuit. ortus Dacia Ripenſi; ibique ſepultus eſt: quem locum * *Romulianum* ex vocabulo Romulæ matris appellarat. Is inſolenter affirmare auſus eſt, matrem more Olympiadis, Alexandri Magni creatricis, compreſſam dracone ſemet concepiſſe. GALERIVS MAXIMINVS, ſorore Armentarij progenitus, veroque nomine ante Imperium * DAZA dictus; Cæſar quadriennio; dehinc per Orientem Auguſtus triennio fuit: ortu quidem atque inſtituto paſtorali; verum ſapientiſſimi cuiuſque, ac litteratorum cultor, ingenio quieto; vini auidior. quo ebrius, quædam corrupta mente aſpera iubebat: * qui, cum pigeret factum, differri, quæ præcepiſſet, in tempus ſobrium ac matutinum ſtatuit. † ALEXANDER, fuit Phryx origine, ingenio timidus, inferior ad- 58
uerſus laborem vitio * ſenectæ. His omnibus abſumtis, Imperij iura penes Conſtantinum & Licinium deuenere.

CONSTANTINVS, Conſtantij Imperatoris & Helenæ filius, imperauit an- XLI
nos triginta. Hic, dum iuuenculus a Galerio in vrbe Roma, religionis ſpecie obſes 1062
teneretur, fugam arripiens; atque ad fruſtrandos inſequentes, publica iumenta, * quaqua iter ageret, interficiens, ad patrem in Britanniam peruenit: & forte eiſdem diebus ibidem Conſtantium parentem * fata vltima perurgebant. Quo mortuo, cunctis qui aderant annitentibus, ſed præcipue * Eroco Alamannorum rege, auxilij gratia Conſtantium comitato, imperium capit. Hic ſororem ſuam Conſtantiam Licinio, * Mediolanum accito, coniungit: filiumque ſuum *Criſpum* nomine, ex Minetuina concubina ſuſceptum; * item *Conſtantinum*, iiſdem diebus natum opido Arelatenſi; *Licinianumque* Licinij filium, menſium fere viginti, Cæſares effecit.
† Verum enimuero, vt * *imperia difficile concordiam cuſtodiunt*, * diſſidium inter Li- 59
cinium Conſtantinumque exoritur: primumque apud Cibalas iuxta paludem * *Hiulcam* nomine, Conſtantino nocte caſtra Licinij irrumpente, Licinius fugam petiit; Byzantiumque fuga volucri peruenit. Ibi MARTINIANVM, officiorum magiſtrum, Cæſarem creat. Dehinc Conſtantinus acie potior apud Bithyniam, adegit Licinium pacta ſalute indumentum regium offerre per vxorem. Inde Theſſalonicam miſſum, paulo poſt, eum Martinianumque iugulari iubet. Hic Licinius annum dominationis fere poſt * quintumdecimum, vitæ proxime ſexageſimum, occiditur. auaritiæ cupidine omnium peſſimus; neque alienus a luxu * venerio; aſper admodum, haud mediocriter impatiens: infeſtus litteris; quas per inſcitiam immodicam, virus ac peſtem publicam nominabat; præcipue forenſem induſtriam. * agraribus plane, ac ruſticantibus, * quia ab eo genere ortus altuſque erat, ſatis vtilis: ac militiæ cuſtos ad veterum inſtituta ſeueriſſimus. Spadonum & aulicorum omnium vehemens domitor; *tineas ſoriceſque palatij* eos appellans.

† At Conſtantinus, obtento totius * Romani Imperij, mira bellorum felicitate, 60
regimine, Fauſta coniuge, vt putant, ſuggerente, Criſpum filium necari iubet. Dehinc vxorem ſuam Fauſtam, in balneas ardentes coniectam, interemit; cum eum mater Helena, * dolore nimio nepotis, increparet. * Fuit vero vltra quam æſtimari poteſt, laudis auidus. Hic Traianum *herbam * parietariam*, ob titulos multos ædibus inſcriptos, appellate ſolitus erat. Hic pontem in Danubio conſtruxit. Habitum regium gemmis, & caput exornans perpetuo diademate: commodiſſimus tamen rebus multis fuit. *Calumnias* ſedare legibus ſeueriſſimis: nutrire artes bonas, præcipue *ſtudia litterarum*: legere ipſe, ſcribere, meditari, audire legationes & querimonias prouinciarum. † Cumque liberis, filioque fratris Delmatio, Cæſaribus 61
confirmatis, tres & ſexaginta annos vixiſſet; ex quiſius dimidios ita, vt tredecim ſolus imperaret; morbo conſumtus eſt. Irriſor potius quam blandus. vnde prouerbio vulgari; * Trachala, decem annis præſtantiſſimus; duodecim ſequentibus, latro; decem nouiſſimis, pupillus, ob profuſiones immodicas nominatus. Corpus ſepultum in Byzantio, *Conſtantinopoli* dicta. Quo mortuo, *Delmatius* militum vi

necatur. *Ita ad tres orbis Romani dominatio redacta eſt, *Conſtantinum, & Conſtantium, ac Conſtantem*, filios Conſtantini. Hi ſinguli has partes regendas habuerunt: CONSTANTINVS iunior, cuncta trans Alpes: CONSTANTIVS, a freto Propõtidis, Aſiam atque Orientem: CONSTANS, Illyricum, Italiamque & Africam; * Delmatiam, Thraciam, Macedoniamque, & Achaiam: * ANNIBALIANVS, Delmatij Cæſaris conſanguineus, Armeniam nationeſque circumſocias.

62 Interim ob Italiæ Africæque ius diſſentire ſtatim Conſtantinus & Conſtans [cœperunt.] Conſtantinus, latrocinij ſpecie, dum incautus fœdeque temulentus in aliena irruit, obtruncatus eſt, proiectuſque in fluuium cui nomen *Alſa* eſt, non longe ab Aquileia. Conſtans vero, venandi cupidine [ductus,] dum per ſiluas ſaltuſque erraret, conſpirauere aliquanti militares in eius necem, auctoribus Chreſtio & * Marcellino, ſimulque Magnentio: qui, vbi patrandi negotij dies placuit; Marcellinus, natalem filij ſimulans, pleroſque ad cenam rogat. itaque in multam noctem conuiuio celebrato, MAGNENTIVS, quaſi ad * ventris ſecreta ſecedens, habitum venerabilem capit. Ea re cognita, Conſtans fugere conatus, apud Helenam oppidum Pyrenæo proximum, a Gaiſone cum lectiſſimis miſſo interficitur, anno tertiodecimo Auguſtæ dominationis, (nam Cæſar triennio fuerat) æui ſeptimo viceſimoque. Hic fuit debilis pedibus manibuſque, articulorum dolore: fortunatus cæli temperie, fructuum prouentu, nulla a barbaris formidine: quæ profecto maio-
63 ra * fierent, ſi prouinciarum rectores non pretio, ſed iudicio prouexiſſet. † Huius morte cognita, VETRANIO magiſter militum, Imperium in Pannonia apud * Murſiam corripuit: quem Conſtantius non poſt multos dies regno exuit, * grandæuæ ætati non vitam modo, ſed etiam voluptarium otium concedens. Fuit autem prope ad ſtultitiam ſimpliciſſimus.

XLII CONSTANTIVS GALLVM, fratrem patruelem, Cæſarem pronuntiat,
1089 ſororem Conſtantinam illi coniungens. MAGNENTIVS quoque DECENTIVM, conſanguineum ſuum, trans Alpes Cæſarem creauit. His diebus Romæ NEPOTIANVS, Eutropiæ Conſtantini ſororis filius, hortantibus * perditis, Auguſti nomen rapit: quem octauo die viceſimoque Magnentius oppreſſit. Hoc tempore Conſtantius cum Magnentio apud Murſiam dimicans, vicit. *in quo bello pæne numquam amplius Romanæ conſumtæ ſunt vires, totiuſque impetij fortunæ peſſumdatæ. Dehinc cum ſe Magnentius in Italiam recepiſſet, apud * Ticinum plures fudit; incautius & (vt in victoria ſolet) audacius perſequentes. Nec multo poſt apud Lugdunum coanguſtatus, gladio occulte prouiſo, ictum * pulſu parietis iuuans, transfoſſo latere; vt erat vaſti corporis, vulnere, naribuſque & ore cruorem effundens; menſe * imperij quadrageſimoſecundo, ætatis anno [prope] quin-
64 quageſimo, exſpirauit. † Ortus parentibus [barbaris,] qui Galliam inhabitant. legendi ſtudio promtus, ſermonis acer, animi tumidi, & immodice timidus: artifex tamen ad occultandam audaciæ ſpecie formidinem. Eius morte audita, Decentius, * laqueo faſciæ ad collum poſito, vitam finiuit.

Hoc tempore Gallus Cæſar a Conſtantio occiditur. imperauit * annos tres. SILVANVS, Imperator effectus, die imperij viceſimooctauo perimitur. Fuit ingenio blandiſſimus. quamquam barbaro patre genitus, tamen inſtitutione Romana ſatis cultus & patiens.

65 CONSTANTIVS CLAVDIVM IVLIANVM, fratrem Galli, honore Cæ-
XLIII ſaris aſſumit, annos natum fere tres atque viginti. Iſte in campis Argentoratenſibus
1110 apud Gallias, cum paucis militibus, infinitas hoſtium copias deleuit. Stabant acerui montium ſimiles: fluebat cruor fluminum modo: captus rex nobilis * Chonodomarius: fuſi omnes optimates: redditus limes Romanæ poſſeſſionis. ac poſtmodum cum Alamannis dimicans, potentiſſimum eorum regem * Badomarium cepit. Hic a militibus Gallicanis Auguſtus pronuntiatur. Hunc Conſtantius * vrgere legationibus, vt in ſtatum nomenq; priſtinũ reuertatur. Iulianus mandatis mollioribus refert,
66 ſe ſub nomine celſi imperij multo officioſius pariturum. † Hinc Conſtantius magis magiſq; ardens dolore, atq; vt erat talium impatiens, in radicibus Tauri montis apud * Mopſocrenen febri acerrima, quam indignatio nimia vigiliis augebat, interiit anno

æui

æui quarto & quadragesimo, imperij nono atque tricesimo; verum Augustus * quarto vicesimoque; octo solus, cum fratribus atq; Magnentio sedecim, quindecim Cæsar. Felix bellis ciuilibus, externis lacrymabilis: mirus artifex in sagittis: a cibo vinoque & somno multum * temperans: patiens laboris: facundiæ cupidus; quam cum assequi tarditate ingenij non posset, aliis inuidebat. Spadonum aulicorumque amori deditus, & vxorum: quibus contentus, nulla libidine transuersa aut iniusta polluebatur. Sed ex coniugibus, quas plurimas sortitus est, præcipue Eusebiam dilexit; decoram quidem, verum per * Adamantias, & Gorgonias, & alia importuna ministeria, vexantem famam viri, contra quam *feminis modestioribus* mos est; quarum sæpe præcepta maritos iuuant. namque, vt ceteras omittam, Pompeia, Plotina, incredibile dictu est quanto auxerit gloriam Traiani: cuius procuratores cum prouincias calumniis agitarent, adeo vt vnus ex iis diceretur * locupletium quemque ita conuenire; *Quæ habes* [ad mensam?] alter, *Vnde habes?* tertius, * *Pone quæ habes?* illa coniugem corripuit: atque increpans, quod laudis, [suæ] esset incuriosus; talem reddidit, vt postea * exactiones improbans & detestans, *fiscum lienem* vocaret, quod eo crescente, artus reliqui tabescant. † Igitur Iulianus, redacta ad vnum se orbis Romani curatione, 67
gloriæ nimis cupidus, in Persas proficiscitur. Illic a transfuga quodam in insidias deductus, cum eum hinc inde Parthi * vrgerent, e castris iam positis, arrepto tantum clypeo procurrit. cumque inconsulto ardore nititur ordines ad prœlium componere, ab vno ex hostibus, & quidem fugiente, conto percutitur. relatusque in tabernaculum, rursusque ad hortandos suos egressus, paulatim sanguine vacuatus, circa noctis fere medium defecit; præfatus, consulto sese de imperio nihil mandare; ne, vti solet, in multitudine discrepantibus studiis amicorum, * ex inuidia, reipublicæ, *discordia exercitus* periculum pararet. Fuerat in eo litterarum ac negotiorum ingens scientia: * æquauerat philosophos, & Græcorum sapientissimos. Vsu promtior corporis, * quam validior quidem; sed breuis fuit. Hæc minuebat quarundam rerum neglectus modus: cupido laudis immodica: cultus numinum superstitiosus: audax plus quam *imperatorem* decet: cui salus propria, cum semper ad securitatem omnium, * [tum] maxime in bello conseruanda est. Ita illum cupido gloriæ flagrantior peruicerat; vt neque terræmotu, neque plerisque præsagiis, quibus vetabatur petere Persidem, adductus sit finem ponere ardori; ac ne noctu quidem visus ingens globus cælo * labi, diem belli cautum præstiterit.

* IOVIANVS, genitus patre Varroniano, * incola agri Singidonensis prouinciæ 68
Pannoniæ, imperauit menses octo. Eius patri, cum liberos crebros amitteret, præce- XLIIII
ptum somnio est, eum qui iam instante vxoris partu edendus foret, diceret *Iouianum*. Hic fuit insignis corpore, lætus ingenio, litterarum studiosus. Hic, [dum] a Perside hieme aspera mediaque Constantinopolim accelerans, cruditate stomachi, tectorio noui operis grauatus [esset,] repente interiit, annos gerens proxime quadraginta.

VALENTINIANVS, imperauit annos duodecim, minus diebus centum. Huius 69
pater Gratianus, mediocri stirpe ortus apud Cibalas, *Funarius* appellatus est; eo quod XLV
venalitium funem portanti, quinque milites nequirent extorquere. eo merito adscitus in militiam, vsque ad præfecturæ prætorianæ potentiam conscendit. ob cuius apud milites commendationem, Valentiniano imperium resistenti * aggeritur. Hic Valentem cõsanguineum suum sibi socium in imperio adsciuit: ac demum Gratianum filium, necdum * plene puberem, hortatu socrus & vxoris Augustum creauit. Hic Valentinianus fuit vultu decens, solers ingenio, animo grauis, sermone cultissimus. * quamquam enim ad loquendum parcus, seuerus, vehemens; infestus tamen vitiis, maximeque auaritiæ: cuius punitor ipse fuit acer: & in iis quæ memoraturus sum, Hadriano proximus: * Genera vetustissimorum meminisse, noua arma meditari: fingere * terra seu limo simulacra: prudenter vti locis, temporibus, * sermonibus: atque, vt breuiter concludam, si ei * infidis hominibus, quibus sese quasi fidissimis prudentissimisque dederat, carere; aut probatis eruditisque monitoribus vti licuisset, perfectus haud dubie princeps enituisset. † Huius tempore *Firmus* apud Maurita- 70
niam regnum inuadens, exstinguitur. Valentinianus apud * Bergentionem legationi Quadorum respondens, anno æui quinto & quinquagesimo, impetu sanguinis, vo-

ce amiſſa, ſenſu integer expirauit. quod quidem intemperantia cibi, ac ſaturitate, qua
artus diffuderat, accidiſſe plures retulere. Itaq; eo mortuo, VALENTINIANVS, ad-
huc quadriennis, auctore *Equitio, ac Merobaude propinquo, vbi cum matre fuerat
allatus, creatus eſt Imperator.

71 VALENS vna cum VALENTINIANO germano ſuo, de quo diximus, regna-
XLVI uit annos *tredecim, menſes quinque. Hic Valens, cum Gotthis lacrymabili bello
cõmiſſo, ſagittis ſaucius, in caſam deportatur viliſſimam: vbi, ſuperuenientibus Got-
this, igniq; ſuppoſito, incendio concrematus eſt. In quo probanda hæc fuere: Fuit
poſſeſſoribus conſultor bonus: mutare* iudices rarius: in amicos fidus: iraſci ſine no-
xa ac periculo *cuiuſque: ſane valde timidus. Huius temporibus* PROCOPIVS ty-
rannidem inuadens, exſtinguitur.

72 GRATIANVS, genitus Sirmij, imperauit cum patre Valentiniano annos octo,
XLVII dies octoginta quinque: cum patruo & fratre, tres: cum eodem fratre ac Theodoſio,
quatuor: & [cum] his omnibus, accedente Arcadio, menſes ſex. Hic apud * Argenta-
rium opidum Galliæ, triginta Alamannorum millia in bello exſtinxit. Hic, cum ani-
maduertiſſet, Thraciam Daciamque tamquam genitales terras poſſidentibus Got-
this, *Taifalis, atque omni pernicie atrocioribus Hunnis & Alanis extremum pericu-
lum inſtare nomini Romano; accito ab Hiſpania THEODOSIO, cunctis fauentibus,
73 *agenti annum a triceſimo tertium, imperium committit. † Fuit autem Gratianus
litteris haud mediocriter inſtitutus: carmen facere, ornate loqui, explicare *contro-
uerſias, Rhetorum more: nihil aliud die noctuq; agere quam ſpiculis meditari: ſum-
mæque voluptatis, diuinæq; artis credere, ferire [perite ſibi] deſtinata. *Parcus cibi
ſomniq;: & vini ac libidinis victor. cunctiſque fuiſſet plenus bonis, ſi ad cognoſcen-
dam Reipubl. *gerendæ ſcientiam animum intendiſſet: a qua prope alienus, nõ mo-
do voluntate, ſed etiam exercitio fuit. Nam dum exercitum negligeret, & paucos ex
Alanis, quos ingenti auro ad ſe transtulerat, anteferret veteri ac Romano militi; a-
deoque barbarorum comitatu & prope amicitia *capitur, vt nonnumquam eodem
habitu iter faceret, odia contra ſe militum excitauit. Hoc tempore cum MAXIMVS
apud Britanniam tyrannidem arripuiſſet, & in Galliam tranſmiſiſſet, ab infenſis Gra-
tiano legionibus exceptus, Gratianum fugauit: nec mora, exſtinxit. qui vixit annis
*XXXVIII.

74 THEODOSIVS, genitus patre Honorio, matre Thermantia, genere Hiſpanus;
XLVIII originem a Traiano principe trahens: a Gratiano Auguſto apud Sirmium Impera-
tor effectus, regnauit annos* decem & ſeptem. Huic ferunt nomen ſomnio paren-
tes monitos ſacrauiſſe, vt Latine *intelligamus, *A deo datum*. De hoc etiam oraculo
in Aſia diuulgatum eſt, eum Valenti ſucceſſurum, cuius nomen [e] Θ & E & O atq; Δ
Græcis litteris initiaretur. Qua* cognatione principij deceptus THEODORVS, cum ſi-
bi *imperium præſumeret, ſceleſtæ cupidinis ſupplicia perſoluit. Fuit autem Theo-
doſius propagator Reipublicæ atq; defenſor eximius. nam Hunnos & Gotthos, qui
eam ſub Valente defatigaſſent, diuerſis prœliis vicit. Cum Perſis quoque petitus pa-
cem pepigit. *Maximum* autem tyrannum, qui Gratianum interfecerat, & ſibi Gal-
lias vindicabat, apud Aquileiam exſtinxit: Victoremque eius filium, intra infantiæ
75 annos a Maximo patre Auguſtum factum, necauit. † *Eugenium* quoq; tyrannum,
atque *Arbogaſtem* ſuperauit, deletis eorum decem millibus pugnatorum. Hic etenim
Eugenius, confiſus viribus Arbogaſtis, poſtquam apud Viennam Valentinianum ex-
ſtinxerat, regnum inuaſit: ſed mox ſimul cum vita imperium perdidit. Fuit autem
Theodoſius moribus & corpore Traiano ſimilis; quantum ſcripta veterum &*pictu-
ræ docent. Sic eminens ſtatus; membra eadem, par cæſaries, *os; abſque eo quod illi
aliquantum vellendo ſteriles genæ, neque tam ingentes oculi erant; neſcio an & tan-
ta gratia, tantuſque flos in facie, ſeu tanta dignitas in inceſſu. Mens vero prorſus ſimi-
lis; adeo vt nihil dici queat, quod non ex libris in iſtum videatur transferri. Clemens
animus, miſericors, communis; ſolo habitu differre ſe ceteris putans: in omnes ho-
mines honorificus; verum effuſius in bonos: ſimplicia ingenia æque diligere; erudita
mirari, ſed innoxia: largiri magno animo magna: amare ciues vel priuato contuber-
nio cognitos; eoſque honoribus, pecunia, beneficiis ceteris munerari; præſertim
quorum

quorum * erga se aspero casu officia probauerat. † Illa tamen, quibus Traianus a- 76
spersus est, vinolentiam & cupidinem triumphandi, vsque eò detestatus [est.] vt bel-
la non mouerit, sed inuenerit: prohibueritque lege, ministeria lasciua, psaltriasq; co-
missationibus adhiberi: tantum pudori tribuens & continentiæ, vt consobrinarum
nuptias vetuerit, tamquam sororum. Litteris, * si multum perfectos contemplemur,
mediocriter doctus: sagax plane, multumque diligens ad * cognoscenda maiorum
gesta. E quibus non desinebat * exsecrari, quorum facta superba, crudelia, * libertati
infesta legerat; vt Cinnam, Marium, Sullamq;, atque vniuersos dominantium; præ-
cipue tamen perfidos & ingratos. Irasci sane rebus indignis; sed flecti cito: vnde mo-
dica dilatione emolliebantur aliquando * seuera præcepta. Habuitq; * a naturæ mu-
nere, quod Augustus a philosophiæ doctore [didicerat:] qui, cum vidisset eum facile
commoueri, ne asperum aliquid statueret, monuit [vt] vbi irasci cœpisset, quatuor
atque viginti Græcas litteras memoria recenseret: vt illa concitatio, quæ momenti
est, mente aliò traducta, parui temporis interiectu languesceret. † Melior haud 77
dubie, quod est raræ virtutis, post auctam annis potentiam regalem, multoque ma-
xime post ciuilem victoriam. Nam & annonæ curam sollicitius attendere, & auri ar-
gentique * grande pondus sublati atque expensi * a tyranno, multis e suo restituere;
cum * benigni principum, & quidem vix fundos solerent nudos, ac deformata præ-
dia, concedere. Iam illa minutiora, &, vt dicitur, *intra aulam*: quæ quidem quia oc-
culta sunt, magis naturæ hominum curiosæ oculos auresque ad se trahunt: patruum
colere tamquam genitorem: fratris mortui sororisq; liberos habere pro suis: cogna-
tos affinesque parentis animo complecti: elegans lætumque conuiuium dare, non
tamen sumtuosum: miscere colloquia cum personis, * studio, dignitatibus, sermone
cum grauitate iucundo: blandus pater, concors maritus. Exercebatur neque ad * il-
lecebras, neque ad lassitudinem. ambulationibus * magis, cum esset otium, reficie-
bat animum: ac vescendi continentia valetudinem regebat. sicque in pace, rebus hu-
manis, annum agens quinquagesimum, apud Mediolanum excessit; vtramq;
Rempublicam * vtrique, id est, ARCADIO & HONORIO quie-
tam relinquens. Corpus eius eodem anno Con-
stantinopolim translatum atque
sepultum est.

FINIS.



SEX. RVFI V. C. DICTATORIS, MAGISTRI MILITVM, BREVIARIVM RERVM GESTARVM PO. RO. AD VAlentinianum Auguſtum.

D. N. VALENTINIANO IMPERATOri, Pio, Perpetuo, ſemper Auguſto, Sex. Rufus V. C.



REVEM fieri clementia tua [libellum] præcepit. Parebo libens; quippe * cui deſit facultas latius eloquendi: [ac] morem ſequutus calculatorum, qui ingentes ſummas * ære breuiori exprimunt; [res geſtas ſignabo, non eloquar.] Accipe ergo * quæ breuiter dicta breuius cōputentur: vt * annos & ætatem Reipubl. ac præteriti facta temporis, non tam legere [glorioſe Princeps] quam numerare videaris. Ab vrbe igitur condita in ortum perennitatis veſtræ, quo proſperius [factum] imperium * Ro. ſortitus es, anni numerantur * M. C. X & VII. Sub Regibus, CCXLIII: ſub Conſulibus, CCCCLXVII: ſub Imperatoribus, CCCCVII. Regnauerunt Romæ per annos CCXLIII, reges [numero] ſeptem. Romulus, regnauit annos XXXVII: Senatores, per quinos dies [ſinguli,] annum vnum: Numa Pompilius, annos XLIII: Tullus Hoſtilius, annos XXXII: Ancus Marcius, annos XXIIII: Tarquinius Priſcus, annos *XXXVII: Seruius Tullius, annos XLIIII. Tarquinius Superbus, regno expulſus eſt anno XXV. CONSVLES [deinde] fuerunt a Bruto & Publicola in Panſam & Hirtium numero * DCCCLXVII, præter eos qui in * eundem annum ſorte aliqua ſunt ſubrogati, per annos * CCCCLXVII. † Quadraginta nouem annis Romæ Conſules defuerunt: ſub Decemuiris, annis duobus; ſub Tribunis * militum, annis XLIII. Sine magiſtratibus Roma fuit annis IIII. IMPERATORES ab Octauiano Cęſare Auguſto vſq; * ad Iouianum fuerunt [numero] * XLIIII, per annos CCCCVII. Sub his igitur tribus imperandi generibus, hoc eſt Regio, Conſulari, & Imperatorio, quantum Roma profecerit, breuiter intimabo. SVB REGIBVS * ſeptem per annos CCXLIII non amplius quam vſque [ad] portum atque Oſtiam [intra] octauum decimum miliarium a portis vrbis Romæ, vtpote adhuc paruæ & a paſtoribus conditæ, quum finitimæ circúm ciuitates premerent, Romanum proceſſit imperium. SVB CONSVLIBVS, inter quos nonnumquam [&] Dictatores fuerunt, per annos ſimul * CCCCLXVII, vſque trans Padum Italia occupata eſt. Africa ſubacta, Hiſpaniæ acceſſerunt; Galliæ & Britanniæ tributariæ factæ ſunt. Inde * Illyrici, Iſtrij, Liburni, Dalmatæ, domiti ſunt. Ad Achaiā tranſitum eſt. Macedones ſubacti. Cum Dardanis, * Mœſis & Thracibus bellatū eſt: [etiam] ad Danubium vſque peruentum. In Aſia, expulſo Antiocho, primū pedem poſuere Romani. Mithridate victo, Ponti regnum occupatum; & Armenia minor, quam idem * tenuerat, armis obtenta eſt. In Meſopotamiam Rom. peruenit exercitus. Cum Parthis fœdus initū eſt. Contra * Corduenos ac Saracenos & Arabas bellatum eſt. Iudæa omnis victa eſt. Cilicia & Syria, in poteſtatem populi Romani venerunt. [Ægypti reges fœderati * erant.] SVB IMPERATORIBVS vero per annos

qua-

quadringentos septem, quum diuersa Reipubl. fortuna multi Principes imperarint, accesserunt [tamen] * Romano orbi Alpes maritimæ, Alpes Cottiæ, Rhætiæ, Noricæ, Pannoniæ, Mœsiæ; & omnis ora Danubij in prouinciam est redacta: Pontus omnis, Armenia minor, Oriens totus cum Mesopotamia, * ac Syriis, Arabia & Ægypto, sub imperij Romani iura transiuit. Quo autem ordine singulas prouincias Romana Respublica assecuta sit, * ita ostenditur infra. Prima *prouinciarum Sicilia* facta est. Eam victo Hierone Siculorum rege, Marcellus consul obtinuit. Deinde a prætoribus recta est; postea commissa est præsidibus: nunc a * consularibus administratur. *Sardiniam* & *Corsicam* Metellus vicit: * qui & triumphauit de Sardis, qui rebellauere sæpe. Iuncta administratio harum insularum fuerat: pòst [quælibet] suos Prætores habuit: nunc singulæ a [suis] præsidibus reguntur. In *Aphricam* pro defensione Siculorum Romana * transmissa sunt signa. Ter Aphrica rebellauit: ad extremum, deleta per P. Scipionem Carthagine, prouincia facta est: nunc sub * Proconsulibus agit. *Numidia* ab amicis regibus tenebatur: sed Iugurthæ, ob necatos Adherbalem & Hiempsalem Micipsæ regis filios, bellum indictum est: & eo per Metellum consulem attrito, per Marium capto, in populi Romani potestatem Numidia peruenit. *Mauritaniæ* a Boccho [rege] obtentæ sunt. Sed subacta omni Africa, Mauros Iuba rex tenebat; qui in caussa belli ciuilis, a Iulio Cæsare victus, mortem sibi propria * manu consciuit. Ita Mauritaniæ nostræ esse cœperunt: ac per omnem Africam sex prouinciæ factæ sunt. ipsa * vbi Carthago est proconsularis; Numidia, consularis; [Byzacium, consularis;] Tripolis, & Mauritaniæ duæ, hoc est Sitifensis & Cæsariensis, sunt * Præsidales. *Hispanis* primum auxilium aduersus Afros per * Scipiones tulimus. Rebellantes Lusitanos in Hispania per D. Brutum obtinuimus. & vsque * Gades ad Oceanum mare peruenimus. * Post [ea] ad Hispanos tumultuantes [D. Iunius] Silanus cum exercitu missus, eos vicit. Celtiberi * in Hispania sæpe rebellauere: sed misso minore * Africano, cum excidio Numantiæ subacti sunt. Omnes pene Hispaniæ occasione belli Sertoriani, per Metellum & Pompeium in * deditionem acceptæ sunt: postea prorogato * in quinquennium imperio, a Pompeio perdomitæ [sunt.] Ad extremum quoque ab Octauiano Cæsare Augusto, Cantabri & Astures, qui freti montibus resistebant, deleti sunt. Ac per omnes Hispanias sex sunt nunc prouinciæ; Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitania, * Gallæcia, Bætica. * Trans fretum etiam in solo terræ Africæ, prouincia Hispaniarum est, quæ * Tingitanica Mauritania cognominatur. Ex his Bætica & Lusitania, Consulares; ceteræ, * Præsidales sunt. Cum *Gallis* grauissima bella populus Romanus habuit. Galli enim etiam illam partem Italiæ * in qua nunc Mediolanum est, vsque ad Rubiconem fluuium tenebant; in tantum viribus freti, vt Romam ipsam bello peterent; & cæsis exercitibus Romanis apud Alliam fluuium, mœnia vrbis intrarent, Capitoliumque obsiderent, ad cuius arcem sexcenti * nobilissimi Senatores confugerant; qui mille auri * pondo se [ab] obsidione redemerunt. Postea Gallos * victores remeantes, Camillus, qui * in exsilio erat, collecta * de agris multitudine, oppressit; aurum & signa quæ Galli ceperant, reportauit. Cum Gallis multi Consules, Prætores ac Dictatores, euentu vario conflixerunt. Marius Gallos de Italia expulit: & transcensis Alpibus, feliciter aduersus eos pugnauit. Ceterum C. Cæsar cum decem legionibus, quæ quaterna millia militum Italorum * habuerunt, per annos octo, ab Alpibus ad Rhenum vsque Gallias subegit: cum barbaris vltra Rhenum positis conflixit: in Britanniam transiuit; decimo anno Gallias & Britannias tributarias fecit. Sunt * in Gallia cum Aquitania & Britanniis prouinciæ octodecim. Alpes maritimæ, * prouincia Narbonensis, Viennensis, Nouempopulana, Aquitaniæ duæ, Lugdunenses duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum, Germaniæ duæ, Belgicæ duæ: in Britannia, Maxima Cæsariensis, [Flauia,] Britannia prima, Britannia secunda.

* *Illyricum* ab ora maritima paulatim aggressi sumus. Læuinus cõsul Hadriaticum atq; Ionium mare primus ingressus, maritimas obtinuit ciuitates. *Creta* per Metellum * proconsulem, qui *Creticus* dictus est, prouincia facta est. *Græcis* in fidem nostram confugientibus, ad Achaiam accessimus. Athenienses, aduersus Philip-

pum Macedonum regem auxilium nostrum petierunt. Libera diu sub * amicitiis nostris Achaia fuit: ad extremum legatis Romanorum apud Corinthum violatis, per L. Mummium * proconsulem capta Corintho, Achaia omnis obtenta est. *Epirotæ*, qui aliquando cum rege Pyrrho, etiam ad Italiam transire præsumpserant, victi. atq; *Thessali* simul cum Achiuorum & Macedonum regionibus nobis accesserunt. *Macedonia* ter rebellauit; sub Philippo, sub Perseo, sub Pseudophilippo. Philippum Flamininus,* Perseum Paulus, Pseudophilippum Metellus oppressit: quorum triumphis Macedonia [quoque] populo Romano adiuncta est. *Illyricos*,* quia Macedonibus auxilium tulerant, ex eadem occasione per L.* Anicium Prætorem vicimus, & eos cum rege Gentio in deditionem accepimus. *Dardanos* & * *Mœsios* Curio proconsul subegit; & primus Romanorum ducum ad Danubium vsque peruenit. Sub Iulio & Octauiano Cæsaribus per Alpes Iulias iter factum est: *Alpinis* omnibus victis, *Noricorum* prouinciæ accesserunt. * Bathone Pannoniorum rege subacto, * in dicionem nostram *Pannoniæ* venerunt. Amantinis inter Sauum & Drauum prostratis, regio * Sauensis ac secundorum Pannoniorum loca obtenta sunt. *Marcomanni* & * *Quadi*, de locis * Valeriæ, quæ sunt inter Danubium & Drauum, pulsi sunt: & limes inter Romanos ac barbaros ab * Augusta Vindelicûm per Noricum, Pannonias ac Mœsias, est constitutus. Traianus *Dacos* sub rege Decibalo vicit; & Daciam trans Danubium in solo barbarico prouinciam fecit; quæ in circuitu decies centena milia passuum habuit. sed sub Gallieno Imperatore amissa est; & per Aurelianum, translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus * Mœsiæ [ac Dardaniæ] factæ sunt. Prouincias habet *Illyricus* septem & decem: Noricorum duas, * Pannoniarum duas, Valeriam, * Sauiam, Dalmatiam, * Mœsiam, Daciarum duas. Et in * diœcesi *Macedoniæ* sunt septem; Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiri duæ, Præualis & Creta. In *Thracias* Macedonici belli occasione transcursum est. Sæuissimi omnium gentium Thraces fuerunt. In * Thraciæ regionibus Scordisci habitauerunt, pariter * crudeles & callidi. de quorum sæuitia multa fabulosæ * memorantur, quod hostiis captiuorum diis suis [aliquando] litauerunt, atque sanguinem humanum in ossibus capitum potare sunt soliti. Sæpe per eos Romanus est cæsus exercitus. M. Didius vagantes Thracas repressit: M. Drusus intra fines proprios continuit: * M. Minucius in Hebri fluminis glacie vastauit. Per Appium Claudium proconsulem, hi qui * Rhodopen incolebant, victi sunt. Europæ maritimas vrbes antea Romana classis obtinuit. M. Lucullus per Thracias cum Bessis primus conflixit; ipsamque caput gentis Thraciam vicit. * Hemimontanos subegit: * Eumolpiadam, quæ nunc Philippopolis dicitur; * Vscudamam, quæ modo Adrianopolis nominatur, in dicionem nostram redegit; * Calyben cepit. Supra Pontum positas ciuitates occupauit, Apolloniam, * Callatim, Phthinopolim, Tomos, Istrum: ad Danubium vsque perueniens, Romana Scythis arma monstrauit. In dicionem Reipubl. sex Thraciarum prouinciæ sunt * acquisitæ; Thracia, * Hæmimons, Mœsia inferior, Scythia, Rhodope, Europa; in qua nunc secundæ arces Romani orbis sunt constitutæ, Constantinopolis. Nunc * Eoas partes, totumque orientem, ac positas sub vicino sole prouincias, qui auctores sceptris tuis parauerint, explicabo; quo studium clemen-
100 tiæ tuæ, quod in iisdem propagandis habes, amplius * excitetur. *Asia* societate Attali regis nota Romanis est; eamque Attali testamento relictam hereditario iure possidemus. Ne quid tamen Pop. Rom. non * viribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho * Syriarum rege maximo est vindicata. Eadem occasione etiam *Lydia*, sedes antiqua regnorum; *Caria*, *Hellespontus*, ac * *Phrygia*, in potestatem Populi Ro. * iuncta deditione peruenerunt. *Rhodiis*, & *Insularum populis*, primum infestissimis, pòst fidelissimis [auxiliatoribus] vsi sumus. Ita Rhodus, & Insulæ primum liberæ agebant: postea in consuetudinem parendi, Romanis clementer prouocantibus, peruenerunt: & sub Vespasiano principe *Insularum prouincia* facta est. * *Pamphyliam*, *Lyciam*, *Phrygiam*, *Pisidiam*, *Cariam*, *Isauriam* Seruilius proconsul ad bellum piratarum missus, obtinuit. *Bithyniam* defuncti regis Nicomedis testamento sumus assequuti. *Gallogræciam*, id est *Galatiam*, (sunt enim, * vt & nomen sonat, e Gallis Galatæ)

quod Antiocho contra Romanos auxilium præbuissent, inuasimus. * Manlius proconsul Galatas persequutus est; & confugientes partim in Olympum, partim in * Magabam montem, qui nunc Modiacus dicitur, de arduis eos in plana detrusit: victosque in perpetuam pacem redegit. Postea Galatiam Deiotarus *Tetrarches nobis permittentibus tenuit. Ad extremum sub Octauiano Cæsare Augusto Galatia in * formam prouinciæ redacta est. Eam primus * Lollius proprætor administrauit. *Cappadoces* primo societatem nostram sub Ariarathe rege [per legatos] petiuerunt: posteaque Ariobarzanes rex Cappadocum a Mithridate expulsus, Romanorum armis restitutus est; semperque in auxilia nostra fuêre Cappadoces; & ita maiestatem coluere Romanam, vt in honorem Augusti Cæsaris * Mazaca ciuitas Cappadociæ maxima, Cæsarea nuncuparetur. * Postremo quum sub Imperatore Claudio Cæsare Archelaus * rex Cappadocum Romam venisset, ibique diu detentus occubuisset, in prouinciæ speciem Cappadocia migrauit. *Pontus*, per Pompeium victo Mithridate *rege Pontico, formam prouinciæ accepit. *Paphlagoniam* *Pylæmenes rex amicus Pop. Rom. tenuit. * Sæpe ex ea pulsus, regno a nobis est restitutus: quo mortuo, prouincia Paphlagonibus imposita est. Vltra iuga *Tauri* montis, quemadmodum Romana perrexerit possessio, consequenti locorum magis quam temporum seruata digestione, monstrabitur. Antiochus Syriæ rex potentissimus, bellum formidabile populo Romano intulit. Trecenta milia armatorum habuit: falcatis etiam curribus ac elephantis aciem instruxit. a Scipione consule, fratre Scipionis Africani, [in Asia] apud Magnesiam victus, pace accepta, intra Taurum [montem] regnare permissus est. Eius filij sub clientela populi Romani regnum Syriæ retinuerunt: quibus defunctis, Syriarum prouinciis potiti sumus. *Cilices* & *Isauros*, qui se piratis & prædonibus maritimis iunxerant, Seruilius proconsul ad prædonum bellum missus, subegit, & viam per Taurum montem primus instituit; isque de Cilicibus & Isauris triumphauit, atque *Isauricus* est cognominatus. *Cyprus*, famosa diuitiis, paupertatem populi Romani, vt* occuparetur, sollicitauit. Eam rex fœderatus [Ptolemæus] regebat: sed tanta fuit pænuria ærarij Romani, & tam ingens fama opum Cypriarum, vt lege lata [per P. Clodium trib. pl.] Cyprus confiscari iuberetur. Quo accepto nuntio, rex Cyprius venenum sumpsit; quo vitam prius quam diuitias amitteret. Cato Cyprias opes [Romam] nauibus aduexit: ita vt ius eius insulæ auarius [magis] quam iustius simus assecuti. *Cyrenas* cum ceteris ciuitatibus *Libyæ Pentapolis*, Ptolemæi antiquioris liberalitate accepimus. *Libyam** supremi Apionis regis arbitrio sumus assequuti. *Ægyptus* omnis, sub amicis regibus fuerat: sed victa cum Antonio Cleopatra, prouinciæ formam Octauiani Cæsaris Augusti * temporibus accepit: & primum apud Alexandrinos Cornelius Gallus [Romanus iudex] administrauit. Per confinia *Armeniarum* primum sub L. Lucullo Romana trans Taurum * signa transmissa sunt. * Phylarchi *Saracenorum* in Osroena superati cessere. In *Mesopotamia* ab eodem Lucullo Nisibis capta est. Postea per Pompeium eadem loca armis obtenta sunt. * *Syria Phœnices* bello a Tigrane Armeniorum rege * recepta est. *Arabes* & *Iudæi* in Palæstina victi sunt. Ad extremum sub Traiano principe, regi maioris Armeniæ diadema sublatum est: & per Traianum *Armenia*, *Mesopotamia*, * *Assyria* & *Arabia*, prouinciæ factæ sunt; ac limes orientalis supra ripam fluminis Tigridis * constitutus est. Sed Hadrianus, qui successit Traiano, inuidens gloriæ Traiani, sponte sua Armeniam, Mesopotamiam * & Assyriam reddidit: ac medium inter Persas & Romanos Eufratem esse voluit. * Sed postea sub Antoninis duobus, Marco & Vero, & Seuero Pertinace, ceterisque principibus Romanis, qui aduersus Parthos euentu vario dimicauerunt, quater amissa, quater recepta Mesopotamia est. Ac Diocletiani temporibus, victis prima congressione Romanis, secundo autem conflictu superato rege Narseo, vxore eius ac filiabus captis, & * cum summa pudicitiæ custodia reseruatis, pace facta, Mesopotamia est restituta: & supra ripam Tigridis limes est * refirmatus; ita vt quinq; gentium trans Tigridem constitutarum dicionem assequeremur: quæ conditio fœderis in tempus Diui * Constantij conseruata durauit. Scio nunc, inclyte princeps, quo tua * pergat intentio. Requiris profecto * quoties *Babyloniæ* & Romanorum arma collata sint, & quibus

* vicibus sagittis pila contenderint. breuiter euentus enumerabo bellorum. * Furto hostes in paucis inuenies esse lætatos; vera autem virtute semper Romanos probabis exstitisse victores. Primum a L. Sylla proconsule Arsaces rex *Parthorum* missa legatione * amicitiam Pop. Rom. rogauit, ac meruit. L. Lucullus Mithridatem regno Ponti exutum ad Armeniam persequutus est. Tigranem Armeniorum regem cum VII milibus CCCCC * clibanariis, & centum * viginti milibus sagittariorum, ipse cum XVIII milibus Romanorum vicit. Tigranocertam maximam Armeniæ ciuitatē expugnauit. * Madenam optimam Armeniorum regionem obtinuit: per Melitenam ad Mesopotamiam descendit: Nisibim cum fratre regis cœpit. Tendere in Persas paratus, successorem accepit. Cn. Pompeius expertæ felicitatis ad Mithridaticū bellum missus, Mithridatē in Armenia minore nocte aggressus, prœlio superauit: cæsis duobus & quadraginta milibus hostium, castra eius inuasit. Mithridates enim cum vxore & duobus comitibus * in Bosphoros fugit: ibi desperatione rerum suarum, venenum hausit: & quum parum ageret vis veneni, a milite suo vt ferro percuteretur, * impetrauit. Pompeius auxiliatorem Mithridatis Tigranem Armeniorum regem persequutus est: ille se [ei] oblato diademate apud Artaxata dedidit. Receptæ sunt ab eo Mesopotamia, Syriæ, & aliquanta pars Phœnices; * atque intra Armeniam maiorem regnare permissus est. Idem Pompeius Bosphoranis & Colchis Aristarchū regem imposuit: cum Albanis conflixit. * Orœsi Albanorum regi ter victo pacem dedit. Iberiam cum * Arthoce rege in deditionem accepit. Saracenos & Arabas vicit. Iudæa capta Hierosolymam obtinuit. Cum Persis fœdus fecit. Rediens, apud Antiochiam, Daphnensem lucum, delectatus loci amœnitate & aquarum abundantia, addito nemore consecrauit. M. Crassus consul aduersus Parthos rebellantes missus est. Is cum * pacem missa a Parthis legatione rogaretur, apud Ctesiphōtem responsurū se ait: apud * Zeumam traiecit Euphratem; & a transfuga quodam * Abgaro inductus, ad ignotā camporum solitudinem descendit. ibi vndique * circumuallantibus sagittariorum agminibus cum * Sillace & Surena præfectis regiis, est cinctus exercitus, & vi telorum obrutus. ipse Crassus quum ad colloquium sollicitatus viuus pene capi potuisset, repugnantibus tribunis euaserat: & dum fugam petit, occisus est. caput eius cum dextera manu resectum, ad regem perlatum est: atque ita ludibrio habitum, vt faucibus eius, „ aurum liquefactum infunderetur: scilicet vt qui ardens cupiditate prædandi, pacem „ * regi dare rogatus abnuerat, etiam mortui eius reliquias auri flamma cōbureret. L. Cassius quæstor Crassi, vir strenuus, reliquias fusi collegit exercitus. Contra Persas in Syriam * irrumpentes, ter cum summa admiratione conflixit, eosq; trans Euphratem redactos vastauit. Parthi Labieno duce (qui Pompeianarum partium fuerat, & victus ad Persas refugerat) in Syriam irruperunt, ac totam prouinciam occupauerunt. Sed P. Ventidius Bassus Parthos, qui * ducente Labieno Syriam inuaserant, occurrēs in * Tauro monte, cum paucis fugauit, Labienum occidit, persequutus est Parthos, & ad internecionem strauit: qua congressione * Parthorum regis filium eadem die qua Crassus victus fuerat, occidit: ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Ventidius de Parthis [primus] triumphauit. M. Antonius *Mediam* ingressus, quæ nunc * Medena appellatur, bellum Parthis intulit, * & primis eos prœliis vicit. verum pōst duabus legionibus amissis, cum fame, pestilentia, tempestatibusq; premeretur, vix per Armeniam * Parthis insequentibus reuocauit exercitum; tanto per momenta temporum terrore perculsus, vt a gladiatore suo percuti postularet, ne viuus veniret in hostium potestatem. Sub * OCTAVIANO CÆSARE AVGVSTO Armenia cum Parthis conspirauit. Claudius Cæsar nepos Augusti, cum exercitu missus ad Orientem, cum * pro maiestate Romani nominis facile cuncta sedasset, atque * ei se Armenij, qui tūc temporis validiores erant Parthis, dedidissent, iudicesq; ex instituto Pompeij dictis gentibus Claudius Cæsar præficeret, * Dones quidam, quem Parthis Arsaces præposuerat, proditione simulata, libellum in quo scripti thesauri continerentur, obtulit. quem cum Romanus imperator legeret intentius, * cultro Dones aggressus Claudium vulnerauit. Percussor quidem a militibus confossus est; Claudius vulneratus, regressus in Syriam, obiit. * Parthi ad satisfactionem tam audacis admissi, obsides tunc primum Octauiano Cæsari dederunt, & erepta sub Crasso signa retulerunt.

Pacatis

Pacatis gentibus Orientis, Auguſtus Cæſar etiam *Indorum* legationem primus accepit. NERO, quem turpiſſimum Imperatorem Romana eſt paſſa Reſpublica, amiſit Armenias duas: tum [Romanæ] legiones duæ ſub iugum a Parthis miſſæ, extremo dedecore Romani exercitus *ſacramenta fœdarunt. TRAIANVS, qui poſt Auguſtum *Romanæ Reipubl. mouit lacertos, Armeniam recepit a Parthis: ſublato diademate, regi Armeniæ maioris regnũ ademit. Albanis regem dedit: *Iberos, Boſphoranos, Colchos, in fidem Romanæ dicionis accepit: * Saracenorum loca & Arabum occupauit. *Corduenos & Mardomedos obtinuit. Anthemuſiam optimam Perſidis regionem, Seleuciamque & Cteſiphontem ac Babyloniam accepit & tenuit; vſque ad Indiæ fines poſt Alexandrum acceſſit. In mari rubro claſſem inſtituit. Prouincias fecit Armeniam, Meſopotamiam & Aſſyriam, quæ inter Tigridem atque Eufratem ſita, irriguis *amnibus inſtar Ægypti fœcundatur. HADRIANVM gloriæ Traiani certum eſt inuidiſſe, qui ei ſucceſſit in imperio. Hic *ſpõte propria inde eductis exercitibus. *Armeniam, Meſopotamiã & Aſſyriam conceſſit; & inter Romanos & *Parthos [medium] Eufratem eſſe voluit. ANTONINI duo, Marcus & Verus, *ille ſocer, hic gener, pariter *Auguſti, Imperium orbis æquata prius poteſtate tenuerunt. Sed ex his Antoninus iunior ad expeditionem Parthicam profectus eſt: multaq; [&] ingentia aduerſus Perſas feliciter geſſit. Seleuciam Aſſyriæ vrbem cum quadringentis milibus hoſtium cepit, ingenti gloria de Parthis cum ſocero triumphauit. SEPTIMIVS SEVERVS, natione Afer, acerrimus imperator, Parthos ſtrenuiſſime vicit; Adiabenos deleuit, Arabas [interiores] obtinuit, & Arabiam prouinciam fecit. Huic cognomina ex victoriis *quæſita ſunt. nam Parthicus, Adiabenicus, & Arabicus eſt cognominatus. ANTONINVS [*Baſſianus*] cognomento *Caracalla*, filius Seueri Imperatoris, expeditionem in Parthos parans, in Oſroëna apud Edeſſam propria morte obiit, & ibidẽ ſepultus eſt. AVRELIVS ALEXANDER, quaſi fato quodam in exitium Perſicæ gentis natus, iuuenis admodum Romani guberniacula ſuſcepit imperij. Ipſe Perſarũ regẽ nobiliſſimum *Xerxem glorioſe vicit. Hic Alexander *ſcriniorũ magiſtrũ habuit *Vlpianum iuriſcõſultum. De Parthis pompa ſpectabili triumphauit. Sub GORDIANO Auguſto [acri] ex iuuentutis fiducia rebellantes Parthi, ingentibus prœliis contuſi ſunt. iſque de Perſide rediens victor, fraude Philippi, qui præfectus prætorio eius erat, occiſus eſt. Milites ei tumulum in viceſimo miliario a *Cercuſio caſtro, quod & nunc exſtat, ædificauerunt; atque exſequias eius Romam cum maxima venerationis reuerentia deduxerunt. VALERIANI infauſti principis fortunam tedet referre. Is cum GALLIENO ſuſcepit imperium: ſed hunc exercitus, Gallienum Senatus Imperatorem fecit. E quibus in Meſopotamia aduerſus Perſas Valerianus congreſſus, a Sapore Perſarum rege ſuperatus eſt; & captus, in dedecore ſeruitutis conſenuit. Sub Gallieno Meſopotamia inuaſa, etiam *Syriam ſibi Perſæ cœperant vindicare; niſi quod turpe dictu eſt, Odenatus decurio Palmyrenus, collecta *Syrorum agreſtium manu, acriter reſtitiſſet; & fuſis aliquoties Perſis, non modo noſtrum *militem defendiſſet, ſed etiam ad Cteſiphontem Romani vltor imperij, quod mirum eſt dictu penetraſſet. AVRELIANI Imperatoris gloriæ Zenobia Odenati vxor acceſſit. Ea enim poſt mortem mariti fœminea dicione Orientis tenebat imperium; quã Aurelianus multis *clibanariorum & ſagittariorum milibus fretam, apud *Himmas haud procul ab Antiochia vicit; & captam Romæ triumphans ante currum duxit. CARI Imperatoris victoria de Perſis, nimium potens ſuperno numini viſa eſt. Nam *ad inuidiam cæleſtis indignationis pertinuiſſe credenda eſt. Is enim ingreſſus Perſidem, quaſi nullo *obſiſtente vaſtauit: Cochen & Creſiphontem vrbes [Perſarum] nobiliſſimas cepit. Quum victor totius gentis caſtra ſuper Tigridem haberet, fulminis ictu interiit. Sub DIOCLETIANO principe, põpa victoriæ de Perſis nota eſt. MAXIMIANVS Cæſar, prima congreſſione quum contra innumeram multitudinem cum paucis acriter dimicaſſet, pulſus receſſit: ac tãta indignatione a Diocletiano ſuſceptus eſt, vt ante carpentum eius per aliquot milia paſſuum cucurrerit purpuratus: & quũ vix impetraſſet, vt reparato de limitaneis Daciæ exercitu, euentum Martis repeteret, in Armenia maiore ipſe imperator, cum duobus equitibus explorauit hoſtes: & cum viginti [quinque] milibus militum ſuperueniens caſtris hoſtilibus, ſubito innumera

Perſarum agmina aggreſſus, ad internecionẽ * cecidit. Rex Perſarum Narſeus effugit; vxor eius & filiæ, captæ ſunt, & [cum] maxima pudicitiæ cuſtodia reſeruatæ. Pro qua admiratione * Perſæ non modo armis, ſed etiam moribus ſuperiores eſſe Romanos confeſſi ſunt: ac Meſopotamiam cum Tranſtigranis quinque regionibus reddiderunt. Pax facta, vſque ad noſtrã memoriam Reipubl. vtilis perdurauit. CONSTANTINVS rerum dominus, extremo vitæ ſuæ tempore, expeditionem parauit in Perſas: toto enim orbe pacatis gentibus, & recenti de Gothis glorioſior victoria, *cunctis in Perſas deſcendebat agminibus. Sub cuius aduentũ Babyloniæ in tantum regna trepidarunt, vt *ſupplex eorum legatio occurreret, Perſaſque facturos imperata promitteret. Nec tamen pro aſſiduis eruptionibus, quas ſub Conſtantino Cęſare per Orientem tentauerant, veniam meruerunt. CONSTANTIVS in Perſas vario ac magis difficili pugnauit euentu. Præter enim leues excubantium in limite congreſſiones, acriori *Marte nouies decertatum eſt; per duces ſuos, ſepties; ipſe præſens bis affuit veris & grauibus pugnis. *Verum Singarena præſente Conſtantino, & iterum Singarena Conſtantinienſium & Amida capta eſt. Graue ſub eo principe Reſpublica vulnus accepit. Ter autem eſt a Perſis obſeſſa Niſibis: ſed maiore *ſui detrimento, dum obſideret, hoſtis affectus eſt. Narſenſi autem bello, vbi Narſeus *occiditur, ſuperiores diſceſſimus. *Nocturna vero in agro *Eleienſi prope Singaram pugna; vbi [præſens] Conſtantius affuit; omnium expeditionum compenſatus fuiſſet euentus, ſi locis *ac nocte aduerſantibus, percitos ferocia milites, ab intempeſtiuo pugnandi tempore, Imperator ipſe ad alloquendũ reuocare potuiſſet; qui tamẽ inuicti viribus, improuiſi aduerſus ſitim aquarũ ſubſidiis *incumbente iam veſpere caſtra Perſarum aggreſſi, ruptis munitionibus occuparunt. fugatoque rege, quum a prœlio reſpirantes, prætẽtis luminibus [repertæ] inhiarent aquæ, nimbo ſagittarum obruti ſunt, cum ſtolide ad dirigendos certius in ſe ictus, lumina ipſi per noctem accenſa præberent. IVLIANO in externos hoſtes expertæ felicitatis principi, aduerſus Perſas modus defuit. Is *enim ingenti apparatu, vtpote totius orbis regnator, infeſta in Perſas ſigna commouit; inſtructam commeatibus claſſem per Eufratem inuexit. Strenuus *in ingreſſu, multa Perſarum oppida ac caſtella, aut ſuſcepit dedita, aut manu cepit. Cum contra Cteſiphontem, in Tigridis & Euphratis ripa iam *mixti caſtra haberet, ludoſque campeſtres, vt hoſtis ſollicitudinem demeret, per diem agitaſſet, noctis medio impoſitos nauibus milites, in vlteriorem ripam repente tranſuexit. qui per ardua nitentes, qua difficilis etiam per diem & nullo prohibente fuiſſet aſcenſus, Perſas terrore ſubito miſcuerunt: verſiſque agminibus totius gentis, *apertas Cteſiphontis portas victor miles intraſſet, ni maior prædarum occaſio fuiſſet, quam cura victoriæ. Tãtam adeptus gloriam, cum de reditu a *comitibus admoneretur, intentioni ſuæ magis credidit: & exuſtis nauibus, quum a transfuga, qui ſe ad fallendum obiecerat, inductus in Madenam, viæ compendia ſectaretur, dextrum aduerſa Tigridis ripa nudato militum latere, iter relegens, dum incautius per agmen errat, excito puluere, ereptus e ſuorum conſpectu, ab hoſtium obuio equite, conto per ilia ictus, inguinum tenus vulneratus eſt. Inter effuſionem nimij ſanguinis, cum ſuorum ordines licet ſaucius inſtauraſſet, cunctantem animã, *multis ſuos alloquutus, efflauit. *IOVIANVS prœliis ſuperiorẽ, ſed confuſum [ſubita] morte amiſſi Imperatoris, ſuſcepit exercitum. Quum commeatus deficerent, & via in reditu prolixior immineret, & Perſæ crebris excurſibus nũc a fronte nunc a tergo, mediorum quoq; latera incurſantes, *iter agminis morarentur, conſumptis aliquot diebus, tanta reuerentia Romani nominis fuit, vt a Perſis primus de pace ſermo haberetur, * ac reduci confectus inedia exercitus ſineretur; cõditionibus (quod numquam antea accidit) diſpendioſis Romanæ Reipubl. impoſitis, vt Niſibis & pars Meſopotamiæ traderetur: quibus, cupidior regni quam gloriæ, Iouianus imperio rudis acquieuit. *Quam magno deinceps ore tua ô Princeps inuicte facta inclyta ſunt perſonanda? Quibus me licet imparem dicendi niſu, & æuo *grauior *præparabo: maneat modo conceſſa Dei nutu cui credis, & ab amico cui creditus es numine indulta felicitas, vt poſt hanc ingentem de Gothis, etiam Babyloniæ tibi palma pacis accedat.



EVTROPII V. C BREVIARIVM HISTORIÆ ROMANÆ AB VRBE CONDITA AD ANNVM EIVSDEM VRBIS MC IX:

Nunc demum integritati suæ post tot corruptissimas editiones restitutum, per Eliam Vinetum Santonem.

Elias Vinetus lectori S.



ABVNDANTER *de rebus & copiose scripserant Græci Latinique auctores permulti; quorum libros fuerunt qui statim contraherent. Eutropius contra, res Romanas ab vrbe condita ad suam vsque ætatem breuissime explicuerat; quo sic Valentem, qui omnium litterarum ignarus ad imperiũ peruenisset, ad superiorum ducum principumque Romanorum res gestas percurrendas alliceret. inuenit vero ille, qui ex L. Annæo Floro, Eusebio, Sexto Victore, Hieronymo, Rufino, Orosio, & aliis, tam multa infercirent, vt exemplar Basiliense anni Christi* M D XXXII, *maius sit decuplo, quam quod ab auctore ipso editum fuerat. Illorum Epitomas conqueruntur litterarum studiosi caussam fuisse, cur Polybij, Trogi, Victoris, Vlpiani & aliorum iurisconsultorum præclara scripta interciderint: sed qui Eutropij Breuiarium ita labefactauerant, quanto sint de litteris melius meriti, tuum esto iudicium. Ego certe boni auctoris vicẽ dolui & multum dolui; donec incidi tandem in antiquum illum Dominicalium Burdegalensium librum; ex cuius fide tam integrum damus id opus, vt nunc primum editum videri possit. Si quisquã est autem ex elegantiæ studiosis, cui titulus a nobis repositus, insolens, atque adeo barbarus, propter vulgarem* Breuiarij *significationem, esse videatur: is sciat, scriptum librũ, cuius antiquitati vel hoc loco plurimum tribuimus, ita habuisse, nec esse cur reiiciamus, postquam Plinius & Suetonius Breuiarium pro commentario, & (vt nunc vulgo dicitur) epitome, multis locis vsurparunt: quamuis scribat Seneca, in ea epistola quæ sua rum trigesima nona inscribitur, suo tempore vulgo Breuiarium dici cœptum, quod ante, cum Latine loquerentur Romani,* Summarium *vocabatur. De auctore solum hoc comperimus, Breuiarium hoc rerum Romanarum ad Flauium Valentem Augustum conscripsisse, qui cum Valentiniano fratre imperare cœpit, vt putat Hieronymus, anno Christi* CCCLXVII. *in cuius Breuiarij libro vltimo obiter hoc de se attigit, militasse sub Iuliano Augusto, eiusque in Persas expeditioni interfuisse. Quod si præstitisset quæ in extremo eodem libro decimo pollicetur, illic fortasse plura de se memoriæ prodidisset. Christianum sunt qui fuisse coniiciant ex his de eodem Iuliano;* Nimius religionis Christianæ insectator: perinde tamen vt cruore abstineret: *scripseruntque quidam nuper, quod monachus fuerit, & D. Augustini discipulus. sed non ego credulus illis, qui nihil probant. nam neque vnus apud Ammianum, Prosperum, Gennadium, & alios etiam eodem tempore, Eutropius: neq; in iis auctoribus quidquã quod ad hunc pertinere Eutropium asseuerare possis. Hoc tantum addiderim; Constantinopolitanum, seu, quẽ se memorat Ammianus Marcellinus in extremo libro trigesimo primo, Græcum & militarẽ fuisse, ex his posse coniici: primum, quod eius nomen vnicum sit, & Græcanicum: deinde, quod oratio non admodum Romani; (nisi si id sæculo illi malis adscribere) tum, quod bella sit sequutus, quæ in eo orbe sunt gesta: postremo, quod ad eum scripsit, qui apud Constantinopolin, partem Imperij Romani Orientalem administrabat. Vale. Burdegalæ,* XV *Cal. Iun.* M D LIII.

DOMINO VALENTI GOTHICO MAXIMO PERPETVO AVGVSTO.

RES Romanas ex voluntate manſuetudinis tuæ ab Vrbe condita ad noſtram memoriam, quæ in negotiis vel bellicis vel ciuilibus eminebant, per ordinem temporum breui narratione collegi; ſtrictim additis etiam iis quæ in principum vitis egregia exſtiterunt; vt tranquillitatis tuæ poſſit mens diuina lætari, prius ſe illuſtrium virorum facta in adminiſtrando imperio ſequutam, quàm cognoſceret lectione.

EVTROPII [BREVIARII] LIBER PRIMVS.



OMANVM imperium, quo neque ab exordio vllum fere minus, neque incrementis toto orbe amplius humana potest memoria recordari, à ROMVLO exordium habet: qui * Vestalis virginis filius, & (quantum putatus est) Martis, cum Remo fratre, vno partu editus est. Is, cum inter pastores latrocinaretur, * octodecim annos natus, vrbem exiguam in Palatino monte constituit, XI Kal. Maij, Olympiadis sextæ anno tertio, post Troiæ excidium, vt qui plurimum minimumque tradunt, trecentesimo nonagesimo quarto. Condita ciuitate, quam ex nomine suo Romam vocauit, hæc * fere egit. Multitudinem finitimorum in ciuitatem recepit: centum ex senioribus elegit, quorũ consilio omnia ageret: quos *Senatores* nominauit propter senectutem. Tunc, cum vxores ipse & populus [suus] non haberent, inuitauit ad spectaculum ludorum vicinas vrbis [Romæ] nationes; atque earum virgines rapuit. Commotis bellis propter raptarum iniuriam, Cæninenses vicit, Antemnates, * Crustumios, Sabinos, Fidenates, Veientes. hæc omnia oppida Vrbem cingunt. Et cum orta subito tempestate non comparuisset, anno regni trigesimo septimo, ad deos transisse creditus, consecratus est. Deinde Romæ per quinos dies Senatores imperauerunt: & his regnantibus annus vnus completus est.

Postea NVMA POMPILIVS rex creatus est: qui bellum nullum quidem gessit, sed non minus ciuitati quam Romulus profuit. Nam & leges Romanis, moresq; cõstituit; qui consuetudine prœliorum iam latrones ac semibarbari putabantur. * Annum descripsit * in X menses, prius sine aliqua * computatione confusum: & infinita Romæ sacra ac templa cõstituit. Morbo decessit, quadragesimo tertio imperij anno.

Huic successit TVLLVS HOSTILIVS. hic bella reparauit; Albanos vicit, qui ab vrbe Roma XII milliario sunt. Veientes & Fidenates, quorum alij sexto milliario absunt ab vrbe Roma, alij octauo decimo, bello superauit. Vrbem ampliauit, adiecto Cœlio monte. Cum triginta duobus annis regnasset, fulmine ictus, cum domo sua arsit.

Post hunc ANCVS MARCIVS, Numæ ex filia nepos, suscepit imperium. cõtra Latinos dimicauit: Auentinum montem ciuitati adiecit, & Ianiculum: * apud Ostiam ciuitatem supra mare sexto decimo miliario ab vrbe Roma condidit. vigesimo quarto anno imperij morbo periit.

Deinde regnum PRISCVS TARQVINIVS accepit. Hic numerum Senatorum duplicauit; Circum Romæ ædificauit; ludos Romanos instituit, qui ad nostram memoriam permanent. Vicit idem etiam Sabinos; & non parum agrorum, sublatum iisdem, vrbis Romæ territorio adiunxit; primusque triumphans vrbem intrauit: muros fecit, & cloacas: Capitolium inchoauit. trigesimo octauo imperij anno per Anci filios occisus est, regis eius cui ipse successerat.

Post hunc SERVIVS TVLLIVS suscepit imperium, genitus ex nobili fœmina, captiua tamen, & ancilla. Hic quoque Sabinos subegit: montes tres, Quirinalem, Viminalem, * Æsquilinum, vrbi adiunxit. fossas circum murum duxit. primus omnium censum ordinauit; qui adhuc per orbem terrarum incognitus erat. Sub eo Roma omnibus in censum delatis, habuit * capitum LXXXIIII millia ciuium Romanorũ cum his qui in agris erant. Occisus est XLV imperij anno, scelere generi sui Tarquinij, filij eius regis cui ipse successerat; & filiæ suæ, quam Tarquinius habebat vxorem.

LVCIVS TARQVINIVS SVPERBVS, septimus atque vltimus regum, * Volscos (quę gens ad Campaniam euntibus nõ longe ab vrbe est) vicit; Gabios ciuitatem, & Suessam Pometiam subegit; cum Thuscis pacem fecit; & templum Ioui in Capitolio ædificauit. Postea Ardeam oppugnans, in octauo decimo milliario ab vrbe positam ciuitatem, imperium perdidit. Nam cum filius eius, & ipse Tarquinius iunior, nobilissimam fœminam Lucretiam, eandem pudicissimam Collatini vxorem stuprasset,

eaque de iniuria marito & patri & amicis quæsta fuisset, in omnium conspectu se occidit. propter quam caussam, Brutus, parens, & ipse *Tarquinius, populum concitauit, & Tarquinio ademit imperium. mox exercitus quoque eum, qui ciuitatem Ardeam cum ipso rege oppugnabat, reliquit: veniensq; ad vrbem rex, portis clausis exclusus est. Cumq; imperasset annos *viginti quinque, cum vxore & liberis suis fugit.

Ita Romæ regnatū est per septem reges annis ducentis quadraginta *tribus, cum adhuc Roma, vbi plurimum, vix vsque ad quintum decimum milliarium possideret.

444 Hinc CONSVLES cœpere pro vno rege duo hac caussa creari; vt si vnus malus esse voluisset, alter eum, habens potestatem similem, coerceret. Et placuit, ne imperium longius quam *annum vnum haberent: ne per diuturnitatem potestatis insolentiores redderentur, sed ciuiles semper essent, qui se post annum scirent futuros esse priuatos. Fuerunt igitur anno primo expulsis regibus Coss. Lucius Iunius Brutus, (qui maxime egerat vt Tarquinius pelleretur) & Tarquinius Collatinus, maritus Lucretiæ. sed Tarquinio Collatino statim sublata dignitas est. placuerat enim, ne quisquam in vrbe maneret, qui Tarquinius vocaretur. *Ergo accepto omni patrimonio suo, ex vrbe migrauit: & loco ipsius factus est Valerius Publicola Cos. Cōmouit tamen bellum vrbi Romæ rex Tarquinius, qui fuerat expulsus: & collectis multis gentibus, vt in regnum posset restitui, dimicauit. In prima pugna Brutus [consul] & Aruns Tarquinij filius inuicem se occiderunt. Romani tamen ex ea pugna victores recesserunt. Brutum Romanæ matronæ defensorem pudicitiæ suæ, quasi communem patrem per annum luxerunt. Valerius Publicola Spurium Lucretium Tricipitinum collegam sibi fecit, Lucretiæ patrem: quo, morbo mortuo, iterū Horatium Puluillum collegam sibi sumpsit. Ita primus annus quinque consules habuit: cum Tarquinius [Collatinus] vrbe cessisset propter nomen, Brutus prœlio perisset, Sp. Lucretius morbo mortuus esset. Secundo quoq; anno iterū Tarquinius, vt reciperetur in regnū, bellum Romanis intulit, auxilium ei ferente *Porsena Tusciæ rege: & Romam pene cepit. Verum tum quoque victus est. Tertio anno post reges exactos, Tarquinius cum suscipi non posset in regnum, neque [ei] Porsena, qui pacem cum Romanis fecerat, auxilium præstaret, Tusculū se contulit, quæ ciuitas non longe ab vrbe est: atque ibi per quatuordecim annos priuatus cum vxore persenuit. Quarto anno post reges exactos, cum Sabini Romanis bellum intulissent, victi sunt: & de his est triumphatum. Quinto anno, [Lucius] Valerius ille Bruti collega, & IIII consul, fataliter mortuus est; adeo pauper [factus] vt collatis a populo nummis, sumptum habuerit sepulturæ; quem matronæ, sicut Brutum, annum luxerunt.

255 Nono anno post reges exactos, cum gener Tarquinij, ad iniuriam soceri vindicādam ingentem collegisset exercitum, noua Romæ dignitas est creata; quæ *DICTATVRA appellatur, maior quam Consulatus. Eodem anno etiam MAGISTER EQVITVM factus est, qui Dictatori obsequeretur. neque quidquam similius potest dici, quam dictatura antiqua huic imperij potestati, quam nunc *tranquillitas vestra habet: maxime cum Augustus quoque Octauianus, de quo postea dicemus; & ante eum Caius Cæsar, sub dictaturæ nomine atque honore regnauerint. Dictator autem Romæ primus fuit Largius: magister equitum primus, Spurius Cassius.

260 Sexto decimo anno post reges exactos, seditionem populus Romæ fecit; tamquam a Senatu atque Consulibus premeretur. Tum & ipse sibi TRIBVNOS PLEBIS, quasi proprios iudices & defensores, creauit, per quos contra Senatum & Consules tutus esse posset.

Sequenti anno VOLSCI [contra Romanos] bellum reparauerunt: *& victi acie, etiā Coriolos ciuitatem, quam habebant optimam, perdiderunt.

*Octauodecimo anno *postquam reges eiecti erant, expulsus ex vrbe *Quintus Marcius dux Romanorum, qui Coriolos ceperat Volscorum ciuitatē, ad ipsos Volscos contendit iratus, & auxilia contra Romanos accepit, Romanos sæpe vicit: vsq; ad quintum milliarium vrbis accessit; oppugnaturus etiam patriam suam, legatis qui pacem petebant repudiatis; nisi ad eum mater Veturia & vxor Volumnia ex vrbe venissent: quarum fletu & deprecatione superatus remouit exercitum. Atque hic secundus post Tarquinium fuit, qui dux contra patriam suam esset.

*Cæsone

*Cæſone Fabio & Tito Virginio coss.trecenti nobiles homines, qui ex Fabia familia erant, contra *Vetentes* bellũ ſoli ſuſceperunt, promittẽtes ſenatui & populo per ſe omne certamen implendum. Itaque profecti omnes nobiles, & qui ſinguli magnorum exercituum duces eſſe deberent, in prœlio conciderunt. Vnus omnino ſuperfuit ex tanta familia; qui propter ætatem puerilem duci nõ potuerat ad pugnam. Poſt hæc *cenſus* in vrbe habitus eſt, & inuenta ſunt ciuium capitum CXIX millia. 274

Sequenti anno, cum in Algido monte, ab vrbe duodecimo ferme milliario, Romanus obſideretur exercitus, Lucius Quintius Cincinnatus Dictator eſt factus: qui agrum quatuor iugerum poſſidens, manibus ſuis colebat. Is, cum in opere & arans eſſet inuentus, ſudore deterſo, togam prætextam accepit: [&] cæſis hoſtibus, liberauit exercitum.

Anno *CCC & altero ab vrbe condita, imperium conſulare ceſſauit; & pro duobus COSS. decem facti ſunt, qui ſummam poteſtatem haberent, DECEMVIRI nominati: ſed cum primo anno bene egiſſent, ſecũdo vnus ex iis Appius Claudius, Virginij cuiuſdam, qui honeſtis iam ſtipendiis contra Latinos in monte Algido militabat, filiam virginem corrumpere voluit: quam pater occidit, ne ſtuprum a Decemuiro ſuſtineret: & regreſſus ad milites, mouit tumultum. Sublata eſt *Decemuiris poteſtas; ipſique damnati ſunt.

Anno trecenteſimo decimoquinto ab vrbe condita, *Fidenates* contra Romanos rebellauerunt. Auxilium præſtabãt his Veientes, & rex Veientium Tolumnius: quæ ambæ ciuitates tam vicinæ vrbi ſunt, vt *Fidenæ, VII; Veientes, XVIII milliario abſint. Coniunxerunt ſe his & Volſci. ſed M. Æmilio dictatore, & Lucio Quintio Cincinnato magiſtro equitum, victi, etiam regem perdiderunt: Fidenæ captæ, & exciſæ. Poſt XX inde annos, *Veientani* rebellauerunt. Dictator contra ipſos miſſus eſt Furius Camillus: qui primum eos vicit acie; mox etiam ciuitatem diu obſidens cepit, antiquiſſimam, Italiæque ditiſſimam. Poſt [eam] cepit & *Faliſcos*, non minus nobilem ciuitatem. Sed cõmota eſt ei inuidia; quaſi prædam male diuiſiſſet: damnatuſq; ob eam cauſſam, [&] expulſus ciuitate eſt. Statim *Galli Senones* ad vrbem venerunt; & victos Romanos XI milliario ab vrbe Roma, apud flumen Alliam ſequuti, etiam vrbẽ occupauerunt; neque defendi quidquam niſi Capitolium potuit. quod cum diu obſediſſent, & iam Romani fame laborarent, a Camillo, qui in vicina ciuitate exſulabat, Gallis ſuperuentum eſt, grauiſſimeque victi ſunt. poſtea tamen, accepto etiam auro, ne Capitolium obſiderent, receſſerunt: ſed ſequutus eos Camillus, ita cecidit, vt & aurum quod his datum fuerat, & omnia quæ ceperant militaria ſigna, reuocaret. Ita tertio triumphans, vrbem ingreſſus eſt, & appellatus SECVNDVS ROMVLVS; quaſi & ipſe patriæ conditor.

EVTROPII [BREVIARII]
LIBER II.



ANNO CCCLXV ab vrbe condita, poſt captam autem primo, dignitates mutatæ ſunt: [&] pro duobus coss. facti TRIBVNI MILITARES, conſulari poteſtate. *Hinc iam cœpit Romana res creſcere. Nam Camillus eo anno *Volſcorum ciuitatem*, quæ per LXX annos bellum geſſerat, vicit; & *Aequorum vrbem*, & Sutrinorum: atque omnes, deletis eorum exercitibus, occupauit; & tres ſimul triumphos egit.

Titus etiam Quintius Cincinnatus Prænestinos, qui vſque ad vrbis Romæ portas [cum] bello venerant, perſequutus, ad flumen Alliam vicit: & ciuitates quæ ſub ipſis agebant, Romanis adiunxit: *ipſum Præneſte aggreſſus, in deditionem accepit: quæ omnia ab eo geſta ſunt viginti diebus, triumphuſque ipſi decretus. 374

Verum dignitas TRIBVNORVM MILITARIVM non diu perſeuerauit. Nam poſt aliquantum nullos placuit fieri: & *quadriennium ita in vrbe fluxit, vt poteſtates

ibi maiores non essent. Resumpserunt tamen tribuni militares consulari potestate iterum dignitatem, & triennio perseuerauerunt. Rursus coss. facti.

388 Lucio Genucio, & Quinto Seruilio coss. mortuus est Camillus: honor ei secundus post Romulum delatus est.

392 Titus Quintius Dictator aduersus Gallos, qui in Italiam venerant, missus est. Hi ab vrbe quarto milliario trans *Anienem fluuium consederant. Nobilissimus de senatoribus Titus Manlius, prouocantem Gallum ad singulare certamen, *congressus occidit: & sublato torque aureo, colloque suo imposito, in perpetuum *Torquati* sibi & posteris cognomen accepit. Galli fugati sunt: mox per Caium Sulpicium Dictatorem etiam victi. Non multo post a Caio Marcio *Tusci* victi sunt; *VII millia captiuorum ex his in triumphum *ducti.

Census iterum habitus est. Et cum Latini qui a Romanis subacti erant, milites præstare nollent, ex Romanis tantum tyrones lecti sunt, factæque legiones decem; qui modus sexaginta vel amplius armatorum millia efficiebat. paruis adhuc Romanis rebus, tanta tamen in re militari virtus erat. Quæ cum profectæ essent aduersus Gallos duce Lucio Furio [Camillo,] quidam ex Gallis vnum e Romanis, qui esset optimus, prouocauit. tum se Marcus Valerius tribunus militum obtulit: & cum processisset armatus, coruus ei supra dextrum brachium sedit. mox commissa aduersus Gallum pugna, idem coruus alis & vnguibus Galli oculos verberauit, ne rectũ posset aspicere: *ita vt a tribuno Valerio interfectus, non solum victoriam ei, sed etiam nomen dederit. nam postea idem *Coruinus* est dictus. ac propter hoc meritum, annorum trium & viginti, cos. est factus.

Latini qui noluerunt milites dare, hoc quoque a Romanis exigere cœperunt, vt vnus Consul, ex eorum, alter, ex Romanorum populo crearetur. Quod cum esset negatum, bellum contra eos susceptum est, & ingenti pugna superati sunt: ac de his perdomitis triumphatum est. Statuæ coss. ob meritum victoriæ in rostris positæ sunt. *

Iam Romani potentes esse cœperunt. bellum [enim] in centesimo & tricesimo fe-
428 re milliario ab vrbe apud *Samnites* gerebatur, qui medij sunt inter Picenum, Campaniam, & Apuliam. [L.] Papirius Cursor cum honore dictatoris ad id bellum profectus *est: qui, cum Romam rediisset, Q. Fabio Maximo, magistro equitum, quem apud exercitum reliquit, præcepit, ne se absente pugnaret. Ille, occasione reperta, felicissime dimicauit, & Samnites deleuit. ob quam rem a dictatore capitis damnatus, quod se vetante pugnasset, ingenti fauore militum & populi liberatus est: tanta Papirio seditione commota, vt pene ipse interficeretur. Postea Samnites, Romanos, Tito Veturio & Spurio Posthumio coss. ingenti dedecore vicerunt, [& sub iugum miserunt.] Pax tamen a senatu & populo soluta est, quæ cum ipsis propter necessitatẽ facta fuerat. Postea Samnites victi sunt a L. Papirio consule: septem millia eorũ sub iugum missa. Papirius de Samnitibus triumphauit. Eo tempore *Appius Claudius Censor aquam Claudiam induxit, & viam Appiam strauit. Samnites reparato bello, Q. Fabium Maximum vicerunt, tribus millibus hominum occisis. Postea cum pater ei Fabius Maximus legatus datus fuisset, & Samnites vicit, & plurima eorum oppida cepit. Deinde P. Cornelius Rufinus, *Manius Curius Dentatus, ambo coss. contra Samnites missi, ingentibus prœliis eos confecere. Tum bellum cum Samnitibus per *annos nouem & XL actum sustulerunt. neque vllus hostis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutem magis fatigauerit.

470 Interiectis aliquot annis, iterum se Gallorũ copiæ cõtra Romanos Tuscis Samnitibusque iunxerunt: sed cum Romam tenderent, a *Cn. Cornelio Dolabella cos. deletæ sunt.

472 Eodem tempore *Tarentinis*, qui iam in vltima Italia sunt, bellum indictũ est; quia legatis Romanorum iniuriam fecissent. Hi Pyrrhum Epiri regem contra Romanos *in auxilium poposcerunt; qui ex genere Achillis originem trahebat. is mox ad Italiam venit. Tumque primum Romani cum *transmarino hoste* dimicauerunt. Missus est contra eum consul P. Valerius Læuinus: qui cum exploratores Pyrrhi cepisset, iussit eos per castra duci, ostendi omnem exercitum, tumq; dimitti, vt renuntiarent

Pyrrho

Pirrho, quæcumque a Romanis agerentur. Cōmissa mox pugna, cum iam Pyrrhus fugeret, elephantorum auxilio vicit: quos incognitos Romani expauerunt. sed nox prœlio finem dedit. Læuinus tamen per noctem fugit, Pyrrhus Romanos mille octingentos cepit, eosque summo honore tractauit; occisos sepeliuit. quos cum aduerso vulnere & truci vultu, etiam mortuos iacere vidisset, tulisse ad cælum manus dicitur, cum hac voce; Se totius orbis dominum esse potuisse, si tales sibi milites contigissent.

Postea Pyrrhus iunctis sibi Samnitibus, Lucanis, Brutiisque Romam perrexit, omnia ferro igneque vastauit. Campaniam depopulatus est; atque ad Præneste venit, milliario ab vrbe octauodecimo. Mox terrore exercitus, qui [eum] cum Consule sequebatur, in Campaniam se recepit. Legati ad Pyrrhum de [redimend s] captiuis missi, ab eo honorifice suscepti sunt. captiuos sine pretio Romam misit. Vnum ex legatis Romanorum Fabricium sic admiratus est, vt cum eum pauperem esse cognouisset, quarta parte regni promissa, sollicitare voluerit, vt ad se transiret: cōtemptusq; a Fabricio est. Quare cum Pyrrhus ingenti Romanorum admiratione teneretur, legatum misit, qui pacem æquis conditionibus peteret, præcipuum virum Cineam nomine; ita vt Pyrrhus partem Italiæ, quam iam armis occupauerat, obtineret. Pax displicuit; remandatumque Pyrrho a Senatu est, eum cum Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse. Tum Romani iusserunt captiuos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi, *qui se armis defendere potuissent; nec ante eos ad veterem statum reuerti, *quam sibi notorum hostium occisorum spolia retulissent. Ita legatus Pyrrhi reuersus est. a quo cum quæreret Pyrrhus, qualem Romam comperisset, Cineas dixit, regum se patriam vidisse: scilicet tales illic fore omnes, qualis vnus Pyrrhus apud Epirum & reliquam Græciam putaretur. Missi sunt contra Pyrrhum duces P. Sulpicius, & Decius Mus coss. Certamine commisso, Pyrrhus vulneratus est, elephanti interfecti, xx millia cæsa hostium; & ex Romanis tātum quinque millia. Pyrrhus [Tarentum] fugatus. Interiecto anno, contra Pyrrhum Fabricius est missus; qui prius inter legatos sollicitari non poterat, quarta parte regni promissa. Tum, cum vicina castra ipse & rex haberent, medicus Pyrrhi ad eum nocte venit, promittens veneno Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur; quem Fabricius vinctum reduci iussit ad dominum, Pyrrhoque dici, quæ contra caput eius medicus spopondisset. Tunc rex admiratus [eum] dixisse fertur; *Ille est Fabricius, qui difficilius ab honestate quam sol a cursu suo auerti potest.* Tum rex in Siciliam profectus est. Fabricius, victis Samnitibus & Lucanis, triumphauit. coss. deinde *Manius, Curius Dentatus, & Cornelius Lentulus, aduersum Pyrrhum missi sunt. & Curius cōtra eum pugnauit, exercitum eius cecidit, [ipsum] Tarentum fugauit, [castra cepit.] Ea die cæsa [rum] hostium xxiii millia. Curius [Dentatus] in consulatu triumphauit. Primus Romam elephantos quatuor duxit. Pyrrhus etiam a Tarento mox recessit, & apud Argos Græciæ ciuitatem occisus est.

* Caio Fabricio Luscino, C. Claudio *Cinna coss. anno vrbis cōditæ cccclxi, 480
legati Alexandrini a Ptolemæo missi Romam venêre; & a Romanis amicitiā, quam petierant, obtinuerunt.

*Quintio Gulone, C. Fabio Pictore coss. *Picentes*, bellum commouere; & ab in- 484
sequentibus coss. Publio Sempronio, Appio Claudio, victi sunt: & de his triumphatum est. Conditæ a Romanis ciuitates; *Ariminū in Gallia, & Beneuētum in Samnio.

Marco Attilio Regulo, * Lucio Iunio Libone coss. *Salentinis* [in Apulia] bellū indi 486
ctum est: captiq; sunt cum ciuitate simul Brūdusini, & de his [iterū] triumphatum est.

Anno *cccclxxvii, cum iam clarum vrbis Romæ nomē esset, arma tamen extra Italiam mota non fuerant. Vt igitur cognosceretur, quæ copiæ Romanorum essent, census est habitus: *inuēta sunt ciuium capita ccxcii millia, cccxxxiiii. quamquā a condita vrbe numquam bella cessassent. Et contra *Afros* bellum susceptum est primum, Appio Claudio, Quinto Fuluio coss. In Sicilia contra eos pugnatum est; & Appius Claudius de Afris & rege Siciliæ Hierone triumphauit

In sequenti anno, Valerio Marco & Octacilio coss. in *Sicilia* a Romanis res magnę gestę sunt. Taurominitani, *Catanēses, & pręterea quinquaginta ciuitates, in fidē

acceptæ ſunt. Tertio anno in Sicilia contra Hieronem [regem Siculorum] bellum paratum eſt. Is cum omni nobilitate Syracuſanorum pacem a Romanis impetrauit, deditque argenti talenta ducenta. Afri in Sicilia victi ſunt, & de his ſecundò Romæ triumphatum eſt.

493 Quinto anno belli Punici, quod contra Afros gerebatur, primum Romani *Caio Duillio & Cnæo Cornelio Aſina coss. in mari dimicauerũt, paratis nauibus roſtratis, quas *Liburnas* vocant. Conſul Cornelius fraude deceptus eſt. Duillius, commiſſo prœlio, Carthaginenſium ducem vicit, XXXI naues cepit, quatuordecim merſit, ſeptem millia hoſtium cepit, tria [millia] occidit: neque vlla victoria Romanis gratior fuit, quod inuicti terra, iam [etiam] mari plurimum poſſent. Caio Aquilio Floro, Lucio Scipione coss. Scipio *Corſicam* & *Sardiniam* *vicit: multa millia inde captiuorum abduxit, *triumphauit.

497 L. Manlio *Volſone, M. Attilio Regulo coss. bellum in *Africam* translatum eſt: cõtra Hamilcarem Carthaginenſium ducem, in mari pugnatum, victuſque eſt. nam perditis LXIIII nauibus, retro ſe recepit: Romani XXII amiſerunt, ſed cum in Africam tranſiſſent, primam *Clypeam Africæ ciuitatem in deditionem acceperunt. Conſules vſque ad Carthaginem proceſſerunt; multiſq; vaſtatis oppidis, Manlius victor Romam rediit, & XXVII millia captiuorum reduxit. Attilius Regulus in Africa remanſit. Is contra Afros aciem inſtruxit; contra tres Carthaginenſium duces dimicans, victor fuit: XVIII millia hoſtium cecidit, quinque millia cum *VIII elephantis cepit: ſeptuaginta tres ciuitates in fidem accepit. Tum victi Carthaginenſes, pacem a Romanis petierunt, quam cum Regulus nollet niſi duriſſimis conditionibus dare, Afri auxilium a Lacedæmoniis petierunt: & duce Xanthippo, qui a Lacedæmoniis miſſus fuerat, Romanorum dux Regulus victus eſt vltima pernicie. nam duo millia hominum tantum ex omni Romano exercitu *remanſerunt, quindecim millia cum imperatore Regulo capta ſunt, XXX millia occiſa; Regulus ipſe in catenas coniectus.

498 Marco Æmilio Paulo, Seruio Fuluio Nobiliore COSS. ambo Romani conſules *ad Africam profecti ſunt, cum trecentarum nauium claſſe; primum Afros nauali certamine ſuperant. Æmilius conſul centum & quatuor naues hoſtium demerſit, triginta cum pugnatoribus cepit; quindecim millia hoſtium aut occìdit, aut cepit; militem ſuum ingenti præda ditauit. Et ſubacta Africa tum fuiſſet, *niſi quod tanta fames erat, vt diutius exſpectare exercitus non poſſet. Conſules cum victrice claſſe redeuntes, circa Siciliam naufragium paſſi ſunt: & tãta tempeſtas fuit, vt ex quadringentis ſexaginta quatuor nauibus, octoginta ſeruari vix potuerint. Neque vllo tempore tanta maritima tempeſtas audita eſt. Romani tamen ſtatim ducentas naues reparauerunt, neque in aliquo animus his infractus fuit.

500 Cnæus Seruilius Cepio, & C. Sempronius Blæſus COSS. cum ducentis ſexaginta nauibus ad Africam profecti ſunt: aliquot ciuitates ceperunt: prædam ingentem reducentes, naufragium paſſi ſunt. Itaque cum cõtinuæ calamitates Romanis diſplicerent, decreuit Senatus, vt a maritimis prœliis *recederetur, & tantum ſexaginta naues ad præſidium Italiæ ſaluæ eſſent.

502 Lucio Cæcilio Metello, Caio Furio *Pacilo coss. Metellus in Sicilia Afrorum ducem cum CXXX elephantis, & magnis copiis venientem ſuperauit, XX millia hoſtiũ cecìdit, ſex & XX elephantos cepit, reliquos errantes per Numidas, quos in auxilium habebat, collegit, & Romam deduxit ingenti pompa; cum CXXX elephantorum *numerus omnia itinera compleret. Poſt hæc mala Carthaginenſes Regulum ducem, quem ceperant, petierunt, vt Romam proficiſceretur, & pacem a Romanis obtineret, ac permutationem captiuorum faceret. Ille Romam cum veniſſet, inductus in Senatum, nihil quaſi Romanus egit; dixitque ſe ex illa die qua in poteſtatem Afrorũ veniſſet, Romanum eſſe deſiiſſe. itaque & vxorem a complexu remouit, & Romanis ſuaſit ne pax cum Pœnis fieret. Illos enim, fractos tot caſibus, ſpem nullam habere; ſe tanti non eſſe, vt tot millia captiuorum propter vnum ſe, & ſenem, & paucos qui ex Romanis capti fuerant, redderentur. Itaque obtinuit. nam Afros pacem petentes nullus admiſit. ipſe Carthaginem rediit; offerentibuſque Romanis, vt eum Romæ tenerent,

tenerent, negauit se in ea vrbe mansurum, in qua, postquam Afris seruierat, dignitatem honesti ciuis habere non posset. Regressus igitur *ad Africam, omnibus suppliciis exstinctus est. *P. Claudio Pulchro, C. Iunio coss. Claudius contra auspicia pugnauit, & a Carthaginensibus victus est. Nam * ex ducentis & viginti nauibus, cum triginta fugit: XC cum pugnatorib⁹ captæ sunt, demersæ cæteræ, vingiti millia capta. Alius quoque consul classem naufragio amisit, exercitum tamen saluum habuit; quia vicina litora erant.

Caio Luctatio Catulo, Aulo Posthumio Albino coss. anno belli Punici *XXIII, 512
Catulo bellum cōtra Afros cōmissum est. Profectus est cum CCC nauibus in Siciliā. Afri contra ipsum CCCC parauerunt. *Luctatius Catulus nauem æger ascendit: vulneratus enim in pugna superiore fuerat. Cōtra Lilybæum ciuitatem Siciliæ pugnatum est ingenti virtute Romanorum. nam LXXIII Carthaginensium naues captæ sunt, *CXXV demersæ; *XXXII millia hostium capta, XIII occisa: infinitum auri argentique pondus in potestatem Romanorum redactum. Ex classe Romana duodecim naues *demersæ. pugnatum est VI *idus Martias, statim Carthaginenses pacem petierunt: tributaque iis pax: captiui Romanorum, qui tenebantur a Carthaginensibus, redditi sunt. Etiam Carthaginēses petierunt, vt redimi eos captiuos liceret quos ex Afris Romani tenebant. Senatus iussit sine pretio dari eos qui in publica custodia essent: qui autem a priuatis tenerentur, vt pretio dominis reddito, Carthaginem redirent; atque id pretium ex fisco magis quam a Carthaginensibus solueretur.

Quintus Luctatius, Aulus Manlius, coss. creati bellum Faliscis intulerunt: quæ ci- 513
uitas Italiæ opulenta quōdam fuit: quod ambo coss. intra sex dies quam venerant, transegerunt, * XV millibus hostium cæsis, cęteris pace concessa; agro tamen ex medietate sublato.

EVTROPII [BREVIARII]

LIBER III.

FINITO igitur Punico bello, quod per XXII annos *contractum est, Romani iam clarissima gloria noti, legatos ad Ptolemæū Ægypti regem miserunt; auxilia promittentes; quia rex Syriæ Antiochus ei bellum intulerat. Ille gratias [Romanis] egit, auxilia nō accepit: iam enim fuerat pugna transacta. Eodem tempore potentissimus rex Siciliæ Hiero, Romam venit ad ludos spectandos; & ducenta millia modiorum tritici populo dono dedit.

Lucio Cornelio Lentulo, Fuluio Flacco COSS. quibus Hiero Romam venerat, 516
etiam contra *Ligures* intra Italiam bellum gestum est, & de his triumphatum. Carthaginenses *tum bella reparare tentabant, Sardinienses, qui ex conditione pacis Romanis parêre debebant, ad rebellandum impellentes. Venit tamen legatio Carthaginensium Romam, & pacem impetrauit.

Tito Manlio Torquato, Caio Attilio Balbo coss. de *Sardis* triumphatum est: & 518
pace omnibus locis facta, Romani nullum bellum habuerunt. quod his post Romā conditam semel tantum Numa Pompilio regnante contigerat.

Lucius Posthumius Albinus, Cnæus Fuluius Centumalus COSS. bellum contra 524
Illyrios gesserunt: & multis ciuitatibus captis, etiam reges in deditionem acceperunt; ac tum primum de Illyriis triumphatum est.

Lucio Æmilio COS. ingentes *Gallorum* copiæ Alpes transierunt: sed pro Romanis 528
tota Italia consensit; traditumq; est Fabio historico, qui ei bello interfuit, DCCC millia hominum parata ad id bellum fuisse: sed res per COS. *tantum prospere gesta est. XL millia hostium interfecta sunt, & triumphus Æmilio decretus.

Aliquot deinde annis post, contra Gallos intra Italiam pugnatum est: *finitumq; 531
est bellum Marco Claudio Marcello, Cnæo Cornelio Scipione coss. Tunc Marcellus cum parua manu equitum dimicauit, & regem Gallorū, * Viridomarum nomine, manu sua occidit. Postea cum collega suo ingentes copias Gallorum peremit;

Mediolanum expugnauit; grandem prædam Romam pertulit: ac triumphans Marcellus ſpolia *Galli ſtipiti impoſita humeris ſuis vexit.

532 M. Minucio, P. Cornelio coss. *Iſtris* bellum illatum eſt: quia latrocinati naues Ro-
535 manorum fuerant, quæ frumenta exhibebant: perdomitique ſunt omnes. Eodem
anno BELLVM PVNICVM SECVNDVM Romanis illatum eſt per Annibalem Carthaginenſium ducem: qui Saguntum Hiſpaniæ ciuitatem, Romanis amicam, oppugnare aggreſſus eſt, agens viceſimum ætatis annum; copiis cōgregatis C L *millibus peditum, & X X millibus equitum. Huic Romani per legatos denuntiauerunt, vt bello abſtineret. Is *legatos admittere noluit. Romani etiam *Carthaginē miſerūt, vt mandaretur Annibali, ne bellum contra ſocios populi Romani gereret. [ſed] dura reſpōſa a Carthaginenſibus reddita. Saguntini interea fame victi ſunt; captique ab Annibale, vltimis pœnis afficiuntur. Tum Publius Cornelius Scipio cum exercitu in Hiſpaniam profectus eſt, Tiberius Sempronius in Siciliam: bellum Carthaginenſibus indictum eſt. Annibal, relicto in Hiſpania fratre Aſdrubale, Pyrenæū tranſit; Alpes, adhuc in ea parte inuias, ſibi patefecit. Traditur ad Italiam L X X X millia peditum, & X X millia equitum, ſeptem & triginta elephantes adduxiſſe. Interea multi Ligures & Galli Annibali ſe iunxerunt. Sempronius Gracchus, cognito ad Italiam Annibalis aduentu, e Sicilia exercitum Ariminum traiecit. Publius Cornelius Scipio Annibali primus occurrit: commiſſo prœlio, fugatis ſuis, ipſe vulneratus in caſtra rediit. Sempronius Gracchus & ipſe cōflixit apud Trebiam [amnem.] is quoque vincitur. Annibali multi ſe in Italia dediderunt. Inde ad Tuſciam veniens Annibal, Flaminio conſuli occurrit; ipſum Flaminium interemit: Romanorum *vigintiquinque millia cæſa ſunt; cæteri diffugerunt. Miſſus aduerſus Annibalem poſtea a Romanis Quintus Fabius Maximus. Is eum, differēdo pugnam, *ab impetu fregit: mox inuenta occaſione vicit.

537 *Quingenteſimo & quadrageſimo anno a condita vrbe, Lucius Æmilius, P. Terentius Varro, contra Annibalem mittuntur, Fabioque ſuccedunt: qui Fabius ambos C O S S. monuit, vt Annibalem callidum & impatientem ducem non aliter vincerent, quam prœlium differendo. verum cum impatientia Varronis C O S. contradicente conſule altero, *apud vicum qui *Cannæ* appellatur, in Apulia pugnatum eſſet, ambo coss. ab Annibale vincuntur. *In ea pugna tria millia Afrorum pereunt, magna pars de exercitu Annibalis ſauciatur: nullo tamen Punico bello Romani grauius accepti ſunt. periit enim in eo Æmilius Paulus conſul. Conſulares *& Prætorij, X X: *Senatores capti aut occiſi, X X X: *nobiliores viri, C C C: militum *X L millia; equitum tria millia & *quingenti. in quibus malis nemo tamen Romanorum pacis mentionē habere dignatus eſt. Serui, quod numquam antè, manumiſſi, & milites facti ſunt. Poſt eam pugnam multæ Italiæ ciuitates quæ Romanis paruerant, ſe ad Annibalem tranſtulerunt. Annibal Romanis obtulit, vt captiuos redimerent: reſponſumque eſt a Senatu, eos ciues non eſſe neceſſarios, qui, cum armati eſſent, capi potuiſſent. Ille omnes poſtea variis ſuppliciis interfecit; & tres modios aureorum annulorum Carthaginem miſit; quos e manibus equitum Romanorum, Senatorum, & militum, detraxerat. Interea in Hiſpania, vbi frater Annibalis Aſdrubal remanſerat cum magno exercitu, vt eam totam Afris ſubigeret, a duobus Scipionibus Romanis ducibus vincitur; perditque in pugna X X X V millia hominum. ex his capiuntur X millia, occiduntur X X V. *Mittuntur ei a Carthaginenſibus ad reparandas vires X I I millia peditum, I I I I millia equitum, X X elephanti.

538 Anno quarto poſtquam in Italiam Annibal venit, Marcus Claudius Marcellus cos. apud Nolam, ciuitatem Campaniæ, contra Annibalem bene pugnauit. Annibal multas ciuitates Romanorum per Apuliam, Calabriam, & Bruttios occupauit: quo tempore etiam rex Macedoniæ *Philippus* ad eum legatos miſit, promittens auxilia contra Romanos; [ſub] hac conditione, vt deletis Romanis, ipſe quoque contra Græcos ab Annibale auxilia acciperet. Captis igitur legatis Philippi, & re cognita, Romani in Macedoniam Marcum Valerium Læuinum ire iuſſerunt; in Sardiniam Titum Manlium Torquatum proconſulem: nam etiam ea ſollicitata ab Annibale, Romanos deſeruerat. Ita vno tempore quatuor locis pugnabatur; in Italia, cōtra Anniba-

lem; in Hispania, contra fratrem eius Asdrubalem; in Macedonia, contra Philippũ:
in Sardinia contra Sardos, & alterum Asdrubalem Carthaginensem. Is a Tito Man-
lio proconsule, qui ad Sardiniam missus fuerat, viuus est captus; occisa cum eo XII
millia, capti mille quingenti; & a Romanis Sardinia subacta. Manlius victor captiuos
& Asdrubalem Romam reportauit. Interea etiam Philippus a Læuino in Macedo-
nia vincitur, & in Hispania a Scipionibus Asdrubal, & Mago tertius frater Annibalis.

Decimo anno postquam Annibal in Italiam venerat, P. Sulpicio, Cnæo Fuluio 542
coss. Annibal vsque ad quartum milliarium vrbis accessit, equites eius vsque ad por-
tas. mox consulum metu, cum exercitu venientium, Annibal ad Campaniam se re-
cepit. In Hispania a fratre Asdrubale ambo Scipiones, qui per multos annos victores
fuerant, interficiuntur: exercitus tamen integer* remansit: casu enim magis quam
virtute erant decepti. quo tẽpore etiam* a consule Marcello Siciliæ magna pars ca-
pta est, quam tenere Afri cœperant: &*nobilissima vrbe Syracusana præda ingens
Romam perlata est. Læuinus in Macedonia cum Philippo & multis Græciæ po-
pulis, & rege* Asiæ Attalo, amicitiam fecit: & ad Siciliam profectus, Annonem quẽ-
dam Afrorum ducem apud Agrigentum ciuitatem cum ipso oppido cepit, eumque
Romam cum captiuis [nobilibus] misit; XL ciuitates in deditionem accepit, XXVI
expugnauit. ita omni Sicilia recepta, Macedonia fracta, [cum] ingenti gloria Romã
regressus est. Annibal in Italia Cnæum Fuluium consulem subito aggressus, cum
octo millibus hominum interfecit. Interea ad Hispanias, vbi occisis duobus Scipio-
nibus nullus Romanus dux erat, Publius Cornelius Scipio mittitur, filius Publij Sci-
pionis, qui ibidem bellum gesserat, annos natus quatuor & XX; vir Romanorum o-
mnium & sua ætate, & posteriori tempore fere primus. Is Carthaginem Hispaniæ
capit; in qua omne aurum & argentum, & belli apparatum Afri habebant: nobilissi-
mos quoque obsides, quos ab Hispanis *acceperat: Magonem etiam fratrem Anni-
balis ibidem capit; quem Romam cum aliis mittit. Romæ ingens lætitia post hunc
nuntium fuit. Scipio Hispanorum obsides parentibus reddidit. quare omnes fere
*Hispani ad eum vno animo transierunt. Post quæ Asdrubalem Annibalis fratrem,
victum fugat, & prædam maximam capit.

Interea in Italia COS.*Q. Fabius Maximus Tarentum *recepit; in qua ingentes co- 544
piæ Annibalis erant: [&] ibi etiam ducem Annibalis Carthalonem occidit, XXV mil-
lia captiuorum vendidit; prædam militibus dispertiuit, pecuniam hominum vendi-
torum ad fiscum retulit. Tum multæ ciuitates Romanorum, quæ ad Annibalem
*transierant prius, rursus se Fabio Maximo reddiderunt. In sequenti anno Scipio in
Hispania egregias res egit, & per se, & per fratrem suum Lucium Scipionem; LXX ci-
uitates recepit. In Italia tamen male pugnatum est. Nam Claudius Marcellus COS.
ab Annibale occisus est.

Tertio anno postquam Scipio ad Hispaniam profectus* fuerat, rursus res inclytas
gerit: regem Hispaniarum magno prœlio victum, in amicitiam accepit, & primus o-
mnium a victo obsides non poposcit.

Desperans Annibal Hispanias contra Scipionem *diutius posse retineri, fratrem
suum Asdrubalem *ad Italiam cum omnibus copiis euocauit. Is veniens eodem iti-
nere quo [etiam] Annibal venerat, a consulibus* Appio Claudio Nerone, & Marco 546
Liuio Salinatore, apud Senam Piceni ciuitatem, in insidias compositas incidit: stre-
nue tamen pugnans occisus est; ingentes eius copiæ captæ aut interfectæ sunt; ma-
gnum pondus auri atque argenti *Romam relatum. Post hæc Annibal diffidere
[iam] de belli cœpit euentu, [&] Romanis ingens animus accessit. Itaque [&] ipsi euo-
cauerunt ex Hispania Publium Cornelium Scipionem. Is Romam cum ingenti glo-
ria venit.

Quinto Cæcilio,* Lucio Valerio coss. omnes ciuitates quæ in Brutiis ab Annibale 547
tenebantur, Romanis se tradiderunt.

Anno* XIIII postquam in Italiam Annibal venerat, Scipio, qui [multa] bene in 548
Hispania egerat, consul est factus, & in Africam missus: cui viro diuinum quiddam
inesse* existimabatur; adeo vt putaretur etiam cum numinibus habere sermonem.
Is in Africa contra Annonem ducem Afrorum * pugnat, exercitum eius interficit.

Secundo prœlio castra cepit, cum quatuor millibus & quingentis militibus; XI millibus occisis. Syphacem Numidiæ regem, qui se Afr s coniunxerat, capit, & castra eius inuadit. Syphax cum nobilissimis Numidis, & infinitis spoliis, ab Scipione Romam mittitur. qua re audita, omnis fere Italia Annibalem deserit; ipse a Carthaginensibus in Africam redire iubetur, quam Scipio vastabat.

Ita anno XVII ab Annibale Italia liberata est: [quam flens dicitur reliquisse.] Legati Carthaginensium pacem a Scipione petierunt: ab eo ad Senatum Romam missi sunt: XLV *dies his induciæ datæ sunt, quousque Romam ire & regredi possent: XXX millia pondo argenti ab his accepta sunt. Senatus ex arbitrio Scipionis pacem iussit cum Carthaginensibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, ne amplius quam XXX naues haberent, *quingenta millia pondo argenti darent, captiuos & perfugas redderent.

Interim Annibale veniente ad Africam, pax turbata est, multa hostilia ab Afris facta sunt: legati tamen eorum ex vrbe venientes, a Romanis capti sunt, & iubente Scipione dimissi. Annibal quoque frequentibus prœliis victus a Scipione, petit etiā ipse pacem. Cum ventum esset ad colloquiū, iisdem conditionibus data est, quibus prius: *addita quingentis millibus pondo argenti, C millia librarum propter nouam perfidiam. Carthaginēsibus conditiones displicuerunt, iusseruntque Annibalem pugnare. *Infertur a Scipione, & Masinissa, alio rege Numidarum, qui amicitiam cum Scipione fecerat, Carthagini bellum. Annibal tres exploratores ad Scipionis castra misit: quos captos Scipio circumduci per castra iussit, ostendique eis totum exercitum; mox etiam prandium dari, dimittique, vt renuntiarent Annibali quæ apud Romanos vidissent. Interea prœlium ab vtroque duce instructum est, quale vix vlla memoria fuit; quum peritissimi viri copias suas ad bellum educerent. Scipio victor recedit, pene ipso Annibale capto: qui primum cum multis equitibus, deinde cum XX, postremo cum quatuor euasit. Inuenta in castris Annibalis argenti pondo *XX millia, auri octingenta, cetera *supellectili copiosa. Post id certamen pax cum Carthaginensibus facta est. Scipio Romam rediit, [&] ingenti gloria triumphauit, atque *Africanus* ex eo appellari cœptus est. Finem accepit secundum Punicum bellum, post annum *nonum decimum quam cœperat.

EVTROPII [BREVIARII] LIBER IIII.

552 TRANSACTO Punico bello, sequutum est *Macedonicum* contra Philippum regem.

*Quingentesimo & quinquagesimo primo anno ab vrbe condita,
555 T. Quintius *Flamininus aduersus Philippum regem mittitur: prospere gessit: pax ei data est his legibus, ne Græciæ ciuitatibus, quas Romani contra eum *defenderent, bellum inferret; vt captiuos & transfugas redderet; quinquaginta solum naues haberet, reliquas Romanis *redderet: per annos decem quaterna millia pondo argenti præstaret; & obsidem daret filium suum Demetrium. T. Quintius etiam Lacedæmoniis intulit bellum; ducem eorum Nabidem vicit; & quibus voluit conditionibus, in fidem accepit: *ingenti gloria duxit ante currum nobilissimos obsides, Demetrium Philippi filium, & Armenem Nabidis.

561 Transacto bello Macedonico, sequutum est *Syriacum* contra Antiochum regem,
562 P. Cornelio Scipione, M. *Acilio Glabrione COSS. Huic Antiocho Annibal se iunxerat; Carthaginem patriam suam [metu] ne Romanis traderetur, relinquens. M. Acilius Glabrio in Achaia pugnauit bene. Castra regis Antiochi nocturna pugna capta sunt; ipse fugatur. Philippo, quia cōtra Antiochum Romanis auxilio fuisset, filius Demetrius redditus est.

563 L. Cornelio Scipione, C. Lælio COSS. Scipio Africanus fratri suo [L.] Cornelio Scipioni consuli, legatus contra Antiochum profectus est. Annibal, qui cum Antiocho erat, nauali prœlio victus est. Ipse postea Antiochus, circa Sipylum [&] Magnesiā

Asiæ ciuitatem, a cos. Cornelio Scipione ingenti prœlio fusus est. Auxilio fuit Romanis in ea pugna Eumenes, Attali regis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit. *quinquaginta millia peditum, IIII millia equitum eo certamine ex parte regis occisa sunt. Tum rex Antiochus pacem *petit: quæ iisdem conditionibus datur a Senatu, quamquam victo, quibus ante offerebatur; vt ex Europa & Asia recederet, atque intra Taurum se contineret; X millia talentorum, & XX obsides præberet; Annibalē concitatorem belli dederet. Eumeni regi donatæ sunt [a Senatu] omnes Asiæ ciuitates, quas Antiochus bello perdiderat: & Rhodiis, qui auxilium Romanis contra regem Antiochum tulerant, multæ vrbes concessæ sunt. Scipio Romam rediit, ingenti gloria triumphauit: nomen & ipse, ad imitationem fratris, **Asiatici* accepit, quia Asiam vicerat: sicuti frater ipsius propter Africam domitam, *Africanus* appellabatur.

Spurio Posthumio Albino, Q. Marcio Philippo coss. M. Fuluius de *Aetolis* triū- 567
phauit. Annibal, qui victo Antiocho, ne Romanis traderetur, ad Prusiam Bithyniæ 566
regem fugerat, repetitus etiam ab eo est per Titum Quintium Flamininum: & cum tradendus esset Romanis, venenum bibit, & apud Libyssam in finibus *Nicomediēsium sepultus est.

Philippo rege Macedoniæ mortuo, qui & aduersum Romanos bellum gesserat,
& postea Romanis contra Antiochum auxilium tulerat, filius eius *Perseus* in Mace- 582
donia rebellauit, ingentibus copiis ad bellum paratis. Nam adiutores habebat* Cotyn Thraciæ regem; Illyrici regem, Gentium nomine. Romanis autem in auxilium erant Eumenes Asiæ rex, Ariarathes Cappadociæ, Antiochus Syriæ, Ptolemæus Ægypti, Masinissa Numidiæ. Prusias autem rex Bithyniæ, quamquam sororem Persei vxorem haberet, vtrisque se æquum præbuit. Dux Romanorum P. Licinius cos. est a rege graui prœlio victus: neque tamen Romani, quamquam superati, regi petenti pacem præstare voluerunt, nisi his cōditionibus; vt se & suos Senatui & populo Romano dederet. Mox missus contra eum Lucius Æmilius Paulus cos. & in Illyricum C. Anicius prætor contra Gentium. sed Gentius facile vno prœlio victus, mox se dedidit. Mater eius & vxor, & [duo] filij, frater quoque eius, simul in potestatem Romanorum venerunt. Ita bello intra dies XXX perfecto, ante cognitum est Gentium victum, quam cœptum bellum nuntiaretur.

Cum Perseo autem Æmilius Paulus cos, tertio nonas Septembris dimicauit; vicitque eum, XX millibus peditum eius occisis: equitatus cum rege fugit integer, Romanorum C milites amissi sunt: vrbes Macedoniæ omnes quas rex tenuerat, Romanis se dediderunt. ipse rex, cum desereretur ab amicis, venit in Pauli potestatem. sed honorem ei Æmilius non quasi victo habuit. nam & volentem sibi ad pedes cadere nō permisit; *sed iuxta se in sella collocauit. Macedonibus & Illyriis hæ leges datæ sunt; vt liberi essent; & dimidium eorum tributorum præstarent, quæ regibus præstitissent: vt appareret Populum Romanum pro æquitate magis quam auaritia dimicare. *atque in conuentu infinitorum populorum Paulus hæc pronuntiauit, & legationes multarum gentium, quæ ad eum venerant, magnificentissimo pauit conuiuio; dicens, Eiusdem hominis esse debere & bello vincere, & conuiuij apparatu elegantem esse. Mox septuaginta ciuitates Epiri, quæ rebellarant, cepit: prædam militibus distribuit: Romam [cum] ingenti Pompa rediit, in naue Persei; quæ inusitatæ magnitudinis fuisse traditur: adeo vt XVI ordines habuisse dicatur remorum. Triumphauit [autem] magnificentissime in curru aureo cum duobus filiis vtroque latere astantibus. ducti sunt ante currum duo regis filij, & ipse Perseus, XLV annos natus. Post eum etiam C. Anicius de Illyriis triumphauit: Gentius cum fratre & filiis ante currum ductus est. Ad hoc spectaculum multarum gentium reges Romam venerunt: inter alios etiam venit Attalus atque Eumenes Asiæ reges, atque Prusias Bithyniæ. magno honore accepti sunt: [&] permittente Senatu [dona] quæ attulerant, in Capitolio posuerunt. Prusias etiam filium suum Nicomedem Senatui commendauit.

In sequenti anno Lucius Memmius in *Hispania bene pugnauit. Marcellus postea consul res ibidem prospere gessit.

Tertium deinde bellum cōtra *Carthaginem* suscipitur, *DC & altero anno ab vrbe 604

condita, L. Manlio Censorino, & Marco Manilio coss. anno *LI postquam secundũ Punicum bellum transactum erat. Hi profecti, Carthaginem oppugnauerunt. Cõtra eos Asdrubal dux Carthaginensium dimicabat. *Famea dux alius, equitatui præerat Carthaginensium. *Scipio tunc, Scipionis Africani nepos, tribunus ibi militabat. huius apud omnes ingens metus & reuerentia erat. Nam & paratissimus ad dimicandum, & consultissimus habebatur. Itaque per eum multa prospere a coss. gesta sunt. neque quidquam magis vel Asdrubal vel Famea vitabant, quam contra eam Romanorum partem committere, vbi Scipio dimicabat.

605 Per idem tempus Masinissa [rex Numidarum, per annos sexaginta fere] amicus populi Romani, anno vitæ suæ XCVII, mortuus est, XLIIII filiis relictis. Scipionem diuisorem regni inter filios esse iussit.

606 Cum igitur clarum Scipionis nomen esset, iuuenis adhuc, COS. est factus: & contra Carthaginem missus. is eam cepit, ac diruit. spolia ibi inuenta, quæ [de] variarum ciuitatum excidiis Carthago collegerat: & ornamenta vrbium ciuitatibus Siciliæ, Italiæ, Africæ reddidit: quæ sua recognoscebãt. Ita Carthago, septingentesimo anno [post] quam condita erat, deleta est. Scipio nomen quod auus eius acceperat, meruit; scilicet vt propter virtutem etiam ipse *Africanus iunior* vocaretur.

605 Interim in *Macedonia* quidam Pseudophilippus arma mouit: & Romanum prætorem Publium Iuuencium cõtra se missum, ad *internecionem vicit. Post eum Q. Cæcilius Metellus dux a Romanis contra Pseudophilippum missus est: & viginti quinque millibus ex militibus eius occisis, Macedoniam recepit. Ipsum etiam Pseudophilippum in potestatem suam redegit.

606 *Corinthiis* quoque bellum indictum est, nobilissimæ Græciæ ciuitati, propter iniuriã legatorũ Romanorum. Hanc Mummius [consul] cepit ac diruit. Tres igitur Romæ simul celeberrimi triumphi fuerunt: Africani, ex Africa; *ante cuius currum ductus est Asdrubal: Metelli, ex Macedonia; cuius currum præcessit Andriscus, qui & Pseudophilippus [dicitur:] Mummij, ex Corintho; ante quem signa ænea & pictæ tabulæ, & alia vrbis clarissimæ ornamenta prælata sunt.

Iterum in Macedonia Pseudoperseus, qui se Persei filium esse dicebat, collectis seruis, rebellauit; & cum septemdecim armatorum millia haberet, a Tremellio quæstore superatus est. [His diebꝰ Androgynus Romæ visus, iussu aruspicũ in mare mersus est.]

Eodem tempore Metellus in *Celtiberia* apud Hispanos res egregias gessit. Successit ei Quintus Pompeius. Nec multo post, Quintus quoque Cæpio ad idem bellum missus est; quod quidem Viriatus contra Romanos in *Lusitania gerebat. Quo metu
607 Viriatus a suis interfectus est; cum quatuordecim annos Hispanias aduersum Romanos mouisset. pastor primo fuit; mox latronum dux: postremo tantos ad bellum populos concitauit, vt assertor contra Romanos Hispaniæ putaretur. [&] cum interfectores eius præmium a Cæpione consule peterent, responsum est, numquam Romanis placuisse, *Imperatorem a suis militibus interfici.

612 Quintus Pompeius deinde consul a *Numantinis*, quæ Hispaniæ ciuitas fuit opulentissima superatus pacem ignobilem fecit. Post eum Caius Hostilius Mancinus cos. iterum cum Numantinis pacem fecit infamem: quam Pop. & Senatus iussit infringi, atque ipsum Mancinum hostibus tradi: vt in illo quem auctorem fœderis habebant, iniuriam soluti fœderis vindicarent. Post tantam igitur ignominiam, qua a Numantinis bis Romani exercitus fuerant subiugati, Publius Scipio Africanus secundo Consul factus, [&] ad Numantiam missus est. Is primum militem vitiosum & ignauum exercendo magis quam puniendo, sine aliqua acerbitate correxit. Tum multas Hispaniæ ciuitates partim *bello cepit, partim in deditionẽ accepit. Postremo ipsam Numantiam diu obsessam, fame *confecit, & a solo euertit: reliquam prouinciam in fidem accepit.

Eo tempore Attalus rex Asiæ, frater Eumenis, mortuus est; heredemque populum Romanum reliquit. ita imperio Romano per testamentum *Asia* accessit.

617 Mox etiam Decimus Iunius Brutus de *Callæcis* & *Lusitanis* triumphauit magna gloria: & Publius Scipio Africanus de Numantinis secundum triumphum egit, XIIII. anno postquam priorem de Africa egerat.

Motus

Motum interim in *Asia* bellum est ab Aristonico Eumenis filio, qui ex concubina 622
susceptus fuerat. is Eumenes, frater Attali fuerat. Aduersus eum missus est [P.] Lici-
nius Crassus. *habuit infinita regum auxilia. nam & Bithyniæ rex Nicomedes Ro-
manos iuuit: & Mithridates Ponticus, cum quo postea bellum grauissimum fuit: &
Ariarathes Cappadox, & Pylæmenes Paphlagon. victus est tamen Crassus, & in prœ
lio interfectus. caput [eius] Aristonico oblatũ est, corpus Smyrnæ sepultum. Postea
Perpenna consul Romanus, qui successor Crasso veniebat, audita belli fortuna, ad
Asiam celerauit: & acie victum Aristonicum, apud Stratonicen ciuitatem, quò fuge-
rat, fame ad deditionẽ compulit. Aristonicus iussu Senatus [Romæ] in carcere stran-
gulatus: triumphari enim de eo non poterat, quia Perpenna apud Pergamum rediẽs,
diem obierat.

*Lucio Cæcilio Metello, & Tito Quintio Flaminino COSS. Carthago in Africa 630
iussu Senatus reparata est, quæ nunc manet; annis duobus & viginti postquam a Sci-
pione fuerat euersa. Deducti eo sunt ciues Romani.

*Anno DCXXVII ab vrbe condita, Caius Cassius Longinus, & *Sextus Domitius 631
Caluinus consules, *Gallis Transalpinis* bellum intulerunt, & Aruernorum nobilissime
tum ciuitati, atque eorum *regi Bituito: infinitamque multitudinẽ iuxta Rhodanum
fluuium interfecerunt. Præda ex torquibus Gallorum [ingens] Romam perlata est.
Bituitus se Domitio dedidit; atque ab eo Romam ductus est: magnaque gloria con
sules ambo triumphauerunt.

Marco Porcio Catone & Quinto Marcio Rege consulibus, * DCXXX anno & ter-
tio ab vrbe condita, *Narbona* in Gallia colonia deducta est. *Post a L. Metello &
Quinto Mucio Scæuola COSS. de *Dalmatia* triumphatum est.

Ab vrbe condita anno DCXXXV, Caius Cato consul *Scordiscis* intulit bellum; igno- 639
miniosesque pugnauit.

C. Cæcilio Metello & Cnæo Carbone COSS. duo Metelli fratres eodem die alte- 640
rum ex *Thracia, ex Sardinia alterum triumphum egerunt. Nuntiatumque Romæ 221,
est, *Cimbros* e Gallia in Italiam transisse. 16

P. Scipione Nasica, & L. *Calpurnio Bestia COSS. *Iugurthæ* Numidarum regi bel- 642
lum illatum est, quod Adherbalem & Hiempsalem, Micipsæ filios, fratres suos, reges,
& P. R. amicos, interemisset. Missus aduersus eum cos. Calpurnius Bestia, corruptus
regis pecunia, pacem cum eo flagitiosissimam fecit; quæ a Senatu * reprobata est.
Postea contra eundem insequenti anno *Spurius Albinus Posthumius profectus
est. Is quoque per fratrem ignominiose contra Numidas pugnauit. Tertio missus
Quintus Cæcilius Metellus consul, exercitum ingẽti seueritate & moderatione cor-
rectum, cum nihil in quemquam cruẽtum faceret, ad disciplinam Romanam redu-
xit. Iugurtham variis prœliis vicit, elephantos eius occidit, vel cepit. Et cum iam bello
finem positurus esset, successum est ei a C. Mario. is Iugurtham, & Bocchum Mauri-
taniæ regem, qui auxilium Iugurthæ ferre cœperat, pariter superauit. Aliquanta & i-
pse oppida Numidiæ cepit. belloque terminum posuit, capto Iugurtha per quæstorẽ
suum Cornelium Syllam, ingentem virum; tradente Boccho Iugurtham, qui pro
eo ante pugnauerat.

A Marco Iunio *Silano collega Quinti Metelli, *Cimbri* * in Gallia; & a Minucio
Rufo in Macedonia Scordisci & Triballi; [&] a Seruilio Cæpione in Hispania Lusi-
tani victi sunt: & duo triumphi de Iugurtha, primus per Metellum, secundus per Ma
rium acti sunt. ante currum tamen Marij Iugurtha cum duobus filiis
ductus est catenatus, [& mox iussu consulis
in carcere strangulatus.]

LIBER V.



647 DVM bellum in Numidia contra Iugurtham geritur, Romani con-
648 sules * Marcus Manilius & Quintus Cæpio a *Cimbris* & * *Teutonibus* & *Tigurinis* & *Ambronibus*, quæ erant Germanorum & Gallorum gentes, victi sunt iuxta flumen Rhodanum; & ingenti internecione attriti, etiam castra sua & magnam partem exercitus perdiderunt. Timor Romæ grandis fuit,*quãtum vix Annibalis tempore Punicis bellis, ne iterum Galli Romam venirent. Ergo Marius post victoriam Iugurthinã secundo COS. est factus, bellumque ei contra Cimbros & Teutones decretum est. Tertio quoque ei & quarto delatus est consulatus: quia bellum Cimbricum protrahebatur. sed in quarto consulatu collegam habuit Quintum Luctatium Catulum. cum Cimbris itaque cõflixit, & duobus prœliis CC millia hostium cecidit, LXXX millia cepit, & ducem eorum *Teutobodum. propter quod meritum absens quinto cos. est factus.

Interea Cimbri & Teutones, quorum copia adhuc infinita erat, ad Italiam trans-
651 ierunt. Iterum a Caio Mario & Quinto Catulo contra eos dimicatum est: sed a Catuli parte felicius. Nam eo prœlio, quod simul ambo gesserunt, CXL millia aut in pugna, aut in fuga cæsa sunt; *LX millia capta. Romani milites ex vtroque exercitu *trecenti perierunt. Tria & triginta signa Cimbris sublata sunt. ex his exercitus Marij duo reportauit, Catuli exercitus XXX & vnum. Is belli finis fuit: triumphus vtrique decretus est.

662 Sexto Iulio Cæsare, & L. Marcio Philippo COSS. sexcentesimo quinquagesimo [nono] anno ab vrbe condita, cum prope alia omnia bella cessarent, in Italia grauissimum bellum Picentes, Marsi, Pelignique mouerunt: qui, cum annis numerosis iam Pop. Romano obedirent, tum libertatem sibi æquam asserere cœperunt. Perniciosum admodum hoc bellum fuit. P. Rutilius consul in eo occisus est: Cæpio nobilis iuuenis, & Porcius Cato alius COS. Duces autem aduersus Romanos Picentibus & Marsis fuerunt, Titus * Vietius, *Hierus Asinius, Titus *Herennius, Aulus Cluentius. A Romanis bene contra eos pugnatum est, a C. Mario, qui sexies consul fuerat; & a Cnæo Pompeio: maxime tamen a Lucio Cornelio Sylla, qui inter alia [facta] egregia, ita Cluentium hostium ducem, cum magnis copiis fudit, vt ex suis nec vnum amitteret. Quadriennio, cum graui tamen calamitate, hoc bellum tractum est. Quinto demum anno finem accepit per Lucium Cornelium Syllam COS. cum antea in eodem bello ipse multa strenue prætor gessisset.

666 Anno vrbis conditæ *DCLXII, primum Romæ *bellum ciuile* commotum est: eodẽ anno etiam *Mithridaticum*. Causam bello ciuili [C. Marius] sexies cos. dedit. Nam cum Sylla consul contra Mithridatem gesturus bellum, qui Asiam & Achaiam occupauerat, mitteretur: isque exercitum in Campania paulisper teneret, vt belli socialis (de quo diximus) quod intra Italiam gestum fuerat, reliquiæ tollerẽtur, Marius affectauit, vt ipse ad bellum Mithridaticum mitteretur. Quare Sylla commotus, cum exercitu ad vrbem venit. Illic contra Marium & Sulpicium dimicauit. primus vrbem Romam ingressus est; Sulpicium interfecit, Marium fugauit: atque ita cos. ordinatis *in futurum annum, Cnæo Octauio, & L. Cornelio Cinna, ad Asiam profectus est. Mithridates enim, qui Ponti rex erat, atque Armeniam minorem, & totum Ponticũ mare in circuitu cum Bosphoro tenebat, primo Nicomedem amicum P.R. Bithynia voluit expellere: Senatuique mandauit, bellum se ei propter iniurias quas passus fuerat, illaturum. a Senatu responsum est, Mithridati, si id faceret, quod & ipse bellum a Romanis pateretur. Qua re iratus, Cappadociam statim occupauit, & ex ea Ariobarzanem regem & amicum populi Romani fugauit. Mox etiam Bithyniam inuasit, & Paphlagoniam, pulsis ex ea regibus, amicis Pop. Romani, Pylæmene & Nicomede. Inde [ad] Ephesum contendit: & per omnem Asiam litteras misit, vt vbicumque inuenti essent ciues Romani, vno die occiderẽtur. Interea etiã Athenæ ciuitas Achaiæ

ab Ariſtone Atheniẽſi Mithridati tradita eſt. Miſerat.n.iã ad Achaiam Mithridates Archelaum ducẽ ſuum, cum CXX millibus equitum ac peditum: per quẽ etiam reliqua Græcia occupata eſt. Sylla Archelaum apud Piræeum non longe ab Athenis obſedit, *ipſamque vrbem cepit. poſtea commiſſo prœlio contra Archelaum, ita eum vicit, vt ex CXX millibus vix decem ſupereſſent Archelao, & *ex Syllæ exercitu XIIII tantum homines interficerentur. Hac pugna Mithridates cognita, LXX millia lectiſſima ex Aſia Archelao miſit. contra quem Sylla iterum commiſit. Primo prœlio viginti millia hoſtium interfecta ſunt, filiuſque Archelai Diogenes: ſecundo, omnes Mithridatis copiæ exſtinctæ ſunt: Archelaus ipſe triduo nudus in paludibus latuit. Hac re audita Mithridates, *cum Sylla de pace agere cœpit.

Interim eo tempore Sylla etiam *Dardanos, Scordiſcos, Dalmatas & Mæſos* partim vicit, alios in fidem accepit. 668 Sed cum legati a rege Mithridate, qui pacem petebant, veniſſent, non aliter ſe daturum Sylla eſſe reſpondit, niſi rex relictis his quæ occupauerat, ad regnum ſuum rediiſſet. Poſtea tamen ad colloquium ambo venerunt. pax inter eos ordinata eſt; vt Sylla ad bellum ciuile feſtinans, a tergo periculum non haberet. Nam dum Sylla in Achaia atque Aſia Mithridatem vicit, Marius qui fugatus erat, & Cornelius Cinna vnus ex conſulibus, bellum in Italia repararunt: & ingreſſi vrbem Romam, nobiliſſimos ex Senatu & conſulares viros interfecerunt, multos proſcripſerunt: ipſius Syllæ domo euerſa, filios & vxorem *ad fugam compulerunt: vniuerſus reliquus Senatus ex vrbe fugiens, ad Syllam in Græciam venit, orans vt patriæ ſubueniret. Ille in Italiam traiecit, bellum ciuile geſturus aduerſus Norbanum & Scipionem coss [&] primo prœlio contra Norbanum dimicauit, non longe a Capua. tum VII millia eius cecidit, VI millia cepit: CXXIIII ſuorum amiſit. Inde etiam ſe ad Scipionem conuertit, & ante prœlium totum eius exercitum ſine ſanguine in deditionem accepit. Sed cum Romæ mutati conſules eſſent, & Marius Marij filius, ac Papirius Carbo conſulatum accepiſſent, Sylla [tamen] contra Marium iuniorem dimicauit: & *XV millibus eius occiſis, *CCCC de ſuis perdidit. Mox etiam [&] vrbem ingreſſus eſt. Marium Marij filium, Præneſte perſequutus, obſedit, & ad mortem cõpulit. Rurſus pugnam grauiſſimam habuit contra Lamponium & Carinatem duces partis Marianæ ad portam Collinam. *LXXX millia hoſtium in eo prœlio contra Syllam fuiſſe dicuntur. XII millia ſe Syllæ dediderunt: cæteri in acie, in caſtris, in fuga, inſatiabili ira *victorum conſumpti ſunt. Cnæus quoque Carbo cos. alter, ab Arimino ad Siciliam fugit; & ibi per Cnæum Pompeium interfectus eſt: quem adoleſcentem Sylla annos vnum & XX natum, cognita eius induſtria, traditis exercitibus præfecerat, vt ſecundus [a] Sylla haberetur. Occiſo ergo Carbone, Pompeius Siciliam recepit. Tranſgreſſus inde ad Africam, Domitium Marianæ partis ducem, & *Hiarbam regem Mauritaniæ, qui Domitio auxilium ferebat, occidit. Poſt hæc Sylla de Mithridate ingenti gloria triumphauit. Cnæus etiam Pompeius (quod nulli Romanorum tributum erat) *quartum & XX annum agens, de Africa triumphauit. Hunc finem habuerunt duo bella funeſtiſſima; Italicum, quod eſt *Sociale* dictum; & Ciuile: quæ *ambo tractata ſunt per annos decem. conſumpſerunt vltra CL millia hominum; viros conſulares XXIIII, prætorios VII, ædilitios LX; *ſenatores fere *CCC.



675 ARCO Æmilio Lepido, Quinto Catulo conſulibus, cum Sylla Rempublicam compoſuiſſet, bella noua exarſerunt: vnum, in Hiſpania; aliud, in Pamphylia & Cilicia; tertiũ, in Macedonia; quartum, in Dalmatia. Nam *Sertorius*, qui partium Marianarum fuerat, timens fortunam *cæterorum qui interempti erant, ad bellum commouit *Hiſpanias*. Miſſi ſunt contra eum duces, Quintus Cæcilius Metellus, filius eius qui Iugurtham [regem] vicit; & Lucius Domitius prætor. A Sertorij duce *Hirtuleio Domitius occiſus eſt: Metellus vario ſucceſſu contra Sertorium dimicauit. Poſtea cum impar pugnæ ſolus Metellus putaretur, Cnæus Pompeius ad Hiſpanias miſſus eſt. Ita duobus ducibus *aduerſis, Sertorius fortuna varia ſæpe pugnauit. * Octauo demum anno a ſuis occiſus eſt, & finis ei bello datus eſt per Cn. Pompeium adoleſcentem, & Quintum Metellum Pium: atque omnes prope Hiſpaniæ in dicionem Po. Ro. redactæ ſunt.

676 Ad *Macedoniam* miſſus eſt Appius Claudius poſt conſulatum. Leuia prœlia habuit contra varias gentes, quæ *Rhodopam prouinciam incolebant: atq; ibi morbo mor-
677 tuus eſt. Miſſus ei ſucceſſor Cnæus Scribonius *Curio poſt conſulatum. is Dardanos vicit, & vſque ad Danubium penetrauit; triumphumque meruit, & intra triennium finem bello dedit.

674 Ad *Ciliciam* & *Pamphyliam* miſſus eſt P. Seruilius *ex conſule, vir ſtrenuus. Is Ciliciam ſubegit, Lyciæ vrbes clariſſimas oppugnauit, & cepit. In his Phaſelidem, Olympum, Corycum Ciliciæ. *Iſauros quoque aggreſſus, in deditionem redegit, atque intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanorum *in Tauro iter fecit. Reuertens, triumphum accepit, & nomen *Iſaurici* meruit.

Ad *Illyricum* miſſus eſt *Cnæus Coſconius pro conſule: multam partem Dalmatiæ ſubegit, Salonas cepit: & compoſito bello, Romam poſt biennium rediit.

675 Iiſdem temporibus, conſul Marcus Æmilius Lepidus, Catuli collega, bellum ciuile voluit commouere: intra tamen vnam æſtatem *motus eius oppreſſus eſt. Ita vno tempore multi ſimul triumphi fuerunt: Metelli, ex Hiſpania: Pompeij, ſecundus ex Hiſpania: Curionis, ex Macedonia: Seruilij, ex Iſauria.

679 Anno vrbis conditæ DCLXXVI, *L. Licinio Lucullo & Marco Aurelio Cotta coss. mortuus eſt Nicomedes rex Bithyniæ, *& per teſtamentum populum Romanum fecit heredem. Mithridates, pace rupta, Bithyniam & Aſiam rurſus voluit inuadere. Aduerſus eum ambo conſules miſſi, variam habuere fortunam. Cotta apud *Chalcedonem victus ab eo acie, etiam intra oppidum coactus eſt, & obſeſſus. Sed cum ſe inde Mithridates Cyzicum tranſtuliſſet, vt *Cyzico capto, totam Aſiam inuaderet, Lucullus ei alter conſul occurrit: ac dum Mithridates in obſidione Cyzici *commoraretur, ipſe eum a tergo obſedit, fameque conſumpſit, & multis prœliis vicit. Poſtremo Byzantium (quæ nunc Conſtantinopolis eſt) fugauit. nauali quoque prœlio duces eius Lucullus oppreſſit. Ita vna hieme & æſtate, a Lucullo [ad] centum fere millia hominum ex parte regis exſtincta ſunt.

Anno vrbis Romæ DCLXXVIII, *Macedoniam* prouinciam M. Licinius Lucullus accepit, conſobrinus *Luculli qui contra Mithridatem bellum gerebat. Et in Italia no-
681 uum bellum ſubito commotum eſt. LXX enim & quatuor gladiatores ducibus Spartaco, *Chryſo, & Oenomao, effracto Capuæ ludo, effugerunt: & per Italiam vagantes, pene non leuius bellum in ea, quam Annibal *mouerat, parauerunt. nam multis ducibus, & duobus ſimul Romanorum conſulibus victis, ſexaginta fere millium armatorum exercitum congregauerunt: victique ſunt in Apulia a M. Licinio Craſſo proconſule. & poſt multas calamitates Italiæ, tertio anno, bello huic finis imponitur.

682 *Sexcenteſimo octogeſimo primo vrbis conditæ anno, P. Cornelio Lentulo & Cnæo Aufidio Oreſte coss. duo tantum grauia bella in imperio Romano erant, Mithridaticum & Macedonicum. hæc duo Luculli agebant, L. Lucullus, & M. Lucullus. L. ergo Lucullus poſt pugnam Cyzicenam, qua vicerat Mithridatem,

et

& naualem, qua duces eius oppresserat, persequutus est eum: & recepta Paphlagonia atque Bithynia, etiam regnum eius inuasit. Sinopen *& Amisum, ciuitates Ponti *nobilissimas, cepit. secundo prœlio apud *Cabira ciuitatem, quò ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, cum XXX millia lectissima regis, a quinque Romanorum millibus vastata essent, Mithridates fugatus, & castra eius direpta. Armenia quoque minor, quam tenuerat, eidem sublata est. Susceptus tamen est Mithridates post fugam a Tigrane Armeniæ rege; qui tum ingenti gloria imperabat, Persas sæpe vicerat, Mesopotamiam occupauerat, & Syriam, & *Phœnices partem. Ergo Lucullus repetens hostem fugatum, etiam regnum Tigranis, qui Armeniis imperabat, ingressus est. *Tigranocerta ciuitatem Armeniæ nobilissimam, cepit. ipsum regem, cum sexcentis millibus clibanariorum, & centum millibus sagittariorum & armatorum venientem, octodecim millia militum habens, ita vicit, vt magnam partem Armeniorum deleuerit. Inde Nisibin profectus, eam quoque ciuitatem cum regis fratre cepit. Sed hi quos in Ponto Lucullus reliquerat, cum exercitus parte, vt *regiones victas *etiam Rom. tuerentur, negligenter se & auare agentes, occasionem iterum Mithridati in Pontum irrumpendi dederunt: atque ita bellum renouatum est. Lucullo *paranti, capta Nisibi, contra Persas expeditionem, successor est missus. Alter Lucullus, qui *Macedoniam* administrabat, Bessis Romanorum primus intulit bellum, atque eos ingenti prœlio in Æmo monte superauit: oppidum * Vscudamam, quod Bessi habitabant, eodem die quo aggressus est, vicit: *Cabylen cepit; vsque ad Danubium penetrauit. Inde multas super Pontum positas ciuitates aggressus est. Illic Apolloniam euertit; *Calatim, Parthenopolim, Tomos, Histrũ, *Buziam omnẽ cepit: belloque confecto, Romam rediit. ambo tamen triumphauerunt: Lucullus qui contra Mithridatem pugnauerat, maiori gloria, cum tantorum regnorum victor rediisset.

Confecto bello Macedonico, manente Mithridatico, quod recedente Lucullo, 685 rex collectis auxiliis reparauerat, bellum *Creticum* ortum est. ad id missus Cæcilius Metellus, ingentibus prœliis intra triennium omnem prouinciam cepit; appellatusq; est *Creticus*; atque ex insula triumphauit. Quo tempore Libya quoque Romano imperio per testamentum Apionis, qui rex eius fuerat, accessit: in qua inclytæ ciuitates erant, Berenice, Ptolemais, & Cyrene.

Dum hæc geruntur, *piratæ* omnia maria infestabant; ita vt nauigatio, Romanis to- 683 to orbe victoribus, sola tuta non esset. Quare id bellum Cnæo Pompeio decretum est: quod intra paucos menses ingenti felicitate & celeritate confecit. Mox ei delatum bellum etiam *contra regem Mithridatem & Tigranem: quo suscepto, Mithridatem in Armenia minore, nocturno prœlio vicit, castra diripuit: quadraginta millibus eius occisis, *viginti tãtum de exercitu suo perdidit, & duos cẽturiones. Mithridates cum vxore fugit, duobus comitibus. Neque multo post, cum in suos sæuiret, Pharnacis filij sui *seditione apud milites, ad mortem coactus, venenum hausit. Hunc finem habuit Mithridates. periit autem apud Bosphorum, vir ingẽtis industriæ consiliique. Regnauit *annis sexaginta: vixit septuaginta duobus: [contra Romanos bellum habuit annos quadraginta.]

Tigrani deinde Pompeius bellum intulit. ille se [ei] dedidit, & in castra Pompeij 687 sextodecimo milliario ab Artaxata venit: ac diadema suum, cum procubuisset ad genua Pompeij, in *manibus eius collocauit: quod ei Pompeius reposuit; honorificeq; eum habitum, regni tamen parte mulctauit, & grandi pecunia. adempta est *ei Syria, Phœnice, Sophene: sex millia præterea talentorum argenti, quæ populo Romano daret; quia bellum sine causa Romanis commouisset.

Pompeius mox etiam *Albanis* bellum intulit, & eorum regem *Orodem ter vicit: 687 postremo per epistolas & munera rogatus, veniam ei ac pacem dedit. Iberiæ quoque regem *Arthacen vicit acie, & in deditionem accepit. Armeniam minorem Deiotaro Galatiæ regi donauit; quia socius belli Mithridatici fuerat. Attalo & Pylæmeni Paphlagoniam *reddidit. Aristarchum Colchis regem imposuit. Mox Ituræos & Arabes vicit: & cum venisset in Syriam, Seleuciam, vicinam Antiochiæ ciuitatem, libertate donauit; [eo] quod regem Tigranem non recepisset. Antio

chenſibus obſides reddidit: aliquantum agrorum Daphnenſibus dedit, quo *lucus ibi ſpatioſior fieret; delectatus amœnitate loci, & aquarũ abundantia. Inde ad Iudeã tranſgreſſus, Hieroſolymam caput gentis tertio menſe cepit; duodecim millibus Iudæorum occiſis, ceteris in fidem acceptis. His geſtis, in Aſiam ſe recepit, & finem antiquiſſimo bello dedit.

690 Marco Tullio Cicerone [oratore] C. Antonio COSS. anno ab vrbe condita DCLXXXIX, Lucius Sergius Catilina, nobiliſſimi generis vir, ſed ingenij prauiſſimi, ad delendam patriam coniurauit, cum quibuſdam claris quidem, ſed audacibus viris. A Cicerone vrbe expulſus eſt: ſocij eius deprehenſi, in carcere ſtrangulati ſunt. Ab Antonio, altero conſule, Catilina ipſe [in] prœlio victus eſt, & interfectus.

691 Sexcenteſimo nonageſimo anno ab vrbe condita, *D. Iunio Silano & L. Murena coss. Metellus de Creta triumphauit. Pompeius de bello piratico & Mithridatico. Nulla vmquam pompa triumphi ſimilis fuit. ducti ſunt ante eius currum *filius Mithridatis, filius Tigranis, Ariſtobulus rex Iudæorum: prælata ingens pecunia, auri atque argenti infinitum pondus. Hoc tempore nullum per orbem terrarum graue bellum erat.

694 Anno vrbis conditæ DCXCIII, Caius Iulius Cæſar, qui poſtea imperauit, cum L. Bibulo conſul eſt factus. decreta eſt ei *Gallia*, & Illyricũ cum legionibus decem. Is primo vicit Heluetios, qui nunc *Sequani* appellantur. deinde vincendo per bella grauiſſima, vſque ad Oceanum Britannicum *proceſſit. Domuit autem annis fere IX omnem Galliam, quæ inter Alpes, flumen Rhodanum, Rhenum, & Oceanum eſt, & circuitu patet ad bis [&] tricies centena millia paſſuum. Britannis mox bellum intulit; quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat: & eos quoque victos, obſidibus acceptis, ſtipendiarios fecit. Galliæ autem tributi nomine annuum imperauit ſeſtertium quadringenties. Germanoſque trans Rhenum aggreſſus, immaniſſimis prœliis vicit. Inter tot ſucceſſus ter male pugnauit.: apud Aruernos ſemel præſens, & abſens in Germania bis. nam legati eius duo, Titurius & *Arũculeius, per inſidias cæſi ſunt.

700 Circa eadem tempora, anno vrbis conditæ *DCXCVII, Marcus Licinius Craſſus, collega Cnæi Pompeij Magni, in conſulatu ſecundo, contra *Parthos* miſſus eſt: & cum circa Carras contra omina & auſpicia dimicaſſet, a Surena *Orodis regis duce victus, ad poſtremum interfectus eſt, cum filio clariſſimo & præſtantiſſimo iuuene. Reliquiæ exercitus per *C. Caſſium quæſtorem ſeruatæ ſunt: qui ſingulari animo perditas res tanta virtute reſtituit, vt Perſas, rediens trans Euphratem, crebris prœliis vinceret.

704 Hinc iam *bellum ciuile* ſucceſſit exſecrandum & lacrymabile; quo, præter calamitates quæ prœliis acciderũt, etiam Romani nominis fortuna mutata eſt. Cæſar enim, rediens e Gallia victor, cœpit *depoſcere alterum conſulatum: atque, cum ſine dubietate aliqua deferretur, contradictum eſt a Marcello conſule, a Bibulo, a Pompeio, a Catone; iuſſuſque dimiſſis exercitibus ad vrbem redire. propter quam iniuriam, ab Arimino, vbi milites congregatos habebat, aduerſum patriam cum exercitu venit. COSS. cum Pompeio, Senatuſque omnis, atque vniuerſa nobilitas ex vrbe fugit, & in Græciam tranſiuit: apud Epirum, Macedoniam, Achaiam, Pompeio duce, contra Cæſarem bellum parauit. Cæſar, vacuam vrbem ingreſſus, Dictatorem ſe fecit. inde *Hiſpanias petiit. Ibi Pompeij exercitus validiſſimos & fortiſſimos, cum tribus ducibus, L. Afranio, M. Petreio, M. Varrone ſuperauit. Inde *reuerſus, in Græciã tranſiit: aduerſum Pompeium dimicauit. primo prœlio victus eſt, & fugatus: euaſit tamen: quia nocte interueniente, Pompeius ſequi noluit. dixitque Cæſar, nec Pompeium ſcire vincere; & illo tantum die ſe potuiſſe ſuperari. Deinde in Theſſalia apud *Palæopharſalum productis vtrimque ingentibus copiis dimicauerunt. Pompeij acies habuit XL millia peditum; equitum in ſiniſtro cornu VII millia, in dextro D. præterea totius Orientis auxilia, totamque nobilitatem, innumeros Senatores, prætorios, conſulares, & qui magnorum iam populorum victores fuiſſent. Cæſar in acie ſua habuit peditum non integra XXX millia, equites mille.

Numquam

Numquam adhuc Romanæ copiæ [in vnum] neq; maiores, neq; melioribus ducibus conuenerant, totum terrarum orbem facile subacturæ, si contra Barbaros ducerentur. pugnatum tamen est ingenti contentione: victusque ad postremum Pompeius, & castra eius direpta sunt: ipse fugatus, Alexandriam petiit, vt a rege Ægypti, cui tutor a Senatu datus fuerat, propter iuuenilem eius ætatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis quam amicitiam sequutus, occidit Pompeium: caput eius & annulum Cæsari misit: quo conspecto, Cæsar [etiam] lacrymas fudisse dicitur, tanti viri intuens caput, & generi quondam sui.

Mox Cæsar Alexandriam venit. ipsi quoque Ptolemæus parare voluit insidias. 706
qua caussa regi bellum illatum est. victus in Nilo periit; inuentumque est corpus eius cum lorica aurea. Cæsar Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dedit, Ptolemæi sorori; cum qua consuetudinem stupri habuerat. *Rediens inde Cæsar, Pharnacem Mithridatis magni filium, qui Pompeio in auxilium apud Thessaliam fuerat, rebellãtem in Ponto, & multas Pop. Ro. prouincias occupantẽ,* vicit acie: postea ad mortem coëgit. Inde Romam regressus, tertio se consulem fecit cum M. Æmilio Lepido, qui ei magister equitum dictatori ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est; vbi infinita nobilitas cum Iuba Mauritaniæ rege bellum reparauerat. duces autem Romani erant, *P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani: (hic etiam socer magni Pompeij fuerat) M. Petreius, *Q. Varus, M. Porcius Cato, L. Cornelius Faustus, [Syllæ dictatoris filius. Contra hos commisso prœlio, post multas dimicationes victor fuit. Cato, Scipio, Petreius, Iuba, ipsi se occiderunt: Faustus] Syllæ quondam dictatoris filius, Pompeij gener a Cæsare interfectus est.

Post annum Cæsar Romam regressus, quarto se consulem fecit; & statim ad Hispanias est profectus; vbi Pompeij filij Cnæus & Sextus, ingens bellum reparauerãt. Multa prœlia fuerunt; vltimum prœlium apud Mundam ciuitatem: in quo adeo Cæsar pene victus est, vt fugientibus suis, se voluerit occidere; ne post tantam rei militaris gloriam, in potestatem adolescentium, natus annos sex & quinquaginta, veniret. denique reparatis suis, vicit; & * Pompeij filius maior occisus est, minor fugit. Inde Cæsar bellis ciuilibus toto orbe compositis, Romam rediit; agere insolentius cœpit, & contra consuetudinem Romanæ libertatis. Cum ergo & honores ex sua voluntate præstaret, qui a populo antea deferebantur, nec Senatui ad se venienti assurgeret, aliaque regia ac pene tyrannica faceret, coniuratum est in eum a LX vel amplius Senatoribus equitibusque Romanis. præcipui fuerunt inter coniuratos, duo Bruti, *ex eo genere Bruti qui primus Romæ consul *est factus, & reges expulerat; C. Cassius, & Seruilius Casca. Ergo Cæsar, cum Senatus die quadam inter ceteros venisset ad curiam, tribus & viginti vulneribus confossus est.

EVTROPII [BREVIARII] LIBER VII.

709 NNO vrbis DCC fere ac nono, interfecto Cæsare, *bella ciuilia* reparata sunt. percussoribus enim Cæsaris Senatus fauebat. Antonius consul, partium Cæsaris, ciuili bello opprimere eos conabatur. Ergo turbata Rep. multa Antonius scelera committens, a Senatu hostis iudicatus est. missi ad eum persequendum duo Coss. Pansa & Hirtius, & *Octauianus, adolescens annos XVIII natus, Cæsaris nepos; quem ille testamento heredem reliquerat, & nomen suum ferre iusserat. hic est qui postea *Augustus* est dictus, & rerum potitus. Quare profecti contra Antonium tres duces, vicerunt eum. Euenit tamẽ vt victores Coss. ambo morerentur. Quare tres exercitus vni Cæsari paruerunt. Fugatus Antonius, amisso exercitu, confugit ad Lepidum, qui *Cæsari magister equitum fuerat, & tum copias militum grandes habebat; a quo susceptus est. Mox Lepido operam dante, Cæsar cum Antonio pacem fecit: & quasi vindicaturus patris sui mortem, a quo per testamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus est; extorsitque vt sibi XX anno consulatus daretur. Senatum proscripsit cum Antonio & Lepido, & Rempublicam armis tenere cœpit. per hos etiã Cicero orator occisus est, multiq; alij nobiles.

Interea Brutus & Cassius, interfectores Cæsaris, ingens bellum mouerunt. erant
711 enim per Macedoniam & Orientem multi exercitus, quos *occupauerunt. Profecti igitur contra eos, Cæsar Octauianus Augustus, & M. Antonius, (remanserat enim ad defendendam Italiam Lepidus) apud Philippos, Macedoniæ vrbem, contra eos pugnauerunt. Primo prœlio victi sunt Antonius & Cæsar: periit tamen dux nobilitatis Cassius: secundo, Brutus & infinita nobilitas quæ cum illis bellum gesserat: ac sic inter eos diuisa est Resp. *vt Augustus Hispanias, Gallias, Italiam teneret; Antonius Asiam, Pontum, Orientem. Sed *intra Italiam L. Antonius Cos. bellum ciuile cõmouit, frater eius qui cum Cæsare contra Brutum & Cassium dimicauerat. Is apud *Perusium Tusciæ ciuitatem victus & captus est, neque occisus.

717 Interim a Sexto Pompeio, Cnæi Pompeij Magni filio, ingens bellum in Sicilia cõmotum est, his qui superfuerant ex partibus Bruti Cassiique ad eum confluentibus. Bellatum per Cæsarem Augustum Octauianum, & M. Antonium, aduersus Sextũ Pompeium: pax postremo conuenit.

717 Eo tempore M. Agrippa in Aquitania rem prospere gessit & *L. Ventidius Bassus irrumpentes in Syriam Persas, tribus prœliis vicit. *Pacorum regis Orodis filium interfecit, eo ipso die quo olim Orodes Persarum rex per ducem Surenam Crassum occiderat. Hic primus de Parthis iustissimum triumphum [Romæ] egit.

Interim Pompeius pacem rupit: & nauali prœlio victus, fugiens ad Asiam, interfectus est. Antonius, qui Asiam & Orientem tenebat, repudiata sorore Cæsaris Augusti Octauiani, Cleopatram, reginam Ægypti, duxit vxorem. Cõtra Persas ipse etiã pugnauit: primis eos prœliis vicit: regrediens tamen, fame & pestilentia laborauit: & cum instarent Parthi fugienti, ipse pro *victoria cessit.

722 Hic quoque ingens bellum ciuile commouit, cogẽte vxore Cleopatra, regina Ægypti; dum cupiditate muliebri optat etiam in vrbe regnare. Victus est ab Augusto, nauali pugna clara & illustri, apud Actium; qui locus in Epiro est: ex qua fugit in Ægyptum: & desperatis rebus, cum omnes ad Augustum transirent, ipse se interemit. Cleopatra [sibi] aspidem admisit, & veneno eius exstincta est. Ægyptus per Octauianum Augustum imperio Romano adiecta est: præpositusq; [eius factus est] Cn. Cornelius Gallus. hunc primum Ægyptus Romanum iudicem habuit. Ita bellis toto orbe confectis, Octauianus Augustus Romam rediit, XII anno [post] quam consul fuerat. ex eo Remp. per XLIIII annos solus obtinuit. ante enim XII annis cũ Antonio & Lepido tenuerat. Ita ab initio principatus eius vsque ad finem LVI anni fuerunt.

* Obiit autem LXXXVI anno, morte cõmuni in oppido Campaniæ Atella. Romæ in campo Martio sepelitur: vir qui non immerito ex* maxima parte Deo similis est putatus. neque enim facile vllus eo aut in bellis felicior fuit, aut in pace moderatior. [XLIIII annis quibus solus gessit imperium] ciuilissime vixit: in cunctos liberalissimus, in amicos fidissimus: quos tantis euexit honoribus, vt pene æquaret fastigio suo. Nullo tempore [ante eum] res Romana magis floruit. nam exceptis ciuilibus bellis, in quibus inuictus fuit, Romano adiecit imperio Ægyptum, Cantabriam, Dalmatiam sæpe ante victam, sed penitus tunc subactam: Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhætiam, Vindelicos, & *Salassos in Alpibus; omnes Ponti maritimas ciuitates: in his nobilissimas, Bosphorum, & * Panticapæon. Vicit autem prœliis Dacos: Germanorum ingentes copias cecidit: ipsos quoque trans Albim fluuium submouit, qui in Barbarico longe vltra Rhenum est. hoc tamen [bellum] per Drusum priuignum suum administrauit; sicut per priuignum Tiberium alterum, Pannonicum; quo bello CCCC millia captiuorum ex Germania transtulit, & * super ripam Rheni in Gallia collocauit. Armeniam a Parthis recepit. obsides (quod nulli antea) Persæ ei dederũt: [reddiderunt] etiam signa Romana, quæ Crasso victo ademerant. Scythæ & Indi, quibus antea Romanorũ nomen incognitum fuerat, munera & legatos ad eum miserunt. Galatia quoq; sub hoc prouincia facta est, cum antea regnum fuisset; primusque eam M. Lollius pro Prætore administrauit. Tanto autem amore [etiam] apud Barbaros fuit, vt reges Pop. Rom. amici, in honorem eius conderent ciuitates, quas *Cæsareas* nominarent: sicut in Mauritania a rege Iuba, & in Palæstina, quæ nunc est vrbs clarissima. Multi autem reges ex regnis suis venerunt, vt ei obsequerentur: & habitu Romano, togati scilicet, ad vehiculum vel* equum ipsius cucurrerunt. Moriens *Diuus* appellatus est. Rempublicam beatissimam Tiberio successori reliquit: *qui priuignus [eius,] mox gener, postremo adoptione filius fuerat.

TIBERIVS ingenti socordia imperium gessit, graui crudelitate, scelesta auari- II
tia, turpi libidine. nam nusquam ipse pugnauit; bella per legatos suos gessit. quosdam 766
reges [ad se] per blanditias euocatos, numquam remisit; in queis Archelaum Cappa- III
docem: cuius etiam regnum in prouinciæ formam redegit, & maximam ciuitatem appellari suo nomine iussit; quæ nunc *Cæsarea* dicitur, cum Mazaca antea vocaretur. Hic tertio & vigesimo imperij anno, ætatis* LXXXIII, ingenti omnium gaudio mortuus est in Campania.

Successit ei CAIVS CÆSAR, cognomento CALIGVLA, Drusi priuigni Augusti, & III
ipsius Tiberij nepos: sceleratissimus ac funestissimus, & qui etiam Tiberij dedecora 789
purgauerit. Bellum cõtra Germanos suscepit: & ingressus Sueuiam, nihil strenue fe- IIII
cit. Stupra sororibus intulit; ex vna etiam natam filiam* cognouit. Cum aduersum cunctos ingenti auaritia, libidine, crudelitate sæuiret, interfectus in palatio est, anno ætatis suæ XXXIX, imperij III, mense X, dieque VIII.

Post hunc CLAVDIVS fuit, patruus Caligulæ, * Drusi, qui apud Mogontiacum IIII
monumentum habet, filius: cuius & Caligula nepos erat. Hic medié imperauit; mul- 793
ta gerens tranquille atq; moderate, quædam crudeliter atque insulse. *Britanniæ in- V
tulit bellum, quam nullus Romanorum post Iulium Cæsarem attigerat: eaque deuicta per Cnæum Sentium & Aulum Plautium, illustres & nobiles viros, triumphum celebrem egit. Quasdam insulas etiam vltra Britanniam in Oceano positas, Romano imperio addidit; quæ appellantur Orcades: filioque suo *Britannici* nomen imposuit. Tam ciuilis autem circa quosdam amicos exstitit, vt etiam Plautium nobilem virum, qui in expeditione Britannica* multa ac egregia fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, & conscendenti Capitolium læuus incederet. Is vixit annos LXIIII: imperauit XIIII. post mortem consecratus est, *Diuus*que appellatus.

Successit huic NERO, * Caligulæ auunculo suo simillimus: qui imperium Roma- V
num & deformauit, & diminuit: inusitatæ luxuriæ sumptuumque; vt qui exemplo 806
Caij Caligulæ, calidis & frigidis [se] lauaret vnguentis, retibus aureis piscaretur, quæ VI
blatteis funibus extrahebat. Infinitam partem Senatus interfecit; bonis omnibus hostis fuit. ad postremum se tanto dedecore prostituit, vt saltaret & cantaret in scena citharœdico habitu & tragico. parricidia multa commisit, fratre, vxore, matre, in-

terfectis. vrbem Romam incendit; vt spectaculi eius imaginem cerneret, quali o-
lim Troia capta arserat. In re militari nihil omnino ausus, Britanniam pene amisit.
Nam duo sub hoc nobilissima oppida capta illic atque euersa sunt: Armeniam Par-
thi sustulerunt, legionesque Romanas sub iugum miserunt. Duæ tamen prouinciæ
sub eo factæ sunt; Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone; & Alpes* Co-
tiæ, [Cotio] rege defuncto. * Propter hoc Romanæ vrbi exsecrabilis, ab omnibus
simul destitutus, & a Senatu hostis iudicatus, quum quæreretur ad pœnam (quæ
pœna erat talis, vt nudus per publicum ductus, furca capiti eius inserta, virgis vsque
ad mortem cæderetur, atque ita præcipitaretur de saxo) e palatio fugit: & in subur-
bano se liberti sui, quod est inter Salariam & * Numentanam viam, ad quartum vr-
bis milliarium, interfecit. Is ædificauit Romæ thermas, quæ ante *Neronianæ* dictæ,
nunc *Alexandrinæ* appellantur. Obiit trigesimo * & altero ætatis anno, imperij XIIII.
atque in eo omnis familia Augusti consumpta est.

VI Huic * SER. GALBA successit, antiquissimæ nobilitatis Senator. cum LXXIII
820 annum ageret ætatis, ab Hispanis & Gallis Imperator electus, mox ab vniuerso ex-
ercitu libenter acceptus est. Nam priuata eius vita insignis fuerat militaribus & ciui-
libus rebus; sæpe consul, sæpe * pro consule; frequenter dux in grauissimis bellis.
Huius breue imperium fuit, & quod bona haberet exordia; nisi ad seueritatem pro-
pensior videretur. Insidiis tamen Othonis occisus est, imperij mense septimo; iugu-
latus in foro Romæ, sepultusque in hortis suis, qui sunt Aurelia via, non longe ab
vrbe Roma.

VII OTHO, occiso Galba, inuasit imperium: materno genere nobilior quam pater-
821 no, neutro tamen obscuro: in priuata vita mollis, * in imperio documentum sui non
potuit ostendere. Nam cum iisdem temporibus quibus Otho Galbam occiderat, et-
iam Vitellius factus esset a Germanicianis exercitibus Imperator, bello contra eum
suscepto, cum apud Bebriacum in Italia * leui prœlio victus esset, * ingentes tamen
„ copias haberet, sponte semetipsum occidit. petentibus militibus, ne tam cito de
„ belli desperaret euentu, cum tanti se non esse dixisset, vt propter eum ciuile bellum
„ * commoueretur, voluntaria morte obiit, trigesimo & octauo ætatis anno, nonagesi-
mo & quinto imperij die.

VIII Dein VITELLIVS * imperio potitus est, familia honorata magis quam nobi-
821 li. nam pater eius non admodum clare natus, tres tamen ordinarios gesserat con-
sulatus. Hic cum multo dedecore imperauit, & graui sæuitia notabilis, præcipue in-
gluuie & voracitate: quippe cum de die sæpe quarto vel quinto feratur epulatus. no-
tissima certe cœna memoriæ mandata est, quam ei Vitellius frater exhibuit: in qua
super cæteros sumptus, duo millia piscium, septem auium millia apposita tradun-
tur. Hic cum Neroni similis esse vellet, atque id adeo præ se ferret, vt etiam * exse-
quias Neronis, quæ humiliter sepultæ fuerant, honoraret, a Vespasiani ducibus oc-
cisus est, interfecto prius Sabino Vespasiani Imperatoris fratre; quem cum Capito-
lio incendit. Interfectus autem, & cum magno dedecore tractus per vrbem Romam
publice, nudus, * erecta coma & capite subiecto ad mentum gladio; stercore * in vul-
tum & pectus ab omnibus obuiis appetitus: postremo iugulatus, & in Tiberim deie-
ctus, etiam communi caruit sepultura. Periit autem ætatis anno septimo & quinqua-
gesimo, imperij mense * VIII, & die vno.

IX VESPASIANVS huic successit, factus apud Palæstinam Imperator: princeps ob-
822 scure quidem natus, sed optimis comparandus, priuata vita illustris; vt qui a Clau-
VII dio in Germaniam, deinde in Britanniam missus, tricies & bis cum hoste conflixe-
rit; duas validissimas gentes, XX oppida, insulam * Vectam Britanniæ proximam, im-
perio Romano adiecerit. Romæ se in imperio moderatissime gessit: pecuniæ tamen
auidior fuit, ita vt eam * nulli iniuste auferret: quam cum omni diligentiæ prouisio-
ne colligeret, tamen studiosissime largiebatur, præcipue indigentibus. nec facile an-
„ te eum cuiusquam principis vel maior est liberalitas comperta, vel iustior. placidissi-
„ mæ * bonitatis; vt qui maiestatis quoque contra se reos non facile puniret vltra exsi-
lij pœnam. Sub hoc Iudæa Romano accessit imperio: & Hierosolyma, quæ fuit
vrbs clarissima Palæstinæ: Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, quæ
liberæ

liberæ ante hoc tempus fuerant: item Thraciam, Ciliciam* Tracheam, Commagenen, quæ sub regibus amicis* erant, in prouinciarum formam redegit. Offensarum & inimicitiarum immemor fuit: conuitia a causidicis & philosophis in se dicta, leniter tulit. diligens tamen coercitor disciplinæ militaris. Hic cum Tito filio de Hierosolymis triumphauit. Per hæc cum Senatui & populo, postremo cunctis amabilis ac iucundus esset, profluuio ventris exstinctus est in villa propria, circa Sabinos, annum ætatis agens LXIX, imperij nonum, & diem septimum: atque inter diuos relatus est. Genituram filiorum ita cognitam habuit, vt cum multæ contra eum coniurationes fierent, quas patefactas ingenti dissimulatione contempsit, in senatu dixerit; aut filios sibi successuros, aut neminem.

Huic TITVS filius successit; qui & ipse VESPASIANVS est dictus: vir omnium X
virtutum genere mirabilis; adeo vt *amor & deliciæ humani generis* diceretur. facun- 831
dissimus, bellicosissimus, moderatissimus: caussas latine egit; poemata & tragœ- VIII
dias græce composuit. In oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans, XII
propugnatores XII sagittarum ictibus confixit. Romæ tantæ ciuilitatis in imperio
fuit, vt nullum omnino puniret; conuictos aduersum sese coniurationis, ita* dimiserit, vt in eadem familiaritate, qua antea, habuerit. Facilitatis tantæ fuit & liberalitatis, vt nulli quidquam negaret: & cum ab amicis reprehenderetur, respondit, Nul- «
lum tristem debere ab Imperatore discedere. * Propterea cum quadam die in cœna «
recordatus fuisset, nihil se illo die cuiquam præstitisse, dixit; *O amici, hodie diem perdidi.* Hic Romæ amphitheatrum ædificauit, & quinque millia ferarum in dedicatione eius occidit.

Per hæc inusitato fauore dilectus, morbo periit, in ea qua pater villa, post biennium, menses octo, dies XX, quam Imperator erat factus, ætatis anno altero & XL. Tantus luctus eo mortuo publicus fuit, vt omnes tamquam in propria doluerint orbitate. Senatus obitu ipsius circa vesperam nuntiato, nocte irrupit in curiam: & tantas ei mortuo gratias laudesque congessit, quantas nec viuo vmquam egerat, nec præsenti. Inter diuos relatus est.

DOMITIANVS mox accepit imperium, frater ipsius iunior. Neroni aut Caligu- XI
læ, aut Tiberio similior, quam patri vel fratri suo. primis tamen annis moderatus in 833
imperio fuit: mox ad ingentia vitia progressus, libidinis, iracundiæ, crudelitatis, aua- IX
ritiæ, tantum in se odium concitauit, vt merita & patris & fratris aboleret. Interfecit nobilissimos ex Senatu. *Dominum* se & *Deum* primus appellari iussit: nullam sibi nisi auream & argenteam statuam in Capitolio poni passus est. consobrinos suos interfecit. superbia quoque in eo exsecrabilis fuit. Expeditiones quatuor habuit; vnam aduersus Sarmatas, alteram aduersus Cattos, duas aduersum Dacos. de Dacis Cattisq; * duplicem quidem triumphum egit; de Sarmatis solam lauream vsurpauit. Multas quidem calamitates iisdem bellis passus est. nam in Sarmatia* legiones eius cum duce interfectæ: & a Dacis Appius Sabinus consularis, & Cornelius Fuscus præfectus prætorio, cum magnis exercitibus occisi sunt. * Romæ quoque multa opera fecit; in his Capitolium & Forum transitorium, Odeum, porticus, Isium ac Serapium, ac Stadium. Verum cum ob scelera vniuersis exosus esse cœpisset, interfectus est suorum coniuratione in palatio, anno ætatis XLV, imperij quintodecimo. Funus eius cum ingenti dedecore per vespillones exportatum, & ignobiliter [est] sepultum.

EVTROPII [BREVIARII] LIBER VIII.



XII 848 X *NNO octingentesimo & quinquagesimo ab vrbe condita, Vetere & Valente consulibus, Resp. ad prosperrimum statum rediit, bonis principibus ingenti felicitate commissa. Domitiano enim exitiali tyranno NERVA successit; vir in priuata vita moderatus, & strenuus; nobilitatis mediæ. qui senex admodum, operam dante Petronio Secũdo, præfecto *prætorio; item Parthenio interfectore Domitiani, Imperator factus, æquissimum se [& ciuilissimum] præbuit. Reip. diuina prouisione consuluit, Traianum adoptando. Mortuus est Romæ post annum & quatuor menses imperij sui, ac dies octo: ætatis LXX & altero anno. atque inter diuos relatus est.

XIII 840 XI Successit ei VLPIVS TRAIANVS CRINITVS, natus Italicæ in Hispania, familia antiqua magis quam clara: nam pater eius *primum cos. fuit. Imperator aũt apud Agrippinã [ciuitatẽ] in Galliis factus est. Remp. ita administrauit, vt omnibus principibus merito preferatur. Inusitatæ ciuilitatis & fortitudinis fuit. Romani imperij, quod post Augustũ defensum magis fuerat quam nobiliter ampliatũ, fines lõge lateq; diffudit: vrbes trans Rhenũ in Germania reparauit: Daciam *Decibalo victo subegit, prouincia trans Danubium facta in his agris quos nũc Taiphali *habẽt, [& Victophali & Theruingi.] Ea prouincia decies centena millia in circuitu *tenet. Armeniã, quam occupauerãt Parthi, recepit, *Pharnace Syro occiso qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Iberorũ regem & Sauromatarum & Bosphoranorum, & Arabum & Osdroenorum & Colchorum, in fidem accepit.* Adiabenos, Marchomedos occupauit: & Anthemusium magnã Persidis regionem; Seleuciam & Ctesiphontem, Babylonem & Edessios vicit, ac tenuit vsque ad Indiæ fines; & mare rubrum accessit: atq; ibi tres prouincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam, cum his gentibus quæ *Macedenam attingũt. Arabiam postea in prouinciæ formam redegit. in mari rubro classem instituit; vt per eam Indiæ fines vastaret. Gloriam tamen militarem ciuilitate & moderatione superauit, Romæ & per prouincias æqualem se omnibus exhibens; amicos salutandi caussa frequentans, vel ægrotantes, vel cum festos dies habuissent; conuiuia cum iisdem indiscreta vicissim habens; sæpe in vehiculis, eorum sedens, nullum senatorum lædens, nihil iniustum ad augendum fiscum agens: liberalis in cunctos, publice priuatimq; ditans omnes & honoribus augẽs, quos mediocri [vel] familiaritate cognouisset: orbem terrarum ædificans, multas immunitates ciuitatibus tribuẽs; nihil non tranquillum & placidum agens; adeo vt omni eius ætate vnus tantum Senator damnatus sit; at is tamen per Senatum ignorante Traiano. Ob hoc per orbem terrarum Deo proximus, nihil non venerationis meruit, & viuus & mortuus. Inter alia dicta hoc illius fertur egregium. amicis enim culpãtibus, quod nimis » circa omnes comis esset, respondit; Talem se Imperatorem esse priuatis, quales esse » sibi Imperatores priuatus optasset. Post ingentem igitur gloriam belli domiq; quæsitam, e Perside rediens, apud Seleuciã Isauriæ profluuio ventris exstinctus est. Obiit aũt ætatis anno LXII, mense *nono, & die quarto: [imperij anno XIX, mẽse VI, die XV.] Inter Diuos relatus est, solusq; omniũ intra Vrbẽ sepultus. *Ossa eius collocata in vrna aurea, in foro quod ædificauit, sub colũna sita sunt: cuius altitudo, *CXLIIII pedes habet. Huius tantum memoriæ delatum est, vt vsq; ad nostram ætatem non *aliter in Senatu ptincipibus acclametur, nisi FELICIOR AVGVSTO, MELIOR TRAIANO. Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, vt vel assentantibus [vel vere laudantibus] occasionem magnificentissimi præstet exempli.

XIIII 859 XII Defuncto Traiano, ÆLIVS ADRIANVS creatus est princeps; sine aliqua quidem voluntate Traiani, sed operã dante Plotina Traiani vxore. nam eum Traianus, quamquã consobrinæ filium, viuens noluerat adoptare. Natus & ipse Italicæ in Hispania. qui Traiani gloriæ inuidẽs, statim prouincias tres reliquit, quas Traianus addiderat; * & de Assyria, Mesopotamia, & Armenia, reuocauit exercitus; ac finẽ imperij

esse

esse voluit Euphratem. Idem de Dacia facere conatum, amici deterruerunt; ne multi ciues Romani barbaris traderentur: propterea quod Traianus victa Dacia, ex toto orbe Romano infinitas eò copias hominum transtulerat, ad agros & vrbes colendas. Dacia enim diuturno bello Decibali [viris] fuerat exhausta. Pacem tamen omni tempore imperij sui habuit, semel tantum per præsidem dimicauit, orbem Romanũ circumiuit, & multa ædificauit. Facundissimus Latino sermone, Græco eruditissimus fuit. Non magnam clementiæ gloriam habuit. diligentissimus tamen circa ærarium, & militum disciplinam. Obiit in Campania, maior sexagenario, imperij anno XXI, mense X, die XXIX. Senatus ei tribuere noluit diuinos honores. tamen cum successor ipsius Titus Aurelius Fuluius Antoninus hoc vehementer exigeret, & vniuersi senatores palam resisterent, tandem obtinuit.

Ergo Adriano successit T. ANTONINVS FVLVIUS *BOIONIVS; idem etiam PIVS XV
nominatus; genere claro, sed non admodum vetere: vir insignis, & qui merito Numę 890
Pompilio *conferatur; ita vt Romulo Traianus æquetur. Vixit ingenti honestate pri- XIII
uatus; maiori, in imperio. nulli acerbus, cunctis benignus. in re militari moderata gloria; defendere magis prouincias quam amplificare studens; viros iustissimos ad administrandam Rempubl. quærens; bonis honorem habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans: regibus amicis venerabilis non minus quam terribilis: adeo vt barbarorum plurimæ nationes, depositis armis, ad eum controuersias suas liteisq; deferrent, sententiæq; eius parérent. Hic ante imperium ditissimus, opes quidem suas stipendiis militum, & circa amicos liberalitatibus minuit; verum ærariũ opulentum reliquit. PIVS propter clementiam dictus est. Obiit apud Lorium, villam suam, milliario ab vrbe XII: vitæ anno *LXXIII, imperij XXIII. atque inter *Diuos relatus est, & merito consecratus.

Post hunc imperauit M. ANTONINVS VERVS; haud dubie nobilissimus: quippe XVI
cum eius origo paterna a Numa Pompilio, materna a Solentino rege penderet: [&] 913
cum eo L. ANNIVS ANTONINVS VERVS. tumq; primum Romana Respubl. duo- XIIII
bus æquo iure imperium administrantibus paruit; cum vsque ad eum singulos semper habuisset Augustos. Hi & *genere inter se coniuncti fuerunt, & affinitate. nam Verus Annius Antoninus, M. Antonini filiam in matrimonium habuit: M. [autem] Antoninus gener Antonini Pij fuit, per vxorem *Galeriam Faustinam, iuniorẽ consobrinam suam. Hi bellum contra Parthos gesserunt; qui post victoriam Traiani tum primum rebellauerant. Verus Antoninus ad id profectus est: qui Antiochiæ & circa Armeniam agens, multa per duces & ingentia patrauit: Seleuciam Assyriæ vrbem nobilissimam cum CCCCC millibus hominum cepit: Parthicum triumphum reuexit; cum fratre eodemq; socero triumphauit. Obiit tamen in Venetia, cum a Cõcordia ciuitate Altinum proficisceretur, & cum fratre in vehiculo sederet, subito sanguine ictus, casu morbi quem Græci *ἀποπληξιν vocant. vir ingenij parum ciuilis; reuerentia tamen fratris nihil vmquã atrox ausus. Cum obiisset XI imperij anno, inter *Diuos relatus est. Post eum MARCVS ANTONINVS solus Remp. tenuit; [vir] quem mirari facilius quis quam laudare possit. *A principio vitæ tranquillissimus: adeo vt in infantia quoq; vultum nec ex gaudio, nec ex mœrore mutaret. Philosophiæ deditus Stoicæ, ipse etiam non solum vitæ moribus, sed etiam eruditionẽ philosophus. tantæ admirationis adhuc iuuenis, vt eum successorem parauerit Adrianus relinquere; adoptato tamen Antonino *Pio generum esse ei idcirco voluerit, vt hoc ordine ad imperium perueniret. Institutus est ad philosophiam per Apollonium Chalcedonium; ad scientiam Græcarum litterarũ, per *Sextum Chæronensem, Plutarchi nepotem. Latinas autem litteras eum Fronto orator nobilissimus docuit. Hic cum omnibus Romæ æquo iure egit; ad nullã insolentiam *elatus imperij fastu: liberalitatis promptissimæ, prouincias ingenti benignitate & moderatione tractauit. Contra Germanos eo principe res feliciter gestæ sunt. Bellum ipse vnum gessit Marcomannicũ; sed quantum nulla memoria fuit; adeo vt Punicis conferatur. nam eo grauius est factũ, quod vniuersi exercitus perierant. sub hoc enim tantus casus pestilentiæ fuit, vt post victoriam Persicam, Romæ ac per Italiam prouinciasque, maxima hominum pars, militum omnes fere copiæ languore defecerint. Ingenti ergo labore & moderatio-

ne, cum apud* Carnuntum iugi triennio perseuerasset, bellum Marcomannicum
confecit; quod cum his Quadi, Vandali, Sarmatę, Sueui, atque omnis barbaria commouerat: multa hominum millia interfecit: ac Pannoniis seruitio liberatis, Romæ
rursus cum Commodo Antonino filio suo, quem iam Cæsarem fecerat, triumphauit. Ad huius belli *sumptum ærario exhausto, cum largitiones nullas haberet, neq;
indicere prouincialibus aut senatui aliquid vellet,* instrumentum regij cultus, facta
in foro diui Traiani sectione, distraxit: vasa aurea, pocula crystallina & murrhina, vxoriam ac suam sericam ac auream vestem, multa ornamenta gemmarum: ac per
duos continuos menses venditio habita est, multumque auri redactum. Post victoriam tamen emptoribus pretia restituit, qui reddere comparata voluerunt: molestus
nulli fuit, qui maluit semel empta retinere. Hic permisit viris clarioribus, vt conuiuia eodem cultu quo ipse, & ministris similibus exhiberent. In editione munerum
post victoriam adeo magnificus fuit, vt centum simul leones exhibuisse tradatur.
Cum igitur fortunatam Remp. & virtute & mansuetudine reddidisset, obiit XVIII
imperij anno, vitæ LXI: & omnibus certatim adnitentibus, inter* diuos relatus est.
XVII Huius successor L. ANTONINVS COMMODVS, nihil paternum habuit; nisi
932 quod contra Germanos feliciter & ipse pugnauit. Septembrem mensem ad nomen
XV suum transferre conatus est, vt Commodus diceretur. sed luxuria & obscœnitate deprauatus, gladiatoriis armis sæpissime in ludo,* deinceps etiam in amphitheatro cum
huiusmodi hominibus [sæpe] dimicauit. Obiit morte subita; adeo vt strangulatus,
vel veneno interfectus putaretur. cum annis XII post patrem, & VIII mensibus imperasset; tanta exsecratione omnium, vt hostis humani generis etiam mortuus iudicaretur.
XVIII Huic successit PERTINAX; grandæuus iam; vt qui * septuagenariam attigisset
944 ætatem; præfecturam* vrbi tum agens; ex S.C. imperare iussus. *Octogesimo imperij
XVI die prætorianorum militum seditione, & Iuliani scelere occisus est.
XIX Post eum SALVIVS IVLIANVS Remp. inuasit; vir nobilis, & *iuris peritissimus;
945 nepos Saluij Iuliani, qui sub diuo Adriano perpetuum composuit edictum. Victus
est a Seuero apud Miluium pontem, interfectus in palatio. vixit mensibus septem,
postquam cœperat imperare.
XX Hinc imperij Romani administrationem SEPTIMIVS SEVERVS accepit: otiun-
945 dus ex Africa prouincia Tripolitana, oppido Lepti. solus omni memoria & ante &
XVII postea ex Africa Imperator fuit. Hic primum fisci aduocatus, mox militaris tribunus,
per multa deinde & varia officia atque honores vsque ad administrationem totius
Reip. peruenit. *Pertinacem* se appellari voluit, in honorem eius Pertinacis qui à Iuliano fuerat occisus. Parcus admodum fuit; natura sæuus. Bella multa & feliciter gessit.
Pescennium Nigrum, qui in Ægypto & Syria rebellauerat, apud* Cyzicum interfecit.
Parthos vicit:* Arabas eo vsq; superauit, vt etiam prouinciam ibi faceret, idcirco Parthicus & Arabicus dictus est. Multa toto Romano orbe reparauit. Sub eo etiam *Clodius Albinus*, qui in occidendo Pertinace socius fuerat Iuliano, Cæsarem se in Gallia
fecit: victusque apud Lugdunum est & interfectus. Seuerus autem præter bellicam
gloriam, etiam ciuilibus studiis clarus fuit, & litteris doctus, philosophiæ scientiam ad
plenum adeptus. Nouissimum bellum in Britannia habuit: vtque receptas prouincias omni securitate muniret, vallum per * XXXII millia passuum a mari ad mare deduxit. Decessit Eboraci admodum senex, imperij anno *XVIII, mense IIII: & Diuus
appellatus est. nam filios *suos successores reliquit, Bassianum & Getam: sed Bassiano
Antonini nomen * a Senatu voluit imponi. itaq; dictus est *M. Aurelius Antoninus Bassianus:* patriq; successit. Nam Geta hostis publicus iudicatus, confestim periit.
XXI MARCVS igitur AVRELIVS ANTONINVS BASSIANVS, idemque CARACAL-
963 LA, morum fere paternorum fuit: paulo asperior, & minax. Opus Romæ egre-
XVIII gium fecit lauacri, quæ* Antoninianæ appellantur; nihil præterea memorabile. Impatiens libidinis; vt qui nouercam suam Iuliam, vxorem duxerit. Defunctus est
in* Osdroene apud Edessam, moliens aduersum Parthos expeditionem, anno imperij VI, mense II; vix egressus ætatis XLIII annum. funere publico elatus est.
XXII OPILIVS deinde MACRINVS, qui præfectus prætorio erat, cum filio DIADV-

MENO facti Imperatores, nihil memorabile ex tẽporis breuitate gesserunt. nam impe- 969
riũ eorũ duũm mẽsium, & vnius anni fuit. seditione militari ambo pariter occisi sunt. xix
Creatus est post hos M. AVRELIVS ANTONINVS: Hic Antonini Caracallæ filius xxiii
putabatur: sacerdos aũt Heliogabali templi erat. Is cum Romam [ingẽti] & militum 970
& Senatus exspectatione venisset, probris se omnibus cõtaminauit. Impudicissime & xx
obscœnissime vixit:* bienniõq; post & VIII mensibus tumultu interfectus est milita-
ri;& cum eo mater * Semia Syra. Successit huic AVRELIVS ALEXANDER; ab exerci- xxiiii
tu *Cæsar*, a Senatu *Augustus* nominatus; iuuenis admodum: susceptoq; aduersus Per- 974
sas bello,*Xerxem eorum regem gloriosissime vicit. militarem disciplinam seuerissi- xxi
me rexit; quasdam*tumultuantes legiones integras exauctorauit. Assessorem habuit,
vel scrinij magistrum, * Vlpianum, iuris conditorem. Romæ quoq; fauorabilis fuit.
Periit in Gallia, militari tumultu, XIII imperij anno, & die VIII in matrem suam
Mammæam vnice pius.

EVTROPII [BREVIARII] LIBER IX.



OST hunc MAXIMINVS ex corpore militari primus ad im- xxv
perium accessit, sola militum voluntate, cum nulla Senatus inter- 987
cessisset auctoritas, neque ipse senator esset. Is bello aduersus Ger- xxii
manos feliciter gesto, cum a militibus esset Imperator appellatus,
a * Pupieno Aquileię occisus est, deserentibus eum militibus suis,
cum filio adhuc puero; cum quo imperauerat triennio, & pau-
cis diebus.
Postea tres simul Augusti fuerunt, PVPIENVS, BALBINVS, & GORDIANVS: duo xxvi
superiores obscurissimo genere; Gordianus, nobilis: quippe cuius*pater senior Gor- 989
dianus, consensu militum, cum proconsulatum Africæ gereret, Maximino impe-
rante, princeps [fuisset] electus. Itaque cum Romam venissent Balbinus & Pupie-
nus, in palatio interfecti sunt; soli Gordiano *imperium reseruatum. GORDIANVS, xxvii
admodum puer, cum * Tranquillinam Romæ duxisset vxorem, Ianum geminum a- 990
peruit: & ad Orientem profectus, Parthis bellum intulit, qui iam moliebantur erum- xxiii
pere, quod quidem mox feliciter gessit, prœliisq; ingentibus Persas afflixit. Rediens,
haud longe a Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post eum impera-
uit. Miles ei tumulum XX milliario a*Circesso, quod castrum nunc Romanorum est,
Euphrati imminens, ædificauit; exsequias Romam reuexit; ipsum Diuum appellauit.
PHILIPPI duo, filius & pater, Gordiano occiso, imperium inuaserunt: at- xxviii
que exercitu incolumi reducto, ad Italiam e Syria profecti sunt. His imperantibus, 996
millesimus annus Romæ vrbis ingenti ludorum apparatu spectaculorumque cele- xxiiii
bratus est. Ambo inde ab exercitu interfecti sunt: senior Philippus Veronæ, Romæ
iunior. Annis v. imperauerunt. inter Diuos tamen relati sunt.
Post hos DECIVS e Pannonia inferiore, * Bubaliæ natus, imperiũ sumpsit. Bellum xxix
ciuile quod in Gallia motum fuerat, oppressit. filium suum Cæsarem fecit. Romæ la- 1002
uacrum ædificauit. Cum biennio ipse & filius eius imperassent, vterque in barba- xxv
rico interfecti sunt,* & inter Diuos relati.
Mox Imperatores creati sunt, GALLVS HOSTILIANVS, & Galli filius VOLVSIANVS. xxx
Sub his ÆMILIANVS in Mœsia res nouas molitus est: ad quem opprimendum cum 1003
ambo profecti essent, Interamnæ interfecti sunt, non cõpleto biennio. nihil omnino xxvi
clarũ gesserũt. Sola pestilẽtia & morbis atq; ægritudinib. notus eorũ principatus fuit.
ÆMILIANVS obscurissime natus, obscurius imperauit; ac tertio mẽse exstinctus est. xxxi
Hinc LICINIVS VALERIANVS in Rhætia & Norico agens, ab exercitu *Imperator*, 1005
& mox *Augustus est factus*. GALLIENVS quoq; Romæ a Senatu *Cæsar* est appellatus. xxxii
Horum imperium Romano nomini perniciosum, & pene exitiabile fuit, * vel infeli- 1005
citate principum, vel ignauia. Germani Rauennam vsque venerunt. Valerianus in xxvii
Mesopotamia bellum gerens, a Sapore Persarum rege superatus est: mox etiam ca-
ptus, apud Parthos ignobili seruitute consenuit.*

1012 GALLIENVS, cum adoleſcens factus eſſet Auguſtus, imperium primum feli-
xxxiii citer, mox commode, ad vltimum pernicioſe geſſit. Nam iuuenis in Gallia & Illy-
1012 rico multa ſtrenue fecit, occiſo apud* Murſiam *Ingenuo*, qui purpuram ſumpſerat, &
Trebelliano. Diu placidus & quietus: mox in omnem laſciuiam diſſolutus, tenendæ
Reip. habenas probroſa ignauia & deſperatione* relaxauit. Alamanni vaſtatis Galliis
in Italiam* irruperunt. Dacia quę a Traiano vltra Danubiũ fuerat adiecta, amiſſa eſt.
Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia, vaſtata per Gothos. Pannonia a Sarmatis Quadiſ-
que populata eſt. Germani vſque ad Hiſpanias penetrauerunt, & ciuitatem nobilem
Tarraconem expugnauerunt. Parthi Meſopotamia occupata, Syriam ſibi cœpe-
runt vindicare. Tum iam deſperatis rebus, & deleto pene imperio Romano, **Po-*
ſthumus in Gallia, obſcuriſſime natus, purpuram ſumpſit: & per annos decem ita
imperauit, vt conſumptas pene prouincias ingenti virtute & moderatione reparaue-
rit: qui ſeditione militum interfectus eſt; quod Moguntiacum, quæ aduerſum eum
rebellauerat, Lolliano res nouas moliente; diripiendam militibus tradere noluiſſet.
Poſt eum *Marius* vtiliſſimus opifex purpuram* accepit: &* ſecundo die interfectus
eſt. *Victorinus* poſtea Galliarum accepit imperium, vir ſtrenuiſſimus: ſed cum ni-
miæ libidinis eſſet, & matrimonia aliena corrumperet, Agrippinæ occiſus eſt, * A-
ctu rio quodam machinante dolum, imperij ſui anno ſecundo. Huic ſucceſſit *Te-
tricus* Senator, qui Aquitaniam honore pręſidis adminiſtrans, abſens a militibus Im-
perator electus eſt; & apud Burdegalam purpuram ſumpſit; ſeditiones multas mili-
tum pertulit. Sed * dum hæc in Gallia geruntur, in Oriente per Odenatum Per-
ſæ victi ſunt, defenſa Syria, recepta Meſopotamia. vſque ad Cteſiphontem Odena-
tus penetrauit. Ita Gallieno Rempubl. deſerente, Romanum imperium in Occi-
dente per Poſthumum, per Odenatum in Oriente ſeruatum eſt. Gallienus interea,
* Mediolani cum fratre Valeriano occiſus eſt, imperij anno nono: *Claudiuſq;* ei ſuc-
xxxiiii ceſſit, a militibus electus, a Senatu appellatus Auguſtus. Hic Gothos, Illyricum Ma-
1020 cedoniamque vaſtantes, ingenti prœlio vicit. parcus vir, ac modeſtus, & iuſti tenax,
xxviii atq; Reipubl. gerendæ idoneus: qui tamen intra biennium [imperij] morbo interiit,
& Diuus appellatus eſt. Senatus ingenti eum honore decorauit; ſcilicet vt in curia
clypeus ipſi aureus, item in Capitolio ſtatua aurea poneretur.

* QVINTILIVS poſt eum, Claudij frater, conſenſu militum Imperator electus eſt:
vir vnicæ moderationis & ciuilitatis, æquandus fratri vel præponendus. conſenſu Se-
natus appellatus Auguſtus, ſeptimodecimo die imperij occiſus eſt.

xxxv Poſt eum AVRELIANVS ſuſcepit imperium, Dacia Ripenſi oriundus: vir in bello
1022 potens, animi tamen immodici, & ad crudelitatem propenſioris: *quique Gothos
xxix ſtrenuiſſime vicit. Romanam dicionem ad fines priſtinos, varia bellorum felicitate
reuocauit. ſuperauit in Gallia *Tetricum* * apud Catalaunos, ipſo Tetrico prodente ex-
ercitum ſuum, cuius aſſiduas ſeditiones ferre non poterat: quin etiam per litteras oc-
cultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, vt inter alia verſu Virgiliano vteretur; *Eri-
pe me his inuicte malis*. *Zenobiam* quoque, occiſo marito Odenato, qui Orientem
tenebat, haud longe ab Antiochia non ſine graui prœlio cepit: ingreſſuſq; Romam,
nobilem triumphum quaſi receptor Orientis Occidentiſque egit; currum præce-
dentibus Tetrico & Zenobia: qui quidem Tetricus etiam corrector Lucaniæ poſtea
fuit, ac priuatus diutiſſime vixit Zenobia autem, poſteros, qui adhuc manent Ro-
mæ, reliquit. Hoc imperante etiam *monetarij* in vrbe rebellauerunt, vitiatis pecu-
niis, & Feliciſſimo Rationali interfecto: quos Aurelianus victos, vltima crudelitate
compeſcuit; plurimos nobiles capite damnauit: ſæuus & ſanguinarius, ac neceſſa-
rius magis in quibuſdam, quam in vllo amabilis Imperator: trux omni tempore, et-
iam filij ſororis interfector: diſciplinæ tamen militaris & morum diſſolutorum ma-
gna ex parte corrector. Vrbem Romam muris firmioribus cinxit; templum Soli
ædificauit, in quo * infinitum auri gemmarumque conſtituit. Prouinciam Daciam,
quam Traianus vltra Danubium fecerat, intermiſit, vaſtato omni Illyrico & [Mœſia;
deſperans eam poſſe retineri: abductoſque Romanos ex vrbibus & agris Daciæ,] in
media Mœſia collocauit: & eſt in dextera Danubio in mare fluenti, cum antea fuit
in læua. Occiditur ſerui ſui fraude, qui ad quoſdam militares viros amicos ipſius,
nomina

nomina* pertulit annotata, falſo manũ eius imitatus, tamquam Aurelianus ipſos pa-
raret occidere. itaq; vt præueniretur ab iiſdem, interfectus eſt in itineris medio, quod
inter Conſtantinopolim & Heracleam eſt ſtratæ veteris. locus Cænophrurium ap-
pellatur. mors tamen eius inulta non fuit. Meruit quoque inter Diuos referri. Impe-
rauit annos v, menſes vi.

Tacitvs poſt hunc ſuſcepit imperium; vir egregie moratus, & Reip. gerendæ xxxvi
idoneus. nihil tamen clarũ potuit oſtendere, intra vi mẽſem imperij morte prçuẽtus. 1027
Florianvs, qui Tacito ſucceſſerat, duobus menſibus, & diebus xx, in imperio fuit; xxx
neque quidquam dignum memoria egit.

Poſt hunc Probvs, vir illuſtris gloria militari, ad adminiſtrationem Reip. acceſ- xxxvii
ſit. Gallias a barbaris occupatas, ingenti prœliorum felicitate reſtituit. Quoſdam im- 1028
perium vſurpare conatos, ſcilicet *Saturninum* in Oriente, *Proculum* & *Bonoſum* Agrip- xxxi
pinæ, certaminibus oppreſſit. Vineas Gallos & Pannonios habere permiſit.* opere
militari* Almum montem apud Sirmium, & Aureum apud Mœſiam ſuperiorem, vi-
neis conſeuit, & prouincialibus* colendos dedit. Hic cum bella innumera geſſiſ-
ſet, pace parta, dixit breui milites neceſſarios non futuros. vir acer ac ſtrenuus, iuſtus,
& qui Aurelianum æquaret gloria militari, morum tamen ciuilitate ſuperaret. In-
terfectus eſt* tamen Sirmij tumultu militari in turre ferrata. Imperauit annos vi,
menſes iiii.

Poſt hunc Carvs eſt factus Auguſtus Narbonæ natus in Gallia: qui confeſtim xxxviii
Carinvm & Nvmerianvm filios Cæſares fecit; cum quibus regnauit duobus an- 1033
nis. ſed dum bellũ aduerſum Sarmatas gerit, nuntiato Perſarum tumultu, ad Orien- xxxii
tem profectus, res contra Perſas nobiles geſſit: ipſos prœlio fudit:* Seleuciam & Cte-
ſiphontem vrbes nobiliſſimas cepit: & cum caſtra ſupra Tigridem haberet, ictu diui-
ni fulminis periit. Nvmerianvs quoque filius eius, quem ſecum ad Perſas duxe-
rat, adoleſcẽs egregiæ indolis, cum oculorum dolore correptus,* lecticula veheretur,
impulſore Apro, qui ſocer eius erat, per inſidias occiſus eſt. & cum dolo occultaretur,
ipſius mors [quouſq; Aper inuadere poſſet imperium.] fœtore cadaueris prodita eſt.
milites enim qui eum ſequebantur, fœtore commoti,* diductis lecticulæ palliis, poſt
aliquot dies mortem eius notam habere potuerunt. Interea Carinvs, quem Cæ-
ſarem in Parthos proficiſcens Carus, in Illyrico, Gallia, Italia, reliquerat; omnibus ſe
ſceleribus coinquinauit: plurimos innoxios fictis criminibus occidit: matrimonia
nobilia corrupit: condiſcipulis quoq;, qui eum in auditorio vel leui fatigatione taxa-
uerant, pernicioſus fuit. Ob quæ [omnibus hominibus] inuiſus, non multo poſt pœ-
nas dedit. Nam de Perſide* victo exercitus rediens, cum Carum Auguſtum fulmine,
Numerianum Cæſarem inſidiis perdidiſſet, Diocletianvm Imperatorem creauit, xxxix
Dalmatia oriundum, virum obſcuriſſime natum: adeo vt a pleriſque ſcribæ filius, a 1037
nonnullis* Anulini ſenatoris libertinus fuiſſe credatur. Is prima militum concio- xxxiii
ne iurauit, Numerianum nullo ſuo dolo interfectum. & cum iuxta eum Aper, qui
Numeriano inſidias fecerat, cõſtitiſſet, in conſpectu exercitus manu Diocletiani [gla-
dio] percuſſus eſt. Poſtea Carinum, omni odio & deteſtatione viuentem, apud Mur-
gum ingenti prœlio vicit, proditum ab exercitu ſuo, quem fortiorem habebat; certe
deſertũ inter *Viminatium atq; Aureum montem. Ita rerum Romanarum potitus,
cum tumultum ruſticani in Gallia concitaſſent, & factioni ſuæ* Bagaudarum nomen
imponerent, duces aũt haberent Amandum & Ælianum, ad ſubigendos eos Maxi-
mianum* Herculium Cæſarem miſit; qui leuibus prœliis agreſtes domuit, & partem
Galliæ reformauit. Poſt hæc tempora etiam *Carauſius*, qui viliſſime natus, in *ſtre-
nuo militiæ ordine famam egregiam fuerat conſecutus, cum apud Bononiã per tra-
ctum Belgicæ &* Armoricæ pacandum mare accepiſſet, quod Franci & Saxones in-
feſtabant, multis barbaris ſæpe captis, nec præda integra, aut prouincialibus reddita,
aut Imperatoribus miſſa, cum ſuſpicio eſſe cœpiſſet, conſulto ab eo admitti barba-
ros, vt tranſeuntes cum præda exciperet, atque hac ſe occaſione ditaret; a Maximia-
no iuſſus occidi, purpuram ſumpſit, & Britannias occupauit. Ita cum per omnem or-
bem terrarum res turbatæ eſſent, [&] Carauſius in Britanniis rebellaret: Achilleus in
Ægypto; Africam Quinquegentiani infeſtarent, Narſeus Orienti bellũ inferret, Dio-

cletianus *Maximianum Herculium* ex Cæſare fecit Auguſtum; CONSTANTIVM & MAXIMIANVM, Cæſares: quorum Conſtantius per filiam nepos Claudij traditur; Maximianus Galerius in Dacia haud longe a Sardica natus. atque vt eos [etiam] affinitate coniungeret, Conſtantius priuignam Herculij Theodoram accepit; ex qua poſtea ſex liberos Conſtantini fratres habuit: Galerius filiam Diocletiani Valeriam: ambo vxores, quas habuerant, repudiare compulſi. Cum Carauſio tamen, cum bella fruſtra rentata eſſent contra virum rei militaris peritiſſimum, ad poſtremum pax conuenit. eum poſt ſeptennium *Allectus* ſocius eius occidit; atque ipſe poſt eum Britannias triennio tenuit: qui ductu Aſclepiodoti præfecti prætorio eſt oppreſſus. Ita Britanniæ decimo anno receptæ. Per idem rempus a Conſtantio Cæſare in Gallia pugnatum eſt, circa Lingones. die vna aduerſam & ſecundam fortunam expertus eſt. nam cum repente barbaris ingruentibus, intra ciuitatem eſſet coactus, tam præcipiti neceſſitate, vt clauſis portis, * in murum funibus tolleretur; vix quinque horis mediis aduentante exercitu, LX fere millia Alamannorum cecidit. Maximianus quoque Auguſtus bellum in Africa profligauit, domitis Quinquegentianis, & ad pacem redactis. Diocletianus obſeſſum Alexandriæ Achilleum, VIII fere menſe ſuperauit, eumque interfecir. victoria acerbe vſus eſt. totam Ægyptum grauibus proſcriptionibus cædibuſque fœdauit. Ea tamen occaſione ordinauit prouide multa, & diſpoſuit; quæ ad noſtram ætatem manent. Galerius Maximianus * primo aduerſum prœlium, exin ſecundum habuit, inter Callinicum Carraſque congreſſus, cum inconſulte magis quam ignaue dimicaſſet. admodum enim parua manu cum copioſiſſimo hoſte commiſit. Pulſus igitur, & ad Diocletianum profectus, cum ei in itinere occurriſſet, tanta inſolentia fertur a Diocletiano exceptus, vt per aliquot paſſuum millia purpuratus tradatur ad vehiculum cucurriſſe. Mox tamen per Illyricum Mœſiamque contractis copiis, rurſus cum Narſeo Ormiſdæ & Saporis auo, in Armenia maiori pugnauit ſucceſſu ingenti, nec minore conſilio * ſimulque fortitudine: quippe qui etiam ſpeculatoris munus cum altero * ac tertio equite ſuſceperit. pulſo Narſeo, caſtra eius diripuit; vxores, ſorores, liberos cepit; infinitam extrinſecus Perſarum nobilitatem, gazam Perſicam copioſiſſimã: ipſum in vltimas * regni ſolitudines coegit. quare a Diocletiano, in Meſopotamia [cum præſidiis] tum morante, ouans regreſſus, ingenti honore ſuſceptus eſt. Varia deinceps & ſimul & viritim bella geſſerunt, Carpis & Baſternis ſubactis, Sarmatis victis: quarum nationum ingentes captiuorum copias in Romanis finibus locauerunt. Diocletianus moratus callide fuit, ſagax præterea, & admodum ſubtilis ingenio, & qui ſeueritatem ſuam aliena inuidia vellet explere. diligentiſſimus tamen & ſollertiſſimus princeps; & qui in imperio Romano primus regiæ conſuetudinis formam magis quam Romanæ libertatis inuexit; adorarique ſe iuſſit, cum ante eum cuncti ſalutarentur: ornamenta gemmarum veſtibus calceamentiſque indidit. Nam prius imperij inſigne in chlamyde purpurea tantum erat: reliqua communia. Herculius autem, propalam ferus, & inciuilis ingenij, aſperitatem ſuam etiam vultus horrore ſignificans. Hic naturæ ſuæ indulgens, Diocletiano in omnibus eſt * ſeuerioribus conſiliis obſecutus. Cum * tamen ingraueſcente æuo, parum ſe idoneum Diocletianus moderando imperio eſſe ſentiret, auctor Herculio fuit, vt in priuatam vitam concederent, & ſtationem tuendæ Reipubl. viridioribus iunioribuſque mandarent. cui ægre collega obtemperauit. tamen vterque vna die priuato habitu, imperij inſigne mutauit; Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani; poſt triumphum inclytum quem Romæ ex numeroſis gentibus egerant, pompa ferculorum illuſtri, qua Narſei coniuges [ſororeſque] & liberi ante currum ducti ſunt. Conceſſerunt tum * Salonas vnus, alter in Lucaniam. Diocletianus priuatus in villa quæ haud procul a Salonis eſt, præclaro otio ſenuit; inuſitata virtute vſus; vt ſolus omnium poſt conditum Romanum imperium, ex tanto faſtigio ſponte ad priuatæ vitæ ſtatum ciuilitatemque remearet. Contigit igitur ei, quod nulli poſt natos homines, vt cum priuatus obiiſſet, inter Diuos tamen referretur.

EVTROPII [BREVIA*RII] LIBER X.



Is igitur abeuntibus,* ad adminiſtrationem Reip. CONSTANTIVS XL
& GALERIVS Auguſti creati ſunt; diuiſuſque inter eos Romanus 1055
orbis; vt Galliam, Italiam, Africam Conſtantius; Illyricum, A- XXXIII
ſiam, Orientem Galerius obtineret; ſumptis * duobus Cæſaribus. Conſtantius tamen, contentus dignitate Auguſti, Italiæ atque Africæ adminiſtrandæ ſollicitudinem recuſauit: vir egregius, & præſtantiſſimæ ciuilitatis; diuitiis prouincialium ac priuatorum ſtudens, fiſci commoda non admodum affectans: * ducenſque melius, publicas opes « a priuatis haberi, quam intra vnum clauſtrum reſeruari. adeo autem cultus modici, « vt * feriatis diebus, ſi[cum] amicis numeroſioribus eſſet epulandum, priuatorum eis argento oſtiatim petito triclinia ſternerentur. Hic non modo amabilis, ſed etiam venerabilis Gallis fuit: præcipue quod Diocletiani ſuſpectam prudentiam, & Maximiani ſanguinariam temeritatem imperio eius euaſerant. Obiit in Britannia, Eboraci, principatus anno * tertiodecimo; atque inter diuos relatus eſt.

GALERIVS, vir & probe moratus, & egregius in re militari, cum Italiam quoque, ſinente Conſtantio, adminiſtrationi ſuæ acceſſiſſe ſentiret, Cæſares duos creauit. Verum Conſtantio mortuo, CONSTANTINVS, ex obſcuriori matrimonio eius filius, in Britannia creatus eſt Imperator, & in locum patris exoptatiſſimus moderator acceſſit. Romæ interea prætoriani, excitato tumultu, MAXENTIVM Herculij filium, qui haud procul ab vrbe in via publica morabatur, Auguſtum nuncupauerunt. quo nuntio Maximianus Herculius ad ſpem erectus reſumendi faſtigij, quod inuitus amiſerat, Romam aduolauit e Lucania, quam ſedem priuatus elegerat, in agris amœniſſimis conſeneſcens: Diocletianumque etiam per litteras adhortatus eſt, vt depoſitam reſumeret poteſtatem: quas ille irritas habuit. ſed aduerſum motum prætorianorum atque Maxentij, SEVERVS Cæſar Romam miſſus a Galerio, cum exercitu venit: obſidenſque vrbem militum ſuorum ſcelere deſertus eſt, auctæ Maxentio opes, confirmatumque imperium. Seuerus fugiens, Rauennæ interfectus eſt. Herculius tamen Maximianus, poſt hæc in concione* exercitus filium Maxentium denudare conatus, ſeditionem & conuitia militum tulit. Inde ad Gallias profectus eſt; dolo compoſito, tamquam a filio eſſet expulſus; vt Conſtantino genero iungeretur: moliens tamen Conſtantinum reperta occaſione interficere, qui in Galliis, & militum & prouincialium ingenti iam fauore regnabat, cæſis Francis, atque Alamannis, captiſque eorum regibus: quos etiam beſtiis, cum magnifiсum ſpectaculum muneris paraſſet, obiecit. Detectis igitur inſidiis per Fauſtam filiam, quæ dolum viro enuntiauerat, profugit Herculius Maſſiliam; ibique oppreſſus, (ex ea etenim nauigare ad filium præparabat) pœnas dedit iuſtiſſimo exitu; vir ad omnem aſperitatem ſæuitiamque procliuus, infidus, incommodus, ciuilitatis penitus expers.

Per hoc tempus LICINIVS a Galerio Imperator eſt factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua conſuetudine, & in bello quod aduerſus Narſeum geſſerat, ſtrenuis laboribus & officiis acceptus: mors Galerij confeſtim ſecuta eſt. Reſpubl. tum ab [his] quatuor Imperatoribus tenebatur, Conſtantino & Maxentio, filiis Auguſtorum; Licinio & * Maximino, nouis hominibus. Quinto tamen Conſtantinus imperij ſui anno, bellum aduerſum Maxentium ciuile commouit, copias eius multis prœliis fudit: ipſum poſtremo Romæ aduerſus nobiles omnibus exitiis ſæuientem, apud pontem * Miluium vicit, Italiaque eſt potitus. Non* multo poſt deinceps in Oriente quoque aduerſus Licinium * MAXIMINVS res nouas molitus, vicinum exitium fortuita apud Tarſum morte præuenit.

Conſtantinus tamen, vir * ingens, & omnia efficere nitens quæ animo præparaſ- XLI
ſet, ſimul * principatus totius orbis affectans, Licinio bellum intulit; quamuis neceſ- 1063
ſitudo illi & affinitas cum eo eſſet: nam ſoror eius Conſtantia, nupta Licinio erat.

ac primo eum in Pannonia, secundo ingenti apparatu bellum apud Cibalas instruentem, repentinus oppressit: omnique Dardania, Mœsia, Macedonia potitus, numerosas prouincias occupauit. Varia deinceps inter eos bella, & pax reconciliata ruptaque est. Postremo Licinius nauali & terrestri prœlio victus apud Nicomediam, se dedidit, & contra religionem sacramenti Thessalonicæ priuatus occisus est. Eo tempore res Romana sub vno Augusto & tribus Cæsaribus (quod numquam aliàs) fuit; cum liberi Constantini Galliæ, Orienti, Italiæque præessent. Verum insolentia rerum secundarum *aliquantum Constantinum ex illa fauorabili animi docilitate mutauit. Primum necessitudines persecutus, egregium virum, & sororis filium, commodæ indolis iuuenem interfecit; mox vxorem; post numerosos amicos. Vir primo imperij tempore optimis principibus, vltimo mediis comparandus. Innumeræ in eo animi corporisque virtutes claruerunt. militaris gloriæ appetentissimus; fortuna in bellis prospera fuit; verum ita, vt non superaret industriam. Nam etiam Gothos post ciuile bellum varie profligauit, pace his ad postremum data; ingentemque apud barbaras gentes memoriam gratiæ collocauit. Ciuilibus artibus, & liberalibus studiis deditus: affectator *iusti amoris, quem omnino sibi & liberalitate & docilitate quæsiuit. sicut in nonnullos amicos dubius, ita in reliquos egregius: nihil occasionum prætermittens, quo opulentiores eos clarioresque præstaret. Multas leges rogauit; quasdam ex bono & æquo, *plerasque superfluas, nonnullas seueras. primusque *vrbem nominis sui ad tantum fastigium euehere molitus est, vt Romæ æmulam faceret. Bellum aduersum Parthos moliens, qui iam Mesopotamiam fatigabant, vno & trigesimo anno imperij, ætatis sexto & sexagesimo, Nicomediæ in villa publica obiit. denuntiata mors eius etiam per crinitam stellam, quæ inusitatæ magnitudinis aliquamdiu fulsit. eam Græci κομήτην vocant. atque inter diuos meruit referri.

XXXV Successores filios tres, reliquit, atque vnum fratris filium. verum DALMATIVS Cæsar prosperrima indole, neque patruo absimilis, haud multo post oppressus est factione militari, & *CONSTANTIO patruele suo sinente potius quam iubente. CONSTANTINVM porro, fratri bellum inferentem, & apud Aquileiam inconsultius prœlium aggressum, CONSTANTIS duces interemerunt. ita Respubl. ad duos Augustos redacta est. Constantis imperium, strenuum aliquamdiu & iustum fuit; mox cum & valetudine improspera, & amicis prauioribus vteretur, ad grauia vitia conuersus, cum intolerabilis prouincialibus, militibus iniucundus esset, factione MAGNENTII occisus est. Obiit* autem non longe ab Hispaniis, in castro cui Helenæ nomen est, *anno imperij XVII, ætatis trigesimo: rebus tamen plurimis strenue in militia gestis, exercituique per omne vitæ tempus sine graui crudelitate terribilis. Diuersa Constantij fortuna fuit. a Persis enim multa & grauia perpessus, sæpe captis oppidis, obsessis vrbibus, cæsis exercitibus; nullumque ei contra Saporem prosperum prœlium fuit: nisi quod apud Singaram, haud dubiam victoriam ferocia militum amisit; qui pugnam seditiose & stolide contra rationem belli, die iam præcipiti *poposcerunt*. Post Constantis necem, Magnentio Italiam, Africam, Gallias, *obtinente*; etiam Illyricum res nouas habuit; *Veteranione* ad imperium consensu militum electo: quem grandæuum iam, & cunctis amabilem diuturnitate & felicitate militiæ, ad tuendum Illyricum principem creauerunt: virum probum, & morum veterum, ac iucundæ ciuilitatis: sed omnium liberalium artium expertem; adeo vt ne elementa quidem prima litterarum, nisi grandæuus, & iam Imperator, accepit.

XLII perit. Sed a Constantio, qui ad vltionem fraternæ necis, bellum ciuile commo-
1087 uerat, abrogatum est Veteranioni imperium: qui nouo inusitatoque more, consensu militum deponere insigne compulsus est. Romæ quoque tumultus fuit; *Nepotiano* Constantini sororis filio, per gladiatoriam manum imperium* inuadente: qui sæuis exordiis dignum exitum nactus est. vigesimo enim atque octauo die a Magnentianis ducibus oppressus, pœnas dedit: caputque eius pilo per vrbem circumlatum est: grauissimæ proscriptiones & nobilium cædes fuerunt.

Non multo post Magnentius apud Mursam profligatus acie est, ac pene captus: ingentes Romani imperij vires ea dimicatione consumptæ sunt, ad quælibet [bella] exter-

externa idoneæ, quæ multum triumphorum possent securitatisque cõferre. Orienti mox a Constantio Cæsar est datus, patrui filius GALLVS. Magnentiusque diuersis prœliis victus, vim vitæ suæ apud Lugdunum attulit, imperij anno tertio, mense septimo: frater quoque eius Senonis; quem ad tuendas Gallias Cæsarem miserat.

Per hæc tempora etiam a Constantio multis inciuilibus gestis, Gallus Cæsar occisus est: vir natura *ferus, & ad tyrannidem pronior, si suo iure imperare licuisset. SYLVANVS quoque in Gallia res nouas molitus, ante diem trigesimum exstinctus est. [Solus in imperio Romano eo tempore Cõstantius Princeps & Augustus fuit.] Mox IVLIANVM Cæsarem ad Gallias misit, patruelem suum, Galli fratrem; tradita ei in matrimonium sorore; cum multa oppida barbari expugnassent, alia obsiderent, vbique fœda vastitas esset, Romanumque imperium non dubia iam calamitate nutaret: a quo modicis copiis apud Argentoratum Galliæ vrbem, ingentes Alamanorum copiæ exstinctæ sunt, rex nobilissimus captus; Galliæ restitutæ; multa postea per eundem Iulianum egregie aduersum barbaros gesta sunt; submotique vltra Rhenum Germani, & finibus suis Romanum imperium restitutum. Neque multo post, cum *Germanici iam exercitus a Galliarum præsidio tollerentur, consensu militum Iulianus factus Augustus est: interiectoque anno, ad Illyricum obtinendum profectus [est,] Constantio Parthicis bellis occupato: * quibus rebus cognitis, ad bellum ciuile conuersus, in itinere obiit, inter Ciliciam Cappadociamque, anno imperij * octauo & trigesimo, ætatis quinto & quadragesimo: meruitq; inter diuos referri: vir egregiæ tranquillitatis, placidus, nimis amicis & familiaribus credens; mox etiã vxoribus deditior: qui tamen primis imperij annis ingenti se modestia egerit: familiarium etiam locupletator: neque inhonoros sinens, quorum laboriosa expertus fuisset officia. ad seueritatem tamen propensior, si suspicio imperij moueretur; mitis alias; & cuius in ciuilibus magis quam in externis bellis sit laudanda fortuna.

Hinc IVLIANVS rerum potitus est; ingentique apparatu Parthis intulit bellum; cui XLIII
expeditioni ego quoque interfui. Aliquot oppida & castella Persarum in deditionem 1113
accepit, vel vi * oppugnauit. Assyriamque populatus, castra apud Ctesiphontem sta- XXXVI
tiua aliquamdiu habuit: remeansque victor, dum se inconsultius prœliis inserit, hostili manu interfectus est, sexto kalend. Iulias, imperij anno septimo, ætatis altero & trigesimo: atque inter diuos relatus est: vir egregius, & Rempubl. insigniter moderaturus, si per fata licuisset: liberalibus disciplinis apptime eruditus; Gręcis doctior; atq; adeo, vt Latina eruditione nequaquam cum Græca scientia cõueniret: facundia * ingenti; promptæ memoriæ & tenacissimæ; in quibusdam philosopho propior: in amicos liberalis: sed minus diligens quam [tantum] principem decuit: fuerunt enim nõnulli, qui vulnera gloriæ eius inferrent. in prouinciales iustissimus: & tributorum, quatenus fieri posset, * oppressor. ciuilis in cunctos: mediocrem habẽs ærarij curam: gloriæ auidus, ac per eam animi plerumque immodici. [nimius] religionis Christianæ insectator; perinde tamen, vt cruore abstineret. Marco Antonino non absimilis: quem etiam æmulari studebat.

Post hunc * IOVIANVS, qui tunc domesticus militabat, ad obtinendum imperium XLIIII
consensu exercitus electus est. commendatione patris quam sua militibus notior. qui 1115
iam turbatis rebus, exercitu quoque inopia laborante, vno a Persis atque altero prœ- XXXVII
lio victus, pacem cum Sapore necessariam quidem, sed ignobilem fecit, * mulctatus finibus, ac nonnulla imperij Romani parte tradita: quod ante eum * annis mille centum & duobus de viginti fere, ex quo Romanum imperium conditum erat, numquam accidit. Quinetiam legiones nostræ, ita & apud Caudium per Pontium Telesinum, ita & in Hispania apud Numantiam, & in Numidia sub iugum missæ sunt, vt nihil tamen finium traderetur. Ea pacis coditio non penitus * reprehendenda foret, “
si fœderis necessitatem, cum integrum fuit, mutare voluisset: sicut a Romanis omni- “
bus his bellis quæ commemoraui, factum est. Nam & Samnitibus & Numantinis & Numidis confestim bella illata sunt: neque pax rata fuit. Sed dum æmulum imperij veretur intra Orientem residens, gloriæ parum consuluit. Itaque iter ingressus, atque Illyricum petens, in Galatiæ finibus repentina morte obiit: vir alias neque iners, neque imprudens. multi exanimatum opinantur nimia crudirate: * inter cœnandum

enim epulis indulserat: alij odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis, graue quiescentibus erat: quidam *nimietate prunarum, quas graui frigore adoleri multas iusserat. Decessit imperij mense septimo,* quartodecimo kal. Martias: ætatis, vt qui plurimum ac minimum tradunt, tertio & trigesimo anno: ac benignitate principum qui ei successerunt, inter diuos relatus est. nam & ciuilitati propior, & natura admodum liberalis fuit. Is status erat Romanæ rei, Iouiano eodem & Varroniano Coss. anno vrbis conditæ millesimo centesimo *& nonodecimo. Quia autem ad *inclytos principes venerandosque peruentum est, interim operi modum dabimus. Nam reliqua stylo maiore dicenda sunt: quæ nunc non tam prætermittimus, quam ad maiorem scribendi diligentiam reseruamus.

FINIS.

EX



EX MAGNI AVRELII CASSIODORI CHRONICO AD THEODERICVM regem.

REGES LATINI.

LATINVS regnauit ann. XXXII. a quo Latini sunt appellati.

Huius imperij an. XXV, Troia capta est. ad quē Æneas profugus venit; factusque gener eius, ei successit in * regnum.

Æneas post VIII ann. Troiæ captæ, regnauit in Italia an. III.

Ascanius filius eius, regnauit an. XXXVIII: qui * Albanum condidit.

Syluius, Æneæ filius * de Lauinia, regnauit ann. XXIX.

Huius tēporibus Homerus poeta fuisse memoratur.

Æneas Syluius, regnauit an. XXXI.

Huius temporibus Hebræorum rex Dauid Hierosolymis * regnauit.

Latinus Syluius regnauit an. L.

Huius temporibus Amazones Asiam vastauerunt: Carthago condita est a Carchedone Tyrio; vt quidam dicūt. Salomon [quoque] filius Dauid, regnans Hierosolymis, templum famosiss. condidit.

Alba Syluius regnauit an. XXXIX.

Ægyptus Syluius regnauit an. XXIIII.

Capys Syluius regnauit an. XXVIII.

* Carpentus Syluius regnauit an. XIII.

Tiberinus Syluius regnauit an. VIII.

Agrippa Syluius regnauit an. XL.

Aremulus Syluius regnauit an. XIX.

Huius tēporibus Lycurgus apud * Lacedæmonas iura composuit.

Auentinus Syluius regnauit an. XXXVII. a quo mons * Romanorum, quia ibi sepultus est, nomen accepit.

Procas Syluius regnauit an. XXIII.

† [Amulius Syluius regnauit an. XLIIII.] qui fratrem suum Numitorem regno expulit; [cuius tempora isti sunt * applicata.]

REGES ROMANI.

ROMVLVS regnauit an. XXXVIII. a quo Roma condita est, & ex Latinis Romani sunt * nuncupati. Hic primum C constituit Senatores. Huius temporibus Syracusæ & Catina in Sicilia cōditæ sunt.

NVMA POMPILIVS regnauit an. XLI. qui duos mēses anno addidit, Ianuarium & Februarium; cum ante hunc X tantum menses apud Romanos fuissent. Capitolium quoque a fundamentis construxit. cuius etiā temporibus Sibylla in Samo insignis habita est.

TVLLVS HOSTILIVS regnauit an. XXXII. qui primus apud Romanos purpura vsus est: cuius temporibus Chalcedon conditur, & Byzantium, quæ nunc Constantinopolis appellatur.

ANCVS MARCIVS regnauit ann. XXIII. qui sextodecimo miliario ab vrbe [Roma] Ostiam condidit.

TARQVINIVS PRISCVS regnauit annis XXXVII. Huius temporibus Massilia in * Galliis condita est.

SERVIVS TVLLIVS regnauit an. XXXIIII. qui primus censum instituit ciuium Romanorū. * Huius temporibus apud Persas Cyrus primū regnare cœpit.

TARQVINIVS SVPERBVS regnauit an. XXXV. Huius tēporib. Pythagoras physicus philosophus, clarus habetur. Expulso autē vrbe Tarquinio, bini CONSVLES cœperunt pro vno rege annis singulis administrare Rempublicam.

HINC CONSVLES.

L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Col- 244
latinus. Hi annum integrum minime

tenuerunt ad peragendum [tempus,] aliis subrogatis; id est P. Valerio, Sp. Lucretio,& Horatio Puluillo.
P.Valerius * II,& Titus Lucretius.
[P.Valerius III, & M.Horatius II.]
Spurius Largius, & Titus Hermenius.
* P.Valerius III, & P. Posthumius.
P.Valerius IIII,& Titus Lucretius II.
Agrippa Menenius & * P.Posthumius.
Opiter Virginius & Sp.Cassius.
Posthumus Cominius & T.Largius.
His coss. DICTATOR primus T.Largius,& MAGISTER EQVITVM Sp.Cassius ordinantur.
Seruius Sulpicius &* M? Tullius.
T.Ebutius & L.Vetusius.
Q.Clœlius & T.Largius.
A.Sempronius & M.Minucius.
* C.Posthumius & T.Verginius.
App.Claudius & P.Seruilius.
* C.Verginius & T.Vetusius.
260 * Sp.Cassius & Posthumus Cominius.
T.Geganius & P.Minucius.
M.Minucius & A.Sempronius.
Sp.Nautius & Sex.Furius.
* T.Siccius & C. Aquilius.
Sp.Cassius & Proculus Verginius.
Ser.Cornelius & Q.Fabius.
L. Æmilius & Cæso Fabius.
M.Fabius & L.Valerius.
Q.Fabius & C.Iulius.
Cæso Fabius & Sp.Furius.
M.Fabius & Gn.* Mallius.
Cæso Fabius & T.Verginius.
L.Æmilius & C.Seruilius.
C.Horatius & T.Menenius.
A.Verginius & Spurius Seruilius.
C.Nautius & P.Valerius.
L.Furius & C.*Manilius.
280 L.Æmilius & Opiter Verginius.
L.Pinarius & P.Furius.
Ap. Claudius & T. Quintius Capitolin⁹.
L.Valerius & T.Æmilius.
T.Numicius & A. Verginius.
* T.Quintius II,& Q.Seruilius.
T.Æmilius II,& Q.Fabius.
Q.Seruilius & Sp.Posthumius.
Q.Fabius II, T.Quintius III.
A.Postumius Albus, & Sp.Furius.
L.Ebutius & P.Seruilius.
L.Lucretius Tricipitinus,& T.Veturius Geminus.
P.Volumnius & Ser.Sulpicius.
C.Claudius & P.Valerius.
Q.Fabius III, & L. Cornelius Malugi-(nensis.

L.Minucius & L.Nautius.
Q.Minucius & M.Horatius Puluillus.
M.Valerius & Sp.Verginius.
C.Veturius & T.*Romilius.
Sp.Tarpeius & A.† * Aternius.
His coss.legati Athenas missi ad leges describendas.
P.Curiatius & Sex.Quintilius. 300
T.Menenius & P.* Sextius.
Hoc tēpore a coss. ad DECEMVIROS translatum imperium est; per quos *II an.administrata respubl.est, atq; iterū Consules creati sunt.
L.Valerius & M.Horatius.
* L.Herminius & T.Verginius.
M.Geganius & C.Iulius.
T.Quintius IIII,& * Agrippa Furius.
M.Genucius & †* T.Curiatius.
L.Papirius & L.Sempronius.
M.Geganius II,& T.Quintius V.
M.Fabius & Posth.Ebutius.
C.Furius*Pacilus,& M? Papirius Crassus.
Proculus Geganius & L.Menenius.
T.Quintius VI,& Agrip.Menenius.
M.Geganius III,& L.Sergius.
M.Cornelius Maluginensis, & L. Papirius Crassus.
*C.Iulius II,& L.Verginius.
C.Iulius III,& L.Verginius II.
T.Quintius*Pœnus, & Gn.Iulius Mēto.
L.Papirius Crassus,& L.Iulius.
L. Sergius II,& Hostus Lucretius.
A.Cornelius Cossus,& T.Quintius Pœnus II.
* P.Seruilius Hala, & L. Papirius Mugillanus.
C.Sempronius & Q. Fabius Vibulanus. 330
* Gn.Fabius Vibulanus, & T. Quintius Capitolinus.
M. Cornelius Cossus, & L.Furius Medullinus.
Q.Fabius Ambustus,& C.Furi⁹ Pacilus.
*M.Papirius & C.Nautius.
M? Æmilius & * C.Valerius.
Gn. Cornelius & L.Furius II.
L.Lucretius,& Seruius Sulpicius Camerinus.
*L.Valerius Potitus,& M.Manlius.
His coss.post vrbem captam redeuntes Gallos dux Romanus, nomine Camillus, exstinxit: de quibus triumphās in vrbe, quasi & ipse patriæ conditor, ROMVLVS meruit nuncupari. †Tunc dignitates mutatæ sunt,& in loco Cōsulum per ann.XVII TRIBVNI MILI-

TARES

TARES fuerũt. quibus ob insolentiam remotis, per an. IIII potestas Consulum Tribunorumque cessauit. Deinde rursus trib. annis per tribunos militares est administrata respublica. Post ann. vero XXIIII, reuersa est dignitas consularis.

L. Sextius de plebe, & L. Æmilius † Mamercus patricius.
L. Genucius, & Q. Seruilius.
C. Sulpicius * Peticus, & C. Licinius Stolo.
C. Genucius, & L. Æmilius Mamerc⁹ II.
Q. Seruilius Hala, & L. Genucius.
C. Sulpicius II, & C. Licinius.
C. Pœtilius Balbus, & M. Fabius Ambustus.
M. Popilius Lænas, & Gn. Manlius.
C. Plautius & C. Fabius.
C. Marcius & Gn. Manlius.
M. Fabius Ambustus II, & M. Popilius Lænas II.
C. Sulpicius Peticus III, & M. Valerius Publicola.
M. Fabius III, & T. Quintius.
400 C. Sulpicius IIII, M. Valerius II.
P. Valerius & C. Marcius Rutilus II.
C. Sulpicius Peticus & T. Quintius Pœnus.
M. Popilius III, & L. Cornelius Scipio.
L. Furius Camillus, & App. Claudius Crassus.
M. Valerius Coruinus, & M. Popilius Lænas IIII.
T. Manlius Torquatus, & C. Plautius.
M. Valerius II, & C. Pœtilius II.
M. Fabius * Dorsuo, & Ser. Sulpicius Camerinus.
C. Marcius III, & T. Manlius II.
M. Valerius III, & A. Cornelius Cossus.
C. Marcius Rutilus, & Q. Seruilius.
C. Plautius II, & L. Æmilius Mamercus.
T. Manlius III, & P. Decius Mus.
T. Æmilius Mamercus, & Q. Publilius Philo.
L. Furius Camillus, & * C. † Mænius.
His coss. rostra nauium de Antiatibus in foro fixa sunt.
C. Sulpicius Longus, & P. Ælius Pætus.
L. Papirius Crassus, & Cæso Duillius.
M. Valerius IIII, & M. Attilius Regulus.
T. Veturius & Sp. Posthumius.
421 A. Cornelius II, & Gn. Domitius.
His coss. pax cum Alexandro Epiri rege facta est.
M. Claudius Marcellus, & C. Valerius.
L. Papirius Crassus II, & C. Plautius * Venox.
L. Æmilius Mamercus, & Gn. Plautius.
C. Plautius Proculus, & P. Cornelius Scapula.
L. Cornelius Lentulus, & Q. Publilius Philo II.
C. Pœtilius III, & L. * Papirius Mugillanus.
His coss. Alexandria in Ægypto cõdita est.
L. Furius Camillus II, & Iunius Brutus Scæua.
C. Sulpicius Longus II, & Q. * Ælius.
Q. Fabius [Rullianus,] & L. Fuluius.
T. Veturius Caluinus, & Sp. Posthumius.
L. Papirius & Q. Publilius Philo.
L. Papirius & Q. * Ælius Ceritanus.
M. * Follius & L. Plautius * Venox.
C. Iunius Bubulcus, & Q. Æmilius Barbula.
Sp. Nautius & M. Popilius Lænas.
* L. Papirius Cursor, & Q. Publilius.
M. Pœtilius [Libo] & C. Sulpicius.
L. Papirius Cursor, & C. Iunius Bubulcus II. 440
Marcus Valerius & P. Decius.
His coss. per Appiũ Claudium Censorẽ via facta & aqua inducta est, quæ ipsius nomine nuncupantur.
C. Iunius Bubulcus III, & Q. Æmilius Barbula II.
Q. Fabius II, & C. Marcius Rutilus.
Q. Fabius III, & P. Decius II.
App. Claudius & L. Volumnius.
His coss. viæ per agros publicæ factæ.
P. Cornelius Aruina, & Q. Marcius Tremulus.
L. Posthumius & T. Minucius.
P. Sulpicius * Auerrio, & P. Sempronius Sophus.
L. Genucius & Ser. Cornelius.
* M. Liuius & L. Æmilius.
M. Valerius & Q. Apuleius.
M. Fuluius Pætus & T. Manlius Torquatus.
L. Cornelius Scipio, & Gn. Fuluius.
Q. Fabius Maximus IIII, & P. Decius Mus III.
L. Volumnius & App. Claudius.
Q. Fabius V, & P. Decius IIII.
L. Posthumius * Megillus, & M. Attilius Regulus.
L. Papirius Cursor, & Sp. * Caruilius.
Q. Fabius Gurges, & * D. Brutus.
L. Posthumius, & C. Iunius.

P. Cornelius Rufinus, & M'. Curius Dentatus.
M. Valerius & Q. Cædicius.
Q. Marcius & P. Cornelius.
M. Marcellus & C. Nautius.
M. Valerius & C. Ælius.
C. Claudius & M. Æmilius.
C. Seruilius & L.* Cælius.
P. Corneli⁹ * Dolabella, & Gn. Domiti⁹.
C. Fabricius & Q. Æmilius.
L. Æmilius & Q. Marcius.
P. Valerius & Ti. Coruncanius.
P. Sulpicius & P. Decius.
C. Fabricius & Q. Æmilius.
P. Cornelius & C. Iunius.
* Q. Fabius & C. Genucius.
M'. Curius & L. Lentulus.
Ser. Cornelius & M'. Curius.
480 C.* Fabius & C. Claudius.
L. Papirius Cursor, & Sp. Carbilius.
C. Quintius & L. Genucius.
C. Genucius & Gn. Cornelius.
P. Sempronius & App. Claudius.
M. Attilius & L. Iulius Libo.
* D. Iunius & * M. Fabius.
App. Claudius & Q. Fuluius.
M'. Valerius & M'. Otacilius.
L. Posthumius & Q.* Manilius.
L. Valerius & * L. Otacilius.
Gn. Cornelius & C. Duilius.
C. Aquilius & L. Cornelius.
A. Attilius Calatinus, & C. Sulpicius.
Gn. Cornelius, & C. Attilius Serranus.
Q. Cædicius & L. Manlius.
M. Æmilius Paulus, & Seruius Fuluius Nobilior.
Gn. Cornelius & A. Attilius.
500 Gn. Seruilius & C. Sempronius.
C. Aurelius Cotta, & P. Seruilius.
L. Cæcilius Metellus, & C. Furius.
C. Attilius Regulus, & L. Manlius.
P. Claudius & L. Iunius.
*P. Seruilius & C. Aurelius.
L. Cæcilius & M. Fabius.
* M Fabius & M'. Otacilius.
*M. Fabius & C. Attilius.
A. Manlius & C. Sempronius.
C. Fundanius & C. Sulpicius.
C. Luctatius* Cerco, & A. Posthumius.
Q. Luctatius Catulus, & A. Manlius.
C. Claudius Cento, & M. Sempronius.
His coss. ludis Romanis primum Tragœdia & Comœdia a * Lucio Liuio ad scenam data.
C. Manlius & Q. Valerius.
T. Sempronius & P. Cornelius.
L. Cornelius & Q. Fuluius.
C. Licinius & P. Cornelius.
T. Manlius Torquatus, & C. Attilius.
P. Posthumius & Sp. Carbilius.
Q. Fabius & M'. Pomponius. 520
M. Lepidus & M.† Poblicius.
C. Papirius & M. Pomponius.
M. Æmilius & M. Iunius.
His coss. Hamilcar Hannibalis pater, in Hispania bellum Romanis parans, occisus est. Hic solitus est dicere, quatuor se filios contra P.R. velut catulos leoninos educare.
L. Posthumius & Gn. Fuluius.
Q. Fabius II, & Sp. Carbilius.
P. Valerius & M. Attilius.
L. Apustius & M. Valerius.
C. Attilius & L. Æmilius.
T. Manlius & Q. Fuluius II.
C. Flaminius & P. Furius * Pilo.
M. Marcellus & Gn. Cornelius.
P. Cornelius & M. Minucius.
L. Veturius & C. Lutatius.
His coss. via Flaminia munita, & Circus factus qui Flaminius appellatur.
M. Liuius & L. Æmilius.
His coss. Hannibal Hamilcaris filius, in Hispania bellum * molitur.
P. Cornelius Scipio, & Ti. Sempronius Longus.
Gn. Seruilius Geminus, & C. Flaminius.
L. Æmilius Paulus, & C. Terẽtius Varro.
Ti. Sempronius Gracchus, & Q. Fabius Maximus III.
Q. Fabius Maximus IIII, & * M. Marcellus II.
* † P. Maximus & T. Sempronius Gracchus. 540
Q. Fuluius Flaccus III, & Appius Claudius Pulcher II.
Gn. Fuluius Centimalus, & P. Sulpicius Galba.
* M. Marcellus III, & M. Valerius Læuinus.
Q. Fabius V, & Q. Fuluius Flaccus IIII.
M. Marcellus IIII, & T. Quintius.
C. Claudius Nero, & M. Liuius Salinator.
L. Veturius Philo, & Q. Cæcilius Metellus.
* P. Scipio & P. Licinius Crassus.
M. Cornelius Cethegus, & P. Sempronius Tuditanus.

Gn. Seruilius Cæpio, & Gn. Seruilius Geminus.
† * T. Seruilius Geminus, & T. Claudius Nero.
† L. Cornelius Lentulus, & C. Ælius Pætus.
Ser. Sulpicius Galba, & C. Aurelius Cotta.
C. Cornelius Lentulus, & * P. Villius.
L. Ælius Pætus, & T. Quintius Flamininus.
L. Cornelius Cethegus, Q. Minucius Rufus.
P. Furius & M. Marcellus.
L. Valerius Flaccus, & M. Porcius Cato.
P. Scipio Afric. II, & Ti. Sempronius Longus.
560 L. Cornelius Merula, & Q. Minucius Thermus.
L. Quintius & Gn. Domitius Aenobarbus.
P. Scipio Nasica, & M'. Acilius Glabrio.
* † L. Scipio, & C. Lælius Africanus.
M. Fuluius Nobilior, & Gn. Manlius Volso.
M. Valerius Messala, & C. Liuius Salinator.
M. Æmilius Lepidus, & C. Flaminius.
Sp. Posthumius Albinus, & Q. Marcius Philippus.
His coss. Athletarum certamina primum a Fuluio edita.
App. Claudius Pulcher, & M. Sempronius Tuditanus.
P. Claudius Pulcher, & L. Porcius Licinus.
M. Claudius Marcellus, & Q. Fabius Labeo.
His coss. Hannibal apud Prusiam veneno periit.
L. Æmilius Paulus, & Gn. Bæbius * Tamphilus.
P. Cornelius Lētulus, & M. Bæbius Tamphilus.
A. Posthumius Albinus, & C. Calphurnius Piso.
[Q. Fuluius & L. Manlius.]
* M. Iunius & Gn. Manlius.
Ti. Sempronius & C. Claudius.
Gn. Cornelius & Q. * Pœtilius.
M. Lepidus & Q. Mucius.
Sp. Posthumius & Q. Mucius.
580 L. Posthumius Albinus, & M. Popilius.
C. Popilius & P. * Celius.
P. Licinius & C. Cassius.

* C. Hostilius Mancinus, & C. Attilius.
L. Marcius Philippus, & Q. Seruilius.
L. Paulus II, & C. Licinius.
Q. Ælius * Pætus, & M. Iunius.
† * L. Mamercus & C. Sulpicius.
Gn. Octauius & T. Manlius.
A. Manlius & Quintus Cassius.
* Ti. Sempronius & M'. Iuuentius.
10 P. Scipio Nasica, & C. Marcius.
M. Messala & C. Fannius.
L. Anicius & M. Cornelius.
Gn. Cornelius * Dolabella, & M. Fuluius.
* M. Æmilius & C. Popilius.
His coss. metalla in Macedonia instituta.
Sex. Iulius & L. Aurelius.
L. Lentulus & C. Marcius.
20 P. Scipio & M. Claudius.
L. Posthumius & Q. Opimius.
Q. Fuluius & T. Annius. 600
Hi primi Consules Calend. Ianuariis magistratum inierunt, propter subitum Celtiberiæ bellum.
M. Marcellus & L. Valerius.
L. Lucullus & [A.] Posthumius.
L. Quintius & M'. Acilius.
L. Marcius & * M. Manlius.
30 Sp. Posthumius & L. Piso.
P. Africanus & C. Liuius.
Gn. Cornelius & L. Mummius.
Q. Fabius Maximus, & L. Hostilius.
Ser. Galba & L. Aurelius.
App. Claudius & Q. Metellus.
L. Metellus & Q. Maximus.
Gn. Cæpio & Q. Pompeius.
Q. Cæpio & C. Lælius.
Gn. Piso & M. Popilius.
40 P. Scipio & D. Brutus.
M. Æmilius & C. Hostilius Mancinus.
P. Furius & Sex. Attilius Serranus.
Ser. Fuluius & Q. Calphurnius.
His coss. Æmilianus Scipio, ob Numantinum bellum, cum candidatus non esset, Consul creatur.
P. Africanus & C. Fuluius Flaccus.
C. Mucius & L. Calphurnius. 620
50 P. Popilius & P. * Sulpicius.
P. Crassus & L. Valerius Flaccus.
App. Claudius & M. Perpenna.
C. Sempronius & M'. Aquilius.
Gn. Octauius & T. Annius.
L. Cassius & L. Cinna.

M.Æmilius & L.Aurelius.
M.Plautius & M.Fuluius.
C. Cassius Longinus, & * C. Sextius.
Q.Cæcilius & T.Quintius.
Gn.Domitius & C.Fannius.
His coss. Sextius oppidum ædificauit, in quo Aquæ Sextiæ in Galliis.
L.Opimius & Q.Maximus.
* P.Manlius & C. Papirius.
L.Cæcilius & L.Aurelius.
M.Cato & Q.Marcius.
L.Cæcilius & Q.Mucius.
C.Licinius Geta, & Q.Maximus.
M.Metellus & M.Scaurus.
His coss. L.Metellus & Gn.Domitius Cẽsores artem ludicrã ex vrbe remouerunt, præter Latinũ tibicinem cum cantore, & ludum * talorum.
M? Acilius Balbus, & C.Cato.
640 C.Cæcilius & C.Papirius.
M.Liuius Drusus, & L.Piso.
P.Scipio & L.Calphurnius Bestia.
Sp.Posthumius & M.Minucius.
Q.Metellus & M.*Silanus.
Ser.Galba & M.Scaurus.
L.Cassius & C.Marius.
Q.Seruilius & C.Attilius Serranus.
His coss. per Seruilium Cæpionẽ consulem iudicia Equitibus & Senatoribus communicata.
P. Rutilius Rufus, & C.Manilius.
C.Marius II, & C.Flauius Fimbria.
C.Marius III, & L.Aurelius Orestes.
C.Marius IIII, & L.Luctatius.
C.Marius V, & M? Aquilius.
C.Marius VI, & L.Valerius Flaccus.
M.Antonius & A Posthumius.
Q.Metellus & T.Didius.
Gn.Lentulus & P.Crassus.
Gn.Domitius & C.Cassius.
His coss. Ptolemæus Ægypti rex * populũ Romanum hæredem reliquit.
P.Crassus & Q.Scæuola.
C.Cœlius & L.Domitius.
660 C. Valerius Flaccus, & M. Herennius.
C. Claudius Pulcher, & M. Perpenna.
* P.Marcius & Sextus Iulius.
L. Cæsar & C.Rutilius Lupus.
Gn.Pompeius & L.Porcius Cato.
L.Sylla & Q.*Pompeius.
L.Cinna & Gn.Octauius.
L.Cinna II, & G.Marius VII.
L.Cinna III, & Gn.Papirius.
L.Cinna IIII, & Gn.Papirius II.
His coss. Asiam in XLIIII regiones Sylla distribuit.
L.Scipio & C.Norbanus.
His coss. Capitolium custodum negligentia concrematur.
Gn.Garbo III, & C.Marius.
*M.Tullius & Gn.Dolabella.
L.Sylla II, & Q.Metellus.
*P.Seruilius & App.Claudius.
M.Lepidus & Q.Catulus.
M.Æmilius & D.Brutus.
Gn. Octauius & C.Curio.
L.Octauius & C.Cotta.
L.Licinius Lucullus, & M.Cotta.
M.Lucullus & C.Cassius. 680
L.Gellius & Gn.Lentulus.
Gn.Aufidius & P.Lentulus.
M.Crassus & Gn.Pompeius.
Q.Metellus & Q.Hortensius.
His coss. a Q. Catulo reparatum dedicatumque Capitolium est.
L.Metellus & Q.Marcius.
C.Piso & * Marcus Glabrio.
* An.Lepidus & L.Torquatus.
L.Cæsar & Q.Marcius.
M.Cicero & C.Antonius.
D.Silanus & L.Muræna.
M.Pupius & M.Valerius.
His coss. Catilina in agro Pistoriensi a C. Antonio bello peremptus est.
Q.Metellus & L.Afranius.
* C.Cæsar & M.Bibulus.
L.Piso & A.Gabinius.
His coss. Clodij rogatione Cicero in exsilium est profectus.
P.Lentulus & Q.Metellus.
His coss. propter ciuiles * dissensiones per S. C. de exsilio Cicero reuocatur.
Gn.Lentulus & L.Philippus.
Gn.Pompeius & M.Crassus.
App.Claudius & L.Domitius.
Gn.Domitius & M.Messala. 700
Gn.Pompeius & Q.Metellus.
M.Marcellus & Ser.Sulpicius.
* L.Paulus & M.Marcellus.
L.Lentulus & C.Marcellus.
His coss. perniciosæ in Curia conflantur de Pompeio Cæsareque discordiæ: sed Caius Iulius Cæsar de Galliis veniens, Pompeium fugauit Italia, aurum atque argentum Romæ de ærario sustulit, ac primus Romanorum singulare obtinuit imperium, a quo CÆSARES Romani principes appel-

appellati. Imperauit aūt an.IIII, mensibus VI. sub quo hi Consules fuerunt:

IMPERATORES ROMANI.

C. IVLIVS CÆSAR I.
C Iulius Cæsar II, & P.Seruilius.
*Q Funius & Publius Vaticanus.
His coss. Cæsar Pompeium Pharsalico prœlio superauit; Pompeius fugiēs in *Ægyptum, *occisus est.
C.Iulius Cæsar III, & M.Lepidus.
C.Iulius Cæsar IIII, & Fabius Maximus.
His coss. C.Iulius Cæsar per quatriduum triumphauit.
C.Iulius Cæsar V, & M. Antonius.
His coss. M. Antonius Lupercalibus sella aurea sedenti Cęsari diadema renuenti imposuit; atq; Idib. Martiis Cæsar in *Pompeia curia occisus est: cui successit Octauian⁹ Cæsar, qui regnauit ann.LVI mensibus VI. per quæ tempora hi Consules exstiterunt:

OCTAVIANVS AVGVSTVS, II.

C. Pansa & A.*Hirtius.
His coss. Cæsar Octauianus, Antonius, & Lepidus, amicitiæ fœdus inierunt; M. Cicero per Popiliū militem Caietæ occisus est annorum LXIII. Cæsar Octauianus forum *Augustum ædificauit.
M. Lepidus & L.Plancus.
P.Seruilius II, & L. Antonius.
Gn. Domitius & C. Asinius.
L.Censorinus & Caius Caluisius.
App. Claudius & Caius Norbanus.
M. Agrippa & L.Caninius.
His coss. lacus Lucrinus in portum conuersus est.
L.Gellius & M. Cocceius.
Sex.Pompeius & L.Cornificius.
L.Scribonius & L. Atratinus.
720 C.Cæsar & L.Vulcatius.
Cn.Domitius & C.Sossius.
C. Cæsar II, & M.Messala.
His coss apud Actium M. Antonius a Cæsare superatur.
C. Cæsar III, & M.Crassus.
His coss. Nicopolim Cæsar construit, ludos Actiacos instituit: Antonius a Cæsare prœlio pereptus, Alexandriæ in Mausoleo cū Cleopatra recōditur.
C Cæsar IIII, & Sex. Apuleius.
C Cæsar V, & M. Agrippa II.
His coss. Parthorum dissensiones per Cæsarem sedatæ.
C. Cæsar VI, & M. Agrippa III.
His coss. Cæsar leges protulit, iudices ordinauit, prouincias dispoſuit; & ideo AVGVSTVS cognominatus est. cuius temporibus floruerunt Virgilius, Horatius, & Liuius.
*C. Augustus Cæsar VII, & T.Statilius.
C. Aug Cæsar VIII & M.Silanus.
His coss. Cantabros, Germanos, Salassos Cæsar perdomuit.
C Aug. Cæsar IX & C. Norbanus.
His coss. Astures & Cantabri per L. *Lanium perdomiti.
C. Aug Cæsar X & Cn. Piso.
M. Marcellus & L Aruntius.
M.Lollius & Q. Lepidus.
M. Apuleius & P. Silius.
His coss. aquilas & signa Crassiana de Parthis Cæsar recepit.
C.Sentius & Q. Lucretius.
His coss. Cæsari ex prouinciis redeunti currus cum aurea corona decretus est; quo ascendere noluit.
Cn. Lentulus & P. Lentulus.
*T. Furnius & C. Silanus.
L.Domitius & P.Scipio.
M. Drusus & L. Piso.
Cn. Lentulus & M.Crassus.
Tib.Nero & P. Quintilius.
M.Messala & P.Sulpicius. 740
*Paulus Fabius & Q. Ælius.
Iulus Antonius & Africanus Fabius.
Drusus Nero & L.Quintius.
His coss. apud Lingonum gentē templum Cæsari Drusus sacrauit.
C.Asinius & C.Marcius.
His coss. inter Albim & Rhenum Germani omnes Tiberio Neroni dediti; per Sextum Apuleium Pannonij subacti.
Tib. Nero & Cn. Piso.
D. Lælius & C. Antistius.
C. Augustus Cæsar XI. & L. Sylla.
C. Caluisius & L. Passienus.
C. Lentulus & M. Messala.
His coss. Dominus noster IESVS CHRISTVS filius Dei in Bethleem nascitur, anno imperij Augusti *XLI.
C. Aug. Cæsar XII & M. Plautius.
Cossus Lentulus & L. Piso.
C. Aug. Cæsar XIII & L. Paulus.
*C. Vinitius & P. Alphenus.
M.Seruilius & L. Lamia.
Sextus Ælius & C. Sentius.

Cn. Cinna & L. Valerius.

His coss. per dies VIII Tiberis impetu miserãda clades hominum domorumque fuit.

M. Lepidus & L. Aruntius.

Q. Cæcilius & A. Licinius.

760 M. Furius & Sextus Nonius.

Q. Sulpicius & C. Poppæus.

P. Dolabella & C. Silanus.

M. Lepidus & T. Statilius.

Germanicus Cæsar & C. Fonteius.

L. Plancus & C. Silius.

Sextus Pompeius & Sex. Apuleius.

His coss. Imperator Augustus obiit, LXXVI anno ætatis suæ, Imperij autem LVI* semis. Huic successit in imperiũ TIBERIVS CÆSAR, qui imperauit annis XXIII. sub quo hi consules fuerunt:

TIBERIVS CÆSAR, III.

Drusus Cæsar & C. Norbanus.

Sisenna Statilius & L. Scribonius.

His coss. Mathematici vrbe pellũtur.

L. Pomponius & C. Cæcilius.

Tib. Cæsar, & Germanicus Cæsar.

M. Silanus & C. Norbanus.

His coss. Germanicus Cæsar in Syria mortuus.

M. Valerius & M. Aurelius.

Tib. Cæsar, & Drusus Cæsar.

D. Haterius & C. Sulpicius.

C. Asinius & C. Antistius.

His coss. Drusus Cæsar publice funeratur.

Ser. Cornelius & L. Visellius.

M. Asinius, & Cossus Cornelius.

C. Caluisius, & Cn. Gætulicus.

L. Piso, & M. Crassus.

780 Appius Silanus, & P. Silius.*

C. Rubellius, & C.* Fusius.

M. Vinitius, & L. Cassius.

Tib. Cæsar V. cos. [& solus.]

[Cn. Domitius & Camillus Scribonianus.]

His coss. Dominus noster IESVS CHRISTVS passus est VIII Calend. Apriles; & defectio solis facta est qualis ante vel postmodum numquam fuit.

[Vinitius & Longinus.]

Sulpicius & Sylla.

*Priscus & Vitellius.

Gallus & Nonianus.

His coss. Persius Flaccus Satyricus poeta Volaterris nascitur.

Gallienus & Plautianus.

His coss. Tiberius Imperator in Campania moritur; cui successit C. Cæsar cognomento Caligula; qui regnauit annis tribus, & mensibus* X. sub quo hi Consules exstiterunt:

C. CALIGVLA, IIII.

Proculus & Nigrinus.

† Iulianus & Asprenas.

Publicola & Nerua.

His coss. Pilatus in multas incidens calamitates, ꝓpria se manu interfecit.

Cæsar & Iulianus.

His coss. C. Cæsar cognomento Caligula, a protectoribus suis occiditur in Palatio, anno ætatis XXIIII. cui successit Claudius; qui imperauit ann. XIII, mensibus VIII, diebus XXVIII. sub quo hi Consules fuerunt:

CLAVDIVS, V.

Cæsar II, & Saturninus.

*Secundus & Venustus.

His coss. Petrus apostolus Romam mittitur; vbi euangelium prædicans, XXV annis eiusdẽ vrbis episcopus perseuerat.

Tiberius* & Gallius.

Crispinus & Taurus.

His coss. Claudius de Britannis triumphauit, & Orcadas insulas Romano adiecit imperio.

Vinitius & Cornelius.

His coss. inter Theram & Therasiam exorta est insula, habens stadia XXX.

Asiaticus & Cornelius.

His coss. descriptio Romę facta est, & inuenta sunt ciuium Romanorũ* centena millia, & XLIIII. &

Thracia hucusque* regnum, in prouinciam redigitur.

Tiberius II, & Vitellius.

Vitellius II, & Publicola. 800

*Verannius & Gallus.

Vetus & *Seruilianus.

Claudius & Orphitus.

Syluanus & Syluius.

Tiberius III, &* Antoninus.

*Silanus & Otho.

His coss. Claudius moritur in Palatio, anno ætatis LXIIII. Huic successit Nero; qui regnauit annis XIII, mensib. VII, diebus* XXVII. sub quo hi consules fuerunt:

NERO

NERO CLAVDIVS, VI.

Silanus II, & Antoninus II.

*Marcellinus & Auiola.

His coss. sanctus Paulus apostolus Romam vinctus a Felice [Iudeæ] præside destinatur. Probus etiam eruditissimus grammaticus Romæ cognoscitur. *Vrsulus Tolosensis celeberrime in Gallia Rhetoricam docet.

Nero & Vetus.

Nero II, & Piso.

810 Nero III, & Messala.

[C. Capito & Apronius.]

Nero IIII, & Cornelius.

*Pius & Turpilianus.

Macrinus & Gallus.

Crassus & Bassus.

His coss. Thermæ a Nerone ædificatæ, quas Neronianas appellauit; cuius odio, mutato vocabulo, nunc Alexandrinæ nominantur.

Syluanus & Paulinus.

His coss. Nero, vt similitudinē Troiæ ardentis inspiceret, plurimam partem [Romanæ] vrbis incendit.

*Celsinus & Apuleius.

His coss. duæ prouinciæ factæ sunt, Pontus Polemoniacus, & Alpes Cottiæ, Cottio rege defuncto.

[Telesinus & Paulinus]

Capito & Rufus.

820 Italicus & Turpilianus.

Syluanus & Otho.

His coss. Romæ sanctus Petrus & Paulus apostoli trucidati sunt a Nerone; qui turpiter viuens, cum a Senatu quæreretur ad pœnam, e Palatio fugiens, ad quartum vrbis miliarium in suburbano Nomentana via sese interfecit, anno ætatis XXXII. cui successit GALBA; qui regnauit mensibus VII. Post hunc OTHO, mensibus III, diebus V. Post VITELLIVS regnauit mensibus VIII, die vno. qui omnes infra scriptos duos Consules tenuerunt.

Vespasianus & Titus.

Vespasianus II, & Titus II.

His coss. Vespasianus suscepit imperium; qui regnauit annis IX, mensibus XI, diebus XXII. sub quo hi Consules fuerunt:

VESPASIANVS, *VII.

Vespasianus III, & Nerua.

Vespasianus IIII, & Titus III.

His coss. Titus filius Vespasiani Iudęa capta, præter quos gladio interfecit, *centum milia captiuorū publice venumdauit.

Vespasianus V, & Titus IIII.

Vespasianus VI, & Titus V.

Vespasianus VII, & Titus VI.

His coss. Vespasianus incensum Capitolium ædificare orsus est.

*Commodus & Rufus. 830

Vespasianus VIII, & Titus VII.

His coss. colossus erectus est, habens altitudinis pedes C & VII.

Vespasianus IX, & Titus VIII.

Syluanus & Vetus.

Domitianus & Messalinus.

His coss. Vespasianus est mortuus p fluuio ventris, in villa propria circa Sabinos. cui Titus filius eius succedens, in vtraq; lingua disertissimus, regnauit annis II, mensibus II. sub quo hi Consules exstiterunt:

TITVS VESPASIANVS VIII.

Domitianus II, & Rufus II.

His coss. Titus Amphitheatrū Romæ ædificauit, & in dedicatione eius quinque milia ferarum occidit.

Domitianus III, & Sabinus.

His coss. Titus morbo periit in eadem villa qua pater eius, anno ætatis XLII. qui ob insignem mãsuetudinem, *Deliciæ humani generis* appellatus est. cui successit Domitianus frater Titi [iunior,] crudelissimus; qui imperauit annis XV, mensibus V. sub quo hi Consules fuerunt:

FLAVIVS DOMITIANVS, IX.

Domitianus IIII, & Rufus III.

His coss. Domitianus eunuchos fieri prohibuit.

Domitianus V, & Dolabella.

Domitianus VI, & Rufus IIII.

Flauius & Traianus.

Domitianus VII, & Nerua.

Traianus II, & Glabrio.

His coss. *primo Domitianus Dominum & Deum se appellare iussit.

Domitianus VIII, & Saturninus.

Syluanus & Priscus.

His coss. Quintilianus ex Hispania primus Romæ scholam publicam & salarium e fisco accepit, & claruit.

Asprenas & Clemens.

His coss. multa * mœnia & celeberrima Romæ facta sunt; *id est Capitolium, Forum transitorium, Diuorum porticus, Isium, Serapium, Stadium, Horrea piperataria, Vespasiani templum, *Minerua Chalcidica, Odion.

Domitianus IX, & Clemens II.

His coss. insignissima Romæ facta sunt [opera; id est,] forum Traiani, Thermæ Traianæ & Titianæ, * Senatus ludus matutinus, Meta aurea, Meta sudans, & Pantheon.

* Nerua II, & Rufus.

Fuluius & Vetus.

Sabinus & * Antoninus.

850 Nerua III, & Traianus III.

Senecio & Palma.

Traianus IIII, & Fronto.

His coss. Apollonius Tyaneus philosophus insignis habetur. Domitianus occisus in Palatio, anno ætatis XXXV. cui Nerua succedēs, regnat annum vnum, menses IIII. sub quo hi Consules fuerunt:

NERVA COCCEIVS, X.

Traianus V, & Orphitus.

Senecio II, & Sura.

His coss. Nerua morbo periit in hortis Sallustianis, anno ætatis LXXII, cum iam Traianum adoptasset in filium: cui succedens, imperauit annis XIX, mensibus * VI, diebus XV. sub quo hi consules fuerunt:

D. TRAIANVS, XI.

Traianus VI, & Maximus.

Senecio III, & Sura II.

Vrbanus & Marcellus.

Candidus & Quadratus.

His coss. Traianus de Dacis & Scythis triumphauit.

Commodus & Cerealis.

His coss. Traianus Hiberos, Sauromatas, * Osroenos, Arabas, * Bosphoranos, Colchos, in fœdus accepit: Seleuciam, Ctesiphontem, Babylonem occupauit & tenuit.

Senecio IIII, & Sura III.

His coss. Traianus in mari rubro classem instituit; vt per eam Indiæ fines vastaret.

860 Gallus & Bradua.

Africanus & Crispinus.

Crispinus II, & * Solenus.

Piso & Rusticus.

Traianus VII, & Africanus.

Celsus & Crispinus.

His coss. Plinius Secundus Nouocomēsis orator & historicus insignis habetur; cuius ingenij plurima opera exstant.

* Asta & Piso.

Messala & Pedon.

* Æmilius & Vetus.

Niger & Apronianus.

His coss. Traianus Armeniam, Assyriam, & Mesopotamiam prouincias fecit.

Clarus & Alexander. 870

Hadrianus & Salinator.

Hadrianus II, & Rusticus.

* Seruilius & Fuluius.

His coss. Traianus apud Seleuciam Isauriæ profluuio ventris exstinctus est, anno ætatis LXIII, mēse IX, die IIII. cuius ossa, in vrna aurea conlocata, sub columna fori * quæ eius nomine vocatur, recondita sunt: cuius columnæ altitudo in CXL pedes erigitur. Huic successit Hadrianus, vtraq; lingua peritissimus, Italicæ natus ex consobrina Traiani: qui regnauit annis XX, mensibus X, diebus * XIX. sub quo hi Consules fuerunt:

HADRIANVS, XII.

Verus & Augur.

His coss. Hadrianus Alexandriam a Romanis subuersam, publicis instaurauit expensis.

Auiola & Pansa.

His coss. Hadrianus reliqua tributorum vrbibus relaxauit, chartis * publicis incensis; plurimos etiam ipsis tributis liberos fecit.

Paternus & Torquatus.

His coss. Plutarchus philosophus insignis habetur.

Glabrio & Apronianus.

His coss. * Nicomediæ & Nicenæ vrbis plurimis [terræmotu] conlapsis, Hadrianus ad instaurationem earum publicas largitur expensas.

Asiaticus & Quintus.

Verus & Ambiguus.

His coss. Atheniensibus leges petentibus Hadrianus ex Draconis & Solonis reliquorumque libris iura composuit.

Gallic-

Gallicanus & Titianus.

His coss. iuxta * Eleusinam ciuitatem [in] Cephiso fluuio Hadrianus pontem constrauit.

880 Torquatus & Libo.
Celsus & Marcellinus.
Pontianus & *Rufus.
Augurinus & Sergianus.
*Tiberius & Silanus.

His coss. Hadrianus a Christianorum persecutione cessauit, & Pater patriæ est appellatus.

*Sergius II, & Verus.
Pompeianus & Attilianus.

His coss. templum Romæ [&] Veneris factum est; quod nunc Vrbis appellatur.

Pompeianus II, & Commodus.

His coss. Hadrianus cum insignes & plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidit, bibliothecamque miri operis exstruxit.

*Lælius & Albinus.
890 Camerinus & Niger.
Antoninus & Præsens.
Antoninus II, & Præsens II.
Seuerus & Syluanus.

His coss. Aelia ciuitas, id est Hierusalem, ab Aelio Hadriano condita est, & in fronte eius portæ qua Bethleem egredimur, sus * sculptus in marmore; significans Romanę potestati subiacere Iudæos.

Rufinus & Torquatus.

His coss. Hadrianus morbo intercutis aquæ apud Baias moritur, maior sexagenario. cui successit Antoninus Pius; qui regnauit *an. XXI. sub quo hi Consules fuerunt:

Antoninvs Pivs, XIII.

Torquatus II, & Herodes.
Auiola & Maximus.
Antoninus III, & Aurelius.
Gratus & Seleucus.

His coss. Iustinus Philosophus librum pro Christiana religione scriptũ tradidit Antonino [Cæsari.]

Antoninus IIII, & Aurelius II.
Largus & Messalinus.
900 Torquatus III, & Iulianus.
Orphitus & Priscus.
Glabrio & Vetus.
Gordianus & Maximus.
Glabrio II, & * Romulus.
Præsens & Rufus.
Commodus & Lateranus.

His coss. Apollonius Stoicus, natione Chalcidicus; & Basilides * Scythopolitanus, philosophi illustres habentur; qui [Veri quoque] Cæsaris præceptores fuerunt.

Verus & Sabinus.
Syluanus & Augurinus.
*Barbarus & Regulus.
Tertullus & Sacerdos. 910
Quintillus & Priscus.
Verus II, & Bradua.
Antoninus V, & Aurelius III.
* P.C. Antonini VI, & Aurelij IIII.

Hoc tempore Antoninus Pius apud Loriũ villam suã duodecimo ab vrbe miliario moritur, anno vitæ LXXVII. Vsque ad hoc tempus singuli Augusti fuerunt. Cui successerunt filij sui, id est Marcus Antoninus Verus, & Lucius Annius Antoninus * Seuerus: qui regnauerunt annis XIX. sub quibus hi Consules fuerunt:

M. Antoninvs vervs; & L. Annivs Antoninvs Severvs, XIIII.

Duo Augusti coss.
Rusticus & Aquilinus.

His coss. Lucio Cæsari, Athenis sacrificanti, ignis in cælo ab * occidente in orientem ferri visus est.

*Lælianus & Pastor.
Macrinus & Celsus.

His coss. Fronto orator insignis habetur; qui Marcum Antoninum Verum Latinis litteris erudiuit.

Orphitus & Pudens.

His coss. Lucius Cæsar de Parthis cũ fratre Antonino triumphauit.

Pudens II, & Pollio.
Verus III, & Quadratus.
Apronianus & Paulus. 920
Priscus & Apollinaris.
Cethegus & Clarus.
Seuerus & Herennianus.

His coss. Lucius Annius Antoninus Seuerus, anno regni vndecimo, inter Concordiam & Altinum * apoplexia exstinctus est, sedens cum fratre in vehiculo.

Orphitus & Maximus.

Seuerus II, & Pompeianus.
Gallus & Flaccus.
Piso & Iulianus.
Pollio & Aper.
Commodus & Quintillus.
His coss. Marcus Antoninus Verus Imperator Commodum filiũ suum consortem regni facit.
930 Orphitus & Rufus.
His coss. Imperatores de hostibus triumphant; & pecuniam quæ fisco debebatur, prouinciis concedentes, tabulas debitorum in medio Romanæ vrbis foro, incendio concremarunt; ac, ne quid *bonitatis deesset, seueriores quasque leges nouis constitutionibus temperarunt.
Commodus II, & Verus II.
His coss. Antoninus Verus adeo in editione munerum magnificus fuit, vt centum simul leones exhibuerit: qui pòst in Pannonia morbo periit. Commodus filius eius a Senatu Augustus est appellatus; qui regnauit annis XIII. sub quo hi Consules fuerunt:

*Antoninvs Commodvs, XV.

Præsens & Gordianus.
Commodus III, & Byrtus.
Mamertinus & Rufus.
Commodus IIII, & Victorinus.
Marullus & *Ælianus.
His coss. Thermæ Commodianæ Romæ factæ sunt.
Maternus & Bradua.
Commodus V, & Glabrio.
Crispinus & *Ælianus.
940 Fuscianus & Silanus.
Duo Silani.
His coss. Commodus Imperator colossi capite sublato, suæ imaginis caput iussit imponi.
Commodus VI, & Septimianus.
Apronianus & Bradua.
Commodus VII, & Pertinax.
His coss. Commodus strangulatur in domo *Vestiliani. cui successit *Ælius Pertinax; qui regnauit mensibus VI. [sub quo fuerunt consules hi:]

*Ælivs Pertinax, XVI.

Falco & Clarus.
His coss. Pertinax occiditur in Palatio, maior septuagenario: cui successit Seuerus, prouincia Tripolitana natus oppido Lepti; solusque Afer Imperator Romanus fuit: qui regnauit annis XVIII. sub quo hi Consules fuerunt:

Severvs, XVII.

Seuerus & Albinus.
Tertullus & Clemens.
Dexter & Priscus.
Lateranus & Rufinus.
Saturninus & Gallus. 950
Anulinus & Fronto.
His coss. Seuerus Parthos & Adiabenos superauit, Arabasque interiores ita cecidit, vt regionem eorũ Romanam prouinciã faceret. [ob quæ Parthicus, Arabicus, & Adiabenicus cognominatus est.]
Seuerus II, & Victorinus.
Fabianus & Mucianus.
His coss. Thermæ Seuerianæ apud Antiochiam & Romæ factæ, & *Septizodium instructum est.
Seuerus III, & Antoninus.
Geta & Plautianus.
*Chilo & Libo.
Antoninus II, & Geta II.
Albinus & Ælianus.
Aper & Maximus.
His coss. Seuerus in Britãnos bellum mouit: vbi vt receptas prouincias ab incursione barbarica faceret securiores, vallum per *CXXXII passuum milia a mari ad mare duxit.
Antoninus III, & Geta III. 960
Pompeianus & Auitus.
His coss. Tertullianus Afer Christianorũ scriptor celeberrimus habetur.
Faustinus & *Rufus.
His coss. Origenes scriptor Alexandriæ studiis eruditur.
Gentianus & Bassus.
His coss. Seuerus Imperator Eboraci in Britannia moritur. cui successit Antoninus Caracalla Seueri filius; qui regnauit annis VII. sub quo hi Consules fuerunt:

Antoninvs Caracalla, XVIII.

Duo *Aspri.
Antoninus & Balbinus.
Messala & Sabinus.
His coss. Antoninus Caracalla cognominatur propter genus vestis, quod

quod Romæ erogauerat: * [& e contrario caracallæ ex eius nomine *Antonianæ* dictæ.]

Lætus & Cerealis.

Sabinus II, & Venuſtus.

His coss. Antoninus Romæ Thermas ſui nominis ædificauit.

Præſens & Extricatus.

970 Antoninus & Aduentus.

His coss. Antoninus interficitur inter Edeſſam & Carras, anno ætatis XLIII. cui ſucceſſit Macrinus, Præfecturam Prætorianam gerens: regnauit autem annum vnum. ſub quo hi Conſules fuerunt:

MACRINVS, XIX.

Antoninus II, & Sacerdos.

His coss. Macrinus occiditur in Archelaide: cui ſucceſſit Marcus Aurelius Antoninus; qui regnauit annis IIII. ſub quo hi Conſules fuerunt:

*MARCVS AVRELIVS ANTONINVS, XX.

Antoninus III, & Comazon.

Gratus & Seleucus.

His coss. * Heliogabalum templum Romæ ædificatur.

Alexander & Auguſtus.

His coss. in Palæſtina Nicopolis, quæ prius Emmaus vocabatur, condita eſt.

Maximus & Ælianus.

His coss. M. Aurelius Antoninus Romæ occiditur tumultu militari. cui ſucceſſit Alexander Mammææ filius; qui regnauit annis XIII. ſub quo hi Conſules fuerunt:

ALEXANDER MAMMÆÆ, XXI.

Julianus & Criſpinus.

His coss. Alexander * Xerxem regem Perſarum vicit.

Fuſcus & Dexter.

Alexander II, & Marcellus.

Annianus & Maximus.

His coss. Vlpianus Iuriſconſultus, aſſeſſor Alexandri inſigniſſimus habetur.

Albinus & Maximus.

His coss. Neronianæ [thermæ Alexandrinæ] vocatæ ſunt.

Modeſtus & Probus. 980

Alexander III, & Dio.

Gratus & Seleucus.

His coss. Origenes Alexandriæ clarus habetur.

Pompeianus & Felicianus.

Lupus & Maximus.

His coss. Alexander in matrẽ Mammæam vnice pius fuit; [&] ob hoc cunctis amabilis.

Maximus & Paternus.

Maximus II, & Vrbanus.

Seuerus & * Quintianus.

His coss. Alexander occiditur * Mogontiaci tumultu militari. cui ſucceſſit Maximinus, regnans annis III. primus omnium ex corpore militari [ſine ſenatus auctoritate ab exercitu] Imperator electus. ſub quo hi Conſules fuerunt:

MAXIMINVS, XXII.

Maximinus & Africanus.

Perpetuus & Cornelianus.

Pius & Proculus. 990

His coss. Maximinus Aquileiæ occiditur. cui ſucceſſit Gordianus; qui regnauit annis VI. ſub quo hi Conſules fuerunt:

GORDIANVS, XXIII.

Gordianus & Auiola.

Sabinus & Venuſtus.

His coss. Gordiano * Romæ ingreſſo, Pupienus & * Balbinus, qui imperium arripuerant, in Palatio occiſi ſunt.

Gordianus II, & Pompeianus.

Atticus & Prætextatus.

*Arianus & Pappus.

Peregrinus & Æmilianus.

His coss. Gordianus, admodum adoleſcens, Parthorum natione ſuperata, cum victor reuerteretur ad patriam, fraude Philippi Præfecti prætorio, haud longe a Romano ſolo interfectus eſt. Gordiano milites tumulum ædificant ſupra Euphratem, oſſibus eius Romam * reuectis. cui ſucceſſit Philippus; qui regnauit ann. * VI. qui mox Philippum filium ſuum conſortem regni fecit; primusque omnium ex Romanis Imperatoribus Chriſtia-

nus fuit. sub quo hi Consules fuerunt:

PHILIPPVS, XXIIII.

Philippus & Titianus.
Præsens & Albinus.
1000 Philippns II,& Philippus.
*Philippus III,& Philippus II.
Æmilianus & Aquilinus.

His coss. millesimus annus vrbis [Romæ] expletus est: ob quam solemnitatem innumerabiles Philippus cum [Philippo] filio suo bestias in Circo magno interfecit, ludosque in campo Martio Theatralęs tribus diebus ac noctibus populo peruigilante celebrauit: quadraginta etiā missus natali Romanæ vrbis *cucurrerunt, & Agon mille annorum actus. Philippus vrbē nominis sui in Thracia construxit.

Decius & Gratus.
Decius II,& *Rusticus.

His coss. Philippus senior Veronæ, Romæ vero iunior occiditur. His successit Decius; qui regnauit an. I, mensibus III; [quantum ad Consulatum autem, annū vnum.] sub quo hi Consules fuerunt:

DECIVS, XXV.

Gallus & Volusianus.

His coss. Decius lauacra publica ædificauit, quæ suo nomine appellari iussit. Decius cum filio suo in †*Abricio Thraciæ loco a Gotthis occiditur. cui successit Gallus cum Volusiano filio; qui regnauerunt an. II, & mensibus IIII: [quantum ad Consulatum autem, annis tantū duobus.] sub quibus hi Consules fuerunt:

GALLVS ET VOLVSIANVS, XXVI.

Volusianus II, & Maximus.

His coss. Nouatianus apparuit.

Valerianus &*Gallienus.

His coss. Gallus & Volusianus Interamnæ interfecti sunt. quibus successerūt Valerianus & Gallienus; qui regnauerūt an. XV. sub quibus hi Consules fuerunt:

VALERIANVS ET GALLIENVS, XXVII.

Valerianus II,& Gallienus II.
Maximus II,& Glabrio.
Valerianus III,& Gallienus III.

His coss. Cyprianus, primum rhetor, deinde presbyter, ad extremum Carthaginensis episcopus, martyrio coronatur.

*Tuscus & Bassus.

His coss. Valerianus in Christianos 1010
persecutione commota, statim a Sapore Persarum rege capitur, ibique seruitute miserabili consenescit.

Æmilianus & Bassus.
Sæcularis & Donatus.
Gallienus IIII,& Gentianus.
Gallienus V,& Victorinus.
Albinus & Maximus.

His coss. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, depopulatæ per *Gotthos; aliasque prouincias barbarorum quassauit irruptio.

Gallienus VI,& Saturninus.
*Valerius & Lucillus.
Gallienus VII,& Sabinillus.
Paternus & Arcesilaus.
Paternus II,& *Marinus.
Claudius & Paternus.

His coss. Mediolani occiditur Gallie- 1020
nus. cui successit Claudius; qui regnauit anno vno, mensibus IX. sub quo hi Consules fuerunt:

CLAVDIVS, XXVIII.

Antiochianus & Orphitus.
Valerianus & Bassus.

His coss. Claudius barbaros [Gotthos, Illyricum & Macedoniam] vastantes repellit; & Sirmij moritur. Huic successit *Quintillus Claudij frater, a Senatu Augustus appellatus; qui XVII imperij [sui] die Aquileiæ occiditur. Post quem Aurelianus factus est Imperator; qui regnauit annis V, mensib. VI. sub quo hi Consules fuerunt:

AVRELIANVS, XXIX.

Quietus &*Voldumianus.
Tacitus & Placidianus.
Aurelianus & Capitolinus.

His coss. Aurelianum Romæ triumphantem captiui Tetricus & Zenobia præcesserunt.

Aurelia-

Aurelianus II, & *Marcellus.

His coss. Aurelianus templum Soli ædificat, & Romam firmioribus muris * vallat.

Probus & Paulinus.

Probus II, & Paternus II.

His coss. inter Constantinopolim & Heracleam Aurelianus occiditur. cui successit Tacitus; qui regnauit menses VI. sub quo hi Consules fuerunt:

Tacitus, XXX.

1030 Probus III, & Paternus III.

His coss. Tacitus in Ponto occisus est, & obtinuit Florianus imperiũ diebus * LXXXIIII. Hoc quoq; apud Tarsum interfecto, Probus factus est Imperator; qui regnauit an. VI, mensibus III. sub quo hi Consules fuerunt:

Probus, XXXI.

Messala & Gratus.

His coss. Galliæ, quæ fuerant a Barbaris occupatæ, a Probo Romano restituuntur imperio.

Probus IIII, & Tiberianus.

Probus V, & Victorinus.

His coss. insana Manichæorum hæresis * exorta est.

Carus & Carinus.

*Carus II, & Numerianus.

Diocletianus & Aristobulus.

His coss. Probus apud Sirmiũ tumultu militari in turre, quæ vocatur Ferrata, occiditur. cui successit Carus cũ filiis suis Carino & Numeriano; qui regnauerunt an. II. sub quibus hi Cõsules fuerunt:

Carus, XXXII.

Maximus & Aquilinus.

His coss. cum Carus deuictis Parthis castra supra Tigridem posuisset, fulmine ictus interiit.

Diocletianus II, & Maximianus.

His coss. Numerianus occiditur; Carinus apud * Margũ prœlio victus interiit. Post quos Diocletianus Dalmata suscepit imperiũ; qui regnauit ann. XX. sub quo hi Consules fuerunt:

Diocletianus, XXXIII.

Maximianus II, & Ianuarius.

Bassus & Quintianus. 1040

His coss. Diocletianus in consortium regni Herculium Maximianum * adsumit.

Diocletianus III, & Maximianus III.

Tiberianus & Dio.

* Annibalianus & Asclepiodotus.

Diocletianus IIII, & Maximianus IIII.

Constantius & Maximus.

Tuscus & Anulinus.

Diocletianus V, & Constantius II.

[Maximianus V, & Maximus II.]

Faustus & Gallus.

His coss primus Diocletianus adorari se iussit vt Deum, & gemmas vestibus calciamentisque * conseruit; cum ante eum omnes Imperatores in modum iudicum salutarentur, & tantum chlamydem purpuream a priuato habitu plus haberent.

Diocletianus VI, & Maximianus VI. 1050

Constantius III, & Maximus III.

Titianus & Nepotianus.

Constantius IIII, & Maximus IIII.

His coss. LX milia * Alamannorum cæsa sunt.

Diocletianus VII, & Maximianus VII.

Diocletianus VIII, & Maximianus VIII.

Constantius V, & Maximus V.

Constantius VI, & Maximus VI.

His coss. Diocletianus & Maximianus Aug. insigni põpa Romæ triumpharunt, antecedentibus currum eorum Narsei coniuge, sororibus, liberis, & omni * præda, qua Parthos exspoliauerant.

Diocletianus IX, & Constantinus.

Diocletianus X, & Maximus VII.

His coss. Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpurã deposuerunt ob ætatis defectũ. & creati sunt Constantius & Galerius [augusti.] sed Constantius, tantum Augusti dignitate contentus, cum esset otiosus, anni ipsius adscribuntur filio eius Constantino; qui natus dicitur ex Helena concubina: qui regnauit ann. XXX, menses X. sub quo hi Consules fuerunt:

*Constantinus et Galerius XXXIIII.

*P.C. Diocletiani X, & Maximi VII. 1060

II. P.C. Diocletiani X, & * Maximi VII.

Maximus VIII, & Licinius.

Constantinus II,& Licinius II.
Constantinus III,& Licinius III.
Volusianus & Annianus.
Constantinus IIII,& Licinius IIII.
Sabinus & Rufinus.
* Gallicanus & Bassus.
Licinius V,& Crispus.
1070 Constantinus V,& Licinius Cæs.
* Constantinus VI,&* Constantius Cæs.
Crispus II,&* Constantius Cæs.II.
Probianus & Iulianus.
Seuerus & Rufinus.
Crispus III, &* Constantius III.
Paulinus & Iulianus.
* Constantius VII, & Constantius IIII.
* Constantius V,& Maximus.
Ianuarius & Iustus.

His coss. vicennalia Constantini Nicomediæ acta, & sequenti anno Romæ edita.

1080 * Constantinus VIII, & Constantius VI.
Constantius VII,& Symmachus.
Bassus &* Ablabius.
Pacatianus & Hilarianus.

His coss.ciuitas quę prius Byzantium dicta est, mutato nomine a Cõstantino CONSTANTINOPOLIS *dicta.

* Dalmatius & Zenophilus.
Optatus & Paulinus.
Constantius & Albinus.
Nepotianus & Facundus.
Felicianus & Titianus.
Vrsus & Polemius.
1090 Constantius II,& Constans.

His coss. Constantinus Imperator, dũ bellum pararet in Persas, in* Acyrone villa publica, iuxta Nicomediam moritur, ann. ætatis LXVI. Post quem tres liberi eius [Augusti] id est Constantinus, Constantius, & Constans; qui regnauerunt ann. XXIIII, mensibus V, diebus XXIII. sub quibus hi Cõsules fuerunt:

CONSTANTINVS, CONSTANTIVS, & Constans, XXXV.

Acyndinus & Proculus.
Marcellinus & Probinus.
Constantius III, & Constans II.

His coss. Constantinus bellum fratri * Constantio inferens, iuxta Aquileiam Alsæ occiditur.

Placidus & Romulus.
Leontius & Sallustius.

His coss. Franci a Constante perdomiti, in pacem recepti sunt.

Constantius IIII, & Constans III.
Amantius & Albinus.
* P.C. Amantij & Albini.
Rufinus & Eusebius.

His coss. magnis reipubl. expensis in Seleucia Syriæ portus efficitur.

Philippus & * Sallia. 1100

His coss. Solis facta defectio.

Limenius & * Catulinus.
Sergius & * Nigredianus.

His coss. Cõstans haud longe ab Hispania, in castro cui * Helenæ nomen est, interficitur, * anno ætatis XXX: & Constantius remansit in regno.

* P.C. Sergij & Nigridiani.
* Constantius V,& Constans Cæs.
Constantius VI, & Constans Cæs.II.
Constantius VII,& Constans Cæs.III.
* Arbitrio & Lollianus.

His coss. Victorinus rhetor & Donatus grammaticus Romæ insignes habentur.

Constantius VIII, & Iulianus Cæs.
Constantius IX, & Iulianus Cæs.II.

His coss. magnæ Alamannorum copiæ * ad Argentoratum oppidũ Galliarum [a Cæs. Iuliano] deletæ sunt.

* Titianus & Cerealis. 1110
Eusebius & Hypatius.
Constantius X,& Iulianus Cæs.III.

His coss. * Honoratus nomine, primus Constantinopoli Præfectus vrbi esse cœpit.

Taurus & Florentius.
Mamertinus & * Neuitta.

His coss. Constantius Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamq; moritur, an. ætatis * XLVI. cui successit Iulianus; qui regnauit anno vno. sub quo hi Consules fuerunt:

IVLIANVS XXXVI.

Iulianus IIII, & Sallustius.

His coss. Iulianus post victoriã apud Persas occiditur, an. ætatis XXXII. Post quem sequenti die Iouianus ex Primicerio domesticorum factus est Imperator; qui regnauit mensibus VIII. sub quo hi Consules fuerunt:

IOVIANVS, XXXVII.

Iouianus & Varronianus.

His coss. Iouianus Imperator moritur,

tur an. ætatis *xxxiiii. Post quem Valentinianus Tribunus Scutariorum, apud Nicæam Augustus appellatus, fratrem Valentem Constantinopoli in * communionem adsumit imperij: qui regnauit an. xiiii, mensibus v. sub quo hi consules fuerunt:

VALENTINIANVS, XXXVIII.

Valentinianus & Valens.
Gratianus & * Dagalaiphus.
* Lupicinus & Iouinus.
His coss. Gratianus, Valentiniani filius, Ambianis Imperator factus est. Apud * Atrebatas lana cælo pluuiæ mixta defluxit.
1120 Valentinianus II, & Valens II.
* Valentinianus N.P. & Victor.
Valentinianus III, & Valens III.
Gratianus II, & Probus.
Modestus & * Atintheus.
Valentinianus IIII, & Valens IIII.
His coss. Saxones cæsi * Deusione in regione Francorum. Burgundionũ LXXX fere milia, quot numquam ante ad Rhenum descenderunt. Clearchus [præfectus] vrbi Cõstantinopoli necessariam aquam, & quamdiu ciuitas optabat, induxit.
Gratianus III, & Equitius.
P.C. Gratiani III & Equitij.
* Valens V, & Valentinianus.
His coss. Valentinianus * apoplexia Brigitione moritur. Post quem Gratianus, adsumpto in imperium Valentiniano fratre, cum patruo Valente regnat.
Gratianus IIII, & Merobaudes.
His coss. Alamannorum circiter XXX milia apud Argentariam oppidũ Galliarum [ab exercitu Gratiani] cæsa. Gotthi diffunduntur in Thracia.
1130 Valens VI, & Valentinianus.
His coss. a Gotthis in Thracia Valentis trucidatus exercitus. Ipse quoque Imperator, incensa domo, vbi se occultauerat, igne combustus est: cui successit in oriente Theodosius Theodosij filius: quem sibi in consortium Gratianus adsciuit. Gratianus itaque cum iam XIIII regnasset annis, cum Theodosio regnat an. * VI. sub quibus hi Consules fuerunt:

GRATIANVS ET THEODOSIUS, XXXIX.

Ausonius & * Olybrius.
Gratianus V, & Theodosius.
His coss. Ambrosius episcopus de Christiana fide multa sublimiter scribit.
Syagrius & Eucherius.
His coss. Martinus episcopus * Turonum (Galliæ ciuitatis) clarus habetur.
* Antonius & Syagrius.
His coss. * Athanaricus rex Gotthorum Constantinopolim venit; ibique vitam exegit.
Merobaudes II, & Saturninus.
His coss. Arcadius, Theodosij Imperatoris filius, Augustus appellatur.
* Ricomer & Clearchus.
His coss. Gratianus apud Lugdunum captus occiditur. Residui Valentinianus & Theodosius, regnant ann. VIII. sub quibus hi Consules fuerunt:

VALENTINIANVS ET THEODOSIUS, XL.

Arcadius & * Bauto.
His coss. Hieronymus presbyter in Bethleem positus, toto mundo mirabilis habetur.
* Honorius N.P. & Euodius.
Valentinianus III, & Eutropius.
Theodosius II, & Cynegius.
Timasius & Promotus. 1140
Valentinianus IIII, & * Neoterius.
Titianus & Symmachus.
Arcadius II, & Rufinus.
His coss. Valentinianus * vitæ tædio apud Viennam laqueo periit. Theodosius cum iam [per] XIIII an. regnasset, cũ Arcadio & Honorio [filiis] regnat an. II. sub quibus hi Consules fuerunt:

THEODOSIVS, ARCADIVS, ET HONORIVS, XLI.

Theodosius III, & Abundantius.
Arcadius III, & Honorius II.
His coss. Ioannes monachus, [prophetiæ] gratia præditus, Theodosium cõsulentem de euentu belli, quod aduersum Eugenium mouebat, victorem fore pronuntiat.

Olybrius & Probinus.

His coss. Theodosius Eugenium tyrannum vincit & perimit. Augustinus, beati Ambrosij discipulus, multa facundia doctrinaque excellens, Hippone * regione Africæ episcopus ordinatur. Hoc tempore Claudianus poeta insignis habetur. Theodosius Imperator Mediolani moritur. Post quem Arcadius, cum iam Horegnasset annis XII, cum fratre Honorio regnat annis XIII. sub quibus hi Consules fuerunt:

ARCADIVS ET HONORIVS, XLII.

Arcadius IIII, & Honorius III.

Cæsarius & Atticus.

1150 Honorius IIII, & Eutychianus.

* Manlius & Theodorus.

Stilico & Aurelianus.

His coss. Gotthi Alarico & * Radagaiso regibus ingrediuntur Italiam.

Vincentius & * Frauita.

Arcadius V, & Honorius V.

His coss. Pollentiæ Stiliconem cum exercitu Romano Gotthi acie victũ fugauerunt.

Theodosius Aug. I, & * Rumoridus.

Honorius VI, & Aristænetus.

Stilico II, & Anthemius.

Arcadius VI, & Probus.

His coss. Vandali & Alani traiecto Rheno Gallias intrauerunt.

Honorius VII, & Theodosius II.

1160 Bassus & Philippus.

His coss. Arcadius Imperator Constantinopoli moritur. Honorius cũ Theodosio fratris filio * regnauit an. XV. sub quo hi Consules fuerunt:

HONORIVS ET THEODOSIVS, XLIII.

Honorius VIII, & Theodosius III.

His coss. Vandali Hispanias occupauerunt.

* Varan & Tertullus.

His coss. Roma a Gotthis Alarico duce capta est; vbi clementer vsi victoria sunt.

Theodosius Aug. IIII cos.

Honorius IX, & Theodosius V.

His coss. Gothi rege * Ataulpho Gallias intrauerunt.

† * Lucius v.c. cos.

His coss. Burgundiones partem Galliæ Rheno coniunctam tenuere.

Constantius & Constans.

Honorius X, & Theodosius VI.

Theodosius VII, & Palladius.

His coss. Gotthi placati, Constantio Placidiam reddiderunt: cuius ipse nuptias promeretur.

Honorius XI, & Constantius II.

Honorius XII, & Theodosius VIII.

* Monaxius & Plinta.

Theodosius IX, & Constantius III. 1170

His coss. Constantius ab Honorio in societatem regni recipitur.

Agricola & * Eustachius.

His coss. Constantius Imperator moritur.

Honorius XIII, & Theodosius X.

His coss. exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est.

Marinianus & * Asclepiodotus.

His coss. Placidia Augusta a fratre * Honorio, ob suspicionem inuitatorum hostium, cum Honorio & Valentiniano filiis ad orientem mittitur: Honorius moritur, & solus Theodosius Romanum imperium tenet ann. XXVII. sub quo hi Consules fuerunt:

THEODOSIVS, XLIIII.

* Castinus & Victor.

His coss. Theodosius Valentinianum consobrinum Cæsarem facit, & cum Augusta matre ad recipiendum occidentale mittit imperium.

Theodosius XI, & Valentinianus Cæsar.

His coss. Ioannem tyrannum Valentinianus Imperator exstinxit; Hunnosque, qui in Italia erant * Ioannis præsidio, per Aetium mira felicitate dimouit.

Theodosius XII, & Valentinianus II.

* Hierius & Artabures.

His coss. Bonifacio Africam tenenti infauste bellum ingeritur. Gens Vandalorum a Gotthis exclusa, de Hispaniis ad Africam transit.

Felix & Taurus.

His coss. Aetius multis Francis cæsis, quam occupauerant, propinquã Rheno partem recipit Galliarum.

Florentius & Dionysius. 1180

Theo-

Theodosius XIII, & Valentinianus III.
Bassus & Antiochus.
Aetius & Valerius.
Theodosius XIIII, & Maximus.
*Aspar & Ariouindus.
Theodosius XV, & Valentinianus IIII.
His coss. pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum Africae portione. * Gundicarium Burgundionum regem Aëtius bello subegit, pacemq; ei reddidit supplicanti: quem nō multo pòst Hunni peremerunt.
Isidorus & Senator.
Aetius II, & Sigisuultus.
His coss. Aug. Valētinianus ad Theodosium Principem Constantinopolim proficiscitur, filiamq; eius in matrimonium accipit.
1190 Theodosius XVI, & Faustus.
Theodosius XVII, & Festus.
His coss. bellum aduersus Gotthos *Hunnis auxiliantibus geritur, & Litorius dux Romanus ab eis capitur. * Ginsericus, de cuius amicitia nihil metuebatur, Carthaginem dolo pacis inuadit.
Valentinianus Aug. V, & Anatolius.
His coss. Ginsericus Siciliam grauiter affligit.
*Cyrus v.c. cos.
Hoc cos. Theodosius Imperator bellum cōtra Vandalos inefficaciter mouit.
Dioscorus & Eudoxius.
His coss. Hunni Thracias & Illyricum saeua*populatione vastarūt: cum Ginserico ab Aug. Valentiniano pax confirmata, & certis spatiis Africa inter vtrosque diuisa est.
Maximus II, & Paternus.
Theodosius XVIII, & Albinus.
His coss. * Attila rex Hunnorū Bledam fratrem & consortem in regno suo perimit, eiusque populos sibi parere compellit.
Valentinianus VI, & Nonius.
Aetius III, & Symmachus.
* Callepius & Ardabures.
Posthumianus & Zeno.
1200 *Asturius & Protogenes.
Valentinianus VII, & Auienus.
His coss. *Theodosius moritur. Post quem Marcianus adscitus in imperium; qui regnauit ann. VII. sub quo hi Consules fuerunt:

MARCIANVS, XLV.

Marcianus Aug. & Adelphius.
His coss. Romani Aetio duce, Gotthis auxiliaribus, cōtra Attilam in cāpis Catalaunicis pugnauerūt: qui virtute Gotthorum superatus, abscessit.
Herculanus & Asporacius.
His coss. Attila redintegratis viribus Aquileiam magna vi dimicans introiuit: cum quo a Valentiniano Imperatore Papa Leo directus, pacem fecit.
*Opilio & Vincomalus.
His coss. Attila in sedib. suis moritur.
Aetius IIII, & Studius.
His coss. Aetius Patricius in Palatio manu Valentiniani Imperatoris exstinctus est: Boethius vero Praefectus Praetorio, * amicis eius circumstantibus interemptus.
Valentinianus VIII, & Anthemius.
His coss. in campo Martio ab amicis Aetij Valentinianus Imperator occiditur. Post quē MAXIMVS inuasit imperium: qui intra duos menses a militibus exstinctus, in Tiberim proijcitur. Eodem anno per Ginsericum omnibus opib. suis Roma vacuata est. Post Maximum AVITVS in Galliis sumit imperium.
Ioannes & * Varan.
His coss. Placentiae deposuit Auitus imperium.
Constantinus & Rufus.
His coss. Marciano Imperatore defuncto LEO orientis, MAIORIANVS Italiae suscepit imperium. sub quibus hi Consules fuerunt:

LEO [ET MAIORIANVS,] XLVI.

Leo Aug. & Maiorianus Aug.
His coss. Maiorianus in Africam mouit procinctum.
Ricomer & Patricius. 1210
Magnus & Apollonius.
Seuerinus & Dagalaiphus.
His coss. Maiorianus immissione Ricomeris exstinguitur: cui SEVERVM natione Lucanum Rauennae succedere fecit in regnum.
Leo Aug. II, & Seuerus Aug.
Basilius & Viuianus.
Rusticus & Olybrius.
His coss. rex Alanorū Beorgor apud Bergomum a patricio Ricomere peremptus est.

* Arminericus & Basilicus.

His coss. (vt dicitur) Ricomeris fraude Seuerus Romæ in Palatio veneno peremptus est.

Leo Aug. III cos.

*Puseus & Ioannes.

His coss.* ANTHEMIVS a Leone Imperatore ad Italiam mittitur; qui tertio ab vrbe miliario in loco Brontotus suscepit imperium.

Anthemius Aug. II cos.

Hoc cos. in Sicilia Marcellinus occiditur.

1220 Marcianus & Zeno.

His coss.* Arabundus imperium tentans, iussu Anthemij exsilio deportatur.

Seuerus & Iordanes.

His coss. ROMANVS patricius, affectans imperiũ, capitaliter est punitus.

Leo Aug. IIII, & Probianus.

His coss. Constantinopoli affectata tyrannide a Leone principe Aspar occiditur.

Festus & Marcianus.

His coss. patricius Ricomer, Romæ facto Imperatore Olybrio, Anthemium, contra reuerentiam Principis & ius affinitatis, cum graui clade ciuitatis exstinguit; qui non diutius peracto scelere gloriatus, post XL dies defunctus est; Olybrius autem septimo imperij mense vitam peregit.

Leo Aug. V. cos.

Hoc cos. * Gundibalo hortante Glycerius Rauennæ sumpsit imperium. Eodem anno Leo Nepotem suũ Leonem consortem facit imperij.

Leo iunior Aug. cos.

Hoc cos. Imperator Leo senior defunctus est: cui Zeno successit in imperio; qui regnauit ann. XVII. sub quo hi coss. fuerunt. Eo etiã anno Romæ Glycerio Nepos successit in regno.

*ZENON, XLVII.

Post cos. Leonis Aug. iunioris.

Eodem anno Orestes, Nepote in Dalmatias fugato, filio suo Augustulo dedit imperium.

Basiliscus II, & Armatus.

His coss. ab †* Odouacre Orestes & frater eius Paulus exstincti sunt; nomenque regis Odouacer adsumpsit; cum tamen nec purpura, nec regalibus vteretur insignibus.

P.C. Basilisci II & Armati.

*Ellus v. c. cos.

Zeno Aug. II cos. 1230

Basilius v. c. cos.

Placidus v.c. cos.

Hoc cos. Odouacer in Dalmatiis *Odiuam vincit & perimit.

Seuerinus v.c. cos.

Faustus v.c. cos.

DN. Theodericus & Venantius.

Symmachus v.c. cos.

Decius & Longinus.

Boethius v.c. cos.

Hoc cos. Odouacer *Phœba rege Rugorum victo captoq; potitus est.

Dynamius &*Sifidius. 1240

Probinus & Eusebius.

His coss. felicissimus atq; fortissimus *DN. Rex Theodericus intrauit Italiã: cui Odouacer ad †*Isontium pugnam parans, victus, cum tota gente fugatus est. Eodem anno repetito conflictu Veronæ vincitur Odouacer.

* Faustus Iun. cos.

Hoc cos. ad *Adduam fluuium Odouacrẽ DN. Theodericus rex tertio certamine superauit; qui Rauennam fugiens, obsidetur *inclusus.

Olybrius Iun. cos.

Hoc cos. Odouacer cum *Erulis egressus Rauennam, nocturnis horis ad pontem * Candidium a Domino nostro Theoderico rege memorabili certamine superatur: tunc etiam Vandali, pace suppliciter postulata, a Siciliæ solita deprædatione cessarunt. Eodem anno Zeno occubuit [Constantinopoli:] cui Anastasius in orientali successit imperio.

ANASTASIVS, XLVIII.

Anastasius Aug. & Rufus.

Albinus v.c. cos.

Hoc cos. DN. Rex Theodericus Rauennam ingressus, Odouacrem molientem sibi insidias interimit.

Asterius & Præsidius.

Viator v.c. cos.

Paulus v.c. cos.

Anastasius Aug. II cos.

Paulinus & Ioannes. 1250

Ioannes v.c. cos.

Patricius & Hypatius.

Hoc anno DN. rex Theodericus Romam,

Romam, cunctorum votis expetitus, aduenit; & Senatum suum mira affabilitate tractans, Romanæ plebi donauit annonas; atq; admirãdis * mœnibus, deputata per annos singulos maxima pecuniæ quantitate, subuenit: sub cuius felici imperio plurimæ renouantur vrbes, munitissima castella conduntur, consurgunt admiranda palatia; magnisque eius operibus antiqua miracula superantur.

Auienus & Pompeius.

* Auienus Iun. & Probus.

His coss. DN. Rex Theodericus aquã Rauennam perduxit; cuius *forinam sumptu proprio instaurauit, quæ longis ante fuerat ad solum reducta temporibus.

*Cethegus v.c.cos.

Hoc cos. virtute DN. Regis Theoderici victis Bulgaribus Sirmium recepit Italia.

Theodorus & Sabinianus.

Messala & Ariouinda.

Anastasius Aug. III, & Venantius.

* Venantius iunior & Celer.

His coss. contra Francos a Domino nostro destinatur exercitus; qui Gallias Francorum deprędatione confusas, victis hostibus ac fugatis, [suo] adquisiuit imperio.

Importunus v.c.cos.

1260 * Boethius v.c.cos.

Felix & Secundinus.

Paulus & * Muschianus.

Probus & Clementinus.

Senator v.c.cos.

Me etiam cos. in vestrorum laude temporum, adunato clero vel populo, Romanæ ecclesiæ rediit optata concordia.

*Florentius & Anthemius.

His coss. DN. Rex Theodericus filiam suam, * Dominã Amalasuintam, gloriosi viri DN. Eutharici matrimonio, Deo auspice, copulauit.

Petrus v.c.cos.

[Anastasius & Agapetus.

Magnus v.c.cos.]

Eo anno DN. Eutharicus Cillica mirabili gratia Senatus & plebis * ad edendum exceptus est feliciter consulatum.

DN. Eutharicus Cillica, & Iustinus Augustus coss. 1269

Eo anno multa vidit Roma miracula: editionibus singulis, stupente etiam Symmacho orientis legato diuitias Gotthis Romanisq; donatas dignitates, cessit in *Curiã: munerib. amphitheatralib. diuersi generis feras, quas præsens ætas pro nouitate * miraretur, exhibuit. cuius * spectaculis voluptates etiam exquisitas Africa sub deuotione transmisit. Cunctis itaque eximia laude completis, tanto amore ciuibus Romanis insederat, vt eius adhuc præsentiam desiderãtibus, Rauennam ad gloriosi patris remearet *aspectus. vbi iteratis editionibus tanta Gotthis Romanisque dona largitus est, vt solus potuerit superare quẽ Romæ celebrauerat consulatum.

Igitur vt effusam annorum seriem, auctorum testificatione digestam, sub breuitatis compendio redigamus:

Ab Adam vsque ad diluuium, sicut ex Chronicis Eusebij Hieronymi collegimus, anni sunt II CCXLII.

A diluuio vsque ad Ninum Assyriorum regem, anni sunt DCCCXCIX.

A Nino vsque ad Latinum regem, anni sunt * DCCCLII.

A Latino rege vsque ad Romulum, anni sunt CCCCLVII.

A Romulo vsque ad Brutum & Tarquinium primos Consules, anni sunt CCXL.

A Bruto & Tarquinio vsque ad Consulatum vestrum, sicut ex Tito Liuio, & Aufidio Basso, & Paschali, virorum clarorum auctoritate firmato, collegimus, anni sunt MXXXI.

* Ac si totus ordo seculorum vsque ad consulatum vestrum colligitur, anni V DCCXXI.

FINIS.



EX IORNANDIS LIBRO I, DE REGNORVM AC TEMPORVM SVCCESSIONE.

SVCCESS. LIBER.

REGNI ROMANORVM SVCCESSIO.



AB origine vrbis Romæ * & vſque Tarquinium regem cognomento Superbum, qui expulſus eſt, numerantur anni CCXLIII. Nam primus ille & vrbis & imperij conditor ROMVLVS, fuit a Marte (vt ipſorum verbis loquamur) genitus, & Rhea Siluia. hoc ſeſe ſacerdos grauidatam confeſſa eſt. Nec mox fama dubitatur; quum Amulij regis imperio abiectus in aquam profluentem cum Remo fratre, non potuit exſtingui. ſiquidem & * Tiberis amnem repreſſit, & relictis catulis lupa ſecuta vagitum, vbera admouit infantibus, matriſque geſſit officium. Sic repertos Fauſtulus regij gregis paſtor tulit in caſam, atque educauit. Alba tum erat Latio caput, Iuli opus. Nam Lauinium patris Æneæ contempſerat. Abhinc Amulius iam ſeptima ſoboles regnabat, fratre pulſo Numitore; cuius ex filia natus erat Romulus. Igitur ſtatim prima * iuuentutis facie patruum ab arce deturbat, auum reponit. Ipſe fluminis amator & montium, apud quos erat educatus, mœnia noua vrbis agitabat. Gemini erant: vter auſpicaretur & regeret, adhibere placuit deos. Remus montem Auentinum, hic Palatinum occupat. Prius ille ſex vultures, hic poſtea duodecim vidit. † Sic victor vrbem augurio excitat, plenus ſpei bellatricem fore. id aſſuetæ ſanguini & prædæ aues pollicebantur. Ad tutelam nouæ vrbis, ſufficere vallum videbatur: cuius dum anguſtias Remus increpat, ſaltu tráſiliuit. Dubium an iuſſu fratris, occiſus eſt. Prima certe victima fuit, munitionemque vrbis nouæ ſanguine ſuo conſecrauit. Imaginem vrbis magis quam vrbem fecerat. incolæ deerant. Erat in proximo * lucus. hunc aſylum facit: & ſtatim mira hominum vis: Latini Tuſcique paſtores, etiam tranſmarini Phryges, qui ſub Ænea; Arcades, qui ſub Euandro duce confluxerant. Ita ex variis quaſi elementis congregauit corpus vnum, populumque Romanum ipſe fecit. Erat vero vnius ætatis populus. Virorum itaque matrimonia a finitimis petita, quia non impetrabantur, manu capta ſunt. ſimulatis quippe ludis equeſtribus, virgines, quæ ad ſpectaculum venerant, prædæ fuerunt. Hæc ſtatim cauſa bellorum. pulſi fugatiq; Veientes. * Cæninenſium captum ac direptũ eſt oppidum. Spolia inſuper opima de rege * Agrone Feretrio Ioui manibus [ſuis rex] reportauit. Sabinis prodita porta per virginem Tarpeiam, non dolo: ſed puella pretium rei, quod gerebant in ſiniſtris manibus, petierat; dubium clypeos, an armillas. Illi, vt & fidem ſoluerent, & vlciſcerentur, clypeis obruere. Ita admiſſis intra mœnia hoſtibus, atrox in ipſo * foro fit pugna; adeo vt Romulus Iouem oraret, fœdam vt ſuorum fugam ſiſteret. Hinc templum, & Stator Iuppiter. Tandem funeribus interuenere raptæ, laceris comis: ſic pax facta * cum Tatio fœduſque percuſſum. Secutaq; res * mira dictu, vt relictis ſedibus ſuis, nouam in vrbem hoſtes demigrarẽt, & cum generis ſuis auitas

380
43
381

FFF

opes pro dote sociarent. Auctis breui viribus, hunc rex sapientissimus statum Reipubl. imposuit. Iuuentus diuisa per tribus, in equis & armis, vt ad subita bella excubaret; consilium Reipubl. penes senes esset; qui ex auctoritate *Patres*, ab ætate *Senatus* vocabantur. His ita ordinatis, repente cum concionem haberet ante vrbem, apud Capreæ paludes, e conspectu ablatus est. Discerptum aliqui a senatu putant, ob asperius ingenium. Sed oborta tempestas, Solisque defectio, consecrationis speciem præbuere. Cui rei mox Iulius Proculus fidem fecit, visum a se Romulum affirmans augustiore forma quam fuisset: mandare præterea, vt se pro numine acciperent: Quirinum in cælo vocari: placitum diis vt gentium Roma potiretur. Successit Romulo NVMA POMPILIVS; quem *Curibus Sabinis agentem vltro petiuerunt, ob inclytam viri religionem. Ille sacra, cæremonias, omnemque cultum deorum immortalium docuit: ille pontifices, augures, salios, cæteraque sacerdotia: annumque in XII menses, festos dies nefastosque descripsit. Ille ancilia atque palladium, secreta quædam imperij pignora, Ianumque bifrontem, *fidem pacis ac belli; in primis focum *Vestæ virginibus colendum dedit; vt ad simulacrũ cælestium siderum, custos imperij flamma vigilaret. Hæc omnia quasi monitu deæ *Egeriæ; quo magis barbari acciperent. Eò denique ferocem populum redegit, vt quod vi & iniuria occuparat imperium, religione atque iustitia gubernaret. Excepit Pompilium Numam TVLLVS HOSTILIVS; cuius honori & virtuti regnũ vltro datum. Hic omnem militarem disciplinam artemque bellandi instituit. Itaque mirum in modum exercitata iuuentute, prouocare ausus est Albanos, grauem & diu principem populum. Sed quum pari robore frequentibus prœliis vtriq; comminuerentur, misso in compendium bello, Horatiis Curatiisque, trigeminis hinc atque inde fratribus, vtriusq; populi fata permissa sunt. Anceps & pulchra cõtentio, exituque ipso mirabilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius, addito ad virtutem dolo, vt *distraheret hostem, simulat fugam; singulosque, prout sequi poterant, *adortus, exsuperat. Sic, rarum decus aliis, vnius manu parta victoria est: quam ille mox parricidio fœdauit. Nam flentem spolia circa se sponsi quidem, sed hostis sororem viderat. hunc tam im-
382 maturum amorem virginis vltus est ferro. * vt audiret leges, nefas: sed abstulit virtus parricidam, & facinus infra gloriam fuit. Nec diu in fide Albanus perstat. Nam *Fidenati bello missi in auxiliũ ex fœdere, medij inter duos exspectauere fortunam. Sed rex callidus, vbi inclinare socios ad hostem videt, tollit animum quasi * mandasset. spes inde Romanis, metus hostibus incussus. sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque hoste victo, ruprorem fœderis * Metium Fufetium religatum inter duos currus, pernicibus equis distrahit; Albamque ipsam, quamuis parentem, æmulam tamen diruit, quum prius omnes opes vrbis, ipsumque populum, Romam transtulisset: prorsus vt consanguinea ciuitas non perisse, sed in suum corpus redisse rursus videretur. ANCVS deinde MARCIVS, nepos Pompilij ex filia, * prauo ingenio. Igitur & muro mœnia amplexus est, & influentem vrbi Tiberim ponte commisit, Ostiamque in ipso maris fluminisq; confinio posuit coloniam; iam tunc videlicet præsagiens animo, futurum vt totius mundi opes & commeatus, illo velut maritimo vrbis hospitio reciperentur. TARQVINIVS postea PRISCVS, quamuis transmarinæ originis, regnum vltro petens accepit, ob industriam atque elegantiam; quippe qui oriundus Corintho, Græcum ingenium Italicis artibus immiscuisset. Hic & senatum centum patrum numero ampliauit, & centuriis tribus auxit, quamuis * Actius Neuius numerum augeri prohiberet, vir summus augurio. quem rex in experimẽtum rogauit, fierine posset quod ipse mente conceperat. ille, rem expertus augurio, posse respondit. * *Atqui hoc*, inquit, *agitabam, an cotem illam secare nouacula possem*. Et augur, *potes*, inquit; & secuit. inde Romanis sacer auguratus. Neque pace Tarquinius quam bello promptior. Duodecim namque Tusciæ populos frequentibus armis subegit. Inde fasces, trabeæ, curules, anuli, faleræ, paludamenta, prętextæ: inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur: togæ pictæ, tunicæque palmatæ: omnia denique decora & insignia, quibus imperij dignitas eminet, sumpta sunt. SERVIVS TVLLIVS deinceps gubernacula [illegible]rbis inuadit: nec obscuritas inhibuit, quamuis matre serua creatum. Nam eximi[illegible] indolem vxor Tarquinij Tanaquil liberaliter educauerat, & clarũ fore visa circa [illegible]pus

put flamma promiserat. Ergo inter Tarquinij mortem, adnitente regina, substitutus in locum regis, quasi in tempus regnum dolo partum sic egit industrie, vt iure adeptus videretur. Ab hoc populus Rom. relatus in censum, digestus in classes, decuriis ac collegiis distributus: summaque regis solertia ita est ordinata respublica, vt omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac sic maxima ciuitas minimæ domus diligentia contineretur. Postremus fuit omnium regum TARQVINIVS, cui cognomen SVPERBVS ex moribus datum. Hic regnum auitum, quod a Seruio tenebatur, rapere maluit quam exspectare; missisque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit quam adquisierat. Nec abhorrebat moribus Tullia; quæ, vt virum regem salutaret, supra cruentum patrem vecta carpento, consternatos* equos egit. Sed ipse in senatum cædibus, in plebem verberibus, in omnes superbia, quæ crudelitate grauior est,* bonos grassatus, quum sæuitiam domi fatigasset, tandem in hostes conuersus est. Sic valida Latij oppida capta sunt, Ardea,* Ocriculum, Gabij, Suessa, Pometia. Tum quoque cruentus in suos. Neque enim filium verberare dubitauit, vt simulanti transfugam apud hostes hinc fides esset. Quo a Gabiis, vt voluerat, recepto, &per nuntios cōsulenti quid fieri vellet; eminentia forte papauerum capita* virgula excutiens, quum per hoc interficiendos esse principes vellet intelligi, ea superbia sic respondit vt senserat. Tamen de 383
manubiis captarum vrbium templum erexit. Quod dum inauguraretur, cedentibus ceteris diis, (mira res dictu) restitere Iuuentas & Terminus. Placuit* patribus contumacia numinum. siquidem firma omnia & æterna pollicebantur. Sed illud horrendius, quod molientibus ædem, in fundamentis humanum caput repertum est. Nec dubitauere cuncti, monstrum pulcherrimam imperij sedem, caputq; terrarum promittere. Tamdiu superbiam regis populus Roman. perpessus est, donec aberat libido. Hanc ex liberis eius importunitatem tolerare non potuit. Quorum cum alter ornatissimæ feminæ Lucretiæ stuprum intulisset, matrona dedecus ferro expiauit. imperium tum regibus abrogatum. Hæc est *prima ætas populi Romani & quasi infantia*; quam habuit sub regibus septem, per annos, vt diximus, CCXLIII; quadam fatorum industria tam variis ingenio, vt reipubl. ratio & vtilitas postulabat. Nam quid Romulo ardentius? tali opus fuit vt inuaderet regnum. Quid Numa religiosius? ita res poposcit, vt ferox populus, deorum metu mitigaretur. Quid ille militiæ artifex Tullus? bellatoribus viris quam necessarius? vt acueret ratione virtutem. Quid ædificator Ancus? vt vrbem colonia extenderet, ponte iungeret, muro tueretur. Iam vero ornamenta Tarquinij & insignia, quantam principi populo addiderunt ex ipso habitu dignitatem? Actus a Seruio census quid effecit, nisi vt ipsa se nosset Romana respublica? Postremo Superbi illius importuna dominatio nonnihil, immo vel plurimum profuit. Sic enim effectum est, vt agitatus iniuriis populus, cupiditate libertatis incenderetur, mutataque regali dominatione, ad consulum insulas se conferret: qui bini annis singulis rempublicam gubernantes, sequenti anno ab aliis venientibus succedebantur; scientesque se annis tantum singulis præesse in populo, erga alios agebant qualiter eos erga se acturos postea cupiebant. Qui ordo vsque ad Augustum Cæsarem obtinuit priuilegium, per viros nongentos quindecim, in annis CCCCLVIII. * Nouem siquidem annis, sine consulibus, sed tantum sub tribunis plebis fuit, quatuor sine iudicibus. Nam post exactos reges annum vnum quinis diebus, singulis diebus singuli senatorum Rempubl. obtinuerunt. & tunc duobus creatis consulibus, Bruto & Collatino, in posterum vsque ad * Pansam & Hirtium seruauerunt per annos prænotatos. Et quia omnium consulum nomina actusque conscribere, & mihi tædium, & tibi, qui legis, fastidio fore præcaui; aliqua exinde prælibans, multa supersedi; quod pæne nonnullis iam vsurpatum esse breuiatumq; opus cognoui.

REGNVM ROMANORVM, PVLSIS regibus, annuus excipit consulatus.



GITVR* primi consulum Brutus & Collatinus, quibus vltionem sui matrona moriens mandauerat, populus Romanus ad vindicandum libertatis ac pudicitiæ decus quodam quasi instinctu deorum concitatus, regem repente destituit, bona diripit, agrum Marti suo consecrat: imperium in eosdem libertatis suæ vindices transfert; mutato tamen, vt diximus, & iure, & nomine. quippe ex perpetuo annuum placuit, ex singulari duplex; ne potestas solitudine vel mora corrumperetur: *consules*que appellauit pro regibus, vt consulere ciuibus suis debere meminissent. Tantumq; libertatis nouæ gaudium* intercesserat, vt vix mutati status fidem caperent, alterumque ex consulibus Lucretiæ maritum, tantum ob nomen & genus regium, fascibus abrogatis, vrbe dimitterent. Itaque substitutus* Valerius Publicola, summo studio nisus est ad augendam populi maiestatem. Nam & fasces ei pro* concione summisit, & ius prouocationis aduersus ipsos dedit: &, ne species arcis offenderet,* eminenti sede sua, in plana se submisit. Brutus vero fauori ciuium etiam domus suæ clade & parricidio velificatus est. quippe quum studere de reuocandis in vrbem regibus liberos suos comperisset, protraxit in forum, & in concione media virgis cecidit, securique percussit: vt plane publicus parens, in locum liberorum adoptasse sibi populum videretur. Liber iam hinc populus Rom. prima aduersus exteros arma pro libertate corripuit, pro finibus mox, deinde pro sociis; tum [pro] gloria & imperio, lacessentibus assidue vsquequaq; finitimis: quippe cum patrij soli gleba [nulla] esset, sed statim hostile pomœriũ, mediusq; inter Latium atq; Etruscos, quasi in quodam biuio, collocatus, omnibus portis in hostem incurreret; donec quasi contagione quadam per singulos itum est; & proximis quibusque correptis totam Italiam sub se redigeret. Nam *Porsena rex Etruscorum* ingentibus copiis aderat, & Tarquinios manu reducebat. Hunc tamen, quamuis & armis & fame vrgeret, occupatoq; Ianiculo, in ipsis vrbis faucibus incubaret; sustinuit, repulit: nouissime etiam tanta admiratione perculit, vt superior vltro cum pæne victis

584 amicitiæ fœdera feriret. Nam Mucius Scæuola, Romanorum fortissimus, regem per insidias in castris ipsius aggreditur. sed vbi* frustratus circa purpuratum eius illatus ictus, teneretur; ardentibus mox focis intulit manum, terroremq; geminat dolo. *En, vt scias*, inquit, *quem virum effugeris, idem trecenti iurauimus*: cum interim (immane dictu) hic interritus, ille trepidaret, tamquam manus regis arderet. Sed* ne sexus quidem muliebris altera laude cessaret, ecce & virginum virtus. vna ex obsidibus regi data, elapsa custodia, Clœlia, per patrium flumen equitabat. Rex quidem tot tantisq; virtutum territus monstris, valere liberosq; esse iussit: Tarquinij tamdiu dimicauerunt, donec Aruntem filium regis manu sua Brutus occidit, superque ipsum vulnere mutuo exspirauit; plane quasi adulterum ad inferos vsque sequeretur. Nec secus *Latini** Mamilio Tusculano duce apud Regilli lacum expugnantur, vincuntur, atq; subijciuntur. Ocriculũ atq; Corniculum, Soraq; & Alsium, eorum vrbes captæ, prouinciaq; effecta. de Verulis & de Bouillis pudet; sed triũphauere Romani. Tibur nũnc suburbanũ, & æstiuæ Præneste deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur: idem tunc Fesulæ quod Carrę nuper: idem nemus Aricinũ quod *Hercynius saltus; Fregellæ, quod Cæsarea; Tiberis, quod Euphrates. Coriolos quoq; proh pudor *inuictos adeo gloriæ fuisse, vt post captũ oppidũ Gnæus Marcius Coriolanus* quasi Numantia aut Africa nomini [Ro.] induceretur. Exstat & de* Antio spolia, quę* Mænius in suggesto fori, capta hostiũ classe, infixit: si tamen illa classis. nam sex fuere rostratæ. Sed hic numerus illis initiis nauale bellũ fuit. Peruicacissimi tamen Latinorũ Æqui & Volsci fuere, & quotidiani (vt sic dixerim) hostes. Et hos præcipue* Titus Quintius domuit, ille dictator ab aratro; qui obsessa & pæne iam capta *Mallij consulis castra egregia victoria recuperauit. Mediũ erat tempus forte sementis, quum patricium virum innixum aratro suo, lictor in ipso opere deprehendit. Inde in aciem *prouectus, ne quid a rustici operis imitatione cessaret, victos pecudum more sub iugum misit. Expeditione finita, rediit ad boues rursus triumphalis agricola* fide numinum:

num. Qua felicitate intra quindecim dies cœptum peractumq; bellum: prorsus vt fe-
stinasse dictator ad relictũ opus videretur. Pari tenore Veientes, Falisci, & Fidenates,
tunc magno labore deuicti sunt. Qui modo etsi fuerint, non videntur aliquod reli-
quisse vestigiũ. Laborat enim annalium fides, vt Veios, Faliscos, Fidenates fuisse cre- 385
damus. *Galli* autem *Senones*, gens natura ferox, moribus incondita, adhoc ipsa cor-
porũ mole, perinde[ac] armis ingentibus, adeo Romano generi terribilis fuit, vt pla-
ne nata ad hominum interitum, vrbium stragem videretur. Hi quondam ab vltimis
terrarum oris, & cingente omnia oceano, ingẽti agmine prouecti, quum iam media
vastassent, positis inter Alpes & Padum sedibus, ne his quidem contenti, per Italiam
†bacchabantur. Tunc Clusium Tusciæ vrbem obsidebant; vbi pro sociis & fœderatis
Romanus interuenit, missis ex more legatis. Sed quod ius apud barbaros, ferocius a-
gunt, & inde ad certamen cum exercitu conuersi Galli, Clusio Romam. Quibus ad
Alliam flumen cum exercitu Fabius consul occurrit. Non temere fœdior clades. Ita-
que hunc diem fastis Roma damnauit. Fuso exercitu, Galli iam mœnibus vrbis ap-
propinquabant; vbi pæne nulla erant præsidia. Tum igitur sic, vt numquã alias, appa-
ruit illa vera Romana virtus. Iam primum maiores natu, amplissimis vsi honoribus,
in foro coeunt. Ibi deuouente pontifice, diis se manibus consecrant. Statimq; in suas
quisque ædes regressi sunt; sicut in trabeis erant, & amplissimo cultu, in curulibus sel-
lis sese reposuerunt; vt quum venisset hostis, in sua quisque dignitate moreretur. Pon-
tifices autem & flamines, quidquid religiosissimi in templis erat, partim in doliis re-
fossa terra reconderunt; partim imposita plaustris, secum [Veios] auferunt: virgines
ex sacerdotio Vestæ, nudo pede fugientia sacra comitantur. * Tamen excepisse fugi-
entes vnus e plebe fertur Albinus; qui depositis vxore ac liberis, virgines in plaustrũ
recepit. adeo tunc quoq; in vltimis *religio publica priuatis affectibus antecellebat.* Iuuen-
tus, quam satis constat vix mille hominũ fuisse, duce Manlio, arcem Capitolini mon-
tis insedit; obtestata ipsum quasi præsentem Iouem, vt quemadmodũ ipsi ad defen-
dendum templum eius occurrissent, ita ille virtutem illorum numine suo tueretur.
Aderant interim Galli, apertamq; vrbem adeunt. Ibi sedentes in curulibus suis præ-
textatos senes, velut deos geniosq; venerati; mox eosdem, postquam esse homines li-
quebat, alioquin nihil respondere dignantes, pari vecordia mactant; facesque tectis
iniiciunt, & totam vrbem igni * ferroque manibus exæquant. Sex mensibus barbari
(quis crederet?) circa montem vnum pependerunt; nec diebus modo, sed noctibus
quoque omnia experti; * quum tamen Manlius nocte subeuntes, clangore anseris ex-
citatus, a summa rupe deiecit: & vt spem hostibus demeret, quamquam in summa fa-
me, tamen ad speciem fiduciæ, panes ab arce iaculatus est: & * statuto die, per medias
hostium custodias, Fabium pontificem ab arce dimisit, qui solenne sacrum in Qui-
rinali monte conficeret: atque ille per media hostium tela incolumis religionis auxi-
lio rediit, propitiosq; deos renuntiauit. Nouissime quum iam obsidio sua barbaros
fatigasset, mille pondo auri recessum suum venditantes, subito aggressus a tergo Ca-
millus cecidit; vt omnia incendiorum vestigia Gallici sanguinis inundatione deleret.
Igitur pastorum quondam casa, vrbs enituit; & post seruatam a Manlio faciem, resti- 386
tutamque a Camillo, acrius etiam vehementiusque in finitimos surrexit. Nec ta-
men contenti Romani suis eos mœnibus expulisse, quum per Italiam naufragia sua
latius traherent, sic persecuti sunt ductante Camillo, vt hodie nulla Senonum vesti-
gia supersint. Semel apud Anienem trucidati; quum singulari certamine Manlius au-
reum torquem barbaro inter spolia detraxit; vnde & *Torquatus* est dictus. * Item in
Pomptino agro; quum simili pugna Valerius, insidente galeæ sacro alite adiutus, re-
tulit spolia, dictusq; est ipse *Coruinus*. Necnon * tamen post aliquot annos, omnes reli-
quias eorum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolabella deleuit; ne quis exstaret ex
ea gente, qui incensam a se Romanã vrbem gloriaretur. Conuersoq; a Gallis Tor-
quato, *Latini* experti sunt, & deuicti. Indeq; *Sabini*, qui eorum belli socij ductante Ta-
tio exstitissent, a Curio Dentato subiecti; eorumq; loca a Baranio fonte Adriano te-
rus mari, igni ferroq; vastata; tantæq; Romano populo additæ opes, vt nec ipse pos-
set * extimare qui vicerat. Precibus deinde Campaniæ motus, non pro se, sed pro so-
ciis *Samnitas* inuadit. Omniũ namq; non modo Italiæ [tantum,] sed pæne toto orbe

terrarum pulcherrima Campaniæ plaga est. Nihil mollius cælo: deniq; bis floribus vernat. Nihil vberius solo: ideo Liberi Cererisq; certamen dicitur. Nihil hospitalius mari. hic ille nobilis portus Caieta, Misenus, tepentes fontibus Baiæ, Lucrinus & Auernus, quædam maris ostia. Hic *amici vitibus montes, Gaurus, Falernus, Massicus; & pulcherrimus cunctorũ Vesuuius, Ætnæi ignis imitator. Vrbes ad mare, Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculaneũ, Pempeij, & ipsa caput vrbium Capua, quondam inter tres maximas, Romam Carthaginemq;,* numeranda. Pro hac vrbe, & his regionibus populus Romanus Samnitas inuadit; gentem, si opulentiam quæras, aureis & atgenteis armis, & discolori veste, vsque ad ambitum armatam: si fallaciam, saltibus fere & montibus grassatam: si rabiem ac furorem, sacris legibus humanisque hostiis in exitium vrbis agitatam: si pertinaciam, sexies rupto fœdere, cladibusque animosiorem. Hos tamen quinquaginta annis per Fabios ac Papirios patres, eorumq; liberos, ita subegit & domuit, ita ruinas ipsas vrbium diruit, vt hodie Samnium in ipso Samnio requiratur, nec facile appareat materia quatuor & viginti triumphorũ. Maxime tamen nota & illustris apud Caudinas Furculas ex hac gente clades, Veturio Posthumioque consulibus, accepta est. Clauso per insidias intra eum saltum exercitu, vnde non posset euadere, stupens tanta occasione dux hostium Pontius, Herennium patrem cõsuluit, num illos sub iugum mitteret, an occideret. Sapienter, vt senior, suaserat. Hic armis exutos mittere sub iugum maluit; vt nec amici forent beneficio, &
387 post flagitium hostes magis. Itaque & *consules statim magnifice voluntaria deditione turpitudinem fœderis dirimunt; & vltionem flagitans miles, Papirio duce, horribile dictu, strictis ensibus, per ipsam viam ante pugnam *furit; & in congressu arsisse omnium oculos hostis auctor fuit. Nec prius finis cædibus datus, quam iugum sibi promissum Romani & duci Samnitum, & hostibus reposuerunt. Hactenus cum singulis gentibus certatum est; mox *aceruatim. sic tamen quoque par omnibus fuit. Etruscorum duodecim populi, Vmbri in id tempus intacti, antiquissimus Italiæ populus Samnitum, & reliqui, in excidium Romani nominis repente cõiurant. Erat terror ingens tot simul tantorumq; populorum. late [per] Etruriã infesta quatuor agminum signa volitabant. *Cimini interim saltus in medio, ante inuius plane, quasi Calidonius vel Hercynius, adeo terrori erat, vt senatus consuli denuntiaret, ne tantum pericli ingrederetur. Sed nihil horũ terruit ducem, quin fratre præmisso exploraret accessus. Ille, per noctẽ pastorali habitu speculatus omnia, refert totum iter. Sic Fabius Maximus periculosissimum bellum sine periculo explicuit. Nam subito inconditos atq; palantes aggressus est; captisq; superioribus iugis, in subiectos suo iure detonuit. ea namq; species illius fuit belli, quasi in terrigenas e cælo ac nubibus tela iacerentur. Nec tamen incruenta illa victoria. nam oppressus in sinu vallis alter consulũ Decius, more patrio deuotum diis manibus obtulit caput, solennemq; familiæ suæ consecrationem in victoriæ ptetium redegit. Necdum Etrusco bello exempto, mox sequitur *Tarentinum*, vnum quidem in nomine, sed multiplex in victoriis. Hoc enim Campanos, Apulos, atq; Lucanos, & caput belli Tarentinos, id est totam pæne Italiam, & cum his omnibus Pyrrhum *regem Epirotarum, Græciæ regem, vna velut ruina pariter inuoluit; vt eodem tempore & Italiam *consumeret, & transmarinos triumphos auspicaretur. Tarentus Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam, & Apuliæ, totiusq; Lucaniæ caput; cum magnitudine, & mutis, portuq; nobilis; tum mirabili situ: quippe in ipsis *Adrię maris faucibus posita, in omnes terras, Histriam, Illyricum, Epiron, Achaiam, Africã, Siciliam, vela dimittit. Imminet portui ad prospectũ maris positum theatrum: quod quidem causa miseræ *cupiditatis caput fuit omnium calamitatum. Ludos forte celebrabant, cum adremigantem litori Romanã classem vident; atq; hostẽ rati, emicant sine discrimine & insultant. Quĩ enim, aut vnde Romani? Nec satis. Aderat sine mora querelã ferens legatio. Hanc quoq; fœde per obscœnam turpemq; dictu contumeliã violant. & hinc bellum. Sed apparatus horribilis, quum tot simul populi pro Tarentinis consurgerent, omnibusq; vehementior Pyrrhus, qui semigræcã ex Lacedemoniis conditorib. ciuitatem vindicaturus, cũ totis viribus Epi[...], Thessaliæ, Macedoniæ, incognitisq; in id tẽpus elephantis, mari, terra, viris, equis, a[r]mis, addito insuper ferarũ terrore, veniebat. Apud *Heracleam & Cãpaniæ fluui[um]

*Lirim, Læuino cõsule prima pugna facta est: quæ tam atrox fuit, vt * Ferentanæ turmæ præfectus Obsidius inuectus in regem turbauerit, coegeritq; proiectis insignibus prœlio excedere. Actum erat, nisi elephanti cõuerso in spectacula procurrissent bello. quorum cum magnitudine, tum deformitate, & nouo odore simul ac stridore cõsternati equi, cum incognitas sibi belluas amplius, quam erant, suspicarentur, fugam stragemq; late dederunt. In Apulia deinde apud Asculum melius dimicatũ est, Curio Fabricioq; consulibus. Iam quippe terror belluarum exoleuerat, & Gaius Minucius quartæ legionis hastatus, vnius * promuscide abscisa, mori posse belluas ostenderat. Itaq; & in ipsas pila cõgesta sunt; & in turres * vibratæ faces, tota hostiũ agmina ardentibus ruinis operuerunt. Nec alius finis cladi erat, quam nox dirimeret, postremusq; fugientiũ rex ipse a satellitibus saucius in armis suis referretur. Lucaniæ suprema pugna*, in his, Subarros quos vocant, cãpis, ducibus iisdem quibus superius. sed * cum tota victoria exitũ. quem datura virtus fuit, casus dedit. Nam prouectis in primã aciem 388 rursus elephantis, vnum ex illis pullum adacti in caput teli grauis ictus auertit. qui quum per stragem suorum recurrens, stridore quereretur, mater agnouit, seq; quasi vindicare vellet, exhibuit; quum omnia circa quasi hostilia graui mole permiscuit. ac sic eædem feræ, quæ primã victoriam abstulerant, secundam * parem fecerant. tertiam sine cõtrouersia tradiderunt. Nec vero tantum armis, & in campis, sed cõsiliis, & domi quoq; intra vrbẽ cum rege Pyrrho dimicatum est. Quippe post primam victoriam, intellecta Romana virtute, statim desperauit armis, seq; ad dolos contulit. nam interemptos cremauit, captiuosque indulgentius habuit, & sine pretio restituit: missisque legatis in vrbem, omni modo annisus est, vt facto fœdere in amicitiam reciperetur. Sed & bello & pace, & foris & domi, omnẽ in partem Romana virtus tum se approbauit. Nec alia magis quam Tarentina victoria ostendit populi Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnanimitatem. Nec alius pulchrior in vrbem, aut speciosior triumphus intrauit. Ante hunc diem, nihil præter pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidisses. Tum autem, si captiuos aspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Brutius, Apulus, atq; Lucanus: si pompam, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæq; lauticiæ. Sed nihil libentius populus Romanus aspexit, quam illas quas timuerat cũ turribus suis belluas; quæ non sine sensu captiuitatis submissis ceruicibus victores sequebantur. Post Tarentinam cladem, domiti *Picentes*, & caput gentis Asculum, a Sempronio duce; qui tremente inter prœliũ campo, Tellurem deam promissa æde placauit. *Salentini* vero Picẽtibus additi, caputq; his regionibus Brundisiũ, * inclyto portu, M. Atilio duce. & in hoc certamine victoriæ pretium tẽplum sibi * pastoria Pales vltro poposcit. Postremi Italicorum in fidei munere Vulsini, opulentissimi Etruscorum, implorantes opem aduersus seruos quondam suos; qui libertatem a dominis datam in ipsos erexerant, translataque in se republ. dominabantur. Sed hi quoq; duce Fabio Gurgite pœnas dederunt. Domita subactaq; Italia, populus Rom. Appio Claudio consule, pri- 390 mum *fretum* ingressus est, * fabulosis infame monstris, æstuque violentum. Sed adeo non est exterritus, vt ipsam illam ruentis æstus violentiam pro munere amplecteretur: [quod velocitas nauium iuuaretur:] statimque ac sine mora Hieronem Syracusanum tanta celeritate deuicit, vt ille ipse prius se victum, quam hostem videret, fateretur. Duellio Cornelioq; consulibus, etiã *mari* congredi ausus est. Tum quidem ipsa velocitas classis comparatæ, victoriæ auspicium fuit. Intra enim sexagesimum diem, quam cæsa [silua] fuerat, centum sexaginta nauium classis in ancoris sterit: vt non arte factæ, sed quodam munere deorũ conuersæ in naues atq; mutatę arbores viderentur. Prœlij vero forma mirabilis, quũ illas celeres volucresq; hostiũ naues, hæ graues tardæq; cõprehenderent. longe plus illis nauticæ artis, detorquere remos, & ludificari fuga rostra. Iniectæ enim ferreæ manus, machinæq; validæ, ante certamen multũ ab hoste [derisæ] coactiq; hostes quasi in solido decernere. Victor ergo apud Liparam mersa aut fugata hostium classe, primum illum maritimum egit triumphũ. cuius quoddam gaudium fuit, quum Duellius imperator non contentus vnius diei triumpho, per * vitam omnem, vbi a cœna rediret, prælucere funalia, & pręcinere sibi tibias iussit; quasi quotidie triumpharet. Præ tanta victoria, leue huius prœlij damnum fuit,

alter consulum interceptus Asina Cornelius; qui simulato colloquio euocatus, atque ita oppressus fuit; perfidiæ Punicæ documentum. Calatino dictatore, fere omnia præsidia Pœnorum Agrigento, Drepanis, Panormo, Eryce, Lilybæoq; detraxit. Trepidatum est semel, circa Camerinensium saltum. Sed eximia virtute Calpurnij tribuni militũ periculo euasimus: qui lecta trecentorum militum manu, insessum ab hostibus tumulũ occupauit; adeoq; moratur hostes, dum exercitus omnis euaderet: ac sic pulcherrimo exitu, Thermopylarũ & *Leonidæ famam adæquauit. hoc illustrior noster, quod expeditioni tantæ superfuit, *& nihil inscripserit sanguine. Lucio Cor-
391 nelio Scipione, quum iam Sicilia suburbana esset populi Rom. prouincia, serpẽte latius bello, *Sardinia* adnexa atq; *Corsica*, transiit Olbiam. ibi *Atericæ vrbis excidio incolas terruit, adeoq; omni terra & mari Pœnos fugauit, vt iam victoriæ nihil nisi Africa ipsa restaret. Marco Attilio Regulo duce, iam in *Africam* nauigabat bellũ. nec defuerant qui in ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent; insuper augente *Minatio tribuno metũ; in quem, nisi paruisset, securi districta irruisset imperator. metus mortis nauigandi fecit audaciã. mox deinde ventis remisq; properatum est; tantusq; terror hostici aduentus fuit Pœnis, vt apertis pæne portis Karthago caperetur. Prima præmiũ belli fuit ciuitas Clypea. prima enim a Punico litore, quasi arx & specula procurrit. & hæc, & treceta amplius castella, vastata sunt. Nec cum hominibus modo, sed cum monstris quoq; dimicatum est; quum quasi in vindictam Africæ nata miræ magnitudinis serpens, posita apud *Bracadam castra vexauerit. Sed omnium victor Regulus, quum terrorem nominis sui late circumtulisset, quumq; magnã vim iuuentutis, ducesq; ipsos aut cepisset, aut haberet in vinculis, classemq; ingenti præda onustam, & triumpho grauem, in vrbem prẽmisisset; iam ipsam belli caput Karthaginem vrgebat obsidione, ipsisq; portis inhærebat. Hic paululũ circumacta fortuna est tanta, vt plura essent Rom. virtutis insignia; cuius fere magnitudo calamitatibus approbatur. Nam cõuersis ad*extrema auxilia hostibus, quum Xantippum illis ducẽ Lacedæmon misisset, a viro militiæ peritissimo Regulus victus est, *fœdaq; clades, Romanisq; vsu incognita. nam viuus in manus hostium venit fortissimus imperator. Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. nam nec Punico carcere infractus est, nec legatione suscepta. quippe diuersa, quam hostis mandauerat, censuit, ne pax fieret, nec commutatio captiuorum reciperetur. Sed nec illo voluntario ad hostes suos reditu, nec vltimo siue carcere, seu crucis supplicio, deformata maiestas. In omnibus admirabilior, quid aliud quam * victus de victoribus? *Ad quæ etiam Karthago non cessarat, de fortuna triumphauit. Populus aũt Romanus multo acrior intentiorq; pro vltione Reguli, quam pro victoria fuit. Metello igitur consule, conspirantibus arctius Pœnis, & reuerso in *Siciliam* bello, apud Panormum sic hostes cecidit Rom. exercitus, ne amplius eam insulã aggredi cogitarent. Argumentũ ingens victoriæ centum circiter elephantorum captiuitas. sic quoq; magnas egit prædas, vt gregem illum non bello, sed venatione cepisset. Appius Claudius consul non ab hostibus, sed a diis ipsis superatus est, quorum auspicia contempserat; ibi statim classe demersa, vbi ille præcipitari pullos iusserat, quod pugnare ab his vetaretur. Marcus Fabius Buteo classem iamiam in Africo mari apud Ægimurum [ostium] in Italiam vltro nauigantem cecidit. Quantus tum triumphus tempestate intercidit cum opulenta præda? Classis aduersis acta ventis, naufragio suo Africam & Syrtes, omnium imperia gentium, insulatumq; litora impleuit. Magna clades fuit: sed non sine aliqua principis populi dignitate interceptam tempestate victoriam, & triumphum perisse naufragio constat. & tamen, cum Punicæ prædæ omnibus promontoriis insulisque fluitarent, populus Rom. & sic triumphauit. Lutacio Catulo cõsule, tandem bello finis impositus apud insulas quibus nomen * Ægates. Nec maior aliãs in mari pugna * quippe cõmeatibus, exercitu, propugnaculis, armis grauis [hostium] classis, & in ea quasi tota Karthago: quod ipsum exitio fuit. Romana classis prompta, leuis, & expedita, & quodam genere castrensis, ad similitudinẽ pugnæ equestris, sic remis agebatur quasi habenis; & in hos vel illos [ictus] mobilia rostra, speciem viuentium præferebant. Itaque momento temporis laceratæ hostium rates, totum inter Siciliam Sardiniamque pelagus naufragio suo operuerunt. Tanta denique fuit illa victoria, vt de excidendis hostium mœni-

mœnibus non quæreretur. Superuacuum visum est, in arcem murosq; sæuire; quum iam in mari esset deleta Karthago. Peracto quidem bello Punico, nec dum aliquantulum respirato sequitur *Liguricum*. Nam Ligures hi, imis Alpium iugis adhærentes, 392 inter Varum Macramq; amnem impliciti, dumis siluestribus victitabant; quos pæne maius fuit inuenire, quam vincere. Tuti siquidem locis & fuga, durum atque velox genus, ex occasione latrocinia magis, quam bella faciebāt. Itaq; quum diu multumq; eluderent saltu, viis, latebris, Deceates, Oxybij, Euburiates, Ingauni; tandem Fuluius latebras eorum igni sepsit; Bæbius vero in plana deduxit; Postumius ita exarmauit, vt vix reliquerit ferrum quo terra coleretur. Post quos mox *Gallis Insubribus*, & his Alpium incolis, animi ferarum, corpora plusquam humana erant. Sed experimentum deprehensum est. quippe virtus eorum sicut primo impetu maior quam virorū est; ita sequens minor quam feminarum. Alpina corpora humente cælo educata, habent quoddam simile niuibus suis: cum mox caluere pugna, statim in sudorem eunt, & leui motu quasi sole laxantur. Hi sæpe & aliâs, & * Viridomare duce, non prius posituros se baltea, quam Capitolium ascendissent, iurauerant. factum [autem] est; & victos eos Æmilius in Capitolio * extinxit. Et quod dux eorum * de Romano milite prædam Marti suo torquem aureū deuouisset, intercepit Iuppiter votum; & de eius ipsius * Ariobistinis aliorumq; Gallorum torquibus aureū tropæū Ioui erexit Flaminius. Rex quoq; eorū Viridomarus Romana arma Vulcano promiserat. Aliorsum vota ceciderunt. Occiso enim eo, Marcellus tertia post patrem Romulū Feretrio Ioui opima suspendit. *Illyrici* aūt, id est *Veneti* seu *Liburni*, sub extremis Alpium radicibus agunt, inter * Arsiam Titiumque flumen, longissime per totum Adriatici maris litus effusi. Hi regnante Teutana muliere, populationibus non contenti, licentiæ scelus addiderunt. legatos Romanos, ob ea quæ deliquerant, iure agentes, ne gladio quidem, sed vt victimas, securi percusserunt: Præfectos nauium igni comburunt. Idq; quo indignius foret, mulier imperauit. Itaque Gnæo Fuluio Centimalo duce late domantur: strictæ secures in principum colla, legatorum manibus litauere. Post primum autem *Punicum bellum*, vix quadriennium requies: ecce alterum bellum, minus quidem spatio, (nec enim amplius decem nouem annos tenens) sed adeo cladium atrocitate terribilius, vt si quis conferat damna vtriusque populi, similior victo sit populus ille qui vicit. Vrebat nobilem populum mare ablatum, raptæ insulæ, dare tributa, quæ iubere consueuerat. Hinc vltionem puer Hannibal ad aram patri iurauerat: nec morabatur. Igitur Saguntus in causam belli * electa est, vetus Hispaniæ ciuitas, & opulenta; fidei erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentū. quam, in libertatem communi fœdere exceptam, Hannibal caussas nouorū motuum querēs, & suis & suorum manibus euertit; vt Italiam sibi rupto fœdere aperiret. Summa fœderum Romanis religio est. Itaque ad auditam sociæ ciuitatis obsidionem, memores icti quoque fœderis cum Pœnis, non statim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri malunt. Interim iam nouem mensibus fessi fame, machinis, ferro, versa denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum: tum desuper se suosque cum omnibus opibus suis ferro & igni corrumpunt. Huius tantæ cladis auctor Hannibal poscitur. Tergiuersantibus Pœnis, dux legationis, *Quæ*, inquit, *mora est*, Fabius. *In hoc sinū bellum pacemque porto: vtrum eligitis?* Succlamantibus *Bellum*; *Bellum ergo*, inquit, *accipite*. & excusso in media curia togæ gremio, non sine horrore, quasi pleno sinu bellum ferret, effudit. Similis exitus belli initiis fuit. Nam quasi has inferias sibi Saguntinorum vltimæ diræ in illo publicu parricidio incendioque mandassent; ita manibus eorum vastatione Italiæ, captiuitate Africæ, ducum & regum, qui id bellum gesserunt, exitio parentatum est. Igitur * semel se in Hispaniam mouit illa grauis & luctuosa 393 Punici belli vis atque tempestas destinatumque Romanis iamdiu fulmen Saguntino igne conflauit; statim quodam impetu rapta medias fregit Alpes, & in Italiam ab illis fabulosæ altitudinis niuibus velut cælo missa descendit. Ac primi quidem impetus turbo inter Padum & Ticinum valido statim fragore detonuit. Tunc Scipione duce fusus exercitus: saucius etiam ipse venisset in hostium manus imperator; nisi protectum patrem * prætextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset. Hic erit Scipio qui in exitium Africæ crescit, nomen ex malis eius habiturus.

Ticino Trebia ſuccedit. hîc ſecunda Punici belli procella deſæuit, Sempronio cõſule. Tum callidiſſimi hoſtes, frigidum & niualem diem nacti, quum ſe ignibus prius oleoq; fouiſſent, (horribile dictu) homines a meridie & ſole veniẽtes,* noſtra nos hieme vicerunt. Thraſimenus lacus tertium fulmen Hannibalis, imperatore Flaminio. Ars noua Punicæ fraudis: quippe nebula lacus, paluſtribusq; virgultis tectus equitatus, terga ſubito inuaſit pugnantium. Nec de diis poſſumus queri. imminentẽ temerario duci cladem prædixerant inſidentia ſignis examina, & aquilæ prodire nolentes; commiſſamque aciem ſecutus terræ tremor: niſi illum horrorem ſoli, equitum virorumq; diſcurſus, & mota vehemẽtius arma fecerunt. Quartum, id eſt pæne vltimum vulnus imperij, Cannæ ignobilis Apuliæ vicus; ſed magnitudine cladis emerſit, & * ſexaginta millium cæde patrata nobilitata. Simul in exitium infelicis exercitus, dux, terra, cælum, dies, tota rerũ natura conſenſit. Siquidem non cõtentus ſimulatis tranſfugis Hannibal, qui mox terga pugnantium ceciderunt; inſuper* callidus hoſtis, aliâs imperator, in patentibus campis, obſeruato loci ingenio, quod & ſol ibi acerrimus, & plurimus puluis, & eurus ab oriente ſemper quaſi ad conſtitutum; ita inſtruxit aciem, vt Romanis aduerſus hæc omnia obuerſis, ſecundum cælum tenens, vento, puluere, & ſole pugnaret. Itaq; duo maximi exercitus cæſi ad hoſtium ſatietatem, donec Hannibal diceret militi ſuo, *Parce ferro.* Ducum alter fugit, alter occiſus eſt; dubium vter maiore animo. Paulum puduit, Varro non deſperauit. Documenta cladis, cruentus aliquamdiu Aufidus; pons de cadaueribus iuſſu ducis factus in torrẽte Vergello; modij duo anulorum miſſi [ſunt] Karthaginem, dignitatisque equeſtris taxata menſura. Dubium deinde nõ erat quin vltimum illum diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem epulari Hannibal in Capitolio potuerit. * Sic Pœnum illũ dixiſſe Maharbalem Hamilcari ferunt, ſi Hannibal, quemadmodum ſciret vincere, ſic vti victoria ſciſſet. Sed tum quidem illum, vt vulgo dici ſolet, aut fatum vrbis imperaturæ, aut ipſius mens mala, & auerſi a Karthagine dij, in diuerſum abſtulerunt. Et cum victoria poſſet vti, frui* noluit; relictaque Roma, Campaniam Tarentumque pertexit; vbi mox & ipſe, & ipſius exercitus ardore elanguit; adeo vt vere dictum ſit, Capuam Hannibali Cannas fuiſſe. ſiquidem inuictum Alpibus, indomitumque armis, Campani (quis crederet?) ſoles, & tepentes fontibus Baiæ ſubegerunt. Permiſſum eſt interim Romanis reſpirare, & quaſi ab inferis emergere. arma non erant; detracta ſunt templis: deerat iuuentus; in ſacramentum [militiæ] liberata ſeruitia: egebat ærarium; opes ſuas ſenatus in medium libens protulit: * necnon pariter quod in bullis cingulisque & annulis erat; nec quidquam ſibi auri reliquerunt. Eques ſecutus exemplum; imitatæque equitem tribus. Denique vix ſuffecerunt tabulæ, vix ſcribarum manus, Læuino Marcelloque conſulibus, quum priuatorum opes in publicum referrentur. Quid autem in eligendis magiſtratibus, quæ centuriarum ſapientia; cum iuniores a ſenioribus conſilium de creandis conſulibus petierunt? Quippe aduerſus hoſtem totiens victorem, tam callidũ, non virtute tantum, ſed ſuis etiã pugnare conſiliis oportebat. Prima redeuntis & (vt ita dixerim) reuiuiſcentis imperij ſpes Fabius fuit; qui nouam de Hannibale victoriam commentus eſt, non pugnare. Hinc illi cognomen nouum & reipublicæ ſalutare, *Cunctator:* hinc illud ex populo, vt *imperij Scutum* vocaretur. Itaq; per Samnium totum, per Falernos Gauranosq; ſaltus ſic macerauit Hannibalem, vt qui frangi virtute non poterat, mora cõminueretur. Inde Claudio Marcello duce, etiam congredi auſus eſt; cõminus venit, & pepulit e Campania ſua, & ab obſidione* notæ vrbis excluſit. Auſus eſt & Sempronio Graccho duce per Lucaniam ſequi, & terga premere cedentis: quamuis cum (o pudor) ſeruili pugnaret exercitu: (nam hucuſque tot mala compulerunt) ſed libertate donatos, de ſeruitute Romanos
394 fecerunt. o horribilem in tot aduerſis fiduciam! o ſingularem animum & ſpiritũ populi Romani! tam arctis afflictiſq; rebus, vt de tota Italia dubitare debuiſſet, auſus tamen eſt in diuerſa reſpicere. Quumq; hoſtis in iugulo per Campaniam & Apuliam volitaret, mediamque de Italia Africam faceret, eodem tempore & hunc ſuſtinebat, & in Siciliam, Sardiniam, Hiſpaniamque diuiſa per terrarum orbem arma mittebat. *Siciliam* mandat Marcello. *nec diu; reſtituit. tota enim inſula in vna vrbe ſuperata eſt. Grande illud, & ante id tempus inuictũ caput Syracuſæ, quamuis Archimedis

ingenio

ingenio defenderetur, aliquando cesserunt. longe illi triplex murus, totidemq; arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusæ: nisi quod hactenus profuere, vt pulchritudini victæ vrbis parceretur. *Sardiniam* Gracchus arripuit. nihil illi gentium feritas, *Insanorum*que (nam sic vocantur) immanitas montium profuere. Sæuitum in vrbes, vrbemque vrbium Caralim; vt gens contumax vilisque mortis, saltem desiderio patrij soli domaretur. In *Hispaniam* vero missi Gnæus & Publius Scipiones, pæne totam Pœnis eripuerunt prouinciam. sed insidentes Punicæ fraudis insidiæ, alterum ferro, castrametantem; alterum, quum euasisset in turrim, cinctum facibus oppresserunt. Igitur in vltionem patris & patrui missus est cum exercitu Scipio, cui iam grande nomen de Africa fata decreuerant. Bellatricem illam, viris armisque nobilem Hispaniam, illam seminarium hostilis exercitus, illam [iam] Hannibalis eruditricem, (incredibile dictu) totam a Pyrenæis montibus, in Herculis columnas, in Oceanũ recuperauit. Eodem quidem die quo obsessa est Karthago, capta est; nescio citius an felicius: quam facile, vel vna probat. omenque Africanæ victoriæ fuit quod tam facile victa est Hispaniꝗ Karthago. Certum est tamen, ad profligandam prouinciam maxime profecisse ducis sanctitatem; quippe qui captiuos pueros puellasq; præcipuꝗ pulchritudinis barbaris restituerit; ne in cõspectum suum quidem passus adduci; ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur. Hæc* in diuersa terrarum populus Romanus. nec ideo tamen visceribus Italiæ inhærentem submouere poterat Hannibalem. Pleraq; ad hostem defecerant, & dux acerrimus cõtra Romanos Italicis quoq; viribus vtebatur. Iam tamẽ eum plerisq; opidis & regionibus excussere Romani. Iam Tarentum tulerant: iam & Capua, sedes, domus, & patria altera Hannibalis, tenebatur: cuius amissio tantum Pœno duci dolorem dedit, vt deinde totis viribus Romam converteretur. O populum dignum orbis imperio, dignumq; omniũ fauore & admiratione hominum ac deorum! cõpulsus ad vltimos metus, ab incepto non desistit; & sua de vrbe sollicitus, Capuam tamen non obmisit; sed parte exercitus sub Appio cõsule relicta, parte Flaccum in vrbem secuta, absens simul præsensq; pugnabat. Quid ergo miramur, mouenti castra a tertio lapide Hannibali iterum ipsos deos restitisse? Tanta enim ad singulos illius motus,* suis imbrium copia effusa est,* tantorum ventorum violentia coorta est; vt diuinitus hostem submoueri, non a cælo, sed ab vrbis ipsius mœnibus & Capitolio videretur. Itaque fugit & cessit, & in vltimum se Italiæ recepit sinum, quum vrbem tantum non* adornatam reliquisset. siquidem ab Hispania Hasdrubal frater Hannibalis cum exercitu nouo, nouis viribus, noua belli mole, veniebat. actum esset proculdubio, si vir ille cum fratre se iunxisset. Sed hunc quoque, tantum quod ab Alpe descenderat, apudque Metaurum castrametantem, Claudius Nero cum Liuio Salinatore debellat. Nero in vltimos Italiæ angulos submouerat Hannibalem: Liuius in diuersissimam partem, id est in ipsas nascentes Italiæ fauces, signa conuerterat. Tanto, id est omni, qua longissima est Italia, solo interiacente, quo consilio, qua celeritate, consules castra coniunxerint, inopinatumque hostem collatis signis oppresserint, neque id fieri Hannibal senserit, difficile dictu est. Certe Hannibal re cognita, quum proiectum fratris caput ad sua castra vidisset; *Agnosco*, inquit, *infelicitatem Karthaginis*. Hæc fuit illius viri, non sine præsagio quodam fati imminentis, prima cõfessio. Iam certum erat, Hannibalem etiam ipsius con- 385
fessione posse vinci. Sed tot rerum prosperarum fiducia plenus populus Romanus, magni æstimabat, asperrimum hostem in sua Africa debellare. Duce igitur Scipione in ipsam *Africam* tota mole conuersus, imitari cœpit Hannibalem, & Italiæ suæ clades in Africa vindicare. Quas ille (dij boni) Hasdrubalis copias fudit? quos Syphacis Numidici regis equitatus? quæ quantaque vtriusque [classis] castra, facibus illatis, vna nocte deleuit? denique iam non a tertio lapide, sed ipsas Karthaginis portas obsidione quatiebat. Sic factum vt inhærentem atque incubantem Italiæ extorqueret Hannibalem. Non fuit maior sub imperio Romano dies, quam ille, quum duo omnium & antea & postea ducum maximi [duces,] ille Italiæ, hic Hispaniæ victor, collatis comminus signis, direxere aciem. Sed & colloquium fuit inter ipsos de legibus pacis. steterunt diu mutua admiratione defixi: vbi vero de pace non conuenit, signa cecinere. Constat vtriusque confessione, nec melius instrui aciem, nec acrius

potuiſſe pugnari. Hoc Scipio de Hannibalis, Hannibal de Scipionis exercitu prædicauerunt. Sed tamen Hannibal ceſſit; præmiumque victoriæ Africa fuit: & ſecutus Africam ſtatim terrarum orbis. Poſt Africam iam vinci neminem puduit; ſed æquo iure vbique ſubacti. Primum igitur Læuino conſule populus Romanus *Ionium mare* ingreſſus, tota *Græciæ litora*, velut triumphante claſſe peragrauit. Spolia quippe Siciliæ, Sardiniæ, Africæ, præferebat; &* manifeſtum victoriam, quam nata in prætoria puppi laurus pollicebatur. Aderat ſponte in auxilium Attalus rex Pergamenorum: aderant & Rhodij, nauticus populus: quibus a mari, conſul a terris omnia equis viriſq; quatiebat. Bis victus, bis fugatus rex Macedonum; bis exutus caſtris; quum tamen nihil terribilius Macedonibus fuit ipſo vulnerum aſpectu; quæ non ſpiculis, nec ſagittis, nec vllo Græculo ferro, ſed ingentibus pilis, nec minoribus adacta gladiis, vltra morem patebant. Enimuero Flaminino duce, ad inuios antea populo Romano Chaonum montes,* Sauumque amnem per abrupta vadentem, & ad ipſa *Macedoniæ clauſtra* penetratum victoria fuit. Nam poſtea numquam auſus congredi rex, ad tumulos, quos* *Cynocephalos* vocant, vno, ac ne eo quidem [in] iuſto prœlio opprimitur. * In *Numidia* tunc amici populi Romani regnabant. Sed Iugurtha contra ſe bellum mouit Romanorum, propter necem Adherbalis & Hiempſalis Micipſæ liberorum: expugnataque eſt primum a Metello conſule, dehinc a Mario Numidia domita. *Mauritaniam* vero *Sochoris tuebatur. ſed quum collectio omnium Maurorum facta eſt, Iubas rex videns quæ pugnæ fuiſſet arſio, mox ſuperatum ſeſe ſenſit. veneno hauſto defecit; omniſque Mauritania Romanis ſubacta. Tripolis namq;, & vtraque Mauritania, Sitifenſis & Cæſarienſis, ſimiliter Romano iuri, ceterorum formidine tactæ, vltro ſe ſubegerunt. *Hiſpanias* quamuis (vt ſuperius diximus) Saguntina clades ab amicitiis Romanorum ſegregaſſet; Scipio tamen eos tam gratia, quam virtute rurſus coniunxit Romanis: rurſuſque reſiſtentes Sylla conſul ſedauit. Celtiberos, ſimiliter cum Numantinis aduerſus Romanos inſurgentes, Scipio iunior ſedauit, compeſcuit, atque pæne ſubuertit. Cantabri & Aſtures, confiſi montium ſuorũ munimine, dum reſiſtere moliuntur, pleniſſime demoliti ſunt, & in prouinciam redacti. Tarraconenſes, Luſitani,* Gallæci, Karthaginiſij, & *Seticaniæ contra promontoriũ Africæ ſitæ, omnes vno pæne prœlio ſuperatæ, & in prouincias Romanas deſcriptæ ſunt. *Epirotæ*, qui in Illyrico quamuis cum Pyrrho rege ſuo contra Italiam conſpiraſſent, tamen primum pacem moliti, ſecundo ac tertio rebellantes, cum Achiuis & Theſſalis edomiti, Romano iugo ſubacti ſunt. *Macedonia* namq; primum ſub Philippo, deinde ſub Perſeo, tertio ſub Pſeudophilippo arma cõtra ſe prouocauit Romana; oppreſſaque primo Flaminino conſule; ſecundo a Paulo, tertio a Metello ſuperata, colla ſubmiſit, Romanaque prouincia facta. *Illyriam* autem, cum* Gentione ſuo rege, Macedonibus auxiliantibus vicit Romanorum Lucius prætor, & in prouinciam redegit. *Dardanos Mœſioſq;* Curione primum proconſule domuit: primuſq; omniũ Romanorum Danubium amnem vſque profectus, cuncta eius loca vaſtauit. *Pannoniarum* quoque regem in certamine ſuperans idem Lucius, redegit in prouinciam vtraſque Pannonias. *Amantinos* autem, qui inter Sauum Draumq; flumina inſident, rege eorum interempto, ipſa vice Romanam fecit prouinciam. *Marcomanni & Quadi*, in illa Valeria quæ inter Draum Danubiumq; interiacet, ab eodem tunc ductore oppreſſi; fineſq; inter Romanos & barbaros Auguſtæ Vindelicæ per Noricũ Mœſiamq; diſpoſiti. *Daces* autem poſt hæc iam ſub imperio ſuo Traianus,* Cebulo eorum rege deducto, in terras vltra Danubium, quæ habent *mille millia ſpatia, in prouinciam redegit. Sed Gallienus eos, dum regnaret, amiſit; Aurelianuſq; Imperator, euocatis exinde legionibus, in Mœſia collocauit; ibiq; aliquam partem Daciam mediterraneam, Daciamque Ripenſem conſtituit, & Dardaniam iunxit. *Illyricus* autem cuncta, per partes quidem & membra deuicta, ad vnum tamen corpus aptata eſt; quæ habet intra ſe prouincias decem & octo. hæ ſunt; Norici [duæ,] duæ Pannoniæ, duæ Valeriæ,* Sueuia, Dalmatia, Mœſia ſuperior, Dardania, Daciæ duæ, Macedonia, Theſſalia, Achaia, Epiros, Præuales, Creta; ſimul decem octo. Thracias autem non aliter, niſi occaſio Macedonici belli, fecit aggredi. Diri namq; homines, omniumq; gentium ferociſſimi ſunt Thraces: quorũ ſæuitiam pariter habẽt & Scordici,

dici,

disci, & Æmimontij, Asticique: ob quorum immanitatem, Romani multa & grauia pertulerunt, crebrisq; certaminibus exercitus cæsus. Ad postremum a *Marco Claudio & ipsi subacti; & loca eorum in prouinciam redacta, iugum excepere Romanum. Nam Marcus Drusus intus eos in montibus eorum contriuit; Minucius in *Hebro amne eorum multos exstinxit & vicit. Rodopeni per Appium Claudiũ deuicti sunt: & ciuitates maritimas Europæ, quæ dudum Romanæ fuissent, & postmodum rebellassent, Marcus Romanis subegit. Lucullus siquidem primus in Thracia cõtra Bessos pugnans, eos qui in fortitudine famaque præibant, deuicit; Æmimontiosque debellans, *Pulendeniam, quæ nunc Philippopolis; & *Vscudamam, quæ Adrianopolis vocatur, in Romanorum redegit dominium. Similiter & capiens ciuitates, quæ litori Pontico inhærebant; id est Apolloniam, *Galatho, Parthenopolim, & Tomos Istri: omniaq; loca vsq; ad Danubium subdens, Scythis Romanorum ostendit virtutem. Hactenus ad partes occiduas: nunc quæ in *Eoa plaga sunt, percurramus. Primũ quidem in *Asia* locum Romani hereditario iure inuenerunt. Nam Attalus rex, amicissimus populi Romani, humanis rebus excedens, per testamentũ suum Romanos suo in regno heredes constituit: quod pæne non ante Romanus populus adiit, nisi & suo labore vicina loca cepisset; id est *Lydiam*, *Cariam*, *Hellespontum*, *vtramque Phrygiam*. Nam *Rhodus* opinatissima insula, & totius Adriæ insularum metropolis, pæne cum omnibus Cycladibus arma pertimescẽs Romana, iamdudum se fœderatam populo illi coniunxerat, & nauali bello solatia condonabat. Cum quibus Seruilius proconsul directus, quasi piratico bello, obtinuit tamen Pamphyliam, Lyciam Pisidiamque deuicit, fecitq; prouincias. *Bithyniam* vero Nicomedes rex moriens, testamentali voce reliquit. *Gallogræciam* autem, id est Galatiam, Syriaci belli ruina conuoluit. fuit namque inter auxilia regis Antiochi.* an fuisset cupidus triumphi Manlius, dubium est.* Dubiis namque prœliis fusi fugatique sunt; quamuis sub aduentu hostis sedibus relictis in altissimos se montes recepissent. colonos abegit. Olympum Tectosagi & Magaba insederant. Vtrimq; fundis sagittisq; detracti, in perpetuam se pacem dederunt: sed alligati miraculo quodam fuere, quum catenas morsibus & ore tentassent; quum *offocandas in vicem fauces præbuissent. Nam Ortiagontis [regis] vxor, a centurione stuprum passa, memorabili exemplo custodiam euasit, reuulsumq; adulteri caput ad maritum reportauit. Deiotarum siquidem amicum, senatus præfecit Galatiæ: sed posthæc Cæsar eos redegit, prouinciamq; fecit. *Cappadoces* quoq; sub *Epaphra rege constituti, primum per legatos suos Romanorum amicitias petierunt: dehinc *Ariobarzane rege succedente, & a Mithridate expulso, vltro se Romano seruirio tradiderũt; magnamq; ciuitatem suam Mazacam, in honorem Cæsaris *Cæsaream* appellauerunt. Posthæc iterum sub Claudio Imperatore, rex eorum Archelaus Romam adueniens, quasi amicus populi Romani; ibique defunctus, testamentali voce Cappadociam Romanis dedit: & sic iam ex integro in prouinciam *facta est. *Pontus* a Pompeio deuicta, cum suo rege Mithridate, & facta prouincia est. *Paphlagoniæ* Pylæmenes rex, amicus populi Romani, a multis dum inquietaretur, Romanorũ petiit auxilium. Se quoq; dum de inimicis vlcisceretur, defunctus, Romanos per testamentum heredes reliquit. Hactenus *intra Taurum*. nunc vlterius transgrediemur, & quę patriæ, aut quibus subiugantibus populo Romano coniunctæ sint, memorabimus. Antiochus, Syriæ fortissimus rex, magnum apparatum belli contra populũ Romanum cõmouit.* triginta milia siquidem armatorum, *currusq; falcatos, quamplures elephantos, innumeros turritos, & instar murale in acie ordine sitos. cui obuiauit Scipio Africani Scipionis frater in Asia ad Magnesiam ciuitatem: cõmissoq; prœlio, Antiochus victus est, *percussumq; fœdus cum Romanis: ab Asia discessit, & vltra Taurum ex senatus* consilio regnare permissus est: filiosq; eius in obsidatu Romæ deductos, post patris obitum regnare genitali loco *concessit. *Cilices* cum Isauris piratæ effecti, & in mari *magno sæpe latrocinia cõcitantes, a Seruilio proconsule victi & prostrati sunt. hic quoq; Seruilius, primus Romanorũ *Tauri iugum* peruium fecit; triumphansq; de eorum spoliis, *Isauricus* & *Cilicus* vocatus est. *Cyprum* Cato classe nauigera directus inuasit. Cypriis negãtibus habere se aliquid, magnas illic opes reperit; proscriptionibusq; multauit. Quod nõ ferens *Gnosius rex eorum, veneno hausto semet

occidit:& ſic Cyprus Romana facta prouincia. *Libyam*, id eſt Pentapolim totam [a] primo illo Ptolemæo Romanis ſub libertate conceſſam; tamen reſiſtentes dehinc, Appionis conſilium populo Romano ſubdidit. *AEgyptus* omnis ab amicis Romanorum, id eſt* Lagidis, per Ptolemæos poſſeſſa. poſthæc Cleopatra & Antonius, iure proprio vindicantes, & ſe, & illam amittunt. *Montes* vero *Armeniæ* primum per Lucullum Romana arma viderunt: per quem & Oſroëne & Saracenorũ phylarchi deuicti, Romanis ſe dediderunt: Meſopotamiamque idem ipſe, Niſiben quoq; vrbem inuaſit. Poſt quem Pompeius eadem loca ingrediens, Romano confirmauit imperio. *Syriam Comagenen*, iuſto prœlio Tigrane deuicto, inuaſerat. *Arabes* & *Palæſtini*, eodem Pompeio ductante, deuicti ſunt. *Babylonij* autem, crebro concertantes, ſæpenumero victi, numquam tamen ad integrum domiti ſunt. Quos tamen primũ Lucius Sylla proconſul ſub Arſace eorum rege deuicit: ab eoque rogatus per legatos, pacem conceſſit. Secundo dum Lucius Lucullus a Pontico regno Tigranem regem Armenię cum decem & octo milibus ſuperatum expelleret, omni Armenia inuaſa, ad Meſopotamiam venit: ibi Niſiben cum fratre regis Parthorum cepit, æqua ſorte Perſidem cupiens deuaſtare; niſi Pompeius a Senatu directus, ei aduenisſet ſucceſſor. Hic etenim Pompeius ilico veniens, mox nocturno prœlio in minori Armenia ſuper Mithridatem irruens, XLII milia* armentorum eius proſternens, caſtra ſuccendit. Vnde Mithridates cum vxore & duobus ſatellitibus fugiens, Boſporum venit; nimiaq; deſperatione detentus, venenum accepit. ſed dum nec ſic mors ei accederet, alterum e duobus ſatellitibus rogauit vt ſe perimeret. Põpeius autem* in maiori Armenia dum perſequeretur Tigranem Mithridati contra Romanos auxilium commodantem, ille in Artaxata vrbe regno depoſito, vltro diadema ſuum Pompeio obtulit. ſed Pompeius pietate ductus,* vltra maiorem Armeniã ei cõceſſit regnare, auferens ab eo *Meſopotamiam* & *Syriam*, partemque *Phœnicis* cum *Armenia*. Nam *Boſporanis Colchiſque* Ariſtarchum regem Pompeius præpoſuit: *Albanosq;* inſequens, Orodem regem eorum tertiò ſuperauit: ad poſtremũ rogatus, pacem conceſſit. *Hiberiam* ſimiliter cum *Artace rege in deditionem accepit. *Sarracenos Arabasq;* exſuperans, Hieroſolymam inde captiuauit. Cum *Perſis* fœdere percuſſo, reuertens,* Dafnenſem agrum Antiochenis conceſſit ob nimiam loci amœnitatem pro munere. His & aliis rebus in Syria bene geſtis, vnius [omnia] fœdauit auaritia. Nam Craſſus conſul, dum Parthico inhiat auro, vndecim legiones pæne cum ſuo capite amiſit. cuius in conſpectu & filius hoſtilibus telis foſſus, & ipſe peremptus: caputq; eius præciſum cum dextera manu, ad regem reportatum,* ludibrio fuit; neque indigno aurum ei liquidum in rictum oris infuſum eſt; vt cuius animus auri arſerat cupiditate, eius etiam mortuũ [&] exſangue corpus auro vreretur. Reliqui vero infelicis exercitus, quò quemque rapuit fuga, in Armeniam, Ciliciam, Syriamque diſtracti, vix cladis tantæ nuntium retulerunt. Hac ergo clade altius *Parthi* animos eleuantes, per Pacorum ducem Syriam inuadunt: ducemq;* Labinium, quem dudum ceperant, exercitui præponentes, contra ſocios, id eſt Romanos, in prœlio dirigunt. Sed Ventidius Baſſus Perſas, ſub vtroque duce Syriam populantes, ſuperatos effugat; Labiniumque interfecit; Pacorum vero regium iuuenem telis vndiq; circumſeptum exſtinxit: moxq; capite eius dempto, & circumlato per vrbes quæ deſciuerant, Syriam ſine bello recepit. Sic Craſſianam cladem Ventidius Pacori capite, Labinijque morte penſauit. Nec ſic contentus populus Romanus Craſſianum interitum* obliuiſci, inde adhuc ſæuit in Parthos. Nam Marcus Antonius, in* Madianiam ingreſſus, contra eos arma commouit. ibi ſuperans eos, deinde cum duabus legionibus inedia hiemeque correptus, vix in Armeniam Parthis ſequentibus fugit; ibique ereptus eſt. Sub Auguſto dehinc Octauiano Armenij cum Parthis commixti, per* Claudium Cæſarem nepotem Auguſti ocius ſuperantur. Armenij ſiquidem, vtilius rati, Romanorum amicitiæ recõciliari, & proprias ſedes incolere, quam cum Parthis coniungi, & ſedes perdere, & Romanos infeſtos habere. Sic quoque dum in partibus orientalium Romanus laborat exercitus, occiduæ plagæ infeſtæ ſunt. *Norici* in Alpibus Noricis habitantes, credebant quaſi in rupes & niues bellum non poſſet aſcendere. ſed mox omnes illius cardinis populos,* *Brennos, Teutones, Senones, atque Vindelicos*, per eumdem Cæ-

ſarem

ſarem gladio Romanus vicit exercitus. Quæ tamen fuerit Alpinarum gentium feritas, facile eſt vel per mulieres oſtendere; quæ, deficientibus telis, infantes ſuos afflictos humi, in ora militum aduerſa miſerunt. Nec minore his ſæuitia *Illyrici* pariter accenduntur. contra quos Auguſtus e vicino egreſſus, pontem, vnde aquam tranſiret, fieri imperauit. dumque aquis & hoſtibus ad aſcenſum milites turbarentur, ſcutum ipſe rapuit, & viã primus ingreſſus eſt. tum agmine ſecuto, cum ſubruptus multitudine pons ſuccidiſſet, *ſauciis manibus & cruribus, ſpecioſior ſanguine, & ipſo periculo auguſtior, terga hoſtium cecidit. *Pannonij* vero, duobus ſaltibus, tribus fluuiis, *Drao, Sauo, Hiſtroque vallantur. contra quos *Duennium miſit: qui eos plus feliciter vicit quam eorum flumina curſu rapido currant. *Dalmatæ*, ſimiliter ſiluis commanentes, plurimam partem latrocinando vaſtabant. ad quos edomandos *Iubium mandat. qui efferum genus fodere terras coëgit, aurumq; e venis repurgare. *Mæſi* vero quam feri, quam truces erant? vnus ducũ ante aciem poſtulato ſilentio, *qui vos eſtis?* inquit. Reſponſum eſt, *Romani gentium Domini.* Et ille, *Ita fiet*, inquit, *ſi nos viceritis.* Sed *mox ad bellum ventum eſt, nec claſſicum audire valuerunt. ſic a *Marcio ſuperati ſunt. *Thraces* antea ſæpe, tunc tamen * Rometalca regnante ſibi, a Romanis deſciſcunt. Nam hic barbaros & diſciplinæ & ſignis militaribus aſſuefecerat. ſed a Piſone perdomiti, in ipſa captiuitate rabiem oſtendebant. nam catenas, quibus ligati erant, morſibus vellicantes, feritatem ſuam ipſi puniebant. *Daciam* quoque, vltra Danubium ſitam, exindeque ſæpius elatos, gelato Danubij alueo, ad furta in *Camoniam tranſeuntes, Lentulo miſſo, vicit, expulit, atque ſubegit. *Sarmatas* quoq; per eundem Lentulum vltra Danubium pepulit: qui nihil aliud, vbi degunt, præter niues pruinasque & ſiluas habent; tantaque barbaries in illis eſt, vt nec intelligant pacem. *Marmaridas* vero & *Garamantes* in orientali hiemali plaga per *Quirinũ ſubegit. *Germanos*, **Gallos*, *Britones*, *Hiſpanos*, *Hiberos*, *Aſtures*, *Cantabros*, occiduali axe iacentes, & poſt longum ſeruitium deſciſcentes, per ſe ipſe Auguſtus accedens, rurſus ſeruire coëgit, Romanisque legibus viuere. Cleopatra vero *Alexandrinorum* regina, ex genere Lagidarum, Ptolemæorumque ſucceſſor, prius contra viri ſui Ptolemæi inſidias Caium Iulium Cæſarem interpellauit: qui ob ſtupri (vt perhibent) gratiam, regnum eius confirmauit; ipſamque in vrbem cum magna pompa deductam, Alexandriæ permiſit regnare. Caſſius *Iudæa* capta templum ſpoliauit. Occiſo vero in curia Romæ Cæſare Iulio, nepos eius AVGVSTVS ſuſcepit principatũ. quem ij
Antonius dum inuideret, nihilque lædere poſſet, vrbem Romam * egreditur, & ad 709
partes Ægypti, quaſi Romanæ prouiſor reipublicæ, accedit. Ibi iam viduam a viro regnantem reperiens Cleopatram, ſe quoque cum illa conſocians, cœpit ſibi dominationem parare. nec tacite; ſed patriæ, nominis, togæ, faſcium oblitus, [totus] in monſtrum illud, vt mente, ita animo [quoque] cultuque deſciuerat. aureus in manu baculus, in latere acinaces, purpurea veſtis ingentibus obſtricta gemmis. diadema * deerat, vt regina rex & ipſe frueretur. Quod Auguſtus Cæſar audiens, a Brundiſio Calabriæ, in Epirum, vt eum a cœpta remoueret tyrannide, tranſierat. Nam Antonius omne Actiacum litus iam claſſibus obſidebat. Sed mox vbi ad prœlium ventum eſt, & Cæſaris claſſis illius cœpit turbare nauigium; prima mox fuga regina cum aurea puppi, veloque purpureo in altum ſe dedit. Mox ſecutus Antonius. ſed inſtat veſtigiis eorum Cæſar. Itaq; nec præparata in Oceanum fuga, nec munita præſidiis vtraque Ægypti cornua, Parætonium atque Peluſium, profuere. Prope fuere, prope manu tenebantur. * primus ferrum occupauit Antonius: regina ad pedes Auguſti prouoluta, tentauit oculos ducis. fruſtra [quidem.] nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit. nec illa de vita, quæ * auferebatur, ſed de parte regni laborat. Quod vt deſperauit a principe, ſeruarique ſe triumpho cognouit; incautiorem nacta cuſtodiam, in mauſoleum ſe *regum recepit: ibique maximos (vt ſolebat) cultus induta, in referto odoribus ſolio, iuxta ſuum ſe collocauit Antonium: admotisq; ad venas ſerpentibus, ſic morte quaſi ſomno ſoluta eſt. Hic finis bellorum Auguſti Cæſaris, tam cum ciuibus, quam cum extraneis. Sic quoque *Auguſtus*, vt *Cæſar Octauianus*; quo nullus imperatorum in bellis felicior, nec pace moderatior fuit, ciuiliſſimus in omnibus: qui ab oriente in occidentem, a ſeptemtrione in meridiem,

ac per totum Oceani circulum, cunctis gentibus vna pace compositis, *Iani portas
ipse tunc clausit: & censum Romæ cum Tiberio *cogitans, inuenit hominum nona-
gies trecenta septuaginta milia: omnemque orbem, venientis IESV CHRISTI natiui-
tate pacatum, censeri præcepit: regnauitque annos quinquaginta sex. sed imperio e-
ius secūdo ac quadragesimo anno, Dominus Iesus Christus ex Spiritu sancto ac Ma-
ria virgine Deus verus ac homo verus nasci dignatus est: quatuordecim residuos an-
nos post Domini aduentum corporali præsentia, in pace regnans, & ipse singularem
obtinuit principatum; & posteris eandem imperij potestatem cum suo nomine *Au-
gusti* derelinquens, rebus excessit humanis, successorem relinquens Tiberium priui-
III gnum suum. TIBERIVS AVGVSTVS Cæsar regnauit annos viginti tres: *qui mul-
766 tos reges ad se blandiciis euocatos, numquam ad propria regna remisit; in quibus &
Archelaum Cappadocum regem. cuius & regno, postquam defunctus est, in pro-
uinciam verso, Mazacam ciuitatem eius de nomine suo Cæsaream vocitauit. Huius
vero anno XVIII Dominus noster Iesus Christus sub Pontio Pilato in Iudæa carne
IIII passus est, non deitate. CAIVS CÆSAR cognomento CALIGVLA, regnauit annos
789 tres, menses decem, [sceleratissimus ac funestissimus.] hic namque Memmium Re-
gulum coëgit, vt vxorem suam sibi lege filiæ coniugem daret, instrumentaque matri-
monij vt pater conscriberet. hæc & his similia perpetrans, necnon & in templo Hie-
rosolymitano Iouis statuam per Gaium Petronium statuens, & in Alexādria Iudæos
per Flaccum *Auilium præfectum opprimens, postremo a protectoribus suis in pala-
V tio Romæ occisus est, anno ætatis vigesimonono. CLAVDIVS dehinc huic succe-
793 dens, regnauit annos tredecim, & menses nouem. Fecit etiam hic Claudius expedi-
tionem: in Britanniam insulam, quam [iam] nemo ante Iulium Cæsarem, neque post
eum quisquam adire ausus fuerat, exercitum duxit: ibique sine vllo prœlio ac sangui-
ne, intra paucissimos dies, plurimam insulæ partem in deditionem recepit. Orcha-
das [autem] insulas intra Britanniam in Oceano positas, Romano adiecit imperio. ac
sexto *quo profectus erat mense Romam repedauit: ibique defunctus est annorum
VI sexagintaquatuor. NERO *nepos Caij Caligulæ, regnauit annos tredecim, menses
806 octo: tantæque luxuriæ fuit, vt frigidis & calidis lauaretur vnguentis. Is etenim non
solum quidem nō profuit reipublicæ, immo obfuit nimis. Nam duas legiones in Ar-
menia cū ipsa prouincia simul amisit; qui Parthico iugo seruientes, grauem infamiam
*Romanis dederunt. Iuxta omne scelus & parricidiū, quod in proprios parētes com-
miserat, addidit facinus, vt ad instar Troiæ Romam incenderet. manusque inijciens
in Christianos, persecutionem concitat: ipsosque doctores fidei Petrum ac Paulum
in vrbe interemit, alterum cruci affigens, alterum capite plectens. Eoque cum dede-
core regno euulso, *Galba* in Hiberia, *Vitellius* in Germania, *Otho*, Romę imperium ar-
VII ripuerunt; omnesq; tamen celeri interitu interierunt. VESPASIANVS, apud Iudæam
822 ab exercitu in regnum ascitus, regnauit annis decem. Nam relicto filio suo Tito ad
VIII expugnationem Hierosolymorum, ipse Romam profectus, regnauit in pace. TITVS
831 filius Vespasiani, ideq; VESPASIANVS, debellator Iudææ gentis, regnauit annis *duo-
decim, mensibus duobus. hic namque, secundum Iosephi fidem, vndecies centena
milia Iudæorum fame & gladio interemit; & alia centum milia captiuorum publice
vendidit. Tantam autem multitudinem in Hierosolymis paschalis festiuitas aduna-
IX uerat. DOMITIANVS, frater Titi, filius Vespasiani, regnauit annos XV, menses quin-
833 que: tantæque fuit superbiæ, vt se Deum ab omnibus primúm appellari præceperit.
multosque nobilium exsilio relegans, nonnullosque occidens, de substantiis eorum
aureas argenteasque sibi statuas fecit. manusque in Christianos inijciens, Ioannem
apostolum & euangelistam, postquam in feruenti oleo missum non potuisset ex-
stinguere, in Patmos eum insulam relegauit; vbi apocalypsim vidit. Cuius crudelita-
tem non tolerantes Romani, in palatio Romæ interficere statuerunt; omneq;, quod
X constituerat, irritum *fore. NERVA, admodum senex, regnauit anno vno, men-
848 sibus quatuor. qui, vt priuata vita lenis, lenior fuit in regno; nec quidquam profuit
XI Reipublicæ, nisi quod Traianum se viuente elegit. TRAIANVS, pæne omnium
840 Imperatorum potior, regnauit annis XVIII, mensibus VI. hic enim de Dacis Scy-
thisque triumphauit; Hiberosque & Sauromatas, Osdroenos, Arabas, Bosforanos,

Colchos

Colchos edomuit, postquam ad feritatem proruperunt. Seleuciam, & Ctesiphon-
tem, Babyloniamque peruasit & tenuit. Necnon & in mari rubro classem, vnde In-
diæ fines vastaret, instituit; ibique suam statuam dedicauit. & post tot labores apud
Seleuciam Isauriæ profluuio ventris anno ætatis exstinctus est sexagesimotertio ossa-
que eius in vrna aurea collocata, & in* foro sub columna posita: solusque omnium
Imperatorum intra vrbem sepultus. ADRIANVS,* Italicæ de Hispania natus, cōso- XII
brinæ Traiani filius, regnauit annos viginti vnum. Hic pæne nil profuit reipubl. nisi 859
quod dudum subuersas Alexandriam & Hierosolymam propriis reparauit expensis,
nonnullisque in locis publica relaxauit tributa. Hierosolymam siquidem suo de no-
mine* Æliam appellans, nulli Iudæorum ingredi permisit. Nam claret eum* inui-
dum factis Traiani: quia mox vt ei successit, ilico* nulla necessitate faciente, exerci-
tum ad se reuocans, Mesopotamiam, Assyriamque, & Armeniam Persis reliquit, Eu-
fratem fluuium finem terminumque inter Parthos Romanosque constituens. Quo
regnante, Aquila Ponticus scripturas de Hebræo transtulit. Adrianus morbo apud
Baias quatiente obiit. ANTONINVS cognomento *Pius*, cum suis liberis Aurelio & XIII
Lucio regnauit annis XXII, mensibus III. Etsi non profuit quidquam Antoninus, nul- 890
lam tamen læsionem respublica sensit. Defunctus est duodecimo vrbis miliario, in
villa* sua Lorio nuncupata, anno ætatis septuagesimosexto. Regnauit annis XIX, men-
se vno. MARCVS ANTONINVS, qui & VERVS; & LVCIVS AVRELIVS COM- XIIII
MODVS, affinitate coniuncti, æquo iure imperium administrauerunt. E quibus iunior 913
contra Parthos arma mouens, magna egit & fortia; Seleuciamque vrbem eorū cum
quadringentis milibus accepit pugnatorum: senior vero, multis sæpe bellis interfuit;
sæpiusq; per duces suos triumphum reuexit maxima de gente Quadorum, e quibus
cum magna gloria triumphauit. Sed vnus, in Altino apoplexiā passus, defunctus est;
alter, in Pannonia* morbo periit. COMMODVS, filius Antonini, regnauit annis tre- XV
decim: magnumque triumphum de gente reuexit Germanica; & post hæc in domo 932
Vestiliani strangulatus defecit.* ÆLIVS PERTINAX, maior sexagenario, quum præ- XVI
fecturam ageret, ex senatusconsulto Imperator creatus, regnauit menses sex. Hic* et- 944
enim obsecrante senatu, vt vxorem suam *Augustam*, filiumque *Cæsarem* appellaret;
Sufficere, inquit, *debet, quod ego ipse inuitus regnaui, quum non mererer.* Nimis* æquissi-
mus, omniumque cōmunis. quem Iulianus iurisperitus in palatio eius peremit: ipse-
que postea a Seuero occisus est. SEVERVS, genere Afer, Tripolitanus, regnauit an- XVII
nis decem & octo: vltusque est occisionem Pertinacis in Iuliano. se quoque *Pertina-* 945
cem appellauit. Hic etenim Parthos & Adiabenos, contra Romanos insurgentes, mi-
rabiliter superauit. Arabas quoque interiores ita cecīdit, vt regionem eorum Roma-
nam faceret prouinciam. * Sic quoque triumphans, Parthicus, Arabicus, Adiabeni-
cus dictus est. Hoc regnante Samarites quidam Symmachus, Iudæorum factus pro-
selytus, item diuinas scripturas ex Hebræo sermone, Græca lingua transfudit, suamq;
condidit editionem; * post quem pæne tertio anno secutus Theodotion Ponticus,
item suam in eodem suo opere editionem scripturarum composuit. Britannicū bel-
lum exortum; vnde Seuerus mirabiliter triumphauit. ANTONINVS cognomento XVIII
CARACALLA, filius Seueri, regnauit annos septem. Nam ideo hoc nomen nactus est, 963
quod* eiusmodi vestium genera Romæ de manibus erogans, sibi nomen CARACAL-
LA, & vesti Antoniniana dederit. Sub hoc iterum editio scripturarū diuinarū, quam
Quintam vocamus, in Hiericho in dolio reperta est. Hic etenim Imperator, dum cō-
tra Persas mouit procinctum, †* Osdroene Edessa defunctus est. MACRINVS, præ- XIX
fecturam agens prætorianam, Imperator creatus est. regnauitque anno vno: occi- 969
diturque* ab Archelaide. MARCVS AVRELIVS, Antonini Caracallæ filius, templi- XX
que Heliogabali sacerdos, Imperator factus. [Huius] anno quarto Emaus in Iudæa 970
constructa, & Nicopolis nominata. Tunc & Africanus, egregius scriptor temporum,
pro ipsa legationem suscepit * ad principem. Sed Imperator, dum nullum genus ob-
scœnitatis in regno suo, quod non faceret, prætermittebat; occisus est [a] tumultu
militari. regnauit annis* tredecim. ALEXANDER Mammææ filius, ignobilis fortu- XXI
næ exsistens, adhuc iuuenis, regni moderationem suscepit: moxque contra Xerxem 974
regem Persarum arma arripiens, mirabiliter de Parthorum spoliis triumphauit. Sub

huius item imperio,in Nicopoli Actiaca,id est Epiro,editio quæ Sexta dicitur diuina-
rum scripturarum,in dolio reperta est: ipseque Mogontiaci tumultu occiditur mili-
XXII tari. MAXIMINVS genere Gothico, patre Micca, * Abaqua Alana genitus matre,
987 sola militum voluntate ad imperium conscendens, bellum aduersus Germanos feli-
citer gessit. Indeque reuertens, contra Christianos intestina prœlia [sextus a Nerone
XXIII mouit;ac] vix annos tres regnans, Aquileiæ a Pupieno occisus est. GORDIANVS, ad-
990 modum puer Imperator factus, vix regnauit annos sex. Hic etenim mox vt Romam
ingressus est,ilico Pupienum & Balbinum, qui Maximinum occidentes tyrannidem
arripuerāt,occidit:Ianumq; geminum aperiens, ad Orientem prouectus,Parthis in-
tulit bellum:indeque cum victoria reuertens,fraude Philippi præfecti prætorij,haud
XXIIII longe a Romano solo interfectus est. PHILIPPVS,imperium impudenter ingressus,
996 regnauit annis septem. Hic etenim filium suum,id est Philippum,cōsortem regni fe-
cit; ipseq; omnium Imperatorum primus Christianus effectus est : tertioq; anno im-
perij sui, festiuitatem Romanæ vrbis* millesimo anno, quem expleuerat, celebrauit:
vrbemq; nominis sui in Thracia, quæ dicebatur*Pulpudena, Philippopolim recon-
XXV struens nominauit. DECIVS [e] Pannonia inferiore *Bubaliæ natus,occisis Philip-
1002 pis vtrisque,regnauit anno vno,mensibus tribus. armisque in Christianos erectis, ob
Philipporū nominis odium,ipse bellantibus Getis cum filio suo crudeli morte occu-
XXVI buit*abrupto. GALLVS & VOLVSIANVS regnauerunt annis duobus,mensib. qua-
1003 tuor. Hi quum aduersum Æmilianum, qui in Mœsia res nouas moliebatur, ex vrbe
profecti essent,in foro Flaminij interfecti sunt: *AEmilianus* vero tertio mense inuasæ
XXVII tyrannidis exstinctus est. VALERIANVS & GALLIENVS, dum vnus in Rhætia a mi-
1005 litibus,alter Romę a senatu in imperio leuarentur,regnauerunt annos XV. Valerianus
siquidem in Christianos persequutione cōmota,statim a Sapore rege Persarum capi-
tur; ibique seruitute miserabili consenescit. Gallienus,illius exitum cernens,Christia-
nis pacem dedit: sed dū nimis in regno lasciuiret, nec virile aliquid ageret, Parthi Sy-
riam Ciliciamq; vastauerunt: Germani & Alani Gallias deprædantes, Rauennā vsq;
venerunt. Græciam Gothi vastantes, Quadi & Sarmatæ Pannonias inuaserunt. Ger-
XXVIII mani rursus Hispanias occupauerūt. idcirco Gallienus Mediolani occisus est. CLAV-
1020 DIVS regnauit anno vno, mensibus octo. qui Gothos iam per XV annos Illyricū Ma-
cedoniamque vastātes,bello adortus,incredibili strage deleuit. [Senatus ingenti ho-
nore eum decorauit,] scilicet vt in curia ei clypeus aureus, & in Capitolio statua au-
rea poneretur. occisusq; apud Sirmium est. Post cuius mortem *Quintilius* frater eius
a senatu Augustus appellatus, XVIII imperij sui die Aquileiæ occisus fuit. AVRELIA-
XXIX NVS, Dacia Ripensi oriundus,regnauit annos quinque, menses sex. Qui mox, *Tetrico*
1022 apud Catalaunios prodente exercitum, Gallias recepit: expeditioneq; facta vltra Da-
nubium, Gothos magnis prœliis profligauit: cultoresq; diuini nominis persequutus
est. *Odenatus Palmyrenus* ante ipsum collecta rusticorum manu, Persas de Mesopota-
mia expellens, ipse ea loca inuaserat. Quo occiso, vxor sua Orientis tenebat imperiū:
contra quam expeditionem suscipiens Aurelianus, apud*Hymmas vicū Antiochiæ
superauit, Romæque in triumpho viuam perduxit. Ac dehinc secundo arripiens ex-
peditionem, inter Byzantium & Heracleam in*Cænophrurio viæ veteris occiditur.
XXX TACITVS regnauit annos sex. Quo occiso apud*Pontem, *Florianus* suscepit imperiū;
1027 tenuitque diebus trecentis quinquaginta octo. Similiter & ipse apud Tarsum interfe-
XXXI ctus est. PROBVS regnauit annos sex, menses quatuor. Hic enim Gallos &* Hispa-
1028 nos vineas habere permisit. Quo tempore *Saturninus* magister militum, dum ad re-
staurationem Antiochenæ ciuitatis missus fuisset, * abrepta ibidem tyrannide, mox
oppressus est, & Apamiæ interfectus. Ipse quoque Imperator Probus tumultu mili-
XXXII tari Sirmio in turre, quæ vocatur Ferrata, occisus est. CARVS cum filiis CARINO &
1033 NVMERIANO, regnauit annos vndecim, oriundus Narbona Galliæ. Hic admirabili-
ter pæne omni Perside vastata, nobilissimas earum vrbes occupauit, * Clochen &
Ctesiphontem. Bellum Sarmaticum feliciter superauit. Ipse quoque Carus super Ti-
gridem amnem dum*castrametaret, fulmine ictus occubuit. *Numerianus* autem, o-
culorum dolore tentus, dum in lecticula veheretur, soceri sui Apri insidiis occisus
est. fœtor cadaueris vix tertio die agnitus est. *Carinus* vero, apud* Margum in prœlio

victus

victus occiditur. DIOCLETIANVS Dalmata, scribæ filius, Imperator elatus, regna- xxxiii
uit annis viginti. Hic etenim mox vt in regno eleuatus est, ilico Aprum in militum 1037
concione percussit, iurans, sine suo scelere illum Numerianum interemisse. & mox
in consortium suum *Maximianum Herculium* asciuit. Qui Maximianus rusticorum
multitudine oppressa, quos* Bagaudas dicunt, pacem Gallis reddidit. quo tempore
Carausius sumpta purpura, Britannias occupauerat: *Narseus* rex Persarum, Orienti
bellum intulerat: * *Quinquegentiani* Africam infestauerant; *Achilleus* Ægyptum in-
uaserat. Ob quæ CONSTANTIVS, & GALERIVS, ac MAXIMIANVS, Cæsares assu-
muntur in regnum. Quorum Constantius, Claudij ex filia nepos fuit: Galerius, in
Dacia, non longe a Sardica natus. Atque vt eos Diocletianus etiam affinitate cōiun-
geret, Constantius priuignam Herculij Theodoram accepit; ex qua sex liberos pro-
creauit: Galerius autem, Valeriam Diocletiani filiam accepit; vterque pristina matri-
monia repudiantes. Carporum siquidem gens tunc deuicta, & in Romanum solum
translata est. Tunc etenim primus omnium Imperatorum Diocletianus adorari se vt
Deum præcepit, & gemmas vestibus calciamentisque inseruit: diademataque in ca-
pite ante eum omnes, cum chlamyde tantum purpurea, vt a priuatis discernerentur,
habebant; & vt iudices ceteri salutabantur. Assumpta ergo vnusquisq; principum
expeditione, Diocletianus, Ægypti tyranno octauo mense deuicto, prouinciam cun-
ctam subegit: Maximianus Herculius, in Africa Quinquegentianos exsuperauit:
Constantius, iuxta Lingonas vna die sexaginta milia Alemannorum cecidit. Gale-
rius Maximianus, victus primo prœlio a Narseo, ante carpentum Diocletiani pur-
puratus cucurrit. Qua verecundia compunctus, secundo viriliter dimicauit, supera-
uit Narseum, vxores eius abegit ac liberos; & cum debito honore a Diocletiano su-
sceptus est. Post quam victoriam mirabiliter Diocletianus & Maximianus Romæ
triumpharunt, *antecedentibus sibi liberis vxoribusque regis Persarum, prædaque
illa ingenti gentium diuersarum. Sic quoque concitata persequutione in Christia-
nos, Diocletianus in Cappadocia defunctus est. Constantius
* * * * * * *

IVLIANVS apostata, regnauit anno vno, mensibus octo: relictaque Christianita- xxxvi
te, ad idolorum culturam conuersus est; multosque blanda* persequutione illiciens, 1113
ad sacrificandum idolis compulit. Ipse quidem vir egregius, & Reipubl. necessarius,
Parthis ingenti apparatu intulit bellum. Vbi proficiscens, Christianorum post victo-
riam sanguinem diis suis votauit. Nonnulla Parthorum oppida in deditionem acce-
pit; multaque vi populatus est; castraq; aliquamdiu apud Ctesiphontem habuit. Vn-
de egressus, dolo cuiusdam transfugæ in deserta perductus, cum vrentis ardore solis
confectus periret exercitus, ipse tantorum discriminum anxius, dum per vasta de-
serti euagatur incautius, ab obuio quodam hostium equite conto ilia percussus in-
teriit, anno ætatis suæ tricesimotertio. Post quem sequenti die ab exercitu IOVIA- xxxvii
NVS [ex primicerio] domesticorum in regnum ascitus est. Iouianus regnauit menses 1115
octo. qui mox necessitate compulsus, Nisibin, & magnam Mesopotamiæ partem Sa-
pori Parthorum regi contradidit; ipseque odore prunarum * præfocatus, defunctus
est *Dadastanæ, anno ætatis tricesimotertio. VALENTINIANVS & VALENS regna- xxxviii
uerunt annos tredecim, mensibus quinq;. Nam Pannones erant Cibalienses; vtrim- 1116
que germani. in Nicomedia tribunatum Valentinianus agebat. qui Imperator crea-
tus, fratrem suum Valentem regni socium assumpsit. Ipse vero egregius, & Aurelia-
no similis moribus: nisi quod seueritatem nimiam & parcitatem, quidam crudelita-
tem & auaritiam causabantur. Relicto germano Orientali in regno, ipse Hesperium
tenuit. Quo tunc regnante, alter *Valentinianus* in Britannia tyrannidem assumens, in
continenti oppressus est. Constantinopoli quoque *Procopius* quidam contra Valen-
tem insurgens, nihilque præualens, vrbe egreditur; & in Phrygiam salutarem tyran-
nizans, exstinctus est, multiq; partis Procopianæ cæsi atque proscripti. Valens ab Eu-
doxio Arianorum episcopo * suasus & baptizatus, contra Orthodoxos infestus insur-
git. GRATIANVM filium suum Valentinianus Ambianis Imperatorem constituit; xxxix
quem habuit de * Seuera priore iugali: & contra Saxones & Burgundiones, qui plus 1119

octoginta milia armatorum primum * Rheni in limbo castrametassent, mouit pro-
cinctum. sed apoplexia subito & sanguinis eruptione *Brigione defunctus est. Tunc
XL Gratianus VALENTINIANVM fratrem, de Iustina Sicula vxore natum, in regno con-
1128 sortem assumit. Nam Valentinianus senior, dudum, laudante Seuera vxore sua pul-
chritudinem Iustinæ, sibi eam sociauit in matrimonio; legesque propter illam cõcessit,
vt omnes viri, qui voluissent, impune bina matrimonia susciperent; quia ideo po-
pulosa * Arsorum gens est, quia hoc apud eos solenne est, & multarum vxorum vnus
auditur maritus. Decepta ergo (vt diximus) Iustina, Valentinianus edidit ex ipsa qua-
tuor filios, Valentinianum supradictum Imperatorem, Gratam, Iustamque, & Gal-
lam: de qua Galla dehinc Theodosius Imperator, Flacilla defuncta, quæ Arcadium
Honoriumque pepererat, Placidiam generauit; quę mater fuit moderni Valentinia-
ni Iunioris imperatoris. Sed nos ad propositum redeamus. *Valens* Imperator lege*da-
ta vt monachi militarent, nolentes iussit interfici. quando & Theodosius, Theodosij
Imperatoris postea pater, multique nobilium, occisi sunt Valentis insania. *Gratianus*
Imperator, Alemannorum plus triginta milia apud * Argentarium oppidum Galliæ
in bello prostrauit, Galliasque pacauit. Gens *Hunnorum* super *Gothos* irruens, certos
ex ipsis subiugat, alios fugat. * Qui venientes in Romaniam, sine armorum suscepti
*dispositione, per auaritiam ducis Maximi, fame compulsi, rebellare coacti sunt: su-
peratisque Romanis in congressione, * funduntur in Thracias. Contra quos Valens
ab Antiochia exire compulsus, in Thraciam proficiscitur: ibique lacrymabili bello
commisso, Imperator sagitta saucius, in casam deportatur vilissimam: vbi, superue-
nientibus Gothis, igneque supposito, incendio concrematus est. Gothi vero, occiso
Imperatore, iam securi, ad vrbem properant Constantinopolitanam. vbi tunc Do-
minica Augusta, Valentis vxor, multam pecuniam plebi largita, ab vrbis vastatione
hostes submouit; regnumque *cognati, vsque dum ille Theodosium ordinasset, fide-
XLI liter vtiliterque seruauit. THEODOSIVS Hispanus, Italicæ diui Traiani ciuitatis, a
1130 Gratiano Augusto apud Sirmium post Valentis interitum, factus est Imperator: re-
gnauitque annos XVII veniensque Thessalonicam, ab Anatolio sancto episcopo ba-
ptizatus est: admodumque ecclesiæ religiosus enituit propagator, reipublicæque de-
fensor eximius. Nam Hunnos & Gothos, qui eam sub Valente defatigassent, diuersis
prœliis vicit, atq; a praua vastatione compescuit. Cum Persis quoque petitus pacem
pepigit. *Maximum* autem tyrannum, qui Gratianum interfecerat, & sibi Gallias vin
dicabat, apud Mediolanum, vnà cum Valentiniano Imperatore aggrediens ab O-
riente, clausit, cepit, occidit. *Eugenium* quoque tyrannum atque *Arbogastem*, diuino
auxilio prædítus vicit, deletis eorum decem milibus pugnatorum. Hic etenim Euge-
nius, confisus viribus Arbogastis, postquam apud Viennam Valentinianum exstin-
xerat, [tyrannidem] inuasit: sed mox simul cum vita imperium perdidit. nam occiso
Arbogaste desperans, sua se manu peremit. omnibusque inimicis Theodosius supe-
ratis, in pace rebus humanis apud Mediolanum excessit, vtramque Rempubl. *vtris-
que filiis quietam relinquens. Corpus eius eodem anno Constantinopolim allatum
XLII atque sepultum. ARCADIVS & HONORIVS fratres, filij Theodosij Imperatoris, v-
1148 trumque imperium diuisis tantum sedibus tenere cœperunt; id est, Arcadius senior
Constantinopolitanam vrbem, Honorius vero Romanam. Tunc *Rufinus* patricius,
Arcadio insidias tendens, *Alaricum* Gothorum regem, vt Græcias deuastaret, missis
clam pecuniis inuitauit. Porro * detectus Rufinus, ab Italiæ militibus Arcadio cum
Gaina comite missis, ante portas vrbis detruncatus est. caput eius cum dextera ma-
nu Constantinopoli ad ludibrium circumductum: vxoreque eius exsulata, opes cun-
ctas Eutropius spado promeruit. *Gildo*, Africæ comes a Theodosio dudũ ordinatus,
*ac si iuuenile regnum vtrumque despiciens, sibi velle cœpit Africam tenere; & a fra-
tre proprio Mascelzer dum se vidisset * deiectum, oppressionique vicinum, propria
se manu peremit. *Gaina* vero supra nominatus comes, Cõstantinopoli ciuile bellum
commouens, totam vrbem igni ferroque turbauit; fugiensque ad Hellespontum, pi-
ratico ritu viuebat. contra quem nauali prœlio dato, multi Gothorum eius exstincti.
ipse quoque bello euadens, mox tamen * complectitur. Post cuius oppressionem,
Isauri per montem Taurum cursitantes, ingens dispendium Reipubl. *impetrarunt.

contra

contra quos*Narbazapatus directus, maius continuo rependit incommodum. He-
speriam vero plagam in regno Honorij Imperatoris primum * *Radagasius Scytha* cum
ducentis milibus suorum inundauit. Quem*Huldi & Sarus Hunnorum Gothorum-
que reges superantes, omnes captiuos, quos retulerant, singulis aureis vendiderunt.
Stilico vero comes, (cuius duæ filiæ, Maria &* Thermantia,, singulæ vxores Honorij
principis fuere, & vtræque virgines sunt defunctæ) spreto Honorio, regnumque e-
ius * inhians, Alanorum*Sueuorumque gentes donis pecuniisque illectas, contra re-
gnum Honorij excitauit; Eucherium filium suum paganum, & Christianis insidias
molientem, cupiens Cæsarem ordinare. Qui cum eodem filio suo,*detecto dolo, oc-
cisus est. Quo anno & Arcadius orientalis Imperator*regnans post obitum patris an-
nos XIII in imperio fuit. THEODOSIVS iunior, Arcadij filius, loco patris successit in XLIII
imperio; adolescens egregius: regnauitque annos quadraginta tres. *Alaricus* rex Vui- 1160
segothorum, vastata Italia, Romam ingressus est: opesque Honorij Augusti deprae-
datus, Placidiam sororem eius duxit captiuã. quam post hæc Ataulfo successori suo,
in matrimonium vt acciperet, delegauit. *Constantinus* tunc quidam Galliis occupa-
tis inuasit imperium. Hostes eius, contra eum sæuientes, filiumque eius regno priua-
re cupientes, monachum fecerunt eum. Ipse sanus a Gallia reuertens, statim filium
suum *Constantem* ex monacho Cæsarem ordinauit. Sed mox ipse apud Arelatum, fi-
lius eius apud Viennam, regnum cum vita amiserunt. Itemque eorum exitus imme-
mores *Iouinus* & *Sebastianus*, in Galliis tyrannidem moliuntur: sed & ipsi ilico esse de-
sierunt. *Heraclianus* post hæc cum septingentis & tribus nauibus armatis ad vrbem
Romam deprædandam venit. contra quem Marinus comes egressus, sic eum per-
terruit, vt tantum cum vna naui Karthaginem fugeret: vbi mox ingressus interfectus
est. *Vallia* rex Vuisigothorum, facta pace cum Honorio, Placidiam sororem eius red-
didit: quam Constantio patricio, qui eam reuocauerat, in matrimonio iungens Ho-
norius, rebus excessit humanis. Maximus & Iouinus, de Hispaniis ferro vincti addu-
cti, atque interfecti sunt. *Ioannes* vero, Honorio defuncto, regnum Occidentale in-
uasit. contra quem Placidia creata Augusta, & VALENTINIANVS filius eius Cæsar, XLIIII
diriguntur: quem & dolo potius Asparis & Artaburis, quam virtute superauit. Occi- 1174
soque Ioanne tyranno, Valentinianus Rauennæ Imperator a patruele Theodosio
ordinatur. cuius germana Honoria, dum ad aulæ decus virginitatem suam cogere-
tur custodire, clam misso clientulo, *Attilam* Hunnorum regem inuitat in Italiam.
quumque veniente Attila votum suum nequiret explere, facinus quod cum Attila
non fecerat, cum Eugenio procuratore suo committit. Quam ob rem tenta a germa-
no, & in Constantinopolim Theodosio principi destinata est. Post hæc tertio an-
no Valentinianus Imperator a Roma Constantinopolim ob suscipiendam in matri-
monium Eudoxiam Theodosij principis filiam venit: dataq; pro munere * sociis suis
tota Illyria, celebratis nuptiis ad sua regna cum vxore recessit. Africana prouin-
cia per *Bonifacium* comitem *Vuandalis* tradita, a Romano iure subtracta est: quia Bo-
nifacius, dum in offensam Valentiniani venisset, malo publico se defendere voluit:
inuitatoque ab Hispaniis * *Gizericho* Vandalorum rege, dolum quem conceperat, pe-
perit. Hunnorum rex *Attila*, iunctis secum Gepidis cum Ardarico, Gothisque &
* Vualanis, diuersisque aliis nationibus, suis cum regibus, omnem Illyricum Thra-
ciamque, & vtramque Daciam, Mœsiam, & Scythiam populatus est. contra quem
egressus*Arnegistlus magister militum Mœsiæ, apud Marcianopolim fortiter dimi-
cauit: eo quoque sub se decidente præuentus est; & nec sic quiescens bellare, occi-
sus est. MARCIANVS Imperator, regnauit annos sex, menses sex. Hic enim mox XLV
defuncto Theodosio in regno ascitus, Pulcheriam germanam Theodosij, quæ in pa- 1201
latio matura mulier virginitatem seruauerat, in matrimonio adsumẽs; regnum, quod
delicati decessores prædecessoresque eius, per annos fere sexaginta vicissim impe-
rantes minuerant, diuina prouisione sic reparauit, vt exsultatio ingens cunctis accre-
sceret. Nam cum Parthis & Vuandalis * omnino infestantibus pacem instituit; At-
tilæ minas compescuit; * Nouades Blemmyesque Æthiopia prolapsos, per Florum
Alexandrinæ vrbis procuratorem sedauit, & pepulit a finibus Romanorum: obi-
tumque Attilæ, & Zenonis Isauri interitum, antequam moreretur, felix comperit:

*infelicium omniumq; inimicorum suorum colla Domini virtute calcans, sexto an-
no, sextoque mense regnans, in pace quieuit. *Valentinianus* autem occidentalis Im-
perator, dolo *Maximi* patricij, cuius etiam fraude Aëtius perierat, in campo Martio,
per*Obtilam & Thransfistilam Aëtij satellites, iam percusso Cerealio spadone, trun-
catus est. Imperium quoq; eiusdem Maximus inuasit; tertioque tyrannidis suæ men-
se membratim Romæ a Romanis discerptus est. *Gizericus* tunc rex Vandalorum,
ab Eudoxia Valenriniani vxore inuitatus, ex Africa Romam ingressus est: eaque vr-
be rebus omnibus exspoliata, eamdem Eudoxiam cum duabus filiabus secum in A-
XLVI fricam rediens duxit. LEO, Bessica ortus progenie, Asparis patricij potentia ex tri-
1208 buno militum factus est Imperator. Cuius nutu mox Valentiniani apud Rauennam
Maiorianus Cæsar est ordinatus. qui tertio necdum anno expleto in regno, apud Der-
tonam occiditur: locumque eius sine principis iussu Leonis, *Seuerianus* inuasit. sed &
ipse, tyrannidis suæ tertio anno expleto, Romæ occubuit. Tunc Leo *Anthemium*, di-
ui Marciani generum, ex patricio Cæsarem ordinans, Romæ in imperio destinauit,
Bigelemque Getarum regem per Ardaburem Asparis filium interemit; Basiliscum
cognatum suum, id est fratrem Augustæ Verinæ, in Africam dirigens cum exercitu.
qui nauali prœlio Karthaginem sæpe aggrediens, antè eam, victus cupiditate, pecu-
niis vendidit regi Vuandalorum, quam in Romanorum potestatem redegerat. A-
sparem autem patricium, cum filiis Ardabure & Patriciolo, Zenonis generi sui in-
stinctu, in palatio trucidauit. occisoque Romæ Anthemio, *Nepotem* filium Nepotia-
ni, copulata nepte sua in matrimonio, apud Rauennam per Domitianum clientem
suum Cæsarem ordinauit. Qui Nepos regno potitus legitimo, *Glycerium*, qui sibi ty-
rannico more regnum imposuisset, ab imperio expellens, in Salona Dalmatię episco-
pum fecit. Sic quoq; Leo LEONEM IVNIOREM, ex * Ariadne filia nepotem suum,
in imperio ordinans orientali, anno sui sextodecimo obiit. Leo iunior, mox paucis
mensibus, quum puerile, ordinanter tamen, rexisset imperium; manu sua genito-
rem suum Zenonem coronans, Imperatoremque constituens, rebus excessit huma-
XLVII nis. ZENON, natione Isaurus, gener Leonis Imperatoris, regnauit annis decem &
1226 septem. Hic etenim dum * processibus Chalcedone degeret, subito Verina Augusta
socrus sua, fratrem *Basiliscum* in imperium inducens, Augustum in vrbe appellauit.
Quod comperiens Zenon, Chalcedone sine aliqua Reipubl. læsione in Isauriam re-
cessit; malens se solum cum * Ariadne Augusta exsulare, quam sua caussa Reipubl. a-
liquid ex bellis ciuilibus incommodum prouenire. Quod Basiliscus cognoscens,
Zenonisque fuga lætatus, *Marcum* filium suum Cæsarem ordinauit. Qui perfidia Ne-
storiana inflatus, multa cõtra ecclesiam tentauit protinus agere: sed volente Deo an-
te inflatus crepuit medius, quàm pœnitens stare potuerat. Nam reuertẽs Zenon rur-
sus in regnum proprium, & eum, & patrem, & matrem, in exsilium oppidi * Slemnij
prouinciæ Cappadociæ destinauit. vbi, quia caritas Dei & proximi in illis refrixerat,
frigore consumpti sunt; vitamque cum regno amiserunt. Parte vero Hesperiæ, Ne-
pote Imperatore Orestes fugato, *Augustulum* suum filium in imperium collocauit.
Sed mox *Odouacer*, genere*Rogus, Thorcilingorum, Scirorum, Herulorumq; tur-
bis munitus, Italiam inuasit: Augustulumq; Imperatorem de regno euulsum, in Lu-
cullano Campaniæ castello * exsilij pœna damnauit. Sic quoq; Hesperium regnum,
Romanique populi principatum, quod septingentesimo nono vrbis conditæ anno,
primus Augustorum Octauianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augustulo periit,
*anno decessorum regni Imperatorum quingentesimo vicesimosecundo; Gotho-
rum dehinc regibus Romam tenentibus. *Theodericus* autem, Triarij filius, cogno-
mento *Strabo*, rex Gothorum, a Sciris suis vsque ad Apulum quarto vrbis miliario ar-
matus aduenit: nulli tamen Romanorum noxius, continuo est reuersus. Porro in Il-
lyricum properans, dum inter suorum mouentia plaustra progreditur, iacentis su-
per carpentum teli acumine, pauitantisque equi sui impulsione fixus, transuerbera-
tus interiit; & Reipubl. diem festum morte sua donauit. * *Vualamero* rege Gothorum
in bello Scirorum defuncto, *Theodemir* in regno fratris successit, cum**Vuidimero* fra-
tre & filio Theoderico. sed missa sorte, Vuidimero partes Hesperiæ, Theodemiro
cum filio Theoderico Illyricum obuenit. Relicta ergo Pannonia, alter Italiam, alter
Illyri-

Illyricum ſuſcepit populandum. Sed vtrique reges, mox vbi ſortita loca ingreſſi ſunt, ilico rebus humanis excedunt. Vuidimer Italia, Illyrico Theodemir relictis filiis deceſſerunt. Quorum *Vuidimer* ab Italicis præmiis victus, ad partes Galliæ Hiſpaniæque, omiſſa Italia, tendit: *Theodericus* vero, Zenonis Augusti pellectus humanitate, Conſtantinopolim venit. vbi magiſter militum ſtatim effectus, conſulis ordinarij triumphum ex publico dono peregit. Sed quia tunc (vt diximus) *Odouacer* regnum Italiæ occupaſſet, Zenon Imperator cernens iam gentes illam patriam poſſidere, maluit Theoderico, ac ſi proprio iam clienti, eam committi, quam illi quem nec nouerat: ſecumque ita deliberans, ad partes eum Italiæ mittens, Romanum illi populum ſenatumque commendat. ouansque rex gentium, & conſul Romanus Theodericus, in Italiam petit: magnisque prœliis Odouacrum vicit, & Rauennam in deditione ſuſcepit. deinde vero, ac ſi ſuſpectum, Rauennæ in palatio iugulans, regnum gentis ſuæ, & Romani populi principatum prudenter & pacifice per XXX continuit annos. *Ilus* autem Iſaurus, magiſter officiorum, & Zenoni Imperatori in priuata vita amiciſſimus, caritateque coniunctus, dum ſecreto* in detractionem Ariadnes Auguſtæ, cum eius viro loquutus eſt, in zelo Auguſtum concitauit. qui deliberans eam perimere, vni ſuorum rem tacite demandauit. Quod dum ille agere nititur, cuidam cubiculariæ prodit ſcelus eadem nocte facturum. Regina ſcelus cognouit: ſuoque in lectulo eâdem quæ rem ſuggeſſerat, collocata; in * epiſcopium ad Acacium nemine ſciente ſubterfugit. Poſtera die Zenon, rem æſtimans perpetratam, dum luctum quendam quaſi mœrens, neminem ſuſcepit, Acacius epiſcopus ingreſſus, & facti arguit impietatem, veniæque fidem expoſcit: Auguſtamque ſuſpicionis innoxiam compromittit: acceptaque fide, veniæ pactione Auguſta reuertitur. ſecumque dum crebro deliberat, qua ſorte de inimico exigat vltionem, nacta (vt opinata eſt) opportunitatem, vni ſuorum mandat in abditis ſtanti, vt illum a ſe recedentem perimeret. Qui parens præceptis reginæ, dum auidus ferit in capite; enſe non ceruicem, vt cupiebat; ſed aurem illius amputauit. Quod periculum euadens Ilus, mox * ad vrbem recedens, Zenonique infeſtus, orientem inuaſit. Contra quem *Leontius* directus, * pellicibus verbis illectus, diadema arripuit: ſimulque Leontius & Ilus Reipubl. inimici, effecti tyranni, in partes Syriæ & Iſauriæ debacchabantur. additoque ſuper ſolito Iſauris dono, omnes ſimul conſpirant contra Zenonem: cuius theſauris in * Papyrio caſtello munitiſſimo repertis, deſæuiunt. Sed non poſt multum ab exercitu Zenonis in eodem caſtello capti decollatique ſunt: & capita eorum Conſtantinopolim allata, præfixaque haſtilibus ſtatuerunt. Sic quoque Zenon, ſuperatis inimicis ſuis, in pace bona quieuit. ANASTA- XLVIII
SIVS, ex ſilentiario ſubito ab Ariadne Auguſta in imperio aſſumptus, ſimulque 1243
Imperator & maritus innotuit: regnauitque annis viginti ſeptem, menſibus duobus. Contra quem Iſauri, dum ſibi quod Ilus tyrannus ille adiecerat donatiuum, & Zenon reconciliationis gratia inuitus largitus eſt, ab iſto fraudantur, arma arripiunt: conſertoque prœlio, iuxta Cotzianum Phrygiæ ciuitatem caſtrametati, pæne per ſex continuos annos Reipubl. aduerſantur: vbi & *Lilingis*, eorum & in bello & in conſilio præuius, quamuis pedibus ob corporis debilitatem ſegnis, eques tamen in bello acerrimus, dum peremptus fuiſſet, omnes Iſauri fugerunt, atque diſperſi ſunt & deuicti, & * perquaquam exſilio ablegati; vrbesque eorum nonnullæ ſolo vſque proſtratæ. * Variis namque ſub Anaſtaſio miles prœliis fatigatus, & nunc in Illyrico cum Sabiniano & Mundone ad * Margum, nunc cum Pompeio ad Adrianopolim, nunc cum Ariſto ad Zortam, nunc cum Parthis in Syria; vt omittam inteſtinas clades & pugnas in foro regiæ ciuitatis; ad poſtremum contra Iraliam plus piratico quam publico Marte concertans, fruſtratus eſt. Sed, quod ſit plus dolendum, contra vltimum ſuum famulum *Vitalianum* de Scythia per ſex annos ciuile bellum exſtruxit. Is ſiquidem Vitalianus, cum LX milibus armatorum, tertio pæne miliario, non reipubl. ſed regi infeſtus, accedens; multa ſuburbana regiæ vrbis prædis ſpoliisque attriuit. Contra quem dum Hypatius nepos Cæſaris, cum exercitu numeroſo pugnaturus egreditur, ante ab Hunnis auxiliaribus capitur, & Vitaliano turpiter venditur, antequam aperto prœlio parte aduerſa ſeſe inimicus oſtenderet.

Post quem iterum suus gubernator magisterque militum, sæpe superati, sæpe irrisi ab
eo & spreti sunt. Sic quoque diuersis partibus inimicorum vallatus agminibus Ana-
stasius, sæpe congemuit: nulliusq; tamen meruit inimicorum suorum vindictam au-
dire: sicut nec ipse ecclesiæ iura seruauit: imo mœrens & furens, maior* octogenario
ætatis anno, regniq; vicesimo & octauo, rebus excessit humanis: contritaq; Respubl.
XLIX vix Iustino ei succedente aliquantulum respirauit. IVSTINVS, ex comite excubi-
1268 torum a senatu Imperator electus, annos regnauit IX. Qui mox inhiantes regno suo
Amantium præpositum palatij, *Andream* & *Misaelem* & *Ardaburem* cubicularios sen-
tiens, afflixit. Nam Amantium & Andream ferro trucauit; Misaëlem & Ardaburem
Perdicam in exsilium misit. *Theocritum* quoque satellitem Amantij, quem idem quo-
que Amantius ad regnandum clam præparauerat, comprehensum carceratumque,
saxis contisque ingentibus cæsum, salsum in gurgitem iecit, *sepultum tamen; impe-
rio, cui inhiauerat, eum priuans: fœdusq; cum *Vitaliano* percussit; & ad se euocatum,
magistrum militum præsentem & consulem ordinari tum fecit. quem rursus in suspi-
cione habens prioris facti, sedecim vulneribus in palatio cum Celeriano & Paulo sa-
tellitibus confossum perimit. Hic quoque Imperator, ante quartum mensem obi-
L tus sui, senectuti suæ consulens, & Reipubl. vtilitatibus; *Iustinianum* ex sorore sua ne-
1277 potem, consortem regni successoremque imperij ordinans rebus humanis excessit.
Iustinianus regnat iam iubente Domino annos XXIIII. qui vt sceptris* genioque ab a-
uunculo suo mancipatus est, mox Parthos bella mouentes destinato exercitu com-
pescuit; & fines proprios tutans, Parthorum sæpe multos occidit. Postea vero, facien-
tibus peccatis, in die sabbati sancti paschæ inito certamine, exercitus & non ducis in-
stinctu, in fluuio Euphrate fugiens Parthos, Romanus numerosus ruit exercitus. Illy-
ricumque sæpe ab Herulis, Gepedisq; & Bulgaris deuastantibus, per suos iudices fre-
quenter obstitit vi, *subterque cecidit. Post hæc *Hypatium Pompeiumque* regni sui in-
sidiatores, coadunata manu ciuili* circum ingressos, & Hypatium torque aureo redi-
mitum pro diademate, locaque Imperatoris iam occupantem; Pompeium vero sub
chlamyde loricatum, & iam palatium inuadentem; vtrumque detentum, ante fores
palatij captum catenatumque discussit: amputatisque eorum capitibus, ante eos fe-
cit imperium perdere quam haberent. sociisque eorum, qui euaserant hac cæde, pro-
scriptis; veluti grandi hoste prostrato, de manubiis triumphauit. Eodemque anno,
post diuturnum immanemque belli laborem, quod contra Parthos Romanorũ fuis-
set gestum sudoribus, per Rufinum patricium, perque Hermogenem magistrum of-
ficiorum, & vtrumque legatum directum ad principem, pax depacta est, fœdusque
initum, & munera ab vtroque principe sibi inuicem destinata. Mox quoque soluto
de orientali parte exercitu, eumdem ductorem quem dudum orienti transmiserat,
elegit Belisarium: & numerosos fortissimosque milites deputans, ad australem pla-
gam contra* Vuandilos mittit. qui, fauente Deo, qua venerat facilitate, ea celeritate
Vuandilos superauit: Libyamque ad corpus totius Reipubl. iungens, *Gelimerem* re-
gem, opesque Karthaginis, in vrbe regia principi spectante populo obtulit. Cuius nu-
tu remuneratus, consulque ordinarius mox designatus, de manubiis Vuandilicis Be-
lisarius triumphauit. In Italia vero, Theoderico rege defuncto, *Athalaricus* nepos
eius ipso ordinante successit: & annos octo quamuis pueriliter viuens, matre tamen
regnante Amalasuentha degebat: quando & Gallias diu tentas, *Francis* repetentibus
reddidit. Mortuoque Athalarico, mater sua* *Theodahatum* consobrinum suum, regni
sui participem faciens, non post multum ipso iubente occisa est. Et quia dudum se su-
umque filium commendauerat principi Iustiniano, is mortem eius audiens doluit,
nec passus est inultam transire: sed mox eundem ducem belli, qui Pœnorum domi-
tor fuit, & de opibus Vuandilicis triumphans adhuc in fascibus erat, agmini diuersa-
rum præponens nationum, ad partes Hesperias destinauit. qui primo accessu mox Si-
ciliam peruadit, duce eius Sinderich superato. vbi dum aliquantum temporis ob or-
dinandam patriam resideret, comperit in Africa ciuilia bella intestinaque prœlia de-
bacchari. Nam *Stozas*, pæne vltimus militum, & Martini clientulus magistri mili-
tum, tyrannidem arripiens, auctorque seditiosorum effectus, Cyrillo, Marcello, Fa-
ra, aliisq; diuersis iudicibus dolo peremptis, in ducem Salomonem sæuiebat; totamq;

Africam

Africam tyrannico ritu vastabat. Emenso ergo Belisarius a Sicilia in Africam pelago, solita felicitate rebelles fugat, prouinciã liberat; Salomonemq; rursum Karthagine collocans, Siciliam redit. Vbi mox* Eurimund, Theodahati Gothorũ regis gener, qui contrarius cum exercitu venerat, cernens prosperitatẽ consulis, vltro se dedit ad partes victoris; orauitq; vt iam anhelanti suo aduentu* suspectæ subueniret Italiæ. Cõstructo ergo Belisarius exercitu, & tam naualia quã equestria ductans agmina, vallauit Neapolim: paucisq; diebus eam obsidens, per aquæ ductũ noctu inuasit; & tam Gothis qui aderant, quam Romanis bellantibus interfectis, vrbem plenissimẽ spoliauit. Quod Theodahatus animaduertens,* *Vuitigem* vnum inter alios ductorẽ exercitus præponens, cõtra Belisarium dirigit. Qui Campaniam ingressus, mox vbi ad campos venisset barbaticos, ilico exercitus fauorẽ, quem contra Theodahatum suspectum habebat,* rex cepit. & *quid*, inquit, *vultis?* At illi, *Tollatur*, inquiunt, *de medio, qui cum sanguine Gothorum & interitu sua cupit scelera excusari.* factoque impetu in eum, consona voce Vuitigim regem denuntiant. At ille regno leuatus, quod ipse optauerat, mox populi voto consentit; directisq; sociis, Theodahatum Rauennam reuertentem exstinguit: regnumq; suum confirmans, expeditionẽ soluit: & priuata coniuge repudiata, regiam puellam Mathesuentam Theoderici regis neptem, sibi plus vi copulat quam amore. Dumq; ille nouis nuptiis delectatur Rauennæ, consul Belisarius Romanam vrbẽ ingressus est: exceptusq; ab illo populo quondã Romano & senatu, iam pæne ipso nomine cum virtute sepulto, confestim vicina occupat loca, vrbiũ opidorumq; munimina. Primaq; Græca congressione, Hunila ductãte, Perusinum ad opidum superat: & plusquã VII milibus trucidatis, reliquos Rauennam vsq; proturbat. Secunda vero, cum ipso Vuitige Romanas arces vallante congreditur: machinasq; illius & turres, quibus vrbẽ adire tentabat, igni consumptas, per anni spatiũ, quamuis inedia laborans, deludit. Post hæc ad Ariminum persequutus: exindeq; effugatũ, Rauenna clausum in deditionẽ suscepit. atq; vnus consul, qui cõtra Getas dimicat, pæne pari euẽtu de *Francis*, qui cum *Theodeberto* rege suo plus ducenta milia aduenerãt, triumphauit. sed, quia ad alia occupatus alibi noluit implicari, rogantib. Francis pacem concessit; & sine suorũ dispendio, de finibus Italicis expulit; sumptoq; rege, & regina, simulq; & opibus palatii, ad principẽ qui eum miserat, reportauit. Sicq; intra pauci temporis spatium Iustinianus Imperator per fidelissimum consulem duo regna duasq; Respubl. suæ dicioni subegit. Quod *Parthus* comperiens, facibusq; inuidiæ exardens, in Syriam mouit procinctũ; & Callinicum Cæsareamq; deuastãs, Antiochiam venit. vbi Germanus patricius cum Iustino filio suo, eodemq; consule, postquã ab Africana prouincia remeasset, dum aduentui Parthorũ obuiare nequit, relicta vrbe ad partes secessit Ciliciæ. Persæ vero, vacuam ab exercitu Antiochiam nacti* populũ quidẽ per Orontis alueum ad Seleuciam maritimã cum militib. mixtis fugientem aspiciunt, nec sequuntur; sed prædas per vrbem certatim diripiunt; vicinasq; vrbes, & opida, partim inuasa, partim pecuniæ quantitate multata, prætereunt; & totius Cœlesyriæ bona sibi vnius in anni spatium pæne Parthus assumit. Nec sic quoq; recedit, sed iugiter aduersus Remp. Romanã dimicat. Contra quẽ Vuandalicus & Geticus consul solite destinatur. qui etsi non, vt reliquas gentes, eum edomuit; tamen vt intra suos se fines recolligeret, compulit: fuissetq; de hac gente felici duci* parta victoria, ni clades in Italia, quæ post eius discessum emerserat, celerem ei successorẽ dedisset Martinum. Qui etsi viribus impar, cõsilio tamen quamuis cum Constantiano coniuncto non minor, dum* resisti contra Parthos non præualet, ne bella diu teneret, pacem effecit. Cladem vero quam diximus in Hesperia plaga, vt liquidius lector cognoscat, apertius memorabo. Egrediente Belisario consule ab Italia, & (vt diximus)* rege & regina, opibusq; palatii ad principem reportante; *Gothi*, qui trans Padum in Liguria consistebant, recrudescẽtes animo, ad bella consurgunt: & ordinato sibi regulo* *Hildebaldo* milite exsistunt aduersi. contra quos dum non vnius, sed diuersorum tentantur apparatus, illi fortiores effecti persistunt: anniq; spatio vix emenso, Hildebaldus interficitur; & loco eius succedit* *Erraríus*: qui & ipse vix anno expleto peremptus est; & in regno, malo Italiæ,* *Baduila* iuuenis nepos asciscitur Hildebaldi. qui mox & sine mora Fauentino

in opido Æmiliæ solo, prœlio commisso, Romanum superauit exercitum: nec diū post hæc*item per suos ad cancellos annonariæ Thusciæ feliciter dimicans iudices, fugat: exercitum partim donis, partim blādiciis sibi consociat, totamq; Italiam cum ipsa Roma peruadit: omniumq; vrbium munimenta destruens, cunctos senatores nudatos, demolita Roma, Campanię terra transmutat. Contra quem, vt superius diximus, Belisarius de oriente digreditur cum paucis; ratus omnē exercitū, quem dimiserat, integrum reperire. & ideo, postquā Rauennam ingressus est, nec cum quib. ei obuiaret, inuenit; remenso Adriatico mari, Epirum reuertitur. vbi Ioannes & Valerianus coniuncti, dum in conciones & iurgia concertant,* *Totila* cum Badiula hostile opus in Italia peragit. Belisarius quoq;*patiens tantæ crudelitatis, naualem classem a Sicilia soluens, per Tyrrheni maris æstum, Romani in portus se recepit stationem. egressusq; ad vrbem, quam vi destructā & desolatā attendit, hortansq; socios, ad reparationē tantæ vrbis accingitur. vbi nec dum vallo circumseptus, infestū experitur Totilā. sed solitis victoriis intrepidus, quāuis cum paucis cōtra eum egressus, sic effugauīt, vt plures fugientes Tiberi demergerentur, quam gladio caderent. Indeq; hortatus exercitum, regreditur Siciliam; quatenus & Romæ faceret copiā annonæ, & vicinus ad fretum, Totilam turbaret in Campania commorantem. Sed, vt assolet, rerum immutatione, & principum voluntate diuersa, quiescente in Domino Theodora Augusta, euocatur ad vrbem Belisarius de Sicilia. Post cuius discessum Totila securus, iterata rabie, & furentibus Isauris, inuadit Romam: & sic sumptis vndiq; viribus, militariq; vallatus auxilio, ingreditur; * cepitq; Siciliam. Contra quem Germanus patricius dum exire disponit cum exercitu, Mathesuentam Theoderici regis neptē, & Vuitigi mortuo derelictā, tradente sibi principe in matrimonio *sumptam, in Sardicensi ciuitate extremū halitum fudit, relinquens vxorem grauidam: quæ post eius obitum, postumum edidit filium, vocauitq; Germanum. Qua felicitate sibi Totila comperta, totam pæne insultans Romanis deuastat Italiam. In Africa vero, a Mauris dudū perempto Salomone, Stozas & Ioannes inuicē singulari certamine corruunt; aliusq; *Ioannes*, qui *Stozas iunior* dicebatur, suscepta tyrannide, *Guntharim magistrū militū secum esse suadet. Qui, interficiens Ariobindam, iugalem eius, neptem Imperatoris, sibi cupiens sociare, præuenitur ab Artabane. qui eo in conuiuio trucidato, neptē Imperatoris ereptam, ad vrbem principi dirigit cum honore; simulq; ferreis vinculis colligatū ei tyrannum destinauit Ioannem; qui Stoza perempto, in eadē successerat tyrannide. quem in vrbem discussum, manibusq; truncatis, ad exemplum ceterorum in patibulo fixit. Ioanni dehinc patricio cognomine Troglitæ, Africæ procuratione commissa, Artabanus euocatus, magistri militū præsentis accepit dignitatē. Nec*diu intercedente, in ipsum principem manus iniicere gestiens, detectus &*comprobatus, pietate tamen principali impunitus permansit; &, quasi beneuolus, congratulatione in Siciliam cum Liberio patricio properauit. Ioannes vero in Africana prouincia feliciter degens, Mauris partis aduersæ per pacificos Mauros superatis, vna die decem & septem præfectos exstinxit, pacemq; totius Africæ iuuante Domino impetrauit. **Longobardorum* gens, socia Romani regni principibus, & Theodahati sororis filiam, dante sibi Imperatore, in matrimonio iungens regi suo, contra æmulos Romanorum *Gepidas*, vna die pugna commissa, eorum pæne castra peruasit; cecideruntq; ex vtraq; parte amplius quadraginta milia: nec par (vt ferunt) audita est in nostris temporibus a diebus Attilæ, in illis locis, præter illam quæ antehac contigerat sub Calluce Magmilide cum Gepidis, aut certe Mundionis cum Gothis; in quibus ambobus auctores belli pariter corruerunt. Hæc sunt caussæ Romanæ Reipubl. præter instantiam quotidianam Bulgarorum, Antarum & Sclauinorum. Quæ si quis scire cupit, annales consulumque seriem reuoluat sine fastidio; reperietq; dignam nostri temporis Rempubl. tragœdia; scietq; vnde orta, quomodo aucta, qualiterue sibi cunctas terras subdiderit; & quomodo iterum eas abignaris rectoribus amiserit. quod & nos pro captu ingenii breuiter tetigimus; quatenus diligens lector latius ista legendo cognoscat.

IVLII EXVPERANTII OPVSCVLVM;

DE MARII, LEPIDI, AC SERTORII BELLIS CIVILIBVS: QVOD CVM IN VETERE QVOdam Salluſtii codice, bello Catilinario & Iugurthino in fine ſit additum, Hiſtoriarum Salluſtii breuiarium quoddam eſſe videtur.

Ex bibliotheca Pithœana.

CVM Lucius Metellus Proconſul, contra Iugurtham in Numidiam exercitum duceret, Marium ex gregariis militibus genere ignobilem, ſed virtute praeſtantem, ſecum habuit. Quem cum militibus quaeſtorem feciſſet, ita ſe factis fortibus promiſerat, vt hoſtibus terrori, Romano imperatori carus eſſet. Sed victimas immolanti numinib. in oppido Numidarum cui nomen eſt Vtica, haruſpices magna quaedam impendere Mario reſponderunt: atque hortati ſunt vt quae vellet, auderet, peteretque celſiora natalibus, meritisque maiora: ſiquidem cuncta videbatur fauor ſpondere fortunae. Tunc capiendi conſulatus inuaſit magna cupiditas. ad quem petendum paratus ſuffragiis, relicta prouincia Metello, Romam venit: ibiq; de Metelli reb. loquendo corruptius, ac ſuam extollendo virtutẽ, effecit animos vulgi cupidos nouitatis, in ſuum excitando fauorẽ, adiuuantibus Tribunis plebis. Nam eo tempore inter patres ac populũ, ſtudio dominationis, erant excitata certamina. Ita factum eſt vt quaſi in perniciẽ nobilitatis, quam lacerabat iniuriis, Marius nouis extolleretur honoribus. Itaque comitiis conſularibus, vniuerſus populus, qui ad eligendum conuenerat, Marium conſulem iuſſit: & erepta Metello prouincia, in Numidiam miſſus eſt. Is, accepto conſulatu, quaſi ſpolium victoriae ſuperatis patribus oſtentabat; aperteque ſe eorum potentiae profitebatur aduerſum. Sed cum militem nouum ſcriberet, primum omnium capite cenſos ciues infidosque atque inutiles duxit ad bellum; vt hac ratione cum publico detrimento populo gratiam redderet, a quo ſperatos honores acceperat. Nam populus Romanus per claſſes diuiſus erat, & pro patrimonii facultate cenſebatur. Ex iis omnes quibus res erat, ad militiam ducebantur. Diligenter enim pro victoria laborabant qui * ex libertate bona patriam defendebant. Illi autem quibus nullae opes erant, caput ſuum quod ſolum poſſidebant, cenſebantur, & belli tempore in moenibus reſidebant. facile enim poterant exiſtere proditores: quia egeſtas haud facile habetur ſine damno. Hos igitur Marius, quibus non fuerat R P committenda, duxit ad bellum. Sed forte L. Syllam legatum, vnum de nobilibus, in prouinciam duxit. Atque ibi confecto feliciter bello, & Iugurtha capto, ad vrbem rediere victores. Atque ſtatim, virtute cognita, Marius in Galliam miſſus, quae tunc Romanos fines hoſtili incurſione vexabat. Eodem tempore Mithridates cum magnis copiis vniuerſam Aſiam vrbesque ſociorum expugnando atque vaſtando cepit affligere. Ad quem coercendum L. Sylla eſt cum exercitu deſtinatus; cuius in Africano bello probata erat * corporis atque animi magnitudo. Hoc vbi Mario compertum eſt, terminare quod gerebat prelium feſtinauit: & homo infinitae cupidus gloriae, non patiebatur libertatem dignitatemque Romanam alterius virtute defendi. Contuſis igitur Gallis, vaſtataque natione penitus barbarorum, Romam iterum victor intrauit. Itaque inſtinctu eius Sulpicius Tribunus plebis legem tulit, vt auferretur Syllae prouincia, ac Mario daretur. Hoc Syllae vbi nunciatum eſt, Murenam legatum ſuum prouinciae * Valerianiſque praefecit militibus, quos infidos bellis exiſtimabat eſſe ciuilibus: & cum parte exercitus, iniuriae dolore commotus, ad extinguendam Marianam venit factionem. Statim vt Romam venit,

reſiſtentem ſibi Sulpicium, & ſeditioſis concionib. R P diſturbantem, cum multis quos ſibi ſocios adſciuerat, trucidauit; atq; Marium ipſum, machinatorem tantae contumeliae, in exilium impetu detruſit armorum: atq; ille, *quotiens victor, per Gallorum atque Afrorum rura, quae ipſe vaſtauerat, naufragus atque egenus errauit. Dum haec aguntur, Cinna & Octauius facti ſunt Conſules: quorum Cinna de partibus Marianis fuit. hic legem tulit, vt noui ciues, qui aliqua ratione Romanam acceperant ciuitatem, cum veteribus nulla diſcretione ſuffragium ferrent. hoc videlicet in eorum gratiam faciebat qui Marium ſuffragiis ſuis extulerant, & ampliſſimis honoribus decorarant. Sed haec lex iniurioſa erat in veteres ciues, qui meritum dignitatis videbantur amittere, ſi cum nouis indignis in ferendo ſuffragio iungerentur. Ob hoc itaque Octauius collega commotus, vt ſeditionibus priuaretur, collegam ſuum Cinnam, adnitentibus veteribus ciuibus, in exilium miſit armatus, munitus videlicet copiis Syllae. Quæ cum agerentur, maximus ex vtriſque partibus ciuium numerus interemptus eſt. Expulſus igitur Cinna cum vagaretur, ad Africam, vbi Marius inops erat, forte peruenit: atque ibi communicato conſilio, ſollicitatis animis perditorum, & de ergaſtulis erutis ſeruis, exercitum confecerunt; & armata validiſſima manu iuuentutis, ad vrbem venerunt, atque Octauium Syllae ſatellitem ſuperatum necauerunt. Tunc varia crudelitas peruagata eſt, vt nobilitas omnis ad fugitiuorum trucidaretur arbitrium. Atque eo inmanis ſeuitia Cinnae fuit, vt nec illis parceret quorum opera erat victor effectus. Et cum hac inſolentia in omnes communiter baccharetur, cum haberet contiones, a militibus ſuis occiſus eſt. Tum Marius, * ne ſine ſocio dominatum ſuſtinere non poſſet, in *locum Carbonem ſibi in ſeptimo conſulatu collegam ſubrogauit. Tum Sylla, tanta indignatione commotus, contra Marium atque Carbonem exercitum duxit; & inter ſe ferali certamine Romani exercitus conflixere. in quo bello ſuperatus eſt Marius. Tum vero Sylla victor, quicquid in vrbe remanſerat, crudeliter perſecutus eſt; & R P vindicatam non reddidit legibus, ſed ipſe poſſedit; ac ſe talem praebuit, vt Cinnana ac Mariana, quod vltum erat, dominatio quaereretur. Hinc* Saluſtius; *Bonis initiis malos euentus habuit.* Nam fuerunt bona principia, quod oppreſſam voluit ciuium defendere libertatem: mali euentus, *quod ſuperatis dominis, & ducibus ſeuis, grauius ipſe ciuitatem quaſſauit, qui ſe publicae calamitatis fore promiſerat * defenſorem. Hic, cum teneret imperium, multas leges ac iura præſcripſit, multas ciuitatibus inmunitates vectigalium dedit, multos Romana ciuitate donauit. Huius acta cum conatur Lepidus in ſuo conſulatu ſubuertere, contra collegam Catulum ciuile proelium geſſit, & victus eſt. Nam congregatis hiis in quorum poſſeſſiones nouos colonos de ſuis militibus Sylla victor inmiſit, ac ſibi coniunctis liberis proſcriptorum, ingentem congregauit exercitum, pollicendo, ſi viciſſent, ſe bona patria reſtituturum. plebi quoque multis muneribus publice priuatimque *largitus, carus videbatur, ac publicae libertatis aſſertor. Sed in * Etruri litore commiſſo prelio ceperat Lepidus eſſe ſuperior per armatam multitudinem, quae odio rerum Syllanarum, ſe Lepidi partibus applicarat. Sed Pompeius de Gallia rediens, non paſſus eſt Lepidi audaciam cum publicis detrimentis impune bacchari. Nam fugientes eius copias, ac ſe implicantes feſtinatione formidinis, ita proſtrauit, vt maiore numero priuatus, in Sardiniam confugeret; vt impedito commeatu, populum Romanum fatigaret inopia, ac ſuas vires armis copiiſque & omni inſtrumento reficeret. Atque ibi* contrario Propraetore, variis preliis grauibusque conflixit. Nam ſollertiſſime tutando prouinciam, effecit vt Lepidi conſilia vana forent. Vndique enim prohibitus, & munitionibus ac ciuitatum expugnatione *depulſus, nequiuit cogitata perficere. Ac dum multa parat, morbo graui oppreſſus ac mortuus eſt. Cuius ſocius & adminiſter Perpenna, ob delictum tanti facinoris ſupplicium timens, ex Sardinia in Hiſpaniã tranſuectus eſt; ac ſe Sertorio ſociauit, qui tum Romanis armis quaſſabat imperiũ. Nam hic Sertorius de Marii partib. fuit. Nam*Norbano & Scipione conſulibus, cum ex Aſia Sylla cõtra Marium atq; factionẽ veniret infeſtus, timens

Senatus

Senatus*iram, ne malo publico certamina inter duces orirentur, statuit vt curarent Consules ne R P acciperet detrimentum. Hoc itaque Senatusconsulto excitati Consules, contra venientem Syllam atq; omnibus exitium minitantem, praesidia sibi cuiusque generis parare caeperunt, & duces idoneos, ad quorum industriam pertineret cura bellorum. in queis elegere Sertorium. Parato validissimo exercitu processere; & vetante Sertorio, colloquia Consules permiserunt inter suum & Syllae exercitum; & facta proditio est, omnisque exercitus Syllae traditur. Tunc Sertorius destitutus, atque omni copiarum nudatus auxilio, in Etruriam confugit, iram metuens Syllae, ne exigeret grauem de superato hoste vindictam. *Erat autem in Etruria fidissima partibus Marianis, qui ab ipsis Romanam, quam antea nō habebant, acceperant ciuitatem. Timentes igitur Etrusci, ne beneficium tantae dignitatis a Marianis acceptum, Sylla reuocaret si aduersae partes essent amputatae, penitus ad Sertorium se atque alios eiusdem factionis duces applicarunt, omnia quae imperarent, sine recusatione promittentes esse facturos. Itaque factum est vt rursus firmissimus XL cohortium comportaretur exercitus. Nam & multi milites, qui se venienti Syllae tradiderant, *frustationis, ad priorum ducum castra reuerterunt, quae ante prodiderant. Inter haec facti sunt Marius septies & Carbo Consules. Tunc Sertorius, de Marii potestate securus Romam venit, & omnium coepit accusare segnitiem, & ex multis promtissimis factis Syllae industriam virtutemque laudare; cui nisi obuiam iretur, actum iam ac debellatū foret. Tum Consules principesque alii factionis, tanto verborum pondere castigati, siue vt aemulum ac vehementem negligentiae correctorem ab oculis remouerēt, siue vt feroci prouinciae, cuius infidelitatem timebant, idoneum praeponerent ducem, misere in citeriorem Hispaniam; atque ei mandatum est vt transiens res in Gallia transalpina componeret. Sed vbi in prouinciam venit, ita strenue sociorum animos iam deficientes atq; alia cupientes, in fauorem partium suarum modeste tuendo atque blandiendo perduxit, vt & carus esset, & tamē ab omnibus timeretur. Sed in vrbe Sylla & Marius conflixere: atque in ipso certamine Marius interemptus est: Carbo, perditis rebus, aufugit. Tum Sertorius, *commissis atq; deletis partibus quas sequebatur, optimum consilium credens exercitum non dimittere, ne nudatus supplicia victoribus penderet, collecta Hispaniae multitudine, contra Romanum exercitum statuit dimicare. Mortuo itaque Sylla, hostem se publicum professus est. Ad quem expugnandum missi sunt Metellus atque Pompeius; qui eum grauibus atque assiduis pugnis afflixere. Qui tamen difficile vinceretur, nisi per coniurationem in conuiuio a suis esset occisus. Postea Pompeius Perpennam subegit; *Auxūm, Clunium, Calagurrim ciuitates deleuit: & factis in Pyrenaeo tropaeis, Romam regressus est.

FIN̄ OPVSCVLV̄ IVLII EXVPERANTII.

IMPP. ROMANORVM SERIES:

Ex Andreæ Schotti editione.

Fastos hic sequor, non Victorem.

Anno a nato Christo					Annos,	Menses
	1		Imp. Cæsar Octauianus Augustus		LVI	
15	2		Tib. Iulius Cæsar		XXIII	
38	3		C. Iulius Cæsar Caligula		IIII	
42	4		Ti. Claudius Cæsar		XIV	
55	5		Nero Claudius Cæsar		XIIII	
69	6		Seruius Sulpicius Galba Imp. Cæs.			VII
70	7		Imp. M. Saluius Otho Cæsar			III
70	8		A. Vitellius Imp.			VIII
70	9		Vespasianus		X	
80	10		Titus Vespasianus		II	
82	11		Fl. Domitianus		XV	
97	12		Nerua		II	
99	13		Nerua Traianus		XX	
118	14		Traianus Hadrianus		XXI	
139	15		T. Ælius Hadr. Antoninus Pius		XXIII	
(162	16		M. Aurelius Antoninus, &		XIX	
(162			L. Aurelius Verus		IX	
181	17		M. Aurelius Commodus		XII	
194	18		P. Heluius Pertinax			III
194	19		M. (Didius vel (Saluius } Iulianus			II
194	20		L. Septimius Seuerus		XVIII	
212	21		M. Aurelius Antoninus Caracallus		VI	
218	22		M. Opilius Macrinus		I	
219	23		M. Aurelius Antoninus Elagabalus		III	
223	24		M. Aurelius Alexander		XIII	
236	25		C. Iulius Maximinus		III	
238	26	Imper.	M. Antonius Gordianus	Avgvstvs;	I	
239	27	Cæsar	M. Antonius Gordianus filius	imperauit	VI	
245	28		M. Iulius Philippus		V	
250	29		Cn. Messius Q. Traianus Decius		II	
252	30		(C. Vibius Trebonianus Gallus, &		II	
			(C. Vibius Hostilianus		II	
252	31		C. Iulius Æmilianus			IIII
254	32		P. Licinius Valerianus		VI	
254	33		P. Licinius Gallienus		XV	
			Hoc tempore XXX *Tyranni*			
269	34		Fl. Claudius		II	
271	35		L. Domitius Aurelianus		V	
276	36		M. Flauius Tacitus, &			VI
			M. Annius Florianus frater			III
277	37		M. Aurelius Probus		V	
(282	38		M. Aurelius Carus, &		II	
(283			Carinus ac Numerianus filii		III	
(284	39		(C. Valerius Diocletianus, &		XX	
(286			(M. Aurelius Maximianus		XVIII	
(304	40		(Fl. Valerius Constantius, &		II	
(304			(C. Galerius Maximianus		VIII	
(306	41		Fl. Valerius Constantinus Maximus		XXXI	
(337	42		Fl. Iulius Constantius, &		XXV	
337			Fl. Valerius Constans		XIII	
361	43		Fl. Claudius Iulianus		II	
362	44		Fl. Iouianus			VIII

Hinc Imperium diuidi cœptum in Orientale & Occidentale; & Constantinopolim sedes translata.

DIVER-

DIVERSA LOCORVM SCRIPTVRA, PARTIM EX EDITIONVM COLLATIONE, PARTIM EX RECENTIORVM SCRIPTORVM ADNOTATIONIBUS, aut veterum monumentis collecta; opera Friderici Sylburgii.

In Sigonii comment.

PAGINA *8, versu 13, apud Varronem & Macrobium legitur composite*, Populifugia; *in vetere Kalendario Romano concise*, POPLIFVGIA; *vbi dies iste statuitur mensis Iulii quintus, seu tertius ante nonas Iulias. Dionysius quoq; Halicarnasensis, non* πλήθους φυγὴν, *sed* τῆς φυγῆς τοῦ πλήθους ἐπώνυμον *appellatum scribit hunc diem, 119, 8; id est*, a populi fuga denominatum. *V. 16, quædam editiones habent*, in astra: *& seq. v.* Romanis iunxerat.

P. 9, v. 4, reperitur etiam concise, Suouetaurilibus. *sacrificium ex eo dictum, quod fieret sue, oue, tauro. Eadem* solitaurilia *dicta fuisse, Sex. Pompeius Festus indicat.*

P. 10, v. 49, Fidenas bellum *ita hic dicitur vt apud Liu. lib. 8*, eodem anno Priuernas bellum initum. *regula postulat* Fidenate, Priuernate; *vt docet Prisc. lib. 5, c. 1.*

P. 14, v. 24, in prima editione commentarii, auctorum de anno discrepantia hoc schemate hic depicta legitur.

	Liuius	Eutropius	Dio, Valerius, Velleius	Capitolinæ tabulæ, Rufus, Solinus	Cicero, Plinius
Anno	D	DI	DII	DIII	DIIII
	DI	DII	DIII	DIIII	DV
	DII	DIII	DIIII	DV	DVI

P. 18, v. 54, legendum potius sine puluere: *ita enim Græci dicunt* ἀκονιτί.

P. 19, v. 14, malet fortasse aliquis ἐσελάσαι. *sed mutatione non est opus, si* ἐξελάσαι *intelligatur respectu montis Albani, e quo deducebatur pompa; vt declarant etiam sequentes duo loci.*

P. 22, v. 34, pro Actius Clausus, *apud Dionys. Hal. 308, 4, est* Τίτος Κλαύδιος, Titus Claudius. *Cornelii Taciti codex Vaticanus* Attum Clusum *vocat: Suetonii codex in eadem bibliotheca*, Attam Claudium; *Lipsius mauult* Attam Clausum: *atq; ita legendum censet etiam apud Liuium, lib. 2, & lib. 10.*

P. 25, v. 32, Sulum *vereor ne per errorem scriptum sit pro* Iulum.

P. 38, v. 5, quædam Liuii editiones habent opes eorum.

P. 52, v. 34, pro DXXII, *Geleniana Plinii editio habet* DLXXX.

P. 53, v. 35, Sigonius in posteriori editione deleuit hic annum vnum: in superiori enim editione annus hic est 365, non 364. Inde fit vt infra desideretur annus CCCLXXXV, *& hic in proxime sequentib. annorum indicatio non satis exacte respondeat præcedentibus; vt in an. 368, 370, 372, & 382, videre licet. Idem de anno* CCCCXX *notandum est.*

P. 54, v. 4, Eutropii locus paulo aliter in Schonhouii & Vineti editione legitur, initio lib. 2.

P. 75, v. 1, concisum loquendi genus: plenum est, L. Papirio & C. Pœtelio consulibus. *Paulo infra, v. 14*, acto honore *legitur etiam apud Liu.*

P. 81, v. 22, pro Crotona *pleraq; Liuii editiones habent* Cortona. Arretium *vero duplici r r scribit etiam Stephanus Byz.*

P. 89, v. 23, Fabriciana Orosii editio habet, de summouendo eo: *& mox v. 30*, oppressumque ceperunt.

P. 104, v. 23, pro Cossa *in quibusdam editionibus* Consa *est: cuius diuersitatis meminit etiam Ortelius. Compsam Ptolemai, Velleii, & Plinii, sunt qui eamdem esse putent. V. 53, pro* Tarentinis *Lugdunensis editio habet* Mamertinis.

P. 106, v. 2, Episcopiana editio habet βαρβαρήνους. *ego* Σαρσινάτους *ex Aldina reposui: præsertim cum apud Polybium quoq; ita scriptum sit, Heruagianæ editionis pag. 45.*

P. 117, v. 23, Lugdun. editio Liuii habet capita CCCXVII milia, CCXVII.

P. 119, v. 54, quædam Suetonii editiones habent, illudens discrimini publico.

P. 122, v. 2, inclusum aduerb. prospere, *abest a Lugd. editione.*

P. 124, v. 37, inclusa, non Eutropii sunt, sed Orosii: vt ipse Sigonius infra declarat in consf. anni DXXIX. *Exstat autem Eutropii locus, initio libri tertii; Orosii vero, lib. 4, c. 13.*

P. 134, v. 36, posterior numerus, CCXIII, *abest a Lugd. ed. Paulo post, v. 41, Geleniana Plinii editio habet* Legem Metellam. *Vtriusq; scripturæ meminit Antonius Augustinus in libro De legib. & S. C. vbi addit* Cæciliam *quoq; dici posse, si a Metello aliquo lata sit.*

P. 136, v. 46, Lugd. ed. pro Gellio Cælium habet, vt versu præced.

P. 139, v. 41, inclusum, fama; *& paulo post, v. 43*, magistratu; *addita sunt e Lugd. ed.*

P. 149, v. 3, in Lugd. ed. est Cn. Seruilius. *sed* Caius *est etiam pag. præced. v. 23. V. 46, eadem editio habet*, vti rogatæ omnes tribus erant, iusserunt.

P. 157, v. 7, pro Alcibiadi, *alii legunt* Themistocli. *V. 43, Lugd. ed. habet*, Pauli proprætoris.

P. 158, v. 52, Flori locus paulo aliter ab aliis legitur, & quidem rectius; vt infra docebitur libro 2, c. 11.

P. 161, v. 3, victrici *pro* vitrici *habet etiam Aldina editio; minus vsitate. V. 31*, exemplum, *additum ex Velleii editionib. vulg.*

P. 168, v. 8, Lugd. ed. in comitio l. I.

P. 174, v. 7, pro VII Lugd. ed. habet VIII.

P. 175, v. 49, Lugd. ed. expugnatione captæ vrbis. Inclusa, quæ præcedunt v. 47, inserta sunt ex eadem ed. L. Ibidem v. 30, talentum per syncopen vsurpatum pro talentorum.

P. 179, v. 50, Lugd. ed. Phaniæ Himilconis præfecto.

P. 180, v. 33, Mestus legitur apud Zonaram quoq; sed rectius fortasse Nestus, vt apud Stephanum Byz. est; vel Nessus, vt alibi legitur. qua de re monuit etiam Ortelius in Thes. Geograph.

P. 184, v. 15, Lugd. ed. XXIII millia: & mox maximo labore. V. 18, Lugd. ed. contracta exiguo tempore ampla classe.

P. 191, v. 20, rectius Trascudani seu Transcudani: de quibus meminit Ortelius in Lacienses.

P. 199, v. 20, inclusum mane, addidi ex Lug. ed.

P. 200, v. 42, feliciter, additum ex eadem ed.

P. 202, v. 17, seruile, additum ex eadem. V. 40, sanior Flori lectio est, per fugitiuarios retrahi; de qua infra suo loco.

P. 210, v. 44, Lugd. edit. Liuii habet CCCXIII. Ex eadem mox v. 47, additum omnino: & v. 50, quam maxime. Eadem v. 48 habet, velut eo tempore scriptam.

P. 221, v. 54, pro CCCXXVI, Lugd. ed. habet CXXXVI.

P. 223, v. 38, Lugd. ed. gens vasta.

P. 231, v. 50, Lugd. ed. quæ circa Rhod.

P. 236, v. 25, Stad. ed. quasi in transfug.

P. 248, v. 36, Lugd. ed. præterea a Thracibus in Macedonia gesta continet.

P. 256, v. 32, pro L. Domitius in Lugd. ed. est M. Antonius.

P. 258, v. 49, Lugd. ed. adhuc quæstor. sed equester congruit cum Ciceronis & Plinii loco supra, 254, 2: & Lucani infra, 267, 43.

P. 261, v. 28, Piræum non agnoscit hic editio Stadii.

P. 264, v. 11, Lugd. ed. Chryso pro Crixo: & mox P. Vorenum. V. 51, Lugd. ed. ad Marium. Sigonius M. Perpernam intelligit, infra in triumphis Metelli & Pompeii, anno V. C. DCLXXXII, 267, 21.

P. 267, v. 23, inclusa, omissa sunt in vulg. editionib. V. 46, Geleniana Plinii editio habet, belloque ciuili. Paulo post, v. 53, sensus est; variis inter me atque Lucullum commissis prœliis.

P. 277, v. 13, Lug. ed. Bithoco. in viris illustrib. Sitocus legitur: apud Appianū p. 158, Βίτοιτος, Bitœtus. Bituitus supra alius fuit, Aruernorum videlicet rex. VVitichi nomen, quo etiamnū Saxoniæ quidā populi vtuntur, non multum ab his discrepat. Inclusa in, sequenti v. addita ex eadem ed. Lugd.

P. 291, v. 7, contigit, additum ex Lugd. ed.

P. 293, v. 19, vsitatius, septimo & quinquagesimo: vt mox v. 24.

P. 295, v. 30, rectius cum Lipsio legemus, eique CCC in singulos annos stipendii nomine imposuit.

P. 299, v. 1, Zela Stephano Byzantio est locus Armeniæ: Ziela, oppidum Cappadociæ; Zelea, oppidum Troadis.

P. 333, v. 21, inclusum pronomen eius, additum ex Lugd. ed.

P. 339, v. 20, in superiorib. editionib. est LXXIII. sed cum Sigonius in postrema editione, superiorum lustrorum duo deleuerit, alterum anno DCLXI, alterum anno DCXCVIII, ipsa numeri ratio satis clare ostendit legendum esse LXXI.

P. 341, v. 19, inclusa, addidi ex Prisciano: atq; ita legendum esse, cognoscitur ex pag. præced. v. 42, & 54. Sic v. 21, inclusa ex, addita est ex Carisio grammatico. V. 27, superiores editiones habent παρωνυμικόν. sed πατρωνυμικὸν legendum esse, satis euidenter perspicitur ex iis quæ infra tradūtur ex Prisciano & Dionysio Halicarnasseo, 351, 49. Exstat autem Dionysii locus editionis nostræ p. 185, v. 45. V. 33, Stephanus legit, ᾧ καὶ μάλιστα δηλόν ἐστιν ὅτι τῶν οἱ. atque ita legisse videtur etiam Sigonius. ego casu relatiui mutato, mutata etiam distinctione, totum locum sic puto legendum esse; ἐκ τούτου τρίτον ἔσχεν ὄνομα, τὸ Κοριολανόν: ὃ καὶ μάλιστα δηλόν ἐστι. (vel ᾧ καὶ μάλιστα δηλός ἐστι) τῶν ὀνομάτων ἴδιον ἦν ὁ Γάϊος· τὸ δὲ δεύτερον, οἰκίας ἢ γένους κοινὸν, ὁ Μάρκιος. Fuisse autem Romanorum nominum alia aliis ἐκδηλότερα, docet Pausanias loco paulo ante citato, Achaicōn 213, 3. V. 53, προσώνυμον per contractionem excusari potest, vt πρόσεσα. sed verius fortasse προσωνυμον.

P. 347, v. 31, Prima, addidi ex editione Scaligeri.

P. 363, v. 17, arx abest ab edit. Scaligeri.

IN MESSALLAM CORVINVM.

P. 373, v. 1, Plinius loco supra citato (370, 27) duos videtur Messallas litteratos statuere: alterum, senē, historicum; alterum, oratorem. Sed an horum alterius, an neutrius sit hic liber, merito potest ambigi. Procemium sane Gotthici magis quam Augustei seculi stilum redolet, non multum discrepans a Sexti Rufi exordio. ac præterea deprehenditur in hoc auctore non nusquā talis ἀνιστορησία, quæ in Augustei seculi Messallas non videtur potuisse cadere. Sed de his iudicent doctiores. V. 25, nescio an rectius limite. V. 28, breuius & dilucidius Pomponius Mela, lib. 1, c. 1; Quod terrarum iacet a freto ad eā flumina, (Tanaim s. & Nilum) ab altero latere Africam vocamus; ab altero, Europam: ad Nilum, Africam; ad Tanaim, Europam: vltra quidquid est, Asia est. V. 37, in vulg. ed. est Æsopi: sed vel Asopi legendum est, vt apud Plin. l. 5, c. 29, Laodicea Asopo & Capro allui legitur: vel Æsepi, vt apud Florum infra, lib. 3, c. 5, Vinetus & Stadius reposuerunt. Æsepum agnoscit Hesiodi Theogonia, cum Tethyn Oceano tum alios fluuios peperisse refert, tum Γρηνικόν τε, καὶ Αἴσηπον, θεῖόν τε Σιμοῦντα: & Ασωποὺς multos fuisse, vt Cephissos & Acheloos, testatur in Dionysii περιηγήσει Eustathius. Ibidem copulatiua ET posita est pro disiunctiua SEV, VEL: vt etiam mox v. 39; & infra rursum 378, 39. Disiunctiua VEL in eo loquendi genere legitur 374, 36: & 375, 5. V. 39, Dardanum non ab Italia sed ab Arcadia in Phrygiam deuenisse, docet Dionys. Halic. lib. 1, p. 49 & 50. V. 44, rectius fortasse in partem, accus. casu. V. 51, qui Trous hic & in seq. dicitur, ab aliis nominatur Tros, ab Homero quoq; Τρώς. V. 55, edidit pro condidit legitur infra quoq; 377, 24. sed fortasse commissus error ob non obseruatum scripturæ compendium: posito videlicet ε pro ɔ, quod est con.

P. 374, v. 6, pro austerrimo legendum videtur asper-

asperrimo, vel austerissimo. V. 20, alio vsurpatum pro alibi: vt pag. seq. v. 44, eodem pro ibidem: & mox v. 50, quo pro vbi. V. 37, Assueti nomen suspicione haud caret. V. 39, arbitrio sui, Græcismus est: Latinius enim est arbitrio suo. V. 44, Brentensia, seu Brentesia, hoc seculo a Patauinis appellatur Brenta. V. 48, Heruagii editio habet, CVM: minus conuenienter.

P. 375, v. 22, legendum videtur, locum sedis eis fore ac quietis: vel, locum sedis ei fore quietæ. Virg. dicit, is locus vrbis erit, requies ea certa laborum. V. 21, primo corruptum videtur ex non bene considerato scripturæ compendio. nam rectius in Virgilii exẽplaribus legitur patrio. V. 23, qui Tybris hic & in seq. dicitur, a Dionysio Afro in περιηγήσει vocatur Θύμβρις : itemq. apud Stephanum Byz. legitur, Θύμβρις ποταμὸς Ῥώμης ὃς, ὁ Τίβερις. Pro iacentem sunt qui ex Festo putent legendum incientem, id est partui propinquam, & cuius fœtus iam incitatus sit. sed iacentem confirmant tum alia quæ sequuntur, tum Virgilii versus, Triginta capitum fœtus enixa iacebit. V. 31, Liuii verba sunt; ibi egressi Troiani cum prædã ex agris agerent, Latinus rex Aboriginesque, qui tum ea loca tenebant, ad arcendam vim aduenarũ, armati ex vrbe atque agris concurrunt.

P. 376, v. 7, q. cod. trisyllabos habent Numici. ego Lugd. & Basil. editionem sequi malui, & grauiorem his Dionysium Hal. qui Νομίκιον quatuor syllabis vocant, sicut etiam apud Ouidium in Metamorph. & apud Plin. lib. 3, c. 5, legitur. V. 12, prolis positum hic pro stirpis. V. 13, insolens loquendi genus. sensus est, vtrum hic Siluius an Ascanius cognominatus fuerit Iulus: vel, vter horum, Siluius an Ascanius, cognominatus fuerit Iulus. V. 14, nota Italiæ natus, pro in Italia. Posthumus in vet. libris sine aspiratione scribitur, vt etiam apud Græcos Πόστυμος. vt antiqua superlatiui forma significet postremum, seu postremo natum. V. 16, Tityrum hunc Dionys. Halicarnas. 56, 23, vocat Tyrrhenum: Virgilius Tyrrhum: itemq. Sex. Aurelius Victor infra in Origine Gentis Romanæ, 482, 6. V. 17, q. cod. ablatiuo casu, pura qui nititur hasta: & v. 19, serum pro secum. Exstat autem locus Æn. 6. V. 25, apud Liuium quoq. sic est; Ex Alba dicitur Atys ortus, Aty Capys, Capy Capetus, Capeto Tiberinus. sed quidam codices ibi habent Calpetum. de qua diuersitate monui etiam apud Dionys. Hal. ad 57, 7. Pro Romulo quoq. seq. v. Aremulum alibi legi, ibidem adnotaui. In Cassiodori Chronico, & Chronico Eusebii manu scripto, prior ille Carpentus, posterior hic Aremulus dicitur. V. 30, quidam Latina forma scribunt Ream Siluiam: vt apud Florum Vinetus adnotat. V. 32, quod notum, Græco more positum absolute pro, quo cõperto, quod postquam innotuit. V. 42, forsan rectius priuatẽ: aduerbialiter.

P. 377, v. 2, indicauit pro indixit seu denuntiauit: Et v. 13, coercuit pro coegit. V. 16, eorum pro suum. V. 33, fortasse legendum est, pro qua qui pugnarent, vicissent. sensus est, cuius propugnatores vicissent. V. 40, vulg. ed. inuaserant: nihil ad re[illegible]. V. 47, cohabitandos, more [illegible]co, συνοικισθησομένοις: id est, cohabitaturos, seu cohabitatores. nisi malis cohabitandæ. V. 50, fortasse leg. circumdatæ. In viris illustribus est; Salinarum vectigal instituit, cap. 5. V. 54, Sabinos legendum esse pro vulg. Gabinos, manifestum est ex Liuii lib. 1, & Dionys. Hal. l. 3.

P. 378, v. 12, fortasse rectius insigni gloria. V. 14, q. ed. pace tranquilla. ego Heruag. sequi malui: vt datiuus casus feratur ad sequens commation, necesse fuerat. V. 18, Dionys. Hal. 225, 41, LXXXV milia, minus trecentis. V. 19, apud Varronem & alibi Esquiliæ. idem tamen Varro locum denominatũ tradit vel ab excubiis regis, vel quod excultus a rege Tullio esset. Ibidem vt numerus constet, expungendum erit secundum commation, & Quirinalis. sic enim & Dionys. Hal. 218, 36, τῇ πόλει προσέθηκε δύο λόφους, τόν τε Οὐιμινάλιον καλούμενον, ὃ τὸν Ἐσκυλῖνον. vel initio periodi legendum Tres colles: vt in Chronico Eusebii, Tres vrbi montes addidit, Quirinalem, Viminalem, & Esquilinum: fossas circum muros duxit. V. 26, Suessa Pometia pro vno eodemq. oppido ponuntur a Floro infra, 382, 51. V. 29, forsan rectius euexit. V. 30, quidam, expuncta præpositione in, exsulatum pro supino accipiunt. ego cum Heruag. ed. in exsulatum accipio pro in exsilium. V. 29, prima secessio in sacrum montem; altera multis annis post, in Auentinum facta est; vt ex Dionysio & Liuio cognoscitur. Vise Sigonium supra 24, 18: & 35, 33: & Florum infra, lib. 1, c. 23 & 24. V. 49, rectius fortasse, regimen obtinuere: vt supra 373, 18. V. 50, verius patris auunculique tui. a ceteris enim historicis C. Iulius Cæsar Augusti nõ patruus, sed auunculus maior dicitur. V. 53, alibi legitur Penninæ. Ptolemæus quoq. Ποινὰς Ἄλπεις nominat, id est Pœnas seu Punicas alpes: forsan quia Pœnos per eas traduxit Annibal. qua de re Ammianus Marcell. lib. XV, 328, 10.

P. 379, v. 1, Heruag. sine distinctione legit parta Sicilia. vise Florum infra, 391, 1: & Sigonium supra 122, 50. V. 4, vulg. ed. Gallicia. sed verius esse Gallæcia seu Callæcia, patet etiã ex Græcis auctoribus. Dio Καλλαϊκίαν vocat: itidemq. Strabo & Ptolemæus Καλλαϊκούς. V. 9, Græci Βόσπορον, sine aspiratione. V. 11, inclusa tuis auspiciis, addita sunt ex Heru. ed. Sequentia eodem fere ordine narrantur a Floro, libro 4 extremo. V. 16, Phœnix legitur etiam alibi pro regione. a Græcis tamen non Φοίνιξ, sed Φοινίκη dicitur. V. 23, Assyrii a Mela quoq. inter Arctoos Asiæ populos memorãtur, sed interiores, sicut Amazones inter exteriores: lib. 1, c. 2. V. 25, Basil. & Lugd. ed. Mauritaniæ, plurali num. vt Rufus infra 549, 17. V. 28, nota quadruplicatam negationem, non nihil haud superesset indomitum; pro, haud quidquam superesset indomitum: id est, omnia se tuo submitterent imperio.

IN FLORVM p. 380.

De sequenti etiam auctore ambigitur. In membranis Iosephi Chassanei, (teste Elia Vineto) liber hic inscribitur, Lucii Annæi Flori Epitoma de Historia Titi Liuii. itidemq. in Dominicalium Burdigalensium libro vetustissimo; Lucii Annæi Flori Epitoma de Tito Liuio, qui historiam R. ab vrbe condita scripsit. Mox tamen in eodem

Dominicalium libro subiicitur annotatio, in qua dubitatur Lucius ne Annæus Seneca, an L. Annæus Melas, libri huius auctor sit. Lactantius Institutionum diuinarum libro septimo, capite 15, Annæo Senecæ hunc librum adscribit. Non inscite (inquit) Seneca Romanæ vrbis tempora distribuit in ætates. primam enim dixit infantiam sub Romulo fuisse; & quæ sequuntur. Porro cum auctor hic in prologo significet se Traiani temporib. vixisse, ac stilus & aliquot locis quasi sponte excidentia Virgilii hemistichia, satis arguant eum fuisse aliquem ex poetices studiosis: Vinetus inde colligit, auctorem huius operis esse vel L. Annæum Senecam poetam, cuius adhuc aliquot exstant tragœdiæ: vel L. Annæum Florum, cuius Flauius Carisius, & Ælius Spartianus in Adriani vita meminit. Senecam tamen potius quam Florum auctorem credit: secutus fortasse Lactantium. itaq; hunc operi titulum inscribit; L. ANNÆI FLORI, VEL POTIVS SENECÆ, RERVM ROMANARVM EX T. LIVIO EPITOMA, IN IIII LIBROS DISTINCTA. Cuiacius Obseruationum libro 5, c. 8, vocat L. Annæum Florum: at Ioannes Stadius ex Raphaele Volaterrano appellat L. Iulium Florum, filium L. Iulii Flori Secundi, quem Quinctilianus lib. x, eloquentiæ Gallicæ florem nominat, principemq; inter paucos disertissimum. itaq; editioni suæ hunc inscripsit titulum; L. IVLII FLORI RERVM A ROMANIS GESTARVM LIBRI IIII. Hæc de auctore. Iam vt editionum diuersitates exponam, Prologi vocabulum, v. 3, a Vineti editione abest. V. 5, septingentos per annos dicit, sicut Liuius quoq; se rem supra septingentesimum annum repetiuisse scribit. non exactam tamen hic computationem esse, in fine Commentarii ostendit Vinetus. V. 18, enim, addita ex Rolevvinkii Fasciculo temporum: vbi locus hic citatur. V. 20, ibidem legitur, totius generis humani. V. 23, commation istud, sicut cetera, ab antiquis libris abest: in vno tantum acutiore calamo inter versus additum est, velut glossarium: vt adnotauit Vinetus. V. 26, pro abrumpit quædam ex vet. exemp. habent obrumpit: & mox tabula pro tabella. V. 28, Vin. ed. ad admirationem: & mox vet. libri, in semel: vt Græci εἰς ἅπαξ. V. 31, numerale nomen quatuor, abest a codice vetustiss. & mox Vinetus edit processusque. Ibidem mox pro ducentis quinquaginta, veterum exemplarium alia quadringentos annos habent, alia trecentos, alia ducentos tantum: Liuius libro 1 extremo, & Dionys. Hal. initio libri quarti, regnatum Romæ tradunt annos ab vrbe condita ducentos quadraginta quatuor. V. 34, Q. Fuluium vocat etiam Eutropius, Cassiodorus, Orosius: at Gellius cum Capitol. tabulis M. Fuluium. Ibidem mox pro ducentis quinquaginta, quidam codices habent tãtum centum quinquaginta. Sed & hic & paulo ante legendum esse ducentos quinquaginta, docet initiũ libri secundi, ac Sigonii Commentarius. Præterea iidem libri veteres habent, ducentos annos patet: vt Manilius lib. 1, de Zodiaci circuli longitudine, & ter vicenas partes patet atque trecentas. V. 36, Vin. ed. incitatissimum. Ibidem mox pro Dehinc veteres libri habent Deinceps. V. 37, hic quoq; veteres libri habẽt solum centum quinquaginta. Ceterum qui exacte computauerunt, a Roma condita ad Brutum & Collatinum primos consules, numerant annos ducẽtos & quadraginta tres: inde ad Appium Claudium Caudicem & M. Fuluium Flaccũ, annos ducentos & quadraginta quinque: inde ad bellorũ ciuilium finem, cum Augustus solus imperare cœpit, annos ducentos triginta tres. quibus si addantur anni ducenti, quos ab Augusto ad suum seculum interlapsos auctor scribit, fient in vniuersum anni nongenti & viginti duo: quo tempore imperauit Antoninus philosophus, vt ex Cassiodori & aliorum annalibus cognoscitur. V. 40, quidam legunt mouit: quia, vt ex ante dictis patet, etiam post Traianum auctor vixit. Locum vero hunc lectum esse etiam a Sexto Rufo, declarant eius verba in Traiano hæc; TRAIANVS, qui post Augustum Romanæ reip. mouit lacertos, Armeniam recepit: 553, 4. V. 44, Vestæ, non habent libri vet. Ream quoq; sine aspiratione scribunt, more Latino: itidemq; Siluiam per i, non per y: sicut & Græcos Σίλβιον, Σιλβανὸν, & similia, per iota scribere notum est. V. 47, Tiberinus & pro amne ipso & pro numine potest accipi. V. 48, Faustulus abest a Vin. ed. V. 50, bis deest in antiquis libris. Apud Iornandem quoq; sine bis & nominandi casu legitur, iam septima soboles. V. 51, statim additum ex Vin. ed. V. 54, vulgata lectio est, adhibuere piacula. Stadius Iornandem sequi maluit. Idem Stadius in vulg. lectione pro piacula mauult auspicia. V. 55, antiqua lectio, Palatium occupat.

P. 381, v. 1, vet. libri, assuetæ sanguine & præda, ablatiuo casu: cum quo alibi quoq; hoc verbum inueniri Vinetus adnotat. V. 3, distinctio nostra consonat cum antiquis libris. alii sic distinguunt, idque increpat saltu, dubium an iussu fratris, occisus est. V. 6, vet. libri, Tuscorumque pastores. V. 11, quidam lib. prædæ fuere. V. 15, Iorn. singulari numero, quod gerebant. vulgati libri, quam gerebant. ego cum Vineto veteres sequi malui. sensus enim est, pretium rei petierat ea quæ gerebant in sinistris. sicut Liuius quoq;, pepigisse eam quod in sinistris manibus haberent. itemq; Dionys. Hal. 105, 33. V. 16, vulg. libri, Ita admissis intra mœnia hostibus atrox in ipso foro pugna. Vinetus & Stadius veteres sequi malunt. V. 18, antiqui libri & Iornandes, Hinc templum & Stator Iupiter. alii; Hic templum esto, inquit, Stator Iupiter. V. 22, pro diuisa vet. libri habent dispersa. Sequenti versu ad subita belli, Græcismus est: vt apud Tacitũ quoq;, alas ad subita belli retentas. Liuius plenius dicit, ad præsidium vrbis & ad subita belli ministeria. vulgati libri habent, ad subita bella. V. 24, Vin. ob ætatem. V. 25, ante vrbem abest a vet. libris. Iidem pro Capræ habent Capreæ. Plutarchus vtramq; lectionem agnoscit, περὶ τὸ καλούμενον αἰγὸς ἢ ζορκὸς ἕλος. id est, apud paludem quæ dicitur Capræ seu Capreæ. V. 27, consecratio infra quoq; ab hoc auctore & ab aliis ponitur pro in diuos relatione, quam ἀποθέωσιν Græci vocant. Ibidem rei additum ex Vin. ed. V. 30, vox imperio, non est in vet. libris, neq; apud Iorn. Quin & diuersa distinctione ibi legitur, Quirinum in cœlo vocari: placitum diis vt gentium

Roma

Roma potiretur. V. 32, *Vin. edit.* Succedit. V. 34, *Vin. ed.* ceteraque sacerdotia. V. 39, *antiqui libri & Iornand.* ad simulacrum. V. 47, *vulg. l.* exercitata: *vet.* exercira. *Sic v. seq. vulg. libri habent* vtrimque, *aduerbialiter: veteres*, vtrique. V. 49, Curatii *quatuor syllabis leguntur etiam apud Iorn. & in Liuii codice antiquo: sicut & apud Dionys. Hal.* Κοριάτιοι τρίδυμοι.

P. 382, v. 1, Iorn. infra gloriam. V. 3, se, *abest a Vin. ed.* V. 5, *antiqui cod.* Metum, *vt apud Virg. quoq; veteres libros habere testatur Pierius. In vetustis monumentis modo* METIVS, *modo* METTIVS *scribitur: sicut apud Dionysiũ quoq; Halicarn. & apud Plutarchũ* Μέτιος, *apud Zonaram vero* Μέττιος. Fufetium *quoq; scribendũ esse, non* Sufetium, *ex antiquis libris idem Pierius adnotat: sicut & apud Dionysium* Φουφέτιος *legitur, apud Plutarchum autem* Φυφέτιος: *teste Vineto.* V. 12, *Iorn.* prauo ingenio: *perperam. Idem mox*, ex muro mœnia amplexus. *vetustissimus codex* mœnia *non habet. Seq. v. Vin. ed.* Tiberinum *pro* Tiberim: *vt supra 380, 46.* V. 22, Attius *per duplex tt legitur etiam apud Dionysium & Zonaram: alibi modo* Actius, *modo* Accius. Nauius *quoque per a legitur apud Ciceronem, Liuium, Valerium, Plinium, Lactantium, & alios: sicut & ficum Nauiam in Comitio ab Attio Nauio augure appellatam tradit Festus. apud Zonaram itidem* Ναύιος *est: apud Dionysium vero* Νέβιος, Neuius, *per e. vnde Sigonius colligit, verum nomen fuisse Cneum Attium.* V. 27, &, *abest a Vin. ed.* Curules *ibidem elliptice positum pro Sellæ curules: vt infra quoque lib. 4, sub finem cap. 2*, in curuli sedentem. *pleno loquendi genere dixit libro 1, cap. 13*, in curulibus sellis sese posuerunt. V. 28, *Vin.* aureo curru. V. 30, *Iornandes post* eminet, *addit* sumpta sunt. V. 37, *Vin.* sic egit industrié. V. 40, *pro* ac si *Iorn. habet* ac sic. V. 48, *vulg. l.* super cruentum p. *ego cum Vineto Iornandem & vet. libros sequi malui.* V. 49, *vulg. l.* in omnes, superbia quam crudelitate grauior, bonos grassatus. V. 51, *vet. lib.* Ocricolum, *vt & Strabo ac Ptolemæus, teste Vin.* V. 55, *Iorn.* ea superbia sic respondit vt senserat. tamen d.

P. 383, v. 2, Iuuentas *legitur etiam in vet. libris: sicut & Seruio Æneidos 1*, Iuuentus *est multitudo iuuenum*: Iuuenta, *ætas*: Iuuentas, *dea iuuenilis ætatis. Camers tamen* Iuuenta *maluit. De Termino, qui cum Iuuentate Ioui cedere noluit, elegans ænigma est apud Agellium libro 12: vt Vin. not.* V. 4, *Iorn.* horrendius, *compar. gr. Ibid. vulg. l.* molientibus sedem: *veteres libri & Iorn.* molientibus ædem. *Sequenti versu Iorn.* pulcherrimam imperii sedem. V. 25, *vet. libri*, Conlatioque. *sed Collatinum vocat etiam Dionysius Hal. & ceteri.* V. 27, *Vin.* concitatus. V. 29, *Vin. legit* indice: & *pro titulo accipit, vt infra de bello Tarentino. Iornandes habet*, mutato & iure & nomine. V. 34, *Vin.* Publicola, *vt & Sigonius e Fastis Siculis supra scribit* Ποβλικόλα, *16, 48. Apud Dionysium, Plutarchum, & alios,* Ποπλικόλας *legitur: vt etiam in Fastis Capitolinis* Poplicola; *& in Kalendario vet.* Poplifugia: *per syncopen videlicet pro Populicola, & Populifugia. Ad etymon alludunt ista Valerii Coruini apud Liuium lib. 7*, Semper ego plebem Romanam colo atq; colui. *Ibidem* ex, *addita ex Vin. ed.* V. 35, & 37, *inclusa, absunt a Iornande & vetere libro Gerardi Imberti.* V. 42, pro, *addita ex Vin. edit.* V. 43, hostile *abest ab editione Camertis.* V. 46, *sunt qui malint*, itum esset. *sed defendi & hæc lectio potest, si statuatur hic colon imperfectum, & quædam velut parenthesis.* V. 48, ET *abest a Vin. & Cam. ed.* V. 53, *Vin.* Romana prodigia. *vt* prodigia *ibi sint prodigiosa ac miraculosa virtutis homines.*

P. 384, v. 1, Vin. rescisso. V. 2, *Vin.* castris ipsius: *& mox*, frustrato circa purpuratum eius ictu tenetur. V. 6, *Vin.* nequis: *id est ne aliquis.* V. 7, *Iorn.* elapsa custodiæ: *libri antiqui omnes*, elapsa custodiam: *vt libro 2, cap. 11*, custodiam euasit. V. 8, *Iorn.* territus monstris. V. 9, *Vin.* superque ipsam. V. 16, *quod Postumio dictatori hic tribuitur, a Dionysio Halicarnasseo tribuitur C. Aquilio in prœlio aduersus Hernicos, 533, 3. Mox etiam in magistro equitum falsum esse auctorem, Sigonius notauit supra 22, 18: & Emendationum libro secundo, cap. 22. monuit etiam Vinetus & Stadius, magistro equitum hic tribui, quod dictatori adscribitur a Dionysio 350, 10.* V. 20, *Camertis edit.* nactusque: *& mox*, reddidit sane. *Vinetus veteres sequi maluit.* V. 24, *vet. libri & Iorn.* Verulis *pro* Veiis. *sunt autem Verulæ seu Verulani, Hernicorum ciuitas.* V. 26, *pro* Taphræ *Burdigalensis codex & impressorum antiquissimi habent* Capreæ: *Iornandes* Carræ. *Taphras Vadianus eas intelligit quæ a Plinio ponuntur in Taurica Chersonesi angustiis.* V. 27, *Vin.* Gesoriacum, *vno s. Ibidem mox veteres libri*, Coriolus quoque (pro pudor) victus, adeo gloriæ fuit, vt capt. op. V. 29, *q. cod.* nominí induceret. *Ibidem mox prænomen C. abest a Vin. edit.* V. 31, bellum *antiquissimus codex non habet: sed agnoscit id etiam Iornandes.* V. 32, *Vin. edit.* vt ita dixerim. V. 33, *L. Minucium vocat etiam Liuius tertio, & Dionysius decimo: at Zonaras M. Minucium. In antiquis libris pro eodem est* Manlius, *apud Iornandem* Mallius: *teste Vineto.* V. 38, fides numinum, *absolute in admiratione vsurpatur etiam infra libro tertio, cap. 3: sicut scilicet alibi* dii boni. *Ibidem Vin. l.* intra quindecim dies *& mox alii*, peractumque bellum: prorsus vt fest. *quod loquendi genus exstat etiam supra 382, 8: & infra, capite 17: & apud Sext. Aurelium Victorem aliquoties. Pro eodem infra bis vsurpatur* plane quasi. V. 44, *Vinetus clausa post* Fabiorum *periodo, nominandi casu legit*, Satis superque idonea clades. *Ibidem antiqui libri & Eutropius habent tantum* trecentos. *sed sex addendos esse, ex Ouidio, Liuio, Orosio & aliis, monet Vinetus.* V. 48, *Vin.* Falisci cum obsiderentur: *sine distinctione.* V. 50, *Vin.* cum iis q. V. 51, Furius Camillus *abest a vet. libris Vineti.* V. 53, *quid. cod.* ferali more.

P. 385, v. 5, vet. libri, Hoc tunc: nunc fuisse q. m. *omissis videlicet duobus illis verbis*, Veientes

fuere. iidem mox pro Veios habent vera. V.17, Vin. ed. & cingente omnia Oceano. V.19, Vin. Clusium Tusciæ vrbem obsidebant: & mox, interuenit, missis ex more legatis. V.20, Iorn. & libri vet. omisso verbo mouent, legunt, ferocius agunt exinde certamen: & mox v.23, non temere fœdior clades. qua de re vise Plutarchum in Camillo. V.24, Vin. Roma damnauit: rectius. V.25, Iamprimum & Quamprimum, antiqua lectio est, & Iornandis. sed legitur etiam Iampridem: teste Vineto. V.30, Vin. terræ recondunt, dandi casu. V.32, Vin. tamen excepisse: & mox, L. Albinus: & rursum, vxore & liberis. V.38, Vin. ne quis. V.42, Vin. Sex mensibus. Stadius septem ex Polybio, Plutarcho & ceteris scriptoribus se reposuisse adnotat. V.44, quoque, additum ex Vin. Idem V. mox h. quum tamdem. V.46, Vin. ad speciem fiduciæ. V.47, sollemne, in antiquiss. libris ac lapidibus duplici ll & per mn scriptum inueniri, notauit præter Manutium etiam Vinetus: cum tamen idem significet quod solitus, consuetus. V.51, vulg. l. superbe victos increparent. sed cum veteres libri habeant victis, Stadius cum Vineto præmissa interiectione legit, væ victis: vt etiam apud Liuium est lib. 5; auditaque intoleranda Romanis vox, VÆ VICTIS. qua de re vise Plutarchum quoq; ac Festum. V.53, vulg. l. pro ipso. sed præpositionem a vet. libris abesse, testatur Vinetus.

P.386, v.1, Vin. & lustrata. & mox, ideo post ass. V.7, præpositio in, addita ex Vin. ed. Idem Vin. adnotat, se Pomptinum agrum, & Pomptinam paludem, apud Liuium, Liuii epitomen, Plinium, & Iuuenalem, in plerisq; exemplarib. inuenisse. quæ scriptura Pomptinum per syncopen e Pometino formasse videtur: sicut Tempse per syncopen e Temese facta est. Pontinam tribum a Pontia vrbe dictam esse scribit Festus. V.8, vulg. l. insidente galeæ satyria alite: Iornandes, insidente galeæ sacro alite: veteres libri, insequente Gallo, sacra alite adiutus. quam scripturam Stadius maluit. Ibidem mox q.c. Corui pro Coruini. Suidas quoq; Κορβῖνον Βαλέριον agnoscit: sed cum apud eumdem in verbo ἀμώοσειν legatur Κόρβιος, videtur agnouisse & alterum cognomen Κόρβος. Idem Valerius cū Lucii prænomine legitur in quibusdam exemplaribus: sicut & Suidæ codex m. s. habet, Κορβῖνος ἐκλήθη ὁ Λεύκιος, ἀπὸ τοῦ συμβεβηκότος ὑπὸ τοῦ κόρακος. id est, Coruinus vocatus est Lucius, ex eo quod illi a coruo accidit. Ibidem vox tamen legitur etiam apud Iornandem: sed in antiquis libris tamdem pro nec non tamen: teste Vin. V.10, Vin. Romanam vrbem. V.16, inclusa, pari imperio, absunt a Vin. ed. V.20, vulg. l. primum: antiqui primam. V.33, Vin. Samnites, more Latino. V.37, Cereris, habet etiam Iornandes: Vineti libri veteres, Veneris: minus conuenienter. V.39, & otia & ostia hic legi, testatur idem Vin. V.40, Vesuuium & Vesubium, Veseuium & Vesebium, Vesuium & Vesbium pro eodem legi, notat idem Vinetus. Græci scriptores Βέσβιον appellant. Seq. v. Herculaneum legitur etiam apud Liuium lib. 10 extremo; apud Plinium libro tertio Herculanium: apud Strabonem quinto Ἡράκλειον. V.43, Iorn. hac vrbe & his regionibus. V.44, altera lectio, aureis & argenteis armatam. nostra exstat etiam apud Iorn. V.45, insidiarum non est in antiq. libris, nec apud Iorn. Iidem seq. v. sacris habent pro sacratis. V.47, pro quinquaginta Eutropius secundo, & Orosius tertio lib. habent quadraginta nouem. Sigonius supra, 105, 18, docet per annos LXXI durasse bellum Samniticum. V.51, pro furcas antiqui codices & Iorn. habent furculas: itemq; Liuius in principio noni. Caudinæ autem vocantur hæ furcæ a Caudio Samnitum oppido.

P 387, v.1, statim additum e Vin. ed. V.2, Vin. strictis ensibus. V.6, Stadius legit, Etruscum, Samniticum, & Gallicum. Gallici tamen nulla hic mentio V.8, bellum additum e vet. lib. Vineti. V.9, Vin. Etruscorum duodecim populi, Vmbri in id tempus intacti. Ex eodem seq. v. addita copulatiua ET. V.11, Iorn. late per Etruriam infesta quatuor agm. V.13, Caledonius per e vulgo scribitur; vt apud Græcos etiam Καληδόνιος: in vet. libris Calidonius per i. at Calydonius per y, est ab Ætolica Calydone. V.16, Iorn. & Vin. speculatus omnia, refert totum iter. Sic Fab. Max. Iidem mox, sine periculo explicauit. nisi quod Iorn. habet explicuit. V.18, idem Iorn. suo iure pro suo more. Terrigenas vero auctor poeticé vocat Gigantes vulgo dictos. V.20, more patrio, id est patris exemplo: de quo Sigonius supra 70, 1. Consectationem seq. v. nominat deuotionem. V.27, Vin. id est totam Ital. V.29, etiam abest ab ed. Vin. & Iorn. Tarentus autem pro Tarentum legitur etiam infra libro 2, cap. 6, in secundo bello Punico: Græco nimirum more. Græce namque Τάρας masculine dicitur. V.31, Vin. portuque nobilis, tum mirabilis situ. V.32, Vin. in omnes terras, Histriam, Illyr. V.33, antiqui libri, positum maius theatrum: vt duo theatra Tarentus habuisse videatur. V.34, suarum, abest a Vin. edit. V.35, Vin. adremigantem litori Romanam classem. V.37, Vin. fœde pro fœdius. V.38, Iorn. & hinc bellum. V.43, Iorn. & Vin. Lirim: Sigonius Sirim supra 98, 13. Sic & Stephanus Byz. Sirim facit opidum & fluuium prope Metapontum in magna Græcia; Lirim autem Acro & Porphyrio fluuium tractus Minturnensis. Idem ex Strabone, Plutarcho ac Plinio notat Stadius; necnon Vinetus. V.44, præfectus hic antiquis libris aliis est Obsidius, aliis Ossidius: Obsidius perb. etiam Iornandi & antiquis Patauii marmoribus: Plutarcho autem Oplacus, isq; genere Frentanus. V.46, Vin. nouo odore. V.48, Vin. putat distinguendum ita; in Apulia, deinde apud Asculum: vt hic quoq; duobus locis pugnatum accipiamus, in Apulia, & in Piceno ad Asculum. Asculani certe prœlii meminisse Plutarchum, notat idem Vin. V.49, Vin. & vulg. l. Curio Fabricioq; conss. Stadius Sigonium sequi maluit: quem vise supra 100, 50. Ibidem mox vetustissimus Vineti liber, C. Numicius. V.54, Vin. Lucaniæ suprema pugna: & mox Arusinis, sine diphthongo. adnotat tamen per au diphthongum scribi etiam in Orosio suo. V.55, Vin. Sed tunc ad totam victoriam.

P.388, v.3, Stad. exs[illegible]it. quidam cod. quasi vindicaret, exsiluit: alii, quasi vindi[illegible]ret, exhibuit:

hibuit: *Iornandes*, seque, quasi vindicare vellet, exhibuit. V. *13*, *Vinet*. accepimus. V. *19*, *Vin*. quis autem. V. *21*, consessum *non habet Vin. editio. Stadius scribendum putat*, regum esse concilium *seu* consessum: *sicut Plutarchus dicit βασιλέων πολλῶν συνέδριον*. V. *22*, *Vin*. qui porro *pro* quales porro. V. *23*, *medicum proditorem Pyrrho remisit non Curius, sed Fabricius: vt ex Cicerone, Liuio, Valerio, Plutarcho, Gellio, Eutropio & aliis adnotarunt Vinetus ac Stadius. Ibidem* afferentem *positum pro* offerentem. V. *25*, facti *abest a Vineti editione*. V. *28*, *Vin*. in dicionem. V. *30*, Italiam *non habet Vin. ed.* V. *35*, temere *insertum ex Vin. ed. Ibidem Vinetus sublato aduerbio* cum, *in periodi clausula legit*, Samnitum arma vidisses. V. *39*, *Iorn*. Tarentinæque lautitiæ. V. *44*, *Vin*. Domiti ergo Picentes. V. *45*, *prenomen* P. *abest ab eadem Vin. edit.* V. *49*, *prepos.* cum *addita ex Vin.* V. *52*, *Vin*. Volsinense: *& seq. v.* Volsini. *Volsinos autem tribus syllabis legi notat apud Plinium auunculum, & apud Nepotem: apud Strabonem & Ptolemæum Οὐλσίνιοι: in Romanis marmoribus* Vulsinienses.

P. 389, v. 5, Vin. feruuit: *sicut apud Cornelium Celsum* inferuuit. *alii minus conuenienter* fremuit. *Idem Vin. mox*, Itaq; inerat quædam adh. V. *11*, *Vin*. quum aduersarentur. V. *14*, Veientem *Vin. ed. non habet.* V. *16*, *Vin*. Cum senatu quoque vehementius æquo b. V. *22*, plebis *abest a Vin. ed.* V. *23*, *Vin*. dissedisse: *& mox* humanos dixit artus. V. *32*, Claudius *abest a Vin. ed.* V. *39*, *Vin. & vulg. libri*, incitauit matrimoniorum indignitas. *sed* dignitas *est etiam in ant. libris, vt paulo post* natalium dignitas. *Negotium hoc narratur a Liuio in principio quarti.* V. *45*, *Vin*. hæc quodam tempore, quod lictoriæ virgæ sonum ignotum penatibus suis expauerat, a sorore satis insolenter irrisa, iniur. non tulit. V. *50*, nullius *pro* nullius rei; *vt Horatius in Poetica*, præter laudem nullius auaris. *Vin.*

P. 390, v. 24, omnia exemplaria & calamis & typis exarata, vno consensu habent mare iungi. *quæ scriptura cum sensui repugnet, Vinetus cum Simone Bosio duab. litteris mutatis legit* mole iungi. V. *25*, *vet. libri omnes* continentem suum, *masc. genere; contra morem. iidem v. 31*, terrester *pro* terrestris. V. *33*, *Vin*. vt ipsam *pro* quin ipsam. V. *36*, *vulg. l.* Duellio: *sed Duilium in antiquis marmorib. scribi notat etiam Vinetus.* V. *41*, *vulg. l.* longe illis nauticæ artes. *Vin. & Stad. Iornandem sequi maluerunt.* V. *43*, *Iorn*. apud Liparam. V. *46*, *inclusa* & *abest a Vin. ed.* V. *47*, *Vin*. præ tanta vict. V. *49*, ita *insertum ex Vin. edit. Ibidem quidam codices* documento. *In sequenti narratione Florum duplicis erroris notat Sigonius supra 113, 43, 47.* V. *50*, *vet. libri*, Drepanis, Panormo, Eryci, *dandi casu.* V. *51*, Camerina & Camerinenses *in Latinis exemplaribus plerumque per e scribuntur: apud Græcos autem Καμάρινα & Καμαριναῖοι per a: forsan vt appellatiue quoque καμάραν Græci*, cameram *Latini dicunt.* V. *53*, *Vin*. moratus hostem, *singulari numero.*

P. 391, v. 2, vet. codex Cossuram *pro* Corsicam: *minus vere, vt notat Vinetus.* V. *3*, *Vin*. omni terra marique. *Iidem pro* Caralæ *antiqui cod. habent* Balariæ; *Iornandes* Atericæ. *vtrosq; & Caralam & Balaros a Latinis & Græcis in Sardinia poni, Vinetus adnotat.* V. *6*, *pro* Mannio *libri scripti alii habent* Nannio, *alii* Naurio: *Iornand.* Minatio. V. *9*, *Vin*. Prima belli præm. V. *12*, Bagradam *habent etiam libri veteres: alii* Bragadam, *Iorn.* Bracadam. V. *15*, *Vin*. iam ipsam: *& mox*, vrgebat obsidio. V. *17*, *vulg. l.* Romanæ vrbis insignia. *ego Vin. sequi malui.* V. *20*, *Vin*. dum *pro* cum. V. *21*, *vet. libri*, tantæ calamitatis, *gen. casu: & seq. v.* infractus. *iidemq; Iorn.* V. *23*, *Vin*. commutatione, *abl. casu.* V. *26*, *inclusa*, atq; etiam, *addita sunt e Vin. ed. Seq. v. Iorn.* intentior *pro* infestior. V. *29*, *Vin*. vt nec amplius eam insulam concitarent. V. *38*, *Vin*. interceptam tempestate victoriam. *Seq. v. participium* allisæ *abest a Vin. ed.* V. *41*, *vt hic* Ægates, *ita etiam apud Silium in sexto extremo*, geminas medio consurgere fluctu Ægates. *Polybius & alii Αἰγούσας vocant: teste Vin. Idem Vin. mox* alias *aduerb. pro* alia. V. *42*, *Vin*. in ea *pro* in eis. V. *45*, ictus *non habet V. ed.* V. *51*, *vulg. l.* Ligusticum. *Stadius cum Sigonio* Ligustinum *maluit.* V. *55*, *antiq. l.* nec non Illyrii. *Græce quoq; dicuntur* Ἰλλύριοι.

P. 392, v. 2, scilicet *additum ex Vin. ed.* V. *5*, *quidam cod.* Macrum, *secunda declinatione, vt Istrum:* Macram *probat* Μακράλλας *apud Ptolemæum, corrupte nimirum pro* Μάκρας. *Ibidem Vin*, implicitosque dumis. V. *8*, *valde hic discrepant exemplaria: Stadius Iornandem secutus est: Vinetus sic legendum existimat*; cluderent Salui, Deciates, Oxubii, Euburiates, Ingauni. *ab antiquis sane libris duo ista commata*, viis, latebris, *absunt: qui & mox* incognitas *habent pro* Ingauni. Salui *vero a Græcis dicuntur* Σάλυες: Oxubii, Ὀξύβιοι, *vt idem Vinetus adnotat. apud Liuium etiam* Saluii *pro* Salui *seu* Salyi. V. *13*, *Vin*. quippe sicut. V. *16*, *quid. cod.* simile niuibus: *veteres cum præpositione*, simile cum niuibus: *& mox quidam illorum* exeunt *pro* eunt. V. *18*, *quidam cod. vet.* Britamaro. *qui vero apud Plutarchum* Βριτόμαρτος *est, a nostro auctore v. 21* Viridomarus *appellatur, itemq; a Liuio, Eutropio, Orosio, aliis; a Propertio* Virdomarus *dicitur, in Romanis marmoribus* Virdumarus. *Ibidem veteres libri alii habent* balteo; *alii* baltea. *recte vtrique.* V. *19*, *pro* Astrionico *antiqui libri habent* Ariouico, *Iornandes* Ariobisto. V. *21*, *de Virdumaro seu Viridomaro dictum paulo ante.* V. *23*, *vulg. l.* Ioui arma suspendit. *Stadius cum Iornande maluit* opima, *vt supra 381, 13.* V. *26*, *Vin*. Illyrii, *more Græco: & rectius. Ibidem mox antiqui libri habent* Ticinum: *sed* Titium *agnoscit hic etiam Plinius libro tertio extremo. apud Ptolemæum* Τίτιος *est; teste Vin.* V. *27*, *vetustiss. codices* Adrianimaris. *Ibidem mox pro* Teuta *in antiq. libris est* Teucana, *apud Iornand.* Teutana: *apud Plinium lib. 34, c. 6, in antiq. exemplarib. est* Teuca; *apud Polybium initio secundi* Τεύτα. V. *31*, *vulg. l.* Centimalo. *in Romanis marmorib.* Centumalus

appellatur. V. 35, Vin. quadriennii requies: Iorn. quadriennium requies. V. 36, Vin. decem & octo. V. 38, Vin. qui vicit. & mox, adurebat nobilem populum ablatum mare, raptæ insulæ, dare tributa. V. 40, Vin. nec mora: & mox, in caussa. V. 42, Vin. in libertatem, accus. casu. V. 49, Romanorum, abest a Vin. ed. V. 50, vet. libri & Iorn. Bellum pacemque porto. vtrum eligitis? Succlamantibus Bellum, Bellum igitur, inquit, accipite. V. 52, Vin. in mediam curiam.

P. 393, v. 2, Romanis, non habent Vineti membrana. V. 11, pro Trasimenus reperitur etiam Thrasymenus: apud Quinctilianum libro primo Thrasumenus & Tharsomenus: teste Vin. apud Strabonem lib. 5, Τρασυμένα λίμνη. V. 14, inclusa quippe, abest ab editione Stadii. V. 18, pro XL apud Iorn. sunt LX. priorem numerum, XL, habet etiam Sigonius supra 138, 4. V. 21, Vin. ceciderant, præterito plusquamperf. V. 23, flaret abest a Vineti edit. V. 24, vulg. l. quasi secum cælum tenens. Stadius Iornandem & veteres Vineti libros sequi maluit. V. 26, Paullum gemino ll cum Scauro grammatico, antiquisque marmoribus ac nummis, scribit etiam Vinetus. V. 28, Vineti libri veteres, torrente Vergelli: alii torrente Vergello, vt habet etiã Iornandes. Stadius cum Cuspiniano maluit torrente Gello, vt apud Valer. Max. lib. 9, capite De crudelitate, legitur in flumine Gello. V. 31, vulgata Camertis editio Adherbalem: Vineti libri veteres Adarbalem: sicut apud Strabonem quoq; lib. 17, Ἀδάρβαλα Romanorum amicum a Iugurtha Vtica expugnatum ac necatum legimus. Stadius cum Liuio & Iorn. Maharbalem maluit. V. 35, Vin. Tarentumque perrexit. V. 37, vulg. l. Campaniç (quis crederet?) solę. ego cũ Vin. Campanię soles malui. V. 39, Vin. egebat ærarium. & seq. v. cingulisque & annulis. V. 48, velle abest a Vin. editione, & abundare videtur etiam Stadio. V. 55, fortasse conuenientius legerimus, sed libertate donata, fecerat de seruitute Romanos. id est, sed populus Romanus eos, vt & honestius & fortius pugnarent, libertate donata, e seruis fecerat ciues.

P. 394, v. 3, belle huc faciunt quæ de populi Romani in tot vndique bellis infracto robore, eiusque caussis, produntur a Dionys. Halic. libro 2, 89, 33. V. 8, Vin. quid nisi hactenus profuerunt vt pulchr. id est, quorsum profuerunt, nisi eó vt pulchritudini eius parceretur? V. 10, Insanos montes, μαινόμενα ὄρη, Ptolemæus quoque agnoscit in Sardinia. V. 11, vt hic vrbem vrbium Caralim, ita infra in Bello Cretico (406, 44) vrbium matrem Cydonam auctor dicit; vtrobique alludens ad Græcam vocem μητρόπολιν. Supra 386, 41, caput vrbium; & 387, 30, caput Lucaniæ; & 388, 44, caput gentis; & mox v. 49, caput regionis. rursum matrem ac parentem suam vrbem, 411, 25, dicit eadẽ signif. Præterea nota hic Caralim, & supra 391, 3, Caralæ vrbis. quæ diuersitas apud Græcos quoq; inuenitur. nam a Strabone vocatur Κάραλις, a Stephano Byz. Κάραλα. quam cum δι᾽ ἑνὸς λ scribi adnotet idem Stephanus, apud Ptolemæum pro vulgato Καραλλὶς scribendum videtur Κάραλις, vt apud Strabonem: præsertim cum apud eumdem Ptolem. mox sequatur Καραλιτανὸς κόλπος: quod gentile a Κάραλις quam a Καραλλὶς formatum aptius. a Καραλλὶς enim esset Καραλλιδικὸς, vt Χαλκιδικὸς a Χαλκίς. V. 13, vulg. l. spem totam. ego Vin. sequi malui. V. 17, Vin. & vulg. l. de Africa nomen: sed verior lectio Stadii. V. 22, vulg. l. capta est; & mox, Hispanica Carthago: mihi Vineti lectio visa est verior. V. 26, vel non habet Iornandes, & glossarion esse putat Vinetus. Ibidem diuersa terrarum, Græcismus est, vt supra 381, 23, ad subita belli. V. 28, Stad. pleriq; : quod est paulo angustius. V. 30, inclusa, iam, &c, addita sunt ex Vin. V. 33, vulg. l. administratione. Vineti lectio aptior. V. 41, pro adortam Vin. membrana habent adoratam, Iornandes adornatam. V. 43, legitur etiam insiderat: itidemq; infra de bello Antiochi, cõsiderat pro consederat. sed negat Priscianus se vsquam præteritum a sido inuenisse: inquit Vin. V. 45, prosector quædam editiones habent emptor. sed verior est membranarum scriptura. est enim sector, qui lucri caussa res hastæ subiectas emit, ac postea pro commodo suo reuendit; vt adn. Vin. Sequ. v. etiam additum ex Vin. V. 49, Cam. ed. & Stad. in vltimo Italiæ angulo summouebat. V. 50, vulg. l. in diuersiss. partem, & in ipsas nascentis Italiæ fauces, signa cõuerterat, tanto qua omnis longissima Italia solo interiacet. Stadius membranas Vineti & Iornandem sequi maluit. V. 52, pro inopinantem Vineti memb. habent inopinanter, Iorn. inopinatum.

P. 395, v. 4, Vin. in Africam, accus. casu. V. 14, statim, additum ex Vin. Seq. v. inclusum commation additum a Stadio. V. 18, quædam exemplaria, etiam antiqua, Asia habent pro Syria: teste Vin. V. 30, Pergamenorum pro Pergamorum reposui ex eodem Vin. vt infra 401, 24. V. 34, vulg. l. vltra mortem. vltra morem Vineto cum Iornande visum est congruentius. V. 35, veteres editiones habent Indum, Iornandes Saum: Vinetus ex Liuio Aoum legit. pro eodem Ἀῶον esse apud Ptolemæum & Strabonis abbreuiatorem, adnotat idem Vin. V. 36, q. cod. victoriæ fuit, gen. casu. V. 39, Vin. Lacedæmoniam. V. 42, quinquennales ludos vocat Olympia, seu ludos Olympicos; quod quinto quoq; anno agerentur. In sequentibus quod Flaminino consuli noster accidisse refert, id Pausanias Philopœmeni & Themistocli contigisse auctor est in Arcadicis, 278, 15. V. 55, Vin. armis quidquam: sine copula.

P. 396, v. 1, q. c. inciderant, plur. num. V. 5, Vin. & alii, populo Romano, dandi casu. Seq. v. id est, additum ex Vin. Idem adnotat, veterem codicẽ habere, id est, si se & Asiæ viribus vsus fuisset. V. 9, q. c. repetebat: & v. 11, Græcisque litoribus. V. 17, prænomen M'. abest a Vin. ed. Seq. v. q. c. aduentus sui initio. V. 20, q. c. statim e vestigio: veteres, statim & ex vestigio. Ibidem Vin. itur in Syriam. V. 21, Vin. Polyxenidæ, vt Pelopidæ, & similia. V. 22. Regillum habent etiam veteres libri: apud Appianum legitur Regulus: vt [illegible]n. Vin. Sequen. v. q. c. pro Themistocle habent Alcibiadem; minus

tere, vt ex Herodoto & ceteris tum Græcis tum Latinis historicis est manifestum. V. 18, Vineto veri similior videtur Appiani numerus: qui regium exercitum septuaginta milibus; Romanum, triginta constitisse tradit. V. 31, Vin. subito perfusus. V. 39, est, additum ex Vin. V. 43, vulg. l. Histros & Histricum cum aspiratione scribunt: at non item Græci. V. 46, A. Manlium habet etiam Liuius & vetera marmora: Iulius Obsequens & Cassiodorus Cn. Manlium nominant. Vin. V. 48, vulg. l. Appius Pulcher. Stadius Sigonium sequitur supra 162, 24. V. 49, vt hic, ipse rex Æpulo, sic apud Liuium l. 41, regulus ipse Æpulo. Sunt qui legant Apulo: vt rex Apulo equo impositus intelligatur. Si epulo scriberetur, intelligeretur ἑστιάτωρ, id est epuli præbitor. V. 53, Stadius, an fuisset cupidus triumphi Manlius, an eos visos simulauerit. Ego Vinetum sequi malui. sensus est iste; dubium est, fuerintne inter auxilia regis, an Manlius triumphi cupiditate incensus eos fuisse simulauerit. cuius rei mentio etiam infra in Viris illustribus, 501, 11.

P. 397, v. 2, fortasse rectius qui vel quæ. V. 3, Vin. parte sederunt. V. 6, q. c. Tolostobogi: Plin. Tolistobogi: apud Strab. Τολιστόβογοι & Τολιστοβόγιοι: apud Steph. Byz. Τολιστόβιοι, apud Pausaniam Κισόβωκοι. In altero etiam populo varietas est. nam & Tectosagi, & Tectosagæ, & Tectosages nominantur. a Stephano Byz. duo tãtum agnoscuntur, Τεκτόσαξ & Τεκτοσάγης, vt Καππάδοξ & Καππαδόκης. V. 7, q. c. vtrimque aduerb. & mox dederunt. V. 9, vulg. l. Orgiagontis; m. s. Orgiacontis. ego cum Suida Ortiagontis malui præsertim cum apud Plutarchũ quoq́ necnon & apud Liuium, Nepotem, & Iornandem, sic legi testetur Vinetus. V. 12, inclusa, addita sunt a Stadio. V. 13, dum pro vulg. cum repos. ex Vin. V. 15, qui Perses hic & alibi scribitur, Græcis est Περσεύς, Perseus. V. 19, Vin. ferociam Thracum disciplina Macedonum temperauerũt. Idem mox Hæmo, cum aspiratione, vt etiam Plinius, Mela, alii: apud Græcos plerosq́, omnes sine aspiratione scribitur. V. 22, prænomen Q. abest a Vin. ed. V. 23, pro Astrudem antiqui libri habent Astundem: Liuius Ascuridem. fortasse rectius Asturidem, Ἀστυρίδα, ab Astyro opido. V. 14, Vin. omissa &, legit, illa quæ volucribus quoque videbatur inuia, accessit via. V. 36, inclusa in abest a Vin. edit. Ibidem pro in templum, apud Liu. l. 45, est in tabernaculum; eodem V. teste. V. 42 Vin. præceperat: & mox, victus Perseus, omisso verbo est. V. 50, Vin. Anicio prætore. Seq. v. q. c. Scordam & Scardonam: sed Scodram etiam Liuius & Ptolemæus lib. 2 extremo. at Scydra Macedoniæ op. est Plinio, Ptolemæo, Stephano. V. 53, inclusa, addita sunt a Stadio.

P. 398, v. 4, Vin. vulgo ex similitudine Philippi Pseudophilippus vocabatur. V. 9, vulg. l. consule Metello. Stadius cum Velleio maluit prætore. V. 22, vulg. l. Masinissæ. apud Suidam est Μασανάσσης, Masanasses. Ibidem conuenientius fortasse tentaret. V. 35, inclusa &, abest a Vineti editione. V. 37, pro consule Sigonius legit legato, supra 184, 19. Ibidem mox Vin. & primus, & sequens; iam & tertius murus; cum tamen B. V. 42, eius, additum ex Vin. V. 46, Vin. quia illos nemo hac euadere p. Sequ. v. Vin. cum interim; duabus periodis in vnam conflatis. V. 55, antiqua lectio, vt, quatenus eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.

P. 399, v. 2, Vin. euersionis vrb. V. 7, Vin. cui cum maxime Macedoniæ mandata est vltio. V. 8, Metellum non consulem sed prætorem hæc gessisse, notat etiam Vinetus: & sic Stadius legit pagina præcedenti, v. 9. V. 16, &, addita ex Vin. V. 17, permistis pro vulg. perustis repos. ex Vin. Seq. v. venæ abest a Vin. ed. V. 24, vrbes inferni ex Vin. Camertis editio habet, vt inde quasi agit. v. V. 29, & abest a Vin. ed. V. 40, antiqua lectio; Oceani ora; ita scilicet vt fluminum ora & ostia dicuntur. V. 45, Vin. qui ex Macedonia cognomen meruerat; cum & Contreb. vbi etiam vetustissimus codex habet meruit. Deinde quæ sequenti versu in vulg. edit. est Contrebia, itidemq́ apud Liuium, Velleium, Nepotem; ea in antiquis libris & apud Valer. Max. est Trebia; eodem scilicet nomine quo fluuius Italiæ. Ibidem mox Vin. & Nertobriges. In Itinerario & apud Ptolemæum legitur Nertobriga, inter vrbes Hispanicas: apud Suidã vero ex Appiano, Νεργόβριγες, Nergobriges, populus Hisp. V. 49, Camertis ed. Gallæcos Lusitanosque, omnes Galatiæ populos: Vinetus, Celticos Lusitanosque, & omnes Callæciæ populos. V. 50, fluuium Obliuionem vocat abbreuiator Liuii, in epitoma quinquagesimiquinti: fluuium Lethes Silius cum Appiano: Melas cum Ptolemæo Limiam cognomine Obliuionis. Strabo lib. 3, fluuium Lethes ab aliis Λιμαίαν, ab aliis Βελιῶνα nominatum tradit. Seq. v. de solis occasu poetica est fabula. tu Strabonem vise initio tertii, & Cleomedem lib. 2, vbi de solis magnitudine disputant. V. 53, Hispaniæ, additum ex Vin. V. 55, vulg. l. si recessisset: nullo sensu apto. ego Vinetum sequi non dubitaui, cum itidem sequent. pag. ver. 4 legamus, si fortuna cessisset. Idem Vin. ibidem h. astu & audacia. Præterea Solondicus in quibusdam libris est Salondicus, in quibusdam Solundicus. ego Vineti libros veteres secutus sum; in quibus per o in vtraque syllaba scribitur Solondicus.

P. 400, v. 3, Vinetus, vt aptior sit structura coherentia, post qui, putat inserendum aduerb. relatiuum quum. V. 7, q. c. præsidium: & mox veteres libri internicionem, per i. V. 9, quidam libri veteres pro cum scribunt etiam. V. 10, cognomen Cæpione non habet Vin. edit. V. 18, flumen abest a Vineti libris antiquis. Durium vero Appianus quoq́, Δόριον vocat; itemq́ Silius lib. 1, Duriusq; Tagusq;. a Strabone Δούριος nominatur, a Ptolemæo Δουρίου, teste Vin. V. 22, quidam vet libri, Sedigenses. sed Σεγίδην Celtiberiæ opidum agnoscit cum Strabone Stephanus quoque. V. 28, inclusa absunt a Vin. edit. V. 30, vet. libri. internicioné, per i. V. 40, Vin. & vulg. libri, quisquam pro quisq;. V. 44, potionis genus hoc in quibusdã exemplarib. est celia, in quibusdam cælia, in quibusdam cœlia. Gregorius Turonensis

appellatur. V. 35, Vin. quadriennii requies: Iorn. quadriennium requies. V. 36, Vin. decem & octo. V. 38, Vin. qui vicit. & mox, adurebat nobilem populum ablatum mare, raptæ insulæ, dare tributa. V. 40, Vin. nec mora: & mox, in caussa. V. 42, Vin. in libertatem, accus. casu. V. 49, Romanorum, abest a Vin. ed. V. 50, vet. libri & Iorn. Bellum pacemque porto. vtrum eligitis? Succlamantibus Bellum, Bellum igitur, inquit, accipite. V. 52, Vin. in mediam curiam.

P. 393, v. 2, Romanis, non habent Vineti membranæ. V. 11, pro Trasimenus reperitur etiam Thrasymenus: apud Quinctilianum libro primo Thrasumenus & Tharsomenus: teste Vin. apud Strabonem lib. 5, Τρασυμένα λίμνη. V. 14, inclusa quippe, abest ab editione Stadii. V. 18, pro XL apud Iorn. sunt LX. priorem numerum, XL, habet etiam Sigonius supra 138, 4. V. 21, Vin. ceciderant, præterito plusquamperf. V. 23, flaret abest a Vineti edit. V. 24, vulg. l. quasi secum cælum tenens. Stadius Iornandem & veteres Vineti libros sequi maluit. V. 26, Paullum gemino ll cum Scauro grammatico, antiquisque marmoribus ac nummis, scribit etiam Vinetus. V. 28, Vineti libri veteres, torrente Vergelli: alii torrente Vergello, vt habet etiã Iornandes. Stadius cum Cuspiniano maluit torrente Gello, vt apud Valer. Max. lib. 9, capite De crudelitate, legitur in flumine Gello. V. 31, vulgata Camertis editio Adherbalem: Vineti libri veteres Adarbalem: sicut apud Strabonem quoq; lib. 17, Ἀδάρβαλα Romanorum amicum a Iugurtha Vticæ expugnatum ac necatum legimus. Stadius cum Liuio & Iorn. Maharbalem maluit. V. 35, Vin. Tarentumque perrexit. V. 37, vulg. l. Campanię (quis crederet?) solę. ego cũ Vin. Campanię soles malui. V. 39, Vin. egebat ærarium. & seq. v. cingulisque & annulis. V. 48, velle abest a Vin. editione, & abundare videtur etiam Stadio. V. 55, fortasse conuenientius legerimus, sed libertate donata, fecerat de seruitute Romanos. id est, sed populus Romanus eos, vt & honestius & fortius pugnarent, libertate donata, e seruis fecerat ciues.

P. 394, v. 3, belle huc faciunt quæ de populi Romani in tot vndique bellis infracto robore, eiusque caussis, produntur a Dionys. Halic. libro 2, 89, 33. V. 8, Vin. quid nisi hactenus profuerunt vt pulchr. id est, quorsum profuerunt, nisi eò vt pulchritudini eius parceretur? V. 10, Insanos montes, μαινόμενα ὄρη, Ptolemæus quoque agnoscit in Sardinia. V. 11, vt hic vrbem vrbium Caralim, ita infra in Bello Cretico (406, 44) vrbium matrem Cydonam auctor dicit; vtrobique alludens ad Græcam vocem μητρόπολιν. Supra 386, 41, caput vrbium; & 387, 30, caput Lucaniæ; & 388, 44, caput gentis; & mox v. 49, caput regionis. rursum matrem ac parentem suam vrbem, 411, 25, dicit eadẽ signif. Præterea nota hic Caralim, & supra 391, 3, Caralæ vrbis. quæ diuersitas apud Græcos quoq; inuenitur. nam a Strabone vocatur Κάραλις, a Stephano Byz. Καραλία. quam cum δι' ἑνὸς λ scribi adnotet idem Stephanus, apud Ptolemæum pro vulgato Καραλλὶς scribendum videtur Κάραλις, vt apud Strabonem: præsertim cum apud eumdem Ptolem. mox sequatur Καραλιτανὸς κόλπος: quod gentile a Κάραλις quam a Καραλλὶς formatum aptius. a Καραλλὶς enim esset Καραλλιδικὸς, vt Χαλκιδικὸς a Χαλκίς. V. 13, vulg. l. spem totam: ego Vin. sequi malui. V. 17, Vin. & vulg. l. de Africa nomen: sed verior lectio Stadii. V. 22, vulg. l. capta est; & mox, Hispanica Carthago: mihi Vineti lectio visa est verior. V. 26, vel non habet Iornandes, & glossarion esse putat Vinetus. Ibidem diuersa terrarum, Græcismus est, vt supra 381, 23, ad subita belli. V. 28, Stad. pleriq; quod est paulo angustius. V. 30, inclusa, iam, &c, addita sunt ex Vin. V. 33, vulg. l. administratione. Vineti lectio aptior. V. 41, pro adortam Vin. membranæ habent adoratam, Iornandes adornatam. V. 43, legitur etiam insiderat: itidemq; infra de bello Antiochi, cõsiderat pro consederat. sed negat Priscianus se vsquam præteritum a sido inuenisse: inquit Vin. V. 45, pro sector quædam editiones habent emptor. sed verior est membranarum scriptura. est enim sector, qui lucri caussa res hastæ subiectas emit, ac postea pro commodo suo reuendit; vt adn. Vin. Sequ. v. etiam additum ex Vin. V. 49, Cam. ed. & Stad. in vltimo Italiæ angulo summouebat. V. 50, vulg. l. in diuersiss. partem, & in ipsas nascentis Italiæ fauces, signa cõuerterat, tanto qua omnis longissima Italia solo interiacet. Stadius membranas Vineti & Iornandem sequi maluit. V. 52, pro inopinantem Vineti memb. habent inopinanter, Iorn. inopinatum.

P. 395, v. 4, Vin. in Africam, accus. casu. V. 14, statim; additum ex Vin. Seq. v. inclusum commation additum a Stadio. V. 18, quædam exemplaria, etiam antiqua, Asia habent pro Syria: teste Vin. V. 30, Pergamenorum pro Pergamorum reposui ex eodem Vin. vt infra 401, 24. V. 34, vulg. l. vltra mortem. vltra morem Vineto cum Iornande visum est congruentius. V. 35, veteres editiones habent Indum, Iornandes Saum: Vinetus ex Liuio Aoum legit. pro eodem Ἀῷον esse apud Ptolemæum & Strabonis abbreuiatorem, adnotat idem Vin. V. 36, q. cod. victoriæ fuit, gen. casu. V. 39, Vin. Lacedæmoniam. V. 42, quinquennales ludos vocat Olympia, seu ludos Olympicos; quod quinto quoq; anno agerentur. In sequentibus quod Flaminino consuli noster accidisse refert, id Pausanias Philopœmeni & Themistocli contigisse auctor est in Arcadicis, 278, 15. V. 55, Vin. armis quidquam: sine copula.

P. 396, v. 1, q. c. inciderant, plur. num. V. 5, Vin. & alii, populo Romano, dandi casu. Seq. v. id est, additum ex Vin. Idem adnotat, veterem codicẽ habere, id est, si se & Asiæ viribus vsus fuisset. V. 9, q. c. repetebat: & v. 11, Græcisque litoribus. V. 17, prænomen M. abest a Vin. ed. Seq. v. q. c. aduentus sui initio. V. 20, q. c. statim e vestigio: veteres, statim & ex vestigio. Ibidem Vin. itur in Syriam. V. 21, Vin. Polyxenidæ, vt Pelopidæ, & similia. V. 22, Regillum habent etiam veteres libri: apud Appianum legitur Regulus: vt adn. Vin. Sequen. v. q. c. pro Themistocle habent Alcibiadem, minus

vere, vt ex Herodoto & ceteris tum Græcis tum Latinis historicis est manifestum. V. 18, Vineto veri similior videtur Appiani numerus: qui regium exercitum septuaginta milibus; Romanum, triginta constitisse tradit. V. 31, Vin. subito perfusus. V. 39, est, additum ex Vin. V. 43, vulg. l. Histros & Histricum cum aspiratione scribunt: at non item Græci. V. 46, A. Manlium habet etiam Liuius & vetera marmora: Iulius Obsequens & Cassiodorus Cn. Manlium nominant. Vin. V. 48, vulg. l. Appius Pulcher. Stadius Sigonium sequitur supra 162, 24. V. 49, vt hic, ipse rex Æpulo, sic apud Liuium l. 41, regulus ipse Æpulo. Sunt qui legant Apulo: vt rex Apulo equo impositus intelligatur. Si epulo scriberetur, intelligeretur ἑστιάτωρ, id est epuli præbitor. V. 53, Stadius, an fuisset cupidus triumphi Manlius, an eos visos simulauerit. Ego Vinetum sequi malui. sensus est iste; dubium est, fuerintne inter auxilia regis, an Manlius triumphi cupiditate incensus eos fuisse simulauerit. cuius rei mentio etiam infra in Viris illustribus, 501, 11.

P. 397, v. 2, fortasse rectius qui vel quæ. V. 3, Vin. parte sederunt. V. 6, q. c. Tolostobogi: Plin. Tolistobogi: apud Strab. Τολιστόβογοι & Τολιστοβόγιοι: apud Steph. Byz. Τολιστόβιοι, apud Pausaniam Κεστόβωκοι. In altero etiam populo varietas est. nam & Tectosagi, & Tectosagæ, & Tectosages nominantur. a Stephano Byz. duo tantum agnoscuntur, Τεκτόσαξ & Τεκτοσάγης, vt Καππάδοξ & Καππαδόκης. V. 7, q. c. vtrimque aduerb. & mox dederunt. V. 9, vulg. l. Orgiagontis; m. s. Orgiacontis. ego cum Suida Ortiagontis malui: præsertim cum apud Plutarchum quoque, necnon & apud Liuium, Nepotem, & Iornandem, sic legi testetur Vinetus. V. 12, inclusa, addita sunt a Stadio. V. 13, dum pro vulg. cum repos. ex Vin. V. 15, qui Perses hic & alibi scribitur, Græcis est Περσεύς, Perseus. V. 19, Vin. ferociam Thracum disciplina Macedonum temperauerunt. Idem mox Hæmo, cum aspiratione, vt etiam Plinius, Mela, alii: apud Græcos plerosque omnes sine aspiratione scribitur. V. 22, prænomen Q. abest a Vin. ed. V. 23, pro Astrudem antiqui libri habent Astundem: Liuius Ascuridem. fortasse rectius Asturidem, Ἀσουρίδα, ab Astyro opido. V. 24, Vin. omissa &, legit, illa quæ volucribus quoque videbatur inuia, accessit via. V. 36, inclusa in abest a Vin. edit. Ibidem pro in templum, apud Liu. l. 45, est in tabernaculum; eodem V. teste. V. 42 Vin. præceperat: & mox, victus Perseus, omisso verbo est. V. 50, Vin. Anicio prætore. Seq. v. q. c. Scordam & Scardonam: sed Scodram etiam Liuius & Ptolemæus lib. 2 extremo. at Scydra Macedoniæ op. est Plinio, Ptolemæo, Stephano. V. 53, inclusa, addita sunt a Stadio.

P. 398, v. 4, Vin. vulgo ex similitudine Philippi Pseudophilippus vocabatur. V. 9, vulg. l. consule Metello. Stadius cum Velleio maluit prætore. V. 22, vulg. l. Masinissæ. apud Suidam est Μασανάσσης, Masanasses. Ibidem conuenientius fortasse rentaret. V. 35, inclusa &, abest a Vineti editione. V. 37, pro consule Sigonius legit legato, supra 184, 19. Ibidem mox Vin. & primus, & sequens; iam & tertius murus; cum tamen B. V. 42, eius, additum ex Vin. V. 46, Vin. quia illos nemo hac euadere p. Sequ. v. Vin. cum interim; duabus periodis in vnam conflatis. V. 55, antiqua lectio; vt, quatenus eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.

P. 399, v. 2, Vin. euersionis vrb. V. 7, Vin. cui tum maxime Macedoniæ mandata est vltio. V. 8, Metellum non consulem sed prætorem hæc gessisse, notat etiam Vinetus: & sic Stadius legit pagina præcedenti, v. 9. V. 16, &c, addita ex Vin. V. 17, permistis pro vulg. perustis repos. ex Vin. Seq. v. venæ abest a Vin. ed. V. 24, vrbes inserui ex Vin. Camertis editio habet, vt inde quasi agit. v. V. 29, & abest a Vin. ed. V. 40, antiqua lectio; Oceani ora; ita scilicet vt fluminum ora & ostia dicuntur. V. 45, Vin. qui ex Macedonia cognomen meruerat; cum & Contreb. vbi etiam vetustissimus codex habet meruit. Deinde quæ sequenti versu in vulg. edit. est Contrebia, itidemque apud Liuium, Velleium, Nepotem; ea in antiquis libris & apud Valer. Max. est Trebia; eodem scilicet nomine quo fluuius Italiæ. Ibidem mox Vin. & Nertobriges. In Itinerario & apud Ptolemæum legitur Nertobriga, inter vrbes Hispanicas: apud Suidam vero ex Appiano, Νεργόβριγες, Nergobriges, populus Hisp. V. 49, Camertis ed. Gallæcos Lusitanosque, omnes Galatiæ populos: Vinetus, Celticos Lusitanosque, & omnes Callæciæ populos. V. 50, fluuium Obliuionem vocat abbreuiator Liuii, in epitoma quinquagesimiquinti: fluuium Lethes Silius cum Appiano: Melas cum Ptolemæo Limiam cognomine Obliuionis. Strabo lib. 3, fluuium Lethes ab aliis Λιμαίαν, ab aliis Βελιῶνα nominatum tradit. Seq. v. de solis occasu poetica est fabula. tu Strabonem vise initio tertii, & Cleomedem lib. 2, vbi de solis magnitudine disputant. V. 53, Hispaniæ, additum ex Vin. V. 55, vulg. l. si recessisset: nullo sensu apto. ego Vinetum sequi non dubitaui, cum itidem sequent. pag. ver. 4 legamus, si fortuna cessisset. Idem Vin. ibidem h. astu & audacia. Præterea Solondicus in quibusdam libris est Salondicus, in quibusdam Solundicus. ego Vineti libros veteres secutus sum; in quibus per o in vtraque syllaba scribitur Solondicus.

P. 400, v. 3, Vinetus, vt aptior sit structuræ cohærentia, post qui, putat inserendum aduerb. relatiuum quum. V. 7, q. c. præsidium: & mox veteres libri internicionem, per i. V. 9, quidam libri veteres pro eum scribunt etiam. V. 10, cognomen Cæpione non habet Vin. edit. V. 18, flumen abest a Vineti libris antiquis. Durium vero Appianus quoque Δόριον vocat; itemque Silius lib. 1, Duriusque Tagusque. a Strabone Δούριος nominatur, a Ptolemæo Δώριος, teste Vin. V. 22, quidam vet. libri, Sedigenses. sed Σεγίδην Celtiberiæ opidum agnoscit cum Strabone Stephanus quoque. V. 28, inclusa absunt a Vin. edit. V. 30, vet. libri, internicionem, per i. V. 40, Vin. & vulg. libri, quisquam pro quisque. V. 44, potionis genus hoc in quibusdam exemplarib. est celia, in quibusdam cælia, in quibusdam cœlia. Gregorius Turonensis

coctiam a coquendo vocat: eiusq; etymi auctorem citat Orosium. apud Orosium tamen celia scribitur, & a calefaciendo nuncupata dicitur; vt adn. Vin. Ibidem mox quidam codices; sic vocat indigena: alii, sic vocant indigenam ex fr. potionem. V. 46, Vin. fames premeret. Idem mox expuncta sed, e duabus periodis vnam facit.

P. 401, v. 2, ipsi, additum ex Vin. V. 12, Vin. ad hoc, sing. num. V. 14, ipse additum ex Vin. V. 21, inclusa, addita sunt a Stadio. V. 24, Vin. coniuncte insimul. V. 26, Vin. fuerant, prat. plusquamperf. V. 31, vulg. l. Crassi quoq; prætoris. Stadius cum Velleio maluit procõsulis. Strabo quartodecimo, Liuiana epitome quinquagesimonono, Trogi breuiarium trigesimosexto, & Orosius quincto, consulem vocant; teste Vin. V. 33, Vin. ita concidit. Ibidem vulg. l. Perpenna. Stadius cum veteribus monumentis maluit Perperna: sicut in Appiani quoq; Iberico sub finem Περπέρνας legitur. Seq. v. prænomen M. additum a Stadio.

P. 402, v. 7, Vin. meridianam plagam. V. 9, legitur etiam Numida concussit: & mox, fuit Iugurtha: non inconcinne. V. 11, q. c. contra spem. V. 12, de Massinissa dictum supra, ad 398, 22. V. 21, Vin. consul mittitur. Seq. v. vetus codex, rex peritus: vt significetur qui iam ante periculum fecerit. V. 23, vulg. l. accersiretur: ego cum Vineto malui accerseretur. Nepotem seq. v. non habet Vin. edit. Idem ibidẽ adnotat in ant. libro esse Massiliuam: sed Massiuam legi etiam apud Liuium & Sallustium. V. 27, quem, non habet Vineti editio. Idem mox legit, Eo tempore. V. 30, iam, additum ex Vin. V. 34, Getuli & Getulia in vetustis quoq; inscriptionibus sine diphthongo legũtur sæpius: apud Stephanum Byz. & ceteros scriptores Græcos Γαιτοῦλοι: item quatuor syllabis Γαιτούλοι: prima diphthongo, quamobrẽ a Latinis quoque poetis, Virgilio, Ouidio, Lucano, Silio, & aliis, prima huius vocabuli producitur: vt adnot. Vin. V. 40, quoque additum ex Vin. ed. V. 41, in plerisq; Latinis exemplarib. Cirtham; apud Strabonem vero & Ptolemæum sine aspiratione Κίρταν scribi, adnot. idem Vin. V. 42, q. c. accessionem timet. V. 47, antiqua lectio, iam vt venalis. V. 53, de Salyis seu Saluis dictum supra, ad 392, 8. V. 55, qui vulgo Hedui, in vetustis marmoribus vocantur Ædui, Stephano Byzantio Αἰδούσιοι, Ædusii. Ibidem mox pro Varus, Isara, amnes; quidam cod. habent Varius, Isaura, amnis; teste Vin. Idem Vindelicum amnem putat esse Strabonis Sulgam, cognominatum scilicet hic ab opido, quod Vindalium quatuor syllabis scribitur in sexagesimo primo Liuiani breuiarii, & in quinto Orosii; apud Strabonem vero tribus syllabis Vindalum.

P. 403, v. 2, vulg. libri, rex ipse bis visus. sed Bituitus legendum esse, patet ex Liuiana epitome, Eutropio, Orosio. In vetusto Eutropii codice Vituitus legitur: apud Strabonem Βίτος pro Βιτοίτος: vt Vin. adnotauit. V. 4, Vin. extimari: quod alibi quoque pro æstimari positum legitur. Ibidem quidam cod. cum vet. marmorib. habent Ahenobarbus: sicut apud Suidam quoque non Αἰνόβαρβος, sed Αἰνόβαρβος scriptum est; quinque videlicet syllabis. Dictus autem Ahenobarbus ab ahenei coloris barba: sicut a Suida quoque Græce χαλκοπώγων redditur. V. 5, in, addita ex Vin. V. 9, Vin. Teutoni pro Teutones: itidemque v. 22, Teutonos pro Teutonas. Sed alibi quoq; hæc flexionis varietas inuenitur: Teutoni apud Velleium, Tacitum, Plinium, Melam; Teutones apud Eutropium & Ammianum; sicut apud Ptolemæum quoq; Τεύτονες. V. 11, q. c. remigarent: falso. V. 12, q. c. vt populus Romanus: quod exegema est. V. 14, Vin. intra se: recte. V. 16, Vin. Manlius. cuius diuersitatis meminit Sigonius quoq; supra 229, 49. V. 23, Vin. in locum; accus. casu. Ibidem mox vulg. l. qua fide numinum prœlio oppressit. Stadius Vinetum sequi maluit: sicut nimirum supra quoq; (384, 38) habuimus, fides numinum, qua velocitate! quamquã etiam ibi Iornandes fide habet pro fides. V. 24, medium, additum ex Vin. V. 26, q. c. acta, id est adacta, compulsa. V. 31 & 32, inclusa, addita sunt ex Vin. De Teutonis dictum paulo ante, ad v. 9. V. 34, apud Liuium, Plinium & alios, Athesim legimus: apud Plutarch. in Mario Ἀτισῶνα, Atisonem. Natiso in Cæsare a historia fluuius est Aquileia. V. 39, q. c. a nostro imperatore. V. 40, q. c. Claudium: Vineti codices veteres Raudium: itemq; Velleius Paterculus 439, 52. In Viris illustribus Nepotis, Vineti codices alii Saudum habent, alii Caudium. V. 41, q. c. campo procurrere. Ibidem mox q. c. millia deinde ad quadraginta ceciderunt: veteres libri, millia inde ad sexaginta ceciderunt. Stadius Sigonium secutus est, qui ad Epitomes Liuianæ librum 68, ex antiquo Flori codice legit centum quadraginta: eundemq; numerum non tantum in Liuiana epitome, sed apud Plutarch. etiam exstare adnotat. Velleius tradit CL milia Teutonum primo ac postero die cæsa esse: Orosius ducenta milia armatorum trucidata, octoginta milia capta, vix tria effugisse scribit, & Teutobochum occisum. Rursus ibidem q. c. per omnem diem. V. 51, pro Beleus apud Orosium quinto Celeus est: in Epitome Liuiana sexagesimo septimo Bolus: in antiqua Vineti codice Boleris pro Boleus. V. 52, præpositio in ex Vin. libro vet. addita est. Ibidẽ nota structuræ genus, tertia manus in diuersa lapsi, fuga ignobili euanuit. V. 54, q. c. libertatis Italiæ. ego Vin. sequi malui. Ex eodem seq. v. additum Romanus.

P. 404, v. 2, q. c. litteras tradere. Ibidem mox subaudiendum, litteras eas esse. sensus enim est; frequens rumor feliciter dixit litteras eas esse de victoria Cimbrica. V. 5, q. c. succumberent. V. 12, q. c. litare diis sanguine humano: sed sanguinem humanum, vetus lectio est; teste Vin. V. 16, q. c. consentiebant, plur. num. V. 17, Vin. simili prodigio, abl. casu. Idem ibidẽ adnotat Didiũ in antiquo exemp. & apud Rufum prænomine Marcum dici per errorẽ fortassis. Didius n. prænomine Titus, Drusus prænomine Marcus dictus est; vt ex Sigonio manifestũ est, supra 222, 30: & 223, 47. V. 20, Vin. perstrictũ glacie. Seq. v. q. c. Daciam tenus. sed Dacia tenus habent etiam lib. vet. vt supra Adriano tenus m[illegible] & infra Colchis tenus: itemq; apud Cicer. Tauro tenus. V. 27, Mithradates

thradates & Mithradaticum *per a in secunda syllaba scribit Stadius & Schottus, ex nummis antiquis. & μίθρας a Persis solem dici testatur Suidas. Reperitur tamen* Μιθριδάτης *per ι etiam apud Graecos plerosque, & quidem in m. s. exemplaribus.* V. 28, pro Atheas *veteres libri alii habent* Etbas, *alii* Etas. *De septem Persis, a quibus Mithridatem ortum Polybius quoq;, Iosephus & Nepos tradiderunt, vise Strabonem quintodecimo extremo, Iustinum primo, Ammianum vicesimotertio, & vetustiores his Herodotum ac Ctesiam.* V.30, *pro* decem & septem *antiqui libri habent tantum* quatuordecim. *sed supra quoq; 392,36, auctor dixit secundum bellum Punicum non amplius quam octo & decem annos habuisse. Mithridaticum vero quamdiu durarit, Sigonius supra docuit 240,10.* V. 48, *Vin.* quadam quasi manu repulit.

P. 405, v. 4, q.c. captam: *minus significanter.* V.11, *pistricem agnoscit etiã Cicero in Arateis Phaenomenis, cum ait,* sparsam subter caudam pistricis adhaeret. *Sed reperitur etiam pristis, pro belua pariter & naui; nimirũ* παρὰ τὸ πρίειν, a secando: *quo & poeta videtur allusisse, cum Æn. 5 dicit,* secat aequora pristis: *& paulo ante,* rostro premit aemula pristis. *Ibidem mox fortasse rectius legerimus,* cum & mora. V. 13, *de Æsapo seu Æsepo dictum supra, ad 373,37. Est autem in* Æsapus *a pro e, Dorice; vt in* choragus, stratagema, *& similibus.* V.27, *Iustus Lipsius Notis ad lib. tertium Historiarum Taciti, ex Orosio, Frontino & Dione legit,* a tergo Romanis, a facie hostib. se praebuisset: *idemq; mox vocem* suas *expungit.* V.31, *antiqui libri pro* Ciliciae *habent* Siciliae: *non male: quia sequitur mox,* & Campaniam nostram. *sed ferri tamen & vulgata lectio potest.* V.32, *inclusa, absunt a membranis Vineti.* V.34, *q.c.* nec opinatus, *id est nec exspectatus.* V.39, *vulg.l.* stellas secutus. *ego cum Vin. malui* stellis, *id est stellarum indicio seu ductu.* V. 40, etiam *additũ ex Vin.* V. 41, *pro* Artocen *antiqui libri habent* Adartocen. V. 45, *vetusti codices* Hierosolymã: *& mox,* hanc quoq;. V.46, *vulg.l.* patens aureo. *sed praepos.* sub *habent etiam Vineti membranae.* V.51, mare, *additum ex Vin.*

P. 406, v.3. vulg.l. Isodoro: *ego cum Vin. malui* Isidoro. V. 4, *inclusa, absunt a vet. libris. iidemq; mox pro* quem *habent* quod: *vt referatur ad mare quo erant contenti. Sigonius supra 261, 28, paulo aliter distinguit hunc locum: & pro* Maleum *habet* Maliacum. V. 8, *q. c.* Isaurumque *terminatione Latina. Strabo lib. 14 Isaura plurali numero; Frontinus Stratag. l. 3, Isauram prima declinatione vocat; teste Vineto.* V. 13, *Vin.* factus accessio, *s. Pompeius.* V. 17, *in quibusdam codicib. pro Plotio est Plotinus. sed* Πλώτιον *vocat etiã Appianus: vt ex amici obseruatione notat Fuluius Vrsinus De famil. Rom. p. 203. Praeterea vulg. cod. ibidem mox habent;* Gratilius Ligusticum sinum, Pompeius Gallicum obsedit. *sed in Appiani quoq; Mithridatico Marcus Pomponius appellatur qui Ligustico & Gallico mari praefectus fuit; & Pompeius ipse (v.24) in Ciliciã se conuertisse dicitur. Praeterea in Gratilii nomine alii codices l geminum, alii vnicũ habent: & vulg. libri* Ligusticũ *pro* Ligustinũ: *vt Vin. adn.* V. 20, &c, *abest a Vin.* *ed.* V. 22, *malet fortasse aliquis* obseruauit. V. 28, *q.c.* supplicantib. signũ fuit: *& mox* aliâs *pro* alia. V. 44, *q.c.* Cnossum, *more Graeco.* Κνωσὸν *enim vocat Suidas & alii. Ibidẽ pro* Erythraeam *quidã malunt* Eleutherã. *sed* Erythraeum *Cretae promuntorium agnoscit etiã Ptolemaeus, teste Vin.* Vrbiũ matrem *ibidem vocat auctor quod Graeci* μητρόπολιν: *qua de re supra, ad 394, 11. Praeterea* Cydonã *seq. v. alii* Cydoniã *vocant. sicut Strabo quoq; & Dio* Κυδωνίαν: *vt adn. Vin.* V. 47, *vulg.l.* misisset Antonium. *Stadius cum Vineto maluit* Octauium: *atq; ita etiam Sigonius supra 272,20. Seq. v. q. c.* irritus fuit: *& mox,* infestior Metellus.

P. 407, v.1, sunt qui malint incognitas. *Seq. v.* praenauigantes *sunt praeternauigantes: vt apud Plin. lib. 4, c. 3,* Gephisus praefluens Delphos: *& l. 5, c. 26,* circaque eam praefluenti infusus Tigri. V. 16, plebis, *abest a Vin. ed.* V. 29, *q.c.* longeq; cruentior. *sed coniunctio* que *non est in mẽbranis Vin.* V. 34, *Vin.* cum rostra sensissent. V. 37, *in cunctis Vineti exemplarib. est* mora dilabebantur. *quae lectio qui a parum ad rem facit, mauult* Morini *ex Caesaris Commentario Gallico tertio extremo. itidemq; Stadius.* V. 48, *q.c.* Indutiomarus: *Vineti mẽbranae* Inductiomarus. *Ibidem mox* Treueros *habent quidam codices, vtrobiq; per e.* V. 40, *vulg. l.* a Dolabella summotus est. *Stadius ex Caesare, Dione, ac Plutarcho, T. Labienum pro Dolabella substituit.* V. 42, *Vineti membranae cum praenomine habent* Marcum Cottam. *quẽ Sigonius 289,41, vocat* L. Aurunculeium Cottam: *itemq; Caesar & Dio.* V. 45, *Camers cum Cuspiniano legit* Hedui enim. *Vineti libri veteres alii* eccani; *alii* heccaui. *Vinetus ex primo Caesaris Commentario Gallico legit* Sequani, *seu* Secani. *nam hanc quoq; posteriorem scripturam exstare in m. s. Ausonii codicibus; posito videlicet* c *pro* q: *vt & apud Stephanum Byz. sunt* Σηκόανοι. V. 47, *Vin.* Quis est autem Caesar? *non minus recte legeris,* Quisnam est Caesar? *Forsan etiam aliquis* ait *malet pro* autem. *sed tunc eiusdẽ significationis verbum bis esset positum.* V. 49, &c, *addita ex Vin.* V. 53, vbi, *abest a Vin. ed. Ibidem pro vulg.* Tencteri *Stadius reposuit* Menapii; *ex Caesaris quarto Commentario Gallico. Vineti membranae habent* Centeri: *apud Dionem lib. 39 sunt* Τέγκτηροι, *vt in vulg. libris Latinis. Seq. v. membranae Vineti habent* Massiliam: *pro quo ipse* Mosulam, *Stadius ex Caesare* Mosam *reposuit. Ptolemaeus quoq; Mosam agnoscit, & alii; diuersum a Mosella fl.*

P. 408, v.7, lectionem vulgatam, Morino soluisset a portu, *tuetur etiam Isaacus Casaubonus Notis ad Strabonis pag. 138. Strabo Morinorum nauale hoc vocat Itium: supra libro primo, 384, 27, Gessoriacum dici Morinorum portũ ac nauale, adnotat Vinetus. Dicuntur autem Morini duab. priorib. syllabis correptis Virgilio lib. 8 Æn. sub finem.* V. 8, *Vin.* trepidantia; *nempe carpẽta.* V. 13, Cauelianum *habent etiam ex antiq. lib. nonnulli: alii* Cauelianis: *alii* Calidonianis. *apud Caesarem est* Cassiuelaunus: *inquit Vin. Seq. v. Vin.* prouinciae, *sing. num.* V. 17, *antiq. lib.* Bituricas: *& mox liber vetustissimus* Catnuitas. *Idẽ Carnutes in vetere Gallicarũ prouinciarũ catalogo*

Carnotes *nominantur: Ptolemæo sunt* Καρνῦται. V.18, &c, *abest a Vin. ed. Ibidē mox q.c.* terrore: *sed rectius* terrori, *id est ad terrorem.* Vercingentorix *autem in Vineti membranis est* Vergingetorix *&* Vergirgentoris: Οὐερκιγγετόριξ *apud Dionem & Strab.* V.21, *possis etiam distinctione mutata, sic legere*; sed ille (qualis erat adnuntiū rei felicissimæ temeritatis) per inuios ad id temp. *vel*, sed ille, qualis erat, ad nuntium rei, felicissima temeritate. *Quidam ibidem legunt* fœdissimæ: *quam recte, iudicent alii.* V.25, *Vin. memb.* Aluaricum: *sed* Auaricum *sine l agnoscit etiam Strabo.* V.26, *vulg. l.* Alexiam, *vt Cæsaris commentarii. ego cum Vineti membranis, cum Velleio Paterculo, & Diodoro Siculo,* Alesiam *malui. apud Strabonem est* Ἰλησία, Illesia, *mutato principio.* V.27, Aruernorum, *additum ex Vin.* Gergouia *vero, in Vineti mēbranis dicitur* Georgouia: *Straboni est* Γεργουΐα. *Idem Vin. ibidem l.* quippe cum: *expuncto* quam. V.33, *vet. libri*, Habes, *inquit*, fortem virum: fortissime vicisti: *mutata scilicet distinctione.* V.38, *Vin.* aduersis & diis & hom. V.39, *Vin.* & tribunus pl. V.40, *pro Metello apud Plutarchum in Crasso, Appianū in Parthicis, & Dionem lib.39, est* Ἀτήϊος *&* Ἄτιος, Ateius *&* Atius: *vt adn. Vin.* V.41, Nicephorū *habet etiam Vin. cum vulg. editionibus: sed addit, a Strabone, Ptolemæo, Stephano ac Dione, vocari* Νικηφόριον. V.42, *vet. libri* Herode. *sed hic Græcis omnibus* Ὀρώδης *appellatur; præterquam Plutarcho in Crasso, vbi legitur* Ὑρώδης, Hyrodes. *Supra quoq; in Mithridatico bello duos Orodas habuimus.* V.44, Seleuciæ *habent etiam Plutarchus, Appianus, Dio lib. 40: at Sextus Rufus* apud Ctesiphontem. V.47, Mazaræ *pro vulg.* Mezeræ *repositum ex membranis Vineti. idem transfuga in Plutarchi Crasso* Ariamnes *dicitur; in Appiani Parthicis* Agbarus, *apud Dionem lib.40* Augarus *seu* Abgarus: *apud Sex. Ruf. q.c.* Abgarum *vocant, alii* Mazarum, *alii* Maracum, *alii* Marocum. *Ibid. q.c.* dum in med. V.49, sericeis *pro sericis habent etiam vet. quidam libri.*

P.409, v.1, Vin. dextera, *trib. syllabis.* V.4, *Iorn.* auro vreretur: *continuata scilicet metaphora.* V.15, Cappadociam *addidi ex Vin.* V.19, *Vin.* contento fuisse: *ea structura qua Catullus,* Nobis non licet esse tam disertis. V.24, a tribunis, *add. ex Vin.* V.26, *Vin.* vnde regnare iudiciariis legibus iussus a senatu eques. *Camers pro* diuisus *habet* diuulsus. V.49, *fortasse rectius* vteretur. V.50, *vulg. l.* marcesserat; *corrupte. Vineti lectionem confirmat versus iste Petronii Arbitri, de eadem Roma,* Ipsa sui merces erat, & sine vindice præda. *vtiturq; eodem loquendi genere etiam Velleius infra, 442, 48: & 444,38. Sequens coniunctio* nam, *abest a Vin. ed.*

P.410, v.5, & 6, inclusa, absunt a Vin. edit. V.9, *vulg. l.* Cn. Octauium: *Liuius, Appianus, Plutarchus,* M. Octauium; *vt adn. Vin. Sigonius quoq; M. Octauium vocat supra 205,7.* V.29, Appuleius *gemino p scribitur etiam in vet. marmorib. Prænomine* Lucius *appellatur apud Paterculum; in Liuii epitome, lib.69,* Cnæus: *vt adn. Vin.* V.31, *vulg. l.* Annio comp. *Veram scripturā esse* A. Nonio, (*vt & Sigonius habet 235,51*) *ex eo manifestum est, quod (teste Vineto) Appianus, & Plutarchus in Mario, diserte* Νώνιον *vocat; & Liuiana epitome sexagesimonono, atq; Orosius quincto,* Aulum Numium. *In Viris illustribus & apud Valer. Max. vulgati libri corruptius habent* Mummium *&* Mumium. V.37, *Vin.* tertium annum dominaretur. V.40, suis, *additum ex Vin.* V.42, *Vin.* expulsus. *Ibidem mox quidam lib. veteres sine præpositione habent,* inde Capitolium inuasit. *Seq. v.* degressus *pro vulg.* digressus *habent etiam libri antiqui: ac lectionem eam requirit Victorini notatio ista;* Degredi, *e superiore loco descēdere:* Digredi, *ex aliquo loco discedere.* V.51, *vulg. l.* prorogaret. *& mox,* Iudiciaria lege C. Gracchi diuiserant populum Romanum, & bicipitem ex vna fecerant ciuitatem equites Rom. *& paulo post, v.54, Vin.* pecularentur.

P.411, v.20, vulg. l. cum Tusciæ ciuitates, quas virib. auxerat. *Stadii lectionem tum alii confirmant, tum Velleius 440,38.* V.25, *hic quoq;,* matrem ac parentem suam *cum dicit, Græcam vocem* μητρόπολιν *expressit. qua de re supra, ad 394, 11.* V.27, *Vin. aliter hunc locum distinguit, sic,* Popedius Marsos, & Latinos Afranius; Vmbros totus senatus & consules; Samnium Lucaniamque Telesinus. *qua de re vise Sigonium 243, 19: & Velleium 440,48. Porro* Popedius *est etiam apud Liuium & Velleium: apud Diodorum trigesimo septimo (pag.796)* Πομπαίδιος, Pompædius: *apud Strabonem quinto* Πομπέδιος, Pompedius: *apud Appianum Ciuilium primo* Πομπαίδιος, Pompadius: *vt idem Vin. adn.* V.28, *Stadii margo,* Vettius Cato Samnium: *quo modo idem Stad. ex Appiano & Orosio adnotat, a Vettio Catone in Æserniam compulsum fuisse L. Iulium Cæsarem: eundemq; postmodo contractis vndiq; copiis, contra Samnites feliciter pugnasse.* V.30, *antiqui libri* a confinio. *sed apud Diodorum, Strabonem & Velleium legimus, Italicis istis rebellibus Italici imperii caput lectum fuisse Corsinium, Italicamq; transnominatum: vt adn. Vin.* V.31, Latinarum, *subaudi feriarum: de quibus Varro, Dionysius, Liuius, Macrobius, alii. Ibidem prænomen* L. *additum ex Vin.* V.36, Grumentum *habent etiam Liuius, Macrobius, & cum Latinis geographis Ptolemæus: at* Γρούμεντον *per* τ, *Strabo & Appianus: teste Vin.* V.37, ecce *additum ex Vin.* Carseoli *vero ibidem Græcis sunt* Καρσίολοι, *per* i. *Rursus ibidem vetus scriptura est;* res erat a Nuceria & Picentia; cædibusque, ferro, & igne vastantur. *Vineti editio habet;* reseratæ Nuceria & Picentia. *vbi pro* Picentia *non male fortasse* Fidentia *legetur, de qua infra ad 414,17.* V.38, *sunt qui scribendum putent* Lucius Cæsar: *quippe quod L. Iulius Cæsar cum P. Rutilio consul fuerit, supra 243,6: & anno præcedente Sex. Iulius Cæsar cum L. Marcio Philippo.* V.42, *nota per anastrophen* Strabo Pompeius, *vt apud Velleium* Vulso Manlius, Carbo Papirius, Philo Publilius, Milo Annius, Silo Popedius, *& alia multa.* V.54, *vet. libri,* late fundis ciuium Romanorum.

P. 412, v. 2, antiqui libri habent comas *pro* cæremonias. V.5, *Vin.* hoc miraculum. *Seq. v. antiqui libri* sexaginta *pro* quadraginta; LX *pro*

pro X L. V. 8, quin, *additum ex Vin.* V. 9, Vin. pudebit, *futuro temp.* V. 10, *q. l.* per fugitiuos. *antiqua & vera lectio est* per fugitiuarios, *id est fugitiuorum reprensores: de quib. Bud. in Annotationibus, & Cuiacius obseru. l. 5, c. 8. Ibidem q. l.* distrahi: *minus conuenienter.* V. 11, *vulg. l.* Tandem Perpenna imperatore. *sed cum P. Rupilium hæc gessisse, non Perpernam, Liuius, Diodorus, Orosius & alii tradant, (vt Vin. adn.) propterea Stadius P. Rupilium pro Perperna reposuit.* V. 12, *Ennam, non Ætnam legendum esse, ex Strabone, Diodoro, aliis, adn. idem Vin.* V. 15, *altera lectio,* cum statim serui: & à Syro reditur ad Cilicem. *quæ scriptura si auctoris est, subaudiendum* denuo mouent, *aut tale quidpiam.* V. 21, *vulg. l.* Aquilius Perpennæ vsus exemplo. *de qua paulo ante, ad v. 11. Seq. v. Vin.* communitas *pro* comminutas: *non prorsus absurde.* V 23, *q. c.* metui: *datiuo casu.* V. 25, ad *non habet Vin. ed.* V. 27, *vulg. l.* bellum Spartacum. *ego Spartacium cum Stadio malui.* V. 33, *antiq. libri* triginta *pro* septuaginta, X X X *pro* L X X: *Liuiana epitome, Velleius, Eutropius, Orosius,* septuagintaquatuor: *Plutarchus in Crasso* duodeoctoginta, *id est* septuagintaocto. V. 36, *Liuiana epitome* Claudium Pulchrum *legatum vocat, lib. 95: Plutarchus & Orosius* Clodium *tantum: Appianus* Varinium Glabrum. *sed Varinius, seu Varenus, apud Liuium & Plutarchum nomen est eius qui post Glabrum a Spartaco cæsus fuit prætor; quem idem Appianus ciuilium libro I extremo P. Valerium appellat: vt Vin. adn.* V. 37, *antiq. libri* vitineis: *vt* ficulneis, *& similia.* V. 38, inuio *pro* in vno *reposui ex Vin. Seq. v. antiq. codex* Choram: *Vin. detracta aspiratione* Coram *legit, vnde* Corani, *apud Plin. & alios.* V. 42, *Vin.* e ferro. V. 44, Thrax *dicebatur non tantum vir e Thracia ortus, sed etiam gladiatorum alter; vt Ausonius declarat isto in monosyllabis versu;* Quis Myrmilloni contenditur æquimanus? Thrax. *Vtroq; modo Thrax fuit Spartacus; Crixus vero & Oenomaus, Galli: inquit Vin. Lipsius quoq; locum hunc explicat Saturn. l. 1, c. 8. Idem Lips. seq. v. legit* in honorem, *accus. casu: & mox* dimicare *pro* depugnare. V. 48, munerator, (*Suetonio* munerarius) *dicitur muneris publici exhibitor; Græcis ὁ ἀθλοθέτης, qui certamen & certaminis præmium publice proponit.* V. 49, *Vin. libri vet.* percecîdit, *pro simplici* cecîdit. *Ibid. mox* C. Cassii *pro vulg.* C. Crassi *repositum a Stadio: sicut Vin. quoq; adn. hunc proconsulem a Liuiana epitome, Orosio & Plutarcho, C. Cassium appellari.* V. 51, imperii, *add. ex Vin.* V. 53, *q. c.* refugerunt: *& mox* occlusi.

P. 413, v. 30, vetus codex honorificauerant: *quo verbo vtitur etiam Lactantius:* horrificare *autem legitur apud Virgilium; teste Vin.* V. 43, *fatalem Marii dexteram propterea vocat auctor, quia satellitibus & ministris suis mandarat Marius, vt quibus salutantibus non porrexisset manũ, vel (vt Plutarchus refert) quos salutantes non resalutasset, ii ceu violento quodam fato ad necem raperentur.* V. 45, fuit, *additum ex Vin.* V. 47, *antiqui libri* octo le[illegible]nes. V. 55, *prænomen Q. addit[illegible] ex Vin.*

P. 414, v. 3, Sacriportum *vocat etiam Velleius, Lucanus, Nepos in viris illustribus, Orosius: Appianus diuise ἱερὸν λιμένα,* sacrum portum: *inquit Vin.* V, 6. non, *abest a Vin. editione. contra ex eadem mox add. subst.* portam. V. 7, *pro* quatuor, tria *sunt apud Orosium quinto;* septem, *apud Augustinum De ciuitate Dei tertio;* octo, *in Liuii epitome octogesimo octauo:* nouem, *in Nepotis Viris illustribus: apud Valerium autem libro nono, pro quatuor milibus sunt* quatuor legiones. V. 8, *Liuii epitome habet* via publica. *nostra lectio,* villa publica, *est etiam apud Augustinũ De ciuitate Dei lib. 3: necnon apud Nepotem in Viris illustribus, & Valerium lib. 9 De crudelitate. Meminerunt eiusdem villæ Cicero, Liuius, Victor, alii: Sigonius etiam supra 41, 10.* V. 10, *in antiquis inscriptionibus sine r legitur* Fufidius, *in Plutarchi Sylla extremo* Ἀφίδιος, *quod propius accedit ad Latinum* Aufidius. V. 13, *q. l.* laniatum *pro* lâceratum. V. 17, *quædam exemplaria* Spoletum *habent, trib. syllabis: sed quatuor syllabis* Σπωλήτιον *est etiam apud Strabonẽ, Appianum, ceteros Græcos.* Interamnium *quoq; veterib. libris aliis est* Interamnum; *aliis* Interamna. *sic apud Ptolemæum &* Interamnium *&* Interamnia; *(illud tamen Hispaniæ, hoc vero Italiæ oppidũ) apud Strab. & Plin.* Interamna. *Præterea pro* Fluentia *in antiq. codicib. est* Florentia. *Velleius 444, 29, Fauentiæ & Fidentiæ in hoc bello mentionem facit: itemq; Liuius & Appianus. apud Appianum enim pro* Φαιεντία *legendum esse* Φαυεντία, *confirmant etiam Strabo & Ptolemæus, qui Fauentiam non longe ab Arimino ponunt: inquit Vin.* V. 27, *pro* vbi *quidam libri hab.* vt: *alii nec* vt, *nec* vbi. *Ibidem etiam q. c.* aliter *pro* aliâs. V. 30, vno imperatore, *absolute positum pro,* vno imperante: *vel caussaliter, pro, per vnum imperatorem.* V. 32, est, *add ex Vin.* V. 34, *vulg. l.* Domitius & cohortes: *veteres cod.* domitius et horius. *Stadius quos secutus sit auctores, non indicat. Præterea* Herculeios *quidam libri vocant* Hirtuleios. *& mox vet. cod.* proluderent. V. 35, Segouia *hodie* Segobia *dicitur: Ptolemæo* Σεγουβία, *Straboni* Segobrida: *teste Vin.* V. 40, Terme *antiquis libris* Termes *est; itemq; Ptolemæo & Plinio.* Tutia *vet. libris* Tudia, *Plutarcho* Τοῦτια, Tuttia. *Rursum* Auxima *vet. libris* Auxuma; *Orosio* Vxuma, *Ptolemæo* Οὔξαμα, Vxama. *Præterea quidam libri coniuncte habent* infame. *vt Orosius scribit ad infames escas miseranda inopia coactam. sed* in fame, *conuenientior est lectio: vt infra quoq; in bello Perusino, 421, 45,* turpi & nihil non experta fame. *Adhæc* Calaguris *in quibusd. vet. libr. est* Calagurus, *apud Ausonium* Calagorris: *ciues in Liuii epitome* Calagurii, *apud Valer. Max.* Calaguritani: *vt adn. Vin.* V. 46, *q. c.* quantum quamque late. V. 49, *q. c.* qui superauerant: *& seq. v.* cum damn. *expuncta coniunctione* que. *quæ coniunctio si retineatur, legendum erit,* addixisset Sylla.

P. 415, v. 4, Cam. ed. non tenuere aliis. *sed* temere aliâs *habent Vin. membr. qui* temere *pro* facile *a Quinctiliano quoq; lib. I vsurpatum notat, cum dicit; illud ingeniorum velut præcox genus, non temere vmquam peruenit ad frugem.* V. 17,

Vin. quæ omnia quib. (o nefas) sociis aggr. est? V. *18, etsi hæc cōiuratio Antonios & Autronios habuit; tamen Stadius pro vulg.* Antonii *maluit* Autronii: *qua de re vise & Sigon. supra 274,37.* V. *31, Vin.* legatis Allobrogum in arma sollicitatis, iisset vltra Alpes furor: *duab. periodis in vnā conflatis.* V. *32, vulg. l.* Vulturii: *cod. membr.* Volturcii. *apud Sallustiū* T. Vulturcius *dicitur: apud Appianum Ciuil. lib. 2,* Βυρτούκιος, *pro* Βυλτέρκιος. V. *39, vet. exempl.* quis *pro* quisque. V. *53, nota* Germani *pro* Germanici. V. *54, vulg. l.* Tarchon, Dimotus, Corinthius: *& vet.* Corinthus *pro* Corinthius. *Sed legendum esse* Tarcondimotus, Cotus, *ex Lucano & aliis probat Vinetus. Apud Strabonem lib. 14 est* Tarcondimetus: *apud Plutarchum Antonio* Ταρκόνδημος. Tarcondarius *in Cæsaris Commentariis idemne an alius sit, ambigit Vinetus.* Cotus *seu* Cothus, *Græcis est* Κότυς, *quibusdam etiam* Κόθυς: *cum Lucanus & ceteri poetæ Latini priorem huius nominis syllabam corripiant; & in* Tarcondímotus *tertiam ac quartam. Plures etiam Cotos seu Cotyas fuisse, idem Vin. adn.*

P. 416, v. 1, q. c. annis, *abl. casu.* V. *4,* inde, *add. ex Vin.* V. *8,* &, *abest a Vin. ed.* V. *12, Modius legendum putat* detrectare Pompeio. *vise Sigonium supra 282,9.* V. *14, q. c.* altiores opes. V. *28,* plebis, *add. ex Vin.* V. *30, q. l.* non se remittere exercitum. V. *40, de* sancto ærario *vise Bud. in Pandect.* V. *46, Vin.* mollitie. V. *51, Appianus quoq. Sicorim agnoscit, & Lucanus atq. Ausonius duas priores huius nominis syllabas corripiunt: teste Vin.*

P. 417, v. 6, &, *abest a Vin. ed.* V. *8,* Basillum *in Græcis pariter & Latinis exemplaribus ll geminato scribi, notat Vinetus, cum Lucanus correpta secunda syllaba dicat,* Et Basilum videre ducem: *itidemq. Iuuenalis quarto, de alio quodam Basilo.* V. *9, q. c.* sub mare, *accus. casu.* V. *15,* Varo *legendum esse, non* Varrone, *& hic & in Epitome Liuiana libro centesimodecimo, docet Vinetus ex Cæsaris libro 2, Dionis 41, Appiani 2: a quibus* P. Attius Varus *nominatur. monet eadem de re Sigonius quoq. ad Liu. epit. lib.* CX. V. *21, Vin.* cum Antonio relicta. V. *20, apud Appianum quoq. sunt* centum & viginti tela; *in Suetonii Cæsare* centum & viginti ictus: *at in Cæsaris Commentariis* ducenta & triginta foramina: *teste Vin.* V. *33, Vin.* terrêret *pro* téreret. V. *41,* amiculo *non habent vetusti cod.*

P. 418, v. 3, antiqui libri, equo fugeret: vt vna nauicula Lesbon applicaretur pulsus hedris in deserto. *vbi Vinetus se nihil videre adnotat: pro* hedris *quoq. legendum esse* Synedris, *vt apud Lucanum lib 8: quamquam ibi quoq. sint qui legant,* Ad profugum collecta ducem, paruisque celedris. V. *4, Vineti membr.* Pelusio litore. V. *7, vet. lib.* atquin *pro* atqui. V. *10, vulg. l.* vltionem clarissimi viri. V. *13, sunt qui malint* iniuria, *abl. casu: id est per iniuriam.* V. *18, Vin. membr. diuise,* pæne insulam: (*vt supra* pæne vltimum, *pro penultimum*) *& v. 21,* debellata perfida gente. V. *23, vulg. l.* Photinus. *sed cum vet. libris* Pothinus *scribendum esse, non tantum ex Dione, Appiano & Plutarcho manifestum est, a quibus* Ποθεινὸς *appellatur; sed etiam ex Lucano & Martiale, a quibus prima huius nominis syllaba corripitur; cum* Photinus, Φωτεινὸς, *eandem habeat longam. Ibidem mox vet. cod.* diuersa *pro* diuersi. V. *25, consonat cum his quod de Maximino iuniore refert Iulius Capitol.* vsus est autem idem adolescens & aurea lorica; exemplo Ptolemæorum. V. *36, Vin.* Mauritaniæ rex. V. *41, Vin.* fugerent *pro* effugerent. V. *44,* postero die, *abest ab Stadii ed.* V. *47, Vin.* apud Bagradam.

P. 419, v. 1, Vin. dabat *pro* addebat. V. *6, inclusa, addidi ex Vin.* V. *17, Vin.* conuenisset: *impersonaliter.* V. *19, Vin.* quod si nondum fug. V. *22, vet. libri* cogitasse *pro* agitasse. V. *24, Vin.* subsidio miserat. V. *25,* &, *abest a Vin. ed.* V. *27, Vin.* & Pompeiani, *pro* inde Pomp. V. *29, vet. libri* Munda *pro* Mundæ. V. *30,* ex, *a Stadii*; vndique, *a Vineti editione abest.* V. *33, in membr. Vineti & apud Orosium est* Cesonius; *apud Dionem quadragesimo tertio* Cesennius Lento. *Seq. v. Vin.* in Celtiberiam, *accus. casu.* V. *39, q. c.* hic subactam: *parum apte.* V. *41, inclusa, cum sequenti adiectiuo* reliqua, *absunt a Vineti membranis.* V. *43, vulg. l.* generosum timere. *Stadius* generum *maluit. itemq. v. 46,* ad hæc *pro vulg.* ad hoc.

P. 420, v. 1, capitis huius inscriptio apud alios est, Cæsar Augustus; *apud alios,* Cæsar Octauianus. *ego vtramq. coniunxi. nominum ratio quæ sit, Sigonius exponit supra 307,18: 324,22.* V. *10, & 29, nota* Octauium Cæsarem, *pro* Cæsarem Octauianum. *sic enim appellari docet Sigonius quoq. 307,18: 349,33.* V. *14 & 15, inclusa, addita sunt e Vin. ed.* V. *23,* &, *abest a Vin. edit.* V. *24, Vinetus in vetustioribus editionibus sic legi hunc locum adnotat;* videret se plene ex commilitio Cæsaris dignitatis: lacerare furiis hereditatem: ipsum insectari probris: & cunctis artibus quum adoptionem Iuliæ gentis inhibere non desineret: denique ad opprimendum iuuenem arma palam moliri: & iam parato exercitu. V. *27, q. l.* cooptationem: *& mox,* deprimendum. V. *29, vulg. l.* Decium Brutum. *sed* Decimum *legendum esse, ex Appiano & Zonara probat Vinetus: necnon & Sigonius supra 345, 5. Ibidem vulg. l.* obsidebat. V. *34, Vinetus ante hoc caput de triumuiratu, ponit* Bellum Perusinum; *quod infra est cap.* VII. *Sed Sigonius quoque triumuiratum Perusino bello præponit 308,5: 312,30. itidemq. Suetonius in Octauio, cap.* XIII. V. *38, Vinetus finita post* accessit *periodo, sequentia interrogatiuè legit; sic,* quid contra duos exerc. necesse fuit venire in cruentissimi fœderis societatem? V. *9, Stadius* voto *pro* nota. V. *43,* bono *abest a Vin. ed. Idem seq. v.* oppressaque arm. rep. V. *47, Vin. & antiq. l.* cum Antonius L. Cæsarem auunculum suum: *vt Velleius 455,33: Appianus lib. 4, & Dio libro 47. vulgata lectioni patrocinatur Plutarchus in Antonio: teste Vin.* V. *49, Vin.* recisum.

P. 421, v. 2, prænomen C. *additum ex Vin.* V. *5, Vin.* confugerunt. V. *8, Cam. & Vin.* vltio cum consulis abolitione decreta. *vbi abolitionem actiua signif. accipiendam esse, docet Velleius*

leius 453,15: & Sigonius 306,1. V.10, Vin. ed. concesserunt: & seq. v. debebat pro decebat. V.15, &, addita ex Vin. V.18, qui Genius hic dicitur, Plutarcho δαίμων est. sic enim Græce responsum hoc effert in Bruto; ὁ σὸς, ὦ Βροῦτε, κακὸς δαίμων. V. 20, Vin. nihil hoc præsentius quod Cæs. V.23, Vin. duabus periodis in vnam conflatis, sic legit; staret tamen pro partib. inuicta fortuna, & vltoris, & qui vindicabantur: primum adeo anceps f. vbi etiam nota plur. num. vindicabantur. V.27, Dio lib. 47 extremo, aliquanto luculentius; de Bruto loquens; ἀναβοήσας τοῦτο δὴ τὸ ἡράκλειον· ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγος ἄρ' ἦσθα ἄλλως, ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν· σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ. id est, exclamans Herculis illud; O misera virtus; aliis in ore tantum fuisti; ego autem factis te colui: sed tu fortunæ iugum subiisti. Alciatus in Emblematis vocem istam hoc disticho extulit, sensu paulum diuerso; Infelix virtus, & solis prouida verbis, Fortunam in reb. cur sequeris dominam? V.31, Vin. vni de proximis. V.36, antiq. codex piissimarum. quo verbo cum vsus esset M. Antonius, Cicero irrisit. vtrumq; tamen in vsu fuisse, docet antiqua marmora, in quibus legitur Matri piissimæ, Coniugi piissimæ: item Matri pientissimæ, Filiæ pientissimæ, Filio pientissimo: vt Vin. adn. V.39, de ordine huius capitis dictum ad paginæ præcedentis v.34.

P.422, v.3, q.c. exstincto prætorio lumine. apud Liuium vigesimo nono, in prætoria Scipionis naue insigne nocturnum est trium luminum: inquit Vin. V.4, Vin. timens pro metuens. V.8, q.c. tamdem etiam terræ seculum liberauit. V.12, q.c. discordias pro motus. V.14, q.c. quis pro qui. V.16, vulg. l. Casca legatus. sed Saxa est etiam in lib. antiquis Vineti: in Liuii epitoma libro 127, Didius Saxa: apud Cæs. Bell. Ciuil. l. 1, L. Decidius Saxa: apud Dionem lib. 48, Σέξαι pro Σάξας: vt Vin. not. Decidium Saxam vocat etiam Sigon. 314,20. Ibid. q.c. impetrauit. V.21, quippe abest a Vin. ed. V.23, q.c. desciuerant pro defecerant. V.23, vulg. l. Bellum Parthicum cum Antonio. ego Stadium sequi malui. sensus enim est, Bellum Parthicum duce Antonio. V.28, mutuarum, additum ex Vin. V.30, Vin. labi concupiscit, pro legi concupisset. & mox, ex arte ducis præriperet. V.35, Vin. vespere pro vespera. V.38, nota ipso, pro eo ipso. V.42, membranæ Vineti, alia forte, aliæ sorte habent: sed docti, omnes, non docté. a quibusdam etiam abest aduerbium quasi. V.47, q.l. ab hostib. accepta clades. sed nec participium hic, neq; verbum vllum in antiquis libris esse, testatur Vin. V.47, Vin. appellatiue legit quibusdam salmacidis; vt apud Plin. lib. 31, nitrosas atque salmacidas & fæculentas in desertis rubrum mare petentes. vt salmacidæ sint aquæ cum salsedine quadam acidæ. sicut Plutarchus quoq; & Appianus huius fluuii aquã fuisse dicunt ἁλμυρὰν ἢ φαρμακώδη, salsam & medicamentosam seu venenatam. at Σαλμακὶς, fons est Cariæ; cuius aquam Vitruuius & Strabo egregii saporis fuisse tradunt. inquit Vin. V.48, Vin. nouissimeq; iam ab inualidis & auide hauriebatur; quum noxiæ eri[illegible] dulcis fieret. V.51, eius, abest a Vin. ed. V.52, Vin. vbi pro ibi.

P.423, v.1, Actiacum, a quibusdam lib. abest: nec male. quia non in Epiro tantum ad Actium, sed in Ægypto quoq; bellum hoc gestum est. Seq. etiam v. inclusa & abest a quibusd. ed. V.8, Vin. monstrum istud. sed illud est etiam apud Iorn. V.9, Cam. ad latus & in acie. Rectius antiqui libri, ad latus acinaces: itemq; Iornandes 647,38. est enim ἀκινάκης gladius Persicus seu Medicus, apud Herodotum, Iosephum, Horatium, alios. Ibidem Iorn. masculino fine habet aureus baculus. Idem Iorn. versu sequ. diadema deerat; signif. contraria. V.12, vulg. l. montemque Leucadem: sicut apud Ptolemæum quoq; in Epiri descriptione ponitur Λευκὰς ἄκρα. Vineti membranæ habent Leucatem; vt Virg. Æn. 3, Leucatæ nimbosa cacumina montis: & Æn. 8, Feruere Leucaten, auroque effulgere fluctus. necnon Liuius l. 26, superato Leucate promontorio. V.20, Vin. missilibus simul cum rostris, ad hoc ignib. iactis. V.25, Vin. parata, pro compos. præparata. V.27, Vin. prope manu tenebantur: Iorn. prope fuere, prope manu tenebantur. V.31, Vin. maximos induta cultus. itemq; Iorn. V.33, Stad. admotis ad venas serp. quæ lectio stare non potest, nisi in præced. membro legamus collocans. nostram scripturam habet cum Vineto etiam Iornandes, 647,51. V.42, vulg. l. Brennos: (itemq; Horat. in carmine decimoquarto libri quarti) antiqui libri & Brennones & Breunos: itemq; mox & Senones, & Scenos, & Scennos. Iorn. copiosius, Brennos, Teutones, Senones atque Vindelicos. Videntur autem Breuni esse iidem qui Breuci apud Suetonium & Dionem lib. 55. V.44, Vin. afflictos humi. V. 45, Vin. ad quædam q. claustra: & seq. v. impliciti. V.47, vulg. l. pontem: itemq; Iorn. at libri antiqui plurali numero pontes: atque ita etiam Appianus in Illyr. V.50, Vin. percecîdit: Iorn. cecîdit. V.51, Vin. vallabantur. Ibidem Drauo & Sauo cum u scribuntur etiam in antiquis Vineti libris; itemq; in vetustiorib. Plinii & Solini editionibus: sunt qui malint Drao, Sao: vt apud Suidam, Strabonem, Ptolemæum, Arrianum, & ceteros scriptores Græcos, Δράος ac Σάος leguntur. sed ista u consonantis apud Latinos insertio, non est insolens; vt cum alia docent, tum diui, Argiui, leues, ex Græcis δῖοι, Ἀργεῖοι, λεῖοι. V.52, Vibium membranei codices Vinnium appellant; quædam exemplaria Vrbiũ, Iornandes Duennium. Sunt qui Fusium Geminum ex Dione scribendum putent: inquit Stad. V.55, Vin. in latrocinia. Ibidem q. lib. Martius; alii, Marius: perperam. est enim L. Marcius Censorinus: de quo Sigon. supra, 313,14.

P.424, v.1, post agris mulctatur, in quibusdam exemplaribus additur hoc commation; hic secundus orator. sed non immerito Vinetus dubitat an hæc verba sint auctoris. Quantus porro post M. Tullium Ciceronem orator fuerit C. Asinius Pollio, ex Seneca declamationibus & Quinctiliani Institutionibus cognoscitur. V.4, qui Mysi hic, & apud Suidam, Stephanum Byzantium, ceterosque scriptores Græcos; in Liuii epitome lib. 134, vocantur Mœsi: quæ diuersitas infra quoq; passim occurrit; & quidem frequentius fere Mœsi quam Mysi. V.10, vulg. l. Chonidius. Vineti mem-

branæ Donidius & Domidius: *Stadio* Domitius *magis placuit. Seq. v.* foculum *Vinetus mauult cum antiquis libris, quam* focum *cum vulgatis.* V. *12, Vin. aduerb.* maxime. V. *17, Vin.* decurrere. V. *19, Vin. & vulg. l.* Sic tunc Dacia non victa, sed summota. V. *21, Vin.* barbaries *pro* barbaria. V. *24, q. l.* Rheno quæsisse bellum: *parum conuenienter.* V. *27,* Cattos *apud Dionem* Χάττους, *alibi* Χάττας *dici, adnotat Vin. Idem addit,* Marcómanos *penultima correpta legi apud Statium. Seq. ver. Vin. membr.* Suebos, *per b: itidemq. Dio lib. 51.* Sicambri *autem Dioni sunt* Σύγαμβροι, *Ptolemæo* Σύγαμβροι: *cum Latini poetæ, Ouidius, Lucanus, Ausonius, Sidonius, & alii, primam eius nominis syllabam corripiant.* V. *29, Vin. & vulg. l.* incrematis. *ego Stadium sequi malui.* V. *31, Vin.* diuiserint. V. *35, Vin.* Bononiam & Gesoriacum pontibus iunxit. *de qua lectione vise eius commentarium.* V. *36, vet. codices* inuisum *pro* inuium. V. *39,* aliàs *additum ex Vin. ed.* V. *43, Vin.* suscepe-rant. *Idem aduersatiuam* vero *ibidem agnoscit, in sequenti periodo non agnoscit.* V. *45, Vin.* in castris se direxerat: *& seq. v.* rubigine oblitos. V. *47,* Arminium *veteres libri vocant* Armenium, *Dio lib. 56* Harmenium. V. *49, Vin.* per Segestem vnum ducum, coniuratione commoueretur. *Velleius 469, 18,* Id Varo per virum eius gentis fidelem, clarique nominis, Segesten, indicatur.

P. 425, v. 2, de signis & aquilis quæ hic narrantur, parum considerate ab auctore scripta esse, notat Lipsius Comment. ad lib. 2 Annalium Taciti: nisi forte ex Liuii persona & ætate loqui eum placeat. V. *6,* Musulanios *Victoris breuiarium vocat* Musulamios, *per m. apud Plinium, Tacitum, Orosium, & in Vineti membranis, dicuntur* Misulani *&* Musulani: *apud Ptolemæum* Μισυλάμοι: *vt adn. Vin.* V. *8, pro* Furnio *vulg. l. hab.* Turmio, *Vineti membrana* Curimo, *Iornandes* Quirino. *Cum ergo* Cyrenius, *quem Lucas in Euangelio, & Iosephus Antiq. Iud. lib. 18, sub Augusto Syriæ præfuisse tradunt, in Eusebii Chronicis* Quirinus *appelletur, Vinetus suspicatur fuisse P. Sulpicium Quirinum; qui Sigonio consul est anno vrbis* DCCXLI. *Stadius videtur intellexisse C. Furnium, qui cum C. Iunio Silano consul fuit, anno vrbis* DCCXXXVI. *sed neutra opinio ad Cassiodori fastos congruere videtur, qui Christum Seruatorem natum scribit C. Lentulo & M. Messalla conss. anno vrbis* DCCL. *Furnius mox v. 36 inter Hispanienses legatos recensetur.* V. *10, q. c.* alterum ex Cæsarib. nepotibus suis. V. *11, vulg. lectionem,* in Lycia, *probat etiam Velleius 464, 30: Suetonius in Augusto, cap. 65: & Zonaras. Antiqui libri, & Sex. Rufus, habent* in Syria. V. *12, Vin.* recipit, *præs. temp.* V. *14, Vin.* inulto, ἀτιμωρήτω. *Seq. v.* Domnes *alibi &* Dones *&* Donnes *appellatur: apud Velleium* Adduus, *apud Zonaram* Addon. V. *15,* Artaxata *supra 405 37, Parthicæ gentis caput appellantur: Zonaras* Ἀρτάγηρα *vocat, itemq. Velleius 464, 25.* V. *17, Vin. ex vet. libris,* strictus, sed recreatus ex vulnere in tempus. *Seq. v. Cuspinianus actiua signif. legit* percussor. V. *19, vulg. l.* superstiti etiam Cæsari satisfecit. *sed etiam non Vinetus in antiquis exemplaribus positum esse notat pro eo quod vulgo etiamnum vsurpatur. Ibidem inclusum* fere *additum ex Vin.* V. *24, antiqui libri* Gurgonios *perg: itidemq. Orosius. Ibidem vulg. ed.* Aurigonas: *Stadius cum Plinio & Ptolemæo* Autrigonas *maluit.* V. *25, &* Segisamam *hic &* Sagesamam *legi, testatur Vinetus: apud Strabonem quoq. Ptolemæum, ac Plinium, variè hoc nomen scribi. Præterea idem Vin. legendum existimat,* ipse venit: apud Sagesamam castra posuit. *sic enim apud Orosium esse, lib. 6; qui etiam alia multa ex hoc auctore sumpserit. Seq. v. Vin. & vulg. l.* in diem, *pro* inde iam. V. *29, vulg. l.* mœnib. Belgicæ. *itemque apud Orosium est. Stadius* Vellicæ *maluit; quæ a Ptolemæo inter mediterranea Cantabrorum opida recensetur. Appianus in Hispanicis* Belgidæ *Cantabrorum vrbis meminit; teste Vin. Ibid. vulg. l.* Vinnium: *Stadius* Vindium *maluit ex Ptolemæo.* V. *31,* Aracillum *&* Arachillum *habent libri veteres, vnor: itidemque Orosius; teste Vin.* V. *32, vulg. l.* captum tamen postremo fuit Medulli montis obsidio. *vbi nota primum* obsidio *pro* obsidione: *vt infra in Viris illustribus aliquoties. Deinde pro* Medulli *apud Orosium est* Medulii. *Stadius* Edulii *maluit ex Ptolemæo.* V. *35, antiq. codices* præripere *pro* præcepêre: *& paulo ante* taxeis *pro* taxis. V. *36, antiqui libri* Antestium: *& mox alii* Firmium, *alii* Furnium. *C. Antistii mentio est apud Dionem l. 53; C. Furnii apud eundem l. 54; teste Vin.* V. *40, vulg. l.* nec temere subtus: *antiquiss. codex,* nec timere sumptus vt barbaris impares. *ea vestigia secutus Vinetus sic edidit;* nec timuere sumptus vt barbaris impares: & pos. castr. V. *41, veteres libri* Asturam *vocant* Scuram: *alii libri* Sturam; *Orosius* Asturem. V. *42, Vin. & vulg. l.* vtinam *pro* vltimum. V. *44, Vin. membr.* Drigecini, *alii* Trigecini. *Stadius ex Ptolemæo maluit* Brigæcini; *quorum opidum est* Brigæciũ. V. *46, Vin.* validissima ciuitas. *Titi Carisii & Lanciæ captæ mentio est etiam apud Dionem lib. 53, teste Vin.* V. *53, Vin. membr.* Chrusocollæ; *vt* Sulla, Suria, Illurii, *& similia; u pro y. Ibidem Vin.* itaque *pro* igitur.

P. 426, v. 3, Vin. victorem gentium populum Rom. reuerebantur. V. *7,* eos *non habet Vineti ed. Idem mox* cælo *habet pro* sole. V. *10, numerus hic congruit cum eo qui ab auctore ponitur operis initio. sed præterquam quod rerum gestarum ordo sæpe ab eo turbatur, annorum quoq. subtilis computatio ab eo negligitur; vt & supra notatum est, & ex Sigonio certius cognosci potest.* V. *11, vet. libri,* bis ante reclusum. *at sic* recludere *non aperire significaret, sed* claudere. V. *14, p*r*incipium* dictus, *abest a Vin. membranis.*

IN VELLEIVM PATERCVLVM.

P. 428, v. 22, Rhenano hic assentitur Lipsius; at non item in Velleii laudibus, v. 55. Ipsa Lipsii verba hæc subiiciam. Is igitur Commentario ad librum tertium Annalium Taciti, Sunt, inquit, qui hunc P. Velleium eum esse velint cuius Breuiarium historiæ in manu: iejunum doctum, quantumuis opus; sed plenum adulationis fœdissimæ, cuius me pudet.

me pudet. Nec abnuerim quin ille sit. meruit enim seruitio tam protecto euehi ad res magnas; quamquam modicus originis; (vt ipse fateri videtur) & diu tātum tribunus militum; postea præfectus Tib. Cæsaris per nouem annos, aut legatus; ait ipse lib. II. Prænomen tamen illi in vulgatis libris est Caius. nec id moueor. nam Priscianus lib. VI, eumdem Marcum appellat: Tacitus noster hic Publium. quæ quam confundi soleant, doctus scio. Hæc ibi Lipsius: ac rursum epistola 8, libri tertii; epistola vndecima libri quinti. Adulari autem potissimum Velleius incipit in C. Iulio Cæsare; mox etiam in Augusto. ac ferri aliquatenus in hisce potest: sed in Tiberio plane modum excedit; aut Tiberius a primis laudib. prorsus degenerauit.

P. 430, v. 1, de diuersitate quæ in Velleii prænomine occurrit, modo dictum est. Sed occurrit etiam in ipso nomine discrepantia. vulgo enim Velleius scribitur, vt Pompeius, Vulteius, & similia: at Canusii in vet. quodā lapide C. VELLAEVS, vt Annæus, Poppæus, & alia huiusmodi: vt Ald. M. adnotat. In Vinicii quoq; nomine variat scriptura. nam a Dione semper Οὐινίκιος appellatur, teste Lipsio; sicut etiam apud Fuluium Vrsinum, libro De familiis Romanis, in tribus nummis legitur L. VINICIVS: apud Sigonium vero supra 318, 32; & 327, 14, VINVCIVS, ex vet. inscriptionum libro. Porro quæ ab initio desiderentur, Rhenanus exponit pag. præced. v. 40. quib. hoc fortasse addendum, quod ab aliis historicis notatum est; nullum fere ex Græcis ducibus ab Ilii excidio secunda fortuna domum reuertisse, sed alios erroribus, alios aliis infortuniis agitatos esse. V. 17. Rhenanus Velleium loqui ait de Nestore. sed potius sermo esse videtur de Metabo, a quo Metapontum Pyliorum ope conditum esse testantur Strabo, Stephanus, Eustathius. Idem opidum Metabum quoq; dictum fuisse, eodem cum conditore nomine, Strabo; quondam Sirin appellatum esse, Stephanus & Eustathius tradunt. ipsum etiam conditorem vero nomine Metapontum; a barbaris corrupto vocabulo Metabum fuisse nominatum, idem Stephanus & Eustathius scribunt: fuisse autem Sisyphi filium, Æoli nepotem. V. 19, Ald. cognomine patriæ: minus recte. Seq. v. non improbanda videtur Aldi sentētia, qui, cum Philippi mentio nulla sit nec apud Homerum, nec apud Daretem Phrygium, pro Philippus legendum censet Phidippus, qui Iliad. β, in nauium & ducum catalogo, Thessali filius, Antiphi frater ab Homero dicitur. V. 21, q. c. tres ibi vrbes statuit, a patriæ nomine vnam, a victoriæ memoria Mycenas, Tegeam, Pergamum. sed eam lectionem mancam esse, Aldus quoq; notauit. V. 24, cum, add. ex Aldi edit. V. 28, vsitatior loquendi modus, pactæ ei: inquit Ald. De Lydo & Tyrrheno vise & Dionys. Hal. lib. 1. V. 32, vulg. l. Penthelus. ego Pausaniam & ceteros scriptores Græcos sequi malui, qui Penthilum vocant, per i. V. 41, puto legendum impudenter, vel penitus tollendum hoc aduerbium. nec Iustinus certe lib. 2, nec Polyænus lib. 1, vllam hic imprudentiæ mentionem faciunt; sed deliberato consilio castra hostiū lignatoris habitu ingressum Codrum negant; con[illegible]q; per rixam cum quodam adstantiū manu, astu eum falce sua conuulnerasse.

P. 431, v. 7, q. c. Haletes. ego cum Rhenano Græcos sequi malui, apud quos sine aspiratione hoc nomen scribitur. De Alete, & Aletidis, i. Aletæ posteris, narrat post Pausaniam etiam Pindari scholiastes in Isthmiis. V. 24, Erythras plurali numero vocat Herodotus lib. 1, p. 38: vbi & ceterarum Ionicarum vrbium mentio. V. 28, Ald. Cymen, Larissam, Myrinam. Apud Herod. p. 39, in Æolicarum vrbium numero scriptum Λήρισαι, Ionice. Stephanus Byz. nouem Larissas commemorat; & inter has quintam Æolicam. Idem très Antissas narrat; sed nullam in Æolide. V. 30, Ald. magnitudine operum. V. 36, videtur auctor hîc citasse locum illum Homeri, Il. ε, μ, υ, οἷοι νῦν βροτοί εἰσι, quales nunc sunt homines: vt ex Fuluio Vrsino adnotauit Ald. V. 40, Ald. mollitiis florentem. V. 42, vulg. l. Pharnaces Medus. ego cum Aldo Diodorum Siculum, Iustinum, Eusebium & alios sequi malui, a quibus Arbaces appellatur. V. 44, aptius cum Aldo legemus disciplinæ continentissimæ. V. 45, annos V & LX cum dicit, a Liuio, Virgilio & aliis dissentit, qui Carthaginem ante Æneæ in Italiam aduentū conditam esse tradunt. idq; verius: inquit Ald. V. 49, Iustinus Alexandrum a Carano decimum facit, non XVII: vt idem Ald. adn. V. 50, inclusa, Petrus Delbenius addita esse putat ex glossemate studiosi alicuius, qui ad verba ista; v. 54, princeps rerum potitus; in margine adnotarit; Æmilium Suram, eodem loquendi genere vsum esse: quippe apud quem eadem verba legantur. Positum autem vtroq; in loco Princeps, pro Primus: cuius generis exempla leguntur etiam apud Ciceronem & alios. V. 55, Hesiodum Homero posteriorem facit etiam Plutarchus: Cicero multis sæculis posteriorem facit; Dio Chrysostomus in secunda oratione de regno, facit æquales: Gellius rem in dubium vocat lib. 3, cap. 11, & lib. 17, cap. 21, vt Ald. adn.

P. 432, v. 13, Ald. exercendam. Idem mox, posita post Olympiorum hypodiastole, sequētia sic legit, initium habuit auctore Iphito Elio: vbi etiam Elium seu Eleum secunda producta legemus: quia Græci diphthongῳ Ἠλεῖοι vocant. De Iphito & Olympiis ludis vise & Pausaniam in Eliacis. V. 15, Ald. DCCCCIV. V. 24, Ald. DCCLXXXII. V. 27, Ald. planius commodiusq; legi posse censet, quam, iam asylo facto inter duos lucos, auxit: expuncto scilicet posteriore quam. vise supra 376, 55: & 381, 6.

P. 433, v. 2, congruentius perduxerit. V. 6, Sigonius supra 160, 47, aut falsum hic Velleium esse notat, aut legendum, qui priore consulatu triumph. Aldus legendum censet, qui & priore consulatu triumphauerat. eodem modo locutum esse eum qui de Viris illustrib. scripsit; L. Paullum priore consulatu de Liguribus triumphasse. in quo videri secutum esse Plutarchum. si Liuium sequi malimus, legendum fore, qui & proconsul triumphauerat. V. 20, possumus etiam legere intulerit. V. 22, rectius Olympieum. nam sic Pausanias Atticis, 38, 27, Ὀλυμπίειον dictum fuisse tradit τὸ τοῦ Ὀλυμπίου Διὸς τέμενος, templū Iouis Olympii. Alibi etiam Ὀλύμπιον eadem signif. legi, apud eumdem Paus. docui 388, 35: 396, 32. Ibidem mox

cum Aldo ex Liuio, ceterisq; tum Latinis tum Græcis historicis, nom. casu legemus, tum rex Syriæ. Syriæ enim rex, Antiochus fuit; Alexandriæ & Ægypti, Ptolemæus. Seq. v. Popillium qui Antiochum virgula circumscripsit, Liuius non Marcum, sed Caium prænomine vocat: vt idem Ald. not. V.35, Ald. legendum putat, alrerum ex duobus: vt iis per incuriam librarii positum fuerit pro numerali nota II. Ibidem nota, ante paucos triumphi, pro, paucis ante triumphum diebus. quod loquendi genus a Græcis, Dionysio, Plutarcho, & aliis, non raro vsurpatur: itidemq; in Kalendario Græco πρὸ δ νωνῶν, πρὸ η εἰδῶν: item πρὸ καλανδῶν ις Μαρτίου: idest, ante quartũ nonarum, ante octauum iduum, ante XVI kalendarum Martii: pro quarto die ante nonas, octauo ante idus, sextodecimo ante kalendas Martii. V.41, vulg. l. adsumpti regni. ego Aldum sequi malui. V.45, rectius Octauiis porticibus; vt supra 167,34. De Cn. Octauii porticu mentio paulo post, initio libri secundi, 436,43: de porticu Octauiæ, apud Sueton. in Aug. cap. 29.

P. 434, v. 4, Ald. vniuersa: vt ad Achaia referatur, non ad bellum. Idem in seq. modica mutatione sententiam restitui posse censet, si pro cum pars, legamus cuius pars: & mox fracta pro tracta. V.12, Ald. continuata disiunctione legit, aut dixit, aut sensit. V.18, eius, abest ab Aldi editione. V.20, Ald. ed. CLXXVII: detracto priore centenario. V.28, pro M. Manlio Aldus e fastis Capitolinis legit M'. Manilio: itemq; Sigonius supra 176,34. V.29, Ald. ab Halete: quidam a Belete: scriptura plane corrupta. De Alete & Aletidis dictum supra, ad 431,7. V.34, Ald. nihil hic mutandum censet: quippe quod auctor hic sit quasi caussa. V.48, Ald. ed. caussæ, plur. num. V.50, Sigonius in scholiis Liuianis, pro Sutrium hic Satricum legit. Diodorus Siculus l.14, extremo, Sutrinæ coloniæ meminit anno post Romam captam: itemq; Eutropius 561, 47, & Sigonius ipse supra 54,2, anno vrbis CCCLXIIII: apud Liuium vero Satricum coloniam deduci iubet Cornelius Cossus dictator, anno CCCLXVIII; tribus scilicet annis post captam a Gallis vrbem; eodem tempore quo Manlius Capitolinus seditionem mouerat. V.51, etsi cum Setina subaudiri potest colonia: tamen Aldo potius assentior, qui legit Setia. Quod Nepe mox ibidem, Liuio & Plinio Nepet est, Ptolemæo Νέπιτα, Stephano Byzantio Νέπης: quibusdam Frontini libris Nepensis colonia: vt notat Ortelius.

P.435, v.2, q. ed. Terracinam. sed Tarracinam agnoscit in Italia etiam Stephanus Byz. V.5, Ald. ed. Q. Decio Mure. mihi vulgata lectio magis placet: vt prænomen vtrobiq; sit omissum. Præterea Decius non Q. prænomine, sed P. dictus est; supra 86,48. V.7, vulg. l. M. Curio; corrupto prænomine: vt ex Sigonio cognoscitur supra, 90, 30: & 345,12. V.12, pro XXII Aldus, & Sigonius in Liu. lib. 27, reponunt XVII: id est anno V.C. DIII. V.13, Æsulum agnoscit etiam Plinius, lib.3, c.5, vbi inter ceteros qui feriis Latinis carnem in monte Albano accipere soliti sint, recenset etiam Abolanos, Æsolanos, & Albanos. Ab eodem in interioribus primæ regionis opidis recensentur etiam Asulani: at Asculum Piceni colonia nobilissima, ponitur ab eodem in quinta regione, cap.13. Pro Fregellæ Sigonius & hic & in Liuii epitome lib. 19, ex vet. codice legit Fregenæ: quippe quod Fregellæ colonia deductæ sint anno CCCCXXVII, in agro Volscorum, teste Liuio libro 8. Fregenarum porro, coloniæ maritimæ, meminisse eumdem Liuium lib. 36: Alsii & Fregenarum meminisse Catonem in fragmentis Originum, & Plin. lib.3, c.7. sic etiam supra idem Sigonius 121,12, Fregenæ edidit, non Fregellæ. V.21, Potentiæ in Piceno meminit etiam Plinius & Mela, necnon vetus liber apud Liu. lib. 39: vt testatur idem Sigonius. V.23, Buxentum ea forma dicitur qua Laurentum, Grumentum, & apud Dionysium Πωμεντῖνον πεδίον, Pomentinus campus. Plinius quoq; Buxenti & Buxentinorũ meminit. V.25, Ald. notat, in demoliendo vsurpatum esse pro vt demoliretur: vel legendum esse in moliendo: vt sit, molienti theatrum Cassio. historiam notam esse ex Valerio, Appiano, Liuii Epitoma, Augustino De ciuitate Dei, Orosio. Præterea idem pro Cæpio legit Scipio: additq;, quod hic Scipioni consuli a Velleio & Appiano tribuitur, id a Fastis Capitolinis & Liuii epitoma Scipioni tribui post consulatum. sic etiam Sigon. supra 173,25. Seq. v. pro Sallues seu Sallyes, Ald. ex Strabone & Obsequente mauult Salyes: a Plinio lib. 3, c.4, Salyos dici, a Floro & Liuii epitoma Salujos. qua de re supra quoq; dictum ad 392,8. V.29, nota Latina nomina Mineruium & Neptunia, pro Græcis Ἀθηναῖον & Ποσειδωνία: de quibus tum alii, tum Ortelius in Thesauro Geographico. V.31, Ald. per c scribit Narbo Marcius: vt denominatio sit a Q. Marcio consule. vulgata scripturæ patrocinatur vetus marmor, in quo scriptum NARB. MART. teste Ortelio. V.32, pro tres & viginti Aldus legendum notat XIIX, id est duodeuiginti. Idem mox Vagiennis & Eporædia: Sigonius Bagiennis supra 235,45. V.40, forsan rectius artata, s. ingenia. V.42, fortasse melius, separata ab aliis, vt mox in redditione. nisi forte alienis positum sit pro alienigenis, id est diuersi generis animalibus. animis qui malet, suo fruatur iudicio. V.47, Ald. aduersatiue mauult at nouam: & v. 52, nequiuerit, singulari num. sed potest & plurale verbum hic retineri, vt infra 441,54, alter alteri possent esse solatio. V.54, Ald. in Attio: & mox, circaque eum. sed nihil vetat omisso eum, circa absolute accipere pro circa id tempus.

P.436, v. 8, Ald. periodum hanc sic legit; Hoc idem euenisse grammaticis, plastis, pictoribus, scalptoribus, vt quisque temporum institerit notis, reperiet; eminentia cuiusq; operis artissimis temporum claustris circumdata. non inconcinne. V.13, fortasse conuenientius, admiratio imitationem accendit. V.21, vulg. libri eloquentiæ, gen. casu. Aldi lectio planior est, nimirum Athenas eloquentia operibusq; plures annos floruisse quam vniuersam Græciam. V.26, inclusa, addita sunt ex Ald. ed. V.39, gradu idem est quod Græcis βάδην, id est solito gradu, ita vt plerumq; solemus ingredi. V. 46, cum aduersa subaudiendum e superioribus fortuna. V.48, q. c. numquam

numquam x plura quam propriȩ iuuentutis armauit. *perperā. vel enim Rhenani lectio nobiscum est sequenda; vel cum Aldo legendum*, numquam plura quam decem milia propriæ iuuentutis armauit.

P.437, v.6, Al. mortalis conditio: *hoc sensu, quantas recipit mortalis conditio quæ & natura & industria sit perfecta.* V.13, *q.c.* P. Africani patruus. *Ald. legendum putat*, P. Africani patrui; is priuatus & togatus- *& mox v.15*, ob quas virtutes: *ac seq. v.* circumdata *pro simplici* data: *ex Val. Max. lib.3, c.2.* V.18, *Ald. post* optimates *distinguit.* V.31, *Ald.* M. Perperna. *& mox addita præpositione, ac mutato prænomine*, sed a M'. Aquillio: *ex Strabone, Valerio, Iustino. Vise & Sigonium supra 212, 27.* V.41, *legendum potius* occlamasset, *id est obstrepuisset.* V.43, *Ald.* M'. Aquillio: *vt paulo ante.* V.44, *idem pro* CL *reponendum ait* CLIIX. V.52, *Sigonius mutato prænomine legit* D. Bruti, *supra 197, 48: & 200, 39. Aldus quoq; vel mendum in prænomine esse adnotat, A. scilicet pro D. vel Brutum, ab A. Postumio Albino adoptatum, prænomen adoptantis ex vetere consuetudine sumpsisse; vt in nummo argenteo*, A. POSTVMIVS ALBINVS COS. BRVTI F. *& apud Sigon. supra, 310, 19.*

P.438, v.6, nota, disciplinæ clarissimus, *vt pag. seq. v.30*, immodicus gloriæ; *& supra 434, 16*, modicus virium; *ellipsi Græca.* V.15, *Ald.* dare, *actiua terminatione.* V.24, Euporum *hunc auctor Virorum illustrium vocat* Euphorum, *cap.65: Plutarchus* Philocratem. V.34, *Ald. adnotat aruspicem fuisse Herennium Siculum: sed aliter rem narrari a Valerio lib.9, c.12.* V.36, *vulg. l.* pontem: *vt intelligatur limen. sed Aldus* postem *rectius.* V.39, *pro* Rutilium *Ald. reponit* Rupilium: *itidemq; legit Sigonius in consf. anni* DCXXI. V.41, *cum* pertinens, *subaudiendum* mentio, *vel tale quodpiam aliud substantiuum.* V.42, *q.c.* Opimiani vici. *sed* vini *cum Rhenano & Aldo legendum esse, ex Cicerone, Plutarcho, Plinio, & aliis ostendit idem Aldus. Idem seq. v. sublata vnitatis nota, reponendum ait* CL. V.47, *q.c.* COS. Cato consularis: *vera lectio*, C. Cato consularis: *vt ex Cicerone docet Aldus, & Sigonius supra 222, 20, in consf. anni* DCXXXIX. *De* repetundarum lege *vise Cuiacii Paratitla in Digest. l.48, tit.11.* V.50, *q.c.* M. Metelli fratres. *Aldus*, M *in dyadis notam* II *verso, legendum putat*, duo Metelli fratres, *ex Eutropio. Historia latius a Sigonio exponitur supra 223, 13.* V.53, *Aldus ex Capitolinis tabulis mauult* Acidini: *itemq; Sigonius 161, 25. Seq. v. pro* Scipionib. *quidam legendum putant* Cæpionibus. *vulgata lectio stare qui possit, docet Aldus.*

P.439, v.6, rectius cum Aldo leg. nam Q. Mucius. V.8, *Ald.* Attii *pro* Accii. V.17, *Ald.* persequamur. V.19, *Ald. pro* CLVII *reponendū ait* CLIV. *Ibidem* Æmilium *legendum esse pro vulg.* Ælium, *ipsum cognomen satis arguit; quod Æmiliæ gentis esse, Sigonius quoq; docet supra 359, 44. Historiæ idem supra meminit in censoribus anni* DCXXVIII, *214, 37.* V.24, *pro* vti *reponendam esse n[illegible]alem notam* VII, *id est* septeni, *ex Suetonii Nerone cap.* 1, *docet Aldus, & Sigonius in Liu. lib.* XXXI. V.35, *planiorem sententiam esse notat Ald. si coniunctio* que *post* virtuti *expungatur.* V.41, *pro* CXXXIIX *Ald. reponend. ait* CXXXIV. V.44, *pro* Manlium *Ald. ex Cassiodoro & Obsequente reponit* Manilium. *Seq. v. vulg. l.* Syllanum *scribunt, quasi a Sylla denominatum. Sed Silanos ante Syllas claruisse, ex fastorum serie perspicitur. Silanus hic, consul fuit anno* DCXLIIII: *Sylla vero consulatum adiit anno* DCLXV. *Ibidem Ald. legendum putat*, Scaurumque Aurelium consularem: *ex Orosio, qui diserte scribit*, in ea pugna M. Aurelius consularis captus atque interfectus est. *Sigonius quoq; Scaurum consulem fuisse tradit anno* DCXLV, *interiisse anno* DCXLVIII; *tribus scilicet post consulatum annis: 230, 18.* V.51, *scribendum* $\overline{\text{CL}}$, *superposita scilicet lineola, millenarii numeri indice. id est*, centum quinquaginta milia: *de quo numero supra quoq; in Floro dictum, ad 403, 41. De* Raudis *seu* Raudiis campis *dictum ibidem.*

P.440, v.26, Ald. ed. omnibus hominib. *pro* omnibus arbitris. V.32, *pro* C. R. *idem sine abbreuiatione habet* ciueis Romanos. V.34, *pro* CXX *idem legit* CXIX. *Seq. v. idem planiorem esse ait sensum, si hoc ordine instituatur lectio*; vniuersa Italia, cum id malum ab Asculanis ortum esset. *vt scilicet subiectum istud*, vniuersa Italia, *referatur ad prædicatum quod pone sequitur*, arma aduersus Romanos cepit. *Pro Seruio idem ibidem legit Seruilium. Sigonius vocat Q. Seruilium proconsulem, 242, 51.* V.39, *Petrus Delbenius legendum putat* duplici munere. V.45, *fortasse rectius* merito. *Ibidem mox præpositio* a, *inserta est ex Aldi sententia.* V.47, *pro* Reip. *idem legendum ait* populi Romani: *quippe quod librarii vitio confusis scripturæ compendiis, R.P. positum sit pro P. R. quod alibi quoque ab aliis animaduersum est.* V.49, *qui* Herius Asinius *hic dicitur, in Liuii epitoma lib.73, vocatur* Hirmius Asinius Marrucinorū prætor: *a Sigonio* Hirnus Asinius *appellatur 243, 20. Præterea vt hic est* Insteius Cato, *sic apud Plutar. Antonio* Μάρκος Ινσήϊος: *& in libro De præfectis*, Insteius Tertullus. *sed reperitur etiam* Instius: *vt Cuiacius not. Obseru. lib. 10, c.37.* Vettrium *nominari cum ab aliis, tum a Cicerone Philipp.* XII, *Aldus adnotat. atq; ita vocat etiam Sigon. 243, 21. Florus non meminit 411, 27. Seq. v. rectius (opinor) apud Sigonium est* Mutilus; *cognomen scilicet, non nomen. Diodoro p.796 dicitur* Γάϊος Απώνιος Μότυλος, Caius Aponius Motylus.

P.441, v.13, ad finem *accipiendum pro* vsq; ad finem: *vt ipse auctor infra declarat 443, 40.* V.27, *rectius* M'. Aquillium; *vt apud Sigonium supra in consf. anni* DCLII. V.47, *Ald. adnotat, Maricam fortassis esse nomen siluæ prope Minturnas. Paludum Minturnensium meminit etiam Sigonius supra 246, 17: & scriptor Virorum illustrium infra 503, 51.* V.49, *Aldi edit.* magno eiulatu expromenti indignationem casus tanti viri.

P.442, v.1, Ald. ed. dux creauerat. V.19, *rectius cum Aldo scribemus* $\overline{\text{LXX}}$: *& mox* $\overline{\text{LX}}$: *superposita scilicet millenarii nota, lineola: qui error supra quoque notatus, ad 439, 51.* V.22, *con-*

uenientius cum Aldo legemus affulsisset; *vt supra 422,13.* V.*29, Marlianus in expensione huius loci, sic citat auctoris verba*; CLXVIII quam Pompeius: *ac centenarii numeri notam* C *superfluam esse ait; quod ad Magni Pompeii consulatum anni tantum* LXX *intercesserint. vulgatam lectionem tuetur Paulus Leopardus Emendationum lib.8, c.8.* V.*33, Ald.* licentia immediocri. V.*34, q.l.* excelsissimi quoque, atque eminentissimæ ciuitatis viri. *Ald. legendum putat*; excelsissimi quique atque eminentissimi ciuitatis viri. V.*36, Ald.* Cinnæ Consulis abdic. *Rhenani lectionē probat etiam Sigonius supra 247, 37.* V.*53, quadrantis solutionem sic interpretatur Aldus, vt ex centenis ternos nummos vsura nomine pendi Flaccus voluerit.*

P.443, v.15, forte, *add. ex Ald.* V. 17, P. Lænas *Aldo esse videtur* Popillius Lænas. V. *22, scribendum* c̄c̄, *superposita millenarii nota, lineola*; *id est*, ducenta milia. *qualis error supra quoq; notatus, ad 439,51.* V.*27, Ald.* superare: *conuenientius* superandum. V. *38, Ald. pro Scipione reponendum ait Cæpionem. at L. Scipionem cum C. Norbano cons. agnoscit etiam Sigonius supra 250, 42.* V. *40,* audito, *ferri aliquo modo potest: admitti posset etiam* debito. *sed antithesis requirit potius superlatiuum* austerissimo, asperrimo, *vel tale quodpiam aliud.* V. *41, Ald.* propinquanti mox bello facem. *sed conuenientior Rhenani lectio.* V. *44, vulg. l.* gratus Dianæ, cuius numini regio illa sacrata est, soluit aquas, salubr. *Ibidem mox Ald. ed.* in medendisque corporibus nobiles, vt potius agros omnes addixit deæ. *nostra lectio partim Claudium Puteanum, partim Latinum Latinium auctores habet, probaturq; & Aldo & Hieronymo Mercuriali Var. lect. lib. 2, cap. 9. sed in hoc dissentiunt auctores, quod sub finem Puteanus sic legendum censet*; agros omnes addixit: deque huius gratæ relig. mem. *Latinius Rhenani & nostram scripturam retinet*; *hoc sensu, Syllam aquas & agros circa Capuam vrbem, vbi adhuc Sinuessanæ aquæ supersunt, deæ addixisse. Aldus hoc amplius, quod ex illis verbis,* vt potius, *quæ a Rhenano & Puteano sunt omissa, legendum censet,* in propinquos agros omnes adduxit. *Præterea in eadem periodi clausula, Aldi editio habet,* hodieque testatur ærea tabula. Interea deinde conss. *sed alteram lectionem illi magis probari, ex antedictis clarum est.* V. *49, & 52, inclusa,* qui, &, *absunt ab Aldi editione.* V. *54, Rhen. edit.* Damasippus prætor Q. Mucium Scæuolam. *Posset etiam legi,* Damasippus prætor Q. Mucium Scæuolam, & pontif. max. *Sed cum alii quoq; historici testentur L. Domitium, Q. Mucium Scæuolam, & alios a Damasippo prætore occisos esse, Aldus eam lectionem mauult: itidemq; Sigonius supra 251,37.*

P. 444, v.7, alii codices XL, *alii* XI *habent. Aldus e fastis consularibus reponendum ait* CXI. V.*8, inclusa,* & eum, *absunt a Lugd. ed. Gryphii.* V.*20, Ald.* vtrumque cecidit. V.*28, Ald. mauult* magnis prœliis. *De Fidentia & Fauentia (v.29) dictum in Floro, ad 414, 17.* V.*36, q.l.* histrioni ex alto: *Lipsius epistola 8, lib. 3, legit,* iudicium histrionicum ex albo. *sed addit, verius fortasse Pithœum legere,* iudicium iniuriarum. *Ibidem mox idem Lipsius & Puteanus pro* ciuis reip. *legunt* ciuis Ro. publicé: *vt supra 438, 21,* capitis nō dicam Gracchi, sed ciuis Ro. pretium se daturum, idque auro repensurum proposuit. Auctoramentum *porro quo sensu hic dicatur ab auctore, Turnebus tradit Aduers. lib. 2, c. 20: & Brissonius in Lexico. De dictatura impotentius a Sylla gesta, vise & Dionys. Halicarn.* V. *50, Aldi edit.* sed ex dignitate constantiaque in ill. con. *Idem inserto relatiuo legendum putat*; sed ex dignitate constantiaque: quæ in illam conueniens ampl.

P. 445, v.1, Aldus putat Velleium scripsisse, omnium vitiorum expers: *vt 446,34.* V.*2, præpositio* in, *addita ex Aldi edit.* V. *6, Aldus* M. Perperna: *vt Sigonius quoq; solet scribere. Seq. v. pro* Etoscæ *Ortelius ex Plinio, Ptolemæo & Plutarcho legit* Oscæ; *expunctis scilicet primis duabus litteris e t. Apud Strabonem est* Ileosca: *sed neq; hoc sine mēdi suspicione. Puteanus sane ibi pro* καὶ Ἰλεόσκαν *legendũ existimat* καὶ Λίσσαν καὶ Ὄσκαν: *quod Lissam Ilerdæ & Oscæ vicinā agnoscat etiam Ptolemæus. mox etiam, vbi de Sertorio legitur,* ἐτελεύτα δὲ νόσῳ, *optime idē restituit* ἐτελεύτα δ' ἐν Ὄσκᾳ: *vt Casaubonius adnotauit. Supra quoq; inter vrbes post Sertorium interfectum receptas, Osca numeratur a Floro, 414,39. Aldo itē hæc lectio magis videtur consentanea quam* & escas. V. *8,* auctorare *&* auctoramentum *quo sensu dicantur, Turnebus docet Aduers. lib.2, c.20. Ibidem non minus apte legeris* ex Hispanis. *Sic v.* 11 *malim compos.* euectum. V.*15, A. ed.* in iure: *minus recte. Seq. v. pro* LXIIII *Liuii epit. habet* LXXIV: *vt Ald. not.* V.*22, A. ed.* per omnia maiore vi habebatur: *ipse legendum putat,* per omnia maior euehebatur. *sed probat tamen & Rhenani lectionem,* pæne homine maior habebatur: *vt scilicet pag. sequen. v.32, de Catone auctor dicit,* per omnia ingenio diis quam hominib. propior. *& 447,53, de Pompeio,* per omnia fortunam hominis egressus. *& 472,51, de Liuia,* per omnia deis quam hominib. similior fœmina. V.*26, inclusa* que, *abest ab Al. ed.* V.*28, pro S.C. Cuiacius Obser. lib.7, c.9; scribendũ existimat P.S. id est plebiscito: quippe quod piraticū bellū Pompeio demandatū fuerit non S.C. sed lege Gabinia. nisi forte vtrumq; interuenisse putandū sit.* V.*42, Aldus, nisi libri sint vitiosi, Velleii diligentiam hic requirit: quia non per idem tempus, sed biennio ante, Pompeio & Crasso consulibus, id factum sit; vt Ciceronis actiones in Verrem & alia testentur exempla. Mox etiam cum dicit* inter vtrumq; ordinē, *dissentire a Pediano & aliis, qui inter tres ordines communicata a Cotta iudicia tradāt.* V.*44. vulg. l. alii habent* & Horoscius, *alii* vt Horoscius. *nostra lectio,* Otho Roscius, *Pithœum & Puteanū auctores habet: & confirmatur Liuianæ epitomæ verbis his, libro 99:* L. Roscius tribunus pl. legem tulit, vt equitib. Romanis in theatro quatuordecim gradus proximi assignarentur. *Præpostero autem ordine* Otho Roscius *ita hic dicitur, vt alibi apud hunc ipsum auctorem* Carbo Papirius, Vulso Manlius, Philo Publilius, Milo Annius, Silo Popedius, *& alia copiosa. De Roscio*

Roſcio & Roſcia lege, Fuluius Vrſinus in lib. De famil. Rom. & rurſum in lib. De legibus: item Petrus Pithœus Aduerſ. libro 2, cap. 17. Aldus hoc amplius, quod verbū reſtituit adulterinum exiſtimat. non enim reſtituiſſe Roſcium, quaſi equites antè illa habuerint; ſed primum ſua lege induxiſſe. itaq; rectius ſibi videri vel conſtituit, vel diſtribuit. V. 51, Ald. hunc carpant. V. 53. quum abeſt ab Ald. ed.

P. 446, v. 3, expellebatur Aldo hic ſuſpectum eſt: nec probat tamen explebatur. V. 8, q. c. quod arguebatur: Aldus vel Rhenani lectionē ſequendam cenſet, quo arguebatur: vel actiue legendum, quod arguebat. V. 13, coniunctio &, addita ex Aldi ed. Idem mox planius eſſe putat, conuiuiisque. V. 17, Gryphii editio hab. reducta: minus vere. V. 20, vulg. l. vſuræ gloria: præpoſtere: vt Ald. not. V. 27, pro aperuit Aldi ed. habet eripuit. ipſe legendum cenſet etipuit e republica: vel exſtinxit, aut oppreſſit. Vigiliam vero pro vigilantia vſurpauit auctor etiam infra 460, 52. V. 43, Ald. ed. nota obiit: ipſe legendum exiſtimat vita abiit: vel mortem obiit: quo poſteriore loquendi genere plus ſexies auctor vtitur. Seq. v. Al. ed. ſupplicio reddidit. V. 46, pro LXXXII, idem reponend. ait XCII. V. 49, pro ſenemq; Al. ed. habet ſaneque: ipſe mauult indeque, vel deinde. videri enim auctorem tria hic oratorū paria coniuncte poſuiſſe: primo loco, Ciceronem, Hortenſiū: ſecundo, Antonium, Craſſum: tertio, Cottam, Sulpicium. V. 52, ſuſpectum qua ſignificatione hic accipiatur, pro ὕποπτον an θαυμαστὸν, ambiguum eſt. mox certe perfectiſſimum opus dicitur. V. 54, vulg. l. principes. ego ſing. num. princeps cum Aldo malui. V. 55, incluſa iſta, & conſecutus Salluſtium Liuius, Aldus e ſuo loco in alienum detruſa putat, & paulo ſuperius collocāda, v. 52: locumq; ſic legendum; æmulumq; Thucydidis Salluſtiū, & qui cōſecutus Salluſtium Liuius. nec enim poetis recte admiſceri hiſtoriarū ſcriptorē Liuium. Vulgatam lectionem retinere qui volet, temporis, non ſtudii nec profeſſionis rationem hic habitam dicet. Ibidem mox Ald. legendum putat, perfectiſſimæ Metamorphoſis: quippe quod in Metamorphoſi maxime Naſonis ingenium enituit.

P. 447, v. 5, ſocerum pro generum poſitum hic notat Aldus, librarii, nō auctoris vitio: quia notum ſit ex hiſtoricis Tigranem Mithridatis generum fuiſſe, non ſocerum. V. 7, Ald. ed. diſcors patris. V. 9, Ald. edit. ſocietati pro fidei. V. 19, Al. ed. notauimus facilius; vt quæ part. ſ. Ipſe ſic legendum exiſtimat; notauimus, facilius vt e partibus ſimul vniuerſa conſpici poſſint. veretur tamen ne quid deſit quod cum verbo notauimus coniūgatur: quippe quod male ſolum conſiſtat. Præterea & hic, & paulo poſt, v. 29, nota partibus pro particulatim. Infra 471, v. 18, cum præpoſitione legitur in partibus. Porro de prouinciis viſe & Sextum Rufum infra, 549, 6: & Iorn. 642, 54, ac deinceps. V. 21, in, abeſt ab Aldi edit. V. 26, pro tertio vulgati libri habent III. ter quoq; legi ſolere, adnotabitur ad Suet. c. 22. V. 27, aptius opinor ſtetit. V. 33, Cuiacius Obſer. l. 7, c. 9, exiſtimat corrupte hic legi S. C. pro P. S. id eſt plebis ſcito: quia conſt. Clodiano plebis ſcito, non ſenatus conſulto, id miniſterium Catoni demandatum. niſi forte vtrumq; interueniſſe putandum ſit. De miniſterii vocabulo viſe eundem ibidem. V. 36, &, abeſt ab Aldi edit. Ipſe legendum putat, primum a Domitio, & Fabio nepote Paulli. V. 39, Aldus mauult, in ærarium conferunt ſtipendiū. V. 40, Ald. ed. ab eodem facta Numidicus Ciliciam perdomuit viſa viciſſet poſt bellum Antiochinum Vulſo Manlius Gallogræciam. Ipſe locum ex Epitoma Liuiana lib. XCIII, ſic legendum cenſet: & eodē tractu Ciliciam perdomuit Iſauricus; & poſt bellum Antiochinum Vulſo Manlius Gallogræciam: vel ſic; & eodem tractu P. Seruilius Ciliciam perdomuit, cum deſciuiſſet poſt bellum Antiochinum: Vulſo Manlius Gallogræciam. Sigonius paulo aliter ſupra 300, 46. V. 44, prænomen Ti. additum ex Aldi editione. Ab eadem ſeq. v. abeſt tam. V. 47, Ald. edit. ſine abbreuiatione, populo Romano fecit ſtipend. Eadem ſeq. v. ſecura pro ſequuta: perperam. V. 54, verba quæ proxime ſequuntur, pro fauorabilem ſignificant legendum formidabilem: inquit Aldus.

P. 448, v. 5, Aldus paulo aliter, ſic; longeque maiorem omni ante ſe inlata pecunia, in ærarium, præterquam à Paullo, ex manubiis intulit. Rhenani lectio duplicem Græciſmum habet. prior eſt in illis, maiorem omni ante ſe; μείζονα πάντων τῶν πρὸ αὐτοῦ: id eſt maiorem omnibus ante ſe actis. Deinde brachylogia Græca eſt in illis, præter quam, χωρὶς ἧς, id eſt, præter eam quam. V. 7, ſ. additum ex Ald. videtur autem eſſe declaratiuum aduerbium ſcilicet. V. 25, Aldi ed. nullo modo: vt apud Suetonium cap. 1. V. 33, alludit auctor ad morem vulgatum, quo verbis nihil fœtoris ineſſe dicunt. V. 36, Ald. motu ſuo deſtituerit. Seq. v. nota ciuitatium, vt infra 461, 8, ætatium. de quibus etiam Priſcianus meminit lib. 6, eo capite quod eſt de genitiuo plurali tertiæ declin. ſed addit tamen, vſitatiora eſſe conciſa, ciuitatum, probitatum. Ibidem verb. eſt, additum ex Al. ed. V. 42, Ald. ed. cum idem enim Aſiam eam quam obtin. ſed adnotat Aldus ſe de illa ſcriptura plane ambigere: ſenſum eſſe, is enim Aſiam prouinciam obtinebat. V. 44, ſequebatur idem hic quod comitabatur. V. 45, Al. ed. plur. num. redderentur epiſtolæ. V. 52, q. c. traiecit: lenius & vſitatius.

P. 449, v. 18, plebei antiqua flexione poſitum pro plebi. Ibidem mox Puteanus legendum putat, ius ciu. his reſtitutum. vt error natus ſit e ſcripturæ ſimilitudine, & pro ci poſitum ſit a; pro u, b. V. 29, Aldi editio tranſiret. Ibidem mox legendum eſſe indemnatum, & Aldus adnotat, & Sigonius docet ſupra 283, 33. V. 32, Aldi edit. calamitate, ablatiuo caſu. V. 33, XXvirûm mentio etiam apud Ciceronem ac Dionem: ſed mentio apud Ciceronem etiam Quinqueuirûm: vt Ald. notat prolixius. Seq. v. Plutarchus Ciceronem breuiori temporis ſpatio reſtitutū tradit, decimo ſ. exſilii menſe. V. 35, Aldi edit. verum & cupito interitu. ipſe mauult, verum excupito reditu. V. 39, incluſa iſta, in ſenatu, Cuiacius Obſeruat. libro ſeptimo, capite octauo, e præcedenti clauſula repetita eſſe iudicat: & Ful-

uius Vrſin Famil. Rom. p. 217, vbi locum hunc citat, omittit miniſterii vocabulum. Idem miniſterii vocabulum a Cuiacio explicatur ibidem. at Quæſtorem cum iure prætorio, Fuluius Vrſinus nihil aliud eſſe dicit quam quæſtorē pro prætore. ſicut etiam accipi poteſt quod Amm. Marcell. lib. 27 de Probo ſcribit, iure præfecturæ prætorianę regens prouincias. V. 40, *Ald. mauult* quæſitor: *quia Cato multo ante quæſtor fuerit.* V. 44, *ſententia talem quampiam lectionem requirere videtur*, cuius vt integritatem non laudari nefas eſt, ita inſolentiæ pæne arg. V. 46, *Aldi ed.* is egreſſus eſt. *ſed vel cum eodem Aldo legendum* iis, *vel cum Rhenano* his. V. 49, *q. l.* traieciſſet. V. 52, *Aldus eodem caſu*, lege qua: *minus conuenienter.*

P. 450, v. 9, agminibus *pro* acie, conflictibus. *Seq. v. Græciſmus eſt: partitiue namq; dicendum fuiſſet*, nouem denique æſtatum vix vlla. V. 11 geſtæ, *add. ex Aldi ed. De Aleſia vero dictum apud Florum ſupra*, 408, 26. V. 31, *incluſa, abſunt ab Aldi ed.* V. 43, *Ald. pro* centies *legendum putat* trecenties, *ex Appiano, qui lib. 1 Bell. ciuil. ſcribit Paullum Æmilium* D *talentis emptum a Cæſare, Curionem autem mercede aliquanto maiore.* V. 55, *Plutarchum in Antonio mul.ū hic a Velleio diſcrepare, idem Ald. adnotat.*

P. 451, v. 5, Ald. ſic legendum exiſtimat locum; Vt deinde, ſpretis omnibus quæ Cæſar poſtulauerat, (tantummodo enim contentus cum vna legione titulū retinere prouinciæ, priuatus in vrbem venire, & ſe in petitione conſulatus ſuffragiis P. R. committere decreuerat) ratus bellandum Cæſar, cum exercitu Rubiconem tranſiit: Cn. Pompeius, Conſulesq; & maior pars Senatus, relicta vrbe, ac deinde Italia, tranſmiſere Dyrrachium. *Paulo clarius hæc a Floro narrantur ſupra 416, 25.* V. 19, *Ald edit.* ipſius aduentu, *ablatiuo caſu.* V. 31, *A. ed.* Hiſpaniæ ſuæ natus. *ipſe locum planiorem fore cenſet, ſi legatur, natus eſſet. id eſt conſuleret, & ſplendorē afferret, ipſeq; Cæſaris gratia potens & clarus, non dico in Hiſpania ſua fieret; ſed homo Hiſpanus & pontificatum & conſulatum poſtea adipiſceretur.* V. 36, Hercules, *abſolute poſitum pro* me hercule, *ſeu* me Hercules: *vt infra 459, 51. id eſt, ita me Hercules iuuet. Seq. v. A. ed. ſingulariter habet* ipſi, *ſ. Pompeio.* V. 40, *vulg. l.* effuſumq;. *ſed vel cum Aldo* exſtinctum *legemus: vel potius cū Rhenano* effoſſum. V. 44, *A. ed.* in omnes partes. V. 48, iam, *add. ex A. ed.* V. 50, *vet. ed.* quos victores darent comites. *vnde Ald. legendū conicit*, quos, victore Cæſare, comites ei fortuna aggregauerat. *quæ coniectura etſi audacior eſſe videatur, tamen audaciores eſſe illos qui verba iſta*, victores darent, *prorſus abolent.*

P. 452, v. 6, malet fortaſſe aliquis ſupra quod: *ſed* ſuper *pro* ſupra *ſic vſurpatum etiam pag. ſeq. v. 33: & ſupra 447, 12.* V. 12, tamen, *add. ex A. ed.* V. 16, *vet. ed.* adhuc vbique Iubæ nomine. *Aldus pro* Iubæ *reponendum putat* viuens *aut* vigens: *non diffitetur tamen quin aptius aliquid excogitari poſſit.* V. 23, *A. ed.* varia fortunam expugnauit via. *ipſe paucis mutatis ſic legendum exiſtimat*; primo varia fortuna, mox pugna vicit. V. 34, *vet. ed.* acies reſtitutæ, c. A. duce quam a milite, fortius. *vnde Ald. conicit legendum*, acies reſtitutæ, ceterum a duce quam a mil. f. V. 44, *Cicero epiſt. 7, lib. 10 ad Attic. dicit regnum Cæſaris vix ſemeſtre eſſe poſſe: vt Ald. adn.*

P. 453, v. 4, rectius (opinor) leg neque ab eo protinus lecti: *qua de re viſe & Suet cap. 81. Seq. v. vet. ed.* cuius cum fortunā: *Ald. expuncto* cum, *legendum putat*, cuius fortunam. V. 13, *A. ed.* inſignia corripuiſſet cōſularia, velut pacis auct. *Sed veriorem eſſe Rhenani lectionem, e Floro etiam cognoſcitur ſupra 421, 8.* V. 17, *Plutarchus in Antonio C. Octauium tradit eſſe filium ſororis C. Cæſaris. ſed cum Velleio facit etiam Suetonius in Auguſto capite 4.* V. 18, *vet. ed.* etiamſi ptæuentis & pauca dicenda ſunt. *Aldus legendum retur*, etiamſi præuentis, tamen pauca dicenda ſunt. V. 21, *Aldus pro* Acciam *ſcribit* Atiam: *itidemq; apud Suetonium Pulmannus & Torrentius. Eandem ſcripturam ſequitur etiam Sigonius ſupra 354, 40.* V. 26, *vet. ed.* paratis. *ſed vel cum Rhenano legendū* peractis: *vel cum Aldo* patratis; *vt cum alibi Velleius loquitur, tum 445, 20.* V. 31, *A. ed.* omnem ordinationem. *Sequens omen narratur etiam a Suetonio capite 94.* V. 35, *Ald.* Atiæ: *vt modo dictum ad v. 21.* V. 45, ſepties, *expungendum eſſe, colligit ex Plutarcho Adrianus Iunius Animaduerſ lib. 4, c. 10.* V. 46, *pro* indubitate *vet. ed. hab.* ciuitatibus. *Aldus leg. putat* ſublatis. V. 52, *Ald. male* XIIX *pro* XIX *legi adnotat; noſq; remittit ad Taciti lib* XIII. *attamen & Florus ſupra 420, 23, vulgatæ lectioni patrocinari videtur.*

P. 454, v. 1, exiſtimabit fortaſſe aliquis legendum tertia & quarta; *ſicut infra etiam quintæ legionis fit mentio, & rurſum vigeſimæ. ſed vulgatam lectionem ſequitur & Sigonius ſupra 306, 16: &* Martia *cognomento* victrix *inter legiones Romanas numeratur etiam Goltzio in Theſauro Antiquitatum, pag. 96.* Martiæ quintæ legionis *meminit apud Trebelliū Pollionem in Diuo Claudio epiſtola Valeriani Aug.* V 5, *vulg. l. habent* pro P. R. *Sed legendum eſſe* pro PR. *id eſt* pro prætore, *Sigonius docet in Epitoma Liuianæ lib.* CXVIII. *Aldus compoſite legit* proprætorem. V. 13, ſe *non habet Rhenani editio: Aldus mauult*, quicumque hiſce exercitus tradidiſſent. V. 16, *A. ed.* reſpubl. conſtaret concordia; *ſtructura paulo duriore.* V. 18, intento ac pari animo *vſurpatum videtur pro* pari animorum contentione. V. 22, *q. c.* alio beneficio: *minus recte.* V. 28, *de Octauiano laudando ac tollendo, Cicero agit Epiſt. ad famil. 20, lib. 11: & ad Attic. lib. 15, epiſt. 5: vt notat Aldus. meminit etiam Sueton. cap. 12.* V. 29, *A. ed.* per colloquia. V. 33, per auerſa caſtrorum *Græco more dictum, vt infra 457, 48*, per auia itinerum; *& apud Florum* per diuerſa terrarum; *pro* per diuerſas terræ partes. V. 43, *A. ed.* nomine Cameli: *corrupte.* V. 47, *A. ed.* periſſe. V. 49, *Ald. putauit aliquando legendum*, Ti. Canutius. *ſed quia prænomen parum addit ad ſententiam, propterea vulgatam ſcripturam retinendam cenſet: quippe quod tribunus pl. hoc anno fuerit Canutius.* V. 53, *q. ed.* iacta mentio. *ego* facta *cum A.* [illegible]*lui.*

P. 455, v. 3, Ald. edit. tum inita p. [illegible] V. 7, *pro*

pro DCCIX Ald. reponit DCCXI. V. 9, consularem prætextam prætoriæ iunxisse dicitur Ventidius; quia cum prætor esset, factus est consul: vt ex fastis & Dione Ald. adnotat, itemque Sigonius supra 309, 18. V. 12, Ald. edit. emeruissent. V. 12, A. notat Velleium hic seruire tempori: verius Suetonium narrare in Aug. cap. 27. V. 18, A. ed. abscisi. De auctoramenti vocabulo vise Turn. Aduers. lib. 2, c. 20. V. 21, A. ed. vitam inferiorem. V. 28, pro cedet A. ed. habet cadet: ipse pro quam cedet legit concidet. mihi talis quæpiam lectio requiri videtur; citiusq; in mundo genus hominum quam Ciceronis nomen intercidet: vel, quã tui sceleris fama intercidet. V. 32, A. ed. vel in dotem. V. 40, vet. ed. cum in modica quidẽ seruari posset. Ald. legendũ putat; cum ne modica quidẽ re seruari posset. Rhenanus in sua lectione respexisse videtur ad Terentianũ istud in Adelphis; ipsa si cupiat Salus, seruare prorsus non potest hanc familiam. Græci quoq; prodigos ac profusos vocant ἀσώτους, quasi qui seruari non possint. V. 43, Ald. ed. seditionem magis, occulte autem bell. V. 45, vulg. l. Turios: sed per th scribendum esse Thurios, docet apud Suidam & Stephanum Byzantium series alphabeti. Seq. etiam versu Ald. cum adspir. scribit Hirpinis. V. 47, Ald. vltra fortem. quæ scriptura si mendo caret, significat vltra quam fortem virum deceat. V. 49, de Epidio Marullo, & Cæsetio Flauo meminit & Suet. in Iulio c. 79 & 80.

P. 456, v. 2, existimabit fortasse aliquis, legendum esse Staio Marco, per anastrophen videlicet pro Marco Staio: vt supra in censoribus anni CCCCII, ex Liuio, cum Manlio Cnæo: itemq; apud Florum, Victorem, & alios, Tarquinius Sextus, Menenius Agrippa Lanatus, Claudius Tiberius: postposito prænomine. sed Murcus pro cognomine in sequentibus etiam bis legitur, & apud Sigon. supra 311, 26. Ibid. mox vet. ed. imperatorib. qui præualidis. vnde Ald. conicit legendum, imperatoribusq; præualidis. Rurs. v. 4, vet. ed. Laodicea expugnat: ita tamen. vbi Aldus legendum censet expugnarat. V. 9, Puteanus leg. nulli minimo: Aldus, nulli homini. sed idem addit, vocem nomini etiam expungi posse; vel vt superfluam, vel vt natam e glossemate nemini. V. 12, damnatis, tollendũ censet Delbenius. V. 16, q. l. traiecerant: itemq; mox v. 19 traiecerunt. V. 22, Artorium medicũ agnoscit etiam Plutar. in Bruto, teste Stadio. V. 25, quem Velleius hic euocatũ, Florus speculatorẽ nominat supra 421, 30. V. 31, A. ed. occubuit: minus recte. V. 33, Stratonis meminit quidem & Plutarchus, sed patriæ nomen reticet. dubium Ægiæ, an Ægium, an alia ei patria fuerit. V. 44, ominatus est, pro vaticinatus est, prædixit. Dionys. Hal. in simili casu dicit ἀποθεσπίζειν, 374, 7: & ἐπιθεσπίζειν, 743, 39. Ibidem Ald. pro Iuliæ reponendum censet Liuiæ, vt infra 457, 37: & 462, 30. sed forsan & vulgata lectio retineri potest; quia Liuiam Augusti testamẽto adoptatam, Iuliam quoq; dictam fuisse, ex vet. nummis ac lapidibus Lipsii ad Tacitũ notæ luculenter declarant. Ad Vari exemplũ in sequentibus, faciunt quæ ab Hier. Magio not[illegible] sunt Miscell. lib. 2, cap. vlt. V. [illegible] pro in diem Aldus putat commodius legi posse vna die. alioqui in diem accipiendum fuerit pro in id tempus. V. 54, A. ed. occupatus nauibus; tum magn.

P. 457, v. 2, A. ed plurali num. exercituum. V. 8, Rhen. cogitator celer. Ald. lectio ad præcedentia magis congruit. V. 37, vulg. l. Drusi Calidiani. sed Claudiani legendũ esse, tum ex sequentib. manifestum est, 462, 31: tum ex Suetonii Tiberio, cap. 3. atq; ita legit etiam Lipsius commentario ad lib. quintum Annalium Taciti. V. 39, Aldus censet legi posse; quin transgressa ad deos, sacerdotẽ pęne habuit ac flaminẽ. sed in vulg. lectione non opus est quidquã immutare. Liuia n. Augusti, mariti sui, ad deos transgressi, (i. post obitum inter deos relati) & sacerdos fuit, & filia; vt prolixe docet Lipsius ad Taciti Annalium lib. I & XIII. quin & testamentum Augusti apud Suet. cap. vlt. Tiberium & Liuiam primos heredes esse, nomenq; defuncti ferre iubet. V. 40, vet. ed. cuius bimum. sed Rhenani lectionem probat Aldus quoq;. V. 44, A. ed. in eo. Seq. v. pro Tironis Aldus legendũ censet Ti. Neronis. id est, Tiberii Neronis. coniectura satis subtili. V. 48, vet. ed. comes esse non posset: Ald. addito aduerbio relatiuo, legit, cum comes esse non posset. V. 55, Ald. ed. præparatusq;. sed vsitatius est apparatus vocabulum.

P. 458, v. 3, summam absolute positum pro summam dignationem. Seq. v. A. ed. habet; nisi adscendisset quo infra se. ellipsi Græca: id est, nisi ad tantum euectus esset fastigium, in quo infra se videret Cæsarem pariter ac remp. Qua de re Sigon. quoque supra 312, 7. V. 13, vulg. l. M. Syllanum: de qua scriptura dictum supra ad 439, 45. V. 14, A. ed. Aruntium Actium restituit. De M. Titio Antonii legato, meminit Sigon. supra. 317, 6, & Velleius noster hic paulo post, v. 47. V. 26, pro Iubillio Ald. ed. habet Vibillium: Sigon. Vibulliũ 316, 19. Alius est D. Iubellius 98, 20. V. 38, distulit, vt apud Græcos διεφόρησε, id est diiecit, dissipauit. V. 54, A. ed. in aliena victoria.

P. 459, v. 10, A. ed. intueri. V. 16, naualem coronam a Virgilio dici quæ classica hic vocatur a Velleio, notauit Adr. Turn. Aduers. lib. 26, c. 29. De seq. vise Suet. cap. 30. V. 21, pro tam Ald. ed. habet eam: nihil ad rem. Sequens hiatus aliquo modo expletur, si pro bene legamus debellauit, vel tale quidpiam. V. 23, A. ed. egressus. V. 25, qui Statianus hic suspecto nomine dicitur, nescio an is sit qui Saxa nominatur a Floro supra, 422, 16. V. 30, vet. edit. acto illis leg. vnde Aldus legendum conicit, Hoc M. Antonii octo illis legionibus saluti fuit. sed cum Florus XVI legiones nominet, 422, 50: Rhenani lectionem retinere videtur tutius. V. 32, A. ed. pars quarta militũ, calonum, seruitiiq; desiderata est. V. 39, de Baccho cothornato vise Turn. Aduers. lib. 26, c. 30. V. 44, A. ed. & in omnibus. Ibidem ceruleatus Turnebo Adu. lib. 8, c. 15, idem est quod indutus amictu ceruleo, vel pigmento ceruleo illitus. V. 45, de prouerbio isto, caudam trahere, & de marinorũ deorum habitu, vise Turn. lib. 9, cap. 6: & lib. 24, cap. 40. Seq. v. refrigeratus idem esse videtur quod refrigerato eius amore ac studio. V. 48, A. ed. mox autem hunc auunculum. V. 49, A. ed. grauissimus pater, Silii socer: & seq. v. nefanda pro mi-

randa. V.*54, vet. ed.* illam arcebant omnia: *Ald. legit*, in illa marcebant omnia. *Rursum seq. v. vet. ed.* nauium hæc magnitudo, modica ne celeritate; aduersa illa, specie terrib. *Aldus legit*, nauium hic magnitudo modica, cum celeritate.

P.460, v.4, A. ed. nam de illis exemplis vitæ natura Dolabella ad Cæsarem: *luxata & structura & sententia.* V.*9, Fuluius Vrsinus in lib. De famil. Rom. pag. 146, pro* Lario *reponendū existimat* Lurio: *& mox duplici r scribit* Arruntio. V.*22, Ald.* vt dubites suóne an Cleopatræ arbitrio victoriá tēperaturus fuerit. V.*25, Ald. legendū putat*, ex eoque in quem stat. V.*29, A. ed.* campis Philippis: *& mox*, si licuisset. V. *30, A. ed.* facturus fuerit triumphum. ad solium alarunt. *ipse ita emendari posse locum putat:* at filium Messallæ in prisca grauitate celeberrimi, non diu clementia Cæs. *Petrus Delbenius sic*; At Iulum Antonium, (*vel*, at filium Antonii) in prisca grauitate creberrime insistens, (*vel*, in prisca grauitate celeberrima fide) mox diu clementia Cæs. *Infra sane, 463, 52, Iulus Antonius dicitur singulare exemplum clementiæ Cæsaris. illud autem loquendi genus*, celeberrima fide, *ita vsurpatum vt supra 454, 37*, Plancus deinde dubia, id est sua fide, diu secum luctatus, ac sibi difficile consentiens. *Sed fortasse plura hic desiderantur: & pro* triumphum *haud scio an conuenientius legerimus* modum. V.*48, Ald. ex Ciceronis Philippicis legendum censet*, vt dederat primus Trebonius. V.*52, vet. ed.* equestris, & splendido genere natus: *Aldus legendum censet*, equestri & splend. gen. natus. *Ibidem mox* vigilia *pro* vigilantia; *vt supra 446, 27.* V.*55, de angusto & lato clauo vise Turn. Aduers. lib.1, c.2.*

P.461, v.1, Turnebus loco iam indicato, sic citat Velleii verba; nec maiora consequi non potuit; sed non tam optauit. *verum & vulgata lectio retineri potest, si nec minora accipiamus pro* & æque magna. *Ibidem &* tam *retineri potest, & tamen pro eo substitui.* V.*8, de genitiuo* ætatium *dictum supra, ad 448, 37.* V.*21, A. ed.* quem continuaret. V.*27, post* membris, *vetus editio habet commation hoc*; & coram altero: *cui locum hic sine perturbatione sententiæ dari non posse, notauit etiam Aldus.*

P.462, v.22, loquendi genus istud, si quid accidisset Cæsari, *de fatali obitu vsurpatur etiam a Suetonio, & ceteris historiæ Augustæ scriptoribus, itemq; ab aliis: vt prolixe in lexico suo docet Brissonius.* V.*30, vet. ed.* quo primo, vt prædiximus. *vbi Aldus vna tantum littera mutata, pro* primo *legit* trimo. *nam etsi vix bimus fuisse dicatur supra 457, 40: tamen ab eo tempore vsque ad nuptias intercessisse fere annum.* V.*34, sensus esse videtur, ipsoq; aspectu prætulerat principem; seu, ipsoq; aspectu se principem futurum declarauerat.* V.*36, vet. edit.* victrici: *vt Sigonius quoq; supra 161, 3. sed sine c* vitricus πατρῷος, *legitur etiam in Gloss. vet.* V.*40, A. ed.* tradidit *pro* dedit.

P.463, v.4, A. ed. excelsissimasque. V.*18, nota* peragratus *ea forma vsurpatum qua* peruagatus. V.*28, pro* vigore *aptius cum Puteano legemus* rigore. V.*31, malet fortasse aliquis* consortio exæquatus. *sed* consortionis *vocabulum repetitur etiam pag. seq. v.38.* V.*41*, esse, *add. ex A. ed. Seq. v. Lipsius epist. 8, lib.3, locum sic corrigit*; visendi eius gratia atque conueniendi, semper priuato (si illa maiestas priuata vmquam fuit) fasces summiserint. *quæ lectio sensum quidem habet aptissimum, sed structuram imperfectā. eius ergo perficiēdæ gratia sic legi poterit*; vt omnes qui pro consulibus legatique in transmarinas profecti prouincias, visendi eius gratia eum cōuenirent, semper priuato (si illa maiestas priuata vmquam fuit) fasces summiserint. *Aldus paulo maiori mutatione legit*; vt omnes proconsules legatique, in transmarinas profecti prouincias, visendi eius gratia ad eum conuenientes, semper priuato (etsi illa maiestas priuata numquam fuit; *vel*, si illa maiestas priuata vmquam fuit) fasces suos summiserint. *ea de re Suetonius quoq; in Tiberio, cap. 12.* V.*51, fortasse rectius inuersis casibus legemus*, magnitudineque fortunæ suæ, peccandi licentiam metiebatur. V. *52, A. ed.* iudicans: *minus apte. Ibidem vulg. l.* Iulius Antonius. *sed duabus syllabis Iulum fuisse dictum, tum ex aliis, tum ex Horatio Sigonius docet supra 333, 8.*

P.464, v.7, A. ed. adsidendum: *Cuspinianus (pag.58, vbi locum hunc citat)* adsidendo. *apud Suet. in Tiberio, cap. 12, nihil est quod huc faciat nisi traiectio in Samum insulam. Aldus probat lectionem Rhenani*, ad sedandum. *vt sit idem quod* ad sedandos motus. V.*10, vet. ed.* excelsissimæ insulæ. *sed hic quoq; Rhenani lectionem probat Aldus.* V.*15, vocatiuo casu legendum esse* M. Vinici, *non* M. Vinicio, (*vt vet. edit. habent*) *notat idem Aldus. Pater sane huius M. Vinicii, mox v. 34, P. Vinicius dicitur; auus, M. Vinicius, v.50.* V.*16, A. ed.* vsus prouinciis: *minus belle.* V.*20, v. l.* Cæsaris ira euulgauit. *nostra lectio*, Cæsari fama vulgauit, *auctorem habet Lipsium epist. 8, lib.3.* V.*25, Cuspinianus mauult* Artaxatam, *ex Stephano Byz. Sed* Artageram *agnoscit etiam Zonaras: vt ex Vineto adnotaui supra 425, 15.* V.*30, A. ed.* diu reluctatus. *Ibidem* Limyra *est etiam apud Ptolemaum: apud Stephanum vero* Lamyra. V.*31, vet. edit.* ante annum ferme quinquagesimum Cæsar, frater eius. *Cuspinianus pag. 58, in citatione huius loci, restricto aliquantum numero, vt qui plane verum excedat, legit*, ante annum ferme quintum Cæsar. *sed pro numerali nomine reponendum esse cum Rhenano pranomen* Lucius, (*id est* L.) *consentit etiam Aldus; & confirmat Sueton. in Augusto, cap. 65, vbi ait*; Caium & Lucium in duodeuiginti mensium spatio amisit ambos; Caio in Lycia, Lucio Massiliæ defunctis. *itemq; Florus supra 425, 9.* V.*37, A. ed.* eoque *pro* atque: *minus apte.* V. *40, Paulus Leopardus Emendationum lib.8, c.8, legit* Ælio Cato & Sentio conss. *Aldus*, Sex. Ælio, C. Sentio conss. *itemq; Sigonius 336, 29. Ibidem mox pro* DCCLIV *idem Ald. cum Sigonio reponit* DCCLVI; *& seq. ver.* XXVI *pro* XXVII. V.*44, inclusa, addita sunt ex A. ed. De Tiberii adoptione quæ narrantur v. 49, traduntur etiam a Suetonio in Tiberio, cap. 21.*

P.465, v.3, A. ed. fructus sum: *parum vsitate.*

tate. V. *11*, Caninefates *apud Plin. lib. 4, c. 15, sunt* Cannenufates: Cannanefates *dicuntur in quadam antiqua inscriptione; teste Ortelio.* V. *20, rectius,* producta. V. *22, Lipsius epist. 11, lib. 5, pro* Iuliæ *reponendum putat* Lupiæ. V. *44, pro* furit *Delbenius legendum censet* fugit: *sicut scilicet paulo ante v. 38, auctor dicit,* sub omnem motum nostrarum nauium protinus refugientium. V. *53, A. ed.* in inferiora: *Rhenani lectio,* in interiora, *videtur esse verior. Ibidem no ta* incinctos Hercyniæ siluæ, *pro cinctos seu circumdatos Hercynia silua.*

P. 466, v. 13, pro L X *A. ed. habet* L X X. V. *22, post parenthesin desideratur aliquid. sensus talem quampiam lectionem requirit;* legiones Boiohœmum versus duceret. *Aliquantum huc faciunt quæ ex Dionis lib. 55 Sigonius refert supra 336, 45.* V. *27, legendum videtur aut* se iuncturæ erant; *aut* iunctæ erant. V. *29,* ex constituto, *idem est quod* ex composito, *seu* ex compacto: *quod Græci dicunt* ἐκ συνθήματος. V. *36, vet. ed.* Batonibus. *Delbenius cum Rhenano mavult* Batoni, *numero singulari: vt etiam in sequentibus, 468, 7, vnus tantum Bato cum Pinete seu Pinnete nominatur: itemq; apud Suetonium in Tiberio, cap. 20. Attamen & Dio duos Batones agnoscit; alterum, Breucorum; alterum, Dalmatarum ducem.* V. *51, Aldus legit,* etiam designatus tribunus plebi. *sed aptius fortasse* tribunus militum. V. *55, A. ed.* artibus. *de* partibus *supra dictum ad 447, 19.*

P. 467, v. 4, Messallini seu Messallæ consulis, meminit Sigonius supra 335, 15. V. *14, consulares isti non fuerunt vna consules: nisi forte Cæcina in Augusti locum suffectus est. Onufrius Panuinius in consulibus anni* D C C L I, *Augusto alium suffectum fuisse notat, sed nomen non exprimit.* V. *16,* Romotalces *apud Tacitum* Rœmetalces *est, apud Dionem* Rhymetalces. V. *24, A. ed.* quib. etiam primi ordines cecidere. V. *42, A. ed.* quisque metu finium vniuersi tentare non possent: *sententia minus apta. Seq. v.* Siscia *per i legitur etiam apud Ptolemæum: apud Strabonem* Syscia, *apud Dionem* Tyscia: *teste Ortelio.*

P. 468, v. 10, prænomen M. *additum ex A. ed.* V. *13, nota in sequentibus constanter* Delmatæ, Delmatia, Delmaticus, *& similia, per e: sicut etiam caput eius gentis &* Dalmium *vocatur, &* Delminium; *teste Stephano Byz.* V. *52, Delbenius (vt Aldus notat) legendum censet,* sed caussa personæ moram exigit. *verum ne sic quidem expletur structura.*

P. 469, v. 20, vulg. l. præstrinxerant: *minus conuenienter.* V. *35, pro* Egilius *Aldus reponit* L. Eggius, *ex inscriptione quadam vet. in qua M. Eggius Marullus cum M. Papirio Æliano consul comparatur. Supra Epidii Marulli facta mentio, 455, 49: & apud Sueton. in Iulio, cap. 79, & 80.* V. *37, v. l.* At Volumnius *leg. perperam: vt Fuluius Vrsinus in Famil. Rom. docet ex vet. nummo, in quo* C. N V M O N I V S V A L A *nominatur. At* Vala Numonius *hic per anastrophen ita dicitur, vt alibi* Ofella Lucretius, Carbo Papirius, Varus Quinctilius, *huius modi complura, apud hunc ipsum auctorem; præposito scilicet cognomine.*

V. *40, A. ed.* hostilis lacerauerat feritas: *& mox,* abscisum. V. *46, vet. ed.* arma interfecti, quæ arguisse. *vnde Lipsius epist. 11, lib. 5, legit,* arma infert, quæ arcuisset p.

P. 470, v. 14, inclusa ista, quam erat ipsi, *Aldus tollenda censet; quippe quæ & barbaram structuram faciant, & parum sint necessaria.* V. *20, negatiuum aduerbium* non, *abest ab A. ed. Contra v. 25. pronomen* ei *additum ex ed. A.* V. *34, A.* firmanda *pro* formanda. V. *38, q. ed.* obtinente: *minus significanter.* V. *49, A. ed.* vrbis: *& mox,* eamne commotam.

P. 471, v. 2, pro Ordinatione comitiorum, apud Suet. in Augusto, cap. vltimo, est Breuiariũ totius imperii. V. *13, A. ed.* gladiatorum *pro* gladiotum. V. *17, Germanicus a Suetonio non ignauia insimulatur, sed a constantia & fide plurimum laudatur, in Caligula cap. 1. vt nescias Velleii ne obtrectatione, an librariorum incuria,* ignarue *scriptum sit pro* gnaue. V. *19,* ancipitia *positum videtur pro audacia in periculo ancipiti.* V. *27, Ald. ed.* maxima *pro* maritima: *& seq.* incerta *pro* inserta. V. *41, alludit ad gnomen illam quam ex Platone atq; Aristotele expressit etiam Cicero epist. 9, lib. 1 ad famil.* quales in rep. principes essent, tales reliquos solere esse ciues.

P. 472, v. 4, vulg. l. T. Coruncanum: *corrupto & nomine & prænomine: vt patet ex Sig. 96, 16.* V. *19, cum verbo* merentis, *subaudiendum aduerbium* magis: *vt indicant sequentia. quæ ellipsis apud Græcos non est infrequens; sicut in Syntaxi a me notatum est.* V. *21, vel deesse videtur quidpiam, vel particula* E T *accipienda pro* Etiam. *Aldus delendam censet istam particulam.* V. *36, fortasse rectius* suo suorumque nomine: *vt Suetonius cap. 29, Augustum tradit non suo tantum nomine multa & præclara exstruxisse opera, sed quædam etiam sub nomine alieno.* V. *47, & 48, inclusa, addita sunt ex A. ed.* V. *53, Puteanus transposito commatum ordine legendum censet,* Iupiter Capitoline ac Stator, & auctor Romani nominis Gradiue Mars. *recte. alioqui* Stator *accipiendum fuerit pro* Constitutor.

IN SEX. AVRELIVM VICTOREM.

P. 476, v. 38, pro φονευθέντας *ex Aldina Prisciani editione scribendum* ἐφοδευθέντας: *vel* ἐπιχειρηθέντας. *expositio enim est non propinquioris participii,* necatos; *sed remotioris,* adortos.

P. 477, v. 13, si mendo caret locus, Verrii Flacci patria fuit Antium. Sed cum Suetonius in eius vita nullam patriæ mentionem faciat; nec alii quoq; vel historici vel grammatici; (quod ego quidem sciam) non absurde forsan aliquis legendum existimarit, Verrio Flacco, Valerio Antiate. *nam Valerii Antiatis crebra fit mentio, non tantũ apud alios cum Latinos tum Græcos scriptores, sed etiam in hoc ipso libello infra, 483, 4.* V. *15, vet. lib.* Licinio, Marco Varrone. *sed Schotti lectio procul dubio verior est. Meminit autem Licinii Macri & hic libellus infra 483, 4; & Dionysius Halicarnasseus aliquoties. Seq. v. abbreuiatum* cet. *vsurpatum pro* & cetera. V. *20, Virgilii locus exstat Æn. 8, v. 319: vt Schottus adnotauit.* V. *26, de cælo & terra genitis notauit idem Schot-*

tus scitu non indigna. Propterea vero talibus Cælum patrem tribuit antiqua superstitio, quia cæleste illis, non terrestre nec crassum ingenium, vt ceteris hominibus, inesse vidit. V.*35, Virgilii locus exstat Æn.1, v.244.* V.*40,* Thessandrum *Virgilius* Tisandrũ *vocat Æn.1, v.261: vt Sch. adn.* V.*43, inclusa, eidem Schotto videntur redundare.* V.*47, q.c.* Xutho: *& mox,* copulatam. *Creusæ Erechtheidis ab Apolline vitiatæ, meminit etiam Pausanias in Atticis, 26, 37: meminit item Xuthi ab Erechtheo adfiliæ connubium adsciti, in Achaicis, 205, 28. sed huius historiæ non meminit. Non multum absimilis historia narratur ab eodem in Arcadicis 239, 17, de Auge Alei filia, ab Hercule compressa.*

P. 478, v.2, pro eduxit *Schottus mauult* traduxit. *Ibidem mox* vet. cod. Hæc loca: *contra metri legem. Petitus autem locus est ex Æn. 1, v.314.* V.*7, inclusa, desunt in m. s. Schotti. Sequens Virgilii locus, exstat Æn.8, v.321.* V.*14, aut deest quidpiam, aut legendum* nauiam. *de quo vocabulo vise quæ Schottus ex Festo & Macrob. adnotat.* V.*20, forsan leg.* noster Maro sic intulit. *Exstat autem Maronis locus Æn.8, v.357.* V.*22, post parenthesin non pauca deesse videntur. aut certe verbũ* dixerit, *cum iis quæ sequũtur, vsq. ad* Quæritur, *pro aliis sunt inserta. vt fortasse talis quæpiam requiratur lectio:* Eique (eo quod mire præteritorum memor, tum etiam futuri) gemina seu biceps affingitur facies: vt idem Maro testatur his verbis, Saturnusque senex, Ianique bifrontis imago. Quæritur q. *Porro Sallustii locus, quem citat auctor, exstat initio Catilinariæ.* V.*28, facile assentior Schotto, qui coniicit legendum,* a cacuminibus montium, quæ illi ὄρη vocant. *Eius vero Aboriginum etymologiæ meminit etiam Dionysius Hal. lib.1, pag.11, dum eos ex quorũdam sententia denominatos tradit* ἀπὸ τοῦ ἐν τοῖς ὄρεσιν οἰκῆσαι, ex eo quod in montibus habitarint. *Sed affert tamen idem Dionysius & alias duas rationes nominis, pag.8, alteram, ab errore, alteram ab origine: quarum prioris hic quoq. fit mentio.* V.*33, pro* vrbem *Schottus mauult* versus. *vulgata lectio retineri potest, si hæc periodus sequenti postponatur. Sic v.35, non* Inuium *cum exemplari legendum esse, sed* Inuum *cum Virgilio, docent eiusdem notæ. Dictus autem* Inuus, *ab ineundo, vt* Incubus *ab incubando: Græcis item* ἐπιάλτης, ἀπὸ τοῦ ἐπιάλλεσθαι *seu* ἐφάλλεσθαι, *ab insiliendo.* V.*44, Græca brachylogia, pro,* quod ab ea dicta essent. V.*47, pro* Palatium *aliqui legunt* Palatinum. V.*48, prior Virgilii locus, exstat Georg.3, v.392; alter, Bucolic. eclega 4; vbi* certet *legitur pro* cantet. V.*50, requiri videtur talis quæpiam lectio,* partim quas ipse inuenerat, partim quas a veteribus ante didicerat. *Plin. lib.7, cap.56, litteras in Græciam e Phœnice per Cadmum, e Græcia vero in Italiam per Pelasgos illatas refert.* V.*52, de Recarano vt Schottus, ita nec ego quidquam compertum habeo.* V.*55,* nequitiæ versutus *Græcismo excusari potest. sed legi potest etiam ablatiuo casu* nequitia *vel* nequitie.

P.479, v.11, Plauti locus est in Sticho: vbi tamen legitur Detraxi partem Hercul. *item in Truculento, actu II: vt Sch. adn.* V.*14, Sch. suspicatur legendum* atque ob ea: *vel,* itaque ab ea. V.*28, vel cum Schotto legendum,* sequi maluit: *vel cum aliis,* haud sequi metuit. *exstat autẽ Virgilii locus Æn.8, v.193.* V.*32, aptius cum Sch. legemus,* nemini patricio Pinariæ gentis. V.*41, putat Sch. fortasse legendum,* penes Pinarios rediisse. *Mox ibidem potius accus. casu legendum videtur* religionem *&* pietatem. V.*40,* Lucatius *citatur etiam pag. sequ. v.37: & rursum 481, 25. Schottus dubitat an scribẽdum sit* Lutatius *per t. sed quid si potius* Vulgatius? *vt pag. seq. v.10.* V.*52, Ascanium cognomine Iulum, Æneæ filium facit etiam Virgilius & Ouidius: Dionysius, Eusebius, & alii, Iulum Æneæ ex Ascanio nepotem: vt Sch. notat fusius.* V.*54, Sch. putat legendum* permisisse.

P.480, v.2, quam auctor hic Ænum, *Dionysius Hal. & Stephanus Byz. vocant* Ænéam. V.*10, Virgilii locus exstat Æn.6, v.232.* V.*12, Sch. putat leg.* etiamtum. V.*15, pro* Euxinius *Ortelius coniicit reponendum* Ausonius. V.*22,* Caiettæ *nutricis meminit Virgilius initio libri* VII *Æneid.* V.*24, nota* longi nauigii, *pro* longæ nauigationis. *De hac nauiũ incensione, agit Virg. Æn.*V: *vt idem Sch. adn.* V.*31, legendum videtur,* sacratas quoque mensas. V.*32, vet. cod.* intimentem. *Schottus* incientem *ex Festo reposuit: cui* Inciens *est propinqua partui; quod incitatus sit fœtus eius.* V.*36, fortasse legendum,* ibidem vrbem auspicatum, quam post Lauinium dixit. *qua de re vise & Messallam Coruinum supra 375, 22, 44.* V.*37, de Lucatio dictum ad pag. præced. v.40.* V.*49, vel deest quidpiam, vel coniunctio* ac *delenda est.*

P.481, v.11, malim inquisisse qui essent. V.*14, Sch. mauult* patria pulsos. V.*16, fortasse rectius,* communes vtrique hostes amicosq; hab. V.*23,* & *pro* etiam *accipienda est: vel bimembri periodo legendum,* namque & Rutulos deuicit, & Turnũ interemit. V.*23, accusatiuus* Æneam, *cum suo comitatu, absolute accipiendus est: quippe quod structuræ lex requirat nominatiuum.* V.*33, pro* Numici *& hic, & mox v.32, rectius scribemus* Numicii: *vt supra docui, ad 376, 7.* V.*36,* præstinguendi *verbum aptius hic esse quam verbum* perstringendi, *docet ex Lucretio Schottus. Seq. v. rectius* incessisset; *vel per syncopen,* incesset. V.*44,* Indigetes dii *qui vocentur, Sextus Pompeius tradit, & Seruius in Æneid.* XII. *Dionysius Hal. 52, 15,* χθονίου *interpretatur, dum heroicum Æneæ monumentũ inscriptum ait* πατρὸς θεοῦ χθονίου. V.*55, quia pag. seq. v.14, citatur* C. Cæsar; *& v.49,* Iulius Cæsar: *propterea hic fortasse pro* Lucius *reponendum* Iulius. *vt vnus idemq; his locis Cæsar intelligatur; nimirum Caius Iulius: cuius & Auguralium libros Priscianus, & Auspiciorum libros Macrobius citat: auctor fortassis etiam Pontificalium: vt adn. Schottus.*

P.482, v.2, Sch. mauult edidit: *& mox v.4,* Iulia familia. V.*6,* Tyrrhus *hic supra nominatur* Tityrus *376, 16: a Dionysio Hal.* Tyrrhenus, *56, 23. sed Tyrrhum agnoscit etiam Virgilius, & quidem tribus in locis.* V.[illegible] *pro* quantis *in vet. l. est* quat's, *superscripta ad t* æ; *super apostropha. unde*

unde Schottus coniicit legendum quatenus. *Historiam eandem narrat etiam Dionys. Hal. 54,13.* V. *31, post* eius rei, *deesse datiuum* plebi, *vel* nobilibus, *adnotat Schottus. Dionysius Hal. 56,42,* τῷ δήμου (*i populi seu plebis*) *suffragiis decisam litem refert.* V. *35, pro* Ronillæ *scribendum potius* Bouillæ: *cuius opidi passim inter Latina fit mentio. Rusellanos inter Etruriæ populos recenset Dionys. H. 189,10.* V. *36, pro Tiberio supra* Tiberinus *est 376, 25: & apud Dionys. H. 57, 14: itemq; apud Cassiodorum infra 591,46: & apud Euseb. in Chronicis.* V. *39,* Aremulum *agnoscit cum Eusebio etiam Cassiodorus. Sunt qui* Remulum *vocent: Liuiani libri* Romulum, *itidemque Messalla supra 376,26. A Dionysio Hal. 57,20, dicitur* Allades: *non sine mendi suspicione.* V. *55, Numitoris filium Dionysius H. Ægestem vocat 52,7: Eutropius Sergestum: Plutarchus in Parallelis Æntium: alii Lausum: vt notat Schottus.*

P. 483, v. 14, sensus est, disiectis quæ cum illa erant virginibus seu comitibus. V. *24, m. s. lib. & hic & in sequentibus constanter habet* accelerantiæ. *Schottus transpositis litteris scripsit* Accæ Larentiæ: *vt apud Plutarchum quoq; legitur in Romulo: apud Liuium vero, & apud Dionysium Hal. diphthongo* Laurentia *est; itemq; supra 376, 34: & infra 489,20.*

P. 484, v. 5, Remuriam *seu* Remoriam *agnoscunt etiam al. i scriptores, cum Græci, tum Latini: vt apud Dionys. Hal. docui, ad 73,3. Ennius apud Ciceronem de Diuin. lib. 1, trib. syllabis* Remuram *vocat, hoc versu,* Certabant vrbem Romam Remuramne vocarent: *vt Sch. notat.* V. *21, malet fortasse aliquis abl. casu* nostra memoria. *sed ferri & genitiuus potest, si referatur ad nomin.* historia. V. *26, in Schotti manuscripto continua serie hic subiungitur historia de Romulo, quæ in Viris illustribus cap. 2 inscribitur, 489,27.*

IN AVRELII VICTOR. VIROS ILLVSTR.

P. 489, v. 1, nec titulus hic, nec primum huius libelli caput De Proca, seu de Romuli & Remi ortu, *in Schotti libro manu scripto exstant: sed, vt modo dixi, cum extremo superioris libri, qui est De origine gentis Romanæ, continuatur caput secundum huius libelli De viris illustribus. Attamen etiam alii scriptores historiam Romanam a Proca auspicantur; vt Orosius lib. 11, c. 11: & lib. 1, c. 1: teste Sch.* V. *21, vulg. l.* coadunatis. *Est autem vrbs condita (vt Sch. notat) Olympiadis septimæ anno* 1, *ex a. d.* XI *kal. Maii: qui vrbis natalis Palilia dictus.* V. *24, vulg. l.* rastro: *sed* rutro *habent etiam membranæ Eusebii: eandemq; lectionem sequi videtur etiam Sex. Pompeius, dum scribit rutrum tenentis iuuenis effigiem esse in Capitolio: ac Rutrum idem Festus denominatum significat ab eruenda humo seu arena: sicut & Dionysius Hal. σκαφεῖον appellat, 74,42: ἀπὸ τοῦ σκάπτειν, a fodiendo. Verumtamen rastro quoque humum effodi solitam, docet in Nerone Suetonius cap. 19. Supra vtrumq; per dubitationem ponitur,* rutro vel rastro fertur occisus, *484, 25.* V. *31, & 32, non* Thalassio *scribendum, tamquam ἀπὸ τῆς θαλάσσης, a mari: sed* Talasius, *a lanificio, quam* ταλασίαν *Græci nominant: vt præter Pompeium Festum tradit etiam Plutarchus in Quæst. Rom. pag. 484.* V. *32, inclusa,* in, & ergo, *absunt a vulg. l. Contra ex iisdem seq. v. additum* vi. V. *35, inclusa,* Antemnates, Crustumini, Fidenates, Veientes, *a vulg. l. absunt: Schottus e vet. cod. inseruit. eosdemq; recenset etiam Sigonius supra, 9,6: & Eutropius infra 559,18.* V. *38, vulg. l.* aquæ caussa sacrorum gratia hauriendæ: *rectius altera caussæ li expuncta,* aquæ sacrorum gratia hauriendæ. V. *39, vulg. l.* produxisset. *sed rectius* perduxisset, *vt mox v. 41. Eodem v. 41, pro* Titus *malim* Tatius: *vt seq. v. In vulg. lib. vtrumque nomen exprimitur,* Titus Tatius; *vt paulo ante v. 38: & paulo post v. 49.* V. *43, Hostilii prænomen in vulg. l. est trisyllabum,* Hostius: *perperam. nam i detracto scribendum* Hostus: *vt Sigon. docet supra 342, 26.* V. *45, vulg. l.* exercitui seu forte: *duplici errore.* forte *autem pro* fortuito casu, *seu* forte fortuna, *infra quoq; sic vsurpatur cap 7.* seu forte seu fraude. *Sch.* V. *48, vulg. l.* ab ætate. *In Sch. cod. vet. sic legitur locus:* centumque ex senioribus elegit, quorum consilio omnia ageret: quos a senectute Senatores; Patres a pietate nominauit. Eq. cent. *Vise & Florum supra 381 24: & Eutropium infra, 559,15.* V. *50, tres m. s. pro* Lucumone *habent* luci communione. V. *52, vulg.* numquam *pro* nusquam.

P. 490, v. 4, vulg. cum diu interregno seditiones orirentur. *qua de re vise Dionys. Hal. 123, 4. Seq. v. vulg. l.* Pomponii filius: *vt & Plutarchus in Numa. sed* Pomponis *agnoscit etiam Dionysius 120 23: & Sigonius 344,23.* V. *7, vulg.* adducentibus ciuibus *pro* addicentibus auibus. *Vtrumq; accidisse docet Dionysius 121,42.* V. *11, Sch. mauult* plures & vtiles. *Inclusa, quæ sequuntur, idem ex m. s. Pulmanni, & antiquitus impressis addidit.* V. *14, pro* arcula & exarata, *quidam cod. hab* scrinia extracta. V. *19, Schottus legendum putat,* quia auus eius bonam op. *alioqui enim* ἀπροσηγορίαν *hic esse: vt manifestum fit e secundo libri huius capite, 489,43.* V. *20, vulg. l.* certamine: *& seq. v.* Sufetii. *sed primam huius nominis litteram F esse, non S, prolixe docet Sigon. Emendationum lib. 1, c. 52.* V. *27, vulg. l.* certamine: *vt paulo ante v. 20. De Curiatiis seq. v. dictum supra, ad 381,49.* V. *30, vulg. l.* vt vulnerum erat dolor, interfecit. V. *33, vulg. l.* qui *pro* quare: *& seq. v.* patris lacrymis. V. *35, rectius* viæ superpositum: *vt Dionys. Hal. 160,8,* τοῖς ἐξιοῦσιν ὑπὲρ κεφαλῆς, super capite intrantibus & exeuntibus. V. *39, vulg. l* solo trigeminorum certamine: *& seq. v.* accersitus. V. *41, inclusa, absunt a Sch. m. s.* V. *48, tres m. s.* Auentinum & Murtium. *quæ lectio stare nequit, si verum est quod Festus Pompeius tradit, Auentinum montem olim appellatum fuisse Murcum, & Murciæ deæ sacellum sub Auentino. Seq. v. quidam scribunt* Salinarium vectigal. V. *51, q. l.* in ostio Tib. V. *52, q. l.* Æquicolis: *more antiquo. apud Plinium Æquiculani sunt, apud alios Æqui, Æquani, & Æcani. Apud Græcos duplex tantum est diuersitas. Diodoro enim & Ptolemæo sunt* Αἴκικλοι, *Dionysio Hal.* Αἰκανοί. V. *52, vulg. l.* Hesus.

P. 491, v. 2, vulg. l. L. Tarquinius Priscus

Lucumo, Græci Demarati filius, Corinthi (*alii* Cypseli) tyrannidem fugiens. *Schotti lectio consentit cum Dionysio Hal. 184, 19.* V. 3, *vocem* vrbe *idem Sch. e margine in contextum irrepsisse putat. Ibidem vulg. l. pro* profectus *habent* profugus. V. 15, *vulg. l.* regno exutus est & interf. V. 18, *m. s. libri alii habent* Spurii Corniculani; *alii* Tullii Cornicularii. *Mox etiam alii* Ocretiæ, *alii* Ocratiæ. *Dionysius initio lib. 4. patrem Seruii sine prænomine vocat Tullium, matrem Ocrisiam, patriam Corniculum.* V. 19, *vet. cod.* hoc visu. V. 24, dicto, *additum e m. ss. quorum quidam habent* dicto obaudientes. *Ibidem mox Schottus mauult*, Ita Ser. Tullius. V. 26, *vulg. l.* Exquilias: *de qua scriptura dictum supra, ad 378, 19. Ibidem mox q. l.* aggerem ac fossam fecit. V. 28, *inclusa Schottus addidit e m. ss. quæ iisdem verbis infra leguntur apud Eutrop. 559, 45.* V. 29, *possumus etiam specialius legere*, exemplo Ionum; *ex Dionys. Hal. 229, 36.* V. 30, *m. s. l.* quo effecto bos quædam. V. 31, *fortasse rectius*, responsum domino datum. *Seq. v. pro* cuius ciuis, *vulg. l. habent* qui prius. V. 40, *m. ss. pro* miti *habent* morum simplici: *eo scilicet loquendi genere, quo apud Horatium*, integer vitæ, felix animi, *& similia, more Græco.* V. 42, *m. ss.* regnum patrium. V. 44, statim, *additum e vulg. l. Seq. v. liber m. s.* a quo missa turba, discedens, dum domum red. *At vulg. l.* a qua iussa turba recedere. *minus recte.* V. 52, *vulg. l.* Pometiam Hetruscis eripuit. *sed* Volscis *cum vet. libris probat etiam Coruinus supra 378, 26, & Liuius lib. 1.* V. 53, *pro* locos *vulg. l. habent* lacus: *duo manuscripti* ludos. *ad* locos *magis accedit quod Dionysius Hal. 246, 24, scribit, Tarquinium* τὸν ἱππόδρομον παστάσιν ὑποστέγοις περιλαβεῖν, *idest, Circum tectis porticibus circumplexum esse. Seq. ver. vulg. l.* Quiritum, *per syncopen.*

P. 492, v. 1, vulg. l. in obsidione: *& seq. v.* Porsenam *vno n: sicut a Silio quoque ac Martiale media huius nominis syllaba corripitur, a Virgilio & Claudiano producitur.* V. 3, *m. s.* recuperare *pro* retinere. *Ibidem mox q. l.* cum summa ignominia. V. 11, *vulg. l.* ita ea: *sine copul.* que. V. 18, *vulg.* Iunius Brutus, *sine prænomine.* V. 20, *vulg.* ridiculi gratia, *sine præpositione* de= V. 25, fratrisque, *deest in tribus m. ss. Sch.* V. 28, *vulg. l.* vbi se ambo mut. vuln. occiderunt. *Seq. v. pro*, anno luxerunt, *infra in Poplicola* (493, 20) *plenius & illustrius dicitur*, annuo luctu honorarunt. V. 34 & 35, *inclusa absunt a vulg. l.* V. 43, *vulg. l.* ab ea. *sed m. ss. rectius* a rea, *id est culpæ obnoxia. Seq. v. q. l.* distraheretur. V. 51, *vulg. l.* sors: *minus apte.* V. 53, *m. ss.* delegit.

P. 493, v. 3, vet. c. depoposcit, & perfecit: *posito fortassis hoc verbo pro* obtinuit: *inquit Schot.* V. 5, *quidam legunt*, in conspectu illi protulerunt: *& seq. v.* occidione perierunt. V. 11, *vulg. l.* L. Valerius Publicola: *& mox*, Volesi filius. *sed* Publium *prænomine, cognomine* Poplicolam *fuisse hunc Valerium, patremque habuisse* Volusum, *e Capitolinis fastis tradit Sigonius 15, 40.* V. 13, *vulg. l.* in locum Tricipitini. *sed* Bruti *legendum esse, non* Tricipitini, *cum ex aliis manifestum est, tum ex Sigonio, 15, 51. Ibidem mox duo m. ss.* consulem alium subrogauerat: *perperam omissa negatione.* V. 19, *inclusa Sch. addidit e m. ss.* V. 23, *vul. l.* Manilium, *per n: at* Mamilium *per m Dionysius, Liuius, & Sigonius supra, 20, 41.* V. 25, *vulg. l.* Rigilli *per i. sed* Regillum *per e longum, probat etiam alphabeti series apud Stephanum Byz. qui* Ῥήγιλλον *vocat hoc Sabinorum opidum. Ibidem mox vet. cod.* cum victoriam nauiter peteret. *Falli autem hic auctorem, Sigonius ostendit Emendationum libro 2, cap. 22: & supra 22, 18.* V. 29, ædem *non habent libri vulgati. in antiquo exempl. est*, aras eis communi titulo dedicauit. V. 32, ἀϊστορησίας *auctorem hic notat Schottus; quod nec abdicatio nec censores tunc in republ. fuerint. Dionysius sane Cæsonem Quinctium magis tribunorum inuidia quam sua culpa in exsilium abiisse tradit, ac patre nolente potius quam volente: 633, 33: 639, 14. Seq. v. vulg. l.* duce Cœlio. *Sed* Clœlium *cum Dionysio & aliis vocat etiam Sigon. 33, 29. & sic habent etiam m. ss. Schotti.* V. 35, *inclusa, absunt a vulg. l.* V. 37, obsidio *pro* obsidione *perpetuo & hic & alibi habent m. ss.* V. 41, *vulg. l.* Hala. *sed vet. monumenta vocant* Ahalam, *interdum* Axillam. V. 45, *negatiua* non, *abest a vulg. l.* V. 47, *duo m. ss.* crederet *pro* cernerent: *& seq. v. vulg. l.* digerere *pro* differere. V. 55, *vulg. l.* Cn. Marcius: *& mox* captis Coriolis, *sine præpositione. Schottus Sigonium sequi maluit, 24, 10: & 25, 17.*

P. 494, v. 1, militiæ *vocabulum abest a q. m. ss. Ibidem mox vulg. l.* Posthumio: *itemque Dionys. Hal. 414 & 415. sed Postumi Cominii, non Sp. Postumii ductu, gestum esse hoc bellum, manifestum est e Sigonii Commentario, 24, 4. Seq. v. rursum est auctoris* ἀϊστορησία. *nec enim consul vmquam fuit Coriolanus; sed ob repulsam in consulatus petitione, populo fuit infensior: vt tradit Dionys. Hal. 434, 20.* V. 4, *pro* Decio *duo manuscripti habent* Decimo. *sed* Δέκιον *tribunum plebis, prænomine Marcum, agnoscit hic etiam Dionysius.* V. 5, *vulg.* Accio Tullio; *vel* Actio Tullio: *quatuor manu scripti* Tito Tatio. *sed Attium Tullum, seu Tullum Attium, vocat cum Dionysio etiam Sigonius 25, 40.* V. 6, *Marcii matrem Plutarchus in Coriolano Volumniam vocat, vxoremque Veturiam: vt Sch. notauit. sed nostro auctori patrocinatur etiam Dionysius Hal. aliquot in locis.* V. 7, *liber m. s.* vt proditur. *sed verior lectio vulgata*, vt proditor. *nam & Dionys. 527, 44, proditionis eum a Tulli factione insimulatum testatur.* V. 11, *vulg. l.* duabus filiis: *contra morem. Ab iisdem mox abest vox* plebeio; *male: vt not. Sch.* V. 17, *m. s.* legem sciuit: *quidam* lege cauit. *Ibidem mox vulg. l.* plus centum iugera: *& seq. v.* iugera centum quinquaginta. *quam lectionem Schottus cur reiecerit, docent eius notæ.* V. 26, *v. l.* qui eam vindex posceret: *vt apud iurisconsultos est* vindicias secundum seruitutem dare. *Liuius vtramque lectionem coniunxit*, vt virginem in seruitutem assereret, neque cederet secundum libertatem postulantibus vindicias. V. 28, *q. c.* quum ipso iudicii die superuenisset: *& mox*, quum eam in secretum abduxisset, occidit. *Schotti lectioni fauet etiam Dionysius ac Liuius.* V. 31, *v. l. pro* coegerunt, *habent* præceperunt, *id est iusserunt.* V. 34, *vulg. l.* [illegible]erfen[illegible]; *& seq. v.*

seq. v. Q. Volumnio: manuscripti omnes, arcessendum; & Q. Oculnio, posito scilicet c pro g, vt in multis aliis. V. 37, vulg. l. e sedibus eius. Ibidem mox m. s. non horrendus. V. 39, vulg. l. in Volumnii tabernaculo: vt modo dictum est. Ibidem v. c. constipauit: & mox vulg. profecti sunt, per f. V. 40, duo m. ss. malitiam: rectius malaciam: quo verbo etiam Cæsar vtitur, & Seneca. Lucretius lib. 2 & 5 pellaciam vocat: vt not. Sch. V. 41, vulg. l. in primam siluam: duplici mendo. Schottus cum m. ss. & ipsa historiæ veritate legit in proximam insulam. Ibidem etiam q. c. desiluit pro desiliuit. V. 45, hisdem, & seq. v. decenni obsidio, vet. lib. scriptura est: vulgati habent iisdem, & decenni obsidione. Sed quidam etiam e m. ss. pro decenni habent hieme. Ad præcedentem de Camillo historiam belle facit fragmētum Alphii Autii ex libro Excellentium imperatorum, quod a Prisc. citatur lib. 8, 12, & 18: vt Sch. n. V. 48, & 50, inclusa absunt a vulg. l. Eodem v. 50, vulg. l. Romani tres legati: m. ss. Roma tres Fabii: Liuius lib. 5, & Quinctil. l. 3, c. 8, a Romanis tres Fabii: teste Sch. V. 54, vulg. l. Alliam; & mox Alliensis, gemino ll. Schottus Seruium sequitur in 7 Æn.

P. 495, v. 3, m. ss. seruata est: & seq. v. internicione, per i. V. 7, q. c. sexdecim. V. 9, q. c. viginti tres. V. 10, fuit, abest a vulg. libris: qui etiam mox pro excitus habent excitatus. V. 11, q. c. donum pro domum: nimis late. V. 13, q. c. propria manu. V. 15, vulg. l. ob conspectum. Sch. m. ss. sequi maluit. V. 17, cognomen eiurauit, vet. libri scriptura est: in vulg. perperam legitur, cognomine iurauit. Alii prænomen Marci a Manliis patriciis repudiatum scribunt; vt testatur Sigon. 349, 20. V. 20, m. ss. Fidenates, veteres Rom. hostes. Errare autem hic auctorem, notat Sigonius supra 43, 11. V. 26, prænomen P. abest a vulg. ed. V. 30, inclusa, absunt a q. m. ss. V. 35, q. c. inclinata parte sua. V. 39, auctorem hic iterum falli notat Sigonius supra 80, 32. Ibidem mox vulg. l. de Samnitib. triumphauit, spolia de iis Cereri consecr. V. 43, sollemnia deuotionis verba recensentur a Liuio lib. 8, & Macrob. lib. 3, c. 9: vt not. Sch. V. 49, vulg. l. a Pomponio: & mox noctu. V. 50, m. ss. omittere. V. 52, vulg. induit. V. 54, inclusa ad alium Manlium pertinere, docent Schotti notæ. Vise & Sigon. supra 143, 16.

P. 496, v. 5, vulg. hic pro hinc. V. 12, vulg. per insidias seducti. & seq. v. qui Romanis dicerent, Luceriam a Samnitib. obsideri in Apulia. & rursum v. 14, Festinantibus itaque cum insidias statuisset, (qui locus Furculæ Caudinæ vocatur) Pontius accitum patrem H. Schottus veteres libros secutus est. V. 18, vulg. ex fœdere. Ab iisdem seq. v. abest inclusum postea. V. 22, pro dictatorem, ominibus, profectum, vulg. libri habent consulem, omnibus, progressum. V. 23, vet. l. auspicia petenda. Iidem seq. v. habent Rullo: vulgati Rutiliano; & mox præponebat. V. 27, vulg. Idem Præneste cum Præt. omissis iis quæ sunt incl[illegible]. Schottus suæ castigationis rationem [illegible] in Notis. V. 30, vulg. l. exci[illegible] V. 31, vulg. l. Rutilianus: alii Rullus. V. 33, inclusa absunt a vulg. l. V. 36, m. ss. a tribubus. V. 38, albis, additum e m. ss. De transuectione autem hac vise Liu. lib. 4, Dionys. l. 6: & Plin. l. 15, c. 4: Sueton. in Aug. c. 38. V. 40, vulg. epulas pro epulum: quod Schotto non probatur. V. 41, in vulg. l. perperam est M. pro M'. vt docet Sigon. 345, 10. V. 43, q. c. propagauit pro perpacauit: minus apte. V. 47, vulg. Epirotarum regem. Ibidem pro quaternadena Plin. lib. 8, c. 3, & Valer. lib. 4, c. 3, habent tantum septena: vt Sch. n. V. 49, ciuem non habent libri vulg. V. 50, q. c. rapas: alii sing. num. rapam. Schottus rapa maluit, vt Seneca in Apocolokyntosi, feruentia rapa vorare: & Martial. lib. 13, gaudentia frigore rapa. V. 51, guttum ligneum habent m. ss. at vulg. cadum ligneum. V. 53, vulg. l. Aquam deinde Anienem manibus hostium: corrupte: vt docent Sch. notæ. Ibidem m. ss. tribunos pl. patres se auctore fieri: & mox, plebeii magistratus creabantur. V. 55, lib. vet. Tifata: & mox, quinquagint a pro quingenta.

P. 497, v. 2, de senatu libertinis per Appium Cæcum dato meminit etiam Sueton. in Claudio, cap. 24. V. 5, vet. c. Herculanea. Ibidem mox fortasse rectius, vnde ipse cæcatus est. Fusius hæc exponuntur supra in Origine gentis Rom. 479, 27. V. 8, vulg. strauit lapidibus. V. 11, orationem Appii expressit etiam Plutarchus in Pyrrho: & Ennius in istis, Quo vobis mentes: vt n. Sch. V. 14, vulg. l. materno genere ab Achille, paterno ab Hercule. V. 17, vulg. auxilio Tarentinis venit; bellum Rom. intulit. V. 19, m. ss. talibus militibus: & mox subire. V. 22, Schottus legendum putat, Viso iterum Læuini exerc. Sic v. 24, legendū videtur, inde in Sic. Seq. v. vulg. l. habent elata est. V. 29, Fabricii vita abest a vulg. ed. Schottus eam e Pulmanni codice inseruit. De Fabricii legatione & constantia, meminit etiam Eutropius infra 563, 13. V. 34, de medico proditore ad Pyrrhum remisso, meminit inter alios Cicero De offic. lib. 1, & Agell. l. 3, c. 8. Eius dem nomē exprimit Amm. Marcel. 493, 44. V. 38, vulgata capitis inscriptio est, De Volsiniis: minus recte. V. 40, vulg. l. dum in curiam legerent; consensu seruorum oppr. V. 41, vulg. l. Decius Muræna: itemq. Valerius, Tacitus, Frontinus: alii Decimus: vt n. Sch. Sigonius M. Fuluio Flacco hæc adscribit supra 110, 22. V. 42, vulg. l. omnes aut incarcerauit. V. 44, dictus, abest a vulg. ed. De Claudio Caudice Schottus videri iubet Senecam de Breuitate vitæ, cap. 13. V. 47, m. ss. primus: itemq. Sueton. in Tiberio, cap. 2. V. 49, m. s. l. eaque legationem in S. traduxit. sed rectius legionem. vulg. libri phalangem habent. V. 53, vulg. l. Cn. Duellius. Schottus Sigonium sequutus est, 112, 2. V. 55, vulg. l. classem magis validam quam decoram fabr. Inclusa, quæ sequuntur, absunt a m. ss.

P. 498, v. 2, vulg. l. breuius, hostium naues apprehendit: qui victi & capti sunt. Schottus m. ss. est secutus. Ibidem mox vulg. l. Himilco dux classis. Schottus & Sigonius (112, 14) sequuntur Polybium; qui lib. 1, pag. 9, Ἀννίβας nominat. V. 9, præpositio ex abest a vulg. libris. In iisdem seq. v. Ætna est pro Enna. quæ cum ambæ inter mediterranea Siciliæ opida numerentur a Ptolemæo, ab

potius maritimum opidum hic cum Drepano & Lilybaeo requiri videatur. fortasse Catina vel aliud opidum maritimum pro illis ab auctore scriptum fuit. Florus sane illorum loco numerat Agrigentũ, Panormum, Erycem, 390,50. Ennam tamen legit hic etiam Sigonius supra 113,30. In inclusis quae sequuntur, αἰσχρολογίας esse, notat idem Sigonius ibidẽ, v. 45. V. 12, duo m. ss. ad Catinam. sed Camerinam, seu Camerinensem saltum, agnoscit hic etiam Florus, 390,51. Cur autem Camerina per e Latine scribi soleat, cum Graeci Καμάρινα vocent, ibidem exposui. De Calpurnio Flamma meminit praeter Liuium etiam Plin. lib. 22, c. 6: Agell. l. 3, c. 7: & Frontinus Stratag. l. 1, c. 5. V. 14, sociis abest a vulg. l. V. 20, vulg. l. quassatas duce Hamilcare. Ex eiusdem v. 22, additum pronomen eius. V. 25, vet. c. pro a se, habet ab amplexu. De ista porro Atilii constantia praeter Liuium vise & Cicer. Offic. 3, & Agell. l. 6, c. 4: & Horatium oda 5, lib. 3. V. 26, vulg. introrsum adactis. V. 29, vulg. Q. Luctatius. Schottus Sigonium secutus est 121, 27, 38. V. 31, vulgati libri & aliquot m. ss. habent duce Himilcone. Schottus hic quoq; secutus est Sigonium 121, 40. Inclusa quae sequuntur, idem addidit e m. s. V. 36, vulg. l. x i annos. Schottus i x ex Cornelio Nepote & aliis reposuit. V. 43, vulg. frustratus. verius esse fractus, manifestum est cum ex proxime seq. capite, tum ex cap. 14: in quorum vtroq; Fabius Annibalem mora fregisse dicitur. V. 45, inclusa, Schottus addidit e vet. libro. V. 48, vet. cod. apud Libyssam in fine Nicomediensium. V. 52, vulg. vt Verrucosus a verruca in labris, ita Ouicula. V. 55, m. ss. omnes Marium Statilium. Plutarchus in Fabio nomen reticet, tantum Marsum a patria nominat, fortemq; ac nobilem virum. vt fortasse legendum sit, Marsum Statiliũ: sicut scilicet mox sequitur Lucano cuidam.

P. 499, v. 4, vet. l. quae pactio. Seq. v. suae abest a vulg. V. 8, prima narratio de Scipione Nasica, pertinet ad patrem; sequentes, ad filium. Itaq; sequenti versu pro relatiuo Is, quod a vulg. libris abest, reponi posset Eius filius. Error autem hic cum aliis auctorum testimoniis conuincitur, tum eo Ciceronis loco qui a Sigonio citatur 170, 6. Valerium quoq; huius confusionis notat idem Sigonius 198, 17. Idem Nasicarum stirpem luculenter exponit 350, 15. V. 11, vulg. Dalmatarum, per a. Vtramq; scripturam vsurpatam fuisse, supra docui, ad 468, 13. V. 12, Schottus auctorem iterum hic confusionis arguit in Notis suis. Verbum fuit seq. v. additum e vulg. ed. V. 16, vulg. l. Viridomarum: de quo supra in Floro, ad 392, 18. V. 17, inclusa Schottus e m. s. addidit: vulg. l. habent, Spolia legit apud Nolam: Hannibalem primus, locorum angustia adiutus, vinci docuit. Pro cederent Sch. legendum putat incederent: vel milites eius cederent. Editam scripturam si retineamus, sensus erit, docuit milites quomodo cederent, sed ita tamen, vt non praeberent terga. V. 23, in vulg. ed. duplex est nomen, Liuia Claudia. sed Liuiae nomen tollendum esse, docent sequẽtia; quippe in quibus Claudiae tantum, non Liuiae fiat mentio: & Suetonius in Tiberio, cap. 2, diserte Claudiam vocat hanc virginem, non Liuiam. Seq. v. q. c. ablatiuo casu habent matre: structura minus congruente. V. 28, q. c. falso de incestu suspecta. V. 29, vulg. l. simulacrum matris deûm adduxit: templum aedificauit Nasica, qui vir optimus iudicabatur. Schottus suam lectionem e m. ss. librorum fide constituit. V. 38, vulg. M. Atilio: corrupto & nomine & praenomine. Perperam etiam mox v. 42, q. l. Oppia lege petentib. restituit. historia namq; sensus est, eum restitisse matronis, quae cultum Oppia lege sibi ereptum repeterent. qua de re supra 153, 15. V. 49, q. c. si coniungere Annibali copias potuisset. V. 51, de Metauro meminit & Liu. l. 27, & Valer. lib. 5, & Horat. oda 4, lib. 4. Seq. v. vulg. l. venerat pro iuerat.

P. 500. v. 2, q. c. creditus. V. 4, q. c. eunte, casu absoluto: & mox, latrauerunt. V. 10, nouam non habent ed. vulg. Schottus e vet. c. addidit. V. 11, m. ss. omnes, patrique eius sponsor adstitit: de qua lectione vise notas Schotti. V. 13, Massanisam vulg. libri Masanissam vocant: Suidas Μασανάσσην. V. 17, vulg. l. a Petilio Actaeo tribuno pl. perperam. V. 19, vulg. l. Quasi bonum factum. Schottus mauult, Bonum factum, si in Cap. V. 23, vulg. l. deinde ex inuid. V. 26, q. c. cum eo iniit; & mox, de Asdrub. triumph. V. 31, vulg. l. Flaminius: perperam. scribendum enim Flamininus cum Sigonio 151, 35: & 363, 49. Inclusa quae sequuntur, falsi arguit idem Sigonius 151, 37. V. 35, q. l. Liberos esse Graecos: at m. ss. ludos Iunonis Samiae per praeconem pronuntiauit. Priorem lectionem confirmant quae luculenter a Floro narrantur supra 395, 40. Seq. v. post missus, in duobus m. ss. haec adduntur; Idem postea proconsul Philippum bellum renouantem, & cum eo Thracas, Macedonas, Illyrios, multasque gentes partium ipsius, bello subegit. V. 39, in vulg. ed. praepostere scriptum hic Q. Fuluius; & infra v. 43, M. Ennius: pro M. Fuluius, & Q. Ennius. deinde, Consul Aetolos Ambraciotasq; superauit: vnde ouans vrbem introiit. & mox, Consul Achaeos, qui bello Maced. interf. De qua historia deprauatione prolixius in notis Schottus. Vise & Sigon. supra 155, 35: & 156, 24. V. 42, vulg. l. tamen pro tantum. Iidem seq. v. M. Ennius; perperam; vt modo dictum est. Vise Persium Satyra 6: Cic. Tusc. 1, in Bruto, pro Archia: & Plin. lib. 35. V. 50, post Asiaticus dictus, duo m. ss. addunt ista; Hic cum Boiorum gente conflixit: in quo praelio x x hostium millia interemit. Post reus pec. Inclusa, quae sequuntur, absunt a vulg. ed.

P. 501, v. 2, vulg. l. exercitus: perperam. V. 5, vulg. quasi pro redd. gr. Schottus aduerbium quasi ex glossemate irrepsisse notat. V. 11, consul abest a vulg. l. Seq. v. m. ss. hab. cupidine triumphi. V. 13, vulg. l. Orgiagontis: de quo supra in Floro, ad 397, 9. V. 15, centurionem non habent lib. vet. V. 19, pro adeptus erat, m. ss. habent egerat. V. 21, quem non habent libri vet. Iidem etiam victum habent pro vulg. vinctum. V. 25, vulg. licentiam & paup. absurde. V. 29, vulg. T. Sempronius: corrupto praenomine. non enim T. sed Ti. (id est, non Titum sed Tiberium) praenomine dictum fuisse, cum ex aliis historicis

storicis manifestum est, tum ex eo quod mox sequitur, v. 35, Tiberius iurauit. V. *31,* αἰσχροποιίας *auctorem iterum notat Sigonius supra 163,24. De prouerbio* Sardi venales, *meminit etiam Pompeius Festus.* V. *33, vulg. l.* occuparent: *perperam. scribendum enim* occuparant. *Vise Sig. supra 166,9. Seq. v. q. l.* & cum Claudium condemnass. V. *36, q l.* erepsissent: *alii* serpsissent. V. *42, vulg. l.* rediret: *& mox,* in Hispaniam: *minus recte.* V. *44, vulg. l.* sub T. Manlio: *perperam, vt cognoscere est ex Sigon. 176,34: 179,41.* V. *45,* aurea *abest a vulg. l.* V. *46, annos intelligit quibus consulatum petere licebat: qui erat ætatis annus* XXXVI. *qua de re Sigon. supra 181,3: & Velleius 434,13.* V. *47, q. l.* correpta: *minus significanter.* V. *48, pro* Caio Lælio *m. ss. aliquot habent* Panætio philosopho: *de qua lectione vide Notas Schotti.* V. *49, q. c.* superbe: *& mox seq. v.* occisum. V. *55, vulg. l.* semilibram.

P. 502, v. 2, Hostilius hic in vulg. l. Aulus *prænomine dicitur, apud Plinium* Lucius. *Praeterea pro* consul *vulg. libri habent* prætor Pompeii. *Schotti lectio consentit cum Sigon. 198,50: & 199,5.* V. *2, de voce Mancinum manere iubente, narrat idem Sigon. 199,9. Ibidem mox q. l.* peruenisset. V. *4, vulg.* exercitum Pompeii. *Schottus Popillii reposuit ex Appiano, & Sig. 199,5. Ibid. mox q. c.* & solitudinem petiit. V. *8, q. c.* quatuor milib. suorum viginti mil. R. V. *9,* suo *abest a vulg. l.* V. *10, q. m. ss.* nec repetitus a genero in castra deductus. *Sequens etiam locus de prætura Mancini post consulatum, difficultatis aliquid mouet. de qua vise Notas Schotti.* V. *13, vulg.* deleta Achaia: *synecdochice pro, deletis Achaiæ copiis; seu profligato Achaiæ bello. Sed rectius fortasse* domita Achaia: *vt paulo post, v. 22.* V. *18, vulg. l.* duce Dionæo. *Dieum Schottus vocat cum Pausania Achaicis. Ibidem mox vulg. l.* & se in ignem præcipitauit: excepto ipso nemo interiit. *Schotti lectio e m. ss. deprompta, consentit cum Pausan. 221,30.* V. *24, vulg.* ideo tertio post duas repuls. *vbi Sch.* tertio *scholion esse notat.* V. *25, q. c.* Contrebiam: *alii* Cantabriam: *nonnulli etiam* Trebiam *vocant; vt supra notaui ad 399,46. Vise & Sig. 194,12.* V. *29, m. s.* liber *exuerem: sed* exuterem *probat locus Valerii supra 194,24.* V. *30, vulg. l.* tres consules. *de qua lectione vise notas Sch. & Velleium supra 434,1.* V. *33, vulg.* qui de Iugurtha rege triumphauit: *nec plene satis, nec ad cognomen apposite.* V. *37,* Calidia *pro* Claudia *reposuit Schottus ex Valerii Max. l. 5, cap. 2, & Cic. or. pro Plancio.* V. *39, vulg. l.* Metellum sororis suæ virum. *qua lectio cum stare nequeat, cum Sch. legendum vel* Metellæ, *vel* L. Lucullum, *ex Ciceronis sexta actione in Verrem. Ibidem vulg. l.* quod is olim suum iudicium & leges detrectarat. V. *43, vulg.* Q. Pompeium: *perperam.* V. *51,* legem *non habent m. ss. Ibidem mox pro* plus quingenta *vulg. l. habent* plus mille. V. *52,* familiam *pro pecunia positam notat Schottus, vt in* XII *tabulis, & Suetonii Nerone: itidemq; apud iurisconsultos dici actionem familiæ erciscundæ.* V. *53, vulg. l.* de Attali hereditate erat. *& mox copulatiue,* ageretur & populo diuideretur.

P. [illegible], v. 2, [illegible]o, sequi se iussis qui saluam remp. vellent, *vise Ciceronem or. pro Rabirio, & or. post reditum: nec non Seruium in Æn. 8, initio.* V. *5, post* ablegatus est, *adiecta sunt in m. ss. ista;* Cum comitiorum die Gracchus seditiones populi accenderet, auctore Nasica inflammata nobilitas, fragmentis subselliorum plebem fugauit: Gracchus per gradus qui sunt super Calpurnium fornicem, detracto amminiculo fugiens, ictus fragmento subsellii corruit: rursusque assurgens, alio ictu clauæ cerebro impactæ occubuit. Ducenti ea seditione interfecti; quorum corpora in Tiberim proiecta sunt. V. *7, Sardiniam morbosam esse, cum alii testantur, tum Paus. Phocicis, 333, 9. vnde & Martialis,* cum mors Venerit, in medio Tibure Sardinia est. V. *11, vulg. l.* abrogante: *at m. ss. & hic & infra cap. 73,* obrogante: *de quo vise Vlpianum.* V. *15, q. m. ss. pro* Dianæ *habent* Lunæ: *& mox* Pontino *pro* Pomponio. *Sed Pomponium vocat etiam Velleius 438,25.* V. *16, vulg. l.* Lectorio. V. *17, qui* Furinæ lucus *hic dicitur, Plutarcho est* ἄλσος Ἐριννύων, *id est* lucus furiarum. *Præterea qui* Euphorus *hic, Velleio est* Euporus, *Plutarcho* Philocrates. *Ibidem mox m. s.* Septimo Ataio: *alii* Septimio Atello: *ex vulgatis nonnulli* Septumuleio. V. *22, vulg. l.* & ibi Rubrio collega suggerente. V. *29, vulg.* domi suæ sumpsit: *minus belle.* V. *30, vulg.* occulte *aduerb.* V. *31, inclusum* Philippo *Schottus addidit e m. s.* V. *23, vulg. l.* quæ ille luxuria comprobans, morti iam detrudi se dicebat. Deinde ex gratia in inuid. ven. *Schotti lectio e Pulmanni codice desumpta est.* V. *35, inclusa absunt a vulg. l.* V. *48, vulg.* Cimbros in Gallia apud aquas Sextias, Teutonas in Italia in campo Claudio vicit: *& mox,* vsque ad sextum consulatum per ordinem factus. *De campo Caudio seu Raudio dictum supra, 403, 40.* V. *53, m. s.* vultus austeritate. *sed* auctoritate *infra quoque sic vsurpatur, 506,6.*

P. 504, v. 2, m. ss. XXVII. V. *8, m. ss. omnes* Afellam: *quod Schottus dubitat an ferri possit, cum Græci* Ὀφέλλαν *nominent.* V. *15, vulg. l.* tertio consulem: *& sequenti versu* Ancone, *vt* Sulmone, Hippone, *& similia.* V. *19,* Flauius *abest a vulg. l. Ibidem mox* Cinnæ *quoq; a quibusdam libris abest: alii pro eodem habent* curiæ: *parum vere.* V. *24, vulg. l.* idem: *& mox* oppressus. V. *29, vulg. l.* victor *aut* vector: *vet.* venator: *itemque supra est 188,36: & 400,3.* V. *31,* apo. Ro. *vet. librorum scriptura est: vulg.* a Popillio. *Ibidem mox vet. m. ss.* cum Italia decessisset, & aurum peteretur, bellum ren. V. *33, m. ss.* vino depositum: *sicut Plautus Aul.* vt me vino deponat. *Ibidem mox vulg. l.* perimerent. V. *38, q. c.* carbonarium officium exercuit: *& mox,* idem primo dub. V. *40, vulg. l.* corniculum meruit: *de quo vide Notas Sch.* V. *41, vulg.* prætor aduersus Iugurtham, tamen eius pec. victus. *Schottus secutus est Sallust.* V. *45,* viam *non habent vulg.* Muluius *autem per u legitur etiam apud Sallustium: in m. ss. quibusdam* Moluius: *sed vsitatius* Miluius. V. *50, vulg.* ad populum. *Iidem lib. vulg. mox* Surius Sucronensis: *at m. ss.* Varius Veronensis.

Schottus secutus est Ascon. Ped. comment. in or. pro Scauro.

P. 505, v. 2, m. ss. ius dando. V. 6, vulg. lib. alii habēt Memmio, alii Mummio, alii Nummio. veram scripturā esse Nonio, supra ostensum, ad 410, 31. V. 9, vet. c. multi nobiles obrogantes. V. 10, clamauit, additum e m. ss. V. 12, consulem non habent libri vulgati. Iidem etiam perperam habent Mummium pro Memmium. V. 13, de Senatusconsulto isto vise Ciceronem, Cæsarem, Sallustium, Tacitum. V. 15, m. ss. amplius, in Capitolium coegit confugere: ibi eos persecutus obsedit. Ibid. mox q. l. æstu. V. 22, vulg. l. ordine inuerso, mox per Murænam in Asia classem Mithridatis, & Ptolemæum regem Alexandriæ, consuli Syllæ conciliauit. V. 25, obsidio pro vulg. obsidione habent m. ss. V. 26, m. ss. venientem. V. 27, vulg. in ambitu. Schottus habitu reposuit ex Plutarchi Lucullo extremo, & Horatii epist. 6, lib. 1, v 40. V. 37, q. l. Siciliam pro Ciliciam: perperam. V. 40, q. l. catenis vinxit: parum vere. Ibidem mox vulg. Mædos & Dardanos. V. 41, mox, abest a quibusd. cod. Ibidem q. l. legatione Sulpicia: parum apte. rogationis Sulpiciæ mentio est etiam 503, 51. V. 43, filium non habent l. vulg. hoc loco: habent tamen pag. præced. v. 2. quidam etiam legunt, Marium & Pontium Telesinum apud Sacr. qua de re 504, 8: 444, 18. V. 45. q. l. dedititiorum. De villa publica in campo Martio, vise Notas Sch. V. 46, q. l. imminuit. V. 47, vulg. l spe deceptus: male. V. 48, Mithradates per a mauult Schottus cum vet. nummis. vulgatum Mithridates agnoscit etiam Suid. V. 51, m. ss. omnes, quinquaginta gentium.

P. 506, v. 1, vulg. Orchienum, corrupte: alii Dardanum. sed apud Orchomenum Bœotiæ hæc gesta esse, testatur etiam Strabo libro 9, in descriptione Orchomeni: atque adeo hic ipse auctor paullo ante in vita Syllæ, 505, 39. Ibidem mox vulg. & oppressit, & potuit capere, nisi aduers. Schottus m. ss. sequi maluit. V. 2, pro Cabiris alii habent Argis, alii aduerb. acrius. V. 4, vulg. per seditionem popularem. Schottus secutus est m. ss. V. 5, pro subiret vulg. alii habent biberet, alii ebiberet: quidam etiam, cum is tardius viueret: minus conuenienter. Seq. v. m. ss. habent Bitocum; vt & Liuii epitoma. Appianus Βιτοιτον vocat: vt dictum supra, ad 277, 13. V. 13. vulg. Italia abrogauit: parum conuenienter. Iidem mox composite proconsul. Schotti lectio respicit Philippi de Pompeio elogium, quod supra recensetur a Sigon. 258, 34. V. 15, vulg. felicitate rerum in septemtr. Schottus secutus est m ss. V. 18, Caspium non habent vulg. V. 21, periodus ista, Eius imperio ab Achilla & Pothino satellitib. occisus est, abest a vulg ed. Sequentia vero absunt a m. ss: ideoq; a Schotto vncis sunt inclusa. V. 23, pro Septimio q. l. habent Photino, seu Pothino: de quo supra, ad 418, 23. alii a Theodoto: de quo vise Notas Sch. V. 23, q. l. itemque def. & seq. v. fuerat ignoratum. V. 25, q. l. Nilo iactatus: & mox, a Seruio inustus. quidam etiam pro Codro habent cedro. quod cum durum sit, legendum foret, a Seruio cedrino rogo inustus. vt cedrinus rogus hic ita sit quemadmodum apud Virg. Æn. 6 laurus in busto Pallantis. Hemistichium quod sequitur, extat etiam apud Lucanum lib. 8; sed omisso Pompeii nomine. sic enim ibi; Hic situs est Magnus; placet hoc fortuna sepulcrum Dicere Pompeii. V. 27, quidam post Ægyptio distinguunt, referentes non ad sequens, sed ad præcedens substantiuum. V. 45, oblato legendum esse, non ablato, manifestum est ex v. 27, vbi Pompeii caput Cæsari cum annulo præsentatum dicitur.

P. 507, v. 13, m. s. ab Pedio Silone. Schotti lectionem tuentur quæ de Popedio supra notata sunt ad 411, 27. V. 33, m. s. Macedoniam Asiamq;. Schottus pro Asia Syriam reposuit. Ibidem mox legendū opinor operæ huius: qua de re vise Sigon. supra 283, 9. 30. V. 43, de Cytheride mima meminit etiam Cic. Philipp. 2, & ad Atticum lib. 10, ep. 9: itemq; Virg. Ecloga 10, & Seruius ibidem. Ibidē mox omissum est nomen Imperatoris cui Brutus quæstor esse noluit. fortasse igitur legendum, Quæstor cum Cæsare in Galliam proficisci noluit. Cæsar enim per illos annos Galliæ proconsul fuit. V. 50, m ss. constanter habent Philippiis. V. 55, Caruota seu Caryota proprie sonat eum qui caryotis palmulis negotiatur: quarum palmularum mentio apud Dioscoride lib. 1, cap. 149; & Aetium lib. 11, cap. 30: necnō apud Varronem De re rust. l. 2, c. 1, & apud Plin. compluri b. in locis. Simili scommate Vespasianus ab Alexandrinis dictus est κυβιοσάκτης: vt in eius vita tradit Sueton. cap. 19.

P. 508, v. 13, locus Sexti Pompeii de Carinis, refertur etiam a Velleio supra 458, 8. Sueton. in lib. de illustr. Grammaticis Pompeiorum domū fuisse scribit in Carinis ad ædem Telluris. V. 24, de proscriptione a triumuiris instituta, narrat Velleius supra 455, 10: Florus 420. 35: Sigon. 315, 21. erant autem triumuiri reipubl. constituendæ; vt Sigonius ibidem tradit. V. 37, etsi Catonis vita iam supra est descripta, capite 47; tamen eam ex alio etiam auctore hic repetere libuit, videlicet ex Æmilio Probo seu Cornelio Nepote: qui & vberius aliquanto eam pertexuit, & æque eleganter. V. 42, heredium pro prædiolo hereditatis iure ad nos deuoluto, legitur etiam apud Varr. & Plin. V. 44, Censorinus ne an Censorius legendum sit, ambigit Lambinus. V. 47, æstimata pro vulg. existimata repositum ex eodem Lamb. V. 48, inclusa, addita sunt ex eodem Lamb. V. 54, Lamb. ed. exque ea triumph.

P. 509, v. 7, Lamb ed. octoginta. V. 11, probabilis orator hic est qui Græcis vel ἔνδοξος vel πιθανός. Sic v. 18 capitulatim idem quod Dionysio Halicarn. & aliis κεφαλαιωδῶς, & ἐπὶ κεφαλαίων. Seq. v. Ser. Sulpicii Galbæ prætura ge[..] est anno DCII; vt Sigonius tradit supra 176, [..] V. 25, vulg. l. delegamus. ego relegamus cum Lambino malui.

IN AVRELII VICTORIS IMPERATORES ROM.

P. 510, v. 7, m. s. liber habet vicesimoq; duobus, pro vicesimoque secundo. cuiusmodi loquendi genus est etiam mox [..] 26. Sic infra in Seuero, annis regni duodeuiginti exstinctus est, 517,

517,55: & in Gordiano, periit sexennio imperii. V. 9, pro magni auunculi epitome infra 531, 17, habet maioris auunculi: vt & Sueton. in Aug. cap. 7. quam lectionẽ erroris damnant Notæ Schotti. V. 10, Sch. legit victoriam partium, ex Taciti Annali XVI. V. 14, nisi Germaniæ, vsurpatum exceptiue, pro præterquam Germaniæ. Eadem signif. mox absque vsurpatum v. 21 & 40. V. 17, intemperantie quinta flexione vsurpatum vt intemperie, specie. Seq. v. Franc. Schottus mauult mire teneretur. V. 21, de absque modo dictum est v. 14. V. 22, m. s. expresse habet Iudæi, Scythæ. sed Indos hic pro Iudæis habent vnanimi consensu Florus 426, 5: & Sueton. in Aug. cap. 21. V. 23, in nominibus istis, Claudius Tiberius Nero, anastrophe est infra quoq; 532, 24: itemq; supra 493, 44, Menenius Agrippa Lanatus: & 492, 12, Tarquinius Sextus: & 66, 17, ex Liuio, Manlius Cnæus. itemq; apud Iuliũ Capitolinũ bis terue Antoninus Marcus. In his enim prænomina Tiberius, Agrippa, Sextus, Cnæus, Marcus, natura ordine debebant præcedere. V. 25, obtinebat veteris libri scriptura est: sed recentiori manu pro eo repositum abnuebat, vt infra in Epitome 532, 32: & apud Sueton. in Tiberio cap. 24. V. 28, adhuc, pro adhoc seu adhæc, id est præterea, vsurpatur etiam infra sæpius. Sequenti v. hæc ipsa particula redundat. Eodem v. nota flagitiis obtentui, vt apud Tacitum historia Augusta l. 2, obtentui fugientibus; pro, ad obtegenda flagitia: quod clarius exponit Suetonius in Tiberio cap. 42. V. 30, m. s. solitis. sed solutis legendum esse, ostendit Epitome 532, 38: & Sueton. in Tib. cap. 41. V. 31, Oliuarius legit inter exordia; vt infra in Alexandro Seuero 519, 3. V. 32, Sch. mauult, quæ Tacfarinate duce pass. ex Taciti Annal. 2 & 3. V. 33, de prætorianorum & ceterorum militum diuisione, vise quæ Schottus adnotat ex Dionis lib. 57, & Suetonii Aug. cap. 49. V. 39, ante Drusus Sch. inserendum existimat paterno. qua de re vise Suetonium initio Caligulæ. V. 44, & sui & suis legi posse notat Sch. V. 48, immania naturæ, Græco more vsurpatum pro naturæ immanitatem. V. 50, Schot. adnotat dubiam esse veteris libri scripturam, nec satis parere veteris ne scriptum sit, an recens. Petrus Pithœus legendum censet deteri: & mox inter patres. de qua scriptura disceptatur etiam apud Suet. in Aug. cap. 12. V. 51, rectius cum Sch. legemus prædicauit. Seq. v. pro nullius congruentius fortasse legas nullis, vel nulli vsquam. V. 55, pro ex thoro Epitome infra 532, 46, habet e choro.

P. 511, v. 1, Sch. mauult, specie in Britanniam transgrediendi. De Germanica expeditione Caligulæ meminit etiam Sueton. cap. 43: & de conchарum lectione, cap. 46. V. 5, Nympharum lumina, seu Νυμφῶν ὄμματα, Schottus esse putat eos pisces quos veteres Latini ocellatos dixerunt, quasi Nympharum ocellis insignitos. Ibidem mox congruentius legeris, dominum se dici, vel dominus dici. V. 11, rectius cum Schotto legemus, vnus ortus Epiri. Ortus Epiri autem ita vsurpatum vt infra in Se[...] ortus Mediæ, & in Alexandro ortus [...]riæ, pro ortus in Epiro, in Me[...] in Syria. V. 12, m. s. expresse Titum Claudium. sed Tiberium aliquoties vocant Augusti epistolæ in Claudii vita, cap. 4: & Suetonius ipse capite 2. V. 15, m. s. patri Neronis: perperam. Neronem vero Claudii patruum, vocat Tiberium Cæsarem: quippe qui gentilitatis ratione dictus est Tiberius Claudius Nero. V. 15, m. s. præcipué, aduerbialiter. Schotto magis probatur nomen præcipuæ. V. 45. obscuras esse m. s. litteras, notat Schottus, nec satis cerni collubentés ne an cohibentes scriptum sit. Oliuarius mauult conniuentes: Schottus etiam colludentes legi posse censet. V. 48, Oliu. legendum putat, apud Imperatorem virum, viro quam Imperatori nuptam esse: subaudito scilicet Græca consuetudine aduerbio potius. sic certe Epitome infra, 533, 13, vt magis videretur sub Imperatore, viro quam Imperatori nupta esse. V. 55, m. s. expresse habet quinquagesimo: at Epitome 533, 22, quingentesimo. apud ceteros etiam scriptores discrepantiam esse in annorum numero, testatur Cornelius Tacitus Annali 6; vbi post longum seculorum ambitum phœnicem in Ægyptum venisse scribit, Paullo Fabio, L. Vitellio consS. qui tamen a Cassiodoro & Panuinio sub Tiberio ponuntur, anno v. c. 787. vise & Plinium, Melam, Solinum. Ibidem mox pro Arabis Epitome habet Arabia.

P. 512, v. 1, terrum quia parum huc facit, Sch. suspicatur legendum ceterum. vise Suet. in Claudio, capite penultimo. V. 15, Epitome 533, 36, habet palam conuocato senatu: maioris emphaseos gratia. Seq. v. fortasse legendum, cunctis festa sollemni more celebrantibus: vt Suetonius cap. 28, dicit, per sollemne nuptiarum celeberrimo officio. vel, de more celebr. V. 17, inclusa, Schotto videntur per glossema esse intrusa. Sed legi etiam posset, inter ea quæ narrantur scelera Neronis. V. 18, transpositione clarior reddetur lectio, sic, noxiorum modo vinctis: vel sic, noxiorũ vinctis, modo feræ, pelle tectus: vel, noxiorum vinctis, modo lusus, pelle tectus feræ. Sed prima lectio magis consonat cum Epitoma, & cum Suetonio, qui ad stipitem deligatos, non tamen sontes fuisse scribit: vt Sch. not. V. 19, Petr. Pantinus putat legi posse, exsector marium. sed retineri tamen & exemplaris scriptura potest. V. 22, Sch. legendum censet verecundiæ externæ: Oliuarius paullo maiori mutatione, inuaserint vitia nequã, verecundiæ externæ societate immanius datur peccandi consuetudo. V. 25, cum accus. mariti exitium, subaudienda ex antecedentib. præpositio ad. V. 42, malim hodieque locus. Suet. initio Galbæ, vt hodie quoq; ea villa ad gallinas vocetur. P. Victor villam ad gallinas albas subiungit decem tabernis, in sexta regione, alta semita. V. 51, vulg. Siluius Otho. sed Saluius vocatur in marmorib. & nummis antiquis: itemq; a Panuinio in Fastis. Ibidem mox structura ordo est, haud multo grandior fine adolescentiæ, id est, haud multum adolescentiæ fines egressus.

P. 513, v. 3, fortasse melius hortatum venerant. V. 16, pro septuaginta & quinq; Sueton. & Tacitus habent quinquaginta & septem. V. 19, pro modica Epitome 534, 21, habet immodica: minus recte. V. 53, Epitome 535, 24, deductos in spe-

ctaculum secum, vtrimq; assidere iuss. *nec multo aliter Suet. Tito, cap. 9.*

P. 514, v. 2, congruentior adstructuram lectio est. post biennium ac menses fere nouem. V. *13, cum* Germanici *subaudiendus e sequenti membro ablatiuus* nomine. *sensus enim est, Germanici nomine superiorem mensem, Septembrem scilicet, appellauerat: vt luculentius in Domitiano declarat Suet. cap. 13.* V. *15, Torrentius e Suet. cap. 3, legit,* stylisq; ridicule, remotis omnibus, muscarũ agmina perseq. V. *43,* pileatos *Xiphilinus ex Dione vocat* πιλοφόρους, *vt not. Sch. Idem mox pro* Sacisque *putat e Dione reponendum* Iazygisque. *Rursus pro suspectis hoc loco Sardoniis dubitat sit ne legendum* Dardaniis *seu* Dardanis, *an* Sauromatis *seu* Sarmatis. *Cassiodorus 609, 44, Sauromatas nominat inter gentes a Traiano in amicitiam receptas.* Chosdroem *v. 46, Suidas* Χοσρόην *vocat, sine d.* V. *48, pro* capta *legendum potius* cœpta. V. *53, m. s.* profecto. *sed* præfecto *legendum esse, ostendit Sch. ex Ammiani l. 19. extremo.*

P. 515, v. 1, pro Saburano *substituendus fortasse* Suranus, *qui a Panuinio bis consul ponitur; at* L. Licinius Sura, *ter. Schottus commation hoc per glossema intrusum esse putat.* V. *7, mutilus est locus. fortasse talis quæpiam requiritur lectio;* quum terræmotu graui apud Antiochiam ceteraque Syriæ, bona Asiæ parte concussa, reliqua bellorum calamitatibus extremis afficeretur. V. *16,* Athenæum *in m. s. fugientibus literis vix agnoscitur. meminit eius etiam Lampridius in Seuero, & Capitolinus in Pertinace atque Gordiano:* V. *17, rectius cum Sch. leg.* quæ Eleusinia dicuntur. V. *19,* L. Ælii Cæsaris *ab Adriano adoptati, mentio est etiam in Panuinii fastis, qui ante adoptionẽ* L. Cæionium Commodum Verum *appellatum fuisse scribit. In Schotti m. s. nunc* Elius *est, nunc* Helius. *Sed Ælium per diphthongum æ, probat etiam apud Suidam* Αἴλιος Ἀδριανός. V. *31, nota* Cæsarem iubet, *pro* Cæsarem renunriat, Cæsarem dicit: *vt infra 524, 29: & 527, 12. quamquam structura lex hic potius legendum dictat,* Cæsarem appellari iubet. V. *40, conditionem illam,* si regna sapientiæ sint, *Cicero ex Platone plenius ac luculentius sic effert,* si aut docti ac sapientes homines resp. regere cœpissent, aut qui regerent, omne suum studiũ in doctrina ac sapientia collocassent. *quam sententiã etiam Antonino philosopho tribuit Capitolinus.* V. *42, malim,* triumphorum esse expertem. V. *44, cum gen.* istius ostentandi sui, *subauditur* caussa, gratia: *vt alibi quoq; passim, cum apud historicos, tum apud iurisconss.* V. *46, de Boionii nomine dubitant hic nonnulli, ac Pii potius id quam Philosophi esse censent; sicut scilicet Epitome 537, 46; & Eutropius 581, 12, Boionium Pium nominant: præsertim cum & Capitolinus illum vocet T. Aurelium Fuluium Boionium Antoninum Pium; hunc, M. Annium Verum Antoninum. sed ferri Boionii nomen etiam hic potest propter adoptionem; quia Philosophus a Pio adoptatus, nomen eius sumpsit.* V. *50, Sch. mauult,* in Campaniam secedens. *Ibidem mox* amœna litorum *dictũ more Græco.* V. *52, Epitome quoq; 538, 8, habet* apud Lorios: *Eutropius vero & Cassiodorus,* apud Lorium.

P. 516, v. 7, fortasse leg. philosophorum turba circumfunderetur, obtestantiũ ne se exped. *qua de re vise Vulcatium Gallicanum in Auidio Cassio.* V. *11, Sch. ambigit vtrum leg.* sollemni more denuntiandæ litis; *an,* sollemni more remoto, denunt. litis. V. *16, legendum videtur* regi Marcomanorum. Carnurum *quod sequitur, alibi* Carnuntum *nominatur, addito n. Nationes autẽ intelligendæ sunt Quadi, Vandali, Sueui, Sarmatæ.* V. *19, N. c. Fab. legit* quę seiunctim aliis: *quia scilicet in antithesi est* soli omnia. V. *26, Lipsius Saturn. l. 2, c. 19, legit,* ipse ferro obrecto veronib. plumbeis vteretur. *Oliuarii & Fabri coniecturæ apud Schottum, minus videntur* εὔστοχοι. V. *28, Sch. legendũ putat* peruigens *aut* perurgens. *sed non minus aptũ fortassis* perfidens *seu* præfidens. V. *33, Sch. leg. censet,* coniurauere ire in eum: *& mox,* maxime proximi; *vel* maxime proximus quisq;. *vt scilicet id quod sequitur, parenthesis epiphonematica sit,* Dominationi adeo fidus nemo. *Seq. v. idem leg. putat,* dum incertã mentem pronamq; putant. V. *35, Sch. leg. exist.* cuius frustratu: *vel* cuius vis frustrata. *& mox* tandẽ *pro* tamen. V. *38, pro* pacchiorum *Oliuarius legit* brachiorum: *Sch.* fasciarum. V. *39,* primo luci, *pro* prima luce, *legitur etiam apud Plaut. & Terent. vt prolixius idẽ Sch. docet.* V. *41,* A. Heluius Pertinax *a Panuinio in Fastis dicitur* P. Heluius: *itemq; apud Iuliũ Capitolinum in Erasmi editione; in Egnatii vero edit.* P. Ælius; *quam scripturam probat Lipsius Elect. lib. 1, c. 30.* V. *46, in Panuinii Fastis non dubitatiue alterutrum Iuliani nomen ponitur, sed vtrumq; coniunctim exprimitur, sic,* Imp. Cæs. M. Didius Saluius M. F. Commodus Seuerus Iulianus. V. *53, vt Seuerus* Syriæ legatus *hic dicitur, ita in Iuliano Spartiani, Erasmi editio habet,* Pescennius Niger in Illyrico, Septimius Seuerus in Syria. *atque adeo cum hic apud Victorem mox sequatur,* in extremis terris bellum gerebat, *Seuerus aut Syriæ aut Britanniæ, remotioribus scilicet prouinciis, præfuisse videtur. Sed, si diligentius excutiamus, inueniemus in Spartiani verbis modo citatis vitiosam a librariis factam esse transpositionem, & cum Egnatio legendum,* Pescennius Niger in Syria, Septimius Seuerus in Illyrico. *sic enim non modo Xiphilinus & Herodianus Nigrum Syriæ, Seuerum Pannoniis atq; Illyrico, Albinum Britanniæ præfuisse tradunt; sed ipse etiam Spartianus in Seueri vita, Seuerum a Germanicis legionib. apud Carnuntum Imperatorem appellatũ narrat. Nec repugnat quod sequitur,* in extremis terris. *Herodianus enim diserte scribit, Seuerum omnib. legionib. quæ per Germaniam & Pannonias Rheni atq; Istri ripis ad arcendas barbarorũ incursiones erant impositæ, ducem præfuisse. & noster hic pag. seq. v. 29, Rheno Danubioq; Romanum imperium ad septemtrionem definitũ fuisse docet.* V. *55, m. s.* prome: *Schotti lectionem,* Romæ, *probat etiam Spartianus.*

P. 517, v. 6, pro actorib. *potest etiam legi* auctoribus: *vt notat Sch.* V. *10, m. s.* quo fato: *& mox* parte *pro* partu: *sensu plane luxato. Ibidem mox Schottus mauult* eduxit. *Seq. etiam v. aptius fortasse legerimus,* ad cella [illegible] euehit. *Eodem v. pro* qui *rectius cum Sch. legemus* quem. [illegible] *m. s.* struentes.

ſtruentes.*ſed cum Sch.vel* adſtruentes *legendum, vel* ſtatuentes. V.*21, Sch. conuenientius eſſe putat* parcimoniam ſenilem. V.*26, Sch. l.* ſtudio ſusceptas: *& mox* increpent *accipit pro* imputēt. V.*30,inter* animos *&* intelligebat, *omiſſum a librario* procliues, pronos, *aut verbum* inclinari, propendere: *vel pro* intelligebat *legendum cum Sch.* intendebat. V.*33, qui* Agarrus *hic, a Spartiano vocatur* Abagarus. Agbarus *ſeu* Abgarus *apud Suidam alius eſt.* V.*36, Oliuarius mauult,* quoad vtilis erat: *Schottus,* quæ adeo vtilis erat. V.*39,* ea: *ſed conuenientius* eo. *mox etiam cōgruentius comparatiuo gradu legemus,* quo implacabilior delictis. V.*41, m.ſ.* aut etiam perfectionem. *ſed vel* præfectorum *cum Sch. legendum, vel per factionem.* *Seq.v.* liberalium *ſubſtantiue poſitum pro diſciplinarum ſeu artium liberalium.* V.*47, Oliuarius* vitia *intelligit corporis, pedum ſcilicet atq; articulorum: de quibus meminit etiam Spart.* V.*51, pro* tantorum *Oliu. mauult* factorum. V.*53, de iſto loquendi genere,* annis tegni duodeuiginti, *dictum ſupra, ad 510, 7. Seq. v. Oliuarius ex Lampridio legit,* ortus enim ex humili: *Nic.Faber,* ortus familia humili; *vel,* ortus in æde humili.

P.518, v.5, ex Ælio Spart. legendū, quem adeo percoluerat. *V.8, Sch. dubitat an legendū ſit* dein deliberantibus: *& mox,* earum quæ adiutores memoriæ ſunt. V.*14, ſunt qui legant* deſtinādæ: *aut* orationem *ſubaudiunt. Sch. mauult,* dictādo orationē quam celerrime componeret. V.*19,* adiiciens *accipiendū pro adaugens: vel legendum* adiens: *inquit Sch.* V.*21, in Euſebiano etiā Chronico m.ſ. codex habet,* Caracallæ ex eius nomine Antonianæ ſunt dictæ. *ſed ſine dubio vtrobiq; legendum* Antoninianæ. *Ibidem mox* Alamannos *ſeu* Alamanos *per a in ſecunda ſyllaba ſcribunt etiam Euſebii membranæ: itemq; apud Suidam in Iuliano apoſtata eſt* Ἀλαμανικὸν ἔθνος. V.*26, malim,* pudorem vna cum velamento exuerat. *alludit autem ad illud apud Herod. pag 3,* ἅμα κιθῶνι ἐκδυομένῳ συνεκδύεται & τὴν αἰδῶ γυνή, cū tunica pudorem quoq; ſimul exuit mulier. V.*44, malet fortaſſe aliquis* libidinum ferarum. *Oliuarius legendum cenſet,* fingendis tractandisq; artib. libidinū non ferendarum: (*vt Lamprid.* coegit ſcriptores nonnullos nefanda, immo potius non ferenda eius dicta de libidine diſputare) *at Petrus Pithœus,* viſendis tractandisq; artubus(*aut* partib.) libidinum fœdarum: *vt de Nerone ſupra 512, 18,* vtriq; ſexui genitalia vultu contrectabat. V.*45,* nobilitas *pro* Senatus: *is enim patriciorū erat. Pro* Opilii *m.ſ. perperam habet* Pompilii. V.*49,* Xerxem *vocat etiā Eutropius, Caſſiodorus, Iornandes: necnon Oroſius lib.7, c.18: at Lampridius cum Herodiano* Artaxerxem. V.*52, Oliuarius legit,* nam dum tantæ ſ. V.*54, m.ſ. habet* Sicilia. *Schottus cum Lampridio malit* Sicila. *Ibidem mox pro* celebrio *Oliuarius legit* Serapium; *vel* Iſium & Serapium: *quorum vtrumq; a Lampridio inter Alexandri opera memoratur.*

P.519, v.4, cum Sch. legendum æqui ſtudioſos: *vel expungenda coniunctio* atq;. V.*10,* barbariæ, *pro ſoli barbarici exſtare Græco more poteſt. ſunt tamen qui malint* barbari multi. *Ibidem mox legunt quidam,* ſparſa confuſaque omnia. *Seq. v.* quiq; *accipiunt pro vnusquisq;. Iidem mox v.12, priuatiue legunt* inſcientia. V.*16, ſunt qui legant* Triballicæ: *Sch. ſcribi poſſe cenſet,* Triballis Iſauriæ: *Nic.Faber,* rei bellicæ. V.*22, rectius* Thyſdri; *vel etiā* Tysdri, Tusdri, Tiſdri. *varie namq; ſcribi hoc nomen, docet Ortelius.* V.*22, m.ſ. corrupte,* qua imita. *vnde quidam legunt* inita, *propter perfidiam Punicam: Schottus mauult* linita; *antique ſcilicet pro* lenita. V.*27,* liberum *ſingulari numero pro filio vſurpat etiam Epitome in Nerua, 536,37: itemq; iuris ciuilis principes Vlpianus, Modeſtinus, alii. Et* coniectu *ibidem more antiquo vſurpatum pro coniectura.* V.*30, forſan rectius* iudices: *latiori videlicet ſignif. pro* magiſtratus, *vt alibi non raro.* V.*35,* poteſtatum vices *appellat principum vicarios ſeu legatos. Ibidem mox pro* Clodio Cupieno *apud Iulium Capitolinum eſt* Maximus Pupienus: *in Schotti nummo antiquo vocatur* M. Clodius Pupienus Maximus. *Præterea quia in alio nummo eſt* IMP. CAES. D. CAEL. BALBINVS AVG. *propterea idem Sch. hic mauult* Cælium Balbinum. V.*37, de Gordiani filio diſſentire Victorem a ceteris hiſtoricis, docent Sch. N.* V.*43, m.ſ.* aquilæ obſidione: *perperam: vt ex ceteris hiſtoricis clarum eſt. Sic ver. 54, idem m. ſ. perperam habet* centeſimo conſule.

P. 520, v.3, ſolutio *accipienda hic pro diſſolutione,* κατάλυσις. V. *4, Schottus mauult,* quod fruſtra tum iri: *diuiſo ſcilicet participio* fruſtratum. *Contra idem ſequenti verſu coniuncte & ὑφ' ἓν legendum cenſet* pro-merito; *vt pro-conſule, pro-prætore; intelligitque puerum meritorium.* V. *20,* ora *pro facie ſeu capite vſurpat etiam Capitolinus & alii.* V. *29, Schottus pro* parum *mauult* paruum. V. *31, Gallum Hoſtilianumque vnum & eumdem facit Eutropius, 583,45.* V.*39, Schottus coniicit legendum* bienium præfuit: *ſed fortaſſe non minus apte legerimus* biennium ſuffecit. *Idem Schottus ſequenti verſu legit,* cum eum proceres. *Ibidem paulo ante, epitome habet* quatuor menſes; *m.ſ.* tres. V. *46, impreſſi libri,* adulta ætate: *nihil ad rem.* V.*53,* Ingebum *Eutropius cum Trebellio Pollione vocat* Ingenuum. *Ibidem mox m. ſ. habet* Pannonos. *ſed vel* Pannonios *legendum, vel* Pannonas. V.*55,* Regallianum *Eutropius nominat* Trebellianum; *alii* Regillianum; *cuius nominis rationem reddit Treb. Poll. 258, 8.*

P. 521, v.3, Sch. mauult pergreſſi, *id eſt peruagati.* V.*5, legi poteſt* Alamanorum vis. *Oliuarius ſic locum legit;* Alemanorum tunc equi Italiam; Francorum gentes, direpta Gallia, Hiſpaniam poſſiderent. *qua de re viſe & Eutrop. 584,5.* V.*7, m.ſ.* perſin vſq;. *vnde Oliu. legendum coniicit,* perſinus vſque Africam permearent. *Schottus Fabri lectionem ſequi maluit.* V. *9, inſolens ſtructura genus. communis loquendi mos poſtulat vel,* Romæ peſtilentia graſſabatur; *vel* Romam peſtilentia populabatur, *ſeu* vaſtabat. V. *11, Schottus pro* vinariorum *putat aptius fortaſſe legi poſſe* mimorum: *vt apud Trebell. Poll. in Salonino,* cum lenonibus, mimis, ſcurris vixiſſe. *Douza* vinariorum *retinet & ex-*

plicat Plautinarum explan. pag. 439. V. 12, pro Germanorum Epitome habet Marcomanorum. & quæ Pipa hic, apud Pollionem vocatur Pipara. V. 15, m. s. Leliani bello. sed rectius ex Pollione & aliis Lolliani. V. 21, pro biduo Pollio habet triduum: quia scilicet tertio die interfectus est. V. 23, m. s. hic Actitiani habet, & mox Attitianus: illic per t, hic per tt. vnde Sch. legendum existimat Atiliani; vel actuarii, ex Pollione. Eutropii m. s. codex Authorianum vocat. Iulius Aterianus in Trebellii Pollionis Victorino, idemne an diuersus sit, incertum est. V. 34, Sch. mauult persuadebat. V. 38, m. s. Aurelii pro Aureoli: perperam. Seq. etiam v. Sch. mauult cogit pro coegit. V. 44, Sch. conuenientius esse putat, quo casu. V. 46, nota intemperata nocte, pro intempesta. V. 47, pro necis ne errore, m. s. corrupte habet necis nec rore. Oliuarius dubitatiua transposita legit, auctoris necis erroréne, an quia. V. 50, Sch. sensum esse dicit hunc; qui flagitio potior est, si armis superior sit, tyrannos amotos, damno publico oppressos vocat. Seq. v. aliquanti vsurp. pro aliquot. V. 54, Sch. nequiquam mauult, cum pro frustra ponitur; sine c scilicet, aut d. M. s. diuise habet ne cuiquam: quod Oliuarius ferri posse iudicat pro nulli. Schottus existimat asseueratiue quoque legi posse, næ cuiquam.

P. 522, v. 5, sunt qui malint, dum vrbs erit: vt de Roma intelligatur. & mox quisque accipiunt pro quisquis. V. 7, Sch. leg. censet, quantum conIicitur; hoc est, hominum iudicio. V. 10, Oliu. legit, in curiam perducto. V. 18, m. s. subiungunt: minus conuenienter. V. 29, Sch. notat deesse aliquot versus de initio imperii Aureliani, & fortassis etiam de Quinctilio Claudii fratre, paucis a regno diebus interempto. V. 35, m. s. prodito ipso duce: sensu contrario. V. 39, Sch. legendum putat, post celsum (i. summum seu augustum) biennii imperium. Seq. v. idem notat legi posse honorem senatorium, adiectiue scilicet: & cooptauit accipiendum pro impetrauit. V. 39, de abolitione seu obliuione superiorum offensarum, meminit etiam Florus 421, 8: & Velleius 453, 15: ea scilicet quæ post C. Iulii Cæsaris necem est inuecta: de Atheniensium vero ἀμνηστίᾳ, Xenophon Hellenicῶν 2, Plutarchus in Politicis: item Æmilius Probus in Thrasybulo, Valer. Max. lib. 4, cap. 1: Iustin. lib. 5. V. 51, Sch. mauult sectabatur; vel potius insectabatur. Ibidem mox Oliuarius legit Mnesthei scelere, ex Flauio Vopisco; qui hunc secretorum notarium vocat Mnestheum. V. 55, omisso pro amisso positum: vt e contrario amisso, pro omisso, pag. seq. v. 30: librariorum vitio magis quam auctoris voluntate.

P. 523, v. 1, Sch. mauult dilegerent, ex Sex. Pompeio Festo. Idem mox sequens verbum conuenire, glossematicum esse censet. V. 2, pro legiones idem putat auctorem scripsisse electionem, vel legendi ius: & mox certabatur, sine præpositione. V. 4, eius vsurpatum pro suæ. Seq. v. Sch. putat legi posse, simul & dubiis. Si tamen necis antiquo more nominatiuo casu accipiamus pro nex, simulata retineri posse censet. V. 7, idem mauult, præcipue docuit; quod præpositio e perperam e præcedentis dictionis fine sit repetita. Ibidem mox vsitatius in orbis modum; vel sine præpositione, orbis modo. V. 20, pro doctorib. Sch. mauult ductoribus: & v. 24, ab exercitu; addita sc. præpos. V. 30, amisso positum pro omisso: de qua commutatione dictum ad pag. præced. v. 55. V. 37, post augusto habitu Sch. omissum putat induitur, vel simile quodpiam verbum. Seq. v. opportuna legendum esse pro aduerb. opportune, notat idem Sch. V. 39, m. s. Numeriano comitatu; errore ambiguo. legendum enim aut Numeriani comitatu; aut Numeriano comitatus. Seq. v. Sch. veretur ne auctor scripserit protenus; iuxta veterum grammaticorum regulam. V. 41, idem Parthiæ positum notat pro Persiæ seu Persarum. V. 45, m. s. perflua: quod Schotto non placet. V. 50, de domesticis meminit etiam Flauius Vopiscus, & Ammianus Marcellinus aliquoties: sed & lib. 12 Codic. Iustin. titulus est De domesticis protectoribus: Suidas οἰκιακὰς στρατιώτας vocat: teste Sch.

P. 524, v. 8, m. s. efficere: minus conuenienter. Seq. v. Sch. pro erumpentis metus, legit erumpentes motus. V. 11, ageret positum pro regeret. Seq. v. m. s. habet Marcum: Eusebii codex m. s. Margum: itidemque Cassiodorus & Iornandes: at Vopiscus Murtium: quas diuersitates ex aliis quoque scriptoribus adnotauit Ortelius. Seq. v. nota libidine impatiens, significatione caussali: quod alias frequentius dicitur impatiens libidinis. V. 14, Sch. legendum censet, nuptias affectabat: vel, multas affectabat: aut mulieres affectabatur. mox etiam quare, vel qua re, pro quarum. V. 17, structura est paulo insolentior. sensus est; patria eis Narbone; imperium biennii fuit: quod loquendi genus infra etiam legitur 526, 2. V. 26, Helianus Eutropio Ælianus est. V. 27, Bagaudas habet etiam Eutropius 585, 44: Eusebii cod. m. s. Bacaudas, itemque m. s. liber Eutropii: Orosius Vacaudas lib. 7, c. 27. Meminit Bagaudarum etiam Sigeberti Chronicon, sed post hæc tempora. Vinetus dubitat an tracta sit appellatio ab ea legione quam Cæsar alaudam vocasse dicitur. V. 29, loquendi genus istud, Imperatorem iubet, notatũ etiam supra 515, 31. V. 30, Herculeum m. s. hic per e habet: in sequentibus perpetuo Herculium, per i. Ibidem mox possessiuum Iouium positum pro genitiuo Iouii, vt supra 517, 25. V. 33, qui Corausius hic, apud Eutropium est Carausius; in Epitoma Carausio 542, 23. V. 36, m. s. habet barum. vnde Sch. colligit legendum barbarorum multos, vel, non parum multos. Ibidem mox, prædæ omnia, Græca periphrasi dictum pro prædam omnem. sic enim Græci, τὰ τῆς λείας πάντα, pro πᾶσαν τὴν λείαν. V. 18, Eutropius & Eusebius Quinquegentianos vocant quas Victor hic Quinquegentanas nationes appellat; Pomponius Lætus Gentianos. V. 4[illegible], de anastrophe ista, Nero Tiberius, supra dictum, ad 510, 23. Historiam ipsam vise apud Sueton. in Tiberio, cap. 7: & in Augusto, cap. 63. V. 45, pro miseriis haud scio an rectius legamus ministeriis. V. 48, Sch. mauult abl. casu instituto vel institutione. V. 55, rectius cum Sch. legemus moderateque, aduerb.

P. 525, v. 2, [illegible] istud, his tempestatibus, in m. s. ad sequentem [illegible]iodum refertur, non ad præcedentem. V. 13, Sch. pro postq[illegible] mauult

uult postque. V.*16, m.s.* martis formidine: *minus conuenienter.* V.*20, de frumentariis vise Cuiacium ad lib.12 Cod. titulo De agentibus in rebus; & Adr. Turnebum Aduersariorum lib.13, c.10.* V.*24, rectius sic distinxeris,* Simul annona vrbis, ac stipend. salus. V.*32, pro* in armis *Sch. leg.* inermis. *Sic v.37, idem mauult* excellentis naturæ. V.*40, Sch. ambigit an legendum sit,* priori Italia; posteriori, quæ Iouius obtinuerat, destinantur. *Sed ferri & m.s. lectio potest, per brachylogiam Græcam; cuius plenior forma & sententia est hæc; prior destinatur in Italiam; posterior in ea quæ Iouius obtinuerat. Seq. v.* Constantinus *pro Constantio ab eodem Schotto repositus ex Epitoma.* V.*44,* ad vicem *pro* vice, loco, *legitur etiam in Adriano Spartiani.* V.*45, pro* agebant *possumus etiam legere* vrgebant, *ex Epitoma.* V.*47,* retractante *positum pro* detractante.

P.526, v.7, de Cyro vise quæ Sch. e Xenoph. adnotat. V.*8, pro Constantino Constantium hic reponendum censet Nic. Faber.* V.*17, m.s.* Rufius. *Schotto* Rufus *magis placuit.* V.*21, rectius cum Sch. leg.* nihilo sequius, *id est nihilo minus.* V.*24, pro* tandem *idem mauult* tamen. V.*27, nõ minus recte forsan legerimus* in transgressu Tiberis. V.*30, m.s.* numerum: *perperam. legendum enim vel* munerum *vel* numinum. V.*37,* Constantinam *Numidiæ metropolim agnoscit etiam S. Augustinus, & Carthaginensis concilii canones. sed est etiã alia Constantina, & plures Constantiæ; vt docet Thesaurus Ortelii.* V.*45, Sch. legendum censet,* illi præter modum magnificentia. *possemus etiam legere,* illi, præter admodum pauca, magna cetera. *Sed Schotti lectio ad antithesin congruit melius.* V. *48, &* veterrimum *retineri potest, &* teterrimum *pro eodem substitui.* V.*52, m.s.* refecti consortium: *corrupte.*

P.527, v.1, m.s. coaptato: *minus vsitato loquendi genere.* V.*5,* Calocerum *agnoscit etiam Eusebii chronicon m.s. at* Calocyrus *apud Georgium Cedrenum alius est.* V.*7, Schotto magis placet,* formandisque religionibus. V.*15, aptius cum eodem legemus* occœperat; *vt pag. seq. v.8. Ibidem* Achyronam *Cassiodorus & Eusebii codex m.s. vocat* Acyronem. *Ortelius etiam* Ancyronem *affert pro eodem.* V.*21, Sch. legendum censet* quas res, *præbitiones scilicet. Per* superiores *idem intelligit Tripolitanos; per Tripolitanorum vero ciuem, Seuerum Lepti oriundum. Sed addit, legi etiam posse,* quorum superiores. *Idem mox veram lectionem esse putat,* gratiã muneris. *Mox pro* Boionio *quidam malunt* Ceionium: *de qua lectione dictum supra, 515, 46.* V.*22, de Hipparcho astrologo vise Notas Schotti. Seq. v. idem legit* seuerius repressæ. *Ibidem quod sequitur de parum dignis ad remp. admissis, Epitoma Constantii tribuit, non Constantino patri, 544, 20: vt not. idem Sch.* V.*38, qui* Vetranio *hic & in Chronico Eusebii, Eutropio & Ammiano est* Veteranio. V.*47, m.s.* restare: *parum apte.* V.*50, pro* Potentiano *Epitome habet* Nepotianum: *itidemq; Eutropius, Eusebius, alii.* V.*54, m.s.* Magnianis: *perperam.*

P.528, v.10, præpositio ad *videtur expungenda: vel retenta, pro* meruerat *legendum* peruenerat. *Pag. præcedent. v.9, est,* per Illyrios peditum magisterio milites curaret. V.*17, ante commation istud,* & consilio, *deest* auspicio, *vel simile quodpiam nomen. Sic v.20 plenius & dilucidius legemus,* modo externis motibus, modo ciuilibus. V.*22, locus postulat* dedecore: *nisi aliter interpungas: inquit Sch. Seq. v. pro* restituisse *idem legendum censet* præstitisse; *vel,* restituendo. V. *30, antithesin illustriorem fieri Schottus putat, si pro* clarius *legamus* præclarius.

IN AVRELII VICTORIS EPITOMEN.

P.531, v.1, inscriptionem vulg. retinuit Schottus: sed e Petri Pithœi m.s. codice adnotat hanc; Incipit libellus De vita & moribus Imperatorum; breuiatus ex libris Sex. Aur. Victor. a Cæsare Augusto vsque ad Theodosium. *a qua non multum variat Floriacensis codex Petri Danielis; nisi quod pro abbreuiato* Victor. *integre scriptum habet* Victorini: *quomodo etiam Elgaldus Floriacensis monachus in vita Roberti regis nominat, bibliotheca sua librum religiose secutus. Sed & Cuiacii liber vetustiss. diserte præfert* SEX. AVR. VICTORINI. *Apud Paulum Diaconum, vbi auctoris huius de Cotiis & Apenninis Alpib. citatur testimonium, alii libri Victorem, alii Victorinum appellant, lib.2 De gestis Langbardorum; vbi scribit;* Sunt qui Alpes Cotias & Apenninas vnam dicant esse prouinciam. sed hos Victoris reuincit historia; quæ Alpes Cotias per se prouinciam appellat. *qui locus in Schotti Victore legitur supra 512, 9 vnde idem Schottus suspicatur, fieri potuisse vt racemator qui hanc Epitomen ex Victore atq; aliis confecit, Victorinum se appellarit, vocabulo a primi auctoris nomine deflexo. Iosephi Cassiani liber mẽbraneus, quo Vinetus est vsus, titulum non habet.* V.*11, Pithœi liber vet.* septingentesimo fere vicesimoque 11, etiam mos Romæ incessit. V.*13, Augustana editio Laur. Abstemii, habet* seueriori nomine. *Schottus* sanctiori *cum vulg. lib. probat, ex Suet. Aug. cap.8. Cassiani codex hæc non habet. sic enim incipit;* OCTAVIANVS patre Octauio senatore genitus. V.*16, vet. lib. pro* Iuliam *habet* Iulam. V.*17,* maioris auunculi *legitur etiam apud Suetonium. sed Vinetus & Schottus malunt* magni auunculi; *vt apud Victorem est supra 510, 9.* V. *20, Sch. locum perturbatum esse notat; atque ex Suet. cap.18 sic legendum existimat,* in prouinciæ formam redactam, vt annonæ vrbis copiosam efficeret. V.*24, Floriacensis codex & vulg. libri* Rhetos *habent, vt* Rhenum, *per e longum: at* Rhætos *Stephanus Byz. per diphthongum æ seu αι. Ibidem mox vet. librorum alii,* prouinciarum numero populo Rom. coniunxit: *alii,* prouincias numero pop. *qua de re vise Suet. cap.21.* V.*25,* verbum deleuit, *abest ab Aug. editione: nec male. siquidem & Suetonius cap.21, refert Sueuos Sicambrosq; deditos, in Galliam esse traductos, atq; in proximis Rheno agris collocatos: vt not. Schottus.* Sucambros *porro alii libri* Sicambros *vocat, alii* Sycambros; *Græci plerumq;* Συγάμβρους. *Ibidem mox m.ss.* stipendiarios adiecit, *accus. casu:* V.*27, m.ss.* creandique reges. V.*28, pro* ad hunc

q. c. habent ad hæc, id est præterea. In seq. periodo pro namque iidem habent denique: & indixerit pro intulerit. V. 33, q. c. quod commode gereretur. V. 34, Veronensis liber, emolomenti spe. Sunt qui putent etiam legi posse, maioris molimenti caussa: vt apud Iust. V. 38, cæsus abest a m. ss. Ibidem mox q. ed. in tantum accidisse perdoluit. Rursus ibidem q. m. ss. valido incursu. V. 42, dissentit aliquantum a Suetonio, qui cap. 66 Augustum desiderasse scribit & M. Agrippæ patientiam, & Mæcenatis taciturnitatem: vt Sch. & Vin. adnotant. De Agrippæ impatientia innuit & Velleius supra 462, 26. V. 45, nullus, abest a Vin. m. s. qui & seq. v. dictaret habet pro declamaret: quamuis idipsum verbum sit etiam apud Suetonium. V. 49, q. l. gratus, ciuilis, animi lepidi. Schottus secutus est m. ss. cod. V. 50, Flor. cod. acies, plur. num. Ibidem mox Veron. lib. ab intuentibus. V. 51, oculos non habent libri editi: Gryphii editio pro ea voce habet relatiuum se. V. 53, pro vir tantus in Aug. ed. est virtus. Seq. v. pro leuiter quidam l. h. leniter: rectius. V. 55, q. c. cupidissimus: studiosus aleæ lusor.

P. 532, v. 1, vulg. vini multi. sed rectius m. ss. multum: referendum enim ad sequens participiũ abstinens: vt cognoscere est ex Suet. cap. 76, & 77. V. 2, vulgaris abest a Veron. Si retineatur, sensus est, ita vt & vulgari fama id probrum decantaretur. Ibidem mox Sch. mallet inter sex catamitos: quia Sueton. cap. 70, in δωδεκαθέῳ eius cœna conuiuas partim deorum, partim dearum habitu discubuisse scribit. Pro Catamitis autem sunt qui catamisthos malint: vt sint qui mercede pudicitiam prosternunt. Seq. v. m. ss. accubare pro accumbere. V. 4, Veron. cui Liuiæ. de filiis autem his Suet. cap. 62 & 63. V. 5, luxuriam pro libidine, familiare sequioris æui esse vocabulum, prolixius docent notæ Sch. V. 7, in trib. m. ss. post verba ista, pro eo quod, relictum est spatium vacuum; forsan quod de caussæ veritate dubitarent. qua de re plura Schotti notæ. Veron. liber habet; quod tres libellos de arte amãdi ediderat, quodque esset læti animi vel amœni, in exsilium misit. & mox, Oblectabatur omnium generum spectaculis. V. 14, pro decorandum Aug. ed. honorandum. V. 16, votum istud de Augusto non refert Suetonius: de Seuero Imp. id fuisse iudicium senatus, tradit in eius vita Ælius Spartianus. V. 20, m. s. & Ver. felicitate eius, abl. casu: & mox, salus pop. V. 25, q. c. annis X X I I I I. sed & Pithœi liber X X I I I habet, & Suetonius quoque cap. 73, Tiberium obiisse ait anno imperii tertio & vigesimo. V. 28, multa, e m. ss. additum est. V. 33, Veron. bonos quoque. V. 35, q. c. incidere pro incessere. V. 37, Maraboduum, pleriq; libri apud Suet. & Tacitum vocant Maroboduum, per o in secunda syllaba: hoc loco quidã Marabodum habent, quidam Marobodum, detracto altero u. Merobaudes eiusdem ne an diuersæ sit originis, incertum est. V. 38, noxios non habent m. ss. nec item nouus Schotti Victor 510, 28. Veronensis interiecta copula habet, insontes & noxios. Ibidem mox pro resolutis Schotti Victor habet solutis: Aug. editio relictis. V. 40, quo ætatis anno decesserit Tiberius, discrepant scriptorum sententiæ; vt prolixe docent notæ Schotti. Pithœi liber habet L X X X annum. V. 42, m. ss. & Veron. iste, filius fuit Germanici: & quia natus in exerc. Iidem mox, id est Caligula; nom. casu. V. 46, q. c. e thoro: Cuiacii liber sine præpositione habet choro. Veron. locum sic edit; induens se habitu deorum suorum, Iouem, ob incestum; choro bacchantiũ, Liberum se asseruit. vt choro caussali signif. positum, significet propter chorum. V. 50, capiti non habent m. ss. V. 51, Leuinus Torrentius legendum putat, ad Puteolanas moles. Seq. v. vulg. l. insignisque ærea corona. sed quercea legi rectius, docent N. Sch. & confirmant quæ a Sigonio traduntur supra 324, 19. V. 53, Veron. curuli iugo decucurrit.

P. 533, v. 1, pro Tiberius tres m. ss. habent Titus: & mox duo impressi Decimi pro Drusi: perperam. V. 2, m. ss. exterminare, act. forma: & mox latere repertus. Ibidem mox coniunctionem E T redundare in m. ss. libris, atq; adeo abesse posse, si commode interpungatur, adnotat Sch. V. 7, vulg. Mauri prouinciis a Cæsare pulsi. Schottus Cuiacii m. s. & Veron. ed. secutus est. Ibidem mox Cuiacii liber habet Musulaniorum, Veron. Vsulaniorum, Aug. insulanorum. de qua gente supra quoq; 425, 6. V. 8, m. ss. introducta. Ibidem inclusa, clam, mox, a vet. libris abesse, atque adeo historiæ repugnare, notat Schottus. Iidem l. seq. v. adulteris habent, non adulteriis, vt vulg. V. 12, eius, abest a q. ed. V. 13, q. l. sub imperatore vir, quam Imperatori nupta esse. alii, ipsa imperare viro, quam Imperatori nupta esse. Supra Schottus in Victore suo, 511, 48, legendum putat, apud Imperatorem virum, viro quam Imperatori nuptam esse. V. 14, potestatem summam habent m. ss. & Veron. V. 15, m. ss. omnes Possidonio: Veron. Possideoni: alii Possidio: Aug. Possidæ post triumphum, absque eunucho. Sueton. cap. 28, Posidem spadonem vocat: & Iuuenalis Satyra 14, Vt spado vincebat Capitolia nostra Posides. Ab eodem Poside siue Posidio, dictæ sunt aquæ Posidianæ in Baiano sinu, apud Plin. lib. 30, c. 2: vt Sch. adnotat. V. 17, m. ss. Polybium: ad quem hodieq; exstat Senecæ consolatio in morte fratris. V. 19, vulg. diues: sed plur. num. diuites habet præter m. ss. etiam Veron. ed. Ibidem mox caussante positum pro incusante: vt declarat Sueton. cap. 28, cum ait, querente eo quondam de fisci exiguitate. V. 22, Pith. & Cuiacii cod. ex Arabis: at Floriacensis, ex Arabum memoratis locis. Seq. v. Sch. pro hic mauult hinc. V. 28, m. ss. Ahenobarbo, cum adspiratione: itemq; nummi & lapides antiqui. V. 38, Sabinam cognomento Poppææ per anastrophen auctor dixit pro Poppæam cognomento Sabinam; vt ex Suetonio & Cornelio Tacito manifestum est. V. 39, rectius tres m. ss. & Veron. ed. Galba Hispaniæ proconsul, & C. Iulius. V. 41, de solemni more supplicii huius vise & Suet. cap. 49, & Notas Sch. V. 43, m. ss. Faone, per f: itemq; mox Epafrodito Neofytoque. V. 44, Ne[illegible] quibusq; libris & scriptis & impressis abest. Sic S[illegible]ro seq. v. Immo totum istud comma, eunucho Sporo, expu[illegible]sse, prolixius

prolixius docent Schotti Notæ. V. *48, q. c.* construendi monumenti; *eodem numero & casu.* V. *52, Pithœi liber,* Sulpiciorum gente. V. *54, vulg.* Iunii: *sed m. ss. omnes* Vinnii, *& quidem gemino nn. A Plutarcho & vetustis marmoribus* T. Vinium *dici, notat Sch. Sequentem* Icelium *quidam libri* Icelum *vocant, quidam* Cœlium: *vt Vinetus notat. Ibidem q. ed.* inter *pro* intra: *minus recte.*

P. 534, v. 5, q. l. Siluius Otho. *sed Saluium vocant etiam Fasti Panuinii, & nummi vet. Ibidem mox m. ss. & Ver.* Ferentano *pro* Ferentino: *quod opidum nonnumquam* Frentanum *quoque appellatur per syncopen: vt notat Ortelius. Seq. v. pro* quatuor *iidem libri habent* III, *id est,* tres. *Otho autem vbi superatus sit, vise Sueton. cap. 9, & Tacitum lib. 18.* V. *7, optimi quique codices & hic & apud Sueton. habent Betriacum; itidemq; Plutarchus; teste Sch.* V. *11, m. ss. & Ver.* iste tumens, crudelis: *cui lectioni patrocinatur Suet. cap. 10.* V. *12, Veron. ed.* primatus arripuit. *Seq. v. Pith. codex habet* vinctus. *scripturam vulg. tuetur quod apud Suet. est cap. 17,* religatis post terga manibus. V. *20, pro* nimii forent, *Floriacensis cod. h.* dediti forent. *Seq. v. m. ss. omnes* modica *pro* immodica: *rectius.* V. *23,* sui *abest a Floriac. & Veron. codice. apud Suetonium vero alii libri habent* sui, *alii* sibi. V. *24, Veron. ed.* monitus. *sed* motus *probat Suet. c. 13.* V. *25,* dictis *non habent m. ss. nec Ver. Ibidem mox q. c.* Licinum: *minus recte.* Mucianum *vero per c, probat etiam* Μουκιανὸς *apud Dionem.* V. *27,* lepide *abest a quibusd. ed.* V. *33, de Vespasiano quod hic narratur, Tiberio quoq; tribuitur a Velleio 471, 41.* V. *40, Cuiacii cod.* prono transgressui. *Ibidem mox m. ss. omnes,* pertunsa petra. V. *42, pro* Vologeses *apud Suet. cap. 6, in opt. libris est* Vologesus. *Ibidem mox m. ss.* in pacem, *accus. casu. Ibidem rursum m. ss. & Veron.* Syria cui Palæstina nomen est, Ciliciaque, ac Trachia & Commagene. *Apud Suetonium quoq; cap. 8, veteres libri habent* Trachiam. *vnde aliquis Tracheam Arabiam hic intelligere queat; a qua supra 519, 50, Philippus Augustus dicitur Arabs Trachonites. Sed Schottus cum Turnebo Ciliciam Tracheam intelligi mauult.* V. *45, q. c.* Mettio Pompusiano: *& mox* percrebruerat. *Ibidem* non *regnaturum Suetonius scribit, sed* genesim habere imperatoriam. V. *49, pro* aduenissent *rectius apud Suet. est* obuenissent: *& mox* decisis *pro* auditis. V. *55, q. ed.* ventris ingluuie: *parum congruenter: siquidem & Suetonius dysenteria eum periisse auctor est.*

P. 535, v. 2, vulg. Domicilla. *sed rectius* Domitilla *per t, vt* Domitius, Domitianus, *& similia: atq; adeo sic habent & libri & nummi veteres. apud Suidam quoq; sic* Δομιτία *est.* V. *4, q. ed.* contenderet. V. *7, m. ss.* paratis: *vulg. fere omnes,* priuatis asperior: *quasi a* priuato *ita dictum sit vt* a pueris. *Ibidem mox Veron.* luxuriæq; & amans victoriæ credebatur: *omisso verbo* fore. *Sunt autem hac, vt Sch. adnotat, pene ad verbum desumpta ex S[...].* V. *9, pro* immissis *&* poscerent, *Suet. habet* submissis *&* deposcerent. *Ibidem q. c.* per theatra & castris: *vt* castris *ellipticos dictum sit pro* in castris. V. *11, m. ss.* in queis: *more antiquo: &* Cæcinam, *vno n. Dictus est autem A. Licinius Cæcina: vt Sch. adn.* Cecinam *quoq; sine diphthongo in quibusd. libris inueniri, testatur Vinetus.* V. *12, m. ss.* Berenicis: *vt &* Phœnicis *interdũ pro* Phœnices. *minus recte. Dio* Βερονίκην *vocat: vnde deflexum nomen* Veronicæ. *Ibidem* iurgia *pro* iura *positum notat Sch.* V. *13, rectius m. ss. & Ver.* opinantes vocantesque. *itidemq; Suet. cap. 7.* V. *17, non minus apte cum Sch. legemus* signum prætulit. V. *19, & 20, inclusa, absunt a m. ss. Schotti. Aug. editio habet,* edicto sponte concessit. V. *24, Veron.* secum vtrumque assidere: *alii* se vtrimque assid. V. *27, Veron.* potestatem: *sing. num.* V. *31, de Vesuuii scriptura varia dictũm supra, ad 386, 40.* V. *33, m. ss. & Veron.* Quibus tamen malis, nullo vexato. *rectius. ita enim & Sueton. cap 8.* V. *42, inclusum istud commation,* vel cœpta, *abest a Ver. ed. atq; adeo abesse potest; vt notat Sch.* V. *43, pro* consumptas *Suet. habet* absumptas, *cap. 20.* V. *45, pro* viri *idem Suet. cap. 19, habet* pueri. *Ibidem mox pronomen* eius, *additum e Ver. ed. Contra, nomen* cædibus *eadem editio non agnoscit.* V. *47, Pith. cod.* dignisque: *Cuiacii & Floriac. lib.* signisque. *sed rectius cum Torrentio legemus* stylisque, *ex Suet. cap. 3. De clinopale sequ. ver. meminit & Martialis l. 14.* V. *50,* scortum *pro meritorio puero accipit Sueton. quoq; in Vitellio cap. 3: & Victor supra in Catonis vita 499, 40. idem in Philippo Augusto ad tollendam ambiguitatẽ dicit* virilis scorti vsum, *520, 6.* V. *52, vulg. l.* Normanium Appium: *Floriac.* Narbonum Lappium: *Veron.* Norbasum Lappium: *corrupte. Dio* Lucium Maximum *vocat: vt adnot. Vin. Ibidem mox vulg. l.* deterior *pro* terrior: *minus apte.*

P. 536, v. 8, pro tredecim *m. ss. omnes habent* XVI: *itidemq; Xiphilinus & Eutropius.* V. 10, *Veron.* trepidauit mente. V. *11, q. c.* delinimentum, *per i: & seq. v.* in curia, *abl. casu.* V. *16, Veron.* haud molest. V. *20, vet. lib.* egestuosis: *vt* tempestuosis. V. *21, m. ss. & vulg. pleriq; omnes,* ne accessu maliuolorum terreretur. *Sch. secutus est Vinetum. Ibidem m. ss. habent* Mauritii. *sed* Maurici *scribendum esse, trib. scilicet syllabis & per c, prolixius docet Vinetus.* V. *24,* Catulli *gemino ll hic scribendum esse, notat idem Vin.* V. *30, q. ed.* valuerit. V. *31, q. ed.* mori *pro* mortem subire. V. *33,* Stephanum *non habent m. ss. nec primitus impressi. itaq; Sch. delendum censet, aut legendũ* Petronium Secundum. V. *34, duo m. ss.* Casperi: *Veron.* Caspari: *August.* Emperio. *Casperium Ælianum agnoscit etiam Dio.* V. *35, Veron.* ad populum: *& mox,* quod pessimos nefandosque omnium. *itemque m. ss.* V. *37, iidem* cooptauit: *& mox* annis *pro* mensibus. V. *38, q. ed. ante voce, addunt* nocte. V. *39, Pith. cod.* refrigerante. *Ibidem mox m. ss.* horror corporis nimius initia febri præbuit. V. *40, m. ss. & Veron.* vt quondam Augusti honore delato, in sepulcro augusto sepultum est. *A quibusdam editis absunt hac inclusa:* V. *54, q. c.* promere.

P. 537, v. 3, pro quoniam *q. ed. hab.* quo. V. *5,*

Aug. opportune electus. V.*6, m. ff. & q. ed.* in queis præcipuum, cornicem e fastigio Capitolii Attico sermone effaram esse, καλῶς. *quidam etiam libri* affatam *habent*: & coruus *pro* cornix. *Apud Suetonium cap. vltimo, cornix dicitur, ante paucos quam Domitianus occideretur menses, in Capitolio elocuta esse,* ἔσαι πάντα καλῶς. *de qua voce ibidem citatur epigramma.* V. *9, m. ff. & Veron.* inuehi. V.*11*, proximarum *additum e m. ff. & Ver.* V.*13, Vn. cod. membr. pro* sexaginta *habet* quadraginta. V. *16, m. ff.* Italæ: *sed* Italicæ *magis probat Schottus; intelligitq. Italicam Hispaniæ oppidum; quam præter Victorem Eutropius quoq. & Cassiodorus Traiano patriam faciunt.* V. *19, vulg.* auxit; *minus vere. Ibidem q. l.* peritus non sermone tantum. V. *20, pro* medendi *Sch. mauult* numerandi *ex Spartiano. sed non minus verum fortasse* modulandi. V. *21, m. ff.* geometer: & *mox*, fictorque: *at q. ed.* fictor æmulatorque. V. *22, m. ff. & Ver.* proinde omnino ad ista & facetus, vt elegantius vmquam raro quidquam. *nonnulli etiam pro* factus *habent* effictus. V.*25, m. ff. & Ver.* passibus *pro* pedibus. V. *29, m. ff.* impetus mentis, *plur. num.* V. *31, q. ed.* regebat: *minus apte. Ibidem mox Veron. & Frob.* clementiamque simulans ardore gloriæ. V. *35, Veron.* quæ palam gestabat. *Seq. v. q. ed.* ne ex eo humani generis pernicies grauidaretur. V. *37, m. ff.* succutaneo: & *mox* dolore arduus *pro* dolore ardens. V. *43*, crebro *abest a quibusdam ed.* V. *47, q. ed.* XXII. V. *49, inclusa, absunt a Veron. ed.* V.*52. q. ed.* putarent. V.*53, q. ed.* Quinetiam Indi. V. *54, q. ed.* Bactriani: & *seq. v.* serie pulchro.

P. 538, v. 1, m. ff. aliquantum: & *seq. v.* actui publicorum minime sufficeret. V. *4, q. ed.* instigantibus. V. *7, membrum istud*, cum esset annorum septuaginta duorum, *abest a m. ff. & Ver. nec male, vt declarat Sch.* V. *8*, duodecim *pro* XXII *cur reposuerit Schottus, exponunt eius Notæ.* V. *13, Pith. & Floriac.* Marcus Aur. Antoninus. *Seq. v. iidem* publicis *rectius quam* plurimis. V. *16, Veron.* quies numquam erat: & *v. 18*, locustarum species infestæ prorsus. V. *21, vulg.* aliunde quid hominibus incognitum gignit. *Sch. m. ff. & Ver. secutus est.* V. *22, Veron.* L. Annæum Verum: *Capitolinus nunc* L. Aurelium Commodum Verum, *nunc* L. Ælium *vocat*; Aurelium, *patrio & hereditario*; Ælium *autem, adoptiuo & ab Adriano tracto nomine. Panuinius in Fastis appellat L. Ælium L. F. L. N. Verum.* V. *23, Augusi. ed.* qui Veronam inter atque Concordiam. *vulgatæ lectioni patrocinantur Eutropius, 581, 36: Cassiodorus 612, 52: Iornandes 649, 24. quin & Iulius Capitolinus Verum apud Altinum obiisse scribit.* V. *24,* ἀποπληξίη *habet etiam Eutropius & Capitolinus: at Veron. ed.* ἀποπληξία, *vt & Cassiodorus ac Iornandes; & apud Græcos Aretæus, Galenus, Paulus Ægineta, Alexander Trallianus, & alii medici. Quod vero hic & infra in Valentiniano 545, 55, apoplexia definitur ictus seu impetus sanguinis, id magis ex vulgi quam medicorum iudicio videtur fieri. vulgus enim Germanicum quoq. alii guttam, alii ictum seu cataractam vocant: medici autem pleriq. definiunt resolutionem neruorū totum corpus seu omnia corporis membra infestantem, vt plenius te docebit Henrici Stephani dictionarium medicum, in quo plures veterum definitiones proferuntur.* V. *28, & 29, inclusa, absunt a quibusd. ed. Sed* vultum *si tollamus*, murauerit accipiendum *erit signif. neutrali.* V. *30, apud Iul. Capitol. est* ministeriis similibus. V.*38, q. m. ff.* Bendobonam. *alibi* Vindobona & Vindomana *legitur; vt docet Thesaurus Ortelii. Sunt qui velint esse Viennam Istriæ seu Austriæ.* V. *39, Veron.* veste trita indutus. *Sch. verius esse putat* veste atrata. V. *41 q. ed.* pari sensu. *sed rectius m. ff. & Ver.* consensu. *Seq. v. Pith. lib.* columnæ, sacerdotes, multaque alia. V. *46, Veron.* ab ... columi vis paullatim. *Apud Capitolinum quoq. sub finem M. Antonini, locus hic non est satis integer. Inclusum* vero, *seq. v. abest a quibusd. ed.* V. *54, de Heluio siue Ælio Pertinace dictum supra, 516, 41. Ibidem mox verbum* imperauit *perperam e præcedentib. repetitum esse, notat Schottus.* V. *55, de Pertinacis cognomine aliam Capitolinus refert caussam, ipso statim initio. Ibidem mox tres m. ff. & Ver.* origine ortus sordida.

P. 539, v. 2, Sch. mauult transpositis numeris sex atque septuaginta. V. *4, m. ff.* ad summos prouectus vsque eo vt fort. *iidemq. Veron. nisi quod addit*, ad summos prouectus honores. V. *8,* χρηστόλογοι *non male scribunt accentu in antepenultima: significat enim eum qui habet* χρηστοὺς λόγους, *seu* τὸ χρηστὸν ἐν λόγοις, *verbis tantum benignum, cuius benignitas intra verba dumtaxat consistit. nam* χρηστολόγος *(accentu in penultima) significat potius eum qui de bonis seu benignis verba facit, vt* ἀστρολόγος, περατολόγος, *& similia.* V. *9, Veron.* comem *pro* communem: *sicut infra quoq. in Decio & Theodosio quidam libri* cōis *habent pro* comis: *itemq. m. f. exemplar Æmilii Probi in Miltiade pro vulg. lectione* mira comitas *habet* mira communitas. *Similiter Marcus, Alexander, & alii benigni principes, se communes præbuisse narrantur: vt Græce quoq.* κοινούς. V. *10, nomen* vocis, *additum ex m. ff. & Ver. Schottus concinnius hoc ordine locum legi posse censet*; ingeminatis plausibus ad vocis vsque defectum accl. est. V. *14, m. ff. & Ver.* Piscennius. *sed* Pescennius *per e scribitur etiam in Fastis Panuinii.* V. *25, vulg. libri duos tantum hic habent, & quidem nominib. aliquantum mutatis*, Lateranum Chilonem, & Amilinum Bassum. *quatuor cur fecerit Vinetus, Notæ ipsius docent. Idem* Cilonem *cum vet. libris & Dione scribit sine aspiratione*: & Anulinum *pro* Amilino *mauult. Præterea idem hic* Anulini *in quibusdam cod. duplici* ll *scribitur* Anullini *at infra in Diocletiano* l *simplici.* V. *27, Schottus veretur ne memoria lapsus sit auctor: quippe qui Septimio Seuero tribuat quod ab aliis adscribitur Alexandro Seuero. Inclusa, quæ sequuntur, a quibusd. ed. absunt.* V. *32, q. ed.* cruditatem passus. *Seq. v ed. pleraq. pro* LXV *habent* LXX: *qui numerus ad Spartiani historiam accedit propius; vt notat Sch... Vinetus m. f. sequi cur maluerit, apud Eutropium exponit.* V. *41, Aug. ed.* affectantium, *pro* assentantium. V. *42, Veron.* more

more Alex. *& seq. v.* impatientis libidinis. V. *44, q. ed.* Carris. *sed* Carras *accus. casu habet etiam Spartianus.* V. *47, Sch. ex Spartiano & Eutropio colligit auctorem scripsisse* fere tres & quadraginta. V. *51, Veron.* Scemea. *a Xiphilino & Herodiano dicitur* Soæmis; *a Capitolino & Lampridio* Semiamira, *ab Eutropio* Semia Syra: *teste Sch.* V. *52, inclusa, absunt a q. ed. Ibidem Heliogabalum qui scribunt, alludunt ad Graecum nomen Solis,* ἥλιος. *apud Xiphilinum tamen* Ἐλεογάβαλος *est: in nummis autem antiquis* Alagabalus *&* Elagabalus: *ad quam postremam scripturam accedit ea quae est apud Herodianum.* V. *55, m. ss. & q. ed.* nondum poterat.

P. 540, v. 4, pro Marcellum *Sch. conicit legendum* M. Aurelium: *quippe quod a Rufo, Spartiano, & Orosio, diserte Alexander hic nominetur Aurelius. sed respexit fortassis auctor ad sortis Praenestinae responsum; quod Alexandro super Heliogabali insidiis consulenti datum est his verbis;* Si qua fata aspera rumpas, Tu Marcellus eris: *vt in Alexandri vita refert Lampridius.* V. *5, m. ss.* a militib. *plur. num. Contra, v. 8, Veron. sing. num.* ex re quae acciderat. *Seq. v. Veron. & Aug.* Tractinus. *sed apud Lampridium quoq.* Tractitius *est: & ad scripturam eam accedit etiam Cuiacii liber vetus.* V. *10, vulg.* bonis reip. *at Veron.* bonus P.R. V. *15, m. ss.* compressus; *s. Alexander. & mox seq. v.* vt illa ipsa permodica, si mensae prandioque superessent, quamuis conuiuio reponerentur. *Sed verior fortassis haec lectio;* vt illa ipsa quae mensae prandioque superessent, quamuis permodica, alteri conuiuio reponerentur. V. *19, inclusa, absunt a m. ss. & Ver.* V. *21, scribendum* nec catulum; *vel* ne catulum quidem. V. *22, vsitatius* vnus post alterum. *Ibidem mox m. ss.* Pupianus, *per a: at non item nummi vet. nec fasti Panuiniani, in quibus* Pupienus *scribitur per e.* V. *26, ed. pleraeq.* vicesimo: *at Iunius Cordus apud Capitolinum* vicesimo & secundo. V. *30, ed. pleraeq.* Gallus Iulius. *In Fastis Panuinianis vterq., & pater & filius, dicitur* M. Iulius Philippus; *nisi quod filius adnominatur* Saturninus. V. *36,* inferiore, *abest a q. ed.* V. *41, m. ss. & q. ed.* Lucinianus, *per quintam vocalem.* V. *42, vulg.* Virius Gallus. *Vineti liber vetus pro Virio* Valeriũ *habet. Nummi veteres* Vibium *appellant, vt etiam in Panuinii Fastis est* C. Vibius Trebonianus Gallus, *cum filio* C. Vibio Volusiano. *Eundem Gallum Eutropius & Orosius Hostilianum vocant. De Hostiliano autem Perpenna siue Perperna, nulla est apud alios mentio. Panuinius tertium Gallo & Volusiano addit,* Cn. Hostilium Messium Etruscum, *Decii Aug. F.* V. *44,* Mœsia *per diphthongũ œ scribitur etiam in vet. lib. sed apud Graecos* Mysia, *per y.* V. *45, q. ed.* Interamnem: *& seq. v.* LX *pro* XL. V. *47, Girbae nomen adhuc in vsu esse, adn. Vinetus. Ibidem Pith. cod.* mense quarto dominatus: *& mox,* apud Spoletum, siue inter Ocriculum Narniamque & vrbem Romam; *omissis intermediis.* V. *50, m. s.* annos III minus L: *id est, a[illegible]us minus, quinquaginta. quam lectionem Sch. quoq. adnotat e suis m. ss. [illegible]. 52, [illegible]acii liber m. s.* Lucinius, *per u;* *vt paulo ante, v. 41.* V. *53, q. ed.* ad vsum aliquem publicum officio.

P. 541, v. 1, ed. pleraeq. Cassius Labienus Postumus; *sine distinctione; rectius. est enim vnus idemq. Imperator, qui a Panuinii fastis in* XXX *tyrannorum catalogo quintus ordine ponitur, appellaturq.* Imp. C. C. Iunius Cassius Postumus Labienus P. F. Aug. *a Trebellio quoq. in Victorino,* Iunius Postumus. V. *3, vulg.* apud Moguntiam: cum in Ægypto Æmil. *sed rectius Vineti m. s.* V. *7, q. ed.* ascendere. V. *8,* Salonianum *Pollio* Saloninum *vocat. Pro* Saloninae *autem seq. v. q. ed. habent* Saloniae. V. *11,* Pipam *Pollio* Piparam *appellat in Salonino: Vineti liber vetus* Pipiam. V. *16, pro* annis duob. *Vineti liber vetus habet* annum vnum, mensib. nouem: *itidemq. Veron. ed. & Cassiodorus 618, 32. Seq. v. ed. pleraeq. habent,* dum ab Liscensa muliere: *& v. 19,* regionibus: *corrupte. Schottus secutus est m. ss. & Ver. qui etiam mox seq. v. habent* aduersum gentem Germanorum. *Ibidem q. ed.* lacu Benaci. V. *27,* imaginem auream *Pollio, Eutropius, Orosius, vocant* clypeum aureum. Quintillus *seq. v. est etiam apud Pollionem, & in Fastis Panuinii; tribus scilicet syllabis: at in m. ss.* Quintilius. V. *31, inclusa absunt a q. ed.* V. *32, vulg.* Romanam vrbem. *Schottus m. ss. & Vopiscum sequi maluit.* V. *35, m. ss.* subegerit. V. *39, m. ss.* victos: *& v. 41,* visebatur. V. *43, Veron.* asserens hominem eleganti loco: *parum apte.* V. *48, q. e.* Heracleiam, *diphthongos, vt apud Graecos. Seq. v. pro* septem mensibus *Vopiscus habet* sex, *teste Vin.* V. *53,* equitum *nomen non est apud Vopiscum: vulgati plerique omnes habent* equitantium: *at Veron. & Cuiacii liber m. s.* Equitium Probum *vocant. cui lectioni patrocinatur aliquomodo, quod in Probi nummis equi effigies sculpta visitur. a Vopisco tamen & vet. nummis appellatur* Aurelius Valerius Probus; *itidemq. in Fastis Panuinii.*

P. 542, v. 1, m. ss. & Veron. Delmatio nomine. V. *4, q. e.* Almam, *fœminino fine; minus recte. Seq. v. m. ss.* conseruit: *& mox* Sirmio. V. *6, potest &* Narbone *legi, vt* Sulmone; *inquit Vinetus. Sidonius quoq. Apollinaris, in descriptione Narbonae, Carum Narbonensem facit; alii vero aliam ei patriam tribuunt; vt ex Vopisco docent Notae Schotti.* V. *13, Eutrop. habet* matrimonia nobilia. *Schottus mallet* matrimonia militum. *Seq. v. idem Eutrop.* vel leui fatigatione. V. *17, de Anulino supra dictum ad 539, 25. Ibidem mox* libertus *est in Veron.* V. *23, in m. ss. est* Charausio, *cum aspiratione. ab aliis dicitur* Carausius. *Ibidem mox rectius* Iulianus in Africa, *vt supra 524, 38.* V. *38, reperitur etiam* via Labicana *per b, teste Vin.* V. *40, vulg.* Romae intra tabernas. *Schottus secutus est m. ss. & Veron. Seq. v. m. ss.* ex vrbe: *& paulo post, v. 43,* pœnas dedit mortis genere postremo, fractis laqueo ceruicib. *Postremam autẽ pœnam Gifanius hic accipit pro turpissima: vt hodieq. laquei pœna omniũ maxime infamis habetur.* V. *45, m. ss.* egreditur. *De ponte Miluio seq. v. dictum supra, ad 504, 46.* V. *48, q. ed.* Maximianus; *perperã, vt not. Sch. & Gif.* V. *52, pronomẽ* eius *non habet q. e.*

P. 543, v. 1, m. ss. & Veron. gratissimi partus cœpti a puero. Seq. v. iidem socio pro socero: perperam. V. 6, iidem Romulianam, fœmin. fine: sed vulg. omnes Romulianum. V. 8, mallem compressam a dracone. V. 9, pro Daza in quibusdam exemplarib. Daca est, in aliis Dara; teste Vin. V. 13, m. ss. duo, quod eum pigeret factum. Idem autem de Traiano refertur supra 515, 4. V. 15, m. ss. senectæ ætatis. V. 20, Cuiacii, Pithœi, & Veron. codex, quaqua iter egerat, interfecit, & ad patrem in Britannia situm peruenit: at Floriac. quib. iter egerat. V. 21, Schotti Victor supra 525, 45, vitæ vltima agebant. Seq. v. pro Eroco m. ss. habent Croco. V. 24, m. s. Mediolanium, vt & Ptolemæus. sed Mediolanum, vt Tusculanum, habet etiam Suidas ac Stephanus Byz. V. 25, m. ss. idem pro item. V. 27, Aug. ed. imperia difficile cum concordia custodiuntur. Ibidem mox m. ss. discidium per c scribunt, a discindendo: Veron. pro eo habet discordia. Seq. v. pro Hiulcam Vineti liber vetus habet Vulcam. V. 24, m. ss. & Veron. quartumdecimum. V. 35, Aug. ed. luxu ventris. sed venerio habent m. ss. omnes, & quidem peri, vt etiam lapides antiqui. V. 37, q. ed. agrariis: vt supra v. 4. V. 38, Veron. quod ab eo genere ortus auctusque erat. Pithœi codex pro altus habet alitus: quod in hac signif. videtur vsitatius. V. 41, Flor. codex, totius Romaniæ, mira felicitate. V. 44, q. ed. ardore nimio. Ibidem mox Veron. fuit vero mater vltra quam æstimari potest, laudis auida. Seq. v. liber Cassiani habet parietinam; itidemq; Ammianus Marcellinus lib. 27. V. 53, in quibusd. libr. sine aspiratione scriptum Tracala. Aliquo modo huc facere videtur quod Festus scribit, trachalos appellari muricum ac purpuræ superiores partes; atq; inde Ariminenses, homines maritimos, cognominatos esse trachalos. forsan igitur appellatio tracta est ab asperitate, ἀπὸ τοῦ τραχέος. V. 54, Gifanius ex vet. cod. legit, sepultum Byzantio: vt supra in Probo, 542, 5, Sirmio in turri ferrata occiditur.

P. 544, v. 1, m. ss. & q. ed. ita ad tres redacta dominatio est orbis Romani, Constantino, & Constantio, ac Constante, filiis Constantini: & mox v. 4, Delmatius Trachiam: vt & Veron. Seq. v. in q. c. est Anaballianus, tamquam ἀπὸ τοῦ ἀναβάλλειν, a differendo. V. 7 & 10, inclusa, absunt a quibusd. ed. V. 11, Vineti liber vetus pro Marcellino habet Marcello. V. 14, m. ss. & Ver. ventris solita: pro quo supra 539, 45, officia naturalia. V. 20, vulg. l. fuerint pro fierent. V. 22, q. c. Murtium pro Mursiam: & mox grandæuo ætate. V. 28, Cuiacii lib. proditis pro perditis. V. 30, m. ss. pene nusquam. at Veron. in quo bello, nusquam amplius, Rom. consumptæ sunt vires, totiusque imperii fortuna pessumdata. V. 32, q. ed. Thicanum: & v. 34, pulsi parietis. V. 36, Veron. imperii quadragesimo, ætatis ptope quinquagesimo anno. at manu scripti tres, ætatis prope quinquaginta annos. V. 37, barbaris abest a quibusd. edit. V. 40, m. ss. & Ver. laqueo fascia composito. Seq. v. iidem annos IIII: itemq; editi libri fere omnes, & Ammianus Marcellinus lib. 14 extremo: vt docent Notæ Schotti. Vineti liber antiquus annos tres. V. 48, m. ss. Nodomarius, detracta scilicet prima syllaba cho: itidemq; impressi aliquot. Ammiano Marcellino Gundomadus est lib. 14. Sequens Badomarius eidem Ammiano est Vadomarius: in m. ss. autem aliis Baldomarius est, aliis Baldomarus. V. 51, q. ed. Hic Constant. & mox m. ss. vtguere, vt tinguere, vnguere, & similia. Rursum seq. v. ed. q. infinitiue, in statum nomenque pristinum reuerti. V. 55, pro Mopsoestia apud Ammianum lib. 21 Rob. Stephani editio habet Myandam, at Gryphii editio Mopsuestiam; rectius. sic enim & Strabo, Ptolemæus, Procopius, Stephanus Byzantius. at Mopsucrenen idem Ptolemæus statuit in Armenia Cataonia: vt notauit Ortelius.

P. 545, v. 1, q. ed. compendiosis numerorum notis habent IIIIxxq;. quod ob raritatem notare hic libuit. V. 4, vulg. intemperans. sed rectius cum Schotti m. ss. legemus temperans: cum idem confirmet etiam Ammianus lib. 21. V. 8, vulg. Amantias: sed rectius Schotti & Vineti cod. m. ss. Adamantias. Iacobus Durantius Variarũ lib. 2, cap. 17, mauult amentias. sed Adamantias retineri posse censeo, siue mulieres eo nomine, siue gemmas amori conciliando efficaces intelligamus: vt Gorgonias pro philtro accipit idem Durantius. V. 12, Veron. locupletissimum quemque. Seq. v. ad mensam abest a m. ss. & Ver. in quib. ita locum hunc legi adnotat Schottus; Quare habes? alter, Vnde habes? tertius, Pone quod habes? Seq. v. pronomen suæ additum ex m. ss. & q. impressis. V. 15, m. ss. & Ver. exactiones improbas detestans. Sunt qui auctiones pro exactiones scribunt. V. 18, Veron. vrgerent armis iam positis. V. 23, m. ss. & Ver. constanter habent amico, datiuo singulari. Ibidem mox m. ss. ex inuidia rei p̃ discordia. at Ver. pro abbreuiato rei p̃ scribit reipublicæ. sic enim locum edit; discrepantibus studiis amico ex inuidia reipublicæ discordiam exercitus periculum pararet. Quæ scriptura cum intricata sit, nescio an hæc sit commodior; amico inuidiã, reipublicæ discordiã, exercitui periculum pararet. Apud Ammianum sane lib. 25, Iuliani morientis hæc extrema sunt ad suos verba; Super Imperatore creando caute reticeo; ne per imprudentiam dignum prætereeam; aut nominatum, quem habilem reor, anteposito forsan alio, in discrimen vltimum trudam. vt alumnus autem reip. frugi, opto bonũ post me reperiri rectorem. Similiter etiam sententia orationem suam claudit Tacitus apud Flauium Vopiscum in vita Aureliani. V. 25, m. ss. & Veron. eo iuuerat: parum apte. Seq. v. aptius iidem, quo validus quidem. V. 29, m. ss. & Ver. bello maxime, absq; tum: quæ lectio Schotto magis placet. V. 31, pro ingens globus, rectius legemus igneus globus. Ammianus certe flagrantissimam facem & nitorem igneum vocat, ex genere τῶν διαϊσσόντων. V. 32, m. ss. & Ver. cælo labi, ante diem belli. V. 33, vulg. Iouinianus. Sed Iouianum siue Ἰοβιανὸν vocat etiam Suidas; Fasti Panuinii, Fl. Io[illegible] Varroniani filium. Ibidem mox Petri Danielis [illegible] m. s. & Veron. ed. habent, in solo agri Sigindonensis. V. 3[illegible] Veron.

dicere.

dicere. V. *43, m.ſſ. & Veron.* oggeritur: *ea ſcilicet forma qua* obtruditur. V. *45, q. ed.* plane puberem. V. *47, Veron.* quamquã eſſet ad loq. *Ibid. mox duo m.ſſ.* infectus vitiis: *& ſeq. v.* cupitor *pro* punitor: *minus vere.* V. *49, Sch. ex m.ſſ. & Ver. mauult,* pingere venuſtiſſime meminiſſe. *ſed cum ex veterib. libris quidã* vetuſtiſſime, *habeant, ſic etiam legere poſſumus,* pingere, vetuſtiſſimorum meminiſſe. *Seq. v. pro* terra *in m.ſſ. eſt* cera: *& mox* ſermone *ſing. num.* V. *51, m.ſſ. & Veron.* fœdis hominib. quis ſeſe. *Paulus Diaconus totum hunc locũ pene ad verbũ transſcripſit. quare illum collationis gratia ex eius hiſtoria hic libet inſerere.* Fuit autem (*inquit*) Imperator egregius, vultu decẽs, ſollerti ingenio, animo grauis, moribus Aureliano ſimilis; ſermone cultiſſimus, quamquã eſſet ad loquendũ parcus: ſeuerus, vehemens, infeſtus vitiis, maximé auaritiæ. ſeueritatẽ tamen eius nimiam, & parcitatem, quidam crudelitatẽ & auaritiam interpretabantur. acer in iis quæ memoraturus ſum, Adrianoq; proximus probatur: pingere venuſtiſſime pronus, multa meminiſſe, arma noua meditari, fingere cera ſeu limo ſimulacra; prudenter vti locis, tẽporibus, ſermone. Atq; vt breuiter concludã, ſi ei infidis hominibus, quib. ſeſe quaſi fidiſſimis ac prudẽtiſſimis dederat, carere, aut probatis vti licuiſſet, perfectus haud dubie princeps enituiſſet. *Apud Ammianum quoq; Marcellinũ hæc magna ex parte leguntur ſub finem lib. 30.* V. *54, q. c.* Bregitionẽ; *itidemq; Amm. Marcell. lib. 30. Hieronymus & Oroſius* Brigitionem *vocant, teſte Vin.*

P. 546, v. 3, duo m.ſſ. Æquitio & Merobaudo e propinquo creatur Imp. V. *6,* tredecim *pro vulg.* decem *Schot. repoſuit e m.ſſ.* V. *9, vulg* mutare iudicia, verus, in amicos fidus. *& mox,* ſine noxia & periculo cuiusquã. *& rurſum,* Procopius tyrannus cadens. V. *14, m.ſſ.* Argentariam *fœmin. fine: itidemq; Ammianus Marcell. Caſſiodorus, Hieronymus, Paulus Diaconus.* V. *17, q. c.* Thaiphalis: (*at non item Suidas, apud quẽ prima tenui legitur* Ταΐφαλοι) *alii* Triballis. V. *19, m.ſſ.* degenti. V. *20, duo m.ſſ. & Veron.* controuerſa. V. *22, incluſa, abſunt a m.ſſ. & Ver. Ibid. mox q. ed.* cibiq;, vini, ac libidinis victor. V. *24, m.ſſ.* regendæ: *& ſeq. v.* neglegeret: *vt paulo poſt, v. 35,* intellegamus; *retenta ſcilicet primitiui thematis vocali e.* V. *27, concinnior erit membrorum ſimilitudo, ſi legamus* caperetur. V. *31, tres m.ſſ.* XXXVIIII: *id eſt trigintanouem. quidam codices omiſſa vna decade,* XXVIII. *qui numerus ad Hieronymi & Proſperi Chronologiam propius accedit; vt docet Vinetus.* V. *34, pro* XXVII *ſcribendum eſſe* XVII, *cum Caſſiani libro vetere, ex Proſperi, Oroſii, & Caſſiodori Chronologia colligit idem Vinetus.* V. *35, q. ed.* intelligimus. V. *37, q. edit.* cognitione principii: *minus apte. Sequenti verſu m.ſſ. & Veron.* imperium deberi præſumeret. *& mox Veron.* ſcelus cœptæ cupiditatis perſoluerat. *Theodori autem iſtius negotiũ prolixe narratur ab Amm. Marcell. lib.* XXIX, *481, 17.* V. *40, Veron.* appetitur: *id eſt ſollicitatus.* V. *47, q. ed.* pictura edo[illegible]: *minus belle. Seq. v. Paulus Diaconus* par cæſaries, ſimile os. *& mox q. libri deminutiue* aliquantulum.

P. 547, v. 1, m.ſſ. & Ver. erga ſe vel patrem aſp. caſu. *& ſeq. v.* vinolentiam ſcilicet & cupid. *Sed non improbanda quorundam impreſſorum librorum ſcriptura,* erga ſe velut patrem. V. *5, m.ſſ. & q. ed.* ſi nimium perfectos: *more Græco, qui* ἄγαν *&* λίαν *ſæpe vſurpant pro* ἄκρως, ſumme. V. *6, q. ed.* noſcenda: *& ſeq. v.* exſecrari veterũ facta ſuperba, crudelia, libertati infeſta, quæ legerat; ac Cinnam, Mar. V. *10, Cuiacii liber m.ſ.* ſeuere præcepta. *Ibid. mox m.ſſ. & Veron.* a natura: *a quibus etiam ſequenti v. abeſt incluſum* didicerat. *In q. ed. ita legitur hic locus;* vnde modica dilatione emolliebatur. Aliquando ſeuera præcepta habuit de Liuio, vel quod Auguſtus a philoſophiæ doctore didicerat. *in qua lectione Giſanio* παρεμβεβλημένα *videntur iſta,* aliquando ſeuera præcepta. V. *15, q. ed.* claræ virtutis. V. *17, q. ed.* graue pondus. *Ibidem mox Paulus Diaconus,* a tyrannis, *plur. num. Seq. v. q. ed.* benigni principes. V. *23, Sch. mauult cum m.ſſ. & primitus impreſſis,* ſtudia dignitatibus. *In iiſdem eſt,* miſcere colloquia perſonis; *ſine præpoſ.* pro. V. *24, m.ſſ.* illecebram *ſeu* inlecebram; *ſing. num.* V. *25, vulg.* ambulationib. magnis. V. *28, m.ſſ. & Veron.* vtriſque filiis.

IN SEXTI RVFI BREVIARIVM.

P. 548, v. 1, in Cuſpiniani editione inſcriptio eſt hæc; Sex. Rufi viri conſularis Rerum geſtarum populi Romani Epitome; de Regia, Conſulari, & Imperiali dignitate, atque acceſſione Rom. imperii: ad Valentinianum Imp. *Sequens inſcriptio in eadem editione his verbis eſt contexta;* Pio Perpetuo Dño Valentiniano Imp. & ſemper Auguſto, Sex. Rufus v. c. *In duobus m.ſſ. antiquiſſimis auctor hic nominatur* Feſtus Dictator; *vt teſtantur Andreæ Schotti Notæ in Aurelii Victoris epitomen, num. 67. Petrus Pithœus e lib. m.ſſ. nominat* Feſtum Rufum Auienum: *ſicut etiam Raphael Volaterranus Anthropologiæ lib. 19, Rufum cuius Rerum Romanarum exſtat epitome, male* Sextum *vulgo pro* Feſtum *appellari tradit. In argumenti quoq; titulo variatur. Varinus Camers Annotationib. in Solinum, hunc librum vocat* Sexti Rufi De trib. Rom. imperii generibus, Regio, Cõſulari, & Imperatorio; *vt Cuſpinianus paulo ante: Thomas Valœſius Anglus Comment. in Auguſt. De ciuitate Dei, appellat* Feſti Rufi De prouinciis imperii Rom. *Golzii inſcriptio,* Breuiarium Rerum geſtarum pop. Rom. *illius temporis ſtilũ magis reſipere videtur.* V. *19,* libellũ *nõ habet Rom. ed. Angeli Tifernatis, nec agnoſcit Cuſpiniani Commẽt.* Breues *autẽ illis tẽporib. appellatos fuiſſe epitomicos ſiue cõmentarios ſiue codicillos, idẽ Cuſpinianus cõfirmat loco quodã e Cod. Iuſtin. lib. 10, tit. De cõueniendis fiſci debitorib. Sic Ælius Lampridius in Alexandro Seuero dicit,* Notariũ qui falſum cauſſę breuẽ in conſilio Imperatorio retuliſſet. *Quin & neutro genere* Breue *ea ſignif. vſurpat Fl. Vopiſcus in Aureliano;* breue nominũ cõſcripſit: *& mox,* breue legit ſingulis quorũ nomina cõtinebat. *Epiſtolas quoq; hoc vocabulo Germani noſtri ex ea cõſuetudine nominãt.* V. *20. Cuſp. ed.* parebo libens præceptis. *mox alii libri,* cũ deſit

facultas latius ſcribendi. V.22, *Golzianæ ed. margo* ceris breuiorib. *Ibid. mox Errici Mēmii liber,* res Romanorū geſtas ſignabo, non exprimam. V.23, *Rom. & Cuſp.* quo, *id eſt per quod. & ſeq. v.* annoſam vetuſtatē R.P. V.25, *Mem. cod.* non tam legēdo detineas, quam num. V.27, *q.c.* quo proſperius imperiū Roma ſortita eſt, anni numerantur ſic. Sub reg. *Præterea pro abbreuiatis numerorum notis, Golzii margo explicatè ſcribit,* mille, centū, decem & ſeptem. *quam lectionē qui ſequūtur, Tarquinio Superbo tribuūt annos* XXXV: *Euſeb. ſcilicet et Caſſiodorus Cuſp. adnotat, in quodā exempl. locum ſic legi;* Ab vrbe igitur condita in ortū perennitatis veſtræ, quo proſperius factum imperium Roma ſortita eſt, anni numerantur MCXVII. V.29, *pro 467 Memmii liber habet 477.* V.31, *& 32, incluſa, addita ſunt e R. & C. edit.* V.34, *pro* XXXVII *Golzii margo habet* XXXVIII: *& mox Memmii liber* XXXIIII *pro* XLIIII. V.35, deinde, *add. e Cuſp.* V.36, *pro 867 Cuſp. habet 816: at Memm. liber numerum multo minorē, 417. de qua ducrepantia meminit & Cuſp. Comment. Sunt etiā qui ſcribant 877. Ibid. Golz. m. habet* eodē anno. *Seq. v. pro 467, 67, G. m. habet 447: at Memm. lib. 442. Ibid. mox pro* nouē & quadraginta *Rom. & Cuſp. ed. habet* quinque & quadraginta. V.38, *Cuſp.* tribunis militaribus. *Seq. v. Rom.* vsq; in Iuuianum. *Iuuianus autem, u pro o, legitur etiā alibi.* V.40, *pro* XLIIII *Golz. m. ponit* quadraginta tres: *at Paulus Diaconus cum Euſeb. & Caſſiod. pauciores. Iouianum r. ab Iulio Cæſare faciunt trigeſimūſeptimum. cuius diuerſitatis cauſſas exponit Cuſpin. Cōment.* V.42, *Rom.* niſi per ann. *Incluſa quæ ſequuntur, abſunt ab eadē Rom. & Cuſp. ed.* V.46, *Rom ed. & Golz. m. 447, pro 467: vt paulo ante, v.37. Seq. ver. Memm. lib.* Britannia, *ſing. num.* V.48, *Rom.* Illyrium: *alii,* Illyricum: *& mox* Iſtri. *Steph. Byz. & Iſtros agnoſcit & Iſtrios. Seq. v. q. c.* Myſis *pro* Mœſis; *more Græco.* V.50, etiam, *abeſt a Rom. & Cuſp. ed.* V.52, *Cuſp.* obtinuerat: *& mox,* armis obtrita atq; obtenta eſt. *Seq. v.* Corduenos *quidam libri* Carduenos *vocant, per a. Olim* Carduchos *appellatos fuiſſe, docet Theſaurus Ortelii.* Saracenos *autem vno r ſcribūt etiam Suidas & Stephanus Byz.* V.55, *Rom.* fœderati ſunt. *a Memm. cod. periodus hæc abeſt.*

P.549, v.2, tamen *add. e R. & C. Sequentia in Cuſp. ed. ſic leguntur,* Romanæ vrbi & Romano imperiō Cantabri & Aſtures; Hiſpani ab Auguſto ſubacti: Alpes maritimæ, Alpes Cottiæ, Alpes Rhætiæ, Noricus, Pannoniæ, Mœſiæ, & omn. V.4, *Cuſp.* Aſſyria, Arabia, cum Ægypto. V.6, *Cuſp.* oſtendam vt infra: *Memm.* oſtendā ita infra. V.8, *Mem. c.* a conſulibus: *& ſeq. v.* Metellus vicit; qui de Sardis triumphauit. rebellauere ſæpe Sardi. V.10, quælibet *add. e Cuſp. Contra pronomen* ſuis *abeſt a Cuſp. & Mēm. libro.* V.12, *Golz. m.* Romana arma transmiſſa ſunt. V.14, *R. & C.* ſub cōſularibus. V.17, regē *add. e Cuſp.* V.19, *Rom.* propria volūtate. V.20, *Cuſp.* ipſa vero Carth. *Seq. v. incluſa,* Byzacium, conſularis, *abſunt a Rom. ed. Pro eodem Byzacio vulgo ſcriptum* Hieratium *aut* Hiratium; *corrupte; vt notauit Cuiacius Paratitlis in Cod. Iuſt. lib.1, tit. 27: & Cuſpin. in Comment.* V.22, *q.c.* præſidiales. *De præſidalibus autem prouinciis viſe Obſeru. Cuiacii lib.24, c.2. Seq. v. Mēm. c.* per Scipionē *ſing. num.* V.24, *C. & M.* vſq; ad Gades & Oceanum peruenimus. *Incluſa, quæ ſequuntur, abſunt ab R. & C.* V.26, *Rom.* cum Hiſpania. *Ibid. mox R. & C.* minore Scipione. V.28, *Golz. m.* in ditionē: *& mox.* prorogato quinquennii imperio. V.32, *vulg.* Gallicia: *rectius* Callæcia, *vt apud Ptolemæum, Strabonem, Dionē. Sexta prouincia nomē peti poteſt ex ver.20. In Notitia Imperii, quinq; tātum numerātur Africæ prouinciæ: duæ conſulares, Byzaciū & Numidia: tres præſidales, Tripolitana, Mauritania Sitifenſis, & Mauritania Cæſarienſis. Ibid. Rom.* transfretana etiā inſula terræ Africanæ. *vt & Cuſp.* trans fretum etiam inſula terræ Africæ. *ſed verior eſt lectio Golz. Seq. v. Cuſp.* Tingitana cognom. V.34, *R. & C.* præſidiales: *& ſeq. v.* vbi nūc. V.39, *Cuſp.* nobiles & ſenatores. *Ibid. mox C. & M.* mille auri libris. V.40, *R. & C.* Gallos cum victoria remeantes. *Ibid. mox M.* qui exſul erat. V.41, *Golz. margo,* ex agris. V.45, *Rom.* Galliā ſubegit: cum Gallis vltra Rhenum poſitis conflixit: per annos octo ab Alpib. in Britanniā vſq; transiuit. *at Cuſp. ſic locū edidit;* quæ quaterna milia militū Italicorū habuerant, Gallias ſubegit per annos nouē: cum Gallis vltra Rhenū poſitis conflixit: ab Alpib. Britanniam vſq; transiuit. *qua de re cum alios viſe, tum Sueton. in Iulio, cap.25.* V.47, *R. & C.* ſunt Galliæ cum Aquit. *Seq. v. Cuſp.* Prouincia, (quæ & Maſſilienſis dicitur) Ambianenſis, Viennenſis, Narbonenſis, Nouempopulonia: Aquitaniæ duæ, Cottię Alpes, Maxima Sequanorum; Germaniæ duæ, Belgicæ duæ, Lugdunenſes duæ. In Britannia, Maxima Cæſarienſis, Britannia prima, Britannia ſecunda. *Memmii liber Cottias Alpes vocat Gogias. pro Maxima Sequanorū idem habet* Eneſimam (*in margine* Biaſimam) *Sequanorum. De Gallicis prouinciis viſe & Ammianū Marcell. lib.* XV, *328, 35.* V.51, Flauia *abeſt a R. & C. ed. Pro eadem in quibusd. libris* Flocina *eſt, in aliis* Flotina; *vt teſtatur Golz. m. Sed Flauiam agnoſcit hic etiam Noticia imperii, vbi quinq; recenſentur Britanniarum diœceſes; hoc ordine; Maxima Cæſarienſis, Valentia, Britannia prima, Britannia ſecunda, Flauia Cæſarienſis.* V.52, *R. & C.* in Illyrico ab ora maritima paulatim regreſſi ſumus. V.54, *q.c.* Metellum conſulem.

P.550, v.1, Cuſp. & Memmii liber, ſub amicis noſtris. V.3, *Golz. m.* Mummium conſulem. V.7, *R.* Perſen. V.8, *R. & C.* qui auxilium Macedonib. tulerant. V.9, *R. & C.* L. Manilium. *ſed* L. Anicium *vocat etiam Sigonius 166, 45.* V.10, Mœſia *per œ legitur etiam in vet. marm. via Tiburtina, in quo eſt* T. PLAVCI PROPRÆTORIS MOESIÆ. *itidemque in aliis aliquot monumentis. Sed Græci* Myſos *&* Myſiam *per y ſcribunt; vt docent Suidas & Stephanus Byzantius.* V.13, *R.* Baucone: *& mox,* in deditionem Pannoniæ venerunt. V.15, *Cuſp.* Suauenſis: *minus recte.* Sauenſis *enim dicitur, a* [illegible] V.16, *Cuſpin.* Squadi. *vnde aliquis coniecerit legendum* Sueui, Quadi. *Orteli ſane theſaurus* Squados *non agnoſcit.*

Ibidem

Ibidem mox R. Variæ. *mox tamen eadem ed.* Valeriam *hîc agnoscit, v. 23: itemq; Thesaurus Ortelij.* V. 17, *Cusp.* ab Augusto per Vindelicum, per Noricum, Pannoniam & Mœsiam, est const. V. 22, *inclusa, absunt a R. ed. Cusp: adnotat se in quodam exemplari & hanc loci huius inuenisse lectionem*; Pannonumq; regem in certamine superans idem Lucius, in prouinciã redegit vtrasque Pannonias. Amantinos autẽ, qui inter Sauum Drauumq; flumina insident, rege eorum interempto, ipsa vice Romanam fecit prouinciam. Marcomanni namque & Squadi, in illa Valeria quæ inter Drauum Danubiumque interiacet, ab eodem tunc ductore oppressi; finesque inter Romanos ac barbaros Augustus vindicans per Noricum Mœsiamque disposuit. V. 23, *q. c.* Pannoniorum. *Ibidem mox pro* Savia *Cusp. habet* Sueuiam: *Rom.* Seruiam, Slauiam: *quæ recentiora sunt nomina.* V. 24, *R. & C.* in dicione Maced. *Sequenti versu pro* Prævale *in Notitia imperii est* pars Macedoniæ salutaris. V. 27, *quid. cod.* in Thracum regionib. *Ibidem mox Cusp.* crudele & callidum genus. V. 28, *quid. cod.* narrantur: *& mox*, hostium captiuos. V. 30, *Didium prænomine Marcum vocat etiam Ammianus lib.* XXVII, *458, 54: at Sigonius ex aliis Titum, 222, 30.* V. 31, *Golz. m.* M. Minucius Rufus: *& seq. ver.* Rhodopam. V. 35, *Cusp* Hæmimontanos vicinos subegit. *alii locum sic legunt*; ipsum caput gentium vicit; Thracas Æmimontanos subegit. *Pro* Eumolpiade (*siue, vt quidam malunt,* Eumolpide) *&* Vscudama *idem Cusp. habet* Olympiadam *&* Muscadoniam. *Golz. secutus est Amm. Marcell. lib. 27; & Eutrop. 573, 19. Vise & Sigon. 266, 28.* V. 37, *q c.* Cabylen. *Steph. Byz. vtramq; &* Cabylen *&* Calyben, *Thraciæ opidũ facit. Seq. v.* Calatim *vno l scribit idem Steph. & Ammianus Marcell. lib. 27. sed* Καλάθον *etiam ac* Καλάθην *appellari, innuit idem Steph. Pro* Phthinopoli *Eutropius habet* Parthenopolim. *in Prouinciarum Itinerario est* Plotinopolis. V. 39, *quidam legunt* perueniens Romanus, Scythis arma monstr. *Ibidem mox pro* Reip. *non minus apte legas* Romani populi: *vt confusio nata sit ex abbreuiato scribendi compendio R. P.* V. 40, *q. c.* conquisitæ. *Ibid. rursum q. c.* Hæmimontus: *vt & apud Ammian. est. Cusp. sic edidit locum*; Hæmimontium, Mysia inferior, Sithonia, Rhodopeia; & in qua nunc secundæ arces Romanæ vrbis sunt constitutæ, Constantinopolis. *In Rom. pro* Sithonia *est* Scythia, Sacia: *& pro* secundæ *alii habent* sede; *sic*, in qua nunc sede arces Romanæ vrbis sunt constitutæ. *Vise & Ammian. de Thraciis prouinciis, lib.* XXVII, *458, 459.* V. 42, *vulg.* eas partes. *sed* Eoas *cum m. ss. legendum esse monuit ante Schottum etiam Cuspin. in Comm. Seq. v. q. c.* sceptris suis. V 44, *q. c.* incitetur: *& v. 46*, viris *pro* viribus. V. 47, *q. c.* Antiocho rege Syrorum. V. 48, *Cusp.* Phrygia, *sing. num. Seq. v. R.* victa deditione venerunt. V. 50, auxiliatoribus *abest a Cusp. ed. Sequentia sic leguntur a quibusdam*; Ita Rhodus insula primum libere agebat: postea in consuetudinem parendi Romanis clementer peruenit. V. 52, *Cusp.* Pamphyliam, Phrygiam, Icariam Seruilius proconf. V. 55, *C.* vt nomen resonat. *alii sic*, sunt enim ex Gallis, vt sonat nomen, Galatæ. *qua de re Suidas quoq; & Isidori Etymol.*

P. 551, v. 1, vulg. Mummius: *perperam; vt docet Cusp. Comment. Cn. Manlium vocat etiam Sigon. 156 10.* V. 3, *Cusp.* in Megaram quæ nunc Mediacus dicitur. *vbi idem Cusp. pro* Megara *scribendum censet* Ancyram, *Galatiæ metropolim. sed* Magabam montem *habet etiam Iornan. 645, 27.* Modiacum *per o agnoscit etiam Ortelius: Volaterranus per e habet* Mediacum, *vt & Cuspinian.* V. 4, *R.* Deiotarus Betiæ rex nobilis, Romanis permittentib. tenuit: *corrupte.* V. 6, *q. c.* in speciem prouinciæ. *Ibid. mox Cusp. cum prænomine habet* M. Lollius. V. 8, *Cusp.* cuius deficiente stirpe, lectus Ariobarzanes rex Cappadocum: qui a Mithrid. V. 10, *pro* Mazaca *in q. c. est* Megara: *perperã: vt præter Eutropiũ Ammian. et alios, docet etiam Euseb. Chronici cum impressum tum manuscriptũ exemplar.* V. 11, *Cusp.* postremo iterum tertia deficiente prole, sub Imp. Tiberio Claudio, Archelaus fauente Antonio rex factus est: quẽ sub Augusto Tiberius oratione defendit. Imperio deinde succedens, eundem blande Romam accersitum non remisit: ibiq; diu detentus cum occubuisset, testamento Romanis Cappadociam reliquit: & sic in prouinciæ speciem Cappadocia migrauit: vel (*vt alias legitur*) in prouinciã per Germanicum redegit. *Verum hæc non Rufi sed explicatoris alicuius verba esse, satis est manifestũ. Sunt etiam qui ambiguitatis vitandæ gratia malint,* sub Imperatore Tiberio Cęsare. *vt nõ Caligulæ, sed Augusti successor intelligatur. cum n. vterq; illorũ eodem & nomine & prænomine dictus sit* Tiberius Claudius, *Augusti tamen successor Tiberii prænomine notior est, at Caligulæ successor notior gentili appellatione Claudii.* V. 12, *R.* Archelaus ex Cappadocia. V. 14, *C.* rege Ponti. *Ibid. q c.* Philomenes. *sed Pylamenẽ agnoscit etiam Suidas. Seq. ver. Cusp* Sæpe a Mithridate pulsus ex regno, a nobis est restitutus: stirpe deniq; regia deficiente, Neronis tẽpore prouincia facta est. V. 21, *inclusa, absunt a q. c.* V 27, *C.* vt occuparet. *Inclusa, v. 28 et 29, addita sunt e Cusp.* V. 33, *R* supremo Ap. reg. arbitrio. *quo modo etiã est apud Amm. Marcell in fine lib. 22: vbi locus hic iisdem prope verbis legitur.* V. 36, *R.* Augusti tempore. V. 38, *q. c.* arma transmissa. *Ibid. mox q. c.* Fularchi, *alii* Filarchi. φυλάρχας Osroënos *agnoscit etiam Suidas, (ex eo dictos quod regionis istius partes seu præfecturæ, nominentur* φυλαὶ*) & plurium auctorũ testimoniis confirmat Cuspinianus in Commentario. Sunt etiam libri in quib. corrupte scriptum est* visarei. *vnde quidã legendũ putãt,* transmissa sunt visa: Saraceni & Osroeni superati cessere. *sed procul dubio verior est Cusp. & Golz. lectio. Ne quid tamẽ dissimulẽ, pro* in Osroena *rectius legemus* & Osroeni; *ex Iornan. 646, 6.* V. 40, *q. c.* Syriæ ac Phœnice: *& seq. v.* captæ sunt. *quidam malunt* Syrophœnice. V. 43, *R. & C.* Syria & Arabia. *Seq. v. C.* institutus est. V. 45, *R.* Mesopotamiã & Syriam: *Cusp.* Mesopotamiam cum Syria. V. 46, *Cusp.* & postea. V. 50, *pro præpositione* cum *quidam libri habent*

pronomen eis. sed præpositionem agnoscit etiam Memmii liber. V. 52, quid. cod. est confirmatus. V. 53, R. & C. Diui Constantini: itemque liber Memmii. V. 54, C. vergat. V. 55, R. quemadmodum Babyl.

P. 552, v. 1, quid. cod. viribus pro vicibus. Ibidem mox R. Bellorum furto host. V. 4, C. amicitias, plurali numero. V. 6, pro clibanariis R. habet clypeatis: itidemque Cusp. cum septem milibus clypeatorum. Ibidem mox quid. cod. centum triginta mil. Eutropius 573, 11, cum sexcentis milibus clibanariorum, & centum milibus sagittariorum. Clibanarios autem Persis dictos fuisse cataphractos, testatur cum Lampridio Ammianus Marcellinus: cuius nominis hanc rationem esse putat Turnebus in Aduersariis, quod vt panis clibano, sic isti ferrea specie vndique obtecti viderentur. Leo Imperator in libro de bellico apparatu, capite 6, paragr. 31, clibanos vocat thoraces. V. 8, Golz. m. Medenam: vt infra ver. 42. Maddeni Procopio sunt Saraceni; teste Ortelio. Ibidem Cusp. opimam pro optimam: & mox Meletenam. sed Melitenam vocat cum Strabone ac Ptolemæo etiam Stephanus Byzantius: Ammianus Marcellinus Melitinam nominat. V. 13, C. Bosphoron fugit; sine præpositione: & sequenti versu imperauit. V. 17, R. & in Armenia minore regnare. Ibidem R. & C. necnon & Memmii liber, Phœnicis habent pro Phœnices: de qua scriptura supra quoque ad 379, 16. V. 19, Golz. m. Orcode: & sequenti versu Arthace: at R. & C. Orcodo & Arsace. Orodem agnoscunt hic etiam Florus 405, 40; & Eutropius 573, 49: at Dion & Appianus Orœsen vocant. V. 23, R. nominatiuo casu pax: & mox Cusp. Persis pro Parthis: vt alibi sæpe. Ibid. idem Cusp. Græco more Zeugma scribit: vt & apud Florū est 408, 40. V. 25, de Abgaro dictum supra ad 408, 47. V. 26, R. & C. circumuolantibus. Sequenti versu R. Silane & Silena: non sine mendo. q. c. Sillatem vocant. V. 32, C. pacem regi rogatus abnuerat. Ibid. Memmii liber mortuas eius reliquias. Mox Rom. L. Crassus, perperam: Cusp. C. Cassius; recte: vt cum ex aliis manifestum est, tum ex Velleio, 450, 5. V. 34, R. irrumpens: minus recte. V. 37, R. & C. duce Labieno. Sequenti versu iidem in Caparo monte: alii Capro: Memmii liber Campano: & in margine Caopono: quorum nullius meminit Thesaurus Ortelii. Ibidem mox iidem pro Parthis habent Persas. V. 39, Cusp. Pacorum regis filium: vt Florus supra 422, 19. V. 41, R. de Persis. Sequens adiectiuum primus, abest a R. & C. editione. V. 42, pro Medena versu 8 est Madena: apud Iornandem vero Madiania, 646, 46. Ibidem mox Cusp. & primum eos vicit: post duabus leg. amiss. V. 44, R. & C. Persis inseq. V. 46, quid. cod. Octauio Cæsare: quæ appellatio apud Florum quoque exstat 420, 10: & apud Suetonium initio Augusti. Sequenti versu Claudius Cæsar est etiam apud Iornandem 646, 49. sed C. Cæsarem vocat Florus 425, 11: Velleius 464, 7: & Suet. in Aug. cap. 64. Idem etiam in seq. notandum. V. 48, R. & C. per maiestatem: Memm. per potestatem. Mox Cusp. atq; ei Armenii, qui tunc temporis validiores erant, Parthos dedissent. Memmii liber nobiscum facit: nisi quod tribus syllabis habet Armeni, præmisso temporali aduerbio tum. V. 50, Cusp. cum Floro, Domnes quidam. Idem Velleio Adduus est: Zonaræ Addo. V. 52, R. vltro pro cultro: parum ad rem. V. 54, R. Persæ pro Parthi. & mox Memm. tam grauis admissi. Seq. v. R. Octauio Cæsari: & mox Memm. capta sub Crasso.

P. 553, v. 4, C. exercitus sacra. Seq. v. quod dicitur, Traianum Romanæ reip. mouisse lacertos, idem apud Florum iisdem verbis legitur, 380, 40. V. 6, pro Iberis seu Hiberis, Memmii liber & R. ed. Lubros habent; corrupte. V. 7, q. c. recepit: & mox Osroënorum pro Saracenorum. Sequen. v. R. & C. cum Memmii libro habent Carduenos & Marcomedos: quidam Adiabenos. De Corduenis dictum supra, ad 548, 53. Mardomedos autem pro Marcomedis seu Marchomedis mauult etiam Ortelius. Ibidem mox Cusp. & Memm. Anthemusium, neutro gen. & opimam pro optimam. Sunt qui Anthemusium vrbem dici velint; Anthemusiam vero & Anthemusiadem, regionem. V. 10, q. c. classem tenuit. Seq. v. rectiore fortassis ordine legemus, Armeniam, Assyriam & Mesopotamiam: vt ea quæ sequuntur, Mesopotamiæ etymologiam contineant. V. 12, R. irriguis trib. amnib. V. 13, Cusp. Hic forte propria vi deductis exercitibus, in Armeniam, Mesopot. & Assyr. concessit. itemq; R. Sed Golzii lectionem tuetur etiam Iorn. 649, 11. Pro eductis tamen, vel deductis malo cum Cuspiniano; vel reductis, cum aliis: sicut Iorn. quoq; dicit exercitum ad se reuocans. Seq. v. Cusp. inter Rom. & Persas Euphratem limitem esse voluit. itemq; R. nisi quod non habet limitem. V. 15, R. & C. hic socer, ille gener: qui ordo etsi videtur præposterus, tamen paulo post repetitur, v. 34. V. 16, R. & C. pariter Augusti Imperatores, orbis æquata primum potestate, imperiū tenuerunt. V. 18, C. aduersus Parthos: & seq. v. de Persis. V. 21, R. & C. Arabas obtriuit. & mox C. prouinciam refecit. V. 22, C. acquisita sunt. nam Adiabenicus, Parthicus, & Arabicus cognominatus est. V. 23, Bassianus abest a q. c. V. 24, R. in Persas: & mox C. in Osdroena. Ibidem mox rectius cum Henr. Maibomio legemus propera morte. non enim sua morte obiit, sed a quodam e protectorib. suis est confossus; vt vno consensu tradunt historici. V. 25, q. c. Parthicæ gentis. itidemq; seq. v. Parthorum regem. V. 27, R. & C. Artaxatem: alii Artaxerxem; (vt supra dictū ad 518, 49) Golzii margo Darsem: Maibomius Narsem: qui etiam addit, Darium et Artaxerxem dignitatis apud Persas fuisse vocabula; sicut Cæsar & Augustus apud Romanos. Ibidem mox R. & C. sacrorum scriniorum magistrum. Pro Vlpiano autem R. habet Vulpianum. V. 28, R. & C. de Persis. V. 29, acri abest a R. editione. Ibidem mox R. & C. prœliis concussi: minus significanter. V. 31, R. Circesso: Cuspinianus Circeio; vt apud Capitolinum est in Gordiano extremo. Cercus[illegible] Ammiano maluit Golzius: Circessum vocat Eutrop. V. 36, R. dedecore vitæ suæ consenuit. V. 37, R. e[illegible]m A[illegible]m. itemq;

itemq; C. ſeq. v. Aſſyriorum agr. manu. V. *39, C.* noſtrum limitem: *aptius.* V. *43, R. & C.* multis clypeatorum. *Ibidem mox Iornandes (650, 40) habet* apud Himmas vicum Antiochiæ: *ſed Cuſp. mauult* apud Emeſam *ſiue Emiſam, ex Vopiſco & Zoſimo.* V. *46, C.* nam & inuidiam cæleſtis indignationis: *Maib.* ad inuidiam ſuperni numinis. *qua de re viſe quæ Vopiſcus in Caro tradit 301, 24.* V. *47, R. & C.* nullo obſtante. Cochen *vero q. c. appellant* Corchen: *alii* Colcham: *Iornandes* Clochen: *Cuſp.* Soenen. *Ammianus Marcellinus lib.* XXIIII, *430, 14, Cochen dici tradit Seleuciam Perſiæ ſeu Babyloniæ: quam Strabo libro 16* Σολόκην *olim appellatam refert; ſiue, vt quidam libri veteres habere dicuntur,* Σοδόμην. *Ibidem R. & C.* vrbes nobilin. *[illegible]iſſo geni[illegible]* [illegible]ſarum. V. *55,* quinque *abeſt a R. ed.*

P. 554, v. 1, R. & C. occîdit: *& mox Memm.* aufugit. V. *2, præpoſitio* cum, *abeſt a R. editione: Cuſp. pro ea habet* in: *ſicut etiam Memmii liber*, in maxima pudicitia reſeruatæ. V. *3, R.* Perſidæ *pro* Perſæ. V. *4, q. c.* Transtigrinis; *alii* Transtigritanis. V. *7, R. & C.* multis *pro* cunctis. V. *9, C. & Memm.* ſupplex ad eum legatio occurreret Perſarum, facturoſque ſe imperata promitterent. V. *13, R. & C.* acriori acie. *Sequenti verſu admodum diſſentiunt editiones. R. ſic habet*; Berna & Singarena, præſente Conſtantino; & Segarena, Conſtantienſi quoque. *Cuſp. ſic*; Singarena, præſente Conſtantio, ac iterum Singarena, Conſtantienſi quoque, & cum Amida capta eſt. *Maibom. ſic*; a veris & grauibus pugnis Berna & Singara, præſente Conſtantino, & Segarena Conſtantienſis quoque cum Amida capta eſt. *Sed & corruptam eam lectionem eſſe, notat idem Maibomius, & quomodo emendanda ſit ambigit. pro Berna tamen & Segarena intelligi fortaſſe poſſe BeZabden & Nicephorium, ex Ammiano ac Suida. Cuſpinianus e ceteris hiſtoricis legendum putat*; Ipſe bis præſens affuit veris ac grauibus pugnis; Singarena ſcilicet, ad Singaram facta; & iterum Singarena, Conſtantienſi quoque, & cum Amida capta eſt. *Ammianus Marcellinus abſente Conſtantio amiſſam tradit Amidam, Singaram, & BeZabden ſeu Phœnicham: rurſus eodem præſente Bezabden quidem armis repetitam, ſed non obtentam, Perſis fortiſſime defenſantibus. De ceteris pugnis Conſtantio præſente factis, videtur idem Ammianus diſſeruiſſe in iis libris qui iniuria temporum perierunt. Amidam porro a Conſtantio etiam tum Cæſare inſtauratam eſſe, atque eius nomine dictam, tradit idem Ammianus libro* XVIII, *363, 14.* V. *[illegible], C.* ſuo detrimento. *Sequenti verſu R.* occidit, *id eſt occubuit.* V. *18, R.* nota *pro* nocturna: *& mox* Alienſi: (*vt & Memm. liber*) *at C.* Elienſi. *Rurſus R.* vbi Conſtantinus affuit. V. *19, C.* locis ex nocte aduerſantibus. *vt* ex nocte *idem ſit quod per noctem, ſeu propter nocturnas tenebras.* V. *21, quid. cod.* improuiſis aduerſus ſitim aquarum ſub[illegible]is incumbentes. V. *24,* repertæ, *abeſt [illegible] edit.* V. *26, R. & C.* is cum [illegible] ap[illegible]atu. *Sequenti verſu q. c.* in Parthos. V. *28, C.* ſtrenuus ingreſſus: *Memm.* ſtrenue ingreſſus. V. *30, C.* mixtim: *alii* mixta. *ſed conuenientius* mixti; *vt intelligantur Tigridis & Euphratis confluentes. Sequ. ver. R. & C.* hoſti, *datiuo caſu: rectius.* V. *32, q. c.* repente transtulit. V. *34, C.* apertis e Cteſiphonte portis. *ſed conuenientius Rom.* apertis Cteſiphontis portis. *& ſeq. v. Memm. lib.* maiorum prædarum. V. *36, R. & C.* a militibus admon. V. *37, Cuſp.* in Madeniam: *alii* Corduenam. V. *40, R.* inguine tenus. V. *41, Memm. lib.* effluxionem. *Ibid. mox R. & C.* ordinem, *ſing. num.* V. *42, pro* multis *R. editio habet* multo: *Cuſp.* multo ſermone. *Ibidem mox R.* Iouinianus. *ſed* Iouianum *vocat præter Suidam etiam Euſebii liber m. ſ.* V. *45, R. & C.* inter agmina: *minus apte.* V. *47,* reduci *non habet R. nec C. Memmii liber pro eo habet* truci, *corrupte. Sequenti verſu idem Memmii liber habet* diſpendiorum; *Maibomius* ſtipendiorum. *Viſe Ammian. Marcell. lib.* XXV, *440, 48.* V. *50, C.* Quam magno deinceps ore poſſum, tua Princeps inuicte facta, inclyta cum ſint, perſonabo. *Memm. lib.* tua princeps inclyte facta ſunt perſ. *Sequenti verſu q. c.* æuo grandior. V. *53, R. & C.* parabo. *Iidem ſequentia ſic edunt*; maneat modo conceſſa Dei nutu, & amico, cui te crediſſe creditus es, numine indulta felicitas: vt de hac gente, ſicut de Gotthis, etiam de Babyloniis, tibi palma pacis accedat,glorioſiſſime principum Valentiniane Auguſte. *Memmii liber ſic*, conceſſa Dei nutu, & cui te crediſſe creditus es numine, indulta felicitas: vt hæc ingens, ſicut de Gotth.

IN EVTROPIVM.

P. 557, v. 1, Breuiarii *vocabulum non habet editio Schonhouii, neq; hic neq; in ſequentium librorum inſcriptione.* V. *5, ante* Veſtalis virginis, *Frobenii editio addit* Rheæ Iliæ; *editio Schonhouii,* Rheæ Siluiæ: *vt apud Florum eſt ſupra, 380, 44.* V. *9, Schonh. ed.* decimooctauo anno natiuitatis ſuæ. *& verſu 13,* ferme *pro* fere. V. *16 & 17, incluſa, abſunt ab editione Schonhouii.* V. *18, Schonh.* Cruſtuminos, *vt Coruinus ſupra 377, 12.* V. *26,* decem menſes *habent libri omnes. vt Numæ tribuere videatur Eutropius, quod alii adſcribunt Romulo; vt Macrobius Saturnal. libro 1. Coruinus ſane ac Florus ponunt* XII, *377, 28: 381, 36. Ibidem Schonhouius* aliqua diſputatione. V. *34, Sch.* atque Oſtiam: *vt Coruin. 377, 50: & Florus 382, 13. Vinetus præpoſitionem* apud, *quia in manu ſcripto libro inuenit, tollere noluit.* V. *45,* Æſquilinum *per diphthongum æ habet etiam Euſebii Chronicon m. ſ. Sed rectius ſino diphthongo ſcribi, oſtendi ſupra ad 378, 19.* V. *46, manu ſcriptus liber,* capita LXXXIII milia: *apud Liuium vero ſunt* LXXX milia: *vt Vinetus adnotat.* V. *49, Vineti liber vetus vbique* Vulſcos *ſcribit per u. Sed* Volſcos *per o habent etiam Faſti Capitolini. Dionyſius* Βολούσκους *nominat.*

P. 558, v. 2, Tarquinius *intelligendus hic* Collatinus, *Lucretiæ ſcilicet maritus, ex regia Tar-*

quiniorum familia ortus; vt Dionysius, Liuius, & alii declarant. V. *5,* XXV *habent etiam Liuiani libri: at Vineti liber m. s. habet tantum quatuor & viginti.* V. *6,* CCXLIII *habent libri omnes: itidemq; Iornandes 635, 28. attamen si supra positos regum annos cōputemus, inueniemus* CCXLIIII: *vt apud Liuium, Dionysium, Coruinum, alios. Cassiodorus (632, 29) ponit adhuc pauciores annos,* CCXL. *qua de re vise quæ Sigonius tradit supra, 13, 52.* V. *10, Sch.* longius quam annuum haberent. *Vinetus suum librum veterē secutus est.* V. *15, Sch.* qui accepto omni patr. V. *18, & 24, inclusa absunt ab ed. Sch.* V. *26, Vineti liber vetus* Porsennam *scribit duplici nn. de qua diuersitate supra quoq; dictum ad 492, 2.* V. *28, & 32, inclusa, absunt ab editione Schonhouii. at* factus *v. 33, abest ab editione Vineti.* V. *34, in Dictaturæ descriptione plenior aliquanto est Pæanii versio. ea enim (vt Cuiacius citat Comment. in lib. 2 De origine iuris) sic habet;* αὕτη δὲ δυνατωτέρα μὲν τῆς ὑπατείας ἦν, ἓξ μησὶ δὲ παρετείνετο μόνον. τοσοῦτον γὰρ ἔδοξεν αὐτὴν συστεῖλαι κατὰ τὸν χρόνον, ὅσον ὑπερέβαινε τῷ μεγέθει. *id est,* hæc autem, potentior quidem erat consulatu: sed in sex tantum menses extendebatur. quāto enim potestatis magnitudine eminebat, tanto eam temporis breuitate visum erat contrahere. *quæ Pæanius sumpsisse videtur ex Dionys. Hal. lib. 5.* V. *39,* tranquillitas vestra *plurali numero propterea vsurpatum videtur Vineto, quia tres simul eo tempore præfuerunt Romano imperio, Valentinianus & Valens fratres, & Valentiniani filius Gratianus. quo modo intelligi potest etiam quod Rufus supra dicit 648, 26,* in ortum perennitatis vestræ. *Sed sciendum tamen, illius temporis scriptores in Imperatoriæ maiestatis compellatione haud infrequenter plurali numero esse vsos: vt cum ex aliis manifestum est, tum ex Iulio Capitolino, qui Veri Imperatoris vitam Diocletiano inscriptam sic claudit;* cum adhuc post Marcum, præter vestram clementiam, Diocletiane Auguste, Imperatorem talem nec adulatio videatur potuisse confingere. V. *47, inclusa, absunt a Sch. edit. Eadem mox pro,* & victi acie, *habet* victi & capti: *minus belle.* V. *49, Cuspinianus notat, errorem hic esse codicis; ac pro* XVIII *scribendum esse* XIX. *quam supputationem sequitur etiam Sigonius supra 25, 16. Ibidem mox Sch. habet,* post eiectos reges. *Marcii autem prænomen* Quintus, *in libro De viris illustribus & apud Iornandem est* Cnæus: *apud Plutarchum vero* Caius: *quem sequitur Sigonius 24, 10: & 25, 17.*

P. 559, v. 1, libri plerique omnes habent Caio Fabio; *vt Vineti quoq; codex antiquus* Gaio Fabio: *cum apud Liuium, Dionysium, & alios, sit* Cæso Fabius. *forsan igitur natus error e commutatis prænominum notis compendiariis, C. pro K. qua de re vise Sigon. 345, 42.* V. *12, Liuius* trecentesimo altero, *sine copula.* V. *17, Sch.* decemuiralis potestas. V. *21, pro* VII *Vineti liber antiquus habet* VI: *vt supra quoq; legitur 559, 29. rectius, opinor: nam & Dionysius Halicarn. Fidenas Roma dissitas tradit stadiis quadraginta: id est quinq; passuum milibus, seu quinq; miliariis: siquidem octo stadia vnum conficiunt miliare; teste Plutarcho.* Veientes *autem pro* Veiis *(id enim opido ipsi nomen fuit) vsurp. etiam supra 559, 29.* V. *26 & 28, inclusa, absunt a Sch. ed.* V. *42, locum hunc paulo aliter citat Sigonius supra 54, 4: vbi etiam Eutropium* αἰσχροποιίας *arguit.* V. *44, Sch. & Frob.* hìc *pro* hinc. V. *51, præpositio* cum, *abest ab ed. Sch. Seq. v. Sch. habet fœmin. genere* ipsam Prænestem. *sed Vinetus & hic & infra in bello Pyrrhi (563, 9) cum m. s.* Præneste *neutro genere maluit. Virgilius quoq; Æn. 7 neutro genere dicit* altum Præneste: *at Æn. 8 fœm. gen.* Præneste sub ipsa. *Græci* Πραίνεστοι *vocant.* V. *55, curulium magistratuum solitudinem per quinquennium vrbem tenuisse, adnotat e Liuii libro sexto Vinetus. eumq; numerum sequitur etiam Sigonius 57, 31. quadriennium tamen dicit etiam Flauius Vopiscus initio Taciti.*

P. 560, v. 6, Vineti liber vetus habet trans Anienum, *a recto* Anienus: *quem Vinetus legi adnotat in carmine Statii quod inscribitur Tiburtinum Manlii Vopisci.* V. *7, Vineti liber,* progressus occidit: *vt paulo post, v. 17, de Coruino,* cum processisset armatus. V. *10,* VII milia *habet idem Vineti liber antiquus; vbi ex impressis alii nouem habent, alii cum Liuio* octo. *Præterea idem seq. v.* ducti *habet genere masculino, vbi impressi vel* deducta *vel* adducta. V. *16,* Camillo *abest a Vin. ed.* V. *20, Sch.* ita a tribuno Valerio interfectus, non solum victoriam ei, sed etiam nomen dedit: *expuncta scilicet particula* vt, *& mutato verbi modo.* V. *27, post mentionem statuarum in rostris positarum, Sch. editio addit ista;* Eo anno etiam Alexandria ab Alexandro Macedone condita est. V. *31, Sch.* profectus erat. V. *39, libro secundo De origine iuris, Appius Claudius dicitur Centummanus appellatus, Appiamq; viam strauisse, & aquam Claudiam induxisse.* Centummanus *tamen siue* Centumalus, *apud alios non Claudiorum, sed Fuluiorum cognomen est: vt ibi cum ex aliis, tum ex Eutropio adnotat Cuiacius.* V. *43, vulgo* Marcus Curius: *perperam; vt docet Sigon. 345, 11.* V. *45, Samniticū bellum quot annos durarit, vise apud eundem Sigon. 69, 6: 105, 9.* V. *48, Sch. pro* Cn. Cornelio *habet* P. Cornelium, *vt & Cassiodorus.* V. *52, Schonh.* in auxilio poposcerunt: *minus belle.*

P. 561, v. 11, redimendis *non habet Vineti liber vetus.* V. *20, Sch.* quod armati capti essent. *Vinet. membranas suas sequi maluit.* V. *21, Sch.* quam binorum hostium occisorum spol. V. *27,* Tarentum *abest a Vin. ed. Inclusa, quæ sequuntur, absunt ab edit. Sch.* V. *34, vulg.* Marcus Curius: *perperam: vt dictum ad pag. præced. v. 43.* V. *40, pro* C. Fabricio Luscino & C. Claudio Cinna, *Sigonius (103, 54) habet* C. Fabium Licinum & C. Claudium Caninam: *itidemq; Vineti liber vetus; nisi quod pro* Licino & Canina *in eo scriptum* Licinio & Cannio: *perperam. Eandem lectionem e vet. libro m. s. probat Onufrius Panuinius Comment. in Fastorum ann.* CDXXCI. *sicut in Græcis quoq; fastis est* Λικίνȣ & Κανίνȣ. V. *43, rectius* Quinto Ogulnio: *vt & Sigonius legit 106, 18: & Lud. Car[illegible] lect. lib. 2, c. 3. Vineti liber vetus habet* Q. [illegible]nio: *Panuinii codex membraneus* Q. Gulnio: *alii* Q. [illegible]cul[illegible] *habere dicuntur.*

dicuntur. vnde idem Vinetus cum Panuinio & Sigonio recte legendum censet Q. Ogulnio. *In Græcis fastis sunt tantum cognomina horum consulum,* Γάλλȣ ϗ Πίκτωρος. V. 45, *in Vin. m. s. est* Ariminus. V. 46, *Vin. m. s.* L. Ianio Libone: *at Sigon. 107, 23,* L. Iulio Libone. *Inclusa, quæ sequuntur, absunt a Sch. ed.* V. 48, *annum hunc Sigonius non 477, sed 488 statuit; 108, 52.* V. 50, *Sch.* tuminuenta sunt capitum CCXCII milia. *In epitome Liuianæ lib. 14, minor est numerus,* CCLXXI *milia,* CCXXIIII: *vt adn. Vin.* V. 55, *Vin. m. s.* Catinenses. *sed rectius* Catanenses; *rectius etiam* Tauromenitani. *Græce namque* Κατάνη & Ταυρομένιον *dicuntur istæ ciuitates.*

P. 562, v. 5, C. Duillium *Epitome Liuiana* Cnæum Duellium *vocat: itidemque Virorum illustr.* [illegible] V. 9 & 10 *inclusa, addita sunt e Sch.* V. 11, *Sch.* Sardiniam vastauit: & *seq. v.* abduxit, triumphum egit. V. 13, *Vin. m. s.* Vulsone, *per u, vt & lapides Capitolini.* V. 16, *Vin. m. s.* Clypeiam, *per ei: & mox,* consules ad Carthag. processerunt; *sine aduerbio* vsque. V. 20, *Sch.* cum XVIII elephantis: & *v. 25,* refugerunt. V. 29, *Sch.* in Africam. V. 32, *Sch.* nisi tanta fames fuisset. V. 41, *Sch.* discederetur. V. 43, *Vin. editio habet* Furio Placido. *sed* Pacilum *agnoscit etiam Sch. editio, & Sigon. 117, 50, & alibi.* V. 46, *Sch.* elephantorum numero.

P. 563, v. 2, Sch. in Africam: & *sequen. ver.* Post Appio Pulchro. & L. Iunio conss. *de quib. vise Sigon. 119, 11.* V. 4, *Sch.* ex ducentis, viginti cum pugnatorib. captæ sunt. V. 8, *Sch.* XXIIII *pro* XXIII. V. 10, *post* CCCC parauerunt, *Sch. addit ista;* numquam in mari tantis copiis pugnatum est. V. 13, *Vin. m. s.* XXV demersæ; *omisso scilicet numero centenario. & mox Sch.* XXII *pro* XXXII. V. 15, *Sch.* submersæ. *Ibidem mox Vineti liber antiquus pro* idus *habet notam literæ Græcæ* K *persimilem. vt fortasse kalendas significare voluerit.* V. 23, *Sch.* XV milia hominum cæsa; pax concessa. V. 30, *Sch.* gestum est. V. 39, *Sch.* Carthaginenses tamen bellum reparare tentabant. V. 42, *pro* Balbo *Sigon. habet* Bulbo *125, 36.* V. 50, tantum *pro vulg.* tum *Vinetus reposuit e vet. m. s. Idem hoc quoque monet, antiquum librum ad milia hominum hostiumve apponere semper participium masculinum; vt hic,* XL milia hostium interfecti sunt. V. 52, *Sch.* finito bello. V. 54, Viridomarum *vetus liber hîc* Viriodomarum *appellat; apud Florum autem (392, 21)* Virodomarum: *poeta* Virdomarum *seu* Virdumarum *nominant.*

P. 564, v. 2, vulg. spolia Gallorum. *sed rectius Vineti liber m. s.* spolia Galli, *id est Gallorum regis: vt Epitome Liu. l. 20,* occiso Insubrium Gallorum duce Viridomaro, opima spolia retulit. V. 7, *Sch.* CL milium peditum, & XX milium equitum. V. 9, *Sch.* legatis parere noluit. & *mox,* a Carthag. petierunt. V. 20, amnem *non habet Sch.* Trebiam *vero Vineti liber antiquus vocat* Treuiam *per u.* V. 22, XXV *diserte habet Vineti m. s. at impressi plerique tantum* XV, *vt & Liu. lib. 22, & Valer. Max. l. 1, c. 6: teste Vin.* V. 26, *Vin. m. s.* [illegible]b ambitu. V. 26, DXL *habet Orosius quoque lib. 4: at Sigonius* DXXXVII, *137, 32.* V. 30, *post* consule altero, *in Sch. edit. additur exegesis ista.* id est Æmilio Paullo. *Seq. ver. eadem legit;* quatuor milia Afrorum pereunt. *apud Liuium autem* octo milia *legi, notat Vinet.* V. 33, *Sch.* consulares aut prætorii. V. 34, *pro Senatoribus* XXX, *sunt apud Liuium* LXXX: *& duo milia septingenti equites pro trib. milib. & quingentis: vt adn. Vinetus. Schonhouii editio pro* XL *habet* LX: *& mox* CCCC *pro quingentis. Rursum pro* nobiliores *Vineti m. s. habet* nobiles. V. 45, *Vin. m. s.* mittuntur ei rursus XI peditum milia, & XXX elephanti. *Idem* Mallium *scribit per duo ll, vt Græci.* V. 51, *præpos.* sub *abest a Schonh. editione.*

P. 565, v. 11, Sch. integer mansit. *Seq. ver. rectius legemus* a proconsule Marcello, *vt Sigon. 142, 5.* V. 13, *Sch.* & nobilissimæ vrbis Syracusanæ. V. 15, *Vin. m. s.* rege Isauriæ Attalo: *contra historicorum consensum.* V. 17, nobilibus, *additum ex Sch.* V. 25, *rectius plur. num.* acceperant, *Afri scilicet. atque adeo sic habet editio Frobenii.* V. 28. *Sch.* omnes fere Hispaniæ. V. 30, *Vineti m. s.* P. Fabius. *sed* Q. Fabius *est etiam apud Sigon. 144, 18. Ibid. mox Sch.* Tarentum cepit. *sed* recepit *probat idem Sigon. ibidem 28.* V. 34, *Sch.* quæ ad Annibalem transierant, se Fabio Max. reddiderunt. V. 38, *Sch.* profectus est. V. 41, *Sch.* contra Scipionem ducem posse retineri: & *mox seq. v.* in Italiam. V. 43, *Sigonius (145, 21) hunc* Claudium Neronem *non* Appium *prænomine vocat, sed* Caium. V. 46, *Sch.* argenti relatum est. V. 50, *pro* L. Valerio *apud Liuium & Cassiodorum est* L. Veturius: *itidemque apud Sigon. 146, 22.* V. 52, *Schonh.* XIII *pro* XIIII: & *v. 54,* æstimabatur. V. 55, *Sch.* pugnauit; exercitum eius interfecit.

P. 566, v. 6, inclusa, addita sunt e Sch. V. 8, *Sch.* XLV diebus. V. 11, *Sch.* L milia. *sed* quingenta *habet etiam Frob. ed. & hîc & infra v. 17. Vineti liber m. s. omisso numero millenario habet;* quingenta pondo argenti darent. V. 13, *participium* veniente, *abest a Vin. m. s.* V. 16, *Vin. m. s.* additis quingentis ponderib. argenti centum milibus libr. *vt sensus esse videatur; centum milib. librarum additis ad quingenta milia pondo, quæ ex primæ pacis conditionib. pendere debebant Carthaginenses.* V. 19, *Sch.* sed infertur a Scip. V. 26, *Sch.* pondo CC milia. *sed* XX *habet etiam Frob. editio. Vineti liber m. s. non habet* milia: *& mox pro* octingentis *habet* XXX. *Pro iisdem octingentis quidam impressi habent* octoginta: *vt idem Vin. adnotat. Ibidem mox Sch.* cetera supellectilis. V. 30, *Sch.* annum XVII: *vt Orosius quoque lib. 4. Vinetus cum m. s. & quibusdam impressis maluit* nonumdecimum. *Liuius libro 30 (vt idem Vin. adn.) tradit secundum bellum Punicum initum esse P. Cornelio, Ti. Sempronio conss. & finitum octauodecimo anno, Cn. Cornelio, P. Ælio Pæto conss.* V. 37, *Sch. ordine inuerso,* quinquagesimo & quingentesimo primo. *Sigonius Macedonici belli initium facit annum* DLII, *150, 15: sed Flaminini expeditionem refert in annum* DLV, *151, 35.* Flamininum *autem scribendum esse, non (vt vulgo)* Flaminium, *docet idem*

Sig. ibidem. V. *40, Sch.* defenderant: *& mox v. 42,* Romanis daret. V. *45, Sch.* in gloriam duxit. V. *48, Sch.* M. Attilio Glabr. *sed Acilium & hic & apud Liuium habent etiam m. ſ. libri; verum c alias ſimplici, alias duplici; vt notat Vinetus. Sigonius M'. Acilium vocat 155, 14, & alibi. Incluſa quæ ſequuntur, abſunt ab ed. Sch. Contra coniunctio* ET *v. 55, addita ex Sch. Quæ lectio ſi minus placeat, cum Liuio leges,* circa Magneſiam quæ ad Sipylum eſt. *qua de re viſe & Sigon. 157, 10.*

P. 567, v. 3, Sch. XXX milia ped. *& ſeq. v.* pacem iniit: iisdem conditionib. data eſt a ſen. V. *10, Vin. m. ſ.* Aſiaticus accepit: *ea ſcilicet loquendi forma qua Ioann. 18,* τῷ δὲ ὄνομα τῷ δούλῳ Μάλχος, erat autem ſeruo nomen Malchus. V. *15, Sch.* Nicomedenſium: *vt Stephanus quoque Byzantius* Νικομηδεῖς *quatuor ſyllabis nominat.* V. *19, Vin. m. ſ.* Cothun: *ſed Græci perpetuo* Κότυω *ſine aſpiratione.* V. *36, Sch.* & iuxta ſe. V. *39, Sch.* itaque in conuentu. V. *43,* cum, *abeſt ab ed. Vineti: itemq; dona v. 50. cetera incluſa, abſunt ab ed. Sch.* V. *53, Vin. m. ſ.* Memmius in Luſitania. *quam lectionem probat etiam Sigonius 174, 50: ſed pro* Memmio *ponit* Mummium. V. *55, tertii belli Punici initium anno alteri & ſexcenteſimo adſcribit etiam Epitome Liuiana, lib. 49: at Sigonius* DCIIII.

P. 568, v. 1, pro L. Manlio in Vineti m. ſ. eſt L. Mallius: *Sigon. 176, 35, vocat L. Marcium Cenſorinum, & collegam eius M'. Manilium. Ibidem mox Vin. m. ſ. habet* anno quinquageſimo vno. V. *3, pro* Famea *in q. ed. eſt* Fanea: *in Vin. m. ſ.* Cemea. *Scipionum familiam, ſeq. v. late Vinetus exponit in Comment.* V. *9, incluſa, abſunt a Vin. ed. Sequentia incluſa, abſunt ab ed. Sch.* V. *19, Vin. m. ſ.* internicionem, *per i, & hic, & alibi.* V. *25, Vin. m. ſ.* cui ante currum: *& v. 29,* Pſeudoperſes. V. *31, incluſa, addita ſunt e Sch.* V. *34, Vin. m. ſ.* Lyſitania, *more Græco.* V. *39, Sch.* imperatores, *plur. num.* V. *48, Sch.* partim vi cepit: *& ſeq. v.* famē vicit. V. *53, Sch.* de Galliciis: *quæ appellatio vulgo quidem vſitata eſt, ſed corrupta. vera ſcriptura eſt* Callæcis; *vt habet etiam Frob. ed.*

P. 569, v. 1, Sch. motum interea in Aſia: *& v. 3,* infinita regum habens auxilia. *Incluſa ibidem, & in ſequentibus, abſunt ab ed. Sch.* V. *12, Metellum hunc pro Lucio Quintum prænomine vocat Plutarchus De fortuna Romanorum, Epitome Liuii lib. 60, & Sigon. 215, 50.* V. *15, Oroſius annum hunc facit* DCXXVIII: *ſed alios ponit conſules. Sigonius quoq; & in anni & i i conſulum notatione ab his diſſentit: locumq; hunc mendoſum eſſe docet, 215, 32; & 217, 9.* V. *17, Sch.* duci Bituito: *& Vin. m. ſ.* Vituito, *u pro b.* V. *21, Sigonius annum hunc facit* DCXXXV, *220, 11. Seq. v. Sch.* Narbonam, *vt Cremonam, Dertonam. apud Velleium eſt* Narbo Martius *435, 31. Ibidem mox Sch.* annoque eodem a L. Metello. *Sequentem vero adiectionem,* & Q. Mucio Scæuola, *falſam eſſe docet Sigonius 221, 17.* V. *27, Sch.* ex Africa. *ſed* ex Thracia *probat etiam Sig. 223, 18.* V. *29, vulg.* Calfurnio *ſeu* Calphurnio. *ſed* Calpurnium *ſine aſpiratione ſcribit cum Plutarcho etiam Feſtus, a Calpo Numæ filio: itidemq; libri & lapides antiqui, vt docet Manutius in Orthographia.* V. *32, Sch.* improbata eſt. *Seq. v. nominum eſt inuerſio. legitimus enim & vſitatus ordo eſt,* Sp. Poſtumius Albinus. V. *43, vulg.* Syllano *perperam pro* Silano; *vt ſupra monui aliquoties. Lapſum autem hic memoria eſſe Eutropium, nec Cimbros a Silano, ſed Silanum a Cimbris cæſum eſſe, ex Epitoma Liuii ac Floro adnotat Vinetus, & Sigon. 216, 16, 24. Ibidem mox Sch.* Cimbri in Italia: *ſed* Galliam *hic cum Frob. & Vin. agnoſcit etiam Sigonius 226, 24.* V. *44 & 48, incluſa, abſunt ab ed. Sch.*

P. 570, v. 6, M. Manilium aliter & nomine & prænomine ab aliis appellari, docet Sig. 229, 49. Eũdem etiam non cum Q. Seruilio Cæpione, qui ei hic adiungitur, ſed cum P. Rutilio Rufo conſule fuiſſe, Cæpionē autem anno præcedēte cum C. Attilio Serrano, docet idem Sigonius ibid. quinetiā proconſules eos, non conſules hæc egiſſe, docet præter Liuianam epitomen idem Sigonius. Ibid. mox Vin. m. ſ. pro Teutonibus *habet* Theutonis, *cum aſpiratione, & per ſecundam declinationem.* V. *10, Sch.* quantus vix. V. *16, Vin. m. ſ. pro* Teutobodo *habet* Theutomodum; *Florus* Theutobochum *ſeu* Teutobocchum *403, 29.* V. *21, pro* LX *quidam libri habent* XL. *Ibid. mox Sch.* ter mille *pro* CCC. V. *26,* nono *additum a Vin. ex m. ſ. & Oroſii libro 5. Sigonius annum hunc facit* DCLXII. V. *31, in Latinorum ducum nominib. magna eſt exemplarium diſcrepantia. Pro T. Viettio in Vin. m. ſ. eſt* T. Vetius; *apud Sigon. 243, 21,* T. Vettius Cato. *Deinde Aſinium Vin. m. ſ. prænomine vocat* Hierium, *Epitome Liu. l. 73,* Hirnium; *Sigonius* Hirnum. *Herennium quoq; nonnulli* Legennium *vocant, & quidem aliqui prænomine* Lucium. V. *34,* facta, *non habet Vin. ed.* V. *38, pro* DCLXII *Sigonius habet* DCLXVI. *Seq. v.* C. Marius *abeſt ab ed. Sch.* V. *46, Sch.* ordinatis futuro anno. V. *54, præpoſ.* ad *abeſt ab ed. Vineti.*

P. 571, v. 4, Vin. m. ſ. ipſaſque Athenas cepit. V. *5, Sch.* de Syllæ exercitu. V. *10, Vin. m. ſ.* iuſſit de pace cum Sylla agi. V. *19, Sch.* in fugam. V. *27, Sch.* XX milibus: *& mox,* quatuor milia de ſuis perdidit. *apud Plutarchum tamen Sylla ipſe ſcribit ſe in ea pugna de ſuis amiſiſſe tantum viginti tres milites.* V. *30, Sch.* LXX milia: *& v. 32,* ira victoris. V. *35, Vineti codices h.* ſecundus Sylla, *ſine præpoſ.* a. V. *37, Vin. m. ſ.* Hierdam. V. *39,* XXIIII *habet præter Eutropii codices etiam Liuii epitome. ex aliis auctoribus quidam* XXV, *quidā* XXVI *ætatis anno Pompeium triumphaſſe ſcribunt: qua de re Sigon. 253, 42.* V. *41, Sch.* ambo tracta ſunt. V. *43, Vin. m. ſ.* ſenatores fere ducenti.

P. 572, v. 8, Sch. fortunam eorum q. V. *11, Sch.* Herculeo; *alii* Herculeio. *Vinetus Hirtuleium maluit cum Epit. Liu. l. 90 & 91, Oroſii lib. 5, & m. ſſ. libris antiquis.* V. *13, Sch.* aduerſus Sertorium. V. *14, Sch.* Octauo decimo anno. *ſed demum legendum eſſe pro decimo, manifeſtum eſt e Sig. 9[illegible] Sertoriani belli initium ponit anno 673, Sertorii cædem [illegible] 680.* V. *18, Sch.* Varodopam. *ſed* Rhodopam *leg[illegible] ſatel-*

lium

lium etiam Sigon. 258, 18. V. *19*, Curio *abest a Vin. m. s. in quo etiā pro* Cnæus *scriptum* G. *id est Gaius seu Caius.* V. *22*, ex consule, *est etiā apud Oros. lib. 5: Vineti m. s. habet* ex consulari: *Liuii epit. proconsulē vocat.* V. *24*, *Vin. m. s.* Isaurosq;: *& mox*, in deditionem coegit. V. *25*, *vulg.* in Isauriam iter fecit. *Vinetus cum m. s. maluit* in Tauro; *vt etiam apud Rufum est supra, 551, 25.* V. *27*, *Vin. m s.* Gaius Cosconius. V. *30*, *Sch.* nixus eius. V. *33*, *erroris hic Eutropium arguit Sigonius 262, 48.* V. *34*, *Sch.* ex testamento. V. *36*, *Vin. m. s.* apud Chalcedoniam: *minus recte. rectius enim* Chalcedonem, *vel Græco more* Chalcedona: *quæ Stephano Byzantio est vrbs Bithyniæ ad os Ponti, e regione Byzantii. Sed videtur idem Stephanus hic legisse* Carchedonem: *dum scribit*, ἔστι καὶ Ἀρμενίας Καρχηδὼν, ὡς Εὐτρόπιός φησιν. *si tamen hunc Eutropium ibi Stephanus intellexit.* V. *38*, Cyzicum *neutro gen. dicitur etiam Plinio & Latinis plerisq;: at Græcis* Κύζικος *gen. fœminino: vt not. Vin. Seq. v. Sch.* Cyzici moratur. V. *45*, *Sch.* consobrinus eius qui contr. *Fratres hos Lucullos a Cicerone ac Plutarcho dici, not. Sigon. 263, 33.* V. *47*, *Vin. m. s.* Chryxo & Oenomatu: *alii* Crixo & Oenomano: *quidam etiam* Tinomao: *vt adnotat Vin.* V. *48*, *Sch.* mouerunt. nam mult. V. *52*, *Sch.* sexcentesimo & primo: *at Sigon.* DCLXXXII.

P. 573, v. 2, Vin. m. s. Sinopen & amissas ciuitates: *perperam.* V. *3*, *Sch.* bellicosissimas *pro* nobiliss. *Ibid. mox Vin. m. s.* apud Graueram: *corrupte.* V. *8*, *q. c.* Phœnicis partem: *minus recte, vt supra notaui, ad 379, 16. Paulo post sane, v. 45, regio hæc* Phœnice *dicitur, vt etiam apud Græcos.* V. *10*, *Sch.* Tigranocertam: *vt v. 42*, ab Artaxata; *& pag. seq. v. 3*, Hierosolymam cepit: *quum Græcis hæc neutra sint & pluralia.* V. *14*, *Vin. m. s.* legiones victas: *& mox Sch.* iam Romanorum. V. *17*, *Vin. m. s.* Lucullo parante. V. *19*, *de* Vscudama *&* Cabyle *siue (vt quidam scribunt)* Cabule, *dictum supra, ad 550, 36. Seq. v. Cuspinianus apud Rufum, in citatione huius loci, post* penetrauit, *addit ista*, expugnauit etiam gentes quæ Rhodopæis montibus circumfusæ sunt: *vt & Sigonius supra 266, 36. Idem mox* supra Pontum: *vt Rufus supra 550, 37.* V. *32*, *de* Calati *seu* Calathe, *dictum ad 550, 38. Pro* Buzia *vero, vetus Ortelii liber* Burziam *habet, Cuspinianus* Bruziam: *Vineti m. s.* Burziaonem *pro* Burziam omnem. *at* Prusa *Bithyniæ vrbs est.* V. *35*, *Sch.* contra Mithridatem regem: quo susc. V. *37*, *Sch.* triginta tantum. V. *39*, *Sch.* filii sui instinctu, militum seditione, ad mortem coactus. V. *41*, *Sch.* regnauit annos quadraginta. *Inclusa quæ sequuntur, absunt ab eadem ed. Sch.* V. *45*, *Sch.* in manus eius: *& seq. v.* adempta est & Syria. V. *49*, *Sch.* eorum regem, Orodem scilicet, prudenter vicit. *Vinetus m. s. sequi maluit. Dio Albaniæ regem hunc vocat* Orœsen; Arthacen *vero Iberiæ regem, nominat* Artocen, *in fine libri 36, & initio 37.* V. *53*, *Sch.* Paphlagoniam dedit.

P. 574, v. 1, vulg. loqu[illegible] *rectius Vin. m. s.* lucus. V. *11*, *Vin.* [illegible] *sine abbreuiatione habet* Dec[illegible]ni[illegible] V. *13*, *Sch.* filii Mithridatis, filii Tigranis. V. *21*, *Sch.* Britannicum accessit: *& mox v. 23*, bis tricies, *sine copula: vt & Frob. ed. quæ tamē lectio videtur minus vera.* V. *28*, Arunculeius *est in Vin. m. s. at in Cæsaris Comment. & Liuii epitome* Aurunculeius, *prima diphthongo.* V. *30*, *vulg. l.* DCXCIX: *Vinet. cum m. s. maluit* DCXCVII. *Crassus a Sigonio in Parthiam profectus dicitur anno* DCXCVIII, *at periisse anno* DCC. V. *32*, Orodem *hunc Parthorum regem vocant Eutropii libri omnes, quin & ceteri auctores Latini, cum Dione Græco: at Plutarchus in Crasso* ὑρώδην, *incertum an librariorum incuria* υ *posito pro* ο. V. *34*, C. Cassium *Crassi quæstorem vocat etiam Sigonius 291, 20: Velleius 450, 5: auctor lib. De viris illustr. 507, 52: Sueton. in Iulio cap. 80. apud Rufum autem, 552, 32, est* L. Cassius. V. *39*, *Sch.* cœpit poscere. V. *46*, *post Hispanicam expeditionem Dictatorem se factum scribit Cæsar ipse, Belli Ciuil. lib. 2: inquit Vin.* V. *47*, *Sch.* inde regressus. V. *50*, *vulg.* apud Pharsaliam. *sed* Palæopharsalum *habet præter Vin. m. s. etiam Orosius lib. 6: id est antiquam Pharsalum.*

P. 575, inclusa, v. 1 & 7, absunt ab ed. Sch. V. *12*, *post* habuerat, *addit Sch. ista*; quæ postea regio comitatu vrbem ingressa est. V. *14*, *Sch.* peruicit acie. V. *18*, *genus huius P. Cornelii Scipionis, prolixe exponit Vineti Commentarius. Seq. v. in vulg. libris est* Q. Varro. *sed* Q. Varum *Vinetus cum m. s. maluit: de quo supra quoq; ad 417, 15. Catonis genus idem Vin. exponit in Commentario. Inclusa quæ sequuntur, absunt ab ed. Sch.* V. *28*, *q. c.* & Sextus, Pompeii filius maior. *sed* Sextus *& abest a Vin. m. s. & abesse debet, quia maior Pompeii filius Cnæus fuit, minor Sextus: vt idem Vin. adn.* V. *34*, *Brutos hos ex primi Bruti genere fuisse, diserte negat Dionys. Hal. 292, 7: qua de re vise & Dionem lib. 44. Ibidem mox Sch.* consul fuerat.

P. 576, v. 10, Octauianus *post adoptionē dictus qui ante* C. Octauius Cæpia; *vt Dion testatur initio lib. 45.* V. *15*, Vin. *m. s.* Cæsaris magister eq. *genitiuo casu.* V. *23*, *Sch.* occupauerant; *prat. plusquamperf.* V. *28*, *in hac imperii diuisione, quia tertii triumuiri Lepidi mentio est omissa, locus videtur esse mutilus. Sigonius 308, 20, Lepido Hispanias & Narbonensem Galliam, Antonio reliquas Gallias; Cæsari vtramq; Libyam, vna cū Sicilia & Sardinia, prouincias tributas scribit.* V. *29*, *Sch.* sed in Italia. V. *30*, Perusium *neutro fine habent Eutropii libri plerique omnes; cum apud ceteros scriptores frequentius fœm. genere legatur* Perusia. V. *36*, Ventidius *hic pro Lucio* Publius *prænomine dicitur a Dione, itemque a Sigon. 309, 21. Seq. v. Sch.* Parthorum regis Orodis: *vt Rufus supra 552, 39.* V. *44*, *Sch.* pro victore cessit. *Inclusa quæ sequuntur, absunt ab editione Sch. At v. 53*, post, *abest a Vin. m. s. & hic, & alibi in similib. loquendi generibus.*

P. 577, v. 1, de anno ætatis quo Augustus obiit, cum Velleio & Suetonio consentit Eutropius: sed dissentit in notatione loci. illi enim Nolæ, hic Atellæ mortuum scribit. Est tamen hic etiam exemplarū discrepantia. Schonh. enim editio habet, Exstinctus morte communi; *omissa notatione temporis: & mox Vinetii m. s. neutro genere* Atello, *præ*

fœm. Arella. V. 2, *Sch.* ex maiore parte. *Inclusa quæ sequuntur, absunt ab ed Sch. & hic & in seq.* V. 9, *pro* Salassis *Vineti m.s. habet* Calosos: *corrupte. Seq. v. Sch.* Panticapen: *sed rectius* Panticapæon *seu* Panticapæan. *Panticapes enim, nomen est fluuii: Panticapæum vero seu Panticapæa, nomen opidi: vt docet Thesaurus Ortelii.* V. 14, *Sch.* supra ripam. V. 24, *Sch.* vehiculum vel currum ipsius. *Seq. v. Tiberii genus exponit Vineti commentarius.* V. 31, *Sch.* ætatis LXXIX: *Sueton.* octauo & septuagesimo ætatis anno. V. 36, *Sch.* filiam agnouit. V. 39, *Sch. & Frob.* Drusi (qui apud Magontiam cum filio monumentum habet; cuius & Caligula nepos erat) frater. *Vineti lectio consentit cum Suetonio & Aurelii Victoris epitome 533, 1.* V. 41, *Sch.* Britannis intulit bellum, quos null. V. 46, *Sch.* multa egregie fecerat. V. 50, *Sch.* Nero nepos C. Caligulæ, auunculo suo simill. *Vinetus m.s. sequi maluit. Genus Neronis exponit eiusdem Vineti commentarius.* V. 53, *Vin. m.s.* blattinis funibus: *Sueton. in Nerone cap. 30, dicit* funibus purpura coccoque nexis. *Sic apud Lampridium Heliogabalus parauerat sibi* funes blatta & serico & cocco intortos: *quibus, si necesse foret, se ipse strangularet. Est autem* βλάττη *seu* βλάττιον. θρόμβος αἵματος κογχυλίων, conchyliorum sanguis concretus: *vt e vetere quodam lexico exponit Turn. Aduers. lib. 18, c. 17.* V. 54, *Vin. m.s.* dedecore prostrauit.

P. 578, v. 5, Sch. Cottiæ, *gemino tt; vt alibi quoq; frequenter scriptum legitur. Idem seq. ver. omisso Cotti nomine, sequentia sic edit;* Per hæc Romano orbi exsecrabilis. V. 10, Numentanam *per u habet præter Vinetum etiam Schonh. & Frob. sed frequentius* Nomentana *dicitur per o, apud Victorem & alios.* V. 12, *Sch.* trigesimo secundo ætatis. V. 14, *Vin. m.s.* Seruilius Galba: *alii* Sergius Galba: *perperam vtrq;. vera scriptura est* Seruius Galba: *plenior appellatio,* Seruius Sulpicius Galba: *vt ex Plutarcho, Suetonio, Panuinii fastis, & aliis, satis est perspicuum.* V. 17, *Sch.* sæpe proconsul. V. 23, *Sch.* mollis, & Neroni familiaris: in imp. V. 26, *Sch.* breui prœlio: *& mox,* cum plures tamen cop. haberet. V. 29, *Sch.* bellum oriretur: *& v. 31,* imperii potitus. V. 37, exsequias *hic & infra initio libri noni pro reliquiis mortuorum accipi, cinerib. scilicet & ossibus, adnot. Vin.* V. 41, *Vin. m.s.* erecta coma capitis, & subiecto ad mentum gladio. *Vinetus ex Suetonio legendum putat,* reducta coma a capite: *Torrentius ex vet. cod legit,* erecto coma capite. *Ibid. mox Sch.* stercore inuolutū & pectus ab omnib. obuiis appetitū. *sed procul dubio vera scriptura est* in voltum *seu* in vultum, *id est in faciē: vt alibi sæpe.* V. 44, *Sch.* mense XVIII. *sed octauo imperii mense desertum esse Vitellium, scribit etiam Suet. cap. 15.* V. 48, Vectam *per a scribunt omnes libri nostri: apud Plinium tamen recto casu* Vectis *legitur: inquit Vin.* V. 50, *Sch.* nullis, *plur. num.* V. 53, *Sch.* placidissimæ lenitatis.

P. 579, v. 1, Tracheam *non habet Vin. m.s. Schonh. & Froben. diuise legunt* Ciliciam, Tracheam: *de qua lectione supra ad 534, 43. Pro* erant *seq. v. Vineti m.s. habet* egerat; *diuerso & verbo, & numero.* V. 16, *Sch* dimisit, *indic. verbi modo.* V. 19, *Sch* præterea: *& mox seq. v.* dixerit. V. 37, *pro* duplicem *Sch. habet* publice: *sed* duplicem *probat etiam Froben.* V. 38, *Sch. & Frob.* legio eius cum duce interfecta est: *quasi legio peculiari nomine Domitiana vel Flauia dicta intelligenda sit.* V. 40, *Domitiani opera iisdē prope verbis recensentur in Eus. & Cassiod. Chronicis: hoc tamen est discriminis, quod pro duobus istis,* odeum, porticus, *apud Euseb. & Cass. vnum ponitur opus,* diuorum porticus: *& post Stadium ac quædam alia, extremum collocatur* Odeum *siue* Odion. *A Suetonio cap. 5, sex tantum commemorantur opera, ædes Iouis custodis, forum Neruæ, Flauiæ gentis templum, stadium, ode..., naumachia.*

P. 580, v. 3, Eutropii chronologia non placet hic Orosio lib. 7. non enim 750 cum Eutropio, sed cum aliis 746 vrbis annum hunc statuit: at Fasti Panuiniani 748. V. 10, *Sch.* præfecto prætorii. *& v. 16,* primus cōs. fuit. V. 20, *Vin. m.s.* Decebalo, *vt & Xiphilinus & Tzetzes cap. 34. Seq. v. Sch.* Taiphali tenent. *Ex eodem addita sunt sequentia inclusa: quæ leguntur etiam in Frob. ed. nisi quod ibi scriptura paulum diuersa sunt* Victohali & Terungiti. *Apud Iuliū Capitol. in M. Antonino, in quibusdā libris appellantur* Victouali, *in aliis* Victuali: *apud Amm. lib. 17* Victobali. *haud scio an verior scriptura sit* Visstophali: *quæ gens etiamnum in Germania celebris est, Cattis meis siue Hassiis finitima.* V. 22, *Sch.* in circuitu tenuit. V. 23, *Sch.* Sarmato rege occiso: *Frob.* Sarmato Syriæ occiso: *alii* Pharmatosyre occiso. *Dionis abbreuiator Xiphilinus appellat* Parthamasirem. V. 25, *pro* Adiabenis *Vineti m.s. habet* Carduenos: *de quibus supra, ad 553, 8: vbi & de Mardomedis atq; Anthemusio.* V. 28, *Sch.* Madenam: *de qua regione supra 552, 8.* V. 44, *q. c.* mense vno: *Vineti m.s.* mense primo. *Inclusa, quæ sequuntur, absunt ab editione Sch.* V. 45, *Vin. m.s. & Sch.* ossa collata in vnam auream. V. 46, *Sch.* CXL pedes: *& seq. v.* non aliud. V. 55, *Sch.* id est Assyriam, Mesopotamiam, & Armeniam.

P. 581, v. 12 de Boionio dictum supra, ad 515, 46. V. 14, *Sch.* Pompilio comparatur. V. 22, *Sch.* apud Lorios. *Sed* Lorium *cum Vin. m.s. habet etiam Eusebii Chronicon m.s. & Iulius Capitolinus in vita Antonini Pii.* V. 23, *Sch.* vitæ anno LXXVIII, imperii XXIIII: *& mox,* inter deos. V. 29 *de M. Antonini & L. Verri genere, prolixe Vinetus in Comment. ex Dione, Herodiano, Lampridio, & aliis.* V. 31, *Sch.* Valeriam. *Vinetus adnotat barbaro sæculo pro Valerio scriptum modo* Vualerium, *modo* Galerium, *modo* Gualerium; *sicut* Vascones, Vuascones, Gascones, Guascones, *& similia. A quibusdam nominari Anniam Valeriam Faustinam; adnotat apud Victorem Schottus.* V. 38, *de apoplexi seu apoplexia, dictum supra ad 538, 24.* V. 39, *Sch.* inter deos. V. ..., *hæc, & multa deinceps alia, pene ad verbum ... n Aurelii Victoris epitome.* V. 45, *Sch.* Pium generum esse. *Sed veriorem esse Vineti lectionem, satis arg... præcedentia*

dentia v. 30, & confirmat Spartianus. V. 47, Sextum non habet Vin. m.ſ. cum tamen ita eum appellet Iulius Capitolinus in vita Marci Antonini, Apuleius initio Aſini aurei, Suidas, & alii. V. 49, Sch. elatus eſt imperii faſtigio.

P. 582, v. 1, Vin. m.ſ. Carnuntium, quatuor ſyllabis: at Sch. Carnutum. V. 5, Sch. belli vſum: & ſeq. v. inſtrumenta, numero multitudinis. V. 15, Sch. inter deos: & v. 19, deinde etiam. V. 24, Victoris epitome habet ann. LXVII; Capitolinus, annos LX, menſes VII, dies XXVI. ceterum ſi Pertinax natus kal. Auguſtis, Vero & Bibulo conſulibus, interfectus eſt quinto kal. April. Falcone & Claro conſulibus; vixerit annos ſex & ſeptuaginta, cum menſib. ſeptem, & diebus circiter XVIII: inquit Vin. V. 25, Sch. præfecturam vrbis. Vinetus cum m.ſ. maluit præfecturam vrbi; vt etiam in Victoris Epitome eſt 539, 1: & 513. 43. cuius generis etiam Græca exempla notaui in Syntaxeωs compendio, 44, 337. Ibid. mox pro octogeſimo Capitolinus & Victoris epitome habent LXXXV: vt not. Vin. V. 27, Sch. iure peritiſſimus. V. 37, Nigrum apud Cyzicum interiiſſe, tradit etiam Spartianus, in Seuero pariter & Nigro. ſed cum m. ſ. liber habeat Ciſiacum, Vinetus ambigit an verior lectio ſit apud Iſſicum: ſicut ſcilicet Dionis abbreuiator Xiphilinus Nigrum ἐν Ἰσσῷ πρὸς ταῖς καλουμέναις Πύλαις Κιλικίοις victum; atq; inde profugum, circa Antiochiam captum & interfectũ eſſe ſcribit: nec multo aliter Herodianus. V. 38, Sch. & Frob. Parthos vicit & Arabas interiores, & Adiabenos: Arabas quoq; ſuperauit: & mox, idcirco Parthicus, Arabicus, & Adiabenicus dictus eſt. Sed cum in ea lectione deformis ſit iteratio, corrigi ea ſic poterit, ſi particula quoque paulo latius extenſa legamus, Arabas quidem certe eouſque ſuperauit, vt etiam pr. atq; ita Eutropius concinet cum Victore 517, 32: & Rufo 553, 20. Sed eam quoq; lectionem ſequi poſſumus quæ apud Caſſiodorum eſt infra, 614, 13, petita ex Euſebii Chronicis: quippe cum ſupra 580, 29, Traianus Arabiam in prouinciæ formam redegiſſe dicatur; apud Euſebium vero & Caſſiodorum, Seuerus Arabas interiores deuiciſſe memoretur. V. 44, Sch. XXXV milia: at Vin. m. ſ. CXXXII milia; vt etiam Euſebius, Caſſiodorus, Beda. V. 45, Frob. anno XII: Sch. anno XVI: Vinetus cum Spartiano maluit XVIII; vt habet cum Euſebio etiam Caſſiodorus & Beda. V. 46, Sch. & Fr. filios duos ſucceſſ. V. 47, Sch. nomen ſenatus voluit imponi. at Frob. cum Vineto legit a ſenatu. V. 51, Vinetus concinniorem lectionem fore cenſet ſi pro lauacri reponamus thermarum. ego manente lauacri vocabulo malim, quæ Thermæ Antoninianæ appellantur: vt apud Spartianum eſt, reliquit thermas nominis ſui eximias: atq; adeo Thermas Antoninianas in regione vrbis XII agnoſcit etiam Victor. V. 53, Vin. m. ſ. Oſdroena. Dion, Herodianus, Suidas, & Græci pleriq; Ὀσροηνὴν vocant, ſine d.

P. 583, v. 6, biennium & octo menſes habet etiam Victoris epitome 539, 51: Lampridius, fere triennium: Euſebius, [illegible]us, Beda, annos quatuor: Herodianus, annos ſex. V. 7, pro Semiamira, tranſpoſitis vocalibus in Euſebii Chronico m. ſ. eſt Symia ſera: in Vineti m. ſ. Simia ſerena: in Frob. ed. Symiamyra: apud Lampridium in aliis libris Symiamira, in aliis Semiamira: in Victoris epitome 539, 51, Semea: apud Herodianum Soæmis. Vineto & Schonhouio Semia Syra magis placuit. V. 9, Vin. m. ſ. Xerxen, vt Anchiſen, per primam declinationem. alii Artaxerxem vocant; vt ſupra notaui ad 518, 49. V. 10, Sch. tumultuarias legiones. Seq. v. q. c. Vulpianum, nomine a vulpe deflexo. Sed Vlpianum agnoſcit etiam Suidas. V. 22, Pupienum & Maximum eundem eſſe, aliquot in locis teſtatur Capitolinus; & confirmant cum Faſtis Panuinianis etiam nummi antiqui, in quibus appellatur CLODIVS PVPIENVS MAXIMVS. V. 26, Sch. cuius frater: perperam; vt docet Capitolinus. Facit autem Eutropius duos tantum Gordianos, cum Capitolinus & alii memorent tres, patrem, filium, nepotem. V. 29, Sch. imperio reſeruato. V. 30, Sch. & Frob. Tranquillam: Vinetus Tranquillinam cum m. ſ. maluit. V. 34, Circeſſo habet etiam Vin. m. ſ. at Capitolinus Circeium vocat. Cercuſium appellari ab Ammiano libro 22, & Procopio lib. 1, ait Ortelius. V. 41, Vin. m. ſ. Budaliæ, d pro b: vt etiã Itinerariũ Antonini. V. 44, Schon. ſenior meruit inter diuos referri. V. 45, Gallũ & Hoſtilianũ diuerſos facit Victor 520, 31. V. 52, Sch. ita vt vel infelicitate principum, vel ignauia, Germani Rauennam vſque venirent. V. 55, poſt conſenuit, Schonhouius addit iſta; nam quamdiu vixit, rex eiuſdem prouinciæ incuruato eo, pedem eius ceruicib. imponens, ſolitus erat equum conſcendere. ſed ea Pauli Diaconi potius eſſe videntur quam Eutropii.

P. 584, v. 3, Sch. Murſam, vt & Vin. m. ſ. nec multo aliter Oroſius libro 7 Myrſam, poſito ſcilicet y pro u, more Græco. alii Murtium, ſeu Myrtium vocant. Seq. v. pro Trebelliano apud Pollionem eſt Regillianus. V. 5, Sch. laxauit, ſine prepoſitione: & ſeq. v. in Italiam penetrauerunt. V. 10, Sch. Poſthumius. ſed rectius Poſthumus ſeu Poſtumus; de quo ſupra, ad 541, 1. V. 15, Sch. purpuram ſumpſit. De die quo idem Marius interfectus eſt, dictum ſupra, ad 521, 21. V. 17, Sch. actuario quodam, vt apud Pollionem eſt: Vineti m. ſ. Acturio: quidam alii Authoriano: de quo ſupra quoq; ad 521, 23. V. 21, Sch. cum hæc in Gallia agerentur. V. 25, inter notationem temporis, interea; & notationem loci, Mediolani, Sch. interſerit modum actionis, fraude Aureoli ducis ſui. qua de re viſe Victorem 521, 40: & Epitomen 541, 13. Pollio paulo aliter. V. 31, Quintilius eſt etiam apud Oroſium, & in Pollionis quibuſdam editionibus: in Faſtis Panuinianis & nummis vet. Quintillus, ſeu M. Aurelius Quintillus. V. 35, Sch. is quoque Gothos: & mox v. 37, apud Catalaunios. V. 39, Virgili verſus eſt ex Æn. 6. V. 51, Vopiſcus in Aureliano, e quo pleraq; huc tralata ſunt, pro infinitum habet multum.

P. 585, v. 1, q. c. protulit; minus apte. V. 13, forſan conuenientius opera militari, id eſt labore militum. Vopiſcus dicit militari manu. V. 14, Vin. m. ſ. Almam montem, fœm. fine, vt etiam Vopiſcus & Euſeb. Chron. m. ſ. Seq. v. Sch. colendas dedit, ſ. vineas. V. 18, Sch. interfectus

est autem Sirm. V. 23, *pro* Seleucia *Sch. habet* Corchen: *Cuspinianus* Soënen *legit: de qua supra quoque, ad* 553, 47. V. 26, *q. c.* in lectica veheretur: *Vineti m. s.* illecticaretur. *quod verbū si Eutropii est, signif.* in lectica conderetur. V. 28, *inclusa, & hic, & in sequentibus, absunt ab ed. Sch.* V. 29, *Vin. m. s.* deductis: *& mox v.* 31, ad Parthos. V. 35, *Sch.* Victor exercitus. V. 38, *q. c.* Amilini: *Vin. m. s.* Anulini. *Fasti Panuiniani* Anullinum *vocant, ll duplicato. Seq. v. Vineti m. s.* non suo dolo: *& mox v.* 41, Margum. V. 43, *Viminatius an idem sit qui Almus seu Alma, v.* 14, *incertum est. Pro* Aureo *Vin. m. s. habet* Vreum. *Seq. v. quidam legunt,* factioni suæ sæuæ clarum nomen impon. *quæ lectio minus est verisimilis. De Bagaudis, seu Bacaudis, dictum supra, ad* 524, 27. V. 46, *Sch.* Herculeum, *per e, & hic, & in seq. Seq. v. Sch.* in serenæ militiæ ordine. V. 49, *Vin. m. s.* Armorici. V. 54, *Sch.* Achilleus in oriente.

P. 586, *v.* 13, *Sch.* per murum. V. 19, *Sch.* primum aduersum Narseum prœlium & secundum habuit: *& seq. v.* Gallicinum. *sed verior est Vineti lectio, e m. s. codice petita.* V. 26, *Sch.* simul & fortitudine: *& seq. v.* altero aut tertio. V. 29, *Sch.* vltimas regionis solitudines egit. V. 41, *Sch.* saniorib. consiliis: *& mox,* cum autem ingrauesc. V. 48, *Sch.* Salonam, *sing. num. Inclusa, & hic & in præcedentibus, absunt ab editione Sch.*

P. 587, *v.* 3, *Sch.* in administr. V. 8, duob. Cæsaribus, *Seuero scilicet & Maximino; de quibus supra quoque,* 525, 39: 542, 35. Cæsares *autem sub Augustis appellati qui fuerint, docet Spartianus in Ælio Vero, a principio.* V. 12, *Sch.* dicensque: *& mox v.* 14, festis diebus. V. 18, *Eusebius & Beda tribuunt Constantino imperii annos sedecim.* V. 32, *Sch.* exercitu filium Maxentium nudare. V. 47, *Sch.* Maximiano. *sed* Maximinum *siue* C. Galerium Maximinum *vocant etiam Fasti Panuiniani.* V. 50, Miluium *non habet Vineti liber m. s.* V. 53, *Sch.* vir magnus: *& seq. v.* principatum, *num. sing.*

P. 588, *v.* 8, *Sch.* aliquantulum: *& mox,* fauorabilis animi. V. 16, *Sch.* iustitiæ & amoris, quæ omn. V. 19, *Sch.* pluresque superfluas. *Seq. v. cum dicitur Constantinus vrbem nominis sui erexisse,* Constantinopolis *significatur, quæ olim* Byzantium *appellata est; supra* 572, 41: *&* 550, 47. V. 28, *magni Constantini genus prolixe exponit Vineti Comment.* V. 34, *Sch.* obiit haud longe ab Hisp. *Seq. v. cum dicitur* anno imperii XVII, *intelligendum est ex quo Cæsar factus fuerat: quippe quod aliquot annis ante Cæsar fuerit quam Augustus. vnde Victor, Hieronymus, & alii, Constantem ad tredecim solum annos imperasse tradiderunt; inquit Vin.* V. 50, *Sch.* imperium vindicante.

P. 589, *v.* 6, *Sch.* natura ferox. *Inclusa quæ sequuntur, absunt ab ed. Sch.* V. 16, *Vin. m. s.* Germaniam exercitus: *sed idem mallet* Germaniciani exercitus, *vel* Germaniani; *vt supra in Othonis historia legitur in q. cod.* Germanianos *porro idē legi adnotat etiam in Capitolini Clodio Albino;* Germanicianos, *in Suetonii Tiberio, vt* Illyricianos *in Vopisci Probo.* V. 18, *Sch.* qui, rebus cogn. V. 19, *in annorum numero aliquantum hic discrepant Victoris epitome, & Ammianus Marcellinus, vt fusius docet Vineti Comment.* V. 28, *Sch.* vi expugnauit. V. 33, *Sch.* facundia ingenti & prompta; memoriæ tenacissimæ. V. 37, *Sch.* repressor. V. 41, Iouianus *legitur etiam in Vin. m. s. & apud Suidam. sed cum Ammianus Marcellinus lib. 25 scribat, Augusti huius nomen a nomine superioris Augusti Iuliani, vna tantum littera discerni, significat illis temporib. appellatum esse* Iuuianum, *vt habet etiam Pomponius Lætus.* V. 44, *Sch.* mulctatis finibus. V. 45, *impressi libri omnes habent* CCC *&* XXII: *antiquus Burdegalensis,* LC, & duobus de XX. *Vinetus partim ex huius scripturæ vestigiis, partim ex Ammiani libro 25, reposuit* MC, & duobus de viginti: *qua de re plura eius Commentarius.* V. 49, *Sch.* reprehensa foret. V. 55, *Sch.* nimiis enim epulis inter cœnandum indulserat.

P. 590, *v.* 2, *Sch.* nimia vi prunarum. *Seq. v. q. c.* mense octauo, tertio decimo kal. mart. *qua de re Vin. Comment.* V. 7, *Sch.* centesimo, nono & decimo. *Fasti Panuiniani annum hunc faciunt* MCXVI. *Ibidem mox* inclytos principes *intelligit Valentinianum & Valentem, fortassis etiam Gratianum.*

IN CASSIODORI CHRONICON.

P. 591, *v.* 23, *Cuspiniani editio,* successit in regno: *& seq. v.* post octauum Troiæ annum: *Eusebii Chronicon,* post octauum annum captiuitatis Troiæ. V. 27, *Cusp.* Albam Longam condidit; *Eus. Chr. m. s.* Albam vrbem cond. *In seq.* Siluius *per i scribitur cum in Euseb. m. s. tum apud Dionys. Hal. vt etiam* Σιλβαιὸς *apud Suid.* V. 34, *Cusp. & Fornerii editio,* regnat. V. 45, Carpentus *est etiam in Eus. m. s. in Cusp. ed.* Calpetus; *in ed. Forn.* Capetus. V. 49, *rectius* apud Lacedæmona; *vel,* apud Lacedæmonios. V. 52, *Cusp.* mons Romanus. V. 55, *inclusa, de Amulio, addita sunt ex Eusebio, Dionysio, & aliis.*

P. 592, *v.* 16, *Forn.* applicita: *a Cusp. ed. abest hæc clausula.* V. 21, *vulg.* sunt conditi. *ego* nuncupati *malui cum Cuspiniano & Dionys. Hal. Ibid. mox Cusp.* hic primus. V. 38, Roma, *abest a Cusp. ed.* V. 42, *Cusp. in* Gallia. V. 45, *q. c.* His temporibus.

P. 593, *v.* 4, *Cusp.* P. Valerius Publicola II. *Inclusa quæ sequuntur, addita sunt e Cusp. & Sigonio. Tractat autem de iis Sigonius supra* 16, 41; *& Emendationum pag.* 2. V. 7, *Cusp. & Sigon.* M. Valerius & P. Postumius. *Vbi vt in prænomine variatū, ita etiam in sequentib. sæpe. quas diuersitates singulatim exponere supersedebo, cum e Sigonio peti possint; & quidem nullo negotio. annos enim ab vrbe condita, in margine adscripsi; vt eorum indicio facilius inueniri possint quæ in quæstionem veniunt. Hoc etiam monendum, vbi hæc editio habet* M'. *&* Ti. *id est Manium & Tiberium; ibi vulgatas editiones, excepta editione Fornerii, habere* M. *& T. id est Marcum & Titum.* Gn. *pro* Cn. *&* G. *pro* C. *vt vulgati libri sæpe scribunt, ita & nos retinuimus: cuius diuersitatis meminit*

minit & Sig. 346, 40. Iterati magistratus notas multis apponit editio Cuspiniani, quæ in ceteris desunt. eas quoq; tibi e Sigonio petendas relinquo; cum is talia multo quam Cuspinianus tractarit diligentius. His & similibus plerumq; asteriscos apposui, qui Sigonium tibi adeundum significent. Sunt tamen non pauca quæ licet asterisco notata non sint, nihilominus tamen animaduersionem requirunt; vt inter alia vbi consules aliqui sunt omissi: quod deprehensu erit facile, si ab eicade ad eicadem fiat numeratio.

P. 594, v. 4, Cusp. Romulius, *& seq. v.* Aterinus: *de quo vise Sigon. 34, 1.* V. *11, vulg.* XL annis: *itemq; Cuspiniani liber m. s. sed* duob. annis *legendum esse, ostendit præter Cuspinianum etiam Sigonius 36, 7.* V. *22, pro* Pacilus *in vulgatis libris est* Tacitus: *minus vere.* V. *53, non his primum consulibus, sed ante quoque tribunos militares fuisse creatos, ex Dionysio & aliis docet Sigonius 37, 15. Romam vero a Gallis captam esse anno* CCCLXIII, *docet idem Sigonius 53, 13.*

P. 595, v. 8, pro Mamercus *Sigonius & hic & in sequentibus, ex Fastis Capitolinis scribit* Mamercinus. *Ponuntur autem ab eo hi conss. anno vrbis* CCCLXXXVII. V. *11, in vulg. ed. & hic & in seq. legitur* Potitus. *quod cum Valeriorum sit cognomen, ego cum Sigonio scripsi* Peticus; *præsertim cum etiam in Fastis Siculis sit,* Σπήλωνος & Πετίκου. V. *45, vulg. l.* C. Menenius. *nostram & Sigonii scripturam probant iidem fasti, cum scribunt* Καμίνου & Μαινίου.

P. 596, v. 1, pro Venox *apud Sigon. est* Venno, *74, 4: in Fastis Siculis,* Κεδίσου & Βένωνος. *Inclusa quæ sequuntur, addita sunt e Cusp.* V. *22, in vulg. l. est* L. Papirius Iun. *quæ scriptura si vera est, significare videtur L. Papirium iuniorem. In Fastis Siculis est* Κουρσωρος τὸ δ: *id est,* Cursore quartum consule. *vt auctor eorum pro* Iun. *legisse videatur* IV, *id est* IIII. V. *39,* Auerrio *est etiam in Cuspiniana editione. Sed s initio addendum esse, arguit etiam in Fastis Siculis* Σαβερρίου. V. *51, Cuspinianus & Sigonius* Megellus, *per e in secunda syllaba, vt etiam Fasti Siculi.* V. *53, vulgatis libris* Sp. Cornelius. *sed Caruilium pro Cornelio reponendum esse, ostendit etiam* Maximi *cognomen in Fastis Siculis.*

P. 597, v. 9, vulg. l. Dolobella, *vt etiam Suidas. sed* Dolabellam *per a scribunt cum Capitolinis fastis etiam Siculi.* V. *49, vulg.* Cercolnius; *itemque Cuspin. edit. Sed* Κέρκων *est etiam in Siculis Fastis.* V. *53, Cusp.* a Liuio Andronico: *Gellius M. Liuium appellat, vt testatur Sigonius supra 123, 35.*

P. 598, v. 7, vulg. Oblitius: *itemq; Cuspinianus. Ego Sigonium sequi malui.* V. *21,* Pilo *est etiam in Cusp. editione. sed* Philus *appellatur in Siculis quoq; Fastis.*

P. 599, v. 9, Cusp. Aulius Appulus: *sed* P. Villium Tappulum *vocat cum Liuio fasti Capitolini: &* Tappulum *agnoscunt etiam Siculi.* V. *22, vulg.* M. Scipio: *& [illegible]* Atilius: *perperam vtrobiq;, vt perspicuum est ex Sigonio.* V. *41, Cusp.* Tamphilus. *sed* Tamphilum *vocant etiam Siculi fasti.* V. *47, inclusi consules, additi sunt ex Cusp. & Forn. ed. eosdemq; agnoscit etiam Sigon. 161, 24.* V. *50, apud Sigonium & fastos Siculos est* Petillius: *& v. 54,* P. Ælius.

P. 600, v. 5, vulg. Ælius Pæto. *sed* Pætus *nominatur etiam in Siculis fastis.* V. *26, prænomen* A. *additum ex Cusp. & Fast. Capitol.* V. *50, pro* Sulpicio *in ed. Cusp. & Forn. necnon in Fastis Siculis, est* Rupilius.

P. 601, v. 3, in Cusp. ed. est Sex. Domitius: *sed superscriptus tamen* C. Sextius. *in fastis Siculis appellantur* Longinus & Caluinus. V. *9, pro* Manlio *in iisdem est* Manilius. V. *18, Cusp.* ludum Calanum. *sed* ludum talorum *legit etiam Sigonius 221, 47.* V. *24, Cusp.* Syllanus. *sed* Silanum *vocant etiam Fasti Siculi.* V. *32, vulg.* Fimbrius; *cum vel* Fimbria, *vel Græco more* Fimbrias *scribendum sit.* V. *41, Cusp.* Ægypti rex Cyrenis mortuus, S. P. Q. R. hæredem reliquit. V. *50, Cusp.* Q. Pomponius. *sed* Pompeium *probat etiã Rufi cognomen in fastis Siculis.*

P. 602, v. 6, Cusp. M. Syluius Decula: *& mox v. 8,* P. Cornelius. V. *23, Cusp.* Cn. Lepidus. *apud Sigonium pro duob. his sunt quatuor; M. Lepidus & L. Volcatius: L. Cotta & L. Torquatus. itemq; in fastis Siculis.* V. *37, Cusp.* ciuiles discordias.

P. 603, v. 10, Cuspinian. occisus a Theodoto milite: *& ver. 19,* Pompeiana curia. V. *25, vulg.* Hircius. *sed* Hirtium *per t vocat cum fastis Siculis etiam Suidas.* V. *30, Forn.* forum Augusteum. *Victor* forum Augusti *nominat, in regione vrbis octaua.*

P. 604, v. 8, in fastis Capitolinis & alibi est C. Cæsar Augustus; *& quidem conuenientiori ordine.* V. *13, Forn.* Asturices: *cum* Astures *vocent plerique omnes. Mox idem Forn. & Cusp.* per L. Lamiam Cæsar perdomuit. *Dio libro 53, sub finem,* L. Æmilium *vocat: sed haud scio an mendose pro* Ælium. *vt intelligendus sit* L. Ælius Lamia, *consul an. 755.* V. *33, Sigonius 333, 2, vocat Iulium Antonium Africanum, & Q. Fabium Maximum: Fasti Siculi Africanum & Maximum.* V. *49, vulg.* XII. *sed* XLI *legendum esse cum Cuspiniano & Fornerio, ostendit ipse consulum numerus.*

P. 605, v. 16, vulg. Senis. *ego cum Cusp.* Semis *malui: quia non Senis sed Nolæ Augustus obiit; vt Velleius, Suetonius,* & *alii tradunt.* V. *39, Silano & Silio conss. Cuspiniani editio subiicit ista;* Hoc anno D. N. IESVS CHRISTVS a Ioanne baptizatur, & prædicare cœpit. *Seq. v. Forn.* C. Fufius; *itemq; Fasti Panuin.* C. Fufius Geminus. V. *42 & 43, inclusa, e Cuspiniano inserta, probant etiam Panuiniani fasti. Contra inclusi v. 49,* Vinicius & Longinus, *absunt a Cuspiniani & Panuinii Fastis. atque adeo videntur iidem esse qui ab omnibus Fastis ponuntur ante Tiberii consulatum quintum, v. 41.* V. *51, pro* Prisco *Cusp. habet* Persicum; *itemq; Panuinius & Fasti Siculi.*

P. 606, v. 4, Cusp. mensib. XI. V. *9, Proculo & Nigrino subiunguntur in Fastis Panuinii* C. Cæsar II, & L. Apronius. *Fasti Siculi cum Cassiodori editionibus consentiunt.* V. *24, pro* Secundo *in Cuspiniana edit. est* Saturninus II.

Panuin. Secundum & Venustum inter suffectos refert. V. 29, pro Gallio Cuspiniana editio Gallum habet, fasti Panuin. Largum; itemq. Siculi. V. 39, Cuspin. Romanorum sexagintanouem centena milia: & mox, hucusque regnata, in prouinciæ formam redigitur. V. 45, pro Verannio & Gallo in fast. Panuin. est Q. Verranius Gallus, & C. Pompeius Longinus. V. 49, Antoninum pro Antonio reposui ex Forn. edit. & fastis Panuin. præsertim cum pag. seq. v. 2, Antoninus II consul nominetur. V. 50, Cuspinianus Siluanum habet; at Fasti Panuin. P. Cornelium Sullam Faustum. V. 54, Cusp. & Forn. dieb. XXVIII.

P. 607, v. 3, Cusp. Marcellus: sed Marcellinum vocat etiam Panuin. V. 6, Iudææ additum ex Cusp. V. 9, in Eusebii vulg. ed. est Statius Surculus Tolosanus: in m. s. codice, Statius Vrsulus Tolossensis. V. 14, inclusi conss. additi sunt e Cuspiniano. a Panuinio vocantur C. Vipsaius Poplicola Apronianus, & L. Fonteius Capito. V. 16, Panuin. Pætus & Turp. Sequentes eidem sunt, Marius Celsus & L. Asinius Gallus. Tum his ipsis subiunguntur, L. Memmius Regulus & Paulus Virginius Rufus. V. 26, epitheton Romanæ, abest a Cuspin. editione. Ex eadem sequenti versu pro Censino reposui Celsinum. V. 31, inclusi, additi sunt ex eadem editione. Panuiniani fasti non parum hic a Cassiodoro discrepant. V. 53, Vespasianum septimum Imp. facit etiam Eusebius; at Suetonius & alii decimum.

P. 608, v. 3, Euseb. sexcenta milia: itemque Cusp. V. 10, Panuin. L. Cæionius Commodus Verus, & C. Cornelius Priscus. V. 34, iunior abest a Cuspin. editione. V. 48, Forn. primus Domit. & seq. ver. appellari iussit: vt Eutrop. supra 579, 33.

P. 609, v. 1, Euseb. multa opera Romæ facta; in quib. Capitolium: & mox v. 4, copulate, Isium ac Serapium. V. 6, Euseb. & Cusp. Mineruæ Chalcidicæ Odium: Turnebus & Carrio, Mineruæ Chalcidicon, Odeum. Vulg. lectioni patrocinatur quod Minerua Chalcidica recensetur apud Victorem in regione vrbis nona, & Odeum siue Odion seorsum ab Eutropio ponitur post Forum transitorium. V. 9, Forn. distinguit post Senatus. V. 13, Nerua II & Rufus, a Cuspiniano postponuntur Fuluio & Veteri. Apud eundem mox Antonius est pro Antonino. Panuinius hic quoq. a Cassiodoro discrepat. V. 33, Cuspinianus mensibus quatuor. V. 45, Cusp. Osdroenos. sed Osroenos sine d scribit etiam Suidas. Bosphoranos autem Steph. Byzantius Βοσπορηνοὺς vocat & Βοσπορανοὺς, sine aspiratione. V. 55, in anonymis Fastis apud Cuspinianum est Priscianus & Orfitus, sicut etiam in Siculis: in Fastis Panuin. Clodius Crispinus II, &. . . . Solenus Orfitus. Præterea in Panuin. & Siculis Fastis pro Africano & Crispino ponuntur Palma & Tullus.

P. 610, v. 8, pro Asta & Pisone in Panuin. Fastis sunt Q. Ninnius Hasta, & P. Manilius Vopiscus: in Siculis legitur Μάλτου ϗ Βουλκίσκου, non sine mendi suspicione. V. 10, Cusp. Æmilianus: Panuin. Æmilius Ælianus; sicut etiam in Siculis Αἰλιανοῦ ϗ Βετέρου. V. 18, Cusp. Catilius & Fuluus: vt etiam Panuin. L. Catilius Seuerus, & T. Aurelius Fuluus: & Siculi, Σεβήρου ϗ Φούλβου. V. 23, Cusp. fori quod eius nom. V. 29, Cuspin. dieb. XXIX: & v. 39, publice incensis; vt & Chronicon Eusebii. Rursum Cusp. v. 41, liberos præstitit. V. 46, vulg. Nicomedia; abl. casu: cui lectioni patrocinari videtur quod in Eusebii Chronico est, terræmotu facto Nicomedia ruit.

P. 611, v. 2, Eleusinam habet Eusebius quoq.: sed paulo plenius refert historiam; sic, Cephisus fluuius Eleusinam inundauit: quem Adrianus ponte coniungens, Athenis hiemem exegit. V. 7, pro Rufo Fornerii editio Rufinum habet. sed Rufum agnoscunt hic etiam Siculi Fasti. Eadem editio pro Tiberio ver. 9, Hiberum habet. sed vulgatæ lectioni patrocinantur fasti Panuin. & Siculi. V. 13, Panuin. Seruianus III: at Fasti Siculi Σεβήρου ϗ Βάρου. malet fortasse aliquis Sergianus II: vt nunc iterum consul fuisse intelligatur qui fuit anno ante hunc tertio. Sequenti versu Pompeiani collegam Panuinius vocat Acilianum. V. 23, Forn. L. Ælius & Balbinus: vt & fasti Panuin. & Siculi. V. 31, Cusp. & Forn. scalptus. V. 38, Cusp. regnauit cum liberis suis Aurelio & Lucio annis XXII, mensibus III. V. 49, Cæsari, add. ex Cusp.

P. 612, v. 1, Forn. Homulus: Panuin. Omollus: fasti Siculi, Γλαβρίωνος τὸ β, ϗ Αὐγουρίνου: omissis aliquot intermediis. V. 5, Cusp. Syropolitanus. V. 7, inclusa, addita sunt ex Cuspiniano & Eusebio. V. 11, Cuspin. Barbatus: itemque Panuinius: at Siculi fasti βαρβάλου: errore ambiguo. V. 16, Cusp. Post consulatum Antonini V, & Aurelii III: itemque Fornerius: recte. V. 23, Cusp. Verus: sicut & in Panuin. fast. nominatur L. Ælius Aurelius Verus. in Eusebii Chronico manuscripto sic est; Romanorum XIIII regn. Marcus Antoninus, qui & Verus; & L. Aurelius Commodus, annis XVIIII, mense vno. V. 34, Cuspinianus ab orienre in occidentem. V. 36, Forn. L. Ælianus: itemque Panuin. & Siculi fasti. V. 52, Cuspinianus & Eusebius m. s. apoplexi: de qua scriptura supra dictum, ad 538, 24. Idem Euseb. paulo ante habet, Lucius Imperator; omissis nominibus ceteris.

P. 613, v. 15, Cusp. bonitati deesset. V. 26, Cusp. Aurelius Commodus: Panuin. M. Ælius Aurelius Commodus Antoninus. V. 33, Cusp. & vulg. libri Helianus. ego cum Panuin. & Siculis fastis Ælianum malui. V. 48, Vestiliani per st legitur etiam in Eusebii m. s. codice, & apud Iornandem: apud Lampridium vero, in Vectilianis ædibus, per ct: quam scripturam sequitur etiam Cuspinianus. Apud Victorem quoq. est Domus Vectiliana, regione vrbis secunda. Ibid. mox, & paulo post, v. 52, Fornerius, Panuinius, & Eusebii liber m. s. Heluius Pertinax. sed Ælium cum Iulio Capitolino vocat etiã Lipsius Electorum lib. 1, cap. 30. Inclusa v. 50, addita sunt ex Cusp. ed.

P. 614, v. 16, inclusa, addita sunt e Cusp. & Eus. m. s. V. 22, Eus. m. s. [illegible]donium exstructum est. Sunt qui septifolium malint. sed Septizonium legit apud Spartianum etiam Pomponius Lætus:

Latus: & Septizonium Seueri est apud Victorem in regione urbis decima: vt vel a septem Zonis, vel a septorum cinctu, denominatum sit opus. V. 26, Forn. Cilo ex fast. Panuini. sed Chilo cum aspiratione legitur etiam in fast. Siculis. V. 33, Cusp. CXXX. sed CXXXII habent cum Eutropio m.s. etiam Eusebius & Beda. V. 39, Cusp. Rufinus; vt & fasti Siculi: at Panuin. Rufinianus. V. 51, duos Aspros agnoscit hic etiam Panuinius: at in fastis Siculis sunt duo Apri, & priori eorum iterati magistratus nota est apposita.

P. 615, v. 1, inclusa, addita sunt ex Eus. m.s. & Iornan. In sequentib. consulib. desinunt Fasti Siculi: & pro Læto iidem habent Lentulum. V. 25, Cusp. Antoninus Heliogabalus: Panuin. M. Aurelius Antoninus Alagabalus. V. 29, Heliogabalum templum habet etiam Euseb. liber m.s. Sed vel possessiue Heliogabalium legendum videtur, vt supra Isium & Serapium 609, 4: vel dandi casu Heliogabalo, vt ex Lampridio & Xiphilino legit Cuspinianus. V. 45, Xerxem vocat etiam Eutropius & Euseb. m.s. at Lampridius, Xiphilinus, Herodianus, Artaxerxem. V. 54, inclusa, addita sunt ex Cusp. & lectionem eam confirmant quæ supra leguntur in Nerone 607, 19. Eusebius paulo aliter; Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificatæ: vt & Lampridius, noua multa cõstituit: in his thermas nominis sui, iuxta eas quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta quæ nunc Alexandrina dicitur.

P. 616, v. 13, Cusp. Quintilianus. sed Quintianum agnoscit hic etiam Panuin. Seq. v. Eusebii liber m.s. habet Mocontiaci: vt & Ptolemæus. alibi Mogontiacum & Magontiacum legitur. V. 17, inclusa, addita sunt ex Eus. V. 26, Panuin. Vlpius Crinitus & Proculus Pontianus. V. 36, Forn. Romam ingresso. Sequenti ver. Balbinum reponendum esse pro Albino, manifestum est ex ceterorum historicorum consensu. De imperio autem Pupieni & Balbini, aliter narrant ceteri historici. V. 42, Panuin. Arrianus & Papus: in vita Gordiani tertii apud Capitolinũ est, Apriano & Papo conss. V. 51, Cusp. peruectis: & mox seq. v. annis septem.

P. 617, v. 7, Cusp. in actorum consularium recensione discrepat hic a vulg. ed. Sic enim in eius editione legitur: Philippus II, & Philippus. His conss. millesimus annus vrbis, & quæ sequuntur de millesimi anni celebratione: Philippus III, & Philippus II: His conss. Philippus vrbem sui nominis in Thracia construxit. Et post hæc sequuntur conss. Æmilianus & Aquilinus. V. 10, & 13, inclusa, absunt a quibusd. exempl. V. 18, Forn. concurrerunt. V. 23, Panuin. Imp. Decius III, & Hetruscus. V. 27, inclusa, absunt a Cusp. ed. V. 35, Euseb. m.s. Abritto: Cusp. Aprutio. V. 40, inclusa, absunt ab ed. Cusp. V. 49, Gallienus duplici ll scribitur etiam in Panuin. fastis, & Euseb. libro m.s. Idem Eusebii liber seq. v. habet interamnem pro Interamnæ.

P. 618, v. 11, pro Tusco Panuin. fasti habent Fuscum. V. 22, Gotthos habet etiam Suidas & Steph. Byzantius: at Eusebii liber m.s. Gotos: quæ scriptura propius accedit [illegible]em appellatione, Getas. V. 26, Cusp. Valerianus & Lucillius: Pan[illegible]nus II, & Lucillus Rufinianus.

V. 29, pro Marino liber De præfectis habet Marianũ: & vt Panuin. V. 39, inclusa, addita sunt ex Euseb. V. 42, Quintillus est etiã in Eusebii lib. m.s. & Fastis Panuinii: apud Cusp. vero Quintillius. V. 44, pronomen sui abest a Cusp. ed. V. 50, Voldumiauum habent etiam fasti Panuin.

P. 619, v. 1, Cusp. & Panuin. Marcellinus. V. 4, Cusp. circumuallat. V. 17, Eus. m.s. LXXXVIII: Cusp. octoginta nouem. V. 31, Cusp. in cõmune humani generis malum exorta est. V. 33, Cusp. Carinus II: itemq; Panuin. V. 49, Margum habet etiam Eusebii liber scriptus: Cuspin. Margum fluuium: vulgata Eusebii editio Murgum: Flauius Vopiscus Murtium.

P. 620, v. 4, Cusp. adsciuit. V. 7, Panuin. cum aspiratione, Hannibalianus. V. 12, inclusi consules, additi sunt e Cuspin. editione. In Panuinii Fastis nominãtur M. Valerius Maximianus Aug. V, & C. Valerius Maximianus Cæsar II. V. 16, pro conseruit Eus. & Iorn. habent inseruit: vestes consertas gemmis in Aureliano dicit Vopiscus. V. 25, Alamanos, per a in secunda syllaba, habet etiam Eusebii liber m.s. itemque Steph. Byzant. & Suidas in Iuliano apostata. V. 35, præda pro pompa reposui ex Euseb. & Iorn. V. 42, augusti add. ex Cusp. V. 51, Constantinum legendum esse pro vulg. Constantio, docent cum antecedentia, tum sequentia. V. 53, Panuin. Post consulatum Maximiani Aug. VII, & Diocletiani Iouii X: itidemq; seq. versu, II post consulatum Maximiani Aug. VII, & Diocletiani Iouii X. sicut Cuspinianus quoq; per Maximum semper hic accipit Maximianum.

P. 621, v. 6, Cusp. Gallienus: sed Gallicanum agnoscit hic etiã Panuin. V. 9, Cusp. hic & in seq. paullum discrepat a vulg. ed. Sic enim octo sequentium annorũ consules describit: Constantinus VI, & Constantinus Cæsar: Crispus II, & Constãtinus Cæsar II: Probianus & Iulianus: Seuerus & Rufinus: Crispus III, & Constantinus Cæsar III: Paulinus & Iulianus: Constantinus VII, & Constantius Cæsar: Constantius & Maximus. itidem etiam Panuinius: nisi quod in vltimo consulatu pro Constantio cum vulg. edit. habet Constantinum. V. 21, Cusp. & Forn. Constantinus VIII, & Cõstantinus IIII: pater scilicet cum filio primogenito. Sic etiã Panuin. necnon liber anonymus De consulibus, & alter De præfectis: teste Cusp. V. 23, Cusp. Ablauius: sed Ablabius per b, Græca origini magis respondet: Latine Innocentium dixeris. V. 27, Cusp. Constantinopolis dedicatur. sed aptius nuncupatur. Sequentes conss. a Panuinio vocantur Delmatius & Xenophilus. V. 36, Acyrone habet etiam Eus. m.s. at vulg. ed. Ancyrone. V. 39, Cusp. tres liberi eius, Constãtinus, Constantius, & Constans, ex Cæsaribus Augusti, regnauerũt annis XXIIII: at Chr. Eus. tres liberi eius, ex Cæsarib. Augusti nominãtur. V. 52, Cusp. & Forn. fratri Constanti: vt & Victor supra 527, 30: & 544, 7: necnon Eutrop. 588, 29.

P. 622, v. 5, Panuin. Post consulatũ Amantii & Albini, ex kal. Maii Constantius Aug. IIII, & Constans Aug. III. V. 9, Panuin. Salleas. vulg. lectioni patrocinatur quod Cusp. ex lib. de Præfectis citat, Philippo & Sallia conss. Vlpius Li-

menius præfectus prætorio & vrbi. V. *11, Cusp. & Panuin.* Catullinus, *gemino ll. Seq. v. Panuin.* Nigrianus: *liber De præfectis,* Nigrinianus. V. *14, Cusp.* Helena, *nom. casu: & mox seq. v.* interficitur anno ætatis XXX, & Imperii XIII: Constantius solus mansit in regno. V. *17, Panuin.* Post consulatum Sergii & Nigriniani. *Sequentes conss. a Cusp. sic describuntur;* Constantius V, & Constantius iunior: Constantius VI, & Constantius Cæsar II: Constantius VII, & Constantius III. *itidem etiam in fast. Panuin. in quib. Constantius iunior seu Cæsar, cognomine Gallus dicitur.* V. *21, Cusp. & Panuin.* Arbetio: *itidemq; Amm. Marcell. l. 15.* V. *28, Eus. Chr. m. s.* apud Argentarium: (*vt & Victoris epitome supra 546, 14*) *at pag. seq. v. 41 fœmin. fine,* apud Argentariam. V. *30, pro* Titiano, Dacianus *est in lib. de Consulibus: apud Marcell. lib. 17,* Diutianus: *teste Cuspiniano. sed* Titianum *agnoscit hic etiam Panuinius. Inclusa, v. præcedente, addita sunt ex Eus.* V. *33, Euseb.* Honoratus ex præfecto prætorio Galliarum, primus Constantinopoli præfectus vrbis factus. V. *37,* Neuittam *agnoscit cum Cusp. etiam Panuinius.* V. *40, Cusp.* XLIII: *& mox,* anno vno, mensibus VIII.

P. 623, v. 1, Cusp. XXXIII. V. *5, Forn.* in consortionem: *quod vocabulum apud Velleium quoq; notaui supra, 463, 31.* V. *12, vulg.* Gadalaiphus: *& mox seq. ver.* Lubicinus. *ego* Dagalaiphum *&* Lupicinum *cum Cuspin. & Panuin. malui.* V. *16, Euseb. Chron. m. s.* Atrabatas: *Ptolemæus* Ἀτρεβάτιοι *vocat, teste Ortelio. Ibidem mox Cusp. cum præpos. habet,* e cælo. V. *19, litteris illis* N. P. *quæ Valentiniano apponuntur, significatur* Nobiliss. puer: *vt pag. seq. v. 32, ex Panuinio annotabitur. Sic etiam in anonymo libro De conss. est,* Valentiniano Nouili & Victore. V. *22, pro* Arintheo *apud Marcellinum est* Terentius; *teste Cuspiniano. sed Arintheum agnoscit hic etiam Panuin.* V. *24, Eusebii Chron. m. s.* deusone: *Cusp. & Forn. diuise,* de Vsone. *sed retineri fortasse potest lectio vulgata,* Deusione: *vt intelligatur id Franciæ opidum quod a Gregorio Turonense vocatur* Diuionum, *vulgo* Dijon. *Ammianus Marcell. lib. 28, hac accidisse narrat Valentiniano & Valente tertium consulib. Seq. v. Cusp.* Burgundiorum: *vt Ammian. ibid.* V. *28, nomen* præfectus *addidi ex Eus. Chr.* V. *33,* Valens V, & Valentinianus iunior, *a Cuspiniano collocantur post sequentem historiam, ante Gratiani* IIII *consulatum.* V *34, Eus. Chr. m. s.* apoplexi Brigitio moritur: *Cusp.* apoplexi Brigetione mor. *Apoplexin Græci dicere solent* ἀποπληξίαν: Brigitium *vero seu* Bregetium, *Ptolemæo est* Βρεγάτιον. V. *42, inclusa, addita sunt ex Eus. Chr.* V. *44, Cusp. & Panuin.* Valens VI, & Valentinianus iunior II. V. *53, Cusp. ed.* annis III: *quem numerum falsitatis arguunt sequentia.*

P. 624, v. 4, in Eus. Chr. m. s. est Olibrius, *per i: itidemq; apud Marcellinum Comitem: at in fast. Panuin.* Olybrius *per y.* V. *10, Eus. Chr. m. s.* episcopus Turinorum: *& mox v. 12,* Antonino & Syagrio conss. Ahitanaricus rex Got. *sed Antonium & Athanaricum habet etiam Marcellini Chronicon. Rursum Eusebii Chron. v. 19,* Ricomede & Clearcho conss. *at Chronicon Marcellini,* Ricomere & Cl. conss. *In Panuinii fastis est* Fl. Ricimer v. c. V. *28, Cusp.* Bauco. *sed* Bauto *est etiam in fastis Panuinii & Chron. Marcell.* V. *32, Euseb. Chron. m. s.* Honorio nepote & Euodio conss. *Sed Panuinius litteras illas* N. P. *aliter interpretatur, dum huius anni consules sic describit;* Fl. Honorius Theodosii Aug. F. Nobiliss. puer: & Fl. Euodius v. c. V. *36, Eus. Chr. m. s.* Neotheorius. *sed* Neoterium *agnoscunt hic etiam fasti Panuinii, & Chronicon Marcellini.* V. *39, Eus. Chr.* ad vitæ fastidium nimia Arbogastis magistri militum austeritate perductus: *at Marcellini Chronicon,* dolo Arbogastis strangulatus. V. *41, præpositio* per *abest a Cusp. ed. Contra seq. ver. ex eadem additum nomen* filiis. V. *51, nomen* prophetiæ, *add. ex Eus. Chr.*

P. 625, v. 6, Eus. Chr. m. s. Hipponeregio in Africa: *sicut etiam Plin. & Ptol. Hipponem regium in Africa agnoscunt.* V. *21, Chr. Marcellini;* Theodoro & Eutropio eunucho conss. *vt & Panuin. fasti Flauio Manlio Theodoro* v. c. *consulatus collegam addunt Fl. Eutropium eunuchum in magistratu occisum. Hoc ergo loquendi genus,* Manlius & Theodorus, *sic vsurpatum est, vt apud Suetonium in Iulio cap. 20,* Iulio & Cæsare conss. *quia (vt Cusp. adn.) Eutropium ob scelera quædam præcepit Imperator non tantum honore ac vita exui, sed etiam ex consulum ordine eximi. cuiusmodi pœna multatus etiam Lucii collega pag. seq. v. 2.* V. *23, Cusp.* Radagiso ducibus. V. *25, Eus. m. s.* Frabitus: *Panuin.* Frauitta. *vnde in Marcellini quoq; Chronico pro* Frauitio *malim* Frauitto. V. *30,* Rumoridum *habet cum Eus. Chr. m. s. etiam Panuin. & Cusp. at Marcellini Chron.* Theodosio iuniore & Rumeride conss. V. *40, Cusp. & Forn.* regnat annis XV. V. *49, Varanem & Tertullum agnoscit hic etiam Panuinius: at Eusebii Chr. m. s.* Fl. Varane V C CONS. *vt & Marcellini Chron.* Varano solo cons. *quia scilicet (vt Cusp. adnotat) Tertullo initio consulatus exstincto, Varan solus magistratum gessit.* V. *55, Eus. Chr. m. s.* Athaulfo *cum aspiratione.*

P. 626, v. 2, consentit hic cum Cassiodoro Marcellinus; in cuius Chronico est, Lucio solo cons. *In Eusebii Chronico m. s. est,* Luciano uiro clariss. cons. *quia scilicet collega eius, ob affectatas in Africa res nouas, & vitam & honorem amisit. vocat autem collegam eius Cuspinianus Heraclium, Marcellinus Heraclianum, Panuinius Herodianum. Sequenti versu Euseb. Chron. m. s. habet* Burgunzones. V. *13,* Monaxium *agnoscit hic etiam Chronicon Marcellini: at Eus. Chron.* Maximum *vocat: sicut & in Panuinii fastis est,* Fl. Plinta, & Fl. Anicius Maximus v. c. V. *17,* Eustachius *est etiam in Eusebii & Marcell. Chronico: sed in Fastis Panuin.* Eustathius: *quod magis placet.* V. *23, vulg.* Asclepiodorus. *sed* Asclepiodotus *est in Eus. & Marcell. Chron. & in Fastis Panuin.* V. *25, Cusp.* a fratre pulsa. V. *34, in vulg. edit. Eusebii* Crastinus *est: sed in m. s.* Castinus, *sine r, vt etiam in Chronico Marcellini, Fastis Panuinii, & Panuin. Diuono.*

V. *42,*

V. 42, *Cusp.* erant Ioanni præsidio. V. 46, *Eus. ed. vulg.* Hierone & Ardabure conss. *at m. s.* Hierio & Artabure; *sicut & Chronicon Marcellini. in Panu. Fast. est* Fl. Hierius, & Fl. Ardaburius.

P. 627, v. 5, Eus. & Marcellini Chr. Aspare & Ariobinda conss. *In Panuin. fastis est* Fl. Aspar v. c. & Fl. Areobinda v. c. V. 9, *vulg. edit.* Gundichariùm. *sed* Gundicarium *sine aspiratione habet cum Eusebiano Chronico etiam Cusp.* V. 22, *Cusp. & Forn.* Hunnis auxiliaribus: *vt pag. seq. v. 4,* Gotthis auxiliarib. *nostra lectio petita est ex Euseb. & Paulo Diacono.* V. 24, *Eus. m. s.* Geisiricus: *Cusp.* Gensericus: *Panuin.* Geinsericus. V. 30, *in Marcellini quoque Chronico est* Cyro solo cons. *In Panuinii fastis dicitur* Fl. Cyrus Pentapolites v. c. *cuius mentio etiam apud Suid.* V. 36, *Cusp.* sæua depopulatione. V. 42, *Eus. m. s.* Atthela rex Vnnorum Blebam fratr. *sed* Attilam, Bledam, Hunnos, *vocat etiam Paulus Diaconus, & Marcellinus Comes: nisi quod in Marcellini Chronico* Blædla *est. In sequentibus conss. desinit Chronicon Eusebii, ab Hieronymo & Prospero continuatum.* V. 48, Ardaburem & Callepium *habet Marcellini quoque Chronicon.* • *In quibusd. cod. est* Callippius; *in Panuinii fastis* Alypius. *sic enim ibi describuntur hi conss.* Fl. Ardaburius v. c. Faltonius Probus Alypius v. c. V. 50, Asturius *est etiam in Marcell. Chr. at in Panuin. fastis* Asterius. V. 52, *Cusp.* Theodosius iunior moritur Constantinopoli. *Sequens Imperator, vulgo* Martianus *appellatur per t: sed* Μαρκιανὸν *vocant Græci per κ seu c.*

P. 628, v. 7, Panuinius Asporatius & Herculanus: *Marcell.* Spuratius & Herculanius. V. 13, Fl. Opilio, *in Panuinii fastis Aetii* v. c. *filius dicitur.* V. 19, *Cusp.* amicus eius, circumstantium gladiis interemptus est. V. 31, *in anonymis annalib. apud Cusp. est* Ioanne & Varrone conss. *in Chronico Marcellini,* Ioanne & Varano conss.

P. 629, v. 1, Marcell. & Panu. Fl. Basiliscus, & Fl. Herminericus. *itidemq. incertus Annalium auctor apud Cusp.* V. 6, *Panuin.* Pusæus, *Marcell.* Puseius. *Seq. v.* Anthemium *reponendum esse pro vulg.* Antonio, *& consensus auctorũ euincit, & sequentia hic apud Cassiodorum confirmãt.* V. 9, *q. c.* Brontotas. V. 15, *Forn. pro* Arabundo *reponit* Ardaburium. V. 35, *Forn.* Gundibato: *Paul. Diac.* Gundibaro. V. 45, *titulus* ZENO *in vulg. edit. post ponitur sequenti consulatui: perperam, vt præter Panuinii fastos arguunt etiam sequentia.* V. 52, Odouacer *cum u scribitur etiam in Panuin. fastis: sed in quibusdam nummis* Odoacer: *itemq. in Græcis libr.* Ὀδόακρος.

P. 630, v. 3, pro Ello *Marcell. & Panuin. habent* Illum, *Iornandes* Ilum. V. 7, *pro* Odiua *in Marcell. Chr. est* Ouida. *Cusp. edit. habet,* custodiam vincit. V. 15, *Cusp.* Febano. V. 17, Sifidius *est etiam in Marcell. Chr. & Fastis Panuin. sed verior fortasse scriptura est* Xiphidius, *vt* Ælius Xiphidius præf. ærarii *legitur apud Vopiscum in Aureliano.* V. 20, *Forn. diuin.* D. N. *vt etiam in numm. vet. id est* Dominus noster. *Seq. v. Cusp.* ad Sontium: *vt & Paul. Diac.* V. 25, *Panuin.* Anicius Faustus iunior, v. c. *In Marcellini Chronico collega ei additur* Longinus II. *sed is a Panuinio inter suffectos ponitur.* V. 26, *vulg. l.* Ducam. *ego* Adduam *e Cusp. reposui.* V. 29, *Cusp.* interclusus. V. 31, *Cusp.* Herulis: *vt apud Panuin. quoq. legitur* Odouacer Herulus. V. 33, *Cusp.* pontem Candidam.

P. 631, v. 4, Cusp. admirandis xeniis. *sed conuenientius fortasse* munerib. *vt pag. seq. ver. 11,* munerib. amphitheatralib. V. 13, Auienus iunior, *vt & senior, in Panuinii fastis prænominatur* Rufius Magnus Faustus. V. 15, *vulg. edit.* formam. *sed* forinas *pro aquarum tubis a Frontino & aliis accipi, adnotat Cusp.* V. 19, *Panuinius* Cetæus: *Marcellinus* Cettibus. V. 26, Venantius iunior, *est etiam in Panuinii fastis: at in Cusp. editione* Venantius II. V. 30, *pronomen* suo *abest a Cusp. editione.* V. 32, Importunus, *est etiam in fastis Panuinii: sed in Chronico Marcellini* Opportunus. *Sequentem consulatum Boethius solus gessisse dicitur etiam in Marcellini Chronico: a Panuinio tamen collega ei additur* Euthericus v. c. V. 35, *Marcellinus* Muscianus, *sine aspiratione: at non item Panuinius.* V. 37, *in Marcellini Chronico post Senatoris consulatum sequitur consulatus Anthemii & Florentii: itidemque in Fastis Panuinii; in quibus hic* M. Aurelius Cassiodorus Senator v. c. *Cassiodori F. dicitur. vt ea quæ Cassiodorus de se subiungit, parentheticõs sint accipienda. Fuit autem (vt explicationis gratia ex Pauli Diaconi libro 17 adnotat Cusp.) acris illa discordia, quæ ob Symmachi ac Laurentii electionem Romæ magna vtriusque factionis contentione exarserat, Cassiodoro consule sopita, & restituta inter clerum & populum optata concordia.* V. 42, *vulg.* Florentinus. *sed* Florentium *probat Marcellini & Panuinii consensus.* V. 44, *Forn.* Domnam; *more tunc temporis vsitato.* V. 48, *inclusi consules, additi sunt e Cusp. editione. In Fastis Panuinii* Fl. Magno v. c. *præponitur* Fl. Florentius v. c. *In Marcellini Chronico Magnus & Florentius copulantur.*

P. 632, v. 2, ad edendum, *absolute vsurpatum pro,* ad edendum munus consulare; *vt patet ex fine historiæ, vbi consulatum celebrasse dicitur.* V. 11, *vulg. l.* in curia. *mihi magis placuit Cuspiniani lectio,* in curiam. V. 13, *Cusp.* miratur. *Sequenti versu vulg. l.* cuius spectaculi. *mihi Cuspiniani lectio,* spectaculis, *visa est conuenientior.* V. 21, *quid. cod.* affectus: *quod loquendi genus etiam in Augustæ historiæ scriptoribus passim occurrit.* V. 34, *vulg. l.* DCLII, *omissis videlicet* CC. *sed requiri* DCCCLII, *cum computatio ipsa manifeste arguit, tum confirmant hæc Cassiodori verba in Assyriacorum regum epilogo;* Per hos igitur reges Assyriorum, colliguntur anni DCCCLII. *eamque lectionem sequitur etiam Cuspinianus.* V. 45, *in Cuspiniani editione clausula sic legitur;* Ac sic totus ordo seculorum, vsque ad consulatum vestrum, colliguntur anni VDCCXXI. *Sed addit idem, vitiosum esse hunc numerum cum in Eusebio tum in Cassiodoro. cum enim Cassiodorus scribat, a Bruto & Tarquinio conss. vsque ad consulatum Eutharici & Iustini, numerari annos* MXXXI,

(sic enim habere Cassiodori exempla, quæ ipse viderit) non posse prouenire millenarium numerum vsq; ad Philippum Cæsarem, qui millesimum vrbis annum celebrasse dicitur; & a Philippo vsq; ad hunc Cassiodori epilogum, qui contineat annos ab vrbe condita MCCLXX, *si sex omnino subtrahantur olympiades, venire annos* V̄DCCCC, *& aliquot amplius. Verumenimuero se in suo Cassiodori codice, quem vnicum ac vetustissimum habuerit, & in Marcellini Chronico, inuenisse præterea consules alios, quos Cassiodorus fortasse postea vsq; ad sua tempora adiecerit. quos, ne quid antiquitati decedat, & ipsos ex Cuspiniani editione subiungemus. Sic igitur ibi:*

IVSTINVS IMPER.

1270 *Rusticius & Vitalius Augg. coss.
Valerius & Iustinianus uu cc.
Symmachus & Boëthius u u cc.
Maximus u c.
Opilio & Iustinus Aug. uu cc.
Probus & Filoxenus uu cc.
Olybrius u c.
† Maburtinus u c.

* *In Petriana editione Cassiodori, est* Rusticus & Vitalis Augg. coss. *sed rectius in Marcellini Chronico & Fastis Panuinii,* Vitalianus & Rusticus v v cc. *Porro in notis consularibus pro* u *Cuspiniani editio plerumq; habet* II; *itidemq; pro plurali* uu, *habet modo* IIII, *modo* VIII. *quam commutationem non a Cuspiniano, sed vel ab eius amanuense, vel ab operis typographicis profectam esse arbitror. In Prosperi sane Chronico manuscripto, perpetuo in consulum indicatione inueni* u c *non* v c. *exempli gratia,* Cyro u c consule. *Sic Honorii anno* VI, *legitur in eodem Chronico,* Constantio u c cons. *Anno autem præcedente, vtraq; nota plene expressa legitur ibidem,* Luciano uiro clarissimo cons. † *Pro* Maburtinus *in Petriana editione est* Maburtius, *in Marcellini Chronico* Mabortius, *in Fastis Panuinii* Mauortius; *scriptura magis analoga.*

IVSTINIANVS AVG.

Iustinianus Aug. II. u c.
Decius u c.
1280 Lampadius & Orestes uu cc.
P C. Lampadii & Orestis u u cc.
[II P C. Lampadii & Orestis.]
Iustinianus Aug. III. cos.
Iustinianus Aug. IIII, & Paulinus coss.
Belisarius u c.
P C. Belisarii u c.
It. P C. Belisarii u c.
Iohannes u c.
*Appius u c. cos.
1290 Iustinus iunior u c.
Basilius u c.
P C. Basilii u c.
It. P C. Basilii u c.
Et it. P C. Basilii u c.
IIII P C. Basilii u c.
V P C. Basilii u c.
VI P C. Basilii u c.
VII P C. Basilii u c.
VIII P C. Basilii u c.

* *Panuin.* Fl. Apion Ægyptius v c.

IX P C. Basilii u c. 1300
X P C. Basilii u c.
XI P C. Basilii u c.
XII P C. Basilii u c.
XIII P C. Basilii u c.
XIIII P C. Basilii u c.
XV P C. Basilii u c.
XVI P C. Basilii u c.
XVII P C. Basilii u c.
XVIII P C. Basilii u c.

Hactenus additamentum istud consulum; ex cuius postremis octodecim consulatibus idem Cuspinianus colligit, quotannis magis ac magis defecisse consulatum, donec tandem qui annuus erat magistratus, factus sit continuus, & apud eundem XVIII *annis contra priscum institutum permanserit, ac postremo penitus abolitus, solam sui umbram reliquerit. Idem ibidem subiungit annorum collectionem ex Marcelliniani Chronici fine desumptam: ex qua subiiciam ea dumtaxat quæ huc quadrant:*

Ab Adam vsque ad diluuium, anni ĪĪCCXLII.
A diluuio vsq; ad Abrahã, anni DCCCCXLII.
Ab Abraham vsque ad passionem Domini, anni ĪĪXLIIII: a Roma vero condita, vsq; ad Domini aduentum, anni DCCLII.
A passione Domini vsque ad consulatum Eustachii, anni CCCXCIIII: & vsque ad consulatum DN. Theodosii XV, anni CCCCIX.
Fiunt ab Adam vsq; ad XIIII Valentis annum, id est vsque ad consulatum eius & Valentiniani II, omnes anni * V̄DLXXIX.

Addere libet etiam ex Eusebiani Chronici fine quæ huc pertinent:

Ab vrbe condita, sub regibus, anni CCXL: sub consulibus, anni CCCCLXIIII: sub Augustis & Cæsaribus, anni CCCCXCIII. Colliguntur omnes anni vsque in consulatum Theodosii iunioris XVIII, & Valentiniani iunioris Placidiæ filii VI augustorũ, MCXCVII.
Ab Abraham vsque ad tempus supra scriptum, anni ĪĪCCCXCV.
A diluuio vsque ad Abraham, anni DCCCCXLII.
Ab Adam vsque ad diluuium, anni ĪĪCCXLII.
Fiunt ab Adam vsque in consulatum Theodosii iunioris XVIII, & Valentiniani Placidię filii iunioris sexies, omnes anni* V̄DCXLV.

Hæ annorum computationes ibi leguntur; concinentibus etiam libris manu scriptis. In quarum prioris epilogo notandum, XIIII *Valentis & Valentiniani annum, in Eusebii quoq; Chronico conferri in annũ mundi 5579: at Valentis & Valentiniani consulatum secundũ, non* XIIII, *sed* IIII *imperii anno ab eis gestum esse; vt docent fasti Cassiodori & Panuinii. Deinde, si præcedentium numerorum summa colligatur exactius, non 5579 prouenient, sed 5637. quemadmodum etiam in Eusebianæ Chronologiæ summa, si accuratior fiat cõputatio, prouenient anni 6776; vel 6676, si eos sequamur qui pro 2395 annis, qui ab Abrahamo vsq; in consulatum Theodosii iunioris* XVIII *intercessisse dicuntur, expuncta vnius centenarii nota, ponunt 2295.*

In Græca quadam Chronologia ab Adamo vsq; ad Imp. Marcianum Theodosii iunioris successorem,

rem, (quem Cassiodori Chronicon sexto anno post octauumdecimum Theodosii iunioris consulatum, eidem Theodosio successisse tradit) numerantur anni 5948: ab Adamo autem vsq; ad Theophilum Michaelis filium, anni 6333. Suidæ lexicon in Ἀδάμ, *ab Adamo vsq; ad Michaelem Theophili filium colligit annos 6375. Quæ vero Eusebius ex Africani Chronicis citat Præparat. Euang. lib. x, pag. 287, parum huc faciunt. Ita vt in ista Chronographorum discrepantia difficile sit certum aliquid pronuntiare. quapropter ego doctiorum iudicio rem totam permitto, contentus ea indicasse quæ auctorum collatione deprehendi.*

IN IORNANDEM.

Sicut ex Cassiodori Chronico, ita etiam ex Iornandis volumine priore, eam tantummodo partem huic corpori visum est inserere, quæ ad Romanam historiam pertinet, omissis superiorum temporum regnis siue imperiis. est enim id volumen De regnorum ac temporum successione; *vt vulgo inscribitur: vt autem ab ipso auctore in præfatione posterioris voluminis Getici appellatur,* De breuiatione Chronicorum. *in cuius parte postrema, decerptis e veterum scriptorum monumentis quibusdam quasi flosculis, breui ac simplici orationis filo pandit, quo successu destructu paullatim superiorum temporum imperiis, Romanum imperium primo per reges; deinde per consules, dictatores, tribunos; tertio per augustos principes siue Imperatores, a Romulo vsq; ad Iustiniani Aug. annũ* XXIIII *peruenerit. Duabus autem potissimum de caussis hæc adiicere placuit: primo, quia Floro, Rufo, Eutropio, & ceteris, e quibus sunt desumpta, nonnihil & lucis & emendationis passim afferunt: deinde, quoniam historiæ seriem vltra Cassiodori Chronicon ad viginti & amplius annos producunt. Ad nomen porro quod attinet, vulgo nunc* Iornandes *dicitur: sed rectius fortasse* Iordanes: *sicut in Cassiodori & Panuinii fastis, Leonis Imperatoris anno* XIII, *Iordanes quidam cum Seuero consulatum gessisse memoratur. Ioannes Trithemius* Iordanum *vocat, ex monacho episcopum Gotorum; qui sub Iustiniano claruerit anno Christi circiter* DXXX.

Iam vt notationis cursum persequar, secutus in hoc auctore sum editionẽ amici mei Ioann. Leonclauii: sed ita, vt textum e marginalib. eiusdẽ annotationibus, aut veterum auctorum collatione, vbi euidentia erant vitia, emendare non dubitauerim. In eo genere vt grauiora solum aduotem, ac de aliis quoq; sententiam meam interdum exponam, p. 633, v. 18, rectius fortasse legerimus, adusque Tarquinium, *vt 378, 49.* V. 26, *in quibusdam Flori codicib. est* Tiberinus amnem repr. *& paulo post, v. 31,* iam bis septima soboles. *& rursum v. 32,* prima iuuentæ face. *quæ a Leonclauio quoq;, & hic & in sequentibus, sunt adnotata. Flori autem qua pagina locus quisq; inueniri possit, docent apposita in exteriori margine Zifræ.* V. 41, *vulg.* locus: *sed vera scriptura est* lucus. V. 47, *vulg.* Veientium captum ac dir: *vitiosa præcedẽtis historiæ repetitione. Seq. v* [illegible] *codices* Actone *scribunt, perc.* V. 52, *q. c.* in ipso aditu. V. 54, *vulg.* pax facta, cunctatio fœdusque percussum: *& mox,* res misera dictu: *errore satis euidenti.*

P. 634, v. 10, vulg. currib. *pro* Curibus: *perperam.* V. 14, *conuenientius fortasse,* sedem pacis ac b. *vel* signum p. *Ibidem mox vulg. libri habent* Festæ: *sed* Vestam *per v, non per f, dici* τὴν ἑστίαν, *satis notum est.* V. 16, *vulg.* deæ egregié: *corrupte.* V. 25, *vulg.* vt diis traheret hostem, simul ad fugam: *& mox,* exhortatus exsuperat: *vitio satis manifesto.* V. 29, *Fl.* citauere leges nefas. V. 30, *vulg.* Fidenates bello mixti: *& mox v. 32,* quasi magna sit spes. Deinde Rom. *& rursum v. 34,* M. Suffecium. V. 38, *rectius Fl.* pari ingenio: *vel leg.* gnauo ingenio. V. 45, *quidam malunt* Attius Nauius: *de quo supra, ad 382, 22.* V. 47, *vulg.* at quoniam hoc, inquir, agitur, an cor.

P. 635, v. 11, vulg. consternatos exegit. *mox q. c.* grauior est bonis. V. 14, *vulg.* Orniculum: *& v. 17,* virgulta: *& rursum v. 20,* mira re dicitur extis resistere: *corrupte. Eodem v. 20, q. cod.* placuit vatibus. V. 42, *rectius* nongentos sexdecim. V. 43, *pro* nouem *apud Rufum (548, 37) legitur* quadraginta nouem. V. 46, *vulg.* Pausam & Sergium: *mendose.* V. 48, *congruentius,* mihi tædio: *vt in seq.* tibi fastidio.

P. 636, v. 3, paulo concinnior erit structuræ forma, si legamus, primis consf. Bruto Collatinoque ducibus: *vel,* primorum consulum Bruti Collatinique ductu. V. 11, *q. c. Fl.* gaudium incesserat. V. 14, *vulg.* Horatius Publicola: *& seq. v.* pro contentione: *perperam.* V. 16, *q. c. Fl.* eminentes ædes suas in plana submisit. V. 22, *& 23, inclusa, addita sunt e Fl.* V. 31, *q. c. Fl.* frustrato circa purpuratum eius ictu tenetur: *& mox v. 34,* ne qui sexus a laude cessaret. V. 40, *vulg.* Amulio Tuscul. *falso. In sequen. pro* Ocriculo, Alsio, Verulis; *apud Florum in plerisque cod. sunt* Satricum, Algidum, Veii. V. 44, *vulg.* Herculis saltus: *perperam. Seq. v pro* Cæsarea *in plerisq; Fl. cod. est* Gesoriacum: *& mox* deuictos *pro* inuictos; Gaius *pro* Gnæus. V. 46, *q. c.* quasi Numantiam aut Africam nomini indueret. *Seq. v. vulg. l.* de Antis: *& mox,* quæ meminimus: *corrupte. breuis & dilucida loci eius explicatio est apud Cassiodorum supra, 595, 45.* V. 50, *rectius* Lucius Quintius: *& seq. v.* Minucii consulis. V. 55, *q. l.* fides numinum! qua felicitate?

P. 637, v. 21, Veios *non habent Fl. ed. Seq. v. q. c.* tum excep. V. 31, *q. c.* ferro, manibus, solo exæquant: *& v. 33,* quos tandem Manl. *ac rursum v. 35,* stato die. V. 46, *q. c.* Iterum in Pom. *& mox 48,* nec non tamdem. V. 54, *vsitatius* æstimare. *Seq. v.* tantum *redundat.*

P. 638, v. 4, q. cod. Fl. amicti viribus: *& v. 7,* numerata. V. 20, *vulg.* consule: *quasi signif. per consulem: & mox v. 22,* fugit: *parum congruenter.* V. 25, *vulg.* mox certatim: *aptius* catervatim. V. 28, per, *addita ex Fl.* V. 29, *vulg.* Gemini. *Cimini montis & lacus meminit etiam Virgilius.* V. 41, *rectius fortasse,* Pyrrhum Epirotam, Græciæ regem. V. 45. *Fl.* Adriatici maris: *& mox 47,* miseræ ciuitati fuit. V. 55, *vulg.* Eracleã, *sine aspiratione, contra originationis leges.*

P. 639, v. 1, rectius Sirim: *vt apud Florum docui, ad 387, 43. Ibidem mox vulg. l.* Forentanæ: *corrupte.* V. *8, rectius* proboſcide. V. *9, vulg.* fibratæ: *perperã.* V. *12, Fl.* ſub Aurufinis, quos vocant, campis: *& mox,* tunctoti victoriæ exitum. V. *17, vulg.* partim fecerunt. V. *34, vulg.* inclyto poſt Varilio duce: *& mox* paſtorale, *pro* paſtoria Pales: *& rurſum v. 40,* famuloſis fami monſtris: *verbis plane depravatis.* V. *42, incluſa, abſunt a Fl. ed. At quæ ſequuntur incluſa, v. 46 & 51, addita ſunt e Fl.* V. *54, vulg.* per viam omnem: *minus vere.*

P. 640, v. 7, vulg. Laconidæ: *corrupte. Seq. v. Fl.* licet nihil inſcripſ. V. *10, Fl.* Caralæ: *& mox v. 13,* Mannio tribuno: *ac rurſum v. 20,* Bagradam. V. *27, forſan rectius,* fœda clade: *vel,* fœdaque accepta clades. V. *34, q. c.* atque etiam quia Carthago non ceſſ. V. *42, forſan vox* oſtium *expungenda hic eſt, & paulo ante legendum* claſſem hoſtium. V. *49, vulg.* nomen Hecate: *& mox,* pugna aderat: nec maior ætatibus, exerc. V. *50, vox* hoſtium, *addita eſt e Floro: contra* ictus (*v. 52*) *ab eodem abeſt.*

P. 641, v. 14, Fl. Britomaro duce: *ac rurſum v. 16,* diſcinxit: *& mox,* de Rom. militum præda. V. *17, vſitatius* Ariouiſtinis, *u pro b.* V. *22, vulg.* Aſiam: *perperam.* V. *33, Fl.* deleta eſt. V. *48, q. c.* ſimul, *id eſt ſimulac: alii,* vbi ſemel. V. *54, vulg.* protectus admodum: *parum apte.*

P. 642, v. 3, vulg. noſtraneos: *corrupte.* V. *11, Fl.* quadraginta milium cæde parta nobilitate: *& mox v. 13,* inſuper callidiſſimus Imperator. V. *21, Fl.* dignitasque equeſtris. V. *23, Fl.* ſi, quod Pœnum illum dixiſſe Maharbalem Bomilcaris ferunt, Hannibal, quemadm. *& v. 27,* frui maluit. V. *33, Fl.* nec, præter quod in bullis, cingulis, atque anulis erat, quidquam ſibi auri reliquerunt. V. *46, Fl.* Nolæ vrbis excuſſit. *& v. 54,* nec diu reſtitit: *ſ. Sicilia.*

P. 643, v. 2, q. c. quid niſi hactenus prof. *& v. 18,* inter diuerſa. *rurſum v. 29,* vis imbrium effuſa eſt: *& mox,* tanta ventorum viol. V. *32, q.* non adortam. V. *48,* claſſis *abeſt a Fl. ed. Sunt qui legendum putent,* vtriusque hoſtis.

P. 644, v. 6, fortaſſe rectius, manifeſta victoria, *ſubaudito verbo* erat: *vel,* manifeſtam victoriam nata in prætoria puppi laurus pollicebatur. V. *13, Vinetius legit* Aoumque amnem. V. *15, rectius* Cynoſcephalas. *Sequentia, petita videntur e Rufi breuiario, 549, 14.* V. *19, pro* Sochori *apud eundem R. ibidem eſt* Bocchus. *Sequenti verſu,* arſio *coniectura cuiusdam nimis libera eſt infertum. In exemplari mutilus eſt locus; ſic,* quæ pugnæ fuiſſet . . . . ſio. V. *29, vulg.* Gallici; *perperam. Pro* Seticania *vero, apud Rufum eſt* Bætica. V. *36, rectius* cum Gentio. *Gentium enim, non Gentionem, hunc Illyriorum regem vocant ſcriptores ceteri. Prætor autem, cuius mox fit mentio, fuit L. Anicius; vt cum alii teſtantur, tum Rufus.* V. *45,* Daces *idem Rufus cum aliis vocat* Dacos, *550, 18. Ex eodem ſequentia ſic legi poterunt;* ſub imperium ſuum Traianus, victo Decibalo eorum rege, deduxit; ac terras vltra Danubium, quæ habent decies centena milia paſſuum, in prouinciam redegit. *vel, ceteris manentibus, ſecundum commation ita leges,* Decibalo eorum rege deuicto. *Præcedentia quidam ſic legunt;* fineſque inter Romanos & barbaros ab Auguſto per Vindeliciam, Noricum, Mœſiamque diſpoſiti. V. *51, incluſum* duæ, *addidi ex Rufo 550, 23. Pro* Sueuia *ſeq. ver. apud eundem eſt* Sauia.

P. 645, v. 2, Ruf. a M. Didio, *550, 3: Sigon.* a T. Didio, *222, 36.* V. *4, vulg.* Gebro amne; *corrupte. Seq. v. nota* Rodopeni *pro* Rhodopæi. V. *9, quæ* Pulendena *hic, infra dicitur* Pulpudena, *650, 15: Eutropio & Ammiano eſt* Eumolpias; *vt ſupra dictũ ad 550, 35. De* Vſcudãma *dictum ibidem.* V. *11, De* Calati *ſeu* Calathe, *dictum ad 550, 38. Pro* Tomos Iſtri, *Rufus & Eutropius habent duas ciuitates,* Tomos, Iſtrum. V. *13, vulg.* in ea plaga: *perperam.* V. *24, Flor. 396, 53,* an fuiſſet, an cupidus triumphi Manlius eos viſos ſimulauerit, dubium eſt. *& mox,* Duobus itaque prœliis fuſi. V. *29, vulg.* offricandas in vices: *& mox,* Orgiacontis; *corrupte.* V. *32, pro* Epaphra *Rufus* Ariarathen *habet 551, 7. Pro* Ariobarzane *autem, v. 34, perperam in vulg. ed. eſt* Curiobarzanes. V. *38, malim,* in prouinciam redacta eſt. V. *45, Flor. & Ruf.* trecenta milia: *& mox,* currusq; falcatos complures, elephantos innumeros. *Seq. v. Leoncl. mauult* inſtar muralis. V. *48, rectius fortaſſis,* percuſſoq; cum Romanis fœdere, ab Aſia diſceſſit. *vel,* percuſſitque fœdus cum Rom. *Sic ver. 48, rectius,* ex ſenatus conſulto: *& ſeq. v.* conceſſum. V. *51, aptius fortaſſe,* magna ſæpe latrocinia concit. V. *53, malim* Iſauricus & Cilix. *nec* Cilix *tamen, nec* Cilicus, *interetus ſeculi cognomina legere memini.* V. *55,* Gnoſius rex *Rufo eſt* rex Cyprius *551, 30: Ptolemæus ſcilicet rex Cypri, cuius inſula primaria vrbs Cnoſſus eſt.*

P. 646, v. 4, vulg. Lagitis, *per t. ſed per d ſcribendum eſſe* Lagidis, *patronymicorum terminatio ſatis arguit.* V. *18, Leoncl.* Armeniorum: *alii* armatorum. V. *21, vulg.* maioris Armeniæ dum perſequeretur Curtigrani: *corrupte. noſtra & Leoncl. lectio petita ex Rufo, 552, 15.* V. *24, Ruf.* intra maiorem Arm. *qua de re Sigon. quoq; 277, 20.* V. *28, Ruf.* Artoce: *& ſequenti verſu* Daphnenſem. V. *34, vulg.* ludibrium fuit; *ſtructurà minus congruente. Sunt autem hæc petita ex Floro, 408, 53: 409, 1.* V. *39, pro* Labinio *Florus, Rufus & alii habent* Labienum. V. *45, neſcio an conuenientius* vlciſci. *Seq. ver. pro* Madiania *Rufus habet* Mediam, *552, 41.* V. *49,* Claudium *habet Rufus quoq;: ſed* Caium Cæſarem *nominat Velleius, Florus, Suetonius: vt docui ad 552, 47.* V. *55, de* Brennis *ſeu* Breunis *dictum apud Florum, 423, 42.*

P. 647, v. 7, Florus ſaucius manib. V. *9,* Draus *ſupra quoq; legitur ſine vau, 644, 43: ſed vſitatius* Drauus, *vt ſupra quoq; monui, ad 423, 51. De* Duennio *dictum ibidem.* V. *11, pro* Iubio *apud Florum eſt* Vibius, *transpoſitis litteris, 424, 2.* V. *15,* mox, *abſolute hic poſitum pro* mox vt, *ſeu* mox vbi: *vt alibi quoq;* ſimul *pro* ſimulac. *Qui vero hic* Mar[illegible]*ur, apud Florum eſt* M. Craſſus, *424, 7.* Rometalcam *ſeq. v. alii* Rymitalcen *nominant.* V. *20, Leoncl.* in Pannoniam.

noniam. *Vise & Sigon.322,46.* V.24, *de Quirino supra dictum ad 425,8. Seq.v. pro* Gallos *vulg. ed. corrupte habet* Etallos. V.33, egreditur *legendum esse pro vulg.* ingreditur, *viderat etiam Bongarsius.* V.39, *pro* deerat *Florus habet* aderat,*423,10.* V.46, *Fl.* prior ferrum occup. *Seq.v. Bongarsius legit* infra pudicitiam. V.48, *Fl.* offerebatur: *& mox,* laborabat. V.50, *Fl.* in Mausoleum se (sepulcra regum sic vocant) recepit.

P.648,v.1,vulg. iam portas; *corrupte. Seq. v. conuenientius* agitans. V.10, *de regibus per blanditias a Tiberio euocatis, meminit Eutropius quoq; 577,28: & Sueton. cap.37.* V.16, *inclusa, addidi ex Eutropio, vt melius constaret sequens ætiologia.* V.20, *vulg.* Anilium. *sed* Φλάκκον Ἀκίλλιον *vocat Philo Alexandrinus, oratione in Flaccum. Inclusa quæ sequuntur, absunt ab Eutropio.* V.27, *rectius fortasse* sexto quam profectus erat mense. V.28, *Nero, Caligulæ nepos fuit ex sorore. vnde Eutropius quoq; dicit,* Nero Caligulæ auunculi sui simillimus. V.32, *vulg.* infamiam rationis dederunt: *nihil ad rem.* V.40, *Eutrop.* annis duobus, mensibus VIII: *Sueton.* post biennium ac menses duos, diesque XX, quam successerat patri. V.51, *fortasse rectius,* irritum fecere.

P.649,v.5,legendum videtur in foro eius; *seu* in foro quod ædificauit; *ex Eutrop.580,46. Seq. v.vulg. l.* Italiæ. *sed* Italicæ *legendũ esse, cum alii scriptores docent, tum noster hic infra in Theodosio, 652,26.* V.10, *vulg.* Iliam. *sed* Æliam *probat ipsum Adriani nomen gentilitium* Ælius, *& confirmat Cassiodorus supra 611,28: necnon Stephanus Byz. in* Αἰλία. *Ibidem mox aptius,* eum inuidisse, *vt Ruf. 553,13.* V.11, *congruentius,* nullo necessitatem faciente: *vel,* nulla necessitate adigente. V.18, *vulg.* villa sualoris; *corrupte.* V.25, morbo *pro vulg.* vrbe *reposui ex Orosio.* V.27, *vulg.* Helius: *errore ambiguo. vel enim* Ælius *legendum, vel* Heluius: *vt supra dictum ad 613,52.* V.28, *caussalis* etenim *& hic, & in sequentibus aliquoties, parum ad rem facit.* V.30, *fortasse rectius,* nimis æquus. V.36, *Euseb.m.s.* ob quæ triumphans. V.39, *vulg.* postquam. *sed verius esse* post quem, *docet manuscriptus libellus Græcus de quinq; sacrorum bibliorum editionibus Græcis: quarum prima fuit LXX interpretum; secunda, Aquilæ: tertia, Symmachi: quarta, Theodotionis Ephesii.* V.43, *vulg.* eiusdem: *perperam. De quinta scripturarum editione quod sequitur, legitur in Græco quoq; libello pene ad verbum: itidemque de sexta, pag. seq. v.* I. V.46, *Leoncl. legit* in Osdroënes Edessa. V.48, *rectius* apud Archelaidem; *vt Orosius: vel,* in Archelaide, *vt Euseb. & Cassiod. Seq. v. Emmaus a Cassiodoro cõdita dicitur anno Heliogabali tertio.* V.51, *vulg.* a principe. *ego Leonclauium sequi malui. vise & Eus. Chr.* V.53, *Leoncl.* annis III s.

P.650,v.3,pro Abaqua *apud Iulium Capitolinum est* Ababa. V.14, *fortasse non minus apte legeris* millesimi anni. V.15, *de Pulpudena dictum supra, ad 645,9.* [illegible] *Eus. m. s.* Budaliæ. V.19, *leg.* occubuit in Abruttio; *vel,* in Ab[illegible] *et Euseb. m. s.* V.31, *inclusa addidi ex Eutrop.* V.40, *Eus. m. s.* aput Immas: *vulg.* apud Himmas: *alii* Hymmas: *Marian. Scotus* Thumas. V.42, *q.c.* Zenophruriũ: *sed* Καινοφρούριον *(id est Præsidium nouum, seu Castrum nouũ) agnoscit etiam Cedrinus. Seq. v. pro* apud Pontem *Cassiodorus habet* in Ponto, *619,15. Leoncl. adnotat esse castellum ad Danubium; cuius mentio fiat a Procopio in lib. De ædificiis.* V.45, *Eutrop. & Euseb. m. s.* Gallos & Pannonios. V.47, *rectius* arrepta. V.51, *Euseb. m. s.* Cochen; *alii* Colchen, *quidam* Corchen. V.55, *de Margo supra dictum, ad 619,49.*

P.651,v.5, de Bagaudis *seu* Bacaudis *dictum ad 524,27.* V.7, Quinquegentianos *agnoscit etiam Euseb. m. s. necnon Eutropius & Orosius. sed inueniri etiã* Quinquagintanos *adnotat Leoncl. Seq. v. legendum* Galerius Maximianus, *expuncta coniunctione: vt manifestum est ex Victore, 524,40: & Eutropio, 586,1.* V.15, *legendum puto,* diademaque in capite: nam ante eum omnes chlamydem tantum purpuream, vt a priuatis discernerentur, habebant. *sic enim fere Eutrop. 586,37: & Cassiod. 620,14.* V.27, *Diocletianum in Dalmatia potius quam in Cappadocia esse mortuum, liquet ex Eutropio & aliis.* V.25, *vulg.* ac de liberis cedentibus sibi: *mendose.* V.27, *quæ desunt hic de Constantio & Galerio, de Constantino ac filiis eius, & de ceteris qui eodem tempore imperii gubernacula tractauerunt, peti possunt cum ex superioribus scriptoribus, Victore, Rufo, Eutropio, Cassiodoro; tum ex Orosio & Beda.* V.31, *forsan aptius* blanda persuasione. V.40, *inclusa,* ex primicerio, *addidi ex Eus. & Cassiod.* V.42, *vulg.* prouocatus. *Bongarsii lectionem* præfocatus, *confirmant hæc Orosii;* calore prunarum, & nidore parietum nuper calce illitorum, aggrauatus & suffocatus. *Seq. v. Leoncl. mauult* Dadastanis. *sed* Dadastanæ *legitur etiam apud Euseb.* V.53, *suasus vsurpatum videtur pro compos.* persuasus. *Eusebii Chronicon non habet hoc participium.* V.55, *vulg.* de serua: *perperam.* Gratianum filium *(inquit Paulus Diaconus)* necdum plene puberem, hortatu socrus & vxoris, Augustum creauit.

P.652,v.2, Latinius Paulus Diaconus, ripæ Rheni insederant. castrametare *autem actiua forma vsurpauit hic auctor etiam supra 650,53. Seq. v. vulg. lectionem* Brigione *confirmat quod Paulus Diaconus habet,* apud Brigionem. *sed verior scriptura est* Brigitio *seu* Bregætio; *vt supra dictum ad 623,34. sic certe Euseb. m. s.* subita sanguinis eruptione, quod Græce apoplexis vocatur, Brigitio moritur. V.7, *Leoncl.* Parthorum gens. *Persis sane siue Parthis tribuit hoc Amm. Marcell. lib. XXIII, 422,30. apud Paulum Diaconum generalius est,* ideo populosas esse gentes. *Seq. v. pro* decepta *non male cum Bongarsio legemus* accepta. V.12, lege data *legitur etiam apud Paulum Diaconum. Leoncl. mauult* lege lata. *intelligi autem putat l.26 C. de Decurionib.* V.15, *Eus. m. s. & Paulus Diac.* Argentariam, *fœmin. fine.* V.17, *relatiuum* qui *referendum ad Gotos sedib. suis pulsos. quod sequitur,* sine armorum dispositione, *Paulus D. dicit* sine vlla fœderis pactione: *& sequ. ver.* sese per

Thracias infudere. V. 25, Paul. D. cognatis, plurali numero, casu datiuo. intelligitur autem eo nomine Gratianus. V. 37, tyrannidem addidi ex Paulo D. V. 39, vtrisque filiis, pro vtrique filio, legitur etiam in Victoris epitome 547, 28. V. 45, detectus pro vulg. deiectus cum Leoncl. reposui ex Zosimi lib. 5. V. 49, ac si, pro veluti seu ὡσπερεὶ vsurpatur etiã infra 655, 8, 12. Dilucidius Paulus D. dicit, arbitratus minimã in paruulis spem fore. V. 50, conuenientius fortasse detectum. V. 54, Latinius comprehenditur. nisi forte complecti vsurpatum velis pro, cum factione sua plecti. Nota etiam seq. v. impetrarunt pro crearunt & conciliarunt, seu importarunt & intulerunt.

P. 653, v. 1, pro Narbazapato Leoncl. margo habet Arbazakium. Radagasius seq. v. legitur etiam in Eus. Chr. m. s. alibi Radagaisus: apud Paulum Diaconum Radagasus rex Gotorum. Sequens Huldi, Orosio est Huldin, Paulo Virdinus. sic enim Paulus, Virdinus Hunnorum, & Sarus Gotorum dux, a Romanis cõducti. V. 5, vulg. Hermancia. ego Thermantiam cum Leonclauio ex Zosimo & Victore reposui. V. 7, pro inhians apud Paulum est affectans, structura paulo vsitatiore. Ibidem mox Sueuorum pro vulg. Suauorum reposui ex Orosio, qui prolixius habet, Alanorum, Sueuorum, Vandalorum, Burgundionum. V. 9, vulg. filio suo deiecto, dolo occisus est. ego Bongarsium sequi malui. Seq. v. ex Cassiodoro leges, Orientalis Imperator mortuus est, cum post obitum patris annos XIII in imperio fuisset. vel, mortuus est, qui regnans post ob. p. vt pag. seq. v. 2. V. 24, Vallia duplici ll scribitur etiam in Eus. membranis. V. 37, conuenientius soceris suis, seu socero suo. V. 41, Gizericus legitur etiam in Procopii vulg. ed. Vandal. lib. 1. in Eusebii membranis est Geisiricus: alibi Geinsericus & Gensericus. V. 43, pro Vualanis incertum est Alani, an Vandali, an potius vtriq; reponendi sint. nam etsi neutrorum expressa est apud Paulum mentio, tamen cum fere omnes aquilonares barbaros in Attilæ comitatu fuisse dicat, hos quoq; generali appellatione ista videtur comprehẽdere voluisse; dum scribit Attilam sibi adsciuisse Gepidas, Gotos, Marcomanos, Sueuos, Quados: præterea Herulos & Turlingos siue Tungros, cum propriis regulis, aliosq; barbaros aquilonares. V. 45, Arnegistlus diuersus esse videtur ab Aetio: diuersus etiam a Dagistheo, quem magistrum militum in Italia fuisse refert Paulus. V. 52, forsan leg. omnia infest. Seq. v. rectius fortasse Nomades Blemyesque. V. 55, legendum videtur distinctione transposita, felix comperit infelicium: omniumque inimic.

P. 654, v. 4, Paulus Valentinianum occisum dicit a Trasila Aetii milite. V. 24, in vulg. libris & hic, & mox v. 32, est Ariagne. sed cum pag. seq. diserte vocetur Ariadne, itidemq; apud Procop. Vandal. lib. 1, propterea eam scripturam malui. V. 29, processibus vsurpatum videtur pro, progressu temporis. V. 37, pro Slemnii apud Cedrinum est Cucusi: vt in Leoncl. margine adnotatũ est. V. 41, apud Paulum Diaconum, in Fastis Panuinii, & alibi, Odouacer dicitur genere Herulus, non Rogus. nisi forte Herulos & Rogos, siue Rugos, propter affinitatem pro eadem gente noster hic auctor accepit. Ibidem mox pro Thorcilingorum apud Paulum est Turlingorum siue Tungrorum. V. 43, vulg. exitii: minus apte. Sequentem epicrisin Paulus aliquanto luculentius sic extulit: Ita Romanorum apud Romam Imperium toto terrarum orbe venerabile, & augustalis illa sublimitas, quæ ab Augusto quondam Octauiano erecta est, cum hoc Augustulo periit, anno vrbis conditæ MCCXXIX: a Caio vero Cæsare, qui primus singularem arripuit principatum, anno DXVII: ab incarnatione vero Domini, anno quadringentesimo septuagesimo quinto. V. 52, apud Paulum est Valamir: & in seq. Thiodimer & Vindimer.

P. 655, v. 15, vulg. inde Thraticionẽ: corrupte. V. 19, episcopium vocat episcopi domum; ea forma qua prætorium dicitur habitatio prætoris. V. 28, conuenientius fortasse ab vrbe: & seq. v. pellacib. verbis, vt apud Virgil. pellacis Vlyssei. V. 32 pro Papyrio apud Cedrinum est Vbara; teste Leoncl. V. 44, perquaquam positum videtur pro circumquaque. V. 45, pro variis perperam in vulg. libris est Varus. Sequenti ver. in Leoncl. ed. margine adnotatum est, infra Margum planum.

P. 656, v. 4, congruentius fortasse, maior octogesimo ætatis anno. alioqui posteriora duo verba, ætatis anno, sunt otiosa. Sic v. 12, congruentius, sepeliuit tamen. V. 19, Leoncl. margo, sceptris regnoque. V. 25, fortasse rectius, sæpeque cecidit. Seq. v. vulg. l. circumingressos, compositione vitiosa. V. 38, Vandili, Vandilicus, & similia, per i leguntur apud Procopium quoque ac Zosimum: frequentius tamen Vandali per a in secunda syllaba. Quin & Bandali legitur in Mamertini Panegyrico; sicut Græci quoq; Βανδίλους vocant, per b. V. 45, Paulus Theodatum habet, quatuor syllabis.

P. 657, v. 3, qui hoc loco Eurimundus dicitur, in Geticis huius ipsius auctoris Euermor est, Procopio Ebrimirus: vt adn. Leoncl. V. 5, pro suspectæ rectius (opinor) legemus suspensæ, vel suppressæ. Sic ver. 11, pro rex cepit, sensui aptius est accepit. V. 37, vulg. l. populumque per horrentis alueum: corrupte. ego Leonclauium sequi malui. V. 44, vulg. l. partus victoria: errore satis euidenti. V. 47. resisti, potest quidem impersonaliter accipi. congruentius tamen videtur actiuum resistere. V. 49, structura constabit melius si legamus, regem cum regina: vel, sumpto rege ac regina, vt v. 30. V. 54, Erarius est etiam apud Paulum Diaconum: sed pro Hildebaldo legitur apud eum Ildebrandus. Procopius hunc Theudibaldum; illum Araricum nominat; teste Leoncl. Seq. v. pro Badiula idem L. putat scribendum potius Dadiula, d pro b: quia Totila Græcis dicitur. sed Badiula est etiam apud Paulum: qui binominem fuisse significat: Dehinc (inquit) sibi Badiulam, qui & Totila dicebatur, in regnum præficiunt.

P. 658, v. 2, ite[illegible] integrum alibi quoq; vsurpatum legitur. Ibidem etiam mutata distinctione legere possis, per suos feliciter dimicans, [illegible]ces fugat.

fugat. V. *6*, ratus reperire, *Græcismus est*, *pro*, ratus se reperturum esse. V. *9*, *legendum videtur*, Totila, seu Badiula: *vel*, Totila qui & Badiula: *vt patet ex paulo ante adnotatis. Sequenti etiam versu pro* patiens *sensus requirit potius contrarium* impatiens. V. *11*, *congruentius* recipit, *præs. temp.* V. *21*, *fortasse leg.* ingreditur; capitque mox & Siciliam. *sic certe Paulus*; Exinde per Campaniam, perq; Lucaniæ ac Bruttiorum fines, Rhegium proficiscuntur: nec mora, Siculum ingressi fretum, Siciliam inuadunt. V. *23*, *structura constabit melius, si pro passiuo participio* sumpto, *reponamus act.* sumens: *aut pro accusatiuis substituamus ablatiuos. aut certe accusatiui illi accipiēdi sunt absolute.* V. *29*, *vulg.* Guntharica; *Paulus* Guntharith: *ego* Guntharim *cum Leoncl. malui.* V. *33*, *nota hic*, in vrbem discussum; *& v. 23*, in matrimonio sumptam; *confusa localis significationis proprietate: sicut apud Græcos quoq;* εἰς *&* ἐν *sæpe commutari notum est. Similiter v. 36, aduerbium positum pro nomine*; nec diu intercedente, *pro*, nec longo tempore intercedente. *Seq. v.* comprobatus *suspectum est. verius est* conuictus; *vel, quod apud Ammianum Marcell. in hac signif. frequens est*, confutatus. V. *38*, *rectius fortasse*, cum gratulatione, *diuisa voce composita.* V. *41*, Longobardi *apud Paulum sunt* Langbardi: *quæ scriptura Germanis sonat* μακροπώγωνας. *Latine appellari possent* Longobarbi, *vt* Ahenobarbi. Lombardi *nunc appellantur in Italia.* V. *52*, *rectius fortasse*, sub ignaris (*vel* ignauis) rectorib.

P. 659, v. 16, fortibus factis se promiserat, *ita hic vsurpatum vt apud Plin. lib. 16, c. 26, de pinu*, nec vlla arborum auidius se promittit. V. *36*, *m. script. lib. pro* ex *abbreuiate habet* ē: *itidemque mox v. 46*, cp̄is, *pro* corporis. V. *53*, *vt hic sunt* Valeriani milites, *ita in fragmentis Sallustianis, Historiarum lib. 3*, prædatores Valeriani: *& lib. 5*, legiones Valerianæ. *Sic autem vocantur milites L. Valerii Flacci, qui a C. Fimbria Flacci legato corrupti, Imperatorem suum interfecerunt: vt Sigonius docet 249, 7: & auctor Virorum illustr. 504, 19.*

P. 660, v. 3, quotiens victor, *parenthetice atq; admiratiue accipiendum est: vel legendum* aliquotiens victor, *aut* totiens victor. V. *23*, *auctor fortasse scripsit*; cum sine socio dominatum sustinere non posset, in Cinnæ locum Carbonem sibi coll. subrog. *Quodsi ita est, discessit a Fastis Capitolinis, & Sigon. 247, 51. Vise eundem Sig. 250, 3, 39.* V. *29*, *Sallustii locus est in Bello Catilinario; non procul ab initio*; postquam L. Sulla, armis recepta republica, bonis initiis malos euentus habuit. V. *31*, *pro* quod *m. s. habet* vt: *perperam.* V. *33*, defensorem *vocat depulsorem seu propulsatorem: vt Virg. in Bucol.* Solstitium pecori defendite. V. *40*, *forsan scrib.* largitis, *signif. pass. qualis deponentium participiorum vsurpatio frequens est apud Amm. Marcellin. Seq. ver.* Etruri litore *suspectum est. verius* Etruriæ litore, *vel* Etrusco litore. *Etrures enim, vt Insubres, vix dictos fuisse crediderim.* V. *48*, contrario *vsurpatum videtur pro particip.* aduersante. *sic supra 657, 4*, qui contrarius cum exercitu venerat. V. *50*, *rectius fortasse*, repugnatione depulsus. V. *54*, *m. s.* Narbono; *perperam: vt patet ex Sigon. 250, 42.*

P. 661, v. 1, *vox* iram *perperam ex v. 8, huc intrusa videtur; ideoq; ableganda.* V. *9*, *legendum fortassis*, Erat autem tunc Etruria fidissima; *vel*, Erant autem in Etruria fidissimi. V. *16*, *pro* frustationis *auctor fortasse scripsit* frustrati promissis: *& v. 29*, contusis atque del. V. *35*, *pro abbreuiato* Auxūm *legēdum videtur* Auxumam: *de quo supra, ad 414, 40.* Clunium *autem Ortelius ex Ptolemao, Dione, Plutarcho, fœmin. fine vocat* Cluniam.

INTERPRETATIO GRÆCORVM; EORVM SCILICET QVÆ SINE INTERPRETAMENTO ALLEGANTVR.

16. Βρούτου καὶ Κολλατίνου:
Ποπλικόλα καὶ Λουκρητίου:
Ποπλικόλα β, καὶ Πουλουίλλου:
Bruto & Collarino:
Poplicola & Lucretio:
Poplicola II, & Puluillo.

18. εἷς τῶν ὑπατικῶν, vnus consulariũ. τῶν ὑπάτων, consulum. εὐασμὸς, euatio: proprie bacchantium clamor: vt apud Virg. Æn. 6, *euantes orgia circum Ducebat Phrygias.* εὐάζειν enim, & Latinum *euari*, significant *bacchantium more vociferari euoë* seu *euán*. vt Æn. 7, *Euoë Bacche fremens*: & in Periegesi Dionysii, de Indis, Εὐοῖ Βάκχε λέγοντες, *euoë Bacche dicentes*: & apud Demosth. pro corona, βοῶν εὐοῖ σαβοῖ, *clamans euoê saboê*. Porrò *euoê* & *euán*, aliqui Græcas voces esse volunt, & compositas; vt εὐοῖ significet εὖ οἱ, *bene ei sit*: εὐὰν autem, idem quod εὖ ἄν, *bene vortat*. sed Epiphanius Panarii lib. 7, putat voces illas ex Hebraica lingua promanasse, & habere memoriam quandã Euæ a serpente deceptæ: quippe quod *Eua* Hebræis, sine aspiratione, mulierem; *Heua* cum aspiratione, serpentem significet. cum igitur euantes serpẽtibus coronati clamitent *vaua*, vel Euam a serpente deceptam illa voce inclamari, vel aspirato sono serpentem ad Bacchica ista sacra euocari.

19. τὰ ἐπὶ τοῦ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε, pompam eam duxit quæ equo singulari ob victoriam agitari solet. ἐπὶ κέλητος ἐς τὸ ἄστυ ἐλάσαι, equo singulari in vrbem inuehi. ἐφ' ἵπποις ἐξελάσαι, equis euehi: at ἐφ' ἵπποις εἰσελάσαι, equis in vrbem inuehi. ἐπὶ ἵππων αὐτοὺς ἐξαγαγόντες, super equis eos educentes. ἱππεύοντα ἐκ τοῦ Ἀλβανοῦ, equo vectum ex Albano. Est autem κέλης equus singularis, qui ab aliis sellarius, ab aliis desultorius appellatur; quo videlicet solo & singulari aliquis inuehitur.

23. Αὖλος Οὐεργίνιος Αὔλου υἱὸς καὶ Νωμεντανός, Aulus Virginius Auli filius, & Nomentanus. Sed verior lectio ex Sigonii sententia est, Αὖλος Οὐεργίνιος Αὔλου υἱὸς Καιλιμοντανός, Aulus Virginius Auli filius Cælimontanus.

86, 53. πρόπαππον, proauum.

89, 38. ἀνιστορησίαν, historiæ ignorantiam.

106, 4. Ὀμβροὺς καὶ Σαρσινάτους, Vmbros & Sarsinates.

195, 6. Κόϊντον Πομπήϊον Αὖλον, Quintum Pompeium Aulum. Sigonius legendum censet, Κόϊντον Πομπήϊον Αὔλου υἱόν, Quintum Pompeium Auli filium.

286, 3. ἐξαίρετος sonat exemptus seu exceptus, exemptus e numero, eximius & peculiaris. nam ἐξαιρεῖν est eximere seu excipere. vt ἐξαίρετος στρατηγία sit prætura extraordinaria, seu extra ordinem collata. Sigonius præpositionem ἐξ priuatiue accipit, intelligitque præturam ἄνευ ἀρχαιρεσίας, id est sine comitiis datam.

289, 17. ἄρη πνέων, Martem spirans.

294, 38. ἀνεψιόν, patruelem: ἀδελφόν, fratrem.

302, 22. λογοθεώρητος, verbo spectatus; vel ratione contemplabilis. vt significetur consulatus aut verbo tenus gestus, aut ratione ac mente contemplandus; quippe qui ob temporis breuitatem videri non potuerit; imaginarius dumtaxat honos.

305, 28. ἐκ τοῦ Ἀλβανοῦ ἐς τὴν πόλιν ἐσελαύνειν, ex Albano in vrbem inuehi. ἐσιππεύοντα αὐτὸν μετὰ τοῦ Ἀλβανοῦ, βασιλέα αὖθις ὠνόμασαν, equo inuehentem eum cum Albano, regem rursus nominarunt. sed Sigonius mauult ἐκ τοῦ Ἀλβανοῦ, ex Albano.

312, 5. εὐσέβεια, pietas.

340, 37, καὶ τὰ ὀνόματα Ῥωμαίοις πάλαι μὲν ἦν ἓν, ὥσπερ ἀνθρώποις ἅπασιν, ἑκάστῳ· μετὰ δὲ, ἐγένοντο δύο· καὶ οὐ πολὺς χρόνος ἐξ οὗ καὶ τρίτον ἤρξατό τισιν ἐς ἐπίγνωσιν ἐκ πάθους ἢ ἀρετῆς περιτίθεσθαι: ac olim quidem Romanis, vt omnibus hominibus, singula singulis erant nomina. post bina exstiterunt. nec multo post. tertium quoque aliquibus ex accidenti aliquo aut virtute internotionis gratia imponi cœptum est.

341, 7, ἐπεὶ καλοῦνταί γε οὐ πατρόθεν οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ ταὐτὰ Ἕλλησιν, ἀλλὰ καὶ τρία, ὁπότε ἡ ὀλίγιστα, καὶ ἔτι πλείονα ὀνόματα ἑκάστῳ τίθενται: quoniam Romani non vt Græci a patrib. suis denominantur, sed etiam tria, cum paucissima, interdum vero & plura singulis imponuntur nomina. 26. μαθὼν ὅτι Ῥωμαίων ἑκάστῳ κοινὸν ὄνομα κεῖται, καὶ μετὰ τὸ κοινὸν, ἕτερον, ὃ δὴ συγγενικὸν αὐτοῖς ἐστι, καὶ πατρωνυμικόν: cum didicisset Romanorum cuique commune esse nomen, ac post commune illud, nomen aliud, quod scilicet gentilicium eis est & patronymicum. 28, αὐτὸς μὲν ἐκαλεῖτο κατὰ κοινὸν ὄνομα καὶ προσηγορικὸν Νέβιος, τὸ δὲ συγγενικὸν, Ἄττιος: is communi & appellatiuo nomine vocabatur Neuius, gentilicio autem Attius. 32, ἐκ τούτου τρίτον ἔσχεν ὄνομα, τὸ Κοριολανὸν, ᾧ καὶ μάλιστα δῆλός ἐστι. τῶν ὀνομάτων ἴδιον ἦν ὁ Γάϊος· τὸ δὲ δεύτερον, οἰκίας ἢ γένους κοινὸν, ὁ Μάρκιος: ex eo tertium ei nomen CORIOLANVS, quo etiam maxime celebris est. proprium ei nomen fuit CAIVS: alterum, familiæ seu generis commune, MARCIVS.

342, 45. τοῦτον τὸν βωμὸν ὁ Οὐαλέριος εὑρὼν, καὶ τὴν θυσίαν καὶ τὰς παννυχίδας ἐπιτελέσας, ἐκλήθη Μάνιος Οὐαλέριος Ταραντῖνος. τοὺς τε γὰρ χθονίους, Μάνης καλοῦσι Ῥωμαῖοι, καὶ τὸ ὑγιαίνειν βαλῆρε: hac ara inuenta, sacrificioque ac peruigiliis peractis, Valerius appellatus est MANIVS VALERIVS TARENTINVS. subterraneos enim (seu inferos) deos Romani MANES vocant, & ὑγιαίνειν (i. sanum esse) VALERE.

343, 54. βασιλεὺς ἦν Κλουσιανῶν Λάρος ὄνομα, Πορσίνας ἐπίκλησιν: rex erat Clusinorum, Lars nomine, cognomine Porsena.

344, 13, ἱκέτευσε Λάρον Πορσίναν, supplex Lartem Porsenam adiit.

346, 1. ὥσπερ τὸν Τιβέριον καὶ τὸν Γναῖον, sicut Tiberium & Cnæum.

347, 44. χρῶνται δὲ δυσὶν ὀνόμασιν αἱ θήλειαι, τρισὶ δὲ οἱ ἄρρενες: vtuntur autem binis nominibus fœminæ, ternis vero mares.

349, 11, τὰ μὲν παίδων τοῖς μὲν ἄρρεσιν, ἐνναταίοις· τοῖς δὲ θήλεσιν, ὀγδοαίοις τὰ ὀνόματα τίθενται: pueris masculis nono, fœmellis autem octauo die nomina imponunt.

352, 1. συγγενικά, gentilicia: πατρωνυμικά, patronymica, a patris nomine deriuata. qualia sunt THESIDAE a Theseo, ÆMILII ab Æmilo.

357, 41. σωτῆρα, seruatorem: καλλίνικον, clarum victoriis, victoriosum: φύσκωνα, inflatum turgidumque follem, ventrosum: γρυπὸν, aduncum: εὐεργέτην, beneficum: φιλάδελφον, fratris amantem: εὐδαίμονα, beatum, fortunatum: δώσωνα, daturionem, i. pollicentem semper se daturum: λαμυρὸν, procacem.

359, 49. εὐτράπελος, lepidus: εὐτραπελία, lepor, facetiæ, festiuitas.

360, 40. ἐτίθεντο δὲ τοῖς παισὶν αὐτῶν σύϊλλους καὶ βουβόλκους καὶ καπραρίους ὀνόματα; nomina vero liberis suis imponebant Suillos, & Bubulcos, & Caprarios.

365, 38. ὀψίγονον, sero natum.

368, 19. εὐπατρίδας, claris parentibus ortos, clare natos: ἀγροίκους, ruricolas, agrestes. 52, πατρικίους ἐποίησε, καὶ κατέλεξεν ἐς τὸν τῶν βουλευτῶν ἀριθμόν: patricios fecit, atque in senatorum numerum allegit.

369, 1. ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος εἰς τοὺς πατρικίους αὐτὸν ἐνέγραψεν, senatus populusque patriciis eum adscripsit. 5, ἐς τὴν γερουσίαν ἐσέγραψεν, καὶ ἐς τοὺς εὐπατρίδας ἐγκατέλεξεν: senatoribus adscripsit, & patriciis allegit. 7, ἑτέρους δὲ τινὰς βουλευτὰς ἐποίησε, τό τε τῶν εὐπατριδῶν γένος συνεπλήθυσε: alios vero quosdam senatores effecit, patriciumque ordinem suppleuit seu ampliauit.

370, 9. εἰωθότων δὲ τῶν Ῥωμαίων τοὺς ἀπὸ γένους δόξαν οὐκ ἔχοντας, ἀρχομένους δὲ γνωρίζεσθαι δι' αὐτῶν, καινοὺς προσαγορεύειν ἀνθρώπους, ὥσπερ καὶ τὸν Κάτωνα προσηγόρευον: cum autem Romani eos qui genere ignobiles, per se ipsos innotescere incipiunt, NOVOS HOMINES appellare soleant, sicut etiam Catonem appellabant. 11, καλοῦσι δὲ καινοὺς, τοὺς ἀφ' ἑαυτῶν, ἀλλ' οὐ τῶν προγόνων γνωρίμους: Nouos autem vocant eos qui a se ipsis, nõ a maiorib. sunt nobiles.

480, 25. ἀπὸ τοῦ καίειν, ab vrendo.

483, 39. ῥώμην, robur, vires.

486, 29. μέμνασο ἀπιστεῖν, memento diffidere. 30, εἰκότως, verisimiliter.

514, 17. κλινοπάλην, clinicam luctam, luctam in lecto.

537, 7. καλῶς ἔσται, bene erit.

538, 24. ἀπόπληξιν, perculsionem; i. resolutionem omnium totius corporis neruorum.

539, 8. χρηστόλογον, benignum verbis: cuius benignitas in verbis tantum esset, nec v... tis declararetur.

588, 24, κομήτην, comatum seu crinitum sidus.

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM QVÆ IN ROMANÆ HISTORIÆ TOMO I VISA SVNT NOTATV DIGNIORA.

IN hoc Indice priores numerorum notæ, paginam; sequentes, versum cuiusque paginæ indicant. Vbi plura vnius subiecti sunt prædicata; plerumque data est opera vt ea vni tantum eidemque tribuerentur. In propriis tamen nominibus, breuitatis aut alius compendii gratia, nonnumquã pluta prædicata collata sunt in nomen voce quidem vnum idemque, sed ætate aut alia quapiam circumstantia diuersum. Itidemque aliquando certas ob caussas seiuncta sunt quæ sua natura erant coniungenda. Pro nominum etiam diuerso vsu, quædam vel in cognominibus vel in prænominibus indicata, quæ alioqui potius in gentiliciis nominibus exponi debuissent: vbi scilicet aut cognomina aut prænomina, ob frequentiorem notioremque vsum, nominibus gentiliciis ab auctorib. sunt prælata. cuius generis cum alia sunt in Imperatorum catalogo, tum hæc, *Tiberius, Titus, Caius, Lucius, Marcus*: item, *Augustus, Caligula, Nero, Galba*, & similia. quemadmodũ etiam in vetere historia, *Numa, Ancus, Tullus, Seruius, Appius, Aruns*, prænomina sunt nominib. suis fere magis vsitata & nota. In quib. sæpe, pro auctorum vsurpatione, modo prænominibus, modo cognominibus tributum est quod potius competebat nominib. gentiliciis. In ceteris nominibus Romanis ac Latinis hæc obseruata est ratio. Quia plerumq; plura eiusdem personæ sunt nomina, prænomen scilicet, nomen gentis, cognomen, agnomen in collocatione habita est vt plurimum gentilicii nominis ratio: atq; illud ex prænominum serie distinctum. Deinde vbi accedunt cognomina & agnomina, ea quoque per suas classes sunt digesta, & prænominibus suis distincta. Exempli gratia; *1, Ælia gens: 2, L. Ælius, Sex. Ælius: 3, L. Ælius Lamia, P. Ælius Ligur, Q. Ælius Pætus: 4, L. Ælius Stilo Præconinus.* & sic in ceteris. Quæ dispositio quam conueniens atq; vtilis sit, ipsa testatur experientia. Hoc etiam notandum, ab auctoribus sæpe nominibus gentiliciis vel prænomina postponi, vel cognomina præponi. Prænomina postposita in his apud Victorem, Iornandem, & alios; *Siluius Procas, Pompilius Numa, Tarquinius Sextus, Menenius Agrippa, Claudius Tiberius, Antoninus Marcus.* in his enim prænomina *Procas, Numa, Sextus, Agrippa, Tiberius, Marcus*, ordinis lege debebant antecedere. Cognominum præpositio frequens est cum apud alios, tum apud Velleium: vt, *Caldus Cælius, Balbus Cornelius, Rufus Egnatius, Crispus Marcius, Flaccus Pomponius, Scaurus Æmilius, Plancus Plotius, Varus Quintilius, Florus Iulius, Drusus Claudius, Drusus Liuius, Gallus Caninius, Verus Antistius*: item, *Lepidus Æmilius, Marcellus Claudius, Caluinus Domitius, Macinus Hostilius, Siluanus Plotius, Seianus Ælius*: item, *Offella Lucretius, Carbo Papirius, Milo Annius, Philo Publilius, Vulso Manlius.* Sic in Cæsareæ historiæ scriptoribus, *Priscus Tarquinius, Claudius Appius, Cimber Annius, Cordus Cremutius. Fronto Cornelius, Varro Ælius, Niger Pescennius, Seuerus Septimius, Macrinus Opilius, Capella Antistius, Caracalla Bassianus, Alexander Aurelius.* item in fœmineo sexu, *Clara Æmilia, Faustina Annia.* Sic modo *Cassius Auidius*, modo *Auidius Cassius* in eisdem legitur. Similiter apud Dionem est *Potitus Valerius*; apud Plinium *Balbus Cornelius maior.* Paullo etiam insolentiora illa, *L. Paullus Æmilius*, in Viris illustribus; & *Sp. Albinus Postumius*, apud Eutropium; pro, *L. Æmilius Paulus, Sp. Postumius Albinus.* & apud Ciceronem *Maluginensis Marcus Scipio*, pro, *Marcus Scipio Maluginensis*. In eiusmodi transpositionibus nos plerumq; legitimum nominandi ordinem secuti sumus, & nomina cognominibus atque agnominibus suis præposuimus, præmissis prænominibus, vbi ab auctoribus ea sunt expressa. Sunt autem prænomina vsitatiora ista; *Appius, Aulus, Caius, Cnæus, Lucius, Manius, Marcus, Postumus, Publius, Quintus, Seruius, Sextus, Spurius, Tiberius, Titus.* Minus vsitata hæc; *Agrippa, Ancus, Aruns, Cæso, Gracchus, Lar* seu *Lars, Metius, Neuius* pro Cnæus, *Numa, Octauus, Opiter, Pompo, Proculus, Tullus, Turnus, Volesus, Vopiscus.* quorum quatuor recentiori æuo in cognomina transierunt, *Agrippa, Gracchus, Proclus, Vopiscus*: vt contra cognomina quædam versa sunt in prænomina, *Cossus, Drusus, Iulus, Paulus, Nero*, & similia. Prænomina vero quæ vna tantum littera, quæ duabus tribusve soleant exprimi, cum Sigonius docet, tum Index ipse ostêdit. In appellatiuis nominibus interdum singularia, interdum pluralia præposuimus; idque nunc recto, nunc obliquo casu; prout ordinis commoditas ferebat. Sic primitiuis interdum postposita sunt deriuata, interdum anteposita. In synonymis & cognatis plerumque auctorum verba sunt retenta. Sic igitur vnum idemque in synonymis voce diuersis tibi quærendum memineris; vt *Imago, Effigies, Simulacrum.* sic *Gladius, Ensis: Scutum, Clypeus*: & similia. In numerorum notatione fieri potest vt interdum sequens pagina pro antecedente sit indicata: sicut etiam in versuum indicatione metuo ne aliquãdo ex vna decade in alteram sit transcensum: vt festinatio varie decipere solet oculos, & notas alias pro aliis oggerere. Hæc commodi tui gratia hic præmonere visum est, lector. Tu & præsentia boni consule, & in futurum nobis bene precare.

Arniensis

Calum

Conuersatio

117.

E

R R R

H.

ad

Lucretia,

O

Pellicis

a plebe

Q.

R.

Rhegium

Sacri-

Secundinus

Therman-

L. Valerius

Vercellensis

Visolus



CORRIGENDA.

Primum emendandi sunt paginarum numeri: nominatim hi; 149. 155. 156. 287. 398. 555. 557. 558. 559. 560. 561. 562. *Deinde, quod attinet ad cetera; Pag.* 18, *v.* 18, *scribes* cum Auruncis. 28, 13, Flauum, *F grandiusculo.* 33, 42, Volusi N. *sine distinctione.* 37, 43, tendunt: vicere patres. 49, 46, A. Manl. 68, 37, pluisset. 70, 51, Ostiensem: *&* 55, Pætum. 71, 7, Publilius Philo. 77, 6, P. Ælium Pætum. 78, 28, Teanenses, *sine aspir.* 82, 19, Tremuli, T *grandiusculo. Ibidem mox v.* 27, *post* tradidimus *interpunge.* 105, 28, Claudum, *expuncto i.* 107, 4, fetiales. 112, 55, Caralæ. 115, 36, serpente. 117, 32, questus, *absq. diphthongo.* 121, 12, Fregenæ *pro* Fregellæ *scribit Sigonius & hic, & in Schol. Liuianis.* 126, 29, Maximum Verrucossum, *sine distinctione.* 127, 44, proque laurea cor. 132, 17, idib. Mart. 138, 26, Atellani. 141, 54, Centenius. 142, 5, Syracusæ: *&* 48, M. Marcelli. 144, 14, in Crasso notasset Liuius, censorem, non consularem fuisse, si ne collega quidem eius consulatum cepisset. 145, 31, *post* C. Claudius *interpunge.* 151, 6, Iluatibusque, *expuncto altero l.* 152, 52, *post* Comensibusque *pone punctum geminum.* 163, 41, amnem a *minusc.* 165, 34, Haliartum. 169, 3, in Italiam: *& mox* 17, *distingue post* Gracchum II. 170, 31, alienigena: *&* 33, ludis Romanis. 179, 33, *post* cognomina *interpunge.* 180, 27, extra Pydnam. 182, 6, a Pœnis. 185, 21, in Phoceis, *absq. diphthongo: &* 25, totius Achaiæ. 188, 50, educturum. 194, 15, cecidit. 195, 14, Torquatus, Silani pater. 200, 27, Cæcilii, *per æ.* 205, 42, sed etiam: *&* 49, Mamertium, *per t.* 207, 37, Areuaccorum. 211, 12, Myndon, *per y.* 213, 12, *rectius e Iustino sic scribes;* Mithridati Pontico Phrygiam maiorem; filiis Ariarathis, regis Cappadociæ, qui eodem bello occiderat, Lycaoniam & Ciliciam datas. 215, 41, deuicisse. 216, 16, operuere. 220, 25, *post* Q. Mucium *pone punctum geminum.* 221, 5, quem Q. Fab. 222, 23, pluisse. *Ibidem* 45, *distingue inter* Rufus *&* Didius. 224, 13, Scipionis Nasicæ. 228, 17, Tigurini: *&* 31, opportunum. 229, 14, Cæpio: 21, abligurisse: 25, obsessum. 233, 45, diffuderant: *&* 48, productæ in camp. 236, 23, Eunus. 237, 15, scribit Appianus: *&* 41, Nepotem N *maiusculo.* 238, 50, Rauiliæ. 241, 31, murænam. 242, 32, *ante* alter *distingue, non post: &* 53, Italicum, Sociale, ac Mars. 243, 30, *distingue inter* cecidisset *&* C. Marius. 246, 37, hoc primùm anno. 247, 51, L. Cinna. 248, 18, ancor. 250, 32, agrum Troadis. 251, 8, *interpunge post* transtulit: *&* 23, *post* C. Mario, *pro puncto pone hypodiastolen.* 260, 12, *post* suggerit *pone punctũ geminũ: itidemq. v.* 20, *post* moritur, *&* sortitus est. *Ibid.* 25, *scr.* Asia Ciliciaq;. 264, 50, *rectius* M. Antonio. 265, 34, Mœsios. 266, 27, Rufus autẽ sic: *&* 49, a victoria Mithridatica reuertentẽ. 267, 29, nihil non exp. 269, 32, Q. Metello. 273, 19, *plantus sic leges;* in prouinciã iter faciens, ab equitib. Hispanis, quos in exercitu ductabat, occisus est. 279, 28, Marcium Regem, R *maiusculo.* 280, 11, Att. *seu* Atticum: *&* 46, voluerit. 281, 48, Callæciæ. 289, 21, Pompeii. 291, 55, germanus, *g minusculo. Ibidem* 47, *pro* viginti *legendum videtur* triginta; *vt supplicationum series declarat in Indice.* 294, *parentheseωs clausula e fine versus* 47 *transferenda in finem versus* 48. 299, 55, magistro eq. 307, 17, *ante* maior *distingue, non post.* 310, 1, Plancus Pl. *expuncto i.* 311, 21, *rectius* Attali. 319, 19, TERT. *Ibid.* 50, *videtur legendum* imperiumque abrog. 320, 7, Antonium. 322, 38, AGRIPPA. 325, 31, *post* ceperit, *ex Aldi editione adde ista;* aut eam post etiam Tiberio, antequam ille imperium acciperet, dederit. *Ibid.* 55, *distinctionem tolle post* flaui. 327, 30, DCCXXXI. 332, 48, Bessorum. 333, 51, *interpunge post* Dio. 334, 37, Iulia filia sua. *Ibidem* 30, *interpunge post* Dio. 335, 10, Rufinus. 340, *distingue post* ἅπασιν, *v.* 37: *post* plures, *v.* 39: *post* luci, *v.* 40: 341, 34, Item etiam: *&* 54, φερώνυμον. 343, 41, *distingue post* inquit: *itemque* 55, *post* Valerius. 344, 17, *ante* illud *distingue, non post.* 345, 23, littera. 352, 11, ipsa nomina gentil. 355, 27, Reges, R *maiusculo. Seq. columna expunge ista,* Vatinii, a Vatia: *& v.* 51, *scr.* Tarquiniis. 357, 43, δώσοντα. 361, 10, *rectius* Pindenissæ: *itemque in seq.* 363, 49, Minuciorum. 365, 38, *interpunge post* vocat: *&* PRISCVS *scribe litteris grandiusculis. Ibid.* 52, Publilii VVLSCI. 367, 39, M. Manilium. 374, 37, Assueti, *per t.* 377, 1, *interpunge post* consiliũ: *&* 49, Tybris, *vel potius* Thybris (*nam sic quoq. appellatur Tiberis more Græco.*) 380, 34, Quinctumque F. 385, 46, fame. 387, 41, *distingue post* Epiri: *itemq.* 388, 31, *post* populatus. 390, 51, Calpurnii Flammæ, *absq. distinctione.* 395, 35, vadentem. 396, 22, Rhodiis: *&* 49, reuomuere. 407, 24, quamuis toto orbe d. 408, 41, Nicephorium. 415, 54, Cotus, *seu* Cotys. 417, 32, *ante* simul *distingue, non post. Ibid.* 45, vulneris. 418, *in margine pro* 760, *repone* 706. 419, 41, *inclusionis signum post* reliqua *collocandum, non ante.* 422, 19, Parthicum: *& seq. v.* sinu late: *&* 47, salmacidis. 423, 20, rostris, ad hoc ign. *&* 24, reuomebant. 425, 48, hic finis. 432, 1, VELLEII: *itidemque in seq.* 433, 3, duxerit. 439, 6, propriè: *&* 37, COSS. *seu* conss. 440, 50, Mutilus. 448, 5, præter quam: *&* 36, destituerit: *&* 42, Bithyniam. 465, 20, producta: *&* 52, Maroboduo. *Ibid.* 32, *distingue post* ducis. 468, 5, tot milium. 472, 11, Asinio Poll. *&* 25, censum. 481, 3, quot, *per t:* *&* 14, patria pulsos. 484, 1, ORIGO GENT. ROM. 489, 31, Talasio: *&* 32, Talasii. 494, 53, in deditionem. 495, 55, *in marg. scr.* 543. 506, 45, Pharsalia. 510, 17, intemperantie, *absque diphthongo.* 511, 29, demtis, *seu* demptis 515, 20, lasciuiæque. 516, 1, AVRELIVS VICTOR: *&* 12, opperiendæque, *p gemi*nato. 517, 3, Saluii: *&* 14, mentium. *Ibid.* 10, *distingue post* quodam. 519, 22, Thysdri: *&* 35, Pupienum. 522, 30, studio impune peccandi: *&* 44, quæ per Gall. 532, 35, declinare. 533, 15, Iudææ: 54, Icelii: *&* 55, pædagogi. 537, 1, que, *absq. diphthongo.* 538, 24, Concordiam, C *maiusculo: &* 27, tranquilliss. 539, 38, cognominatus est. 540, 16, Mammæa. 541, 1, Cassius Labienus Postumus, *absq. distinctione.* 542, 8, quoq;. 543, 51, ex quibus. 545, 10, *tolle*

diſtinctionem poſt Pompeia: *itemq. v.* 14, *poſt* laudis. 547, 23, colloquia pro perſonis. 550, 28, fabuloſé: 35, Hæmimontanos: 38, Calatim. 552, 9, cepit: 32, C. Caſſius. 553, 24, propera morte. 554, 14, præſente Conſtantio: 31, hoſti ſollicitudinem demeret. 558, 1, queſta, *ſine diphthongo*. 559, 1, LIBER II. 561, 1, Pyrrho: & 34, Manius Curius, *absq. diſtinctione*: & 55, Inſequenti, *coniunctè*. 563, 1, LIBER III: & 5, viginti: & 8, *in margine*, 511. 564, 33, *poſt* conſul *pone punctum geminum*. 565, 25, acceperant: & 34, transierant [prius, rurſus] ſe Fab. & *mox*, Inſeq. anno. 566, 19, [Sed] infertur: & 48, M'. Acilio. 569, 27, *in margine tolle num. notas iſtas*, 221, 16. 570, 45, COSS. *ſeu* conſſ. 574, 30, *in margine pro* 700 *repone* 698. 576, 23, occupauerant: & 44, pro victore. 580, 25, Mardomedos: & 27, vicit ac tenuit: vſque ad Indiæ fines & mare rubr. acceſſit: & 28, Madenam. 582, 32, ex Africa, prouinc. Tripol. & 44, per CXXXII mil. 584, 15, viliſſimus. 589, 44, mulctatis finib. 596, 39, Sauerrio. 608, 48, primus: & *ſeq. v.* appellari iuſſit. 612, 16, Antonini V, & Aurelii III. 615, 3, Antoninianæ. 621, 52, Conſtanti inferens. 622, 12, Nigrinianus: & 17, Nigriniani. 629, 1, Baſiliſcus: & 37, nepotem, *n minuſculo*. 633, 12, *tollenda iſta*, SVCCESS. LIBER. 634, 38, gnauo ingenio. *Ibidem* 28, *diſtingue poſt* hoſtis. 635, 14, Sueſſa Pometia, *ſine diſtinctione*: & 48, tædio. *Ibid.* 43, *diſtingue poſt* quatuor. 637, 1, qua felicitate! 21, recondunt. 638, 6, Pompeii: & 47, cauſſa miſeræ ciuitati fuit omn. cal. 640, 26, Xanthippum. *Ibid.* 49, *interpunge ante* quippe. 641, 4, impliciti dumis: 14, Viridomaro: 16, excinxit: 46, publico. 642, 11, nobilitate: 27, frui maluit. 643, 18, inter diuerſa: 32, adortam: 37, naſcentis Italiæ. 645, 11, Calathen: 42, intra Taurum. 646, 3, Apionis. *Ibidem* 34, *interpunge poſt* indigno. 647, 11, Vibium: 20, in Pannoniam: 48, offerebatur: & *mox*, laborabat. 648, 40, annis duobus, menſibus duobus. 653, 52, omnia infeſt. & 55, felix comperit infelicium. 658, 10, impatiens: 11, recipit: 38, cum gratulatione: 52, ſub ignauis. 747, 12, *interpunge poſt* Caſſiodorus: & 24, *expunge* 67. 750, 19, *diſtingue poſt* Eutropium. 765, 20, compendio, 447, 33. 792, 59, παννυχίδας. *Hæc, & ſimilia errata, etſi magna ex parte ſunt exemplarium quæ ſecuti ſumus: tamen haud pauciora iis adſcribenda ſunt quibus correctorium munus pro me in operis feſtinatione demandatum fuerat.*

distinctionem post Pompeia: *itemq; v.* 14, *post* laudis. 547, 23, colloquia pro personis. 550, 28, fabulosé: 35, Hæmimontanos: 38, Calatim. 552, 9, cepit: 32, C. Cassius. 553, 24, propera morte. 554, 14, præsente Constantio: 31, hosti sollicitudinem demeret. 558, 1, questa, *sine diphthongo.* 559, 1, LIBER II. 561, 1, Pyrrho: & 34, Manius Curius, *absq; distinctione:* & 55, Insequenti, *coniunctè.* 563, 1, LIBER III: & 5, viginti: & 8, *in margine,* 511. 564, 33, *post* consul *pone punctum geminum.* 565, 25, acceperant: & 34, transierant [prius, rursus] se Fab. & *mox,* Inseq. anno. 566, 19, [Sed] infertur: & 48, M? Acilio. 569, 27, *in margine tolle num. notas istas,* 221, 16. 570, 45, COSS. *seu* consſ. 574, 30, *in margine pro* 700 *repone* 698. 576, 23, occupauerant: & 44, pro victore. 580, 25, Mardomedos: & 27, vicit ac tenuit: vsque ad Indiæ fines & mare rubr. accessit: & 28, Madenam. 582, 32, ex Africa, prouinc. Tripol. & 44, per CXXXII mil. 584, 15, vilissimus. 589, 44, mulctatis finib. 596, 39, Sauerrio. 608, 48, primus: & *seq. v.* appellari iussit. 612, 16, Antonini V, & Aurelii III. 615, 3, Antoninianæ. 621, 52, Constanti inferens. 622, 12, Nigrinianus: & 17, Nigriniani. 629, 1, Basiliscus: & 37, nepotem, *n minusculo.* 633, 12, *tollenda ista,* SVCCESS. LIBER. 634, 38, gnauo ingenio. *Ibidem* 28, *distingue post* hostis. 635, 14, Suessa Pometia, *sine distinctione:* & 48, tædio. *Ibid.* 43, *distingue post* quatuor. 637, 1, qua felicitate! 21, recondunt. 638, 6, Pompeii: & 47, caussa miseræ ciuitati fuit omn. cal. 640, 26, Xanthippum. *Ibid.* 49, *interpunge ante* quippe. 641, 4, impliciti dumis: 14, Viridomaro: 16, excinxit: 46, publico. 642, 11, nobilitate: 27, frui maluit. 643, 18, inter diuersa: 32, adortam: 37, nascentis Italiæ. 645, 11, Calathen: 42, intra Taurum. 646, 3, Apionis. *Ibidem* 34, *interpunge post* indigno. 647, 11, Vibium: 20, in Pannoniam: 48, offerebatur: & *mox,* laborabat. 648, 40, annis duobus, mensibus duobus. 653, 52, omnia infest. & 55, felix comperit infelicium. 658, 10, impatiens: 11, recipit: 38, cum gratulatione: 52, sub ignauis. 747, 12, *interpunge post* Cassiodorus: & 24, *expunge* 67. 750, 19, *distingue post* Eutropium. 765, 20, compendio, 447, 33. 792, 59, παννυχίδας. *Hæc, & similia errata, etsi magna ex parte sunt exemplarium quæ secuti sumus: tamen haud pauciora iis adscribenda sunt quibus correctorium munus pro me in operis festinatione demandatum fuerat.*

diſtinctionem poſt Pompeia: *itemq. v.* 14, *poſt* laudis. 547, 23, colloquia pro perſonis. 550, 28, fabuloſé: 35, Hæmimontanos: 38, Calatim. 552, 9, cepit: 32, C. Caſſius. 553, 24, propera morte. 554, 14, præſente Conſtantio: 31, hoſti ſollicitudinem demeret. 558, 1, queſta, *ſine diphthongo.* 559, 1, LIBER II. 561, 1, Pyrrho: & 34, Manius Curius, *abſq. diſtinctione:* & 55, Inſequenti, *coniunctè.* 563, 1, LIBER III: & 5, viginti: & 8, *in margine*, 511. 564, 33, *poſt* conſul *pone punctum geminum.* 565, 25, acceperant: & 34, transierant [prius, rurſus] ſe Fab. & *mox*, Inſeq. anno. 566, 19, [Sed] infertur: & 48, M'. Acilio. 569, 27, *in margine tolle num. notas iſtas*, 221, 16. 570, 45, COSS. *ſeu* conſſ. 574, 30, *in margine pro* 700 *repone* 698. 576, 23, occupauerant: & 44, pro victore. 580, 25, Mardomedos: & 27, vicit ac tenuit: vſque ad Indiæ fines & mare rubr. acceſſit: & 28, Madenam. 582, 32, ex Africa, prouinc. Tripol. & 44, per CXXXII mil. 584, 15, viliſſimus. 589, 44, mulctatis finib. 596, 39, Sauerrio. 608, 48, primus: & *ſeq. v.* appellari iuſſit. 612, 16, Antonini V, & Aurelii III. 615, 3, Antoninianæ. 621, 52, Conſtanti inferens. 622, 12, Nigrinianus: & 17, Nigriniani. 629, 1, Baſiliſcus: & 37, nepotem, *n minuſculo.* 633, 12, *tollenda iſta*, SVCCESS. LIBER. 634, 38, gnauo ingenio. *Ibidem* 28, *diſtingue poſt* hoſtis. 635, 14, Sueſſa Pometia, *ſine diſtinctione:* & 48, tædio. *Ibid.* 43, *diſtingue poſt* quatuor. 637, 1, qua felicitate! 21, recondunt. 638, 6, Pompeii: & 47, cauſſa miſeræ ciuitati fuit omn. cal. 640, 26, Xanthippum. *Ibid.* 49, *interpunge ante* quippe. 641, 4, impliciti dumis: 14, Viridomaro: 16, excinxit: 46, publico. 642, 11, nobilitate: 27, frui maluit. 643, 18, inter diuerſa: 32, adortam: 37, naſcentis Italiæ. 645, 11, Calathen: 42, intra Taurum. 646, 3, Apionis. *Ibidem* 34, *interpunge poſt* indigno. 647, 11, Vibium: 20, in Pannoniam: 48, offerebatur: & *mox*, laborabat. 648, 40, annis duobus, menſibus duobus. 653, 52, omnia infeſt. & 55, felix comperit infelicium. 658, 10, impatiens: 11, recipit: 38, cum gratulatione: 52, ſub ignauis. 747, 12, *interpunge poſt* Caſſiodorus: & 24, *expunge* 67. 750, 19, *diſtingue poſt* Eutropium. 765, 20, compendio, 447, 33. 792, 59, παννυχίδας. *Hæc, & ſimilia errata, etſi magna ex parte ſunt exemplarium quæ ſecuti ſumus: tamen haud pauciora iis adſcribenda ſunt quibus correctorium munus pro me in operis feſtinatione demandatum fuerat.*